


PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

ÉDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ GRÆCÆ TOMUS LXIII.

ENNODIUS, HORMISDA PAPA, TRFIOLIUS PRESBYTER, ELPIS, UXOR BOETII, BOETIUS

PARISIIS,

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES.

IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM, *CHAUSSÉE DU MAINE* 127.

1882

Ex typis societatis dictæ Societas impressionis et librariæ administrationum viarumque ferratarum.
PAULO DUPONT. — Parisiis, in via dicta Jean-Jacques-Rousseau, 41. (Cl.) 105.10.82.

BOETII,

ENNODII FELICIS,

TRIFOLII PRESBYTERI,

HORMISDÆ PAPÆ, ELPIDIS UXORIS BOETII

OPERA OMNIA,

AD RECENCIONEM BOETIANARUM LUCUBRATIONUM FACEM PRÆFERENTIBUS EDITIONIBUS VARIIS QUARUM UNA, LIBRORUM SCILICET DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ, AD USUM DELPHINI ACCURATISSIME EXCUSA EST; ALTERA, INTER OMNES AMPLITUDINE PRINCIPEM LOCUM OBTINENS, MÉMORATISSIMO GLAREANI NOMINE PRÆSIGNATUR; TERTIA; QUÆ EST OPUSCULORUM THEOLOGICORUM, ERUDITISSIMUM VALLINUM AGNOSCIT AUCTOREM; QUARTA DEMUM, NONNULLA MONUMENTA INEDITA EXHIBENS, ILLUSTRISSIMO CARDINALI MAIO DEBETUR;

CÆTERORUM VERO AUCTORUM EXEMPLAR SUPPEDITANTIBUS GALLANDIO, MANSI NECNON ET BREVIARIO ROMANO.

BOETII TOMUS PRIOR.

CÆTERORUM TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM, *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1882

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO LXIII CONTINETNUR.

ENNODIUS.

Epistolarum libri novem. . . . . *col.* 13
Opuscula decem 167
Carminum libri duo 309

HORMISDA PAPA.

Epistolæ et decreta. 363

TRIFOLIUS PRESBYTER.

Epistola ad B. Faustum senatorem. 533

ELPIS UXOR BOETII.

Hymni duo in honorem SS. Petri et Pauli. 537

BOETIUS. — OPERA PHILOSOPHICA.

De consolatione Philosophiæ libri quinque. 547
De unitate et uno 1075
De Arithmetica libri duo 1079
De Musica libri quinque. 1167

ANNO DOMINI DXXI

MAGNUS FELIX ENNODIUS,

EPISCOPUS TICINENSIS.

PROLEGOMENON.

(Ex Galland.)

I. Magnus Felix Ennodius Gallum prosapia (*a*), et quidem illustri admodum, natumque Arelate se fuisse testatur (*b*) : quæ est sententia virorum eruditorum, quibus Gallicam historiam litterariam acceptam referimus (*c*), licet Sirmondus (*d*), Sollerius (*e*) aliique hac de re ambigere videantur. Ejus ortus anno Christi 473 illigandus comperitur, quippe qui anno 521, ætatis 48, e vivis excesserit, ut infra manifestum fiet. Litteris primum humanioribus Mediolani a puero excultus (*f*), deinceps vel ipsa studiorum liberalium nomina se fuisse detestatum profitetur (*g*). Postmodum anno 489, ætatis suæ 16, amitæ quæ ipsum aluerat solatio destitutus, nobilissimam ac prædivitem uxorem duxit (*h*). At paucis post annis sæculo nuntium remittens, ecclesiasticæ militiæ nomen dedit : atque ab Epiphanio Ticinensi antistite diaconus ordinatus (*i*), religiosi propositi consortem quoque habuit uxorem (*j*). Clero addictus, Servilione magistro usus est, a quo sacris institutis fuit imbutus (*k*) : ut propterea minus recte censuerit Sollerius (*l*), Ennodium sub Servilione liberalibus disciplinis operam dedisse. Interea in legatione Burgundica quæ in annum incidit 494 comes additus episcopo suo Epiphanio Ennodius perhibetur (*m*) ; et quidem dum diaconi munere fungeretur : eo enim in gradu diu ipsum constitisse illud suadet, quod anno 513 egregium Apologeticum pro synodo Palmari adhuc diaconus conscripserit : qua de re Pagium consulas velim (*n*). Quin etiam forte haud ultra eum gradum processerit usque ad annum 510 aut 511, quo, Epiphanii successore Maximo II vita functo, ad Ecclesiæ Ticinensis episcopatum fuit evectus. Multa præclare gessit in cathedrali sede constitutus ; ejusque imprimis enituit spectata virtus et doctrina in gemina illa legatione ad Anastasium imperatorem, quam sub Hormisda papa orthodoxæ fidei causa suscepit annis 515 et 517, licet utraque veteratoris principis artibus ad irritum cesserit, ut ex ecclesiasticis Baronii Annalibus constat. Ad Ecclesiam suam reversus beatus antistes, haud multo post superstes exstitit. Nam ex ejus epitaphio a Sirmondo (*o*) aliisque relato, ipsum ex hoc vita in cœlum emigrasse intelligimus XVI *cal. Augusti Valerio V. C. consule*, quo die in Ecclesiæ tabulis ejus memoria quotannis recolitur; adeoque anno Domini 521, annum agentem 48. Hujusmodi autem chronica notatio ex eo desumitur, quod sanctus præsul *annorum ferme* 16 esset, ut ipsemet testatur (*p*), quo tempore in Italiam ingressus est Theodericus, anno scilicet 489, qui quidem ætatis annus si cum Valerii consulatu componatur, quo currente *depositus* fuisse describitur; annus Ennodii postremus fuerit 48, Christi 521, ut recte arguit Sirmondus (*q*).

II. De sancti hujus præsulis Ticinensis litterarum monumentis plura erudite observant accurati Gallicæ Historiæ litterariæ scriptores (*r*), quos proinde consulere operæ pretium fuerit. Ne vero penitus officio nostro deesse videamur, huc afferre libet de iisdem doctissimi Sirmondi judicium (*s*) : « Si quid limi, ait, Ennodio sua ætas aspersit, non idcirco fluentem in ejus scriptis ingenii eloquentiæque fontem possumus non amare ; aut quia in ejus poematis claudicat interdum versus, rectam ubique sententiam et acumen non amplecti. Quid illa, propter quam infimæ quoque notæ auctores expeti solent, temporum notitia et illustratio? Quis enim est qui in epistolis Ennodii, Symmachos, Hormisdas, Cæsarios, Faustos, Boetios, Liberios, Aratores, Elpidios et reliqua ejus ætatis lumina non libenter recognoscat? aut quem in uno Theoderici Panegyrico, vel in una Vita Epiphanii Ticinensis, varia rerum illo sæculo in Italia, Gallia, Germania, Græcia gestarum commmemoratio non afficiat? Dictiones quippe declamationesque prætermitto ; quæ mea quidem sententia sunt ejusmodi, ut cum postremæ omnium apud Latinos natæ videantur, cum primis mediisque conferri possint, et tanquam rosæ alienis mensibus ortæ cariores esse debeant. » Et alibi (*t*) : « Ennodius ea ingenii fama floruit et doctrinæ, ut non solum in pretio essent quæ sua

(*a*) Ennod. lib. I, epist. 2.
(*b*) Id. lib. VII, epist. 8.
(*c*) Hist. littéraire de la France, tom. III, pag. 96.
(*d*) Sirm. Vit. Ennod. opp. ejus præm.
(*e*) Soller. Act. SS. tom. IV Aug., pag. 271, num. 5.
(*f*) Ennod. Euchar. infra, pag. 159, *c*.
(*g*) Id. lib. IX, epist. 1.
(*h*) Id. Euchar., pag. 160, *e*, *a*.
(*i*) Id. Vit. Epiph, pag. 196, *b*.
(*j*) Id. Euchar., pag. 160, *d*.
(*k*) Id. lib. V, epist. 14.
(*l*) Soller. l. c., pag. 272, num. 2.
(*m*) Ennod. Vit. Epiph., pag. 153, *c*.
(*n*) Pagi ad ann. 502, §§ 3 et 4.
(*o*) Sirm. Vit. Ennod.
(*p*) Ennod. Euchar., pag. 160, *e*.
(*q*) Sirm. ad Ennod. Euchar., l. c.
(*r*) Hist. littéraire de la France, tom. III, pag. 100 seqq.
(*s*) Sirm. epist. ad opp. Ennod.
(*t*) Id. Vit. Ennod.

sponte scriberet, sed amicorum quoque suos impensissime coluit, rogatu in dictandis aliorum nomine orationibus, epistolis, epitaphiis ac diversarum rerum epigrammatis, assiduam operam dare cogeretur. Quo in genere multa sane ad gloriam Ennodio illustria fuerunt; sed nihil illustrius Apologetico et Panegyrico, quorum altero Theodericum regem publice laudavit; altero Symmachi papæ synodique Romanæ causam tanta cum approbatione defendit, ut a synodo universa honorificentissimo elogio decretoque ornatus sit. » Hactenus V. C.

III. Porro his de opusculorum Ennodii præstantia delibatis, illud potissimum animadvertere præstat, non neminem exstitisse qui sanctum Ennodium de gratia et libero arbitrio disserentem Fausto Reiensi ac Massiliensibus accensere ausus fuerit (*a*). At iniquam criminationem viri docti solide propulsarunt (*b*). « Certe quidem, inquit eruditus Sirmondianorum editor (*c*), sententia episcopi doctissimi ac sanctissimi, et ingentibus erga Ecclesiam meritis clarissimi, qui fidem orthodoxam tum in Occidente tum in Oriente strenue propugnavit, quem illustri elegio ac decreto Romana synodus ornavit (*d*), quem pontifices summi, Hormisda (*e*), Nicolaus I (*f*), Joannes VIII (*g*), Gregorius VII (*h*) magnis præconiis extulere, quem Ecclesia sanctis confessoribus ascriptum annuo cultu prosequitur; tanti, inquam, antistitis sententia (de arbitrii libertate) non potest magni apud omnes catholicos ponderis non esse : ut mirum, imo indignum prorsus ac minime ferendum sit, Ennodium ad Semipelagianos atque ad Pelagianos nostro sæculo a nonnullis ablegari. Quasi vero Pelagiana aut Semipelagiana, ac non potius his plane contraria, sint ista : (*i*) *Nemo dubitat, nemo condemnat, quod auctore gratiæ præstante, et ipse æquitatis hominibus callis aperitur. Dux enim bonorum et præcessor, gratia. Ergo debemus gratiæ quod vocamur, quod occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur.* Quam diserte ibi gratiæ, et quidem interioris, necessitas asseritur !.... Attamen vir maximus a quibusdam velut hæreticæ doctrinæ defensor traducitur : cum contra ob illam ipsam causam orthodoxis omnibus debeat esse præcipuo jure commendatus; qui confutaverit pestiferum dogma, quo religionis omnis ac morum disciplinæ fundamenta convelluntur. » Hactenus ille. Hic vero recensitis obiter a Baunio veterum pontificum de Ennodio testimoniis Sirmondi opera primum collectis, addere libet ex eodem Baunio et istud insigne auctoris, sæculo sexto circiter medio, Floriani scilicet ex monasterio Romano in epistola ad Nicetium Trevirensem episcopum, quod sic se habet. « Vide ergo quantis adjutoribus uteris, cum pro me cœperis obsecrare sanctæ memoriæ dominum Ennodium pontificem Ticinensis Ecclesiæ, qui generosi sanguinis nobilitatem humilitate prævexit ad gloriam, ut in cœlestis patriæ senatu fieret et ibi senator; cujus incomparabilem doctrinæ facundiam non solum testatur Occidens, sed et Oriens instructa miratur. Nestorii fulmen, Eutychis exstinctor gloriosam dominam meam inviolabilemque Mariam Christotocon et Theotocon, apostolica auctoritate perdocuit. Ipse ergo meus est pater ex lavacro, quem credo apud æternum Patrem per Filium intervenire pro filio. »

IV. Variæ circumferuntur scriptorum Ennodianorum editiones. Earum primam exhibuere anno 1569 Orthodoxographa Basiliensia, qua tamen nihil depravatius, nihil inquinatius in lucem exiisse censent eruditi. Porro, ut eas prætermittamus quæ deinceps bibliothecis Patrum, Coloniensi, Parisiensi et Lugdunensi fuerunt intextæ, sub initium sæculi superioris, uno et eodem anno 1611 gemina prodiit Ennodii ἔκδοσις, altera Tornaci curante Andrea Schotto, Lutetiæ altera quam Jacobus Sirmondus ad duo spectatæ fidei exemplaria, Vaticanum et Nicolai Fabri, diligenter exegit, eorumque ope lacunas quæ multæ et maximæ erant implere, ac prave detorta et trajecta suis locis reponere studuit; omniaque demum opera ex pristina perturbatione in certos ordines et quasi classes digesta, ut ex ipso intelligimus, exquisitis adnotationibus illustravit. De his autem duabus editionibus adisis viros eruditos subinde laudatos (*j*). Præclaram itaque hanc Sirmondi editionem prelo committendam consignavinus. Notis V. C. animadversiones Barthii subjecimus quas ex ejusdem Adversariorum libris excerptas ad calcem voluminis primi Sirmondianorum rejecit Baunius : atque appendicem adjecimus ex novo Thesauro Anecdotorum Marteniano (*k*), Ennodii scilicet Dictionem in natali Laurentii Mediolanensis episcopi, una cum ejusdem Epistola Venantio cuidam inscripta.

(*a*) Du Pin Bibl. tom. VI, pag. 27.
(*b*) Soller. l. c., pag. 275, num. 13, 14.
(*c*) Baun. præfat. ad tom. I Sirmond., § 12.
(*d*) Concil. tom. V, pag. 501 edit. Ven-Labb. 1.
(*e*) Hormisd. epist. ad Anast. imp.
(*f*) Nicol. I, epist. 8 ad Michael. Aug.
(*g*) Joan. VIII, epist. ad Bercar. abb.
(*h*) Greg. VII, in Dictatu.
(*i*) Ennod. lib. II, epist. 19.
(*j*) Hist. littéraire de la France, tom. III, pag. 101, not. 1.
(*k*) Marten. Thes. Anecd. tom. V, pag. 61.

[1] MAGNI FELICIS ENNODII
EPISTOLARUM
LIBRI IX.

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA PRIMA.

ENNODIUS JOANNI.

Dum salum quæris verbis in statione compositis, et incerta liquentis elementi placida oratione describis : dum sermonum cymbam inter loquelæ scopulos rector diligens frenas, et cursum artificem fabricatus trutinator expendis, pelagus oculis meis, quod aquarum simulabas, eloquii demonstrasti. Deus bone, [a] in quantos se usus dives lingua dispergit! Cum voluerit, sævit ut bestia, currit ut fluvius, fluctuat ut profundum : et quamcunque fucatis verborum imaginibus pingit speciem, veri astipulatione repræsentat. Timere te scriptionem, quasi fronte tener, insinuas; dum declamationum pompam refuga laudis deposcit assertio; et fit avara gloriæ, dum pudori parcere se ostendit, peregrinam mentita formidinem. Ago atque habeo gratias, quod nobilia rudimenta facundiæ tuæ in amici, [b] quantum æstimas, præconiis consecrasti. Et licet non agnoscam mea esse quæ loqueris; religionem tamen narrantis amplector, diligentiam pectoris laudo, quam gratiæ per sudum rutilantis luce dedicasti. Tibi fax ista prætenditur, quam in opinione mea blandus elocutor accendis : ego noctem conscientiæ meæ, etsi non fugi, [c] novi tamen æstimare. Graves hiatus patitur alienæ gratiæ commissa credulitas : quanquam omne crimen transeat, qui vult decipere confidentem. Gaudia tamen mea de te epistolaris alloquii dotibus adimplesti; dum novitatem sensuum monstras serenitate sermonum, et veteris decora prosapiæ novelli vincis nitore colloquii. Sat fuerat parentum tuorum desideriis, seniora te familiæ orna-
A menta æmulari : vincere posse, sicut nemo credidit, ita nullus optavit. Vides quantum ad unguem polita conversatio pretiis bene nascentis adjungat? Quod jubar sanguinis præstitit, superavit industria castigantis. Credidi votorum summam fatigari, si te natalibus reddidisses; illud non expendens, quid claritati tuæ cohabitator infuderet. [d] Sit forte in æstimatione arbitrii mei defraudata cognitio. Neminem credidi ad Olybrium pervenire : quem vicinis calcibus pernix insecutor adjunges ; beatum facturus nempe, si viceris. Deum precor, ut adolescentia in te, quæ (perfectionem) primordiis monstrant, bonæ frugis germina convalescant. Domi habes, unde exhortationis meæ viva sumas exempla. Te pater morum tranquillitate, socer eloquentia similem producat. Si me voti reum
B facere cœlestia regna dignentur, unum precor, ut mei meminisse digneris : ne illius, cujus perfectionem inter dicendi simulacra meditaris, oblivionis quoque par esse contendas. Sed ad epistolæ morem revertar, quam affectio tua in longum produxit. Salve, mi domine, et amantem tui frequentibus cole muniis litterarum; ne amoris contestatio sola sicut solet in quibusdam esse,[e] prævii in te putetur exstitisse sermonis.

EPISTOLA II.

ENNODIUS FLORO.

Novi me duram cepisse provinciam, et gravem sarcinam humeris infirmis attollere, qui sublimitatem tuam, quantum ad me, quietam verborum stimulis excitavi. Sic minaces dentes bestias invalida lacessit
C adolescentia : et dum majora viribus provocat, quod evenire optat, spectaculum putat esse, non prælium.

[1] *Magni Felicis Ennodii*] Tria hæc nomina Ennodii, quæ in antiquis exemplaribus leguntur, non quidem in fronte operis, neque passim per omnes titulos, sed in eo duntaxat qui præfixus est Vitæ beati Antonii. In cæteris satis habuerunt antiquarii prioribus omissis tertium, quod verum et proprium auctoris nomen erat, adnotare. Proprium inquam. Nam Ennodii adhuc ævo mos durabat, qui apud Latini quondam oris gentes, atque adeo in Urbe tandem ipsa post eversam remp. obtinuit, ut cum tribus fere quatuorve nominibus nobiliores uterentur, proprium tamen unum cujusque nomen esset, quod postremo semper loco post cætera statuebant, et quo unico, si pluribus abstinere placuisset, singulos designabant. Verbi gratia, M. Juniani Justini (sic enim breviatorem Trogi Pompeii appellat codex Vaticanus) proprium nomen fuit Justinus, et Fabii Laureniti Marii Victorini, quæ integra est nomenclatio clarissimi rhetoris, qui in Ciceronis libros de Arte rhetorica scripsit, proprium item nomen quod postremum. Id ipsum in Avieno, Liberio, Symmacho, et aliis ad quos Ennodius scribit, suis locis ostendemus. Eodemque modo in titulis omnibus librorum, in marmoribus, aliisque illorum temporum monumentis, quando plura unius hominis nomina occurrunt, dubium non est quin verum ac proprium id ejus nomen sit, quod ultimum collocatur. Quæ nunc paucis admonuisse sit satis : quia justam huic rei diatribam * alio, si Deus volet, loco destinamus.

[a] *In quantos se usus*] Leg. *in quantos se visus*. Nam velut ob oculos poni res ipsas descriptas ait : quod omnino poscunt quæ sequuntur. Barthius, *Adversar.* pag. 945.

[b] *Quantum æst.*] Quem *æst.* Id., ibid.

[c] *Novi tamen æstimare*] Omnino reducendum est, quod in veteri editione est *extimare*, quasi sejungere a nimiis præconiis, ne pluris sibi videatur quam sit.
D Id., ibid.

[d] *Sit forte in æstimatione*] Non debuit mutari veterum editionum lectio *extimatione*, hoc est sequestratione. Et puto legi debere : *Sit*, fero, *in extimatione*, etc. Id., ibid.

[e] *Prævii in te putetur*] *Prævii sine re put.* Id., ibid.

* Habes in edit. Sidonii *post præfat.*

Sic mens congressionis ignara certaminibus ante periculum debet affectum. Leonis rabiem, et quam Libya alit bestiam, quam te, lingua censeo mitiorem. Quæ me præcipitavit inscitia? qui animi fervor a cognitione tui peregrinantem duxit in devium, ut nescirem quid intentioni lacessitus deberet, qui semper contumelias primus incipit, qui injuriarum gymnasiis nunquam meruit posthaberi? Clericorum certe exercitatissimus maledictor; qui ad eos semper novelli et scuti dentis morsus exhibuit, quem evadere ad unguem ducta vita non meruit; cui cessit omnis eruditio; et quasi cometem sidus religiosorum fugit universitas. Hunc ergo improbus et fronte debilis excitavi. Hac fiducia provocassem ventos ad flandum, ad cursum flumina, Faustum meum ad facundiam, qua te ad garrulitatem loquendi parcus ferratis verborum calcibus animavi. Ignosce, quæso, et quod in aliis vitium putas, taciturnitatem amantis sperne : abstine a responsis, provocantem damna contemptu. Tecum decertet de mediis curiæ finibus eductus, circa Gallum prosapia conticesce, silentii tui, si prævales, talione mulcemur. Cave, mi domine, ne incipias minorem loquacitate provocando humilis æstimari. Quid enim laboris est, jacentem in ea parte superare, et triumphum de eo ducere, qui se ante conflictum imparem confitetur? Esto mihi tamen apud dominum Faustum amoris mei fibula, si querelas, quamvis angustas, et rusticas, studes evadere.

EPISTOLA III.

ENNODIUS [1] FAUSTO.

Acta est causa desiderii mei beneficio querelarum : meruit impudentia, quod negabat urbanitas. Diligentiam sancti pectoris quam artifex silentium tegebat, elicui; taciturnitatem quæ ad fomenta ardoris mei parata fuerat, terminavi : prorogando viles paginas, pretium vincentis accepi. Sic usuram cultori vexatis reddit terra cespitibus, et feturam nobilem de singularibus parturit gleba germinibus : sic ad vocem unius hominis montium secreta respondent, et dum angustus clamor vincitur, valitudinem suam elementa manifestant. Evangelicis (*Luc.* XI, 9) tali facto obsecutus oraculis, fructum de præcepti sum veritate sortitus; cujus declarat instructio, quod pulsanti sæpe surgat Deus, et tribuat, si non propter meritum, vel propter importunitatem. Facessat posthac infidelium male cauta discussio : integritati sententiæ periculis præsentibus idoneus mihi testis astipulor. Frequenti oratione optata promerui : concessum est precum assiduitati quod negabatur examini. Debeo vobis amicitiam, querimoniæ meæ : quas, dum votis effectum tribuitis, plus amabo. Fuerit licet origo vestra a justo dolore veniens; frequenter a vobis, postquam præstitistis, etiam illæsus incipiam. Delenificam allegationem amplexus epistolaris eloquii, ago atque habeo gratias, quod me diu tristium noluistis esse participem : fecistis hoc forsitan voto et studio consulentis. Sed ascribo peccatis meis, quod majoribus, dum temperatis alloquio, sum jactatus angoribus. Mihi uni in adversum provisa contingunt, dum graviora semper in mœrore æstimo, quæ tacentur : quia credo quod de mediocribus sæpe communicentur verba languoribus, cum proximitas funeris imperet silentia cito rumpenda. Deo gratias, qui ea quæ dura æstimantur, clementia bene vertit, et quæ ex merito nostro ventura collegimus, ex sua facit miseratione transferri. Voluissem tamen, talem circa parvitatem meam dignatio vestra tenuisset affectum, ut quem comitem sæpe gaudiis adhibuisti, cum eo elegissetis etiam adversa partiri. An putatis tale beneficium in acceptum me esse relaturum, si ab æstibus pectoris vestri, tanquam male fidelis excludar? Non est, ut video, apud vos mei ratio dispensata consiliis. Ego mihi perire gratiam puto, nisi eam rerum omnium vobiscum communicatione nutriatis. Desinite, quæso, in hac mihi parte consulere, vestra impendio verba cupienti. Cui si votivi negentur affatus, fatiscam, ut terra cui cœlo nihil liquitur, nec venas suas succo bibuli humoris infundit, unde innatis alimenta culmis exhibeat, et ad falcem gravidas aristas adducat. Ut piscis aqua abstractus vitalibus indumentis privatus exstinguitur, sic ego subductis alloquii vestri fluentis interimor. Quærant alii quod delectet : ego res ad animam pertinentes expostulo : mihi non tam delicias verba vestra pariunt, quam salutem. Rem fateor nullis coloratam fucis, nullis nebularum depictam mendaciis, quia non sum simulandi artifex : decerptum aliquid vitæ meæ censui, dum tacetis. Male vos fideles asseritis, si ad aures meas generaliter deflenda per vos deferantur incommoda : quasi nescire alicui Christiano liceat [2] malum, cui Roma succumbit. Barbaras nationes, et a nostro limite toto pene orbe divisas, continuis hæc conjicio lamentis ingemiscere, et ad solatium nostrum lacrymas commodare. Hujus rei magnitudo vestra adhibere se indicem fugit, ut in perniciem meam fallacium nuntiorum diabolica cum securitate vota mentiantur : ut non sit, ad cujus veritatem post fabulas redeam, nec qui animum meum veri demonstratione sustentet. Cave faxis, mi domine : vobiscum mihi alia res est : aliud fori jus, aliud triclinii. Audiat te quæ in conversatione publica didiceris, familia domestica retexentem. Subjectorum animos, et fideles, ut putatis, mentes relationum vestrarum cibis alite, ne jejuna amicorum corda talibus ferculis impasta moriantur.

[1] *Fausto*] Nullius nomen in operibus Ennodii sæpius occurrit quam Fausti : cujus consulatum, quæsturam, præfecturam, patriciatum variis locis commemorat. Is est Faustus exconsul, quem pro Symmacho papa in Laurentii schismate stetisse, atque adversus Festum et Albinum item exconsules, qui Laurentio favebant, fortiter pugnasse, auctor est Anastasius. Sed Fausti consulares hoc tempore duo fuerunt. Unus consulatu sine collega functus anno Christi 483. Qui Aginantus Faustus dicitur in tumulo Mandrosæ. Alter Fl. Faustus junior : hic fortasse, de quo agimus, qui septimo post superiorem anno consul fuit cum Longino.

[2] *Malum cui Roma succumbit*] Ob factionem videlicet schismatis Laurentiani, gravesque contentiones, pugnas, cædes ex ea natas, de quibus in Symmachi Vita idem Anastasius, et Ennodius ipse in Apologetico.

EPISTOLA IV.

ENNODIUS FAUSTO.

[1] Anagnostici fidem secutus, et suavis orationis sapore provocatus, pene vitium [2] credidi rem esse virtutis; et dum plus sermonum diademata credo valere quam conscientiam, culpam quam mens non agnoscebat, incurri. Non sic [a] servis sibilo artificibus insidiis blandus venator illudit : non ita pinnarum mentita formidinem discoloribus fucis ultro expetenda retia manus magistra componit : quemadmodum me captum, et sponte capistris ora porrigentem magnitudinis vestræ tenuere sermones. Commissi nescius, vobis impugnantibus, diu utrum essem innocens inquisivi. Aliud sentiebam de epistola vestra, aliud de proposito meo. Quis rogo fuit patrandi sceleris tam venustus admissor, qui purgationem crederet, si alieno se fateretur præcepto suo militare flagitio, cum nemo de se confesso juste credere possit crimen alienum? Sed credo juris et legum expertem fuisse personam, et sola calliditate compositam : cui etiam imitandi in scriptione aliena imaginem veritatis (usus) indulgeat et proprietatis simulacrum lenocinia pudenda concilient. Nolo cujusquam nomen incessere, nec contra conscientiam accusantis subire personam : sufficit pudorem meum in statione constitui : alios jactent incerta ventorum. Ego tamen, et si imperare talia calcaribus armatæ lectionis adigeret, patriarcharum me imitatione defenderem. Furto Jacob primogeniti fratris vicit ætatem (*Gen.* XXVII) : cujus beneficio principatum obtinuit, quem natura non dederat. David dum lustraret (*I Reg.* XXI, 6) devia studio fugæ et angusta terrarum, propositionis panibus famem depulit; et contra legis vetita quæ minores habet aculeos, esuriem corporis effugavit. Ego inediam quam de divinis Libris anima impastus conceperam, marcentibus diu debui tolerare visceribus, donec concepta lues ad vitalia secreta percurreret. Daniel propheta divina dogmata regiis subduxit penetralibus; quæ ad instructionem suam pudicus et imitandus raptor adjunxit. Quid juvat ire per singula, cum ad munimen impugnatæ una sufficiat de numeratis persona conscientiæ? Quæ tamen verecundiæ suæ, et naturali ut ita dixerim debilitati, ante necessaria petitione prospexit. Nam et si sum post negationem qui me reum fecerim, æstimate. Doctorem Libycum asseritis sublata a se [3] pyri poma flevisse. Merito lamentis expiandum est,
A quod cum pudoris dispendio venter acquirit. Vilia fuerint forte quæ sustulit, aut negligentia, aut usu, aut tempestate peritura : non fuit culpa vacuus tamen, juxta Apostolum (*Rom.* II, 21), raptor : carnem quam animam plus amavit. Tobias propheta hujusmodi commissoribus occurrit, et divina voce testatur dicens : *Non licet nobis aliquid manducare furtivum* (*Tob.* II, 21). Cum dixisset, manducare, non dixit, Non licet nobis aliquid lectitare furtivum. Josiam, ut narrat historia (*IV Reg.* XXII, 11), subrepta papyrus instruxit. Ego homuncio hoc non facerem, quem vos contra ingenii vires ad scientiam diligendam verborum stimulis foditis? Sed revertor ad virum optimum, præfati, quantum scribitis, sceleris admissorem : qui
B in utraque parte fidem violans, nec vos securitate, nec me facti, si scripsi, perfectione donavit. Contingat mihi, salva magnitudine vestra, coram posito secundum mandata Dei, tanti viri, prout habet animus meus, terga multare.

EPISTOLA V.

ENNODIUS FAUSTO.

[4] Abundantem Dei misericordiam precatus commendo ipsi anni felicis auspicia; et beneficiorum ejus muneribus sublimis jam consularem virum quasi æqualis aggredior. Hactenus trabealis cothurni pompam familiæ nostræ peregrina ornamenta tribuebant, et pertinere nos ad eum magis affinitate quam genere gaudebamus, qui anno nomen imposuit. Munus erat non debitum, quod inter curulium possessores diligentium
C fabulis addebamur. Quotiens nos obnoxios sibi fecit lingua, quæ apud alios exaltavit, ut commutato conditionis ordine alienis nostræ nobilitatis insignia deberentur stipendiis? At nunc facessat invidia, vetustorum reparator fascium novellus consul illuxit, et dignitatum nostrarum cariosas fores robustus reseravit impulsor. Ad redivivam valetudinem tremebunda marcescentium cardinum limina juvenescunt : quæ nullis credo, Deo auspice, quia posthæc obicibus claudenda patuissent. Nam Avieni mei non unus, sed primus est consulatus. Stirpis suæ gestatura aquilas agmina prævius antecessit, et ad principalem militiam iter virtutis ostendit. Si qua est sæcularium reverentia dignitatum, si quis honos est hominem vivere post sepulcra, si quid providit astutia
D veterum, per quod ab hominibus anni vincantur adulti : jure fastos hujuscemodi putantur invenisse

[1] *Anagnostici*] Epistolæ tuæ. Lib. VIII. epist. 5, Faust. idem, *de anagnostici prolixitate fastidium.* Ἀναγνωστικὸν Græcis id omne est quod legitur aut recitatur; sicut ἀκρόαμα et ἄκουσμα, quod auditur. Itaque ut acroama etiam Latini usurparunt pro dicto, seu re alia quæ auribus excipiatur; sic anagnosticum, pro epistola aut scripto quocunque. Dici etiam posset anagnosma.

[2] *Credidi rem*] Male libri omnes *crediderim.*

[3] *Pyri poma*] Sic restitui pro *peripoma*, quod in antiquis etiam libris legebatur. Emendationis auctor Augustinus ipse de quo hic sermo, quem Libycum doctorem appellat, lib. II Confessionum, cap. 4 : *Arbor erat pyrus in vicinia vineæ nostræ pomis onusta, nec forma nec sapore illecebrosis. Ad hanc excutiendam atque asportandam nequissimi adolescentuli perreximus nocte intempesta.*

[4] *Abundantem*] Et sibi et Fausto gratulatur ob Avieni ejus filii consulatum. Fausto quidem, quod fasces per filium in ejus familia continuentur : sibi vero, quod suæ per eumdem postliminio reddantur. Ennodii enim consanguinea erat mater Avieni : quare ad Ennodii domum pertinere Avienus videbatur. In Fausti ergo familia interpolatus consulum ordo non fuerat. Nam et consulatum Faustus ipse gesserat, ut dictum est, et ante ipsum pater Gennadius Avienus, Valentiniani principis collega anno Christi 450 et ante Avienum alii non intercisa serie. At in familia Ennodii series interpolata et abrupta, nec ullus fortasse consul fuerat post Magnum Ennodii, ut nostra est conjectura, propatruum; qui collegam habuit Apollonium anno 460.

[a] *Servis*] An *cervis*?

consilia, quorum longævitas et senectutem refutat et terminum. Deus bone! quantum est, unius vocabulum hominis impensum [1] in dictandis legibus laborem vel stabilire posse, vel solvere? Macte insignium adolescens virtutum, qui oblitteratum materni stemmatis callem vitales honorum secures attulisti, quibus annosas, ne posteritatem tuam retinerent, splendidissimi itineris obices amputares. Cedant huic priscorum laudes, quibus nobilitatem doctorum commenta pepererunt, quæ phaleratis verborum superciliis meritum a relatore mercantur. Necesse enim est exilitatem thematis narrantis opibus ampliari, ut dos quæ in materia non invenitur, styli processionibus inseratur. Ut taceam Fabios, Torquatos, Camillos, Decios fuisse superatos; te ipsum, mi domine, qui universos vicisti, ejus primordiis existimo votive cessisse. Tu per duratum proavorum avorumque [2] scipionum tramitem jam grandior, pene præcedentium connexus lateribus ambulasti; ita ut sub conjunctione nunquam interpolatæ felicitatis incederes. Ad Avieni mei adhuc teneri virtutes pertinet, et tuo generi continuare fasces, et nostro reddere. Ago gratias intentioni in commune augmentum profuturæ : per quam cum Dei beneficio natalium bonorum claritas hactenus interclusa resplenduit : per quam diem suum lucidus sanguis agnovit. Quam voluissem votorum meorum summam coram positus intueri, si non peccatorum magnitudo munus cœleste, quod non potuit desideriis, denegaret aspectibus, et nefas sit hominem uno eodemque tempore universa optata promereri! Illud tamen inter maximas Redemptoris nostri remunerationes credo numerandum, quod limen felicis infantiæ consul meus cum honore senis ingressus est. Sed præcipio quid paretur laboribus, cum talia primordiis exhibentur. Inauspicatis successibus illi provectuum incrementa ventura sunt, quem cœpisse videmus a fascibus. Minus est quod sibi de prosperitatis eventu in antiquorum præconiis vetus fama blanditur. Quod attrita pulvere canities, quod vita sub fasce acta vix meruit, quod grandævus de impetratione nunquam certus optavit, hoc memoratu sæpius adolescenti meo supernum munus ingessit. Additur, quod in principio vitæ disciplinis optimis institutus, videtur meruisse quod adeptus est : nec dignatur totum in se felicitati, in quo possunt etiam dari plura virtuti. Naturæ in decus scholas et litterarum studia consecutus, paternæ perfectionis æmulator, talem se industria sua filium reddidit, qualem alter vix potuit legisse. Quidquid Attica, quidquid Romana præcipuum habet lingua cognovit : aurum Demosthenis, et ferrum Ciceronis expendit, utramque dicendi seriem Latinus relator implevit. Grammaticæ instructionis repagula, et illas dicendi legales angustias pro libertate complexus est. Oratoriam pompam A sectando masculæ dictionis brachiis æquales ad certamen eduxit. Sed quo me rapiat processus affectionis terminum refutantis, agnosco : divisus proposito consulem eruditum ingenio impar appello. Ad vos revertor, cum quibus mihi commune gaudium, par desiderium, æqualis supplicatio est. Oremus Deum, quia vota nostra modum refutant, ut ipse faciat perenne esse quod tribuit : nec unquam circa nos muneribus suis terminum ponat, qui largiendo damna non sentit. Vos gaudete tamen vestro tam excellenti bono, quibus fas est post trabeas suas habere filium in obsequio consularem. Si tamen in sententia mea cœlestis vigor operatur, et tota mens humanis delictis inclinata non subjacet, fidelium orationum vestrarum retributio est circa sobolem dignitas impetrata. Urb B sufficerent quantos habet domus una precatores. Felix mater tot imperatorum domina; vos apud Deum precibus suis matrona fortis attollit : per tantos regnum cœleste vim patitur, quorum meritis a divina clementia quod postulatur, exigitur. Scriptum enim meminimus, dicente Domino discipulis: *Si convenerit duobus aut tribus vestrum quidquid petieritis impetrabilis* (*Matth.* XVIII, 19). Credo Redemptorem, justorum raritate prospecta, pro mundi salute petituros duos dixisse sufficere : licet conjectura perpendi, si possit tribus aliquid denegari pro suorum utilitate poscentibus. His ergo spebus animatus, et justorum cognatione sublimis, confido de superna benignitate etiam me ad optatæ copiam gratiæ perventurum. Si C Abrahæ meritis (*Gen.* XII) Loth sanctorum turbis ascribitur : si hi qui caruere propriis, propinquorum ad celsa perduci meruere virtutibus; annus iste familiæ vestræ pariet dignitates. Nam si vobis cordi sum, facile ad cœlestem gratiam optata impetratione perducor. Domine mi, salutationis reverentiam solvens, veniam postulo de prolixitate sermonis; quia difficile est magna gaudentem parva loqui esse contentum.

EPISTOLA VI.

ENNODIUS FAUSTO.

Deus bone, quam nihil est arduum magna curantibus, et qua quiete divinæ mentes visa describunt! quibus ornantur dotibus loca, quæ lingua dives, et D dicendi peritus aspexerit, si religioso liceat sine discrimine confessionis enarrare proposito! Quasdam mundi artifex Deus provinciis felicitates stupenda secreti sui largitate concessit : alias uberius, melius alias vinum jussit effundere : aliis contulit triticeæ segetis ope gratulari : multas pomorum varietate vel utilitate donavit. Quibus hæc tamen ipsius naturæ repugnantis merita non dederunt, fecit eas relatore sublimes. Non est unde jejuna cautibus gleba desperet, nec unde non respondentia cultori arva subjaceant. Linguarum genio terris merita tribuuntur : et

[1] *In dictandis legibus*] Quia nimirum edicta et constitutiones sine die et consule auctoritate carent, ex lege 1 codicis Theodosiani.

[2] *Scipionum tramitem*] Sceptrorum, aquilarumque consularium ; ut in panegyrico, *Serranum scipionibus aratra pepererunt* : et in Parænesi, *ante scipiones et trabeas pomposa est recitatio*. Quo minus de Scipionum familia interpreter, ut magno viro visum est, facit Sidonius, qui Gennadii Avieni quem Fausti patrem fuisse docuimus, originem non ad Scipionum, sed ad Corvinorum familiam refert lib. I, epis. 9.

qualiter quis loqui potuerit, taliter rem de qua fuerit locutus, attollit. Crescitis provinciæ cultura sermonum : oris est, quidquid in vobis lector stupuit. Uber solum, et divitibus quæ te jactas terra palmitibus, quæ per modicos sulcos scalpentem dorsa pascis agricolam, quæ venas divites in ipso proscissionis pandis exordio, quæ suscepta germina multiplicata messe restituis; nihil tibi commune cum maximis, si ad te domnus Faustus Romani status eloquii non serenus accesserit. [1] Ecce Comus pullæ quodam pene in silentium missa conditio, quæ nulla] se hactenus commoditate, nulla, ut aiunt, formositate jactavit, quanto gaudet ingenii privilegio? Quæ per prærupta convallia, et patulos cohærentium hiatus montium æstivis nivibus miseram scit exhibere concordiam : cui per pericula pendentium cum via cultorum ante terram per scopulos opus est seminare, quam germina : cui calamitatis genus est, riparum Larii confinia canis ornasse nemoribus, ut subridens illecebrosa visione dominantibus blanda fecunditatem fronte mentiatur, et in perniciem possessoris pulchritudinem nutriat exsecrandam. Ubi primum fabricis suis per prætoria domini tributa dissolvunt, dum antiquorum lacunas parca nituntur frugalitate reparare, et profligantia patrimonium fulcire culmina. Indigenarum copia ad hoc tantum servata, ut functioni publicæ [2] peræquatoris etiam vota transcendens numerus non deesset. Piscium populos non ad delicias, sed ad horrorem nutriens : per quos discimus, quid laudis captorum alibi sapor mereatur. Ubi aer pluvius perenniter, et minax cœlum, et quædam vitæ sine tota luce transactio. Dulcia Larii oculis fluenta transeuntibus, et ad natatum quos perdat invitantia. Quis ferat decorum gurgitem sub hac deceptione fallentem? Quid dicam insulam relatione factam habitabilem? quis non hoc miretur? in qua minus amatur vita servata? in qua portio fuit evasisse discriminis? circa quam piscibus hominum ministratur esca cadaveribus? Nulli enim præter aquas Larii defuncti ibidem sepulcra meruerunt. Maria, fluvium [3] Adduamque laudastis, quod per confusos ductus discrimen lacum tumoris ostendit : qui agnosci in eo nunquam, nisi per turbida fluenta, potuerunt. Tanti fuit divitias facundiæ in rebus laude carentibus ostentare, quanti non fuerant hæc omnia naturæ beneficia, si dedisset. Cœlorum tamen Dominus qui hoc vobis posse concessit, munera sua sub perennitate tueatur. Quia hæc ego non quasi a vobis diversa sentiens scripsi : sed ut ex istis lector agnoscat, Comum per stylum vestrum melius esse legere quam videre.

EPISTOLA VII.

ENNODIUS FAUSTO.

Quantus est fascis invidiæ, quam facilis nocendi via, quotiens præcedenti opinione laborat impetitus! Nemo quid factum sit, ut video, quidve infectum respicit : ad impugnationis fidem solum advocatur pro teste propositum. Deus omnipotens mutatas ordinum vices vertat in melius, et rerum statum qui labe temporis aut meritorum nostrorum nebulis obsolevit, aurei sæculi candore perfundat. Quando non hominum obscenissima crimina innocentis officii texit umbraculum, et quidquid a morum nube descendit, cœlestis militiæ serenitas excusavit? At nunc in aucupium trahitur male creduli interpretis clericatus, et quod ante religiosam professionem admisisse non decuit, hoc postquam per titulum ecclesiasticum culpis renuntiavimus, sine honesti credimur consideratione peragere. Qua me tempestate procella immanium peccatorum ire ad famosum officium [compulisti? In quo omnes errorum rami magistra vivendi solent falce truncari, in eo de me facinus credi facis omnes fallentibus. Ille mancipia sua a me sublata deflexit, et contra potentiam ecclesiastici militis advocandam credidit regiam defensionem. Rogo, quis hoc commentator vel in scena proponat? quis poetarum fabellam fucis similibus aut commentitiis personis instrueret? Novit Dominus, qui manu valida in adjutorio vestro mei propugnator assurgat, totius me esse technæ hujusmodi ignarum. Ante aliquid temporis pueri duo, qui sibi a præfato asserebant inferri violentiam [4] ad opem se Ecclesiæ sub interpellatione publica contulerunt. Preces adhibuisse memini, ut

[1]. *Ecce Comus*] Comus Ennodio, quod aliis Comum, τὸ Κῶμον Græcis, nota planæ Liguriæ civitas ad Larium lacum, per quem delapsus ex Alpibus Addua fluvius ita decurrit, ut aquarum discrimen appareat. Hujus laudes scripserat Faustus. Ennodius contra imparem illam suis laudibus affirmat. Sed re vera jocatur. Nam Comensis agri urbisque tanta erat pulchritudo, ut ad delicias instituta videretur : quod de Como inter cætera prædicat Cassiodorus lib. XI. epist. 14. Ubi pluribus eam describit, et nonnulla habet quæ faciunt ad Ennodium.

[2] *Peræquatoris*] Tributorum moderatoris, ἐξισωτοῦ. Nota est Gregorii Theologi oratio εἰς Ἰουλιανὸν ἐξισωτήν, id est peræquatorem : et munus ipsum peræquatio dicitur nov. 16 Theod., de quo genere officii tituli exstant in utroque codice. Nam et in aliis etiam rebus fuerunt, ut *peræquatores rerum victualium* apud Cassiod. in Formula magisteriæ dignitatis.

[3] *Adduamque laudastis*] Hoc Plinius inter aquarum miracula recenset lib. II, cap. 103 : *Quædam vero et dulces inter se supermeant alias ut in Fucino lacu invectus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius, in Lemano Rhodanus. Hic trans Alpes, superiores in Italia multorum millium transitu hospitales suas tantum, nec largiores quam intulere, aquas evehentes.*

[4] *Ad opem Ecclesiæ*] Hinc liquet, servos ad ecclesias confugere solitos non solum declinandæ pœnæ causa, si quid peccarant, sed juris etiam obtinendi gratia, si vim paterentur. Pro his ergo intercedebat Ecclesia : nec ante abduci illos fas erat, quam de impunitate aut justitia sacramento a dominis cautum esset. Dato sacramento, servi, ne cum dominorum fraude retineri viderentur, ad obsequium, ut est in concilio I Aurelianensi can. 5, redire jubebantur. Neque hoc remedio servis duntaxat subveniebant, , sed miseris omnibus et afflictis, qui potentiorum injuriis oppressi ad Ecclesiæ opem refugissent : quod docet Gregorii magni epist. 38, lib. VIII, ad Januarium episcopum Calarit. In quo nescias pietatemne cum æquitate veteris Ecclesiæ mirere magis, an majorum erga Ecclesiam fidem ac reverentiam. Has intercessiones appellabant. Ennodius in Vita Epiphanii : *Intercessionum tantam sibi proposuit curam, ut ipsam se miseris inferre crederet molestiam, quam per negligentiam a quibuscunque permisisset inferri.* De quibus etiam ibidem paulo superius in Epiphanii diaconatu.

circa eos, quod defunctus voluit, servaretur: auditurum se deceptiosis et blandis promisit illecebris. Ut ad obsequium reverterentur ad quod deputati fuerant, sancto episcopo patre vestro præsente qui eisdem præbebat auxilium, sub notitia civitatis hortatus sum. Quid postea evenerit, ignoravi, nisi postquam male [1] retentatoris nomen accepi. Hæc mentior, nisi impugnatoris mei attestatione constiterint: cui tamen gratias refero, quia sub quavis occasione votivas exegit epistolas: quæ mihi multum doloris jussionis vestræ dubitatione pepererunt. De me enim deliberatum esse video, si vos, utrum audiam quæ jubetis, in ancipiti esse cognosco. Nulla me tamen nec magnitudinem vestram ex ea parte apud Deum culpa respiciet, quia præfatos mox ad servitium illius boni viri sine alicujus audientiæ libra ire compuli. Domine mi, salutationem largissimam dicens, quam vellem, si istis negotiis paginas non negetis, aut accusatores meos ipse componere, aut quod est familiarius frequenter errare!

EPISTOLA VIII.

[2] FIRMINO ENNODIUS.

Jucunda sunt commercia litterarum docto auctore concepta: illa, in quibus ad unguem politi sermonis splendor effulgurat, ubi oratio dives frenis peritiæ continetur. Quando abundantem loquelæ venam laboriosus in lucem scrutator adduxerit, tunc procedunt officia suscipientis desideriis paritura. At ubi scaber sermo angustiam pauperis signat ingenii, nec conceptum suum in ordinem digerendo noctem studio elocutionis interserit, et nebulosæ narrationis ambiguo quamdam generat de ipsa explanatione cæcitatem; quis non personæ talis in eloquentiæ arce constitutus spernat affectum? Gravat conscientiam perfectorum amor indocti. Sed vis caritatis internæ necessitudinis vinculis adjuta non fertur. Nescit experiri quid possit, quem caritas stimulis suis exagitat. Solent tamen dignos venia judicare perfecti, quos inter epistolares vias nutantia deseruere vestigia. Soletis quid dicere voluimus attendere, quotiens non eloquuntur vota sermones. Idoneæ tamen perlatricis viaticum prægravavi: et quæ me præsentare vivis potuisset affatibus, ea epistolam comitante perduxi: minus nobis periculi esse confidens, sub intercessoris boni me præsentia deliquisse. Vale ergo, mi domine, et amantem vestri peculiaribus fovete beneficiis. Sic apicem vestrum, si est quo crescat adhuc divinus favor attollat.

EPISTOLA IX.

[3] OLYBRIO ENNODIUS.

Dum favos loqueris, et per domos cereas eloquentiæ nectare liquentis elementi mella componis, peregrinum labiis meis saporem epuli divitis infudisti, Herculei certaminis et triumphalium Antæi casuum faciens mentionem. Sic se equidem exercita litterarum gymnasiis [4] palæstra dilucidant, sic madefacta studiorum oleo loquenti artificiis oris membra submittunt. Sed noluissem, fateor, illius, ut aiunt, pugnæ commemoratione morderi. Antæum fabula senior, ne elisus vinceret, matris solatium, postquam cœpit non cadere, loquitur perdidisse. Qui per callidi hostis fabricam fertur stando esse superatus, et in pectore animam posuisse certantis. Res scilicet digna memoratu, sed amicitiarum indigna proposito. Nos nempe memini fœderis certamina suscepisse, sed per quæ mutuæ vincamus caritatis officiis: ut dum inter hujusmodi luctamina nitimur, et vinci ambo optemus et vincere. Nobis per communia peccatorum secreta vivendum potius, quam obeundum est: matris Ecclesiæ ope sociata, quæ utrosque, ut vera loquamur, fidei ubere lacte pascit altrici. Cessent anilium commenta poetarum: fabulosa repudietur antiquitas: status innocens ruinæ nequaquam misceatur alterius. Nobis, si placet in novellum usum majorum exempla revocare, potius Pyladis et Orestis, Nisi et Euryali, Pollucis et Castoris si nihil his clandestinorum actuum decerpit obscenitas, convenit gratiæ meminisse vel fidei. Quos inter se ita concors animorum devinxit æqualitas, ut horum duos expetitus cum amicis juvaret interitus, alter amico vitam pretio suæ mortis afferret. Ista sunt digna memoria, quotiens inter novos concordiæ nexus, udo, ut ita dixerim, animorum libro, cespitibus validis fetura nobilis juncta maritatur. Illæ mentes promittunt bona concordiæ, quæ quid in cultura sudoris sit opus agnoscunt. Gaudeo tamen, quod jam indissolubili societate moribus jungimur, et ab ostio affectionis per examinis lancem caritatis incrementa pensamus.

EPISTOLA X.

ENNODIUS JOANNI.

Vicem redderem, nisi oneraret diligentiam amici pectoris restituta laudatio: ne dum in præconiis mutuum videmur scabere, adulationis suspicione polluatur affectio; et amor currat in vitium, dum illud quod apud alios debemus facere, nobis incompetenter ingerimus. Amantium enim ornamenta inter familiares paginas retinenda sunt, non loquenda; ne tantum conscientias nostras vacuis sensibus relatione laudis honoremus. Sunt ubi bona tua, ut apud te propter affectum taceam, amice concelebrem. In his quæ de profectu tuo sentio, religiosam tibi tantum debeo taciturnitatem. Possem quidem, vitia temporis

[1] *Retentatoris*] Alienorum scilicet mancipiorum, ut in lege Valentiniani cod. Theod. de annona et tributis, *qui vagos servos penes se retentant*: quanquam et in omni re aliena dicitur retentator. Cod. eodem leg. 12. Qui bonis ex lege Julia cedere possint, et apud Ennodium in Vita Epiphanii, et in Panegyrico. Item apud Cassiod. lib. I, epist. 22.

[2] *Firmino*] Lib. II, epist. 8.

[3] *Olybrio*] Causidico ejus ævi disertissimo, de quo epist. 1, quæ ad Joannem Olybrii generum scripta est: *Neminem credidi ad Olybrium pervenire*. Ejusdem eloquentiam celebrat lib. II, epist. 9 et 13, et peculiari opere carm. 8. Cassiodorus vero magnum Olybrium propterea vocat lib. VIII, epist. 19.

[4] *Palæstra dilucidant*] Basiliensis editio, *dilucidat*: hoc nimirum postulabat usus, et origo vocis παλαίστρα. Sed Ennodius τὰ palæstra tanquam plurale usurpavit etiam lib. II, epist. ad Pomerium, et in præfatione dicta Aratori: et creber est in simili enallage, ut cum τὸ æther dicit, τὸ epitoma; et hæc lampada, thoraca, et alia id genus permulta.

secutus, laudes tuas nunc inexhausta prædicatione reserare, totam paginam fucatis colorare blanditiis. Sed absit hoc a proposito, facessat a moribus, ut quem mente teneo, ista tantum velim esse remuneratione contentum. Tibi non delenificam orationem, sed vocem debeo castigantis. Non tibi pictis verborum illudens artificiis, sed totum profunda mente te retinens, possem dicere : Ad arcem scientiæ, sine teneræ ætatis præjudicio, pervenisti : summam perfectionis adeptus es : nulla debes cura distringi, sed bonis tuis tanquam locuples possessor ornari. Sed hæc, sicut prædixi, a me aliena sunt : ore te parentis stimulo ; dico : sint licet grandia, quæ in cano eloquentiæ flore polliceris, ego tamen nisi de messe non gratulor : ut solet avarus agricola, qui ubertatem anni nisi in horreis non metitur. Jam in te et si non gravidas aristas, multo tamen videmus lacte turgentes. Jam prope ad aream vota perveniunt. Sed plus timendum est, quotiens desideria nostra spes vicina succendit. Labora circa studia, lucem in colloquiis dilige, lectioni devotus insiste, ut fructus eloquentiæ multiplicium auctorum ventilatione purgetur. Pulchra sunt quæ scribis ; sed ego amo plus fortia : redimita sunt floribus ; sed poma plus diligo. Salve, mi domine, et hæc ea qua insinuavi sinceritate complectere, et amorem meum in admonitionis fide perpende. Scito epistolas tuas nullis doctorum a me esse denegandas, ut quod me per inscitiam fugerit, per eos qui ad unguem docti sunt emendetur : et ideo ad scriptionis culturam multo sudore te præpara : ut vota quæ circa te pro venerandi patris tui meritis amore concepi, ad effectum sub hac claritatis tuæ intentione perveniant.

EPISTOLA XI.

ENNODIUS CASTORIO ET FLORO.

Amantem vestri gratia deberetis relevare colloquii, et amicam diligentiam testimonio reserare sermonis : quia muta caritas pene obtinet vices ingrati, et per paginarum abstinentiam intercipitur vis amoris. Absentium animis sola litterarum medetur oblatio, quæ quodam mentis artificio pingit scriptione quod loquitur. Hæc apud vos supervacuum putamus asserere, quos instituta nobilia acuunt, quibus præsto est sanguis, doctrina, consortium. Nihil est bonarum artium, quod nescire sine negligentiæ culpa positis quos post lucem natalium Romanorum decus Faustus institui. Ergo magis fatendum est, me non mereri quod postulo, quam vos nescire quid debeatis offerre. Domini [1] mihi, salutationis debita effusissima humilitate persolvens, precor, ut tandem aliquando non immemores admonitionis et fœderis, rescribatis. Circa quæ opera pigros vos esse non convenit, quia nec conversationi vestræ sancta conscientia, nec uber sermo potest deesse colloquiis.

EPISTOLA XII.

ENNODIUS [2] AVIENO.

Si quæras, cur a silentio vestro multata non reticet prodiga frons pudoris, et male interpretando impudentia vocetur affectio : si garrulitatem meam fructu dicas cessante debuisse compesci : ego te, illustrissime hominum, illa quæ in familia tua domestica est sinceritate convenio, ego fœderatam promissionem quasi obsidem mentis amplector. Doleo quidem procuratas longi causas silentii : dum et caritas et necessitudo negligitur. Sed quia me totum sibi amor tuus vindicat, adhuc credo excusationem posse recipere quod fecisti, et purgationis tuæ in hac parte causas æstimo esse, quas invenire non possum. In bona te valetudine degere, voti compos semper audivi : sudorem tuum circa ornamentum generis sæpe epistolaris alloquii luce tersisti. Nihil præter contemptum monstrat, quotiens taciturnitas non habet necessitatem. Ego tamen spem de responso capiens semper scripsi, et sub quadam claritatis tuæ præsentia legenda dictavi : visa est mihi, dum loquor, pagina mea te reddidisse, te sapere, et tuis picta imaginibus verba conferre. Quid esset in epistola tua dulcedinis, si eam daretur accipere, quæso diligenter expende quando, licet a nobis procedentia, tamen quæ ad te veniunt, verba complectimur. Jam rogo ad affectum scriptionis erigere, et ariditatem meam colloquii fluentis infunde, ut quid ministerium meum a Deo valeat impetrare, cognoscam, si epistolas tuas æmulas paternæ perfectionis accepero. Nolo metuas, quod illum formidandum doctissimis loquor, et quasi ante oculos tuos in exemplum elocutionis adduco. Peritorum mos est medicorum, in venis deprehendere vires corporum, et de successu hominis digitos interrogare. Nec aliter incipientum possunt ingenia cognosci, nisi ut qui non debent teneræ adhuc ætati robustas declamationes, inquirentes de futura ubertate lætificent et messem peritiæ in radice manifestent. Domine ut supra, salutationis honore, reverentia solita, spero, ut mei te esse memorem si meritum non ostendit, saltem importunitas mea quæ est indefessa significet.

EPISTOLA XIII.

ENNODIUS [3] AGAPITO.

Male est animo, postquam magnitudo tua æqui

[1] In edit. Schotti, *mei*.

[2] *Avieno*] Fausti filio, de cujus consulatu vidimus epist. 5. Idem in quarta synodo Romana Symmachi, et in Theodorici regis ad eamdem synodum litteris Rufius Magnus Faustus Avienus omnibus suis nominibus appellatur. Errant enim, qui duorum ibi consulum nomina exponi putant : cum unius sint Avieni : cui a patre Fausti, a materna cognatione Magni cognomen inditum. Ad hunc ipsum, opinor, tum inter senatores primarium multis post annis scriptas exstat dogmatica Joannis papæ II epistola, cujus hæc inscriptio : *Joannes episcopus Romanus illustribus ac magnificis viris Avieno, Senatori, Liberio, Severino, Fideli, Avito, Opilioni, Joanni, Silverio, Clementino et Ampelio.*

[3] *Agapito*] Viro illustri : cui post palatinum honorem Ravennatem, quem illi hoc loco gratulatur Ennodius et de quo iterum lib. IV, epist. 6, delata est etiam a Theoderico rege præfectura Urbana, ut aliquot ejus epistolæ ostendunt apud Cassiodorum lib. I, tum patriciatus, et legatio in Orientem, sub annum, ut reor, 510, de qua lib. II, epist. 6 Cassiodori. Denique ordinarius consulatus anno 517, cujus non solum testes sunt Fausti, sed etiam synodus Epaunensis, quam Agapito consule convocatam fuisse docent vetera exemplaria.

observantissima et amicitiarum tenax, in hanc meæ oblivionis se vertit incuriam, ut diligentiæ immemor, bona melioris sæculi, quæ accesserunt de profectu honorum tuorum, fama potius quam felici epistola nuntiasset. Ubi sunt illa sanctæ conscientiæ tuæ in conversatione veneranda penetralia? Quando invenire potuisset relatu digniora animus de amantis hilaritate sollicitus? Sed quæro, ne malignorum quispiam austrum fontibus, aut petulcum animal rosetis immiserit. Nunquam enim sine offensa amicis prosper eventus absconditur : a commotione evenit longe degentibus tacere quod gaudeas. Procul a moribus vestris malitiæ facessat obscenitas ; puto bona vestra me meruisse nescire. Qua sermonis frequentia pensabitur tale silentium? Decedentem a desideriis amicum nulla delinire potest cultura caritatis. Hæc quantavis, mi domine, nobilibus scientiæ tuæ verborum pingas imaginibus, raro curantur malefacta colloquiis, et dolor qui a te descenderit, sanari non poterit per loquelam. Vix erit, ut scribendo deleas quod scribere contempsisti. Sed revertor ad propositum, a quo nunquam est, si miseretur divinitas, discedendum. Deo debeo, quod prospera tua, te silentium procurante, in Liguria primus agnovi. Perdidisti fructum studiosæ taciturnitatis : bonorum felicitas mundi lingua celebratur. Ignorari non potest quod summis accesserit. In honoribus, illa magis amplectenda sunt quæ redduntur. Male ad fasnes attollitur, cujus mens inter curiæ sidera lucis suffragia non agnoscit in titulis. Venit ad vos cana dignitas sera, sed debita. Vocavit eam lingua, quam sequitur : exegit innocentia, quam habuit quondam ætate conjunctam. Sed jam redeo ad gratiam familiaris alloquii etiam post offensam. Salve, mi domine, et quod in damno promissi fœderis neglexisti, restitue ubertate sermonis.

EPISTOLA XIV.

ENNODIUS FAUSTO.

Nollem, fateor, morarum causas aperire, ne animus meus sera in pacem cum lætitia reductus, mœsta iterum relatione turbetur, et habeam tristitiæ meæ redivivum in narratione principium. Pene enim sibi debet angustias suas, qui earum relegere transacta non refugit. Quis ad calcem perductas anxietates suas reparet intempestivi necessitate sermonis? Sed vobiscum mihi et cum proposito rerum fides est, quibus debetur in replicatione ex quacunque causa sinceritas. Patior libens aculeos revocati mœroris, dummodo veritati nil pereat : et ne per vitium teneræ mentis paginam falsitate dehonestem, sponte fero quod refero. Sancti episcopi patris vestri prope in dubium salus deducta me tenuit : in cujus ægritudine quamvis cuncta illacrymaret Ecclesia, me tamen specialis mœror afflixit, qui ejus debeo plus amori. Vidi pacem civitatis urgente discordia urbis nostræ limina transcendentem, et ab oculis nostris quasi incertum aliquod aut vagum numen elapsam. Sed sufficiat tristibus stricta narratio. Jam ad bonam valetudinem sancti Patris salus optanda et diligenda respirat. Nam ubi mens mea ad stationem rediit, statim A jussa respexit. Pueros destinavi, qui fideli me de prosperitate culminis vestri, vel totius sanctæ domus relatione perdoceant. Pendeo rursus, et inter spem et metum dubia æstimatione distringor, cui necesse est de alterius parentis esse prosperitate sollicitum. Quis ad curas meas se porrigat? quis æstus æquiparare valeat tali divisione distracti? Sed hæc ad Deum justius reportantur; cujus clementiæ est vota vincere supplicantum, et fluctuantibus portum parare desideriis. Interim ad usum revertor querelarum. Paginas vestras illico me suggero subsequi debuisse, et ad solatium meum, vel propter recentem petitionem, scripta prorogare, ne in ancipiti de profectione vestra animus meus pependisset auditu. Sed hanc credo culpam scriptionis emendari posse frequentia. Super- B est ut divinitas a vobis ea indicari faciat, quæ juvat agnosci. Domine mi, effusam salutem reverentiæ vestræ dicens, precor, ut quæ mundavi suggerenda adipiscantur effectum.

EPISTOLA XV.

ENNODIUS [1] FLORIANO.

Idem est, terminum in arrogantia non tenere, quod in humilitate transcendere. Supercilii affectus est, justo amplius esse subjectum. Familiare est graviter hiantibus, novas invenire blanditias, et grandis cothurnus, in eloquentia simulare formidinem, vel examen metuere de laude securum. Ego vero diligentiam proposito impenderem, si sanguini non deberem. Suscepi epistolam tuam Romana dote locupletem, et stylum Latiarem in ipsa principiorum luce monstran- C tem. Cui me respondere, opponente manus inscitia, coegit affectio : cum diu esset, quod antiquaverat apud me scribendi studium spes tacendi, et in locum gloriæ silentium computabat. Sed nisi respondissem, nescires te esse deprehensum, quod minus fabricatis ingeniis artifici facundia, et succo Romuleæ calliditatis illuseris. Non æqua ad secandum virtus est politæ laminæ, et ejus quam rubigo possederit : nec parem conflictum usus potest et torpor assumere. Nunc epistolæ brevitate contentus ad salutationis debita me converto : quod eloquio non potui, gratia pensaturus, reddendo amicitiam pro schemate et pompa sermonum. Ecce quantum occupationi subducere potui, celer scripsi. Dabit Deus, ut si responsa desideras D vacuum curis pulsati pectus invenias.

EPISTOLA XVI

ENNODIUS FLORIANO.

Illud fraternitas tua amori meo potuisset impendere, quod vera liberalitate cum tribuentis compendio proficeret et pudori. In ea scilicet parte, ut cum indices studii mei litteras jam teneres, ab scriptionis te cura suspenderes. Quisquam ne coloratis frontem pingit illecebris, et famam valida impugnatione labefactat; nec manifesta excusatione contentus, male credulæ conscientiæ sufficere non æstimat quod probavit? Qui vario sapore colloquii edacium amicorum fauces irritat, ut dum blanda subjicit, definita permutet. Nam postquam me silentium amare scripse-

[1] *Floriano*] Viro spectabili, si modo is est ad quem Theodericus rex scribit apud Cassiodorum, lib. I, ep. 5.

ram, quasi pro allegationis responso, prolixiores paginas impetravi, et diu forte repositum post negationem meam eloquii uber elicui. Quid faceres, si certamina promisissem, si studiorum tuorum fervorem quocunque dente incautus attingerem, nec mei idoneus æstimator penetralia tuta servarem? Adhibita, credo, adversus me fuisset Tulliani profunditas gurgitis, Chrysippi proprietas, Varronis elegantia : nec in ulla invenissem parte subsidium, cui nec illud profuit, quod scribendi contentiones nec, cum reticerem lacessitus, effugi. Me etsi peritiæ conscientia, et dicendi vigor attolleret; post diversa scribentum discrimina, laudem quam multo sudore vos petitis, formidarem. Huc accedit, quod rhetoricam in me dixisti esse versutiam : cum diu sit quod oratorium schema affectus a me orationis absciderit, et nequeam occupari verborum floribus, quem ad gemitus et preces evocat clamor officii. Delenifica ergo et malesuada compesce colloquia. Si ficta sunt quæ scribis, et peniculo decorata mendacii, muta propositum, vel postea quam vides (mentem) innotuisse quæ feceris. Si vera sunt, et a judicii lance descendunt, profundo ea pectoris include secreto, ut reverentiam diligentiæ, dum amico res integras servas, exhibeas. Mihi immutabile cor custodiens, alios demulce colloquiis. Ecce epistolæ modum, dum productæ paginæ cupio respondere, transcendi. Sed non est culpa speciali plectenda supplicio, quæ in erratis habet auctorem. Domine mi, salutationem debendam restituens, precor, ut si desideriis meis quæ de amore taciturnitatis concepi, pernix te scrutator interseris, saltem occupationibus quibus impedimur, ignoscas.

EPISTOLA XVII.

ENNODIUS FAUSTO.

Si a consuetudine officiorum temperet mens amantis, ipsam cessationem sinistrum esse putat auspicium: mœroris enim ipse sibi causa est, qui non semper in vicinis æstimat habitare quod diligit. Quisquam ne digressus ad longinqua censeat, quem mente contingit? Nam si spiritus res est divinitatis in homine, prolixarum sentire usu potest damna terrarum. Dixi causam, quæ me faciat scripta porrigere. Reddo salutationis obsequia, propter quæ promulgantur epistolæ : Deo supplicans ut cœlestis dispensatione beneficii, in bona valetud ne degenti præsentia magnitudini vestræ verba reddantur. Quod recipiat tamen portitor, qui alloquii occasionem præstitit, a me pro vicissitudine commendatur.

EPISTOLA XVIII.

ENNODIUS AVIENO.

Quam bene quod verecunde renuis, feliciter imitaris, et dum difficilibus magnitudinem tuam exemplis quæris incitari, narrandi pompam quam assertor idoneus refugis, ostendisti! Amplector amabilem allegationem formidinis, quam in te ingenii divitis vena commendat. Nolo colendum bonis patrem in adhortationis tuæ positum pavescas exemplis : ab ipso veniunt ista quæ loqueris. Scio quæ aurum pariat terra nobilius : cujus soli nutrita sinibus metalla plus rutilent. Sæpe mihi labor efficax inquirenti altricia terga fulvi ostendit elementi. Scio quæ conchæ superbas pretio gemmas includant : unde veniat lapis imperiis genium collaturus. Non imperitiæ quod feci applices, non errori. Viri fortis progenies armorum faciem inter patris agnoscit amplexus, et dum naturæ obsequitur, discit amare terrorem. Doctorum radix Maro, vestri formator eloquii, sic animatum verbis patris filium memorat, ut dicat : *Disce, puer, virtutem ex me* : et alibi, *Et pater Æneas.* Nunquid ille jam fortibus ad certamina brachiis assurgebat, aut virili valetudine imminentia putabatur bella gesturus? Sed melius virtus recentibus exemplis animata, quam monitis, profectum corporis exspectabat. Scientes rerum aquilas ferunt pullos suos in ipso vitæ limine, quo ovorum tunicis exuuntur, ad solis ponere radios et lucem seminis sui immensi splendoris objectione cognoscere. Nunquid est in districta probatione impietas, cum recta sit judicii in electione sententia? Nolunt quemquam perire de fetibus, sed suos essse qui cesserint, non agnoscunt. Recte enim illa inter aves sublimitas, genitrix putatur esse victorum. Nunc ergo tu, dulce meum, bene cœpta persequere; et favente Deo, ut[1] avum nomine, ita patrem redde doctrina. Non æstimes grave esse quod moneo. Et quia ego te de germine censeo, tu de primordiis non pavescas : fuit et ille incipiens qui timetur : et quotiens scalpente terram digito ductus aquæ per pulverem trahitur, turbidum fluit omne quod primum est. De reliquo vale, mi domine, et amantem tui frequentibus cole muniis litterarum : circa quæ studia, si mei memor es, pigrum te esse non convenit.

EPISTOLA XIX.

ENNODIUS [2] DEUTERIO

Quam velim sæpe officium visitationis omittere, si

[1] *Avum nomine, patrem doctrina*] Avieni avus fuit Gennadius Avienus, Fausti pater, quem anno 450 consulem fuisse monuimus, de quo Sidonius lib. I, epist. 9. Et patrem et avum nomine referre videbatur Avienus, nam Faustus Avienus vocabatur. Sed quia unum, ut docuimus, verum cujusque ac proprium nomen erat quod ultimum, idcirco avi tantum Avieni nomen reddebat.

[2] *Deuterio*] V. S. Grammatico, ut est in epigraphe carminis 2. Hoc igitur est, quod doctorem optimum appellat, et in epigrammatis magistrum. Felicis rhetori Romani fuerat auditor. Is enim videtur cujus in Parmensi codice Martiani Capellæ fit mentio his verbis : *SECURUS MEMOR FELIX V. SP. COM. CONSIST. Rhetor R. ex mendosissimis exemplaribus emendabam, contralegente DEUTERIO scholastico, discipulo meo. Romæ ad portam Rapenam, cos. Paulini* v. c. *sub D. non. Martiarum Christo adjuvante.*

* Petrus Burmannus ad *Henrici Valesii* lib. I *de Critica.* pag. 181, admittenda esse arbitratur correctionem Petri Nannii *Miscellan.* lib. X cap. 4. ubi ex vestigiis scripturæ veteris compendiariæ codicis bibliothecæ Egmondianæ, in quo huncemdem titulum Martiano præfixum se invenisse tradit, legendum conjicit : *Felix Asper, comes Consistorii, rhetor urbis Romanæ*, etc., *contra legente Eleuterio.* Recte etiam eruditissimus Fontanini lib. I *de Antiq. Hortæ*, cap. 3 pag. 231, produxit hunc in modum : *Securus Melior Felix Asper*, etc., nam perperam Sirmondus exhibet : *Securus Memor Felix V. Sp.* quasi *Vir spectabilis.*

dulcem tribuit culpa mercedem : et cœlestis mandati sententiam sciens prudensque negligere, si desideriis copiam vindicanda conciliant! Mihi uni contigit de offensionis merito evenisse quod gaudeam : didici nunc tali remuneratione errata sectari. Non sunt adversa, doctor optime, amicitiarum religioni, quæ profero coactus in medium. Imo propter confessionem dignam proposito valetudinis tuæ dubia nunquam velut ingratus optavi : quin etiam, quantum in me fuit, contra ingruentes tibi inæqualitates precum manus opposui. Sed ecce quam alacer sensus est, non in prospera membrorum salute fundata ostendit pagina, in qua utraque luce fulsisti. Tua, quæso, lumina nube doloris hebetantur, cujus tam clara sunt carmina? et qui lucem loqueris, de visione causaris? Quam timeo, ne parcus in meritis tuis laudator inveniat. Tibi recte ascribitur, cunctis dare oculos, et obscura mentium peregrino splendore radiare. Ergo putas tibi validum non esse quod tribuis? Pelle, quæso, animo curas superfluas, forsitan sollicitudine aut cautione conceptas. Dabit Deus, ut quidquid corporalis accessit incommodi, vice animæ tuæ per sudum rutilanti nitore mundetur.

EPISTOLA XX.

ENNODIUS FAUSTO.

Vere gratias Trinitati quam veneramur et colimus, Deo nostro, quæ sub personarum distinctione et æqualitate mirabili, unam nos pie jussit sentire et adorare substantiam; quæ planctum nostrum vertit in gaudium; quæ dolorum comites ad obsequium lætitiæ lacrymas commutavit : ut vere cum Propheta dicam: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem fletuum* (*Jerem.* IX, 1)? ut beneficiorum cœlestium magnitudini sub hac devotione respondeam : cui contigit ante accipere cœlestia dona, quam poscere, et prius quid boni evenisset legere, quam quid mali minarentur peccata sentire. Tuum est, dispensator omnipotens, quod de serenis pignoribus, et futuræ innocentiæ hæreditate, in illa quæ præcessit anxietate non timui : qui reductæ etiam statum valetudinis quasi stupefactus accepi, in confusionis similitudine collocatus, quæ supra meritum meum collocata sunt prospera evenisse vix credidi. Vere supernæ remunerationis divitias humana mens nescit expendere. Sic animo fragiles temperantur, ut prius stationem videant quam periculorum incerta deprehendant. Deus bone! in quo abrupto pependimus tunc, cum potentia cœlestis, ut plenum esset parvulorum in reducta salute testimonium, plus est nostrum labefactata per meritum? Dico integre, et vocem quam proposito debeo, nulla mendacii nube concludo (confundo verba singultibus, ut sub solida gratulatione, uberioribus in fletum oculis) sæpe me respicere quod evasi. Ubinam gentium fuimus? de qua nos ad humanam conversationem ruina clementia superna restituit? Referamus ergo strictioribus verbis hujus boni largitori prolixis gemitibus quod debemus: invitemus ad custodiam munerum suorum, quem in dubiis tulisse probamus auxilium : rogemus eum, qui scit nempe servare quod præstitit, et virtutum suarum viva testimonia in longum producere. Talia sunt mecum circa vos venerandi vota collegii per totam Liguriam consistentium servorum et amicorum Dei. Tali nititur domus sancta suffragio: preces pro serenis pignoribus sine cessatione funduntur. Verum me dicere, testis est divinitas, quæ quod ipsa est, veritatem diligit; omnibus qui de vitæ possunt innocentia et integritate confidere, vestram nimis amaram esse mœstitiam. Sed nunc ad epistolæ usum revertor. Salve, mi domine, et gerulum præsentium Bassum V. C. illa qua caros meos soletis, dignatione suscipite : quia inter omnes quibus affectus est meam propter vos amicitiam custodire, quamdam prædictus arcem puritatis ascendit. Juvate ergo petitiones ejus, ut fructum de impensis capiens ad potiora præparetur.

EPISTOLA XXI.

ENNODIUS FAUSTO.

Diu super adventu amplitudinis vestræ ancipiti mens mea pependit indicio. Sed postquam me divina misericordia ab hujusmodi anxietate laxavit, statim ad consueta officia me contuli : quanquam paginarum obsequia nec digresso ad longinqua suppresserim. His ergo valetudinem meam indicans, ægritudinem animi refero, quam de mœrore contraxi. De luminum nostrorum salute sollicitor, in eo loci constitutus ad quem difficile nuntius expectatus allabitur. Quod in solatio est, Deum precor, ut nulla servum suum patiatur amplius cura macerari; sed de reducta meorum in solidum prosperitate æstibus meis celeri medela subveniat. Salutans debita servitute, precor, ut cognitis his de quibus animus meus varia æstimatione jactatur, sedulo mihi hilaritatem deferentium litterarum beneficio succurratis.

EPISTOLA XXII.

ENNODIUS [1] OPILIONI.

Cœperat parvitatem meam magnitudo vestra spe quæ vota transiret, dignationis attollere, et cœlestis instituti more, clariora facere beneficia sua, dum mea merita nulla judicii lance pensabat; vel censuræ negligens dare pretium muneribus, quæ esse monstrabat indebita: quoniam affectio quæ circa humiles exhibetur, non habet necessitatem, et speciem suam per sudum rutilanti splendore significat. Diu ergo tali fultus post Deum præsumptione, non timui quidquid obloquentium toxica promittebant. Ast ubi me ad antiquum pulverem vestri reduxit oblivio quod in solatio debet nudatis defensore contingere, quasi querelarum perlatrices litteras prorogavi, promittens mihi de earum importunitate responsum. Sed per occupationum forsitan amplitudo vestra præpedientium incrementa significat ad hæc vos officia non venire. Replicabo, quia idem status fuit culminis vestri dudum paginas destinantis. Ad morem tamen scriptionis epistolariæ me reduco, ne addat prolixitas ingesta fastidium, et denegari paginas faciat ma-

[1] *Opilioni*] Lib. v epist. 3.

gis allegatio quæ poposcit. Domine mi, salutationis obsequium solvo, et de valetudine vestra ut animo obligatus interrogo, cupiens relationis indicio ad gemina desideria pervenire.

EPISTOLA XXIII.

ENNODIUS [1] SENARIO.

Perdit affectio valetudinem silentii debilitata torpore : nec ad usum suum diligentiæ cursus exuberat, si nudetur communione colloquii. Muta caritas pene repræsentat speciem non amantis, et odiorum simulacrum est non aperire quod diligas contestatione sermonis. Ista sublimitati tuæ coram positus intimavi, cum ad solatium absentiæ meæ litteras promittebas. At nunc quæ animum vestrum mei invasit oblivio, ut nullas per tanta temporum spatia, quæ bonam valetudinem vestram significarent, litteras suscepissem? ne de amoris, credo, testimonio animorum indices epistolas convenirem. Irreligiosum ergo circa amantem tui in meliorem partem verte propositum, et ad memoriam promissæ fidei scripta transmitte. Domine mi, salutationis debita solvens, precor, ut si vos in antiquæ circa me dignationis statu pagina directa repererit, responsa mereatur : quia puto inter nos gemina vincula disrumpi non posse, caritatis et sanguinis.

EPISTOLA XXIV.

ENNODIUS [2] ASTURIO.

Quæ, malum! ratio est, ut ita sis parcus in gratia, prodigus in querela, et exigas frequentiam litterarum quam ipse non tribuis, viperinis oculis illud quod alter deliquit inspiciens, tuas culpas nulla falce resecando? Anni plures sunt, ex quo Alpibus vicinam habitationem delegisti, senator et doctus. Ubi ibi, dum pruinosa respicis juga, apparuit inauspicata nix capitis : ubi etiam glande te vesci scriptione signasti. Cujus rei fidem litterarum tuarum decora fecerunt, cum sibi hujus significantia in ructu turgidi pectoris, et Alpini sermonis apparuit. Miror A tamen quod inter loci illius frenata glacie flumina, et sine successione frigus, tui jecoris flamma plus æstuat, nec aliquam sortitur pectus de mansione temperiem. Ætas defervescit in senium : est domus quæ lymphas in metalla convertit, et contra naturam gurgitibus sua lege dominatur : tu tamen inter ista sic vivere diceris, quasi ignis tuus algoris pabulis irritetur. Ego te oro parentis stimulo, quia tibi et proposito meo debeo vocem castigantis. Vestrum est post hæc, si eligitis litteras meas accipere, de admonitione gratulari. Ego autem præter ista cum honore salutari, quæ scribere possim illa carnis quam tu diligis, ellubie viventibus, non inveni.

EPISTOLA XXV.

ENNODIUS OLYBRIO ET EUGENETI.

B Desiderio paginarum vestrarum facta est mihi prodiga fons pudoris; et dum tabula promittit promulgata responsum, intra verecundum penetrale annosam continere nescit infantiam. Deberem quidem sanguini et proposito silentii venustatem, postquam spei meæ fructum prima negavere colloquia. Sed nescio utrum male pertinax judicetur intentio, quæ sine alterius dispendiis sollicitæ per amorem experientiæ pericula multiplicat. Valete, [3] mi domini, et ad scriptionis mecum remeate concordiam, ne contra Evangelii faciatis monita, si et importunitati denegetis, quod juste forsitan impetrasset affectio.

EPISTOLA XXVI.

ENNODIUS FAUSTO.

C Votis et desideriis satisfacit pagina, quæ apud amantem vestri necessitatibus alienis præstat obsequium. Quam vellem, si propositum non vetaret, multorum sæpe quieta titubare, ut dum dubiis vocem tribuo, debitum obnixæ caritatis exsolvam! Domini mei, patris vestri jussionibus impendo præsentis scriptionis officium : cujus animus dum omnium securitati providet, suam quietem sub hac intentione contemnit. Qui dum mala Ligurum [4] post Mauricelli

[1] *Senario*] De quo lib. III, epist. 11.

[2] *Asturio*] Diversus videtur ab Asturio consule collega Præsidii anno 494, cujus antiquæ pietatis monimentum hodieque apud Leodicos servari dicitur in eburneo sacri Evangeliorum libri operculo, cum hac inscriptione : FL. ASTURIUS V. C. ET INL. COM. ET MAG. UTRIUSQ. MIL. CONS. ORD. Nam Ennodius senatorem hunc tantum vocat, non consularem. Sed D non minore, mea quidem sententia, in errore versantur, qui Turcium Rufium Asterium V. C. et ipsum consulem ordinarium atque patricium, qui Sedulii poetæ versus post ejus mortem ex ejus scriniis collectos recensuisse dicitur, cum Asturio Præsidi collega confundunt; cum ad illum Asterium hæc pertinere videantur, qui consul fuit cum Protegene anno 449, tum quia hæc illi nomina potius congruunt, tum quia id tempus cum Sedulii obitu cohæret, quem ex integris Gennadii exemplaribus Theodosio Juniore, cui opus suum dedicavit, et Valentiniano regnantibus vita functum didicimus. Denique omnem dubitationem adimit ipsius Asterii epigramma, quod in cod. Remensi post epistolam Sedulii ad eumdem Macedonium scriptum legimus his verbis :

> Sume, sacer meritis, * veracia dicta poetæ,
> Quæ sine figmenti condita sunt vitio.
> Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
> Per quam justus ait talia Sedulius.
> Asterisque tui semper meminisse jubeto,
> Cujus ope et cura ** edita sunt populis,
> Quem quamvis summi *** celebrent per sæcula fasti,
> Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Epigrammati vero præmittitur hæc adnotatio : *Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit. Quod recollectum adornatumque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turcio Rufio Asterio V. C. consule ordinario atque patricio.*

n edit. Schotti, *mei.*

[4] *Post Mauricelli obitum*] Qui advocatione fisci fungens Liguriæ provinciam fisci columniis oppresserat : contra officii videlicet moderationem legibus præscriptam. Qua de re gratissima et elegantissima sunt Theodorici regis præcepta ad Marcellum advocatum fisci, apud Cassiodorum lib. I, epist. 22.

* *Veracia dicta poetæ*] Ex scheda vetustissima, *veracis dicta poetæ* BARTH., *Adversar.* pag. 705.

** *Edita*] *Didita.* ID., ibid.

*** *Celebrent per sæcula Fasti*] *Fastus* vero disertissime in nostra scheda editum est. *Fastibus* pro *fastis* dixisse notat, ni fallor coryphæus grammaticorum Priscianus. Locus est lib. x, ubi loquitur Cæsar :

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus

Porro inscriptio Sedulii ita in ms concepta est : *Domino meo sanctissimo ac beatissimo patri Macedonio presbyt. Sedulius in Christo salutem.* ID., Ibid.

obitum nondum vidit occidisse, confunditur. Recidivis enim provincia nostra, quasi præfatum sepulcra non tenent, laborat insidiis. Advocationem fisci dum aliqui per iniquos homines nituntur obtinere, ante votorum copiam quid in ea meditentur ostendunt. Ego quidem deliberationem magnitudinis vestræ de bono publico non celavi, asserens vos præfatam dignitatem nulli vobiscum Deo adnitente, committere. Sed anxietas provincialium totum credit.

A evenire posse quod metuit. Hanc a domno meo episcopo allegationis suscepi provinciam, ut conscientiam vestram obsequio paginæ convenirem, ne cujus subreptio ad hujus rei perducatur effectum. Vos fidissimam pollicitationem solliciti custodite integritate propositi. Ego salutationis officia dependens quæ susceperam alleganda, testatus sum. Spero tamen ut, quid de ea parte deliberatum sit, instruar officio litterarum.

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA PRIMA.

[1] ENNODIUS ARMENIO CONSOLATORIAM.

Diu, frater carissime, festinante voto consolatoriam ad te paginam dum misi, ne putarer vel mihi subducere fletus, non verba compono, et in lamentationis dispendiis facere de gemitibus decora sermonum, debitum planctum per loquelæ schemata dissipare: cum contra amicitiarum religionem et consanguinitatis vincula, secretum conscientiæ patescat hostilis, si cum possis dupliciter defunctum flere, non facias : id est, si oculorum ministerio nequaquam jungas oris officium. Ubi, dum lumina stimulis acta doloris illacrymant, feriata sunt verba plangentis? Sed ego, hominum sincerissime, qui tristitiæ tuæ obsequium in omni debeo parte quod valeo, mœrorem meum in quo tibi comes sum, volui scriptione testari : ne in una ætate effusarum interciperetur memoria lacrymarum, vel æstimaret posteritas me in filii tui morte hoc solum debuisse quod solvi : habens in hac via venerandorum exempla pontificum, quorum imitatione nobilitantur, quos in umbram merita concluserunt. Ambrosius noster [2] decedentem germanum teste afflictionis suæ libello prosecutus est. Quem cum recenset secuta proles, et scriptoris bene meminit, et si Satyri fratris ejus obitu lamenta conjungit : quia ejus provisione contigit recentem dolorem ostentare dum loquitur, et ante legentium oculos semper exhalantia spiritum jam diu defuncti membra monstrare; nec unquam pati veterescere relationis fide funus, quod anni potuerunt sepelire transacti. His ita se habentibus, oculorum flumina refrena, et animum, si placet, ad ejus verba converte, qui tibi flens consolator occurrit. Amisisse te filium pene unicum et bonæ indo-

B lis, quod patria non minus requirit affectio, provinciæ ululatus ostendit, cum ad solatium gemituum tuorum suos jungens, quid de eo censeret, testatur universitas. Tu tamen inter ista quasi specialis mali pressus nece concluderis, nesciens temperandum quod per multorum dispersum corda commune est. Quare ergo propriam æstimes anxietatem, quam suam per affectum tuum fecere quamplurimi? Tecum, ut de cognata gente taceam, Gothus affligitur; et tu adhuc, quasi solus propriis æstibus subjacens inclinaris? Instruant te, quæso, veterum ornamenta majorum : et a mœroris ad bonam valetudinem intentione restituant. [3] Abraham unicum filium morti quasipius pater, quod majus est, lætus exhibuit, et ad necem filii mucronem genitor misericors præparavit. Tu

C translatum cœlesti judicio, quasi orbatus, inquiris : et quem non obtulisse sacrilegium fuit, hunc oneras fletibus evocatum. In qua causa Davidicum tibi occurrat exemplum, qui feretrum filii ovans, et Deo referens gratias antecessit, quod dignatio superna de venerandi prophetæ semine, quem forte muneraretur, acciverat. Tu si ejus æmulator non prorumpis in gaudium, certe tempera sub aliqua prædicti imitatione mœstitiam. Replicabis forsitan, vix ista ægris animo posse suaderi, et in gravi tribulatione locum non habere consilia : orbatum non respicere quidquid hortatur ad vitam : unicum desolatos habere in evocanda morte subsidium. His addas, quod frugi sobolem, et quo teneram ætatem vinceret, morum modestia perdidisti : allegans juvenem tuum immaturos

D annos, qui peccatis amici sunt, [4] glorioso fine clau-

[1] *Ennodius Armenio consolatoriam*] Ita in antiquis concipitur hic titulus, verbo suppresso. Qui mos illum non infrequens in epistolarum inscriptionibus, in quibus etiam ipsum argumenti genus indicabant. Talis est inscriptio carminis Sidoniani ad Thaliam, quod insertum est epistolæ 11 lib. VIII.

Dilectæ nimis et peculiari
Phœbus commonitorium Thaliæ

Verum in Sidonii vulgatis editionibus hi versus cum reliquis inepte cohærent, cum sejungi debeant, quia titulum faciunt, similem illius apud Gregorium lib. III Dialog., cap. 10 : *Sabinus Domini Jesu Christi servus commonitorium Pado;* et hujus Zosimi papæ : *Zosimus episcopus commonitorium presbyteris et diaconibus qui Ravennæ sunt.*

[2] Lib. de obitu Satyri fratris.

[3] *Abraham unicum*] Iisdem Abrahæ et Davidis exemplis utitur Commodianus antiquus scriptor, cujus meminit Gennadius, lib. II Instructionum, in ea quæ inscribitur Filios non lugendos.

Non pudet infrenem gentiliter plangere natos?
Os laceras, laudis pectus, vestimenta deducis.
Nec metuis Dominum, cujus optas regnum videre?

Et post alia :

Nec dolore duxit pater filium mactandum ad aram,
Dolore nec vates filium duxit defunctum.

[4] *Glorioso fine*] Ob actam pœnitentiam, de qua mox, et in carmine 34, ubi tabula describitur in qua angeli hunc Armenii filium qui pœnitentiam egit Christo offerebant. Nec enim dubitabant quin ad beatam vitam evolarent qui pœnitentiæ sacris expiati excederent. Unde sicut de neophytis recens baptizatis, ita de iis qui post pœnitentiam obibant, hoc sæpe usurpabant, ut iisse aut migrasse ad Dominum

sisse, et in ætatis naufragio ab eo de portu animæ fuisse tractatum. Quibus ego dolorum tuorum fomentis licet mœstus, opponam. Minus peccavit, quod immaturus abruptus est. Junxit ad vitam perpetuam melioris sæculi quod in ista servavit : pœnitentia quam eum egisse loqueris, etiam si in ipso non invenisset quod dilueret, invenerat quod ornaret : quæ quoties innocentibus datur, coronam pro humilitatis affectione conciliat. Ad hæc respondeas : Quo me vertam, frater, qui præter lacrymas in præsenti luce nihil habeo? Adjiciam, Dei proximitatem invenire posse hominem, qui de homine non lætatur. In loco filii succedere posse conscientiam, quæ sanctos ejus hæredes inveniat. Non unam ergo viam, si audire digneris, vita melioris ostendam : licet tua non egeat monitore perfectio; nec magistro opus sit ei quem fecerunt actuum suorum emendationes et honestamenta conspicuum : nisi tantum ut adhortationis quam consilio tuo et prudentiæ debes, fidem diligenter expendas; et ad cœlestium munerum affectum te revoces, unde vitales auras et accipimus et amamus; et gratum nobis sit beneficium, cujus colimus te veneramur auctorem. Ista sunt, quæ brevi sermone dolens magna contexui; ruptam singultibus contestationem pro styli ubertate dirigens, dum muto lamenta colloquiis.

EPISTOLA II.

ENNODIUS [1] SPECIOSÆ.

Silentium meum dolor exigit, qui passus est crescere, dum de vindicta cogitat, dispendia caritatis. Quid enim fieri potuit, nisi ut tacendo vicem restituerem litteras deneganti; ut contemptus circa me, qui per abstinentiam venerandi sermonis innotuit, dum subduco colloquia, pari mucrone feriretur? Dicas forsitam, vindictam inimicam esse proposito. Sed omnia errata ita computo, quasi legis obsequium, in quibus vos esse contingit auctores. Quisquamne culpam putet facere quod fecisti, et plectendum judicio divino censeat, quod a te processisse cognoscat? Æquo ergo animo sustine quod deliqui : dum ea in re præcedis, lux Ecclesiæ, ipsa voluisti. Ego servo animum, quem promisi, ut in universis, si mereor, æmulator existam. Cujus rei fidem, dum tacentibus vobis taceo, et quod et loquentibus loquor ostendit. Ad scriptionis ergo officium, postquam visus sum, me reduxi; qui hactenus intra verecundum penetrale, quæ non amabantur, verba continui; simili in paginis pariturus obsequio. Salve, mi domina, bonæ splendor sine nube conscientiæ, et ad exem-

A plum sanctæ conversationis in longum producere, et mei, si mereor, meminisse dignare : epistolari dans veniam brevitati, quam in angustum arctavit festinatio portitoris.

EPISTOLA III.

ENNODIUS SPECIOSÆ.

Quanto deprimuntur peccatores suorum fasce factorum, quibus ab oculis tollitur quidquid offertur, et ne in oblivionem desideria mittantur, vicinum fit, nec contingi licet, omne quod cupiunt? Ad Ticinensem urbem votivam susceperam necessitatem, et molesti itineris universa transieram; æstimans hoc sacerdotem credere suis imperiis impendi, quod meo militabat affectui : cum subito contra metas votorum summo labore petitus jam de area fructus effugit.
B Proh dolor! qui me de epistolari alloquio ad tragœdiam vocas! Muros venerandæ, post religionis loca, propter te civitatis aspexeram : jam grati parabam verba colloquii, vereor dicere, quod remansit; ne loquendo cogar denuo sustinere transacta. [2] Illustrem virum Erduic quem me tu, Ecclesiæ decus, desiderare feceras, improvisus oculis casus ingessit : ibi comites mei videre, quid peterem, ibi animi mei æstus innotuit, quem ante sub prædictæ claudebam umbra personæ. Nescivi occultare per caritatis tormenta quod volui, nec fucis aliquibus colorare conscientiam. Mœrentem me ad domum reduxit, qui prolixioris itineris causas incidit. Fatigationis meæ, fateor, compendia non amavi. Ecce
C contestationem diligentiæ meæ et mentis asserui. Vestrum est, si vera dixerim, vos interrogate, et animum meum affectionis vestræ æstimatione cognoscere. Domina mihi, saluto et deprecor, ut libens, per præsentium portitorem suggerenda cognoscas.

EPISTOLA IV.

ENNODIUS OLYBRIO.

Nulli dubium est inter prudentes sacræ fidem promissionis impleri, et amicitiam quæ fertilibus est maritata fomitibus, fructum nobilitate gaudere. Ego conscientiam vestram appello jam statutis fidelibus obligatam. Ego tanquam de bonæ arboris reditu, ita de caritate mutua idoneus carpo poma possessor : nulla partium in aucupio discessionis quod fieri voluit neget impletum. Apud Deum votis aut supplicium
D debetur, aut præmium. Ego in me religiosi, in vobis nobilissimi consideratione propositi, ad effectum inter nos concordiæ æstimo pervenisse quæ cœpta sunt : nec adolescentibus gratiæ et in novam lucem erumpentibus frugibus verborum potuit negare commercium;

dicerent. In arca sepulcrali Romæ, JUN. BASSUS V. C. QUI VIXIT ANNIS XLI. MENS. II. IN IPSA PRÆFECTURA URBI NEOFITUS IIT AD DEUM VIII KAL. SEPTEMBR. EUSEBIO ET HYPATIO COSS. Et altera inscriptio Aquis Sextiis : *Heic in pace quiescit Adjutor, qui post acceptam pœnitentiam migravit ad Dominum : vixit annos* LXV. MENS. VII. DIES XV. *Depositus* S. D. VIII. KAL. JANUAR. *Anastasio* V. C. *consule*. Cæterum D. Augustini sententia fuit, ut Possidius in ejus Vita scribit, etiam laudatos Christianos et sacerdotes absque digna et competenti pœnitentia exire de corpore non debere.

[1] *Speciosæ*] Religiosæ feminæ Ticinensi, ut docet proxima epistola : cujus ac sororum mentio epist. 12 : *Sed quæ injunxistis de religiosis feminis Speciosa et germanis ejus, male est animo meo quod implere non potui.*

[2] *Illustrem virum Erduic*] Nomen restitui ex Vaticano, nisi quod in eo *Erdui* tantum detracta littera legebatur. Sed Erduic appellatur, atque inter Gothorum nobilissimos numeratur in panegyrico. Ticinum ergo ab episcopo Mediolanensi ad Erduicum missus Ennodius, gaudebat sibi oblatam occasionem visendæ Speciosæ; sed contra votum accidit, ut Erduicum in via offenderit, priusquam Ticinum esset ingressus, ac domum cum eo spe frustratus redire coactus sit.

cum culpa dignus sit, qui in vicinitate positus noluit primus incipere. In hac ergo parte pudoris volens vitare dispendium, nolo evadere opinionem temerarii, dummodo ad effectum me ostendam pervenisse perfecti. Opportunissimum portitorem sarcina imperiti sermonis oneravi, affectu delinquens, per quem qui peccaverit, et veniam meretur et gratiam. Rogo ergo salutationis effusissimæ debitum solvens, ut si me cordi habetis, de uberrimi ostendatis directione colloquii : quia sicut amoris elocutor et copiosus assertor es, ita nescis alicui blanda sermonum fucatione deludere.

EPISTOLA V.

ENNODIUS [1] LACONIO.

Nunquam inter amantes silentio bene multatur offensa. Gravius inventorem percutit vindictæ novitas, quam errantem. Nefas est pro emendatione culparum culpas adhiberi; dum studio curationis, qui medetur ægrescit. Volui taciturnitatem quam circa me hactenus, mei immemores servastis, imitari. Sed homo levis animorum fortium non potui æquare contemptum. Victus sum naturæ fragilitate, confiteor; et quod vos credo computare inter vitia plus amando styli abstinentiam effusa loquacitate pensavi, et longi dolorem silentii sermonis ubertate composui. Exspectans quidem a vobis prævium munus in litteris : sed nolui mihi ipse, dum diu taceo, negare responsum; æstimans, quod loquendo, formam dare, nisi loquendo, non possem : proinde, domine mi, salutationis debendæ obsequium solvens, perlatorem præsentium ad vos specialiter destinatum solita dignatione suscipite, et sublatum de consuetudine scribendi usum reparate, ne in damnum gratiæ parcitas contingat ista verborum.

EPISTOLA VI.

ENNODIUS [2] POMERIO.

Quousque tantum licebit absentiæ? quousque fama nobilis epistolaribus destituta commerciis veterascet? Nolo evadere opinionem temerarii, dummodo ad notitiam possim pervenire perfecti. Volo esse paginarum prævius destinator, ut Galliarum bona ad Italiam migrent, sine ullo formæ suæ translata dispendio. An forsitan putabas te in quocunque loci delitescere, quem scientiæ lux longe positorum monstrabat aspectui? Et nisi me in laudibus tuis, domestica quid relatio, sed per imperitiam sui pauper angustet, et amplissima meritorum tuorum præconia perlatoris arctet exilitas; utriusque bibliothecæ fibula perfectionis ex gemino latere venientis partes maximas momordisti, procurando ut tali ingenium

A tuum saturitate pinguesceret. Taceo summam cælestis collatam beneficii, et dotibus sine humano adjutorio supernis instructum. Recte enim hoc æstimatur venire de superis quod inter homines nullo constat exemplo. Sed hæc melius secuturis, vita comite, censeo reservanda temporibus : ad illud venio, in quo me sejunctissimus instruxisti. Quantum habui præsentium portitoris sancti Felicis assertio, in epistolis meis sine cura dictatis Romanam æqualitatem, et Latiaris undæ venam alumnus Rhodani perquirebas. Sollicitus, credo, scrutator et diligens, quid lima poliret, invenit, dum per infabricata verba discurreret. Nescimus quia quid qua mente homo legerit. quod hac profert deliberatione sententiam? maxime cum scriptum sit :

B Ipse parens vatum, princeps Heliconis Homerus.
Judicis excepit tela severa notæ [3].

Rogo et si indigenas, et si inter studiorum suorum palæstra versatos fulget Latinitas, mirum dictu, si amat extraneos. Periculum facere de eloquentiæ pompa non debeo, nec præsumo, qualiter quis valeat experiri; cum professionem meam simplici sufficiet studere doctrinæ. Si me tamen quondam studiorum liberalium adhuc nobilitate gaudentem aliquis tali dente tetigisset, parassem vel quod ad excusationem esset idoneum, vel quod non puderet objectum. Nunc vale, mi domine, et circa me ecclesiasticæ magis disciplinæ exerce fautorem. Scribe vel manda, Melchisedech parentes quos habuerit, explanationem
C arcæ, circumcisionis secretum, et quæ propheticis mysteriis includuntur. Ista quæ sunt sæcularium schemata, respuantur, caducis intenta persuasionibus, telæ similia Penelopæ.

EPISTOLA VII.

ENNODIUS [4] FIRMINO.

Exigat licet amor, quod non potest implere perfectio et impetret caritas, ut per loquelæ audaciam quæ ornare poterat, pereat spes tacendi : maxime cum sit dicendi, ut Tullius refert [5], nisi cum necessaria, nimis inepta conditio. Sed inter narrationum vias et itinera aperienda falce doctrinæ, teneri nescius virium consideratione regnat affectus. Imperatoris loco dominatur semel penetrabilibus cordis
D infixa dilectio; credens quod non de verborum pondere vel pompa capiatur, qui de absentis propinqui est salute sollicitus : nec existimat quod nasci possit offensa de gratia : hoc ad lætitiam satis esse conjiciens, si optatam nuntiet epistola sospitatem. Sed

[1] *Laconio*] Lib. III, epist. 16.

[2] *Pomerio*] Arelatensi. Cyprianus in vita S. Cæsarii episcopi : *Erat autem illis admodum familiaris Pomerius quidam professione rhetor, Afer genere; quem ipsis singulariter carum grammaticæ artis doctrina reddebat*. In catalogo seu appendice Gennadii, ubi Pomerii opuscula recensentur, natione Maurus dicitur ac presbyter in Gallia ordinatus. Ennodius Græce Latineque doctum, nec sæcularibus tantum litteris eruditum, sed sacrarum etiam peritum fuisse significat, Rhodanique alumnum vocat, quia Arelate versabatur. Ruricii quoque exstant epistolæ duæ ad Pomerium et ipsum Arelatensem : quandoquidem ad Æonio Arelatensium episcopo petit uti Pomerium ad se venire jubeat, lib. II. epist 8. Sed abbatem appellat, ut quæri jam possit plures ne hoc nomine fuerint, an unus idem, quod mihi facile persuaserim.

[3] Claudianus, epig. ad Alethium.

[4] *Firmino*] Propinquum suum vocat Ennodius. Itaque Arelatensem illum puto quem laudat Cyprianus idem in Cæsario. *Erat tum*, inquit, *in ea urbe Firminus, vir illustris et timens Deum, ejusque propinqua Gregoria clarissima materfamilias : quorum studio, cura et benignitate erga clerum et monachos, erga cives et pauperes urbs illa illustrior reddebatur*.

[5] Lib. I. de Orat.

vos, quos libra peritiæ in eloquii lance pensabit, quibus ubertas linguæ, castigatus sermo, Latiaris ductus quadrata constat elocutio; quæritis nimirum in aliis quod exercetis, quæritis quod amatis : nos ab scholarum gymnasiis sequestrati, arentis ingenii guttis quædam oceani fluenta provocamus, quasi [1] lychnis contra solis radios pugnaturi. Mei macies longe se monstrat studii; et nisi excusetur pietate garrulitas, dispendium proprii pudoris est quod amavi. Vena quidem linguæ a generis fonte trahitur; et fervore genuino solet fetura nobilis incitari. Ego mea sum impar prosapia : me dotibus vestris quasi peregrinum scientiæ plenitudo non tetigit : ego vos tantum laudare magis quam imitari valeo. Et quamvis nondum in me ad florem venerit matura facundia, et pressus onere gratiæ solvendi deserar facultate; committo tamen cymbam tenuem placido mari; quia parum ab ingratitudine differt muta gratulatio. Unde nascitur ut prospera quæ de vobis perlatoris relatione cognovi, inter cœlestia mihi beneficia computentur. Et quamvis deberem reddere sermonis officium : sed quia portitorum negligentia fecit ut directæ a vobis aut retinerentur aut perderentur epistolæ : ego tamen verecundiam meam in statione degentem ad incerta deduxi, et totum me legendum sapori vestro committo. Salve, mi domine, et amantem vestri frequentibus colite muniis litterarum. Circa quæ studia pigrum esse nec diligentem convenit, nec facundum.

EPISTOLA VIII.

ENNODIUS APOLLINARI.

Pro voto militant desideriis propriis necessitates alienæ, dum in gaudium nostrum aliquorum precibus exhibemus obsequium. Quis non pretio propter se quæreret quod alteri sub hac occasione præstatur? Debent mihi nunc perlatores præsentium debita mea, et non solum me ad solutionem non pertrahunt, sed se fatentur obnoxios. Non est incuriæ, quod raro a me scripta prorogantur : similia frequenter, ut nunc reperi, bona subtrahunt. Inveniant ergo hujus beneficii fructum, si me diligitis, portitores. Qui sicut a me ea quæ erant offerenda, exegerunt; ita ad vos, ut opinor, scriptionis commercio optata perducunt. Domine mi, salutationis obsequia restituens, Deum precor ut hæc vobis in bona valetudine porrigantur, et reddatur illico pagina, quæ meam quærat, vestram nuntiet sospitatem.

EPISTOLA IX.

ENNODIUS OLYBRIO.

Vix aliquando mihi ea quæ diu cupita sunt ex sententia successerunt, ut sitim quam ex litterarum vestrarum ardore conceperam, eloquentiæ divitis unda satiaret, et æstus quos exspectatio longa geminaverat, arridentia labiis fluenta restinguerent. Sed cur me ad votorum asseram summam fuisse perductum, cui majus nascitur de impetratione desiderium, dum de sermonum vestrorum flumine pectus ardescit?
A Ostenditur mihi liquido, quam sit rerum nescia mens humana, quæ, dum pretium propriæ ambitionis intelligit, assuescit plus amare ad quod tarde pervenit; et dum abundat in præsentia quo delectetur, magis superest quod requirat. Nunc confiteor, in litteris vestris superforaneam cautionem mei æstimator expavi : ubi dum secundis in altum loquelæ vestræ portarentur vela proventibus, et in obsequio militaret quidquid spirat; remigium vestris dicitis deesse colloquiis. Non est licita, veri diligentia sequestrata quam pingunt verba, formido : remis opus est, quotiens nullo flaminum puppes juvantur impulsu : his non eget, cui secundam navigationem fecit conspiratio devota ventorum. Sol facibus non juvatur; nec lunaris globi claritudinem minorum siderum
B aliquando illustravere collegia. Domine, ut supra, honorem salutati exhibens, precor, ut apud magnitudinem vestram studiorum meorum fructu non caream : postquam vobis quid cuperem non celavi, ut scriptionis operam quam hactenus protulistis, styli frequentia vel ubertate pensetis.

EPISTOLA X.

ENNODIUS FAUSTO.

Meritum meum regnator cœlestis si attenderet, aut exigua bona adipiscerer, aut magna supplicia; et mei idoneus æstimator, quo meritis pervenire non poteram, voto non tenderem. Sed gratias illi, qui delicta nostra sic ne extollamur resecat, ut spem ad latiora perducat. Domini Avieni dictionibus a me
C debentur ista præloquia : qui necdum ad bonam valetudinem reductus, animum meum sollicitudinis catena laxaverat, dum adhuc inter spem et metum anxii vota penderent, naturam respiciens indicavit quo tonaret eloquio. Judicio quidem ista præceperam, et altricem nobilis metalli venam in thesauris quos pepererat agnoscebam. Sed etiam in hoc peccator evenire vix credidi, quod assequi non merebar. Verum dico, teste divina clementia, si sunt aliqui in Liguria, qui de litterarum possunt genio et splendore judicare : vos crediderunt in illa dictione laborasse, quam ætati præjudicans canus jam in puero sensus excoluit. Sed ista magis illis cum lacrymoso gaudio dixi, quos aut effusus sanguis albo curiæ cœlestis ascripsit, aut clara confessio : qui secundis
D confirment primordia nostra successibus. Vos famuli humilitate et obsequio salutans, opto inter quævis, dum istis animum relaxatis, adversariorum mala gaudere. Nihil est enim in quo possimus inimicorum damna sentire. Hoc nobis Deus contulit, quod invidia terrena non subtrahat.

EPISTOLA XI.

ENNODIUS FAUSTO.

Quid faciam, quando rescribenda vos scribitis, et pro bono præscientiæ cœlo vobis obsequente concessæ, quidquid alienum pectus potuit investigare, narratis? Liquet supra hominem esse, duorum sic implere personas. Sed ad illum referantur ista, qui

[1] *Lychnis contra solis radios*] Facilis fuit emendatio pro *lignis* quod in omnibus exemplaribus vitiose legebatur. Apologia pro synodo : *Nescitis stolidi solem facibus non juvari, nec ad præsidium diurnæ lucis lychnos accendi.*

præstitit. Ego tamen remittere me orationem, per quam in umbram antiquus Tullius trudetur, non promisi. Quippe qui acceptum quaternionem sub majori, quam ingenio meo commodabat, celeritate reddideram ; dum fidei serviens, quæ ad profectum poterant pertinere contempsi. Nihil apud me de veneranda tunc dictione remanserat, nisi quod ad fructum, quantum æstimo, bonæ opinionis reposcenti memoria furante subduxeram. Nolo dicere, quale fuerit quod invitus restitui, quale etiam quod amavi : ne manifesto credatis vos alleganda sine sui dispendio prædixisse. Curis meis tamen super hac parte, serenæ lucis meæ domni Avieni miseratio, licet incipientis, tamen jam probata succurrit, quamdam schedulam quæ ipsi remanere potuit, ostrum mihi nobilitatis ingessit : hanc hactenus habui : inde sum et locutus, et sapui. Sed postquam et aliena beneficia jussus sum pendere, perlatore eam sequente destinabo : non eam in me pro peccatis meis intelligens benevolentiam, ut quod externorum muniret ingenia, bene credulus non negarem ; sciens me hominibus, quod impugnat propositum, cautione misceri. Verum dico, illo teste cui nota sunt omnia, a me illas mundi ore celebratas dictiones vestras, quod credo inscitia mea fieri, cuiquam dari nec tormenta compellunt. Domine mi, salutationem reverentiæ vestræ exhibens, contestor quia negligentia judicium meum, nec adulatio impugnat affectum.

EPISTOLA XII.

ENNODIUS ASTYRIO.

Propheticis oraculis sublimitas tua præstat obsequium, et ad fidem veterum sanctionum militat novellis excessibus. Providisti ne segnior admonitio remaneret valetudine substracta neglectui. Scriptum enim est per Dei cultores, quorum aures prudentium debeat doctrina transire, quos falsi sermonis sapore pertrahere; allegans perire monita, quæ in alia constitutis deliberatione præstantur. Ego tamen loco humilis, lingua mendicus, solis antea necessitudinis stimulis verba concessi, et ad contestationem diligentiæ, prioribus litteris exhibui [1] sub sanguinis libertate responsum. Nunc male est animo, quod injuriarum fructu carens, sumpsisti forsitan mentita apud te urbanitate jactantiam : nesciens quod auctorem repetunt tela, quæ indocilis adversus alterum manus emiserit. Quis putet contumeliam, quæ solam conscientiam destinantis affligit? Improborum natura est, hoc sentire de omnibus quod merentur, et in malis solatium nusquam videre innocentiam. Tor-

A menta sunt maculatæ conversationis non sibi credere esse participes. Hæc illa mente descripsi, qua memor propositi odium compellor debere criminibus. Nullum dens meus, nisi de se tetigit confitentem : dum vitia incessimus, reum ira manifestat. Nam injurius sim, si styli loco vomerem sentiam, aut mihi scripta computem, quæ relegens non agnosco. Scit enim Dominus, quia si non nostro nomine notata fuisset epistola, ad quem fuisset directa nescirem. Tibi habe facetias tuas : aut illis reserva cum quibus vobis sine oris officio, per clandestinæ familiaritatis communionem clamor est actuum. Ecce salutationis honorificentiam solvens deprecor, ut in dirigendis epistolis loca, tempora, personas attendas : ne quod ego ad me scriptum non computo, alterum B forsitan lædat. Quia æstimo te hujus epistolæ formulam ad plurimos destinasse, et sola nominum commutatione, eam per singulos sine meritorum consideratione transmittere.

EPISTOLA XIII.

ENNODIUS OLYBRIO.

[2] Ut tradit quædam eloquentiæ persona sublimis, lex est in epistolis negligentia, et auctorem genii artifex se præbet incuria. In quo opere illud subducit gratiæ, quod cruci tuum testis sudor invenerit. Caminis excocta fabrilibus verba non flagitat salutis suæ nuntius, et quæsitor alienæ. Melius si in his commerciis pura elocutionum fronte congredimur : diademata simplex colloquii cultus abjurat : epistolaris communio, si quando affectatum decorem fugit, C obtinuit. Sed magnitudinis vestræ dives et elucubrata narratio mendicis limitibus nescit includi; nec oris thesaurum quibuscumque arctare confiniis : magnorum more fluminum riparum frena contemnit. Non dum compositum velamen occupationis locuples lingua transgreditur, his tantum se studiis militare significat, ad quæ vel occasione perducta est. Et nisi vobis, quietis nostræ testimonia, reipublicæ gubernacula sentiremus fuisse commissa, et rem laboris vestri esse, quidquid ubique disponitur, vel Italiæ curam didicissemus unum pectus ingressam : pene vos sola putaremus paginalis styli cura et assiduitate macerari. Deo debentur hæc munera, qui et amatorem scientiæ sensum contulit, et limam studiorum D ad oris fabricam non negavit. Non sic pernix [3] æther acta nervis arundo proscindit : quemadmodum inventa ingenii vestri sermo describit. Nulla languescit obice, nullis tardatur obstaculis : fit pervia quæcumque se illi difficultas obtulerit : et mirum in modum

[1] *Sub sanguinis libertate*] Quia Ennodius Astyrii consanguineus erat, sive parens, ut scripsit lib. I, epist. 24, cujus libertate offensum illius animum placare hac epistola conatur.

[2] *Ut ait quædam eloquentiæ*] Symmachus. Assentior enim Fr. Jureto, qui alludi censet ad ejus epist. 9, lib. VII, in qua filio de epistolæ stylo præcipit his verbis : *Nam ut in vestitu hominum, cæteroque vitæ cultu, loco ac tempori apta sumuntur : ita ingeniorum varietas in familiaribus scriptis negligentiam quamdam debet imitari; in forensibus vero quatere arma facundiæ*. Eadem est Ciceronis sententia lib. IX, epist. 21 ad Pætum, ubi quotidianis a se verbis epistolas texi solere scribit : quod de suis quoque affirmat Seneca epist. 75 : *Qualis*, inquit, *sermo meus esset, si una sederemus aut ambularemus, illaboratus et facilis, tales esse epistolas meas volo, quæ nihil habeant accersitum, nihil fictum*. Artemo sane apud Demetrium Phalereum eodem modo epistolam, quo dialogum scribi oportere ait; at Demetrius paulo magis quam dialogum elaborandam docet.

[3] *Æther arundo proscindit*] Non *æthera*. Sic enim solet interdum Ennodius, ut *æther vacuum* lib. VII, epist. 38, et pro synodo, *Videbant æther tantum directis a se jaculis verberari*.

per allegantis peritiam mutatur natura causarum : hoc facis in merito negotium habuisse, quod cupias; veritas est, quodcunque pro veritate narratis. Hinc cautis judicibus non licet repugnare : minutissimi discussores opinionis lucrum æstimant, si sequantur quo pertrahit oratio imperiosa captivos. Huic ergo linguæ, his opibus reverentiam, fateor, ad quam primus cucurri, debeo singularem. Et opto esse plurima, quæ mihi ad caritatis fibulam agenda mandentur. Sed quæ injunxistis de religiosis feminis, Speciosa et germanis ejus, male est animo quod implere non potui. Nihil enim nunc mihi cum illis residuum est familiaritatis aut pignoris; maxime quia in disjunctis civitatibus degunt. Ad quas tamen missas ad me litteras mox direxi; quæ responsum usque ad illa quibus se viderent, tempora protulerunt. Ego, ne magnitudinem vestram suspensam tenerem, scripta prorogavi : mox ad vos perveniet, si quid mandaverint, quod libeat indicari. Nunc honorificentiam salutationis impertiens, rogo, ut mihi magis cum Ecclesia sublimititas vestra si quæ sunt agenda, committat : quia puto me in affinium vestrarum causa, vel matronæ, amici circa vos diligentiam pectoris non celasse.

EPISTOLA XIV.

[1] AFRIS.

Lucrum forsitan putaret inimicus, si inter pericula quæ Christianis indixit, credentium animos subegisset, et per diversa Domini grege disperso, non superesset vel inter paucos, a quibus possit fide perseverante calcari. Regnat adhuc ille in numero vestro, qui sibi non tam in multitudine, quam in devotione complacuit. Scriptum enim est, datam Satanæ potestatem, ut servos Christi cribraret : ut quod de tritico inveniri posset, horreis jungeretur; quod de paleis, ad ignium alimenta transiret. Ad vos specialiter dictum est: *Nolite timere, pusillus grex : complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (*Luc.* XII, 32). Venit inter vos gladius perfidorum, qui marcida Ecclesiæ membra resecaret, et ad cœlestem gloriam sana perduceret. Quod habeat Christus milites, certamen ostendit : qui triumphum mereantur, per bella cognoscitur. Nolite metuere, quod pontificalis a vobis apicis infulas abstulerunt. Vobiscum est sacerdos ille, vel hostia, qui non tam honoribus consuevit gaudere, quam mentibus. Majora sunt confessionis præmia, quam nominatæ munera dignitatis. Ad illa plerumque etiam minoris meriti personas favor humanus adducit : ista nisi gratia superna non tribuit. Ipse enim in vobis et pugnavit et vicit, quem fides meretur et inter hominum tormenta sociari.

A Prolixis non est opus fervorem in vobis cœlestem animare colloquiis. Habet incrementa sua divinæ virtutis incendium. Nec opus est eos in tropæo jam positos attolli laudibus, qui sine monitore vicerunt. Gravat conscientiam Christiani quidquid afferunt blandimenta præconii. Res quidem virtutis est, quam fecistis : sed summi præmii restitutione superanda. Quod tamen directis ad filium nostrum [2] H. diaconum litteris sperastis, beatorum martyrum Nazarii et Romani benedictionem poscentes, fidelibus non negamus. Accipite veneranda patrocinia invictorum militum : et quia vestram jam fidem in præliis imperator agnovit, feliciter confessionis munera consummate. Dabit Deus, cum ipsi placuerit, reducem Ecclesiis quietem :
B ut mœrorem quem indixit adversitas, pacis dulcedine consoletur.

EPISTOLA XV.

ENNODIUS [3] EUPREPIÆ.

Cœlestis dispensatione mysterii, uno tempore mihi sororis Lupicino refusus est matris affectus, et geminæ copula necessitudinis peregrinantem recipere meruit post intervalla pietatem. Revixisti apud nos post dilectionis quem procuraveras obitum, beneficio litterarum : vidimus amorem quasi de quadam sepultura surgentem. Inauspicato nobis incolumitatis vestræ nuntius accessit auditu, quam credebamus per contemptum nostrum viventem busta complesse. Credimus te dura perpessam : sed confitemur irrogasse durissima. Quod sustinuistis, com-
C mune cum bonis est : cum crudelibus, quod fecisti. Ubinam gentium materna hactenus cura delituit? ubi quod fratri debebatur, erravit? ad longiora animus tuus quam corpus abscesserat. Si te ad ultima terrarum confinia peregrinationi socia dispulisset adversitas, illuc sequi debuit germanæ fides, et sollicitudo genitricis. Sed in occasu solis cui proxima fuisse narraris, frigidum pii amoris pectus habuisti. Imitata fuisses ætherei sideris circa debitam diligentiam defectum feliciter renascentem, et feriatum a gratia non perpetuo animum gessisses. Suscepisti mentem provincialium, quos adisti : mutasti regionem, et propositum pietatis abdicasti. Nam abjurans Italiæ communionem, non solum circa amicos, sed etiam circa interna pignora repulisti. Postremo ani-
D mæ tibi mutatio accessit commutatione telluris. Quam timeo quod longis incuriam tuam incesso colloquiis! quid offensa faciet, quæ illæsa contempsit? Dedisti justum dolorem studiis non amantis : quæ te innocentem faciant, causas ingessi. Sed exprobratio ista, si per se respicitur, aspera est; si origo ejus inquiritur, omni dulcedinis melle condita. Gra-

[1] *Afris*] Exsulibus episcopis Africæ, quos Trasamundus rex Vandalorum fidei causa in Sardiniam relegarat, numero 220. His quotidiana subsidia ministrare solitum Symmachum papam auctor est Paulus diaconus Historiæ Miscellæ lib. XV. Nunc illos hac epistola consolatur, et sacras martyrum reliquias mittit, quas postularant. Scripta enim est ab Ennodio quidem, sed pro Symmacho : cujus etiam nomine inter alias ejus epistolas legitur in antiquis collectionibus.

[2]. *H. diaconum*] Hormisdam, opinor, qui diaconus erat Ecclesiæ Romanæ : qui de Ennodio interpretantur, ut cœtera omittam, a monogrammo discedunt.

[3] *Euprepiæ*] Sorori suæ, matri Lupicini : quæ tum in provincia Narbonensi, patrito nimirum solo, peregrinabatur, id est Arelate, ut docebit epist. 7, lib. VII. Ad Euprepiam sunt epistolæ complures : de Lupicino autem aget tum aliis sæpe locis, tum maxime Dictione 2 Scholastica.

viter fert circa caritatem negligentiam, qui parentis silentium liber accusat. Poteris errata corrigere, si præsentia non vales, scriptione multiplici. Salutis ergo gratiam præsentans, quæso, ut mei memineris, qui preces tuas circa communem filium et vota præcessi. Ante enim quid debuissem consideravi, quam quid velles agnoscerem. Tu Deum religione placa, et precum circa nos assiduitate compone : qui intentionem meam in ejus profectum et cordis secreta respiciat, ut quod ego labore polliceor, ille præstet auxilio.

EPISTOLA XVI.

ENNODIUS FAUSTO.

Par quidem fuerat sublimi viro Pamfronio commeante ministerium paginæ ad vivi sermonis officia transferri : nec illum epistolari fasce onerari, quem non tam verba mea contigit nosse, quam studia. Sed ejus in his officiis manus dantur imperio. Postulat adjutricem paginam latentium scrutator animorum : et ideo ne quid apud eum nostri deesse contingat obsequii, scripta concessi, et si commendationi non necessaria, præceptis ejus accommoda. Quibus enim sermonibus prosequendus est, cui totum magnitudinis vestræ licet sperare de gratia? Ita eveniet, ut angustiora sint supplicantis verba, quam merita perlatoris. Quid enim præstes juvaminis illi, pro quo quantumvis poposceris, plus meretur! Ergo ad styli exercitium junguntur hæc, non ad beneficium commeantis. Juvat animum sub quavis occasione vestri meminisse, licet nominato scriptione nihil tribuam. Ecce tamen quia jussus sum, illa quæ præstantur extraneis, insinuationis dicta subjungo. Juvate vos peculiariter expetentem, fiduciam ejus dignatione roborantes : quidquid spe præcipit, inveniat : ut si meritorum suorum angustus æstimator est, ad me referat quidquid fuerit consecutus. Obsequium salutationis impendens supplico, ut crebris me relevandum ducatis affatibus; cui inter mœroris sarcinas nullum, præter oris vestri solatia, potest esse subsidium.

EPISTOLA XVII.

ENNODIUS [1] CONSTANTIO.

Nemo peritiam pomposa elocutione condemnat; nec spernendum cum pudore dicit esse quod sequitur. Sui impugnator est, quisquis elucubratis sermonibus linguæ cultum prædicat abjurari. Ego tamen in epistolis magnitudinis vestræ diligentiam semper, non verba pensavi : nec adjutricem malitiæ facundiam majus pretium habere censui quam simplicitatem, quæ infucata fronte secretum mentis enuntiat. Hoc in sanctis hominibus et amavi semper et colui. Ago nunc atque habeo gratias, quod parvitatem A meam litterarii sermonis visitatis affatu : et inter occupationes et excubias quibus universos Ravenna distringit, mei cura non ponitur. Reddo ergo effusissimæ salutationis officia, sperans ut præsentiam meam apud dominos meos amantis vestri, pro dignatione qua credentem fovetis, faciatis optabilem.

EPISTOLA XVIII.

ENNODIUS JOANNI.

Probabiles causas habeo, quibus unanimitatem vestram styli mei morsu, quamvis rubigine sordentis, incessam : quas, cum sis abundans naturæ bonis et ingenii facultatibus locuples, purgare non possis. Ego unquam credidi ad alium reditus vestri citius indicia posse perferri? Ego curam mei inter quasvis B occupationes, illud amicis censui consecratum pectus excedere? Ecce ante oculos meos redduntur aliis paginæ, et amica exspectatio sub omni credulitatis meæ despectione frustratur. Nolo litteras majori objurgationis felle complere. Sufficit tristibus stricta narratio. In eo adhuc animus meus, quod magnitudinem tuam discedentem monuit, persistit statu : vestrum est, si temporum mala contemnitis, promissam servare concordiam. Salve, mi domine, et amantem tui releva communione sermonis, ut scribendo deleas dolorem, quem vides amico per scriptionis abstinentiam contigisse.

EPISTOLA XIX.

ENNODIUS CONSTANTIO.

C Abundo gaudio, nec clauda lætitiæ meæ fides est, ideo aliqua per diabolicam inspirationem nasci certamina, ut tu, qui te ultra emendationem omnium protulisti, triumphi honore gratuleris. Non est, ut video, effeta Liguria : nobilitatem pariendi nec in temporum extremitate deposuit. Inimicum vitiis adhuc et in cineribus nutrit incendium : in cujus favillis ultrix criminum flamma non moritur, nec hostis errorum ignis operitur. Quam timui ne velut exhausta cessaret, dum epistolæ vestræ frontem alienis fuscatam præstigiis sollicitus trutinator aspicerem! more parentis attoniti, qui cum carum pignus ad bella transmittit, nec de explorata esse patitur virtute securus. Ad incrementa sollicitudinum triumphos filii numerat, non quietis : plus expertæ metuit D felicitati, cui formidinem ministrat affectio : quia ignara cautionis est mens instituta victoriis : et in acie amor laudis salutis oblivio; tropæi gustus abdicari imperat lucis affectum. Sapor vitæ illos tantum possidet, qui de conflictibus venientia bona nulla didicerunt : semper ad gloriam jungitur, quod de incolumitatis propriæ cura decesserit. Sed mihi in præsentiarum supersedendum est hujusmodi scri-

[1] *Constantio*] Virum illustrem appellat lib. IV, epist. 13. Et patria Mediolanum, et eloquentiæ pietatisque laus quæ Constantio huic tribuitur, epitaphii admonent Constantii togati Mediolanensis, quod non abhorret ab ævo, nec a stylo Ennodiano. Quare hoc loco subjiciam, ut legitur in monimentis sacris veterum inscriptionum.

Igenii legumque potens Constantius atra
Mortis sorte jacens conditur his tumulis.
Hinc gemat hunc probitas, tristis suspiret honestas],
Et comitis funus plangat amica fides.
Quis per bella fori totiens de jure triumphum
Rettulit, sævos perculit ore reos?
Ornavit proprio semper fulgore togatus
Eloquio mores, moribus eloquium.
Non multum mors dira noces in funere justi :
Nil tua tela gravant : possidet astra pius.

ptione. Non sunt militis nostri plus prædicanda, quam asserenda certamina. Ubi jaculis opus est, verba nil conferunt. Licet promulgasse meam sententiam fuerit, dum vestram prædico, et hoc sit respondere, quod responsa laudare : Dei tamen opem precatus, obsecutura fidei verba subjungo; ad illum convertens styli mei cultum, qui quotiens scribenda est infelix curvis terra vomeribus, se famulis suis germina collaturum promittit esse, quæ jaciant, dicendo : *Ne cogitetis quid loquamini : Pater enim vester est, qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20). Ipse ergo ad faciendam promissi veritatem veniat : ipse oris mei labantem confirmet infantiam, ut allucinationis nostræ concinnatio inhumana videatur. Sed quid diu replicanda circumloquor? unum rogo ut pro modulo meo rescripta taxentur : nec putetur aut legi aut defensioni deesse, quod nescio. Ergo, ut scriptione testamini, inventus est homo, qui servos Christi, quemadmodum ipse promisit esse faciendum, sub hac occasione cribraret, afferens de [1] arbitrii libertate homini in una tantum parte quæ deterior est, eligendi datam esse licentiam? O schismaticam propositionem, quæ juxta Apocalypsin scriptas habet in fronte blasphemias (*Apoc.* xvii, 5)! Quæ ista libertas est, si valet, edisserat, ubi hoc datur solum velle, quod puniat; aut quare electionem nominet, ubi unam tantum partem asserit fuisse concessam? Quod si veritate subsisteret, locum divina judicia non haberent. Quid enim boni a nobis Deus noster recte quæreret, qui appetentiam ejus de voluntate subtraxerat? Sed juxta Apostolum, *Nunquid iniquus Deus? absit* (*Gal.* ii, 17). Inter homines a recti discordat affectu, qui a subjectis exigit, quod in potestate non tribuit : hoc de Deo qua conscientia sentiatur, advertite. Ubi est illud Apostoli clamantis, et pro arbitrii libertate testantis, *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio* (*Rom.* vii, 18)? quid est aliud, nisi dicere, Novi dextrum iter eligere; sed nisi ingredientem juverit gratia superna, lassabor? Nemo dubitat, nemo condemnat, quod auctore gratiæ præstante et ipse æquitatis hominibus callis aperitur. Dux enim bonorum et præcessor est gratia, quando cœlitus multiplici ad requiem invitamur hortatu : quando nobis dicitur : *Venite, filii, audite me* (*Psal.* xxxiii, 11); *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (*Matth.* xxv, 31); *Ubi ego sum, ibi erit et minister meus* (*Joan.* xii, 26). Sed nisi talibus moniti, et voluntas nostra quæ libera est, et

A labor præstet obsequium, ad periculum et gehennam non imperio aliquo, sed sponte devolvimur. Itaque aut præmium devotio, aut pœnam contemptus operatur. Alioquin non erit justa retributio, quæ aut per supplicia refertur necessitate peccantibus, aut bonam mercedem offert operi, ad quod trahuntur inviti. Ergo debemus gratiæ quod vocamur : debemus gratiæ, quod occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur : nostræ tamen electionis est, quod beneficia demonstrata sectamur. Via enim scelerum non imperatrix nostra esse legitur sed famula, cum de peccatis dicitur : *Sub te erit appetitus eorum* (*Gen.* iv, 7). Quid enim sibi vult universa prophetæ, quasi sertis redimita elocutio : *Noli æmulari inter malignantes* (*Psal.* xxxvi, 1); *Nolite confidere in principibus* (*Psal.* cxlv, 3);
B *Nolite fieri sicut equus et mulus* (*Psal.* xxxi, 9); et Apostolus : *Nolite fieri servi hominum* (*I Cor.* vii, 23)? Toties *Noli* in superna admonitione, quo respicit, si aliud velle non licuit? Deinde quamvis in persona Christi, tamen pro arbitrii astipulatur ejusdem prophetæ nobis libertate testimonium : *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui* (*Psal.* xxxix, 9), Et alibi : *Voluntarie sacrificabo tibi.* Et : *Vota mea Domino reddam.* Et iterum : *Vovete et reddite.* Illud autem beati Apostoli quo se muniri credit, exemplum, nobiscum facit, si quæ sequuntur advertat. cum inimicus arrogantiæ dixit : *Gratia Dei sum, quod sum* (*I Cor.* xv, 10). Mox enim, ne sic fugax
C gloriæ crederetur, ut longo intervallo a veritate descisceret, sapiens architectus adjunxit : *Abundantius omnibus laboravi, et gratia Dei in me egena non fuit* (*Ibid.*)., quod dixisse est : Christus in me, quem digne aut abundanter muneraretur, invenit. Non enim pauper est divina gratia : sed meritorum nostrorum putatur quadam macie aut exilitate tenuari. Quæ tunc non suis æstimatur meatibus fluere, quando de ejus cursibus ariditatis nostræ vena nil recipit. O si epistolaris pateretur angustia sacrorum voluminum arcana reserari! Sed timeo ne qui nullam poterit, Deo inspirante, in fide nostra invenire calumniam, de paginæ prolixitate causetur. Quid illud, qua mente suscipit : *Ecce aquam et ignem, ad quodvis porrige manum* (*Eccli.* xv, 17)? quid alia quæ co-
D piosus assertor ipse replicasti? Credo more aspidis clausa, ut aiunt, aure transivit. Video quo se toxica Libycæ pestis extendant : arenosus coluber non hæc sola habet perniciosa, quæ reserat : ad æstimatio-

[1] *De arbitrii libertate*] Tacito nomine quemdam refellit, qui liberum arbitrium, quod ut lib. de Correptione et Gratia docet D. Augustinus, et ad malum et ad bonum faciendum confitendum est nos habere, deteriorem tantum in partem datum affirmabat. Quam hæresin cum aptissime redarguat Ennodius, revincaturque ab universa schola theologorum, tum veterum, tum recentiorum, qui de libero arbitrio disserunt, mihi satis est Græca Irenæi verba e lib. iv, cap. 72, quæ Ennodianis argumentis favent, et vulgo obvia non sunt, in medium proponere. Εἰ φύσει οἱ μὲν φαῦλοι, οἱ δὲ ἀγαθοὶ γέγόνασι, οὐθ' οὗτοι ἐπαινετοὶ, ὄντες ἀγαθοί· τοιοῦτοι γάρ κανεσκευάσθησαν· οὔτ' ἐκεῖνοι μεμπτοὶ, οὕτως γεγονότες. Ἀλλ' ἐπειδὴ οἱ πάντες τῆς αὐτῆς εἰσι φύσεως, δυνάμενοίτε κατασχεῖν καὶ πρᾶξαι τὸ ἀγαθὸν, καὶ δυνάμενοι πάλιν ἀποβαλεῖν αὐτὸ, καὶ μὴ ποιῆσαι, δικαίως καὶ παρ' ἀνθρώποις τοῖς εὐνομουμένοις, καὶ πολυ πρότερον παρὰ Θεῷ οἱ μὲν ἐπαινοῦνται, καὶ ἀξίας τυγχάνουσι μαρτυρίας τῆς τοῦ καλοῦ καθόλου ἐκλογῆς καὶ ἐπιμονῆς, οἱ δὲ καταιτιῶνται, καὶ ἀξίας τυγχάνουσι ζημίας τῆς τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἀποβολῆς Καὶ διὰ τοῦτο οἱ προφῆται παρήνουν τοῖς ἀνθρώποις δικαίοπραγεῖν, καὶ τὸ ἀγαθὸν ἐξεργάζεσθαι, ὡς ἐφ' ἡμῖν ὄντος τοῦ τοιούτου καὶ διὰ τὴν πολλὴν ἀμέλειαν εἰς λήθην ἐκπεπτωκότων, καὶ γνώμης δεομένων ἀγαθῆς, ἣν ὁ ἀγάθὸς Θεὸς παρέσχε γινώσκειν διὰ τῶν προφητῶν. Ταῦτα γὰρ πάντα το αὐτεξούσιον ἐπιδείκνυσι τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τὸ συμβουλευτικὸν τοῦ Θεοῦ ἀποτρέποντος μὲν τοῦ ἀπειθεῖν αὐτῷ, ἀλλὰ μὴ βιαζομένου.

nem occultorum facinorum ferenda sunt quæ fatetur. Vult enim ad illud pertingere. Neminem suo vitio aut negligentia perire, si homo utriusque rei boni et mali per potestatem concessa electione privatur. Hos tantum jactat potuisse salvari sine labore ullo, sine mandatorum amicitia, quos peregrinantes a merito favor tantum cœlestis eripuit. Proinde, quod in ipsum referatur, illos periisse intelligit, quos gratia noluit divina liberare. Tu mi domine, salve dicto, fac apud te ut sies : et si sanari mancipium mortis non potest, a contentione desiste : ne cum te fidei radice fultus valida niteris, ille sub occasione hujus controversiæ, ante editionis tempus, divini seminis ab aliquorum utero partus excutiat.

EPISTOLA XX.

ENNODIUS CONSTANTIO.

Dabis veniam quod celer rescripsi, qui ætati adhuc debeo indocilem festinationem. Vos maturitas et pondus decet. Proinde credentem fovete, et nugas meas a publico rigore subducite : quia si pagina nostra [1] res crepera atque anceps est, jussionis vestræ se tuetur patrocinio, ab hoc quod nemo imperata fastidit. Vale ergo dicens, legenda commendo : fiet etenim ut posthac bene accepti ad parendum delenificæ obedientiæ stimulis incitemur.

EPISTOLA XXI.

ENNODIUS [2] ALBINO.

Quater ad magnitudinem vestram scripta prorogavi, et adhuc tanquam deses accusor : lingua militavit affectui, assiduitas diligentiam non meretur. Credo portitoris aut negligentia aut invidia, ad hanc me offensam fuisse perductum. Ecce tamen scripta multiplico, et pro voto vestro prosperitatis meæ indicia faciens, de vestra cupio felicitate gaudere. Salve, mi domine, et amantem vestri sub omni dignatione relevate : quia Deo proximam rem facitis, patrocinio vestro credentem plena fide et communione relevare.

EPISTOLA XXII.

ENNODIUS FAUSTO.

Supervacuis ad beneficia laborat impendiis, qui solem certat facibus adjuvare : gratiæ plenitudo adjectione non indiget : nec ulla requirit commendationis augmenta, quem ad amicitiarum cumulum merita pertulerunt. Illustrem et patricium virum Albinum parentem vestrum styli mei cura prosequitur : cui per paginam non impendo necessaria, sed votiva : et quamvis utilitati ejus nihil adjiciam, amorem tamen mereor, quod prædicti jussa complevi. Venerabili ergo domino salutationis obsequium impertiens, precor, ut circa diligentiam suam prædictus vir magnificus recipiat, quod mihi, dum vos colit, exhibuit. Novi enim cito amplissimum virum ad cordis vestri esse penetralia perducendum, quem innocens propositum suis erit apud vos dotibus adjuturum.

EPISTOLA XXIII.

DOMNO SUO FAUSTO ENNODIUS DIACONUS.

Sine dispendio tutelæ orbantur, quos ad vos pertinere contigerit : non desunt illis paterna subsidia, quos fovetis. Lupicinum [3] Euprepiæ nostræ filium loquor : ad ipsum pertinet præfata generalitas : de cujus substantia sublimis vir, venerator vester [4] comes Tancila dixit mihi, a [5] domno nostro rege, quod referri grave sit, impetratum. Nam universas matris ejus facultatulas a Torisa, vel aliis asserit fuisse competitas. Aliud quod infelicitati pupilli potuissem præstare, non habui, nisi ut vestram notitiam instruerem, et veri fungerer relatoris officio. Vestrum est, inspirante Deo, circa miserum providere quod adjuvet : ad me respexit, quæ mihi resignata sunt, indicare. Domini vere mei salutationis obsequia præsentans, de clementia divina postulo, ut laborem vestrum juvamen cœleste comitetur.

EPISTOLA XXIV.

DOMNO SUO FAUSTO ENNODIUS DIACONUS.

Dispendium credo esse diligentiæ, nullas commeantium manus litterarum dote munerari, quæ solent lectione etiam vultus ad longinqua portare, et carorum imagines officio præsentare sermonis. Ad ista jungitur etiam bene de utriusque merentis sublimissimi Luminosi portitoris occasio, qui ad religionem meritorum vestrorum suæ quoque gratiæ fructus adjungit. Quis geminus patiatur ut sub quacunque negligentia haberetur affectus, si a paginis temperem, quas dignatio vestra exegit, et si illas nominatus non accipiat perferendas? Deo gratias, quod in fronte epistolæ locandum fuit, quia felicitas vestra votivis erigitur aucta successibus; quod tumida inimicorum cervix Christo Deo non gravata succumbit. Spe præceperam quod affectus ostendit. Bene enim sententiæ cœlestis finem prænoscit, qui novit qualitatem ejus de actuum humanorum serenitate colligere. Vale ergo longum, mi domine, et amantem vestri

[1] *Res crepera atque anceps*] Symmachus epist. 1 : *Ita res crepera atque anceps dubium me habet.* Vox antiqua, pro dubio et incerto. Itaque Martianus Capella lib. I opponit perspicuo. *Ne tu,* inquit, *desipis, admodumque perspicui operis* ἐγειρομνημεῖον, *noscens creperum sapis*; *nec liquet Hymenæo præsultante dispositas nuptias resultare.* Inde et crepusculum dictum volunt, quia in lucis noctisque confinio. Symmachus idem epist. 7 Ausonio : *Prius quam manifestus dies creperum absolveret.*

[2] *Albino*] V. I. patricio, quod docet non solum proxima epistola Ennodii, verum etiam epistolæ aliquot Theodorici apud Cassiodorum. Item consulari. Nam consul fuerat anno 493 hoc est triennio post Faustum. Itaque Albinum consularem vocat Boetius lib. I de Consolatione, de accusatione agens, qua majestatis apud Theodoricum falso delatus est. Sed ex Ennodii verbis hoc præterea discimus, Albinum Fausti parentem, hoc est propinquum et consanguineum fuisse.

[3] *Euprepiæ nostræ*] Sororis Ennodii. Supra epist. 15, et lib. III, epist. 15 ac 28 et aliis.

[4] *Comes Tancila*] Locus antea mire depravatus. Tancilæ nomen restitui ex libris antiquis, et ex Cassiodoro : is enim est Tancila, vir spectabilis, ad quem de perquirenda ænea statua quæ e Comensi civitate furto sublata fuerat, scribit Theodoricus lib. II Variar., epist. 35.

[5] *Domno nostro rege*] Theodorico : atque ita perpetuo, cum aut regem nominat, aut rerum dominum.

styli usu relevate; ut quidquid subtrahunt intervalla terrarum, tabellaria compenset oblatio.

EPISTOLA XXV.

[1] FAUSTO QUÆSTORI ENNODIUS DIACONUS.

Pro cœlesti dispositione reditus mei indicia fieri nullo magis quam amico Ravennam properante convenit: cujus fidelis relatio etiam pagina cessante suffecerat. Sed usu abstinere non potui: quo si sub quocunque neglectu temperem, videor damnasse styli frequentiam quam amavi. Jungitur, quod prædicto obvias in negatione manus exhibere non potui, qui scit ab amantibus sui securus exigere, quod eis pro religione conscientiæ novit fideliter exhibere. [2] Ravennam ergo digressus, quæ quidquid in præsenti vita habeo dulce complectitur, Mediolanum
B salva corporis valetudine, Christo prosequente, perveni; male ferens quam in redeundo, hieme impellente, optavi forsitan contra desideria celeritatem. Sed ad Deum cuncta referenda sunt, cui adjacet humana facta componere, et diligentiam corporalem æterni amoris sapore mutare. Nunc ad scriptionis causam dicta humili salutatione et commendatione me confero perlatoris: qui si pro mentis vestræ serenitate gratuletur beneficiis, agnoscit se aut recepisse quod vestris præstitit, aut qualiter amare debeat, incitari. Quem si vel nolit, festinum redire compellite: quia et affectui meo præsentia ejus est neccessaria; et si Deus promissionem statuerit, cum ipse jusserit, utilitati exspectatur accommoda.

EPISTOLA XXVI.

ENNODIUS [3] LIBERIO.

Aut alitur, aut sustentatur scriptione diligentia: ministra affectionis est epistolaris confabulatio: muta caritas simulacrum repræsentat ingrati: depretiat genium suum, quæ in vocem non prorumpit, amicitia. Bene secretum pectoris reseratur clave sermonis: dignationem vestram jam patior. Hæc pro ingenii viribus paginalis commercii libamenta dedicavi, per quæ usurpo vindicare mihi meritum plus amantis. Nemo enim taciturnitatis repagulo ora porrigit, quam decisi fœderis memorem proditor mentis loquela non deserit. Principem ergo locum in litteraria communione possideo, et majori cultura dignus sum, qui prior quid gestirem, patefeci linguæ testimonio. Ecce religionem dirigendæ paginæ sine nube disse-
A rui. Vestrum est in me fovere quod recepistis; ne judicia culminis vestri, me jacente, patiantur examen. Exponit enim censuræ sententiam suam quisquis quod elegit non tuetur. Domine mi, salutationis reverentiam pleno dependens obsequio, Deum rogo, ut beneficiorum circa vos suorum incrementa multiplicet: quia solus census est meorum plenissime commodorum, qui celsitudinem vestram ad fastigia quæ debentur extulerit.

EPISTOLA

[4] HONORATO ENNODIUS.

In vicinitate vos degere moderna scriptione signastis, jungentes ad dispendia gaudiorum, statum vestræ valetudinis imminutum. Non nego, sic mereor, ut semper mihi cum dulcibus amara socientur. Hactenus vos Ravennatibus occupatos excubiis adversa tenuerunt. Unde quia laxari contigit, corporis in vobis est labefactata substantia, ne in totum liceret optata promereri. Quam dura est humanarum rerum conditio, quæ quotiens desideriis aliquo sopore responderit, mox et in foribus concessa permutat. Expavi tamen calumniam, quam oratoria et nimis Dædala provisione litteris indidisti, ut injuncta pro utilitate tua nolle me credas, si efficere non potuisse signavero. O artificis ingenii secretum, quod plus commoditati prospicit, quam de amore confidat! Deus testis est me tibi non negaturum esse quod valeo. Tu Deum roga, ut actionem meam infelicium, quas diligit, litterarum non patiatur calamitatibus impediri. Nihil
C enim est, quod magis pro obice metuam actionis impositæ, quam illud quod novi, accipere scholasticum nil mereri. Confer magis ingenium tuum ad squalentia jura: per quæ quidquid scabrida poposcit lingua, mox meruit; aut si non meruit, mox avulsit. Domine, salutationis gratiam solvens spero, ut effusis laborem meum precibus juves: quia cum non habeam docti aut eruditi meritum, sæpe in causis sustineo facta perfecti.

EPISTOLA XXVIII.

[5] AVIENO ENNODIUS.

Deo gratias, quod principis loco ponendum est qui magnitudinem tuam, quæ a me erant offerenda, fecit exigere. Dedisti pretium garrulitati, quam vix hactenus intra verecundum penetrale continui: eliciti utor styli genio, quem duriter ad importuna scri-
D ptione revocavi: meritum coactæ vocis inusitata lo-

[1] *Fausto quæstori*] Summas omnes dignitates Faustus ordine consecutus est. Nam magister officiorum ante aliquot annos fuerat, Albino consule; in eoque honore legatus a Theodorico rege missus ad Anastasium Aug., ut constat ex Gelasii papæ commonitorio ad Faustum magistrum legationis officio Constantinopoli fungentem. Nunc quæstura sacri palatii fungitur. Post hanc præfecturæ prætorianæ cingulum adeptus est. Epigram. 142 et lib. IX. epist. 18 ad Stephaniam Fausti sororem: *Nempe illius domni Fausti germana es, in cujus præfectura quod monachos instituat invenitur:* et passim in Variis Cassiodori: etsi in his vitiose ubique *Fausto præposito* scriptum est, pro *præfecto prætorio*. Denique patriciatu ornatus est: cujus testis Ennodius ad Agapitum lib. V, epist. 26. Ante omnia autem consulatum jam grandior gesserat, ut dictum est ad epist. 5, lib. I.

[2] In edit. Schotti, *Ravenna*.

[3] *Liberio*] De quo ad epist. 1. lib.

[4] *Honorato*] Fratri Decorati, cui etiam novo exemplo in quæsturæ honore successit, ut est apud Cassiodorum lib. V, epist. 3 et 4, verum hæc postea. Nunc excubiis Ravennatibus, hoc est alio quodam aulico munere nuper defunctus erat.

[5] *Avieno*] Multa sunt in hac epistola quæ ostendunt alium esse hunc Avienum a Fausti filio, de cujus consulatu actum est lib. 1. epist. 5. Et tamen hunc etiam consulem appellat. Quo adducor ut credam ex duobus Avienis, quorum unus anno Christi 501 consul fuit, collega Pompeio; alter anno 502 cum Probo; priorem Fausti filium fuisse, posteriorem hunc alterum de quo hic sermo, qui Avienus junior in Fastis aliisque monimentis dicitur, non ætate, sed ordine consulatus.

quacitate possideo. Nam postquam me jussisti paginas destinare, animo meo, quod tacueram, commendasti. Euge, frons diu prodiga : aliquando mihi contigit ad affectionis copiam sine tui dispendio pervenire. Discamus non odisse quod adjuvat. Silentii gratia fecit, ut te libera jam loquamur : exspectantur a nobis sæpe fastidita colloquia. Non ibo longius : asseritur, ut video, linguæ officium raritate sermonum. In qua parte non clauda lætitiæ meæ fides est : sententia nostra veri astipulatione fulcitur. Ecce ille qui doctorum epistolas grandi dotatas messe colloquii summis labiis vix libabat, tabellæ nostræ culmos non dedigna- A tur accipere. Gemina, pudor, mihi hilaritate profuisti : cum tu in statione certus es, et cum frequenter contempti desiderantur affatus, facta est ecce melior ejus sententia quem amamus. Nobis ergo verecundia, consuli nostro emendatione prospeximus. Sed ne in longum procedat pagina transcendens terminos præfinitos, et loquendo multa, quod tacuimus, demonstremus non fuisse consilii ; vale, mi domine, et amantes tui hac communione dignare : quia præcelsi honorum tuorum apices hæc sola recipiunt argumenta, quæ de humilitate nascuntur.

LIBER TERTIUS.

EPISTOLA PRIMA.

[1] SENATORI EPISCOPO ENNODIUS.

Prima res est sancto conveniens sine dubitatione proposito, sponte pro justitia facere, quidquid alii solent moniti exhibere : sed honestati proxima vel secunda, rectis suggestionibus non gravari. In qua parte et si principem locum non possidet qui monetur, habet tamen Dei gratiam, quod veritatis insinuationibus non repugnat. Causam ergo præfationis insinuo, ne et ego utilitatem meam differre videar prolixitate sermonum. Dudum per me suppliciter postulavi, ut de mancipiis quæ de casa mea a vestris sollicitata constabat, unum mihi quod remanserat, redderetur. Dedistis precibus meis sancta promissione responsum, ut etiam si vobis puer ipse jure competeret, vos tamen gratiam commodis anteferre. Regresso me de Ravenna (quod dictu nefas est) pro peccatis meis effectum sacerdotalis diffinitio habere non potuit. Ascribo meritis meis, quod cujus ore damnatur mendacium, statuta violavit. Ecce iterum me ad conscientiam vestram refero : ecce, quod filium decet, exhibeo, ut per sublimem et magnificum virum domnum Victorem ad humilitatem conferam, quidquid mihi poterat legum sæcularium auctoritate B præstari. Videte si reus sum, qui elegi virum antistitum moribus congruentem : qui vel contra æquitatem repugnantium indomita posset corda mollire. Effectum mihi negotii jam promisi, qui legati meritum comprobavi. Providete, si religionem deceat, si a pontifice dignum sit, illum qui potest cautibus imperare, contemni. Duo sunt quæ mecum faciunt, negotii sinceritas, et genus supplicantis : quidquid contra hoc obstiterit, bonorum sententiam mox meretur.

EPISTOLA II.

[2] EUGENETI ENNODIUS.

Quamvis commercia litterarum magis sunt lætitiæ quam mœroris ; nec secretum pectoris aut amicitiæ C diligentiam bene in lucem digerat clauda recenti confusione elocutio : videro tamen, utrum dispendium caritati inferat sermo rarior ; monstrat tamen, si nullus prorogetur, infantiam : testem divinitas gratiæ linguæ dedit officium. Sed dicas, mi domine, hæc aliena esse ab eo quem noverim maximis doloribus occupatum : pressum pectus angoribus, ad amoris verba non erigi : nec quidquam delenificum lamenta sentire : res quæ mentem premit, repudiat quod oblectat auditum : qui major animæ fuit portio

[1] *Senatori episcopo*] Cujus sedis fuerit episcopus, incertum. Neque enim de Senatore Mediolanensi episcopo intelligi potest, in quem scriptum est epigramma 87. Is enim haud paulo antiquior : cum Mediolanensem cathedram post Senatorem rexerit Theodorus, post Theodorum Laurentius, qui Ennodio hæc scribente florebat. Senatoris sane nomen illo sæculo gessere complures. Inter quos notissimus, et scriptis honoribusque clarissimus Variarum auctor, quem Cassiodorum inolito, si decere licet, errore appellamus. Audiendi quippe non sunt, qui Senatorem κατ' ἐξοχὴν dictum putant, quasi proprium ejus nomen fuerit Cassiodorus. Nam verum ac proprium ejus nomen fuit Senator ; quod ipse suis omnibus epistolis præfixit lib. XI et XII Variarum, et quod unum suis ipse Fastis indidit anno 513, cum de suo ageret consulatu. Tam igitur hoc ei verum nomen fuit, quam verum fuerat alteri Senatori, qui anno 436 consul fuit cum Fl. Anthemio Isidoro. Sed invaluit error ex ea quam dixi opinione natus, quasi Senator epithetum esset, non nomen, ut Cassiodorus tanquam proprio nomine vocitetur, cum id cognomen re vera fuerit, a patris nomine ductum. Patri enim Senatoris nomen fuit Cassiodorus, a quo filius Cassiodorus Senator et omnibus nominibus Magnus Aurelius Cassiodorus Senator dictus est, sicut a Fausto patre Faustus Avienus. In quo rursum refellendi sunt, qui Cassiodorum, cui patriciatus post præfecturam a Theoderico rege defertur, et de quo, ejusque avo et patre, D multa lib. I, epist, 3 et 4, ipsum auctorem Variarum esse credunt, cum de ipsius patre accipi omnia debeant ; ad quem etiam scripta est epist. 28, lib. III. Senatori siquidem filio præfecturam, ac deinde patriciatum detulit non Theodericus, sed Athalaricus ejus nepos lib. IX, epist. 24 et 25, in quibus recto nomine Senator nuncupatur : *Cumulavimus*, inquit, *P. C. beneficiis nostris copiosum virtutibus, divitem moribus, plenum magis honoribus Senatorem.*

[2] *Eugeneti*] De quo ad epist. 24 lib. IV. Doctum Eugenetis fratrem cujus obitum hic deplorat, suspicor fuisse magnum Olybrium, de quo dictum est epist. 9 lib. I. Hinc est fortasse quod una junguntur in epist. 25 ejusdem libri Olybrio et Eugeneti : et in epistola Athalarici lib. VII Variarum 19 et quod Olybrii deinceps nulla apud Ennodium mentio.

frater in superis, hanc transtulit ad sepulcra: quid exigendum ab illo sit, cujus dimidium salutis busta clauserunt? in summis afflictionibus quæri non posse vocem, gemitibus subjugatam: lacrymarum tempore dicatur importuna narratio. Respondebo, quod par quoque meum pectus acerbi casus mœror intraverit: nec dividi me posse ab ejus tristitia, quem mihi pro voluntatum similitudine nonnunquam læta junxerunt. Ostendo tamen sæpe gravioris mali in luctibus indicem fuisse sermonem, et intercepta taciturnitatis remedia proditore colloquio. Dicam, qui lamentationi suæ paginas denegat, in una ætate vult perire quod deflet: non meretur recordatio fratris et docti, ut nobiscum quid de ipso senserimus, occumbat: a feriato ore in planctibus parcus est animus: amati commemoratio quæ mandatur tabellis, viscera carorum aculeis violenter irrumpit: nunquam patitur obitum veterascere relatio funeris digesta per litteras. Hoc studio magnitudinem tuam flens consolator appello, ut vicarii sermonis beneficio, et promissus sub invocatione Dei inter nos nutriatur affectus, et persona facundiæ quæ meritis suis occasum non patitur, nostra quoque confabulatione reviviscat.

EPISTOLA III.

DOMNO SUO FAUSTO ENNODIUS.

Cum scribendi occasio, et domestica et amica suppeditet, quare a paginis temperem, tanquam indigus perlatoris: maxime cum sedulitas litterarum responsa mihi soleat sæpe præstare? Huic se studio comitem dedit honorabilis viri, veneratoris vestri fratris Constantii postulatio, qui industriam suam qua apud vos Domnus, ut efficacem decet, innotuit, meis desiderat beneficiis subjugare. Transcribit enim ad aliena jura sudorem suum, qui debere vult commendatitiis quod meretur. Dedi tamen manus precibus, et pro ejus desiderio sub occasione exhibendæ humilitatis scripta prorogavi, Deum rogans, ut sub omni celeritate nuntius me vestræ valetudinis et prosperitatis attollat. Nominatum tamen pro mei consideratione magnitudo vestra gemino, si indignus precator non sum, favore comitetur.

EPISTOLA IV.

ENNODIUS [1] ABBATI STEPHANO.

Litterarum vestrarum quam dulce negotium est, quod mihi spiritale munus exhibuit! quam votiva perlatorum necessitas, quæ remedii sui studio desideriis medetur alienis! Confiteor, nisi repugnaret proposito, inimica pene ad turbandam aliquorum securitatem vota conciperem. Ecce præstant adversa, quod secunda non tribuunt. Sanctorum litteras tranquillis rebus unde peccator acciperem, quas nunquam meritorum meorum nitor exegit? Ecce quantum mihi contulerunt suffragium, qui a vobis obtinuisse se confitentur. Divinam æstimo providentiam illa tribuere: multum jam credo, quod de malæ conversationis fasce deposui. Proximus est innocentiæ, qui sanctorum meretur colloquia. Quare dum me sæcularis licentia immunda possedit, nunquam tanti viri apices merui: post etiam per longa intervalla, nunquam hujusmodi bona suscepi. Deus magne, quam dignitatem servientibus tibi tribuis, ut quos respicere cœperis, etiam amicis tuis reddas acceptos! Vere semper vos singulari cultura suspexi: semper venerandis moribus gravata peccatis colla submisi. Ecce jam quasi æqualis appellor: erexit me diu custodita subjectio. Fove me ergo orationibus tuis: ostendis enim paginis, fragile a vobis non exhiberi patrocinium. Nam et isti suscepti sunt, qui mihi bona de quibus gestio, contulerunt. Ad rem redeo. Perditus ille clericus expavit causam dicere apud episcopum, postquam defendi a me vidit eos quibus meum deputastis obsequium. Suggero, si jubetis, et unus de ipsis Ravennam ambulet cum vestris ad filium vestrum domnum Faustum commendatiis, ne in præjudicio ipsorum venalis judicium qui Mediolani exuberat, sententia depromatur.

EPISTOLA V.

ENNODIUS MAXIMO.

Grandes hiatus paterer litterarum vestrarum elevatus alloquio, si non mei conscius imperitiam pudore comprimerem, et judicii lancem tenerem, etiam cum laudor immeritus. Vos dignatio censuræ fecit immemores: me propositum intra verecundum degere penetrale compellit: vos scripta mea tanquam amantes attollitis: me necesse est illos metuere, qui rancido despicientes cuncta neglectu, etiam edecimata condemnat. Ago tamen gratias quod apud domnum Patricium talem me judicare scribitis, qualem vestro testimonio reddidistis. Insinuationi ergo amor debetur iste, non paginæ, quam scaber stylus sine eloquentiæ dote signavit. Salutationem tamen magnitudini vestræ dignam referens, Deo gratias ago, quod votivis vos auctos successibus reduxit ad propria, quos mens mea pro connexione caritatis nunquam sentit absentes.

EPISTOLA VI.

ENNODIUS LAURENTIO.

Dandæ sunt manus amoris imperio: vinctum me tenet affectio: cui verba concessi, ut quod ad salve debitum pertinet non tacerem. Domestici perlatoris occasio mihi perire non potuit, nisi ad diligentiæ testimonium scripta transmitterem. Salutans ergo reverentia debita, precor ut vicario me relevetis affatu; quia promitto mihi litterarum prorogatione responsum.

EPISTOLA VII.

ENNODIUS [2] ADEODATO PRESBYTERO.

Quis vestræ affectionis immemor, nisi qui est inhumanus, existat? quis totius religionis personæ apud Deum nolit habere suffragium? Ego maxime, qui et gravibus peccatorum sarcinis premor, et vestram gratiam obtinui: quæ res mihi absolutio-

[1] *Abbati Stephano*] Ad quem iterum epist. 12.

[2] *Adeodato presbytero*] Ecclesiæ Romanæ, ut declarant quæ ad eumdem scribit lib. VII, epist. 27. Is est fortasse, qui in synodo prima Symmachi subscribit his verbis: *Adeodatus presbyter S. Martini Tit. Equitii.* Ne prorsus affirmem, facit, quod in synodo IV duo ejusdem nominis et gradus Adeodati presbyteri numerantur.

nem integram pollicetur. Salutans ergo veneranter et debite, spero, ut pro me per omnia sanctorum loca vota facias : quæ consecutus, Dei beneficia sine mora dissolvam ; quia compertum mihi est, quod mereris audiri.

EPISTOLA VIII.

ENNODIUS AVIENO.

Si offensa præstat, ut magnitudinis tuæ scripta geminentur, quam vellem sæpe illa sereni pectoris tui tranquilla turbari? et nisi adversaretur proposito, causas indignationis ingererem : quando quod amor non meretur obtinui per culpas. Ego tamen errore vacare me nuntio in ea causa in qua, dum accusatis[1] negligentiam, præmium contulistis. Puerum turbatus direxi, per quem nihil aliud, quam quod opus esset ostendi. Libero pectore lingua vacat officiis : mens confusa gratiam salutationis abjurat. Ecce Deo in utroque gratias, quia nec ego reus sum, et vos me reum esse credidistis. Beneficium mihi commotio vestra contulit, quod vix dedisset affectio. Ego quid tibi debeam, explicare non possum : pauper est caritas in cujus narratione sermo non deficit. Domine mi, salutem debitam dicens, Deum rogo, ut quolibet animo gesseris, semper scribas.

EPISTOLA IX.

ENNODIUS MARCELLIANO.

Scio magnitudinem tuam grandibus Dei beneficiis abundare, et promissam circa amicos servare constantiam. Nescit animus vester incerta polliceri, amorem sine aliqua immutatione custodiens : et ideo securum me post Deum vestris trado et commendo manibus, et Dei beneficia in quibuscunque negotiis per vos mihi evenire non ambigo. Domine, ut supra, salutationis honorificentiam solvens, rogo, ut frequenti me epistolarum vestrarum relevetis alloquio : quia summum mihi a Deo munus conceditur, si de vestra meruero sospitate gaudere : quia fides et integritas omnibus qui Deum timent, facit acceptos.

EPISTOLA X.

ENNODIUS [1] LUMINOSO.

Posset amicitiarum religio, et adultæ inter nos planta gratiæ nulla discretarum sentire damna regionum, si quod negatur aspectui, pensaretur alloquiis : et pigro corporum onere divisi, per illam quam e cœlo sumpsimus partem, animis jungere-
A mur. Index meræ affectionis voto pectorum lingua signaret, si ad desiderii copiam militaret oris officium, et penetrale mentis resignatum teneretur in litteris. Tunc nullo caritas neglectu veterasceret : tunc diligenti mutuæ devinctionis usu polita fulgeret, nec scabro memoria vestri torpore læderetur. Sed quid faciam quod mihi meritorum meorum nebulæ serenitatem bene amantis obducunt, et oblivionem mei peccata mea conciliant? Facessat a proposito meo, imitari quod factum doleo, et per silentium sumere de vestra taciturnitate vindictam. Geminis ergo stimulis verba concessi. Negare non potui commercium epistolare, quod et causa poposcit et gratia. Scitis optime quæ a vobis, et per me
B et ore proprio sanctus pater vester domnus episcopus postulavit, ut expensa quæ pro necessitatibus domni papæ Ravennæ facta est, [2] redhibitione pensaretur. Certis enim potentibus quorum nomina tutum non est scripto signari, novit Dominus, quia plus quam quadringentos auri solidos erogavit. Hos me fidem dicente concessit : frons mea apud ipsum libera esse non potest, donec per vos, sicut confido, pollicitatio compleatur. Idcirco direxi præsentium perlatorem, hominem religionis et fidei, ut ab hac me quam præfatus sum, conventione et injuria sublevetis. Unde salutationis honorem tota humilitate persolvens, rogo, per illum contestans qui communia circa sanctum papam vota respexit, ut ordinetis qualiter ab hujusmodi inquietudine relever. Tamen,
C si verecundum esse non creditis, indicate, et de propria facultate restituo, quidquid me spondente a sancto episcopo constat expensum : quia litteras sancti papæ habeo, quibus jussit, quidquid opus esset fieri, cum mea debere securitate compleri. Si mereor laborare, vestræ erit provisionis expendere.

EPISTOLA XI.

ENNODIUS [3] SENARIO.

Si diligentiæ memoria circa personam meam animus vester non exueretur, si reverti eum ad judicium sublimitas tua non cogeret post favorem, frequentia scripta prorogares. Sed quid faciam, quia non validis radicibus nititur amor indebitus, et cito ad examen reducitur, quidquid gratiæ aura subripuit? Me solum novi prius debuisse diligi quam pro-
D bari : hunc tantum fructum de caritate possedi quem incognitus provisione subtraxi. Sed vos convenerat

[1] *Luminoso*] Veteri amico, et ab ineunte ætate sodali. Sublimissimum superiore libro appellavit, epist. 24 ad Faustum. Quo tempore Symmachi papæ causa adversus schismaticos Ravennæ tractabatur, episcopus Mediolanensis opinor, illius nomine quadringentos solidos sponsore Ennodio, erogarat. Eos cum reposceret episcopus a Luminoso petit Ennodius, uti cum Symmacho agat, ut refundantur. Qua de re iterum eidem Luminoso scribit lib. VI, epist. 16, et epist. 33 ad Hormisdam.

[2] *Redhibitione pensaretur*] Restitueretur : ut lib. VI, epist. 16 de hac ipsa re, *me ei redhibitionem promittente*. Hoc enim plerumque est redhibere, reddere quod debeas, quocunque titulo debeas. Sed latius interdum sumitur, ut in redhibitoris actione apud jurisconsultos, quibus redhibere est, ut Glossæ nostræ interpretantur, *τὸ ποιῆσαι ἔχειν τὸν πράκτην ὅπερ εἶχε πρότερον* : et cum redhibere rationem dicit Avitus Viennensis episcopus in epistola ad Apollinarem episcopum fratrem : *Si pro omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem redhibere cogentur.* Denique redhibere *ἁπλῶς* usurpabant pro *reddere*.

[3] *Senario*] Propinquo et amico singulari : unde geminum sibi cum illo, caritatis et sanguinis, vinculum esse dixit lib. I, epist. 27. Comitem patrimonii creatum a Theoderico Senarium anno 511 docent epist. 3 et 4 lib. IV. Variarum : etsi male tertia inscribitur Comiti privatarum. Antea vero, ut eædem testantur, in ejusdem regis aula diu inter exceptores militarat : quem honorem hoc loco fortasse intelligit Ennodius.

non cito ab eo cui imposuistis amici nomen, abscedere; ne non semper ad meam culpam redeat, quod promissa mihi non tenetur affectio. Solet enim esse ignara districtionis devincti conscientia, et opus est ut perpetuo teneat quidquid semel fidum pectus acceperit. Salutem ergo debitam dicens, spero, ut despicientes rancida potentum fastidia, honorem vestrum, et quam Deus tribuit possibilitatem, [1] humilitatis fascibus sublimetis. Cujus rei fidem interpres animorum lingua confirmet, et testimonium fidele mentibus deferat caritas monstrata per litteras.

EPISTOLA XII.

ENNODIUS ABBATI STEPHANO.

Geminantur Dei dona sperantibus, et duplici exuberat superna gratia beneficio. Largis meatibus cœlestium munerum unda procurrit: transeunt haurientis ambitum, quœ a Christo veniunt fluenta donorum. Sola vena est quæ maciem nescit et defectus abjurat, tantum cursibus suis suggerens, quantum meretur pectus sitientis accipere. Cui advertite quid occultus sapor infundat, quando ardorem lympha conciliat, et siccitatem labiis æstuante animo irriguitas vivi fluminis gignit. Talis est vestrarum ratio litterarum : quæ quantam afferunt desideriis satietatem, tanta pariunt et augmenta : quarum profunditas et bibitur et optatur : et ita puro ditant gurgite, ut occulto ab eis viscera suffundantur incendio. In quibus cognatas video flammas, et pocula, et diversitatem naturæ in peregrinam coisse concordiam. Domine mi, longum terris, Deo nostro tribuente, vitæ beatissimæ exemplum præsta, et per religionis sanctæ philosophiam non in in hac vita tantum sperandum esse, contemptu sæculi præsentis ostende.

EPISTOLA XIII.

ENNODIUS [2] APOLLINARI.

Quantum cura mea, quæ affectui vestro per necessitudinem militat, in dies suggerit, nulla commeantium essent damna contemptus, nisi ad unicum illud solamen absentium quod in litteris invenit providentia superna, concurrerent. Sed quid faciam, quando tanta est venientium confusio, ut nescias qui potissimum deligendus sit, cui reddenda sanctæ conscientiæ vestræ possent scripta committi? Trahunt enim in occasionem compendii sui viliores, quidquid nos præstamus affectui; et grave est, ut serviat cupiditati quod exigit vis amoris. Idcirco animum usque ad domestici perlatoris opportunitatem ab scriptione suspendi: ne diligentiæ ratio sparsa per immeritos perlatores aliena importunitate ranciscat, et ad me culpa redeat quæ a me non sumpsit exordium. Necessitatem ergo procurati silentii A breviter explicans, ad usum me paginalem converto, per quod magnitudinis vestræ mihi præsentiam secretis animorum itineribus exspectata per paginas verba conceduut. Vale ergo, mi domine, et illa quam debes generi, serenitate frequentibus amantem fove colloquiis : quia nullum est tam venerabile munus sollicito, quam si sæpe vos agnoscam vestram nuntiare, meam quærere sospitatem.

EPISTOLA XIV.

ENNODIUS PROMOTO.

Frequentia et necessitudini et amori exhiberet colloquia pectus obnoxium, nisi desideriis remedia subduceret discretarum consideratio sine medela terrarum. Quidquid enim caritate junctum est quidquid sanguinis catena sociatur, hoc distractum vix B respirat per intervalla regionum. Quæ enim possit habere subsidia, cui frequens denegatur copia et paginalis alloquii! muta inter absentes diligentia quo teste pandatur? Aut enim opportunitas commeantium exspectata subtrahitur, aut inveniuntur tales, quibus non possint reddenda caris scripta committi. Vix tamen usque ad domesticum perlatorem diu anxia vota suspendi : per quem honorem salutati exhibens, optata vobis patefaciam meæ prosperitatis indicia, et litterarum mihi spondeam promulgatione responsum, quibus, si in portu est sanitas vestra, amplectendis reseretur affatibus.

EPISTOLA XV.

ENNODIUS [3] EUPREPIÆ.

C Rarum est ut necessitati amor fultus necessitudine colla submittat : vix contingit ut serviat qui imperator est : semper et suo jure dominatus affectus. Quo unquam regium diligentia nomen impeditur obstaculo? cui libera caritas mancipatur obsequio? Excusationem de aliquo timore non adhibet, nisi qui animum devinctionis abjecit. Mens quæ pietate militat, etsi sint dura principum jussa, non metuit. Nulla sunt tam barbara jussa populorum, quæ non reddi filio debita materna patiantur : quidquid in orbe genitum est, ab humanitate non discrepat: quidquid in mundana luce gignitur, fructus uteri requirit et seminis : sola nobis cum cunctis animalibus causa et sollicitudo communis est. Cujus æstimabitur esse mens illa feritatis, quæ erga curam sobolis posterior D ab irrationabilibus invenitur? Germanitatem tuam respicit præfata concinnatio. Tu unici oblita pignoris, et miserationem orbati, et felicitatem ejus cui mater superest, abstulisti. Vere fateor sub libertate propositi, modo maxime quando ei a te et colloquia denegantur, pace Deo propitio inter regionum nostrarum dominos omni radice solidata, tigridem te

[1] *Humilitatis fascibus*] Hæc propria laus Senarii. Cassiodorus epist. 4 : *Sed hæc amplius commendabat humilitas, quæ tam clara quam rara est. Novum est enim sub amore principis custodire modestiam.*

[2] *Apollinari*] Sex epistolæ sequentes hactenus ἀνέκδοτοι nunc primum in lucem dantur ex manuscriptis. Ad Apollinarem jam scripsit lib. I, epist. 8, scribetque iterum lib. IV, epist. 19, in qua fratrem eum amoris et ætatis causa vocat.

[3] *Euprepiæ*] Expostulat cum sorore, quod ad Lupicinum filium nihil scribat, tunc maxime, quando pace inter regionum dominos, hoc est inter Italiæ unde scribebat Ennodius, et provinciæ Arelatensis in qua degebat Euprepia, principes firmata, libera erant et sine suspicione litterarum commercia. Regionum ergo dominos interpretor Theodericum Italiæ et Gundobadum Burgundionem regem, qui Provinciæ n magna ex parte dominabatur, vel Alaricum cui parebat Arelate.

immanitate superasse. Quando inveniri potuit, aut quod plus amare possis a filio, aut propter filium quod timere? facultatum cura debuit posthaberi : quia nunquam bene hæreditas quæsita est hærede contempto. Ecce dico, ni Deus per sollicitudinem meam servi sui malivolis obstitisset, omnis generis tui fuerat planta succisa. Leænæ catulos tutis silvarum aut eremi commendant penetralibus, ne partus earum præda sit hominum. Dicas forsitan, quod hæc exprobratio graviter me ferre impactam de adolescente sarcinam monstret. Novit Deus hoc solum me acerbe perpeti, quod et præsentia tua careo, et totius te per silentium immemorem affectionis esse cognosco. Beneficio tamen Dei paterna puero nostro non derogatur instantia. Imbuendus liberalibus disciplinis limen nobilitatis ingressus est. Ipsam quoque ad te [1] dictionem qua commendatus est, destinavi : in qua non eloquentiam, sed vota cognoscas. Vale ergo, mi domina, et si fieri potest, nostris te cum Dei ordinatione redde conspectibus.

EPISTOLA XVI.

ENNODIUS [2] LACONIO.

Diu est quod animus meus illa quia solebat relevari, exspectatione torquetur. In longum traxistis silentia, nulla necessitate compulsi. Non fui hujus imitator negligentiæ, ut mea ego scripta prorogarem : sed ad dies conticui, superventuri spe illusus alloquii. Nunc tamen vicit deliberationem meam jam matura amplitudinis vestræ taciturnitas. Debet evelli silentium, quod duriter in quadam radice convaluit. Geminis ergo prospiciunt scripta nostra compendiis : et perlatorem [3] Benenatum hominem [4] propter fugaces suos venientem commendo, et desideriorum bona non differo. Ergo vale, mi domine, et pro voto tuo circa me geri prospera cognoscens, paribus me attolle sermonibus : quatinus et perlator de beneficio gaudeat, et ego sublever de responso.

EPISTOLA XVII.

ENNODIUS [5] STEPHANO EPISCOPO.

Postquam meritis vestris dignitas vestra restituta est, et honor quem exigit vita, collatus, nulla beatitudinis vestræ pro peccatis meis scripta suscepi. Aliena est a proposito vel a moribus vestris circa supplices, quæ in me servatur oblivio. Temeritatem A meam pontificalis non accuset auctoritas : vix est, ut diligentia quid juris possit habere respiciat. Numquam se metitur, quem stimulat caritatis imperium. Additur quod perlatori præsentium obvias manus adhibere non potui, nisi ut Benenatum, hominem Gallias pro certis negotiis expetentem, ad coronæ vestræ notitiam mei perducerem sermonis officio : quem tota humilitate commendans, rogo ut per eum vicariis relevari procurer alloquiis. Domine mi, salutationis servitutem tota devotione persolvens spero principe loco, ut precum vestrarum serenitas meæ quoque mentionem non omittat facere, cum divinitati supplicat sine intermissione, personæ.

EPISTOLA XVIII.

B ENNODIUS [6] EULALIO EPISCOPO.

Ad quantum me fastigium perduxerit donum spiritalis alloquii, angustia testaretur, si sermone valeret ambiri. Ad quod enarrandum idonea non est mentis exilitas, nec sufficit oris egestas. Vos enim mei memores exstitisse quid aliud computabo, quam peccata superari? Memoria vestri omne quod actuum obscenitas potuit ministrare, jam depulit, et per sudum respicere supernum munus indulsit. Domine mi, salutationis obsequia decenter impertiens, Deum rogo, ut circa parvitatem meam illa anima in qua omne quod Deus mandat, exuberat, dignationem pollicitam sine aliqua procuret imminutione servare. Quam rem ex arbitrio mihi contingere, frequentium declarate testimonio litterarum.

C EPISTOLA XIX.

ENNODIUS FAUSTO.

Deo gratias, qui juxta desideria, ne aliquando ab scriptione temperem, negotiosa facit esse colloquia : potest enim et utilitati prodesse, quod exigit jus amoris. Proinde, domine, indicia meæ valetudinis faciens, fugacem puerum vestrum, Germanum vocabulo, qui ante triennium lapsus est, me suspicor invenisse; de quo indiculum destinavi : qui si vere vester est, mature sequenda cognoscam.

EPISTOLA XX.

FAUSTO ENNODIUS.

Multiplicibus veneratoris vestri [7] affinis mei, Juliani negotium Marcellini laborat insidiis : qui ad querelam tantummodo paratus, de judicii integritate D

[1] *Dictionem qua commendatus*] Præfationem dictam Lupicino, quæ secundum locum obtinet inter dictiones scholasticas.

[2] *Laconio*] Gundobadi regis consiliario, et velut quæstori, viro nobili ac pio. In Vita Epiphanii : *At ille*, Gundobadus, *vocato Laconio, cui et rerum et verborum fides ab illo semper tuto mandata est : quem et prærogativa natalium, et avorum curules per magistræ probitatis insignia sublimarunt cum quo confert, quoties pia et sicut non est cum vitiis sociata nobilitas, nec astringitur ad illecebras lux naturæ, si quid ille benigne facere valuerit, iste hortatur adhibitus.*

[3] *Benenatum*] De quo et epist. sequenti, et fortasse apud Cassiod. lib. IV epist. 15. Ad eam formam nomen effictum, qua Seronatus apud Sidonium, Citonattus apud Gregorium Magnum, et alia passim. Epitaphium Romæ *δίγλωττον* Lupicino et Jovino coss. cujus hæc portio :

ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΑΝΕΠΑΗ ΒΕΝΕΝΑΤΟC
ΘΕΟΘΙΛΑ * ΕΠΟΙΗCΑ CΥΜΒΙΩ.
BENENATO THEOFILA FECIT UXOR EJUS.

[4] *Propter fugaces suos*] Servos fuga elapsos Epist. 19 : *fugacem servum vestrum, qui ante triennium lapsus est*, Fugacem servum pro fugitivo dixit etiam Honorius imp. leg. 8 cod. Theod. de jurisdictione, et Gregor. Turon. lib. VI, cap. 31.

[5] *Stephano episcopo*] Haud dubium, quin Ecclesiæ Lugdunensis, ubi et Laconius, ad quem de eadem re scripsit. Hanc igitur gratiam Ennodio Lugdunenses debent, quod episcopi sui memoriam, quæ tenuis apud ipsos et obscura restabat, hac epistola conservatam vident.

[6] *Eulalio episcopo*] Vide an Syracusano, qui synodis aliquot Symmachi papæ interfuit : et multis laudibus ornatur in Vita S. Fulgentii. Sed fieri potest, ut alios etiam habuerit ætas illa ejusdem nominis episcopos.

[7] *Affinis mei Juliani*] Ad quem lib. IV, epist. 7

* ΟΕΟΟ] Sic editio Sirm. Forte rescribendum ΟΕΟΦ.

diffidit : vitat quæ optat examina. Nam postquam nescio quod præceptum' ad Gevicam exhibuisse perhibetur, prædictus supplex vester ad Mediolanensis fori audientiam mox concurrit, et per triginta aut quadraginta dies præsentiam suam publico, sicut oportebat, ingessit judicis. Contestatus est ipsum Gevicam, qui [1] ordinatus asserebatur impulsor : ut susceptum suum ad judicia destinaret, admonuit. Domnum quoque Trasemundum, sicut ex litteris ipsius poteritis agnoscere, fecit scire. Sed nihil apud eum profuit, cui solæ latebræ in causa misera possunt esse remedio. Pro quo rogo, quanquam apud vos precibus opus non est, ubicunque veritas innotescit, quia omnia hujus rei instrumenta transmisit, ut ordinatione vestra ab hujusmodi molestiis efficiatur alienus. Domine, salutationis obsequia deferens spero, ut a prædicto inquietudinem removeri, qua soletis cura faciatis, et meam sollicitudinem de prosperitatis vestræ statu litteris sublevetis.

EPISTOLA XXI.

ENNODIUS FAUSTO.

Paucis asserendus est, quem et notitia senior, et opinionis bonæ lingua commendat : non indiget prolixitate sermonum, qui suis apud magnitudinem vestram dotibus adjuvatur. Sublimem virum Vitalem loquitur præfata concinnatio, quem os vestrum fecit sacri consortio gaudere collegii. Ergo extraneis munietur epistolis, qui orationis vestræ beneficio curiam non peregrinus ingreditur ? et cui reserastis libertatis penetralia, illi pectoris arcana claudentur ? Ego autem gaudeo scriptione multiplici : qui etsi parum tribuam perlatori, nulla proprii desiderii damna sustineo. Domine, salutationem restituens, quam debeo, precor, ut et circa præfatum gratia se culminis vestri propius manifestet, et mihi prospiciat restitutione alloquii.

EPISTOLA XXII.

ENNODIUS FAUSTO.

Illudit mihi spes, quæ exigit frequentiam litterarum. Hac enim fretus, inefficacibus animum pasco colloquiis. Diu est, quod sine intermissione scripta prorogans, silentium quod expugnatum esse credidi, confirmatur. Sed quid faciam, quando vix ad consilium reducitur pio amore pectus obsessum ? putat remedia et quæ comperit nihil juvisse. Salutati ergo obsequium reverentia exhibens consueta, commendo præsentium perlatorem ipsum Constantinum, cui suffragium honestas et pudor est : cui quamvis plura per affectum debeam, majora tamen coactus solvo per judicium.

EPISTOLA XXIII.

ENNODIUS MARCELLIANO.

Apud amantes et honore pollentes beneficiorum affectus in promptu est : nec illa preces, cui præ-

A standi mos est, tarditate depretiat. Virgilius sublimis vir, tam sanguine quam honestate præcipuus, imponi sibi ab illustri viro sacrarum comite Ravennam excurrendi necessitatem plurimum deflet : cujus si hoc haberent desideria, obvias manus ætas afferret. Qui apud vos me precatore utitur, ut ab eo hujusmodi sarcina fiat aliena : relationibus frequenter, quid egerit instructam prædicti suggerit potestatem. Domine, honorem salutandi exhibens precor, ut consideratione mei in testimonium diligentiæ postulatis detur effectus.

EPISTOLA XXIV.

ENNODIUS MASCATORI.

Novo me genio infucata pectoris vestri ornavit diligentia : eliciti utor styli testimonio, qui doctis supra inscitiam garrulitate displiceo. Coactus sermo pretium quod non habet ex eloquentia, ab impacta necessitate subripui. Nunquam fuit digna ultione contumelia, quam jussus exhibuit. Nemo obedientem juste condemnat : sibi debet illatas injurias de eloquio rusticante, qui provocat imperitum. Supercilium est, celsioribus non parere : majus, si quæ noveris descendisse ab obsequente, despicias. Improbi desiderii putatur assertio, non amare quod exigit. Astipulatur judicio suo, qui censuram de obtemperante suspendit. Male pertinax districtio est, quæ meritum in parente considerat. Pudorem ab statione non expulit, qui quod loquitur debet imperio. Itaque iu nobis quod sordet eloquentia, commendatur obsequiis. Vos videritis quale sit quod jussistis offerri : ergo vos sine frontis meæ dispendio meruisse æstimo quod desiderastis accipere. Taceo inter ista quæ principe fuerant loco narranda ; [2] ecclesiasticam humilitatem, quod placere poterat, abjurasse ; orationum pompam, qui orationem diligit, non secutum : propositi consideratione et illud me fugere quod ducit ad gloriam : quasi vitium declinare quidquid attollit : culpam putare, quod erigit aut sublimat : perdere justæ laudationis meritum favoris affectu. Excusationem veritatis coloratam peniculo non prætendam : dum replico, quod illud, quidquid studiorum dederat cura liberalium, jam reliqui : quod alveo quondam copiosi fluminis vix arentis gutta fundatur eloquii. Taceo, quod linguam quam usus mobilem fecerat, alter usus hebetavit : esse pro facundia silentium, abjectionem a nobis diligi pro cothurno. Ad illud redeo : quia mihi non licuit intra verecundum penetrale delitescere, nec debilitatem ingenii tegere taciturnitatis indumento ; hoc ad defensionem integram, quod prætuli, computabo. Sed amore provocatus epistolares terminos inconsiderata loquacitate transcendi. Vale, mi domine : cui honorem exhibens salutantis, probabo quid de epi-

[1] *Ordinatus asserebatur impulsor*] Instigator, qui insisteret ut lis judicio decerneretur ; ut contra moratores apud Ciceronem in Divinatione, advocatorum genus, qui ad moram faciendam adhibebantur.

[2] *Ecclesiasticam humilitatem*] Cui rhetoricos flores et schemata minime convenire judicabant. Lib. I, epist. 16 ad Florianum : *Rhetoricam in me dixisti esse versutiam : cum diu sit quod oratorium schema affectus orationis a me absciderit ; et nequeam occupari verborum flatibus, quem ad gemitus et preces evocat clamor officii.*

stola mea sentias, aut taciturnitate aut scriptione multiplici.

EPISTOLA XXV.

ENNODIUS EUGENETI.

In statione apud vos non esse gratiam potest, qui fide claudus est, æstimare : volo tamen ad diligentiæ testimonium prorogari frequentiam litterarum : ne animus de amantis prosperitate sollicitus, dum salus in valetudine est, suspicionibus ventiletur. Ecce habes, mi domine, unde serenitatem pectoris mei ex desiderii proditione cognoscas. Adesto partibus tuis, et sicut me impetrati muneris prærogativa sublimat, ita vos exhibiti gratia sermonis attollat. Ergo salutem debendam restituens, precor ut quid promoveat in me desiderium tuum, sub cujuscunque significationis nube dilucides. Vale.

EPISTOLA XXVI.

ENNODIUS AVIENO.

Adest magnitudo tua partibus suis, et asseruit splendorem sanguinis testimonio puritatis. Caritatem nesciunt pia corda deserere ; religiosam diligentiam mens generosa custodit, Gemina ergo luce fulgentia scripta suscepi. dum quod pectus sanctum reperit, dextera serena signavit. Deum precor, ut piam in vobis indolem, si Romam diligit, sub perennitate conservet ; et hujusmodi circa me studia sub ea qua promisistis cura multiplicet.

EPISTOLA XXVII.

ENNODIUS AVIENO.

Nescio utrum magnitudini vestræ grata sint crebra colloquia : ego tamen semper quod exspecto ab amantibus, exhibebo. Patior aliis aliud esse propositum : mihi meo vivendum est more, ut amoris plenitudo reseretur clave sermonis. Ego in affectione cariosam subrepere taciturnitatem usu fugiente non perfero. Nunc si culmini tuo par cura est, monstretur assiduitate colloquii : patescat frequentia litterarum. Sin aliis hactenus præoccupatus studiis, in meam modo concesseris diligentia imperante sententiam ; quantum de tuo jure submiseris, tantum de meis obsequiis possidebis. Ergo vale, mi domine, et munusculum suscipe, non vilitate sui, sed taxatum pretio destinantis.

EPISTOLA XXVIII.

ENNODIUS EUPREPIÆ.

Quamvis caritatis vestræ paginam solemnibus tantum muniis accepissem obsecutam, nec affectui, nec necessitudini congruentem : res tamen postulavit, me vicariis per styli similitudinem peregrinante diligentia respondere colloquiis : ne subtracti sermonis officium non vestram mihi innotuisse astutiam, sed nostram revelaret infantiam. Nolo, soror Euprepia, quidquam de provinciarum malis, vel sicut dixisti, hominum immissione causeris. Quocunque abscesseris, quantum res docet, mentem male credulam non omittis : vitia nostra regionum mutatione non fugimus. Circa propinquos tibi fuit tale proposi- A tum, ut nec benefacta ipsorum justa interpretatione pensares ; nec excessus debita tantum reprehensione corriperes. Sed quid opus est doloris epistolam fieri longiorem ? ingenium vestrum nulla eloquii poterit mutare affluentia. Quod restat, vale, mi domina, et prout expedit, ordinem vitæ animique compone. Me tamen Lupicino noveris, non quod tibi debeo, sed quod animæ meæ conveniat, impensurum ; quia sola est, quæ majorem a Deo retributionem meretur, affectio, cum nullis hominum dotibus provocata concreditur.

EPISTOLA XXIX.

ENNODIUS EUGENETI.

Quotiens sensuum pignoribus verba famulantur, quasi in quodam speculo, ita in paginis sermo sibi B amicam pingit effigiem, cum qua viva voce colloquitur, et dulci simulacro desideriis obsequente gratulatur. Nulla quidem conceptum fœderati pectoris eloquitur oris affluentia : et cum sint faciliora verba beneficiis, nec existat quod crescere nequeat ambitione dicendi ; ego in explicanda circa vos diligentia arentem testor infantiam. Unanimitatem tamen vestram taciturnitatis incesso, quod gemina scriptione donatus nihil de vicaria relatione cogitasti. Ecce iterum paginas mitto, sciens tribuere, quod exspecto. Vale, mi domine, et amantem tui alloquere nitore quo clarus es, fove integritate qua prævales.

EPISTOLA XXX.

ENNODIUS AVIENO.

C Miror favis magnitudinis tuæ injucunda copulari, et serenitatem conscientiæ verborum austeritate maculatam, dum scribis imperare me potius paginas, quam diligentia exactrice promereri : putans [1] ullum genus dominandi esse sublimius, quam illud, quod amori nos subjicit. Nulla sunt, domne Aviene, culmina a jugo caritatis immunia : quidquid in orbe libertatis est, tali non subtrahitur servituti. Ecce ego loco humilis, ignotus honoribus, vestris fascibus sic jubebo, parili contentus ordine subjacere. Nunc vale, et quantum tribui tibi senseris, tantum mihi, sicut fidelis restitutor, affectionis impende.

EPISTOLA XXXI.

ENNODIUS AVIENO.

Quamvis epistolarum qualitas pro ingeniis componatur, D et sæpe solemnitati militet, nonnunquam affectionis testetur indicia : quas aliquando dictat sinceritas : plerumque fuci similis concinnatio ; quæ candorem imaginata diligentiæ, urbanitate qua tegitur innotescit, dum fabricatis nudata tegminibus intra velamen aperitur. Ego tamen in paginis speculum puto esse conscientiæ, per quas amicitiam discernere absentia vix præsumit. Clarum est tamen, quid in illis simplex, quid artifex sermo deferat. Scindit nubes eloquii mens dictationis interpres : cito ad intellectum pervenit falcibus suis verborum calle reserato. Ergo his valde delector officiis quibus panditur sinceritas, nec occasio se interserit secura fallendi. Gaudeo tamen mihi vel causas scribendi, vel perlatores accidere : ut sub hac frequentia meo voto satisfaciam, et pudorem vestrum onerem nisi a vobis

[1] *Ullum*] An *nullum* ?

suscepta reddantur. Salve, domine, et in sententiam meam affectu imperante concede. Vale.

EPISTOLA XXXII.

ENNODIUS PASSIVO.

Si ad exsequendam sufficeret sermo caritatem, si totum infantia explanaret affectum; cui magis quam vobis paginarum frequentiam præstaremus? et nisi arctaret meritum pectoris, nulli dignius militaret sermonis officium. Alii affectum quem mente nesciunt, ore testantur, et pingunt illecebrosis epistolarum momenta commerciis, quando feriatis penetralibus amor totus in lingua est, nec aliud ad interiora perducitur, nisi quantum in scriptione confertur. At meus erga vos animus, eloquii pressus macie, amicitiæ ubertate conticuit. Metuo enim, ne gratiæ terminum ponat mendica confabulatio: ne idem modus putetur esse sermonis et fœderis. Melius est plus æstimationi per silentium dimittere, quam monstrare, diligentiæ damna per litteras. Ecce rarioris colloquii causas asserui, credens apud vos a sinceritate debita facundiam posthaberi. Quod superest, salvete, mi domine, et divinis usi beneficiis, procedente vita in longum, cœlestia mandata complete. Invenit enim apud vos, cum a cumulo cœperit benignitas, incrementum. Vale.

EPISTOLA XXXIII.

ENNODIUS FAUSTO.

Proposito obsequuntur paginæ, quibus commendatio præstatur afflictis. In his enim clara est religionis integritas, quæ nullo potentioribus fuco blanditæ asA serunt lacrymas submissorum. Sed hinc alias: cum perlatorem videritis, votum dictantis agnoscetis. Utinam illo apud magnitudinem vestram supplicationis eventu alleganda conciliet, quo a me litteras impetravit. Mulierem religiosam, pauperem, de bono negotio præsumentem sermo præfætus insinuat: æstimate si fragilitati, si justitiæ oportuit verba subduci: si convenit me vel officio deesse, vel moribus. Ecce ego reverentiam salutis impendens, quid partibus meis deberem contestatus sum: vobis quid remanserit, attendite: quia sicut personam meam pro supra dictæ voluntate petitio, ita vestram affectus aspiciet. Vale.

EPISTOLA XXXIV.

ENNODIUS SENARIO.

B Nihil est equidem quod non a veritate in altum ambitioso tollatur eloquio. Sed ego ad diligentiam circa vos patior meam sermonis infantiam. Nunquam par fuit lingua caritati: semper subjacuit oris officium bonæ conscientiæ. Ob hoc utor securitate monitoris. Non credidi, tanto tempore amplitudinem tuam mei immemorem sic futuram, ut etiam solemnibus colloquiis abstineres: ut illæ quæ solent affectionem imaginata fronte simulare, negarentur inter personas catenis fœderis obligatas. Hæc si valerem narrare, poteram sustinere. Ecce iterum scribo, et quæ verbis assero, sequenda testor exemplis. Vos videritis quale sit posthac desideria honesta negligere: ego dolori patientiam usu institutus adhibeo. Vale.

LIBER QUARTUS.

EPISTOLA PRIMA.

ENNODIUS [1] SYMMACHO PAPÆ.

Boni imperatoris est probatam in acie militis animare virtutem; ut fortitudo laudis pabulis invitata, in secundis congressibus dediscat lucis affectum. Cujus robur ducis præconio non nutritur? quibus se denegent etiam minus valida tironis membra conflictibus, quando rectoris testimonio videt sibi non perire quod gesserit? Sola via est qua ad præliandum crescat intentio, quotiens bene gesta non delet oblivio. Utinam divinitas vestris mota precibus [2] diabolicum certamen interimat! utinam devotionem meam in pace manifestet! ut cujus studium resignavit adversitas, illius concordia commendet obsequium. Ad C [3] Marcellianum episcopum directa est a fratre vestro instructa legatio: sed quid promoverit ipse rescripsit. Quod restat, porrectis salutationis precor officiis, ut quidquid ægrum est medica oratione curetis: et inter latentium secreta morborum, qui in generalem necem servatur, ferro spiritali resecetis errorem. Vale.

EPISTOLA II.

ENNODIUS ALICONI.

Venerabilis Amantius presbyter, dum ad vos paginas exigit, rem devotionis meæ sui esse fecit imperii. Felix necessitas, quæ votis præstat obsequium: libera præeminentis jussio, quæ servit affectui. Debet mihi coactor, quod meæ præstitit voluntati: prospera est scriptio, quæ testimonium tribuit bis amori: dum

[1] *Symmacho papæ*] Papæ nomen uni Romano pontifici tanquam proprium et peculiare, primus, ut videtur, asseruit Ennodius. Nam cum episcopos omnes papas cæteri fere qui ejus ævo proximi fuerunt, appellare soleant, ut Sidonius, Faustus, Ruricius; ipse perpetuo discrimine antistites reliquarum Ecclesiarum episcopos vocat, papam solum Romanæ sedis pontificem, sive cum illi scribit, ut Symmacho papæ, et domno papæ, sive cum de illo apud alios agit, ut lib. III, epist. 10, lib. VI, epist. 33 et passim. Pari post Ennodium discrimine in ejus vocis usurpationem usus est Cassiodorus: qui cum Bonifacium, Agapetum et Joannem Romanæ sedis pontifices papas nominet, Eustorgium et Datium Mediolanensis, D et alios aliarum civitatum præsules, non aliter quam episcopos vocat. Neque omnes tamen hoc ita exemplum postea secuti sunt, quin permulti diversarum gentium, præsertim extra Italiam, scriptores papæ nomen reliquis item episcopis tribuerint, usque ad tempora Gregorii VII, qui in synodo Romana primus, ut a Baronio cardinale observatum est, edixit, ut *papæ* nomen unius sit in orbe Christiano.

[2] *Diabolicum certamen*] Laurentianæ factionis schismaticæ, quæ Symmachum variis modis oppugnavit.

[3] *Marcellinum episcopum*] Aquileiensem. Ad hunc pro Symmacho scripserat Laurentius episcopus Mediolanensis, quem ab Ennodio designari puto.

et novum in jus diligentiæ attrahit, et amici senioris pectus obligat. Qui dum magnitudinis tuæ fidelis præco est, prius vos per astipulationem suam fecit eligi, quam agnosci. Raro notitiam præcessit affectio : cui contigit ante placere, quam inspici? Quantum apud me pondus est perlatoris, advertite, ad cujus nutum judicia nostra flectuntur : vidimus quem didicit : quem laudat amplectimur. Sæpe in solido constituta mens propria amico cedit examini. Merito ergo suspicimus, quos probatus extollit. Nunc si ubertatem gratiæ ingenii macies explicaret; si ad fontem fœderis aridi sermonis non lassaretur infantia; si epistolaris qualitas quæ etiam copiosis eloquentia frenos imponit, progredi me ad longiora permitteret : assererem quanta nobilitas tua mihi debeat, quod ad epistolare commercium primus accessi, et januam diligentiæ reseravi clave sermonis. Bajulus tamen precor ut pro his quæ tribuit redametur. Ecclesiæ causas insinuo : quia quod spei meæ impenditur, vobis crescit ad meritum. Domine mi, effusissimæ salutationis munus impendens, quæso ut si vobis cordi est oblationem meam de libamine caritatis accipere, religionem amicæ conscientiæ reseretis alloquio.

EPISTOLA III.

ENNODIUS EULALIO EPISCOPO.

Trinitati gratias Deo nostro, qui fascem quo deprimor peccatorum, fortis apud se viri alacritate sustentat : qui memoriam mei in illo sancto pectoris tui templo quo gaudet Christus, subtilis fabricator interserit : ut quod propriæ conservationis nube fuscavi, splendida conscientiæ serenitate detergeat. Jam novi quia non inefficaciter funduntur lamenta peccantium. Hoc mihi principe loco oratio mea, hoc lacrymæ contulerunt, ut robustus pro me peccator exsurgeres, ut labantibus humeris cœlesti munitam auxilio dexteram subrogares. Verum est quia sola apud Deum desperatio perdit errantem. Ecce jam lolium nostrum, spinæ vel tribuli, hordea, triticum, vineas pollicentur. Age, electe Dei, pro me humili quod cœpisti; et partibus tuis adesto, dum precum in me assiduitate diluis, quod ego collegi ubertate culparum. Frequentibus etiam susceptum pasce colloquiis : ut insulsum pectus, nec ulla virtutum stabilitate subnixum, admonitionis sale confortes. Ad obsequia salutationis revertor, et epistolarum trangressus terminum, unum velut garrulus, sed pro necessitatibus importunus adjungo, ut me sine cessatione tantum juves precibus, quantum confirmas alloquiis. Vale.

EPISTOLA IV.

EXEMPLAR EPISTOLÆ QUAM IPSE DICTAVIT. FRATRI SOROR.

Quamvis summatim gratiam aliqui debeant etiam malis in affectione pignoribus, nec illud quod posteritati tribuitur beneficium, putetur esse debitum : cum malignus interpres judicium cordis naturæ subdit imperiis, et tollens saporem diligentiæ, sola vivendum putet objectione pariendi : quando plus creditur filii vocabulum valere quam obsequium, et non

A quæritur qui in amoris lance promoveas, sed quale ad præjudicium æstimanti nomen opponas : cum apud prudentes frustra sobolem dicimus, nisi exhibet quod vocatur. Nam qui in prole censuram negligit, conceptum magis designat sibi placere, quam meritum. Facessat in posteris hoc solum nos cogitare quod libuit. Etenim fructus uteri, nisi honestate respondeat, plus in testimonio lasciviæ videtur evenisse quam gratiæ. Fas enim est germanitatis semper fidele consortium etiam partubus anteferri : datur participem originis sic haberi, ut nec consideratio sanguinis negligatur, et descendens a merito laudetur examen. Et ideo ne sinuosis in longum procedant verba præloquiis, et quod re angustum est, crescat affatu; dono in fraternitatem tuam confero, et juri

B tuo perpetua liberalitate transfundo mancipium juris mei illud, et cætera. Vale.

EPISTOLA V.

ENNODIUS FAUSTO.

Sublimis vir Dalmatius, animæ meæ portio non defraudata, sed solida, cui ad prærogativam sanguinis morum splendor accessit, hoc negotio suo credidit convenire, si meis apud culmen vestrum juvaretur alloquiis. Quod supersedendum ejus conscius non putavi, faciens urbanitate quadam personæ tribui, quod vos novi debere justitiæ. In Sicilia enim prædicti prædium, bono hactenus jure possessum : a consortibus perhibetur invasum. Nunc ad juvamen civilitatis impenditur, quidquid ego promovero sup-

C plicando. Domine mi, salutationis obsequia plena humilitate persolvens, deprecor ut circa memorati nobilis viri compendia pudorem, leges, ac reliqua quæ per conscientiam vestram subsistunt, reipublicæ ornamenta muniatis. Vale.

EPISTOLA VI.

ENNODIUS AGAPITO.

Credidi, postquam magnitudo vestra bonis est impensa generalibus, et otium migravit in gloriam; postquam Ravennatibus excubiis occupati, dum quietem vestram negligitis, nostram omni soliditate firmatis; et privatus genius ad regni decora transivit; quando novam lucem, de domesticis abstractam sinibus, Palatinus sibi fulgor adjecit; et angustiorem

D fuisse regni sui pompam rerum dominus cum vos non habuit, recte metitus est, pro vicinitate regionum, crebris me relevandum esse colloquiis. Sed inefficacibus spei meæ luserunt peccata consiliis; nullas paginas ad diligentiæ testimonium mens serena transmittit. Grave est, si amorem non merui : gravius, si quem exegeram forte turbavi. Scio tamen hæc congruentibus veritati excusationum nubibus esse claudenda. In privatis inveniri munera litterarum : non recte ab occupatis ista disquiri. Sed novi firmam in affectione conscientiam inter quævis pondera et adversa districtam debita sua gratiæ non negare. Nunc nolo esse prodigus in querelis. Salutationis reverentiam solvens, deprecor, ut suggestionem quam apud vos deposuerit præsentium portitor, ad votivum perducatis effectum.

EPISTOLA VII.

ENNODIUS [1] JULIANO V. I. C. P.

Suscepi litteras gemino splendore radiantes : quibus purpura dictatoris vestræ juncta dignationi crevit in pretium : gratias omnipotenti Deo restituens, qui votorum maciem beneficii ubertate transgreditur : ut quando in desideriis, meritorum conscii, sectamur angustiam, divitis indulgentiæ copias non refrenet. Credidi satis esse, si me feceritis amplissima scriptione sublimem. Sed vos non hoc, tantum contenti præstare, quod habet mendica postulatio, linguæ idoneas et laude locupletes paginas destinatis : magni more fluminis, qui quotiens ab alveis, ut ariditatem finitimam temperet, ad obliqua invitatur, optanti tenuem rivulum totus illabitur, et marcida profundo squalore terga per ebrietatem undæ salutaris infundit. Fortium tamen servans consuetudinem personarum, magnitudo tua circa exiguitatem meam bene cœpta non deserat : ut in testimonio diligentiæ cura paginalis habeatur, et puri amoris astipulationem deferant blandimenta colloquii. Occasum nesciat caritas, quam ante culmina promisistis : tantum circa me crescat gratia, quantum vobis invicta sunt fastigia dignitatum : ne amicitiam quam fovit mediocritas, videatur abjurasse potentia. Nam qui fastum in sublimitate castigat, docet se meruisse quod adeptus est. Resignate per probitatem conscientiæ, felicitatem submitti posse amoris imperiis. Illa libera procerum colla, dum formam tribuitis, subjugate diligentiæ. Fas sit de vobis assuesci, ut amplissimus in societate retineat, quem minor acquiret. Ludit de illis casus, quibus oblivionem suorum indicet, quos ad celsa perducit. Apud scientem rerum relegere bona, non est admonitionis necessitas, sed laudis occasio. Novi fabricatam ad bona studia ingenii vestri tranquillitatem : quam ideo speciatim commemoro, ut ostendam, ubi affectio solida est honoribus nil licere. Sed epistolarem transcendi terminum, dum commendationi meæ multus inhæreo : redeo ad officia paginalis alloquii, et valere me nuntians, prosperitatis vestræ actutum secunda disquiro.

EPISTOLA VIII.

ENNODIUS SYMMACHO PAPÆ.

Usque ad temeritatem me apostolica dignatione promovistis : fiducia concessa exstitit mater audaciæ. Sed qui me humilitatis putat ignarum, obedientem probabit, si jussa consideret. Præsumptio est, si dominorum beneficia famuli non sequantur obsequium æstimandum puto, quod pariturus impendo. Ecce causam scriptionis asserui, quia veritus sum ne post imperatam styli curam tacens præcepta respuerem. Huc accessit quod in causa venerabilis memoriæ Marii, dum apud Urbem essem, spem meis precibus vos dedistis. Cujus negotium cum sancta Ecclesia vestra legitima pactione decisum est; sed hæredes ejus per annos plurimos, debitos sibi fructus defient fuisse subtractos. Pro quibus vestri conscius precator accedo : quia cui mos est pia jugiter facere, justa non despiciet; et qui largitur proprium, aliena non subtrahet. Errat qui Deo proximam conscientiam commodis credit invitari : detrimentum est sanctæ voluntati non exhibere beneficium. Sola putatis lucra, quæ vobis de liberalitate nascuntur; qui divitias dum tribuitis, accipitis. Avara est dispensatio sanctorum, quæ nil reservando, universa proprium reducit ad meritum : nulla sunt potiora, quam quæ vobis eveniunt de largitate compendia. Ergo securus comprehensi superius, hæredibus laboris promisi vestra contemplatione jacturam; vos pollicitationem meam benigna dispositione complete : et illos effectu, me relevate colloquio.

EPISTOLA IX.

ENNODIUS FAUSTO.

Solet epistolaris concinnatio, quando favore rapitur, judicia non amare, et copiosius facere beneficium dum attollit immeritos. Ille enim debet amplius asserenti, qui quod moribus non exigit, gratia scriptoris suffragante consequitur : quia nullis adjutus conscientiæ dotibus, jure ad allegantem reportat, si quid adipiscitur. Aliud est in eo qui commendatur, tanquam nobile germen, ita peregrinantia bona verbis inserere; aliud innata vulgare : quemadmodum si rusticum pecus Tyria confirmes purpura sponte vestiri; et virus generosum, quod vellus aheno inebriante non sorbuit, dicas rura diffundere. Tinguut alii linguæ murice, quæ nullus ad regalem usum fucus exhibuit, et discreti maris ignota cochleis lana solam lucem bibit eloquii : redditur dignum principalibus indumentis, quidquid in vili munere relatorum verba coloraverint. Sed ab hujusmodi me urbanitate vires pariter et vota subducunt. Nulla clarioris fuci flamina per me splendore rutilabunt : nemo dictum de aliquo inveniet, quod in ejus actibus non agnoscat. Hinc pudori meo vel proposito manum porrigo, quod illi prævium impendo oris officium, qui ad notitiam vestram rebus bene gestis occurrit. Venantium V. C. loquor idcirco a me paginale impetrasse obsequium, ut in se oculos vestræ magnitudinis invitaret; ne eum inter curarum moles contingeret ignorari. Sunt illi suffragia sua, per quæ inter susceptos vestros mereatur ascribi. Exhibuit vobis modestiam, religionem, innocentiam, quibus penetralia serenæ mentis comitibus introiret. Exuberant, mihi credite, apud eum insignia quæ fovetis : non laudatorem me continuo in eo probabitis fuisse, sed testem. Vos, mi domine, perlatori dignationem principe loco tribuite, ne vir

[1] *Juliano V. I. C. P.*] Id est, viro illustri, comiti patrimonii. Hæc monogramma cum Basilienses non intelligerent, *Juliano episcopo* inscripserunt. Sed vera lectio, quam reddidi ex Vaticano. Hic enim est Julianus comes patrimonii, ad quem exstat Theodorici regis rescriptum lib. I Variarum. epist. 15, eoque alludit Ennodius, cum purpuram ejus nominat. Quodnam autem munus fuerit Comitivæ sacri patrimonii, docet in ejus formula lib. VI idem Cassiodorus, et Glossæ juris nostræ, quæ primum ejus dignitatis auctorem faciunt Anastasium Aug. Sic enim habent : Πατριμονιάλια· ὅσα ἕκαστος βασιλεύς ἑαυτῷ κτᾶται· ὑπὸ βασιλέως Ἀναστασίου· αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐξευρὼν καὶ τὴν προσηγορίαν ταύτην, καί τὴν ἀρχὴν τοῦ κόμιτος τοῦ πατριμονίου.

bonus novitate turbetur : liquido aderit partibus suis, et vitæ opibus pensabit damna verborum.

EPISTOLA X.

ENNODIUS [1] TRASIMUNDO V. I.

Non temeritas me ad paginale duxit officium, quando ad omnem communionem subditum suum regiæ stirpis germen invitat. Est enim hæc claritas dominorum inserta natalibus, ut culmina sua dignatione subliment. Vultis quasi æquales tractare famulos, ut ab ipsa vobis per amorem conditione plus debeant. Unde, piissime domine, obsequium exhibens cum generalitate solvendum, significo me ad aliqua suggerenda perlatorem præsentium destinasse : vos effectu donate supplicem, quia spe fultus precator accessi.

EPISTOLA XI.

ENNODIUS LUMINOSO.

Qui amicam conscientiam manifestis pandit indiciis, tollit otium, quibus gratiæ præstiterit dignitatem. Vix enim feriata sint ora ejus, qui consuevit audiri : quia magnum dispendium pudoris est, verborum retinere beneficium, ut dum linguæ parcimus, honestatis prodiga frons laboret. Vos me garrulum fecistis, qui preces meas consuestis admittere. Sed ne præstanda circumloquar, et epistolæ prolixitate impetranda suspendam, ad rem redeo. Sublimis vir Laurentius reditus sibi debitos, quos Romana Ecclesia facta cum auctore ejus est pactione pollicita, a domno papa asserit sub nescio qua oppositione denegari. In quo negotio favorem per me vestræ defensionis implorat : ut rem quam debetis legibus, videamini exhibere diligentiæ, et illud crescat affectui, quod denegari non licet æquitati. Vos hanc rem juxta desideria mea tribuite : ut quantum nominato viro commoditatis accesserit, tantum me muneris accepisse confitear. Salutem ergo dicens, spero, ut circa munia litterarum, nec sincerus amor vacationem accipiat, nec facundia totius orbis celebrata testimonio conticescat.

EPISTOLA XII.

ENNODIUS JOANNI.

Natura partum est, ut cura migret in gaudium, et mutetur querela præconiis, quotiens cupita tribuuntur. Incertus animi fui quid sibi vellet sublimitatis tam longa cessatio : sed cum potiri datur optato, ipse pro partibus tuis honestum excusationis A genus inquiro. Vide quid faciant serena diligentiæ : quasi totum mihi ex sententia fluxerit, ita simplici munere placatus, errata concessi. Habes unde pii amoris formam possis assumere, et circa amicitiam constantiæ exempla mutuari. Me si sequeris, nec plura te a conjunctione peccata retrahunt, et unum benefactum sodalis tui culpas absolvet. Me silentii, frater, me oblivionis incessis? Ubi erat iste animus, quando nec promulgata colloquia meruere responsum ; nec ad styli imperandam sollicitudinem prævius existebas? ubi fuit inabstinentia tabellarum non circa omnes in Liguria custodita? Multis a desiderio tuo peregrinantibus, in solatio doloris paginas exhibendo, et mihi taciturnitatem continuasti, et illis præbuisti contra vota colloquium : quia est ista humana- B rum rerum ratio, ut pro magna cognatione par studium semper exstat. Cujus ordinis immemor, voluisti sociare quædam imperita cum litteris ; putans coire posse in affectum toto calle distantia. Quid promovit suada oratio tua, elucubratis concinnata sermonibus, quando bonarum artium nescios appellabat amante posthabito? Sed hinc alias ; nolo excessum multitudinem relegere, qui brevi satisfactione delinitus sum. Nam parcitate in eloquendis illis usus fueram, nisi nosse vos crederem, de offensis illud remanere quod tegitur, et quod in vocem erumpit amoveri. Domine mi, precor, ut posthac ad ea quæ male haberi didicisti, non tanquam emendationis contemptor aspires, sed crebro mihi dulces paginas C dirige, ut crescat dos facundo, dum servat sacramento concordiæ.

EPISTOLA XIII.

ENNODIUS CONSTANTIO V. I.

Servat magnitudo tua circa amicos et sæculares proprios illud quod sibi jungit ad gloriam. Dum enim nos memoria dignos ducitis, vos probatis. Nam diu in consolationem scripta suscipiens, absentiæ vestræ damna suspiro. O artificem scientiam bonis cœlestibus institutam! ne liceat aliquid prolixæ sequestrationi de affectu decerpere, præsentantes sacram imaginem litteras promulgatis. Novit Deus discussor sensuum, me culminis vestri recordatione macerari, et nullum invenire de optimi viri peregrinatione subsidium. Reddo tamen epistolari cura salutationis ob- D sequium, et dignationi vestræ gratiam referens, fratrem quoque meum Joannem per vos mihi resti-

[1] *Trasimundo V. I.*] Regi Vandalorum in Africa. Illustrem virum regem vocat, quia Illustratus titulo in Romano imperio nullus honorificentior : propterea hunc regibus tribuebant. Manent hodie prisci moris vestigia in diplomatis pontificum, in quibus reges viros illustres appellant. Quin et reges ipsi hunc sibi titulum addebant. Nam in antiquis regum nostrorum præceptis et constitutionibus nihil usitatius, quam Childebertus, Clotarius, Pippinus, Carolus rex, vir illuster. Cæterum Vandalici hujus regis qui Hunerico fratri successit, nomen varie scribitur a diversis. THRASAMUNDUS dicitur in acrostichide veteris epigrammatis a P. Pithœo editi lib. II, quod quidem etsi antiquariorum vitio depravatum subjicere non gravabor, tum ob ejus artificium hactenus minime deprehensum, tum quia cum ipsius regis nomine scriptum, thermisque ab eo conditis appositum sit, quo modo scribi hoc nomen tum soleret certius indicare videatur. Id vero est hujusmodi :

THRASA MUNDUS

Tranquillo, nymphæ, decurrite fluminis ortu.
Hic proba flagranti succedit vimine flebo,
Rupibus excelsis ubi nunc fastigia surgunt,
Æquanturque polo tectis præcelsa lavacra.
Sedibus hic magnis exardent marmora signis,
Ardua sublimes prævincunt culmina thermæ.
Muneraque eximius tanti dat luminis auctor.
Uni continuæ prænoscens præmia famæ
Non hic flamma nocebo tumdem discite carmen,
Discite vel quanta vivat sub gurgite lympha.
Vandalicum hic renovat clarum de semine nomen
Sub cujus titulo meritis stat gratia factis.

VOTA SERENANS

tutum esse confiteor. Cujus hactenus in oblivionem mei silentium quid gereret non tacebat: is nunc vestro mihi reformatus affectu ad adjuratam styli curam revertit. Rogo tamen vos ut maturetis reditum; aut si felix mora detinet, dilectionem manifestetis alloquio.

EPISTOLA XIV.

ENNODIUS FAUSTO.

Quæ sæpe mediocriter gratis impensa sunt, quotiens exhibentur verba conjunctis, quidquid favori obsecutum est, sereno mancipetur affectui. Non depictis amorem mentitur alloquiis, qui perlatori caro reddenda dominis scripta committit. In sublimis et magnifici viri Panfronii mei commendatione, ore feriato mens dictat epistolam. Nescio enim in quale culmen merita apud me viri, quam sum præfatus, extollam: in quo linguæ macies debitum pectoris nequit exprimere. Sed abdicandum esset mihi, etiam si suppeteret, facundiæ lenocinium: quia pauper sermo uberem diligentiam rectius confitetur: et si elevamus per effusas paginas illos, quos arcana nesciunt, jure tribuenda amantibus in artum tabella concluditur. Causam ergo modici sermonis elocutus, fœderatum fratrem quanquam paucis verbis insinuo: tamen multis obsequiis: ut jutus magnitudine vestra, in negotio suo circumstrepentium aliquando videatur superasse commenta. Quod restat, famulantem salutationem exhibens, me valere significo; si tamen prospera vestra certis indiciis mihi dispensatio superna concedat.

EPISTOLA XV.

ENNODIUS FAUSTO.

Proclivior ad impetrandum via est, quotiens a religioso aliquid exigit abjectio deprecantis: coactus enim præstat affectum, qui miseriis supplicis invitatur: non potest afferre obvia manus, cui imperat propositum afflictos audire. Perlator præsentium avito se cespite deflet abjectum, qui spei suæ residuum in vestro ponit examine: ne adversarii ejus potentia de lucro et securitate gratuletur. Vos legum sacramenta, vos defensio respicit submissorum. Ego partes meas commendatione munivi. Venerabile ergo nomen augete beneficiis: quia dum justa tribuitis, nec illa quæ ad misericordiam pertinent posthabetis. Domine mi, reverentiam salutati accipiens, ita precibus meis effectum tribue, ut proprium desiderium, dum honestas asseritur, possit impleri.

EPISTOLA XVI.

ENNODIUS AGAPITO.

Jure responsum multiplicibus posceretur alloquiis, si non ingratas exstitisse paginas meas magnitudinis tuæ silentium testaretur. Clama enim taciturnitas vestra, garrulum displicere; et novum vindictæ genus, ut opinor, inquirit, quando se non videt promovisse quod siluit. Agitis epistolari abstinentia, ne ab imperitis ad vos scripta mittantur. Ademptus tamen est effectus: providentiæ vestræ profutura tractate: crebrior factus sum, in scriptione contemptus. Sed brevem sermonem decet cohibere eum, qui magna doluerit. Cultorem vestrum fratrem meum Panfronium, epistolaris apud culmen vestrum cura comitatur: cui quidquid gratiæ concessum fuerit, me quoque impensorum vinculis obligabit: cui etiam aliqua de vicariæ dignitate suggerenda commisi. Vos petitionem meam ad effectum perducite; quia adsum partibus meis quotiens apud emendatissimos hominum cogor subire testimonium, dum certis exhibeo.

EPISTOLA XVII.

ENNODIUS [1] DECORATO.

Recte creditur enuntiatrix lingua esse penetralium, quæ latentis secreta animæ ad lucem vocat eloquio: nesciretur amor pectorum, nisi illum proditor indicaret. Jure veterum sapientia epistolis usa, quasi clavibus, repositum per eas vulgavit affectum. Tracta est in testimonium scriptionis mens testata diligentiam: mutari caritatem non licuit, quam desiderans pagina interveniente promisisset. Huic me ego consuetudini vel legi potius mancipavi, asserens litterarum fide, quod de magnitudine tua sensibus inolevit. Vos si mecum pari cura in devinctionem convenientes, si fida interpres amicitia se æstimans votum videt alterius, responsum deferens tabella significet. Ego munera salutationis impartiens, deliberationem meam non tanquam verborum avarus occului.

EPISTOLA XVIII.

ENNODIUS FAUSTO.

In asserendis quibus suum non denegat honestas plena suffragium, multiplicibus non utor alloquiis: ne prolixus sermo tanquam a negaturo videatur impetrasse beneficium: soletis enim quæ poscenda sunt, precibus anteferre. Ad sublimem et magnificum virum Opilionem, parentes ejus in Africa consistentes direxerunt certam diligentia inspirante personam: qua ad patrium solum remeante, hoc mihi muneris præfatus injunxit, ut ad magnificum virum [2] Agnel-

[1] *Decorato*] Major hic natu frater Honorati, ut dictum est ad epist. 28 lib. II. Nobile par fratrum advocatorum et ex advocatis quæstorum. De quorum utriusque laudibus multa Theodericus rex lib. V Variarum epist. 3 et 4 Honorato. *Tu* inquit, *Decoratus ex illo es, ille Honoratus ex te est.* Item de quæstura Decorati: *Tali igitur omine Decoratus evaluit: evaluit, inquam, ac se honoribus palatinis judicio nostro laudatus immiscuit, dignitatem sumens, quam solemus dare prudentibus.* Sed quæstor cum ad eum scripsit Ennodius, nondum erat. Humili conditum sepulcro fuisse testatur ejus epitaphium, quod inter Christiana monimenta legitur his verbis:

Hanc Decoratus opem subducta luce petivit,
Conderet exiguo ut sua membra loco,
Hinc, Spoletane, gemis; pateris hinc damna, viator,
Incassum quærens quis ferat auxilium.
Nam fessis tribuit requiem, miserosque levavit.
Justitiæ cultor, largus et hospes erat.
Fascibus insignis, generis nec stemmate pejor.
Hic lumen patriæ, hic decus omne fuit.

Fasces intelligit, quam diximus quæsturam. Spoletinorum meminit quia in eorum tribunali causas egerat, ut post ipsum Honoratus, auctore ibidem Cassiodoro.

[2] *Agnellum*] Patricium, qui in Africa versabatur. Theodericus rex Festo patricio: *Idcirco decernimus ut domus patricii Agnelli ad Africam discedentis, qui regnum petens alterius nostris est utilitatibus serviturus, salvis legibus tua tuitione valletur.* Lib. I Var. 15.

lum pro commendatione suorum a vobis scripta mereatur. Quam rem emendatissimi hominum non negabitis, non contenti benignitatem vestram solos in Italia positos agnovisse. Nunc obsequia mea litteris reddens, causam scriptionis verborum compendiis indicavi. Vos dicenti pauca præstate præcipua.

EPISTOLA XIX.

ENNODIUS APOLLINARI.

Producendo circa amantem vestri silentia ad absentiam corporalem animum transmisistis : retinendo paginas, in immensum crevit, quæ hactenus divisio nil valebat. Res eo rediit per abstinentiam tabellarum, ut veteris ævi providentia conferat nil amori. Rancessit caritas, quam verborum avarus despicit ventilare : sine cultura est diligentia in usum non reducta per paginas : styli frequentia vivaci pabulo insitam pectoribus nutrit amicitiam. Facilius, frater, fuerat desideriis meis te nullo tempore cupita tribuisse, quam sæpe indulta subtrahere : quia corda nesciunt, quæ cibis dulcibus pastor artifex irritasti. Aliquanto enim tempore continuando scriptionem, immemorem me sequestrationis effeceras, dum effigiem venerabilem placido inserebas alloquio : at nunc commeantium vacuas manus nudus inquisitor, inspicio. Ego tamen nolo errore meo alienas culpas asserere, ut quod factum doleo, admisisse convincar. Accipe ergo, emendatissime hominum, desideriorum solatia, per cœlestem gratiam absentibus attributa, et perlatores, si mei estis memores, sublevate; ut nesciant peregrinationis incommoda, dum nominatis patriam commendatio amica contulerit. Quibus remeantibus, nuntio me vestræ valetudinis sublevate.

EPISTOLA XX.

ENNODIUS JULIANO V. I.

Exercetur diligentiæ bonum scriptione multiplici : linguæ enim indicio animorum secreta panduntur. Assiduis curam impendit eloquiis, qui otium amore commutat. Hæc sunt officia, per quæ tacitus innotescit affectus. Familiaris perlator, nisi reddendas culmini vestro paginas accepisset, me oblitum reverentiæ vestræ testaretur. Nescio enim caritatis esse negligens, nec partam labore gratiam quieti serviens effugare. Multa debeo verba fœderi : sed ad brevitatem cogit epistola. Vale, mi domine, honorem salutati accipiens, et circa me adultam serva dignationem. Sic bono in medium ascitus reipublicæ, de felicitatis tuæ diuturnitate gratuleris.

EPISTOLA XXI.

ENNODIUS CONSTANTIO EPISCOPO.

Vigilius subdiaconus vester experiri voluit quanta mihi a vobis caritas redderetur; et ad occasionem profectus sui conjunctionem nostram conatus adducere, statum inter nos amicitiæ, dum augetur honoribus, vult metiri : quatenus ad ipsum fructus redeat, quem ex diligentiæ messe condidimus. Hunc si mereor, ad diaconii sacramenta perducite : ut dignitas præfati ad spem mihi proficiat majora poscendi. Sed

A ne petitionem negatus frustretur effectus, sic concessum meritis vestris locum per longa temporum intervalla teneatis.

EPISTOLA XXII.

ENNODIUS SYMMACHO PAPÆ.

Quamvis sublimi viro Laurentio assistat pro pignorum commendatione probitas sua, et patris prudentia causas sobolis exsequatur : attamen sollicitudine genitali ad ampliora procedit, et vix credit pro filiis sufficere quod meretur. Adjutricem in astipulatione germinis paginam quærit : et trepidante diligentia patrum ardorem nititur cum universitate partiri. Cogitate si viro optimo negari effectus potuit, et pia et justa poscenti. Tribuat divinitas effectum precibus ejus, et hunc beatitudinis vestræ nominatis con-
B ciliare dignetur affectum, ut erigat parvulos implorata coronæ vestræ miseratio : quatenus anxii circa ipsos genitoris vota superentur. Domine mi, spero ut promissa dudum benignitas in ea parte testimonium ferat, si comprehensis superius geminatam impendi gratiam, qui per me precatur, intelligat.

EPISTOLA XXIII.

ENNODIUS DOMINATORI.

Oportuerat quidem desideria vestra, quæ fratris Agnelli patefecit allegatio, ut tabella reseraret, et ad elicienda colloquia formam sermo prævius exhiberet : quia potuit tibi restitui quod debebis : nec ullo me colore defenderem, te loquente, a paginis abstinendo. In tuo jure fuit, linguæ nostræ ferias exercitio commutare, et rubiginem rusticantis eloquii fa-
C brilibus studiis amovere : quia sicut damnum caritatis est primum cupienti non dedicare sermonem : ita promulgatæ scriptioni silentium reddere, nec amicitiæ suadet memoria nec pudoris. Nunc tamen accessit ad genium meum, quod paginas imperasti; et si subtrahitur testimonio, quod nunquam in amore vires interrogo. Facessat ab ingeniis liberalibus, ut credas fascem esse intolerabilem, quem amicus imponit. Tu tantum exacta complectere, et censuram castigans rancida judicantium depone fastidia. Absit a te eum non fovere qui paruit. In spem altioris meriti trahitur, etiamsi veniat a moneta triviali, qui tibi impositum oris mancipavit obsequium. Ergo vale, mi domine, quia nolo fieri prolixa, quæ non sunt ad per-
D pendiculum fabricata colloquia. Tu messem gratiæ juxta fiduciam meam, tanquam uber solum restitue : quia in tuo posthac erit arbitrio, si crebro epistolas meas accipere volueris, his me muniis invitare.

EPISTOLA XXIV.

ENNODIUS FAUSTO.

Æger animus sicut silentia non patitur, ita processum narrationis abjurat : contestationi mœroris nec taciturnitas, nec colloquia prolixa conveniunt : arctatur pagina, cui vix inter gemitus verba tribuuntur. Sed quid assero linguæ ferias plus loquendo, et coactam necessariis epistolam terminis garrulitate polliceor? Deum quæso, ut anxietati meæ de manifesto prosperitatis vestræ succurrat indicio. Ille admittat lacrymas meas, cui clausa ora fabulantur : cui ad plenam legationem sufficit ex compunctione defluens

imber oculorum. Ego labefactatam non solum quietem meam, sed et salutem, inimicorum valetudine et rumorum procellis agnosco. Potens est divinitas immensæ tempestatis incerta bono serenitatis amovere. Vos, si de Deo mereor, salvete : et amanti in vobis conscientiam, non Ravennates excubias, tabellarum promulgatione consulite.

EPISTOLA XXV.

ENNODIUS [1] BASSO.

Si vetus diligentia quæ a parentibus meis erga amplitudinem tuam fructus uberes de gratiæ messe condebat, circa personam meam pro fidei memoria servaretur, monstraret frequentia litterarum, et insepultam caritatem testis pectoris sermo recluderet. At nunc oblitum mei te sentio; nec aliquam melioris sæculi retinere concordiam; quando nulla quæ sollicitudinem tuam resignet, scripta diriguntur. Sed ego desiderii impatientiam ad verba converti : qui scio tunc novellam amicitiam habere dulcedinem, si annosa servetur; et illud esse in affectione purius, quod nostri examinavere majores : sciens quia [2] si Camillum mente retines, Ennodium non omittes. Qua de re salutationis munera epistolari cura persolvens, precor ut bajulum præsentium, clericum meum, quem ad Gallias et suæ utilitatis et meæ jussionis causa perduxit, susceptum habere digneris. Quo remeante prospera vestra scriptione signate : ut si quid in amore damni fecit oblivio, epistolaris sollicitudo restituat.

EPISTOLA XXVI.

ENNODIUS [3] EUGENETI V. I.

Faustum cœlo omen adveniens auspicia vestra corroboret, et tirocinia canæ dignitatis suis muniant divina consiliis. Per vos supernus favor regat dominum libertatis : ut ex pectoris vestri fonte ad aures A principis defluat, quod in vobis æternus imber infuderit. Ecce quæ debui vota rudimentis, licet coactis in artum sermonibus, enarravi. Vos mementote promissi amoris et fœderis, ut sine mutationis dispendio debitum mihi quæstura dissolvat. Tenete circa me [4] animum decessoris : dignitatis vestræ pollicitatio non frangatur variata personis. Domini mei, salvete pro desiderio supplicis, et in magna beneficiorum promulgatione suscipite parca colloquia. Talis enim est usus felicium et natura meliorum, ut linguæ copias rebus et præstitis antecellant.

EPISTOLA XXVII.

ENNODIUS SENARIO.

Festinatio perlatoris in artum coegit epistolam, dolentem magna fecit pauca dictare. Apud eum ta- B men ista non gravant, qui inter sermonum angustias interpres et sensuum. Super tarditate enim domni Fausti et opinionum varietate discrucior. Vos post Deum anxietati meæ celeri rescriptione succurrite : quia deterius est incerta macerari spe, quam manifestam desperationem indicio amantis agnoscere. Valete, mi domini, et advertentes quid cupiam, votiva vel necessaria promulgate colloquia.

EPISTOLA XXVIII.

ENNODIUS AGAPITO.

Si mihi ex sententia dies fluerent, non negotiosis operam paginis potius quam obsequentibus exhiberem; nec munus caritatis ad officia peregrina transducerem. Sed coactus rem diligentiæ necessariis C commutavi. Sublimis enim et magnificus vir pro dolosis inimicorum laborat insidiis : qui per me æquitatis vestræ implorat patrocinium; ne prava concinnatio opinionem ejus permittatur incessere, et fabricati rumoris ferat forte compendium. Domine mi, salutationem largissimam dicens deprecor, ut ille qui

[1] *Basso*] Callo V. C. Sic enim appellavit epist. 20, lib. I. cui cum Ennodii parentibus vetus fuerat necessitudo,

[2] *Si Camillum mente retines*] Qui patrem amasti, filium non spernes. Ennodii ergo pater Camillus. Jam Ennodii parentes Gallos fuisse scimus e provincia Narbonensi, laremque in ea habuisse totam ejus ferme cognationem. Quibus sane argumentis, ac duorum simul Ennodii prænominum conjectura ducor, ut augurer Camillum ejus patrem illum ipsum fuisse, quem Sidonius carmine ad Felicem, summum ipsius patruelium vocat. Felix siquidem filius fuit Magni : pater Camilli, ejusdem Magni frater. Sidonius idem in descriptione convivii Arelatensis lib. I, epist. 11 : *Recumbente post se*, post Magnum scilicet exconsule, *Camillo filio fratris, qui duabus dignitatibus et ipse decursis pariter ornaverat proconsulatum patris, patrui consulatum.* Quare Felix et Camillus fratres erant patrueles, fratribus prognati. Camilli autem, ut conjicio, filius Ennodius noster, qui Magni Felicis prænomina a propatruo ejusque filio derivarit. Verum hæc nostra tantum est divinatio.

[3] *Eugeneti V. I.*] Quæstori palatii Theoderici regis. Hanc enim illi dignitatem gratulatur : quam etiam expressit carmine 2, quod de Eugenete ipso scriptum est :

Vox justi quæstor, legum substantia, nobis
Ceu Phœbus mittet carmina, plectra, lyram.

Fuit etiam postea magister officiorum, ut videre est lib. I Variar., epist. 12 et 13, in quibus Eugenetis doctrina cum eloquentia singulari præconio celebratur. Itemque ab Ennodio ibidem. Etenim principes fori Romani inter advocatos fuerat Olybrius et Eugenes : unde Athalaricus apud Cassiodorum lib. VII, epist. 19 de Felicis ad quæsturam promotione scribens ad Senatum : *Advocationis*, inquit, *laudem inter primarios eloquentiæ frequenter meruit invenire. Is contra magnum Olybrium stetit, is palmarum Eugenetis linguæ ubertate suffecit; et illis par fuit quos singulares Roma cognovit.* Porro Eugeneti pro Eugeni mutata declinatione eo genere metaplasmi di- D ctum est, quo Eutychetem, Diogenetem, Eusebetem, Niciatem, pro Eutychem, Diogenem, Eusebem, Niciam apud inferioris ævi scriptores nonnunquam offendimus, et in antiquis inscriptionibus sæpissime, ut in hac Romana :

D. M. S.
TI. CLAUDI
EUGENETIS
VIX. AN. XI. D. IX.
TI. CLAUDIUS
ANICETUS
PATER. FEC.

'Απλήρωτ' ἀΐδη, τί με νήπιον ἥρπασας ἄφνω;
Τί σπεύδεις; οὐ σοι πάντες ὀφειλόμεθα *.

[4] *Animum decessoris*] Fausti, opinor : quem supra quæstorem vidimus lib. II, epist. 25.

* Hoc est ad litteram : *Inexplete inferne, quare me juniorem rapuisti subito? Quid festinas? Non tibi omnes debemur* aut forte potius cum puncto interroganti, *non tibi omnes debemur*? EDIT.

in vobis notus est vigor assurgat, et quod a patribus vestris poscitur mei sermonis obsequio, ad impetrationem congruam perducatur.

EPISTOLA XXIX.

[1] ENNODIUS PAPÆ.

Cœlestis utilitatem sequacium cura disponit. [2] Inauspicata bene de Deo merentibus dona tribuuntur. Ingerit superna dispensatio etiam quod supplicare humanitas non præsumit. Agnoverunt adversarii sedis vestræ, quo propugnante vincantur : quod proxime de Aquileiensi redemptor noster persona reseravit. Et ideo inter excellentia munerum divinorum peto, ut mei corona vestra meminisse non abnuat. Invitat enim ad famulandum plurimos, qui quamvis longe positum diligit obsequentem. Vale.

EPISTOLA XXX.

ENNODIUS EUGENETI V. I.

Postquam prima spei meæ effectum dedere colloquia, ad usum sermonis ora diu feriata laxavi. Animatur enim successibus, etiam cui per conscientiam non suppetit Latiaris eruditio. Cessantibus studiis sæpe facundum gaudia reddiderunt : mœroris nubila hilaritas depellit, mox rutilantia per sudum verba discurrunt. Itaque aut perfectos nos lætitia monstrat, aut infantes facit adversitas. Hæc, mi domine, vobis etiam astipulantibus confirmantur. Ergo tempus prosperitatis amplexus, reddo debendæ salutationis affectum; sperans ut circa me nobilis promissio quæ a plenitudine gratiæ sumpsit exordium, quasi incrementis egena geminetur. Vale.

EPISTOLA XXXI.

ENNODIUS AVITO.

Licet multam nobis per litteras magnitudinis tuæ occasionem gaudii elementa pepererunt, cum ad hilaritatis obsequium index funeris sermo militasset, non tamen par lacrymis jucunditas contigit, nec mœroris turbidum ex toto colloquii serena depulerunt. Retinet afflictionem mens de tanti [3] decessione pontificis, etiam post desiderata colloquia : ab hoc, quia natura rerum est, ut quælibet lætitia vel modici angoris collatione superetur. Sed quid nova commemoratione facimus, quæ animum clandestina hactenus jactatione domuerunt? Votis vestris cum Dei adjutorio comitem me promitto : dummodo salva domni papæ nostri incolumitate, talem vos elegisse cognoscam, quem eum cui animæ cura est, laudare non pudeat. Nefas est enim credentem ad obliqua provocare, et quem affectu obligastis, per incerta deducere. Vale.

EPISTOLA XXXII.

ENNODIUS EUGENETI.

Non æstimo rem obsequii frequentia posse rancessere : nec culturam diligentiæ vitio garrulitatis ascribi. Suppetat forte de abstinentia tabellarum excusatio illis, qui publicæ utilitatis muniis occupantur : veniam non meretur, si a scriptionis assiduitate temperet absolutus. Liquido confitetur amoris negligentiam, qui cum possit, epistolas in quibus est affectionis pabulum, non ministrat : error otiosi est, si bene comperta mens per linguæ ferias desideratis attenuetur impasta colloquiis. Sed sicut nos religionem gratiæ fovere convenit, curis sæcularibus nil debentes : ita nisi magnitudo vestra partibus suis adfuerit promulgatione responsi, damnatis probe facta reticendo : quia si tollantur virtutibus præmia, quem laborasse non pudeat? Ecce quantum, æstimo, brevi elocutus utrorumque propositum; animo meo male esse confiteor, quod remeante Montanario, cum dedissem paginas, non recepi : quod debitum posco lege restitui, pudore geminari. Nunc vale, mi domine, et vestram quærens, propriam nuntians sospitatem, Deum precor, ut si mei memor est, prospera vestra multiplicet.

EPISTOLA XXXIII.

ENNODIUS SENARIO.

Si amor pudori acquiesceret, si caritatis impatientia verecundiæ lege teneretur, a paginalibus officiis temperarem, et silentii formam vestri imitator assumerem : non improvidus æstimator conjiciens, illa quibus remuneratio a vobis subtrahitur, non amari : nec suaderi facilius tabellarum abstinentiam, quam tacendo : [4] viros comitatensis exercitii per linguæ ferias clamare, quid respuant. Sed non ita est magnitudo tua lineis quadrata fabrilibus, ut quolibet tecta velamine amantis oculos possit effugere quia sine obstaculo vestium penetralia respicit mens amici. Nemo æstimet, quod latentis interna consilii apud caros aulicis excocta fornacibus celet urbanitas. Sed credo, querelis meis illud ordinis vestri aptum excusationibus genus opponas : Non recte ab occupatis otiosorum munia postulari; vix ad hæc officia posse descendere obsequiis principalibus adhærentes. Au-

[1] *Ennodius papæ*] Symmacho : quem papæ nomine perpetuo significat : omnes siquidem epistolas aut pene omnes illo superstite scripsit.

[2] *Inauspicata*] Nova significatione inauspicatum meliorem in partem posuit pro improviso et insperato bono, quod præter spem et exspectationem eveniat. Sic lib. I, epist. 5 : *Inauspicatis sucessibus illi provectuum incrementa ventura sunt, quem cœpisse videmus a fascibus.* Item lib. IX ad Cæsarium episcopum : *Unde parentibus meis inauspicata sublimitas?* et aliis quoque locis : cum inauspicatum, contra id dici soleat, quod sinistrum et infaustum, ut Plinio lib. XXVIII, cap. 2.

[3] *Decessione pontificis*] Aquileiensis. Ibi enim versabatur Avitus lib. V, epist. 20.

[4] *Viros comitatensis exercitii*] Quod munus comitatense dicitur leg. 38 cod. Theod. de Decurionibus. Comitatenses, sicut Palatini, generaliter interdum vocantur omnes qui in sacro palatio militant in principis comitatu. Quo sensu comitatensis jure dicitur Senarius, quem in regis obsequio inter exceptores meruisse ostensum est ad epist. 11, lib. III. Interdum Palatini peculiariter appellati, qui in officio erant utriusque comitis largitionum. Quorum ex numero, ut antiquæ juris glossæ docent, qui in palatio subsistebant, comitatenses nominabantur ; qui in provincias dirigebantur, mittendarii. Sic enim distinguunt : Παλατῖνος ὁ παλατιανὸς ὑπηρέτης. Παλατῖνοι γὰρ κοινῷ ὀνόματι πάντες ἐκαλοῦντο οἱ ἐν τοῖς κατὰ τὸ παλάτιον θησαυροῖς ὑπηρετοῦντες ταξεῶται· ἀλλ' οἱ μὲν ἀεὶ τῷ παλατίῳ προσεδρεύοντες, ἐλέγοντο κομιτατίσιοι· κομιτάτον γὰρ ὁ τόπος ἐν ᾧ διάγει ὁ βασιλεύς· οἱ δὲ εἰς τὰς ἐπαρχίας πεμπόμενοι, μιτενδάριοι· Μίτω γὰρ τὸ Ἀποστέλλω.

divi quidem sæpe talia : sed confiteor, non recepi : quia frequentes necessitates desideria transcendunt, et sine intermissione timor cedit affectui. Voluntas in culpa est, quiæ concinnata excusatione defenditur. Ecce, mi domine, quam magna doleam, cum officio salutationis asserui ; perlatorem utrique carum, pro fide sua et nobilitate commendans, ut beneficio culminis vestri inimicorum insolentia technis suis oppressa subjaceat. Vale.

EPISTOLA XXXIV.

ENNODIUS [1] HORMISDÆ.

Postquam votiva mihi necessitas vestra beneficio proximitatis desiderii cœpit spondere effectum, animo ad longiora transiistis ; et cum Liguriam pene manu contingitis, linguam feriis deputastis. Minus licuit absentiæ dum sanctitatem vestram prolixa viarum intervalla tenuerunt : pensabat confabulatio dispendia visionis, et in remediis provisa diligentiæ litterarum commercia præstabantur : per quæ officia inter habitatione discretos nil peribat affectui. Sed, credo, eligitis amicis difficiliora tribuere : non putantes beneficium, si pascar in tanta vicinitate colloquiis. At ergo casum meum versa æstimatione suspiro, ne beatitudo tua retulerit ad judicium, quod exhibuit blandimentis ; dum quod præcessit, ascribit tempori, non amori. Facessat a nostro in amicitiis frons picta proposito : nos ad hanc fabricam nulla præcedentium studiorum lima composuit : nudam scimus ad conjunctionem afferre concordiam : urbanitatem inter caros ut venena respuimus. Ergo, mi domine, salutationem accipiens, amantem tui in hac potius parte sectare, et ut culturam fidei per frequentiam sermonis impendas, et ex secreto pectoris infucata exspectanti verba concedas. Vale.

EPISTOLA XXXV.

ENNODIUS [2] APRONIANO.

In usu est viris morum claritate fulgentibus religionem amicitiæ per culturam nutrire colloquii : ut dum gratiæ germina fotu confabulationis animantur, ad messem conjunctio fœderata perveniat. Per hæc enim munia voluit senior providentia absentiæ nil licere. Merito de vobis emendatissimus hominum domnus Faustus prædicat singulare testimonium. Sine nube datur agnosci, nihil de eo dubitandum, quem probatus attollit. Sed nunc ad epistolæ angustias me reducens, secretis debitam laudem claudo penetralibus, ne quod apud externos faciendum est, apud vos importunitate rancescat. Vale, mi domine, salutationem obsequentissimam accipiens : Deum precor, ut prospera vestra in longum producens, mihi quoque secundis amicorum successibus spondeat auctionem. Vale.

[1] *Hormisdæ*] Diacono. Lib. VIII, epist. 33.

[2] *Aproniano*] V. I. comiti rei privatæ. Cassiodorus lib. VIII, epist. ultima : *Aproniano viro illustri comiti privatarum.* Sed nondum, opinor, hoc honore fungebatur.

LIBER QUINTUS.

EPISTOLA PRIMA.

ENNODIUS [1] LIBERIO PATRICIO.

Dum pro venerandæ religione conscientiæ verba dirigitis in Aquileiensis electione pontificis, et divinis initiata lingua cultibus militat consecrando, in ignoti nos diligentia sermonum vincula tenuerunt : quia nihil superat judiciis, quotiens aliquid probatus extulerit. Quid enim sententiæ sequacium derelinquat, quando justitiæ obsequitur, cujus in examen definitio non vocatur? Agitis bono conscientiæ quod vestro vix negaretur imperio. Exhibuit [2] inter arbitros Marcellini venerabilis collegam maximus hominum, humilitate sublimior : et ne potestati favor per obliquos ascriberetur interpretes, quod de proprio decerpsit genio, laudati junxit ad pretium. Egistis mediocrem, ne præcelsi esset suspecta prædicatio. Clarissimorum testimonia ut vires accipiant, culmina castigantur. Felix sacerdotium, cui facem prætulit plena mens luminis. Beata conversatio, quæ idcirco in discussionem deducta est, ut tanto viro astipulante superaret : quæ non didicis et saporem victoriæ, nisi subjacuisset incertis. Semper innocentibus gloriam adversa pepererunt ; providet defensores fortissimos mediocris impugnatio. Sed quid epistolæ terminos loquacitate produxi, coactas lege paginas in humana concinnatione transgressus? Jungo et ego, amplissimi, partibus vestris pro modulo exiguitatis propriæ, cœlo vobis obsequente, consensum : et quod mirabile inter homines habetur, consideratione vestri attrahor ad amorem. Inspirata mihi per alterum placet af-

[1] *Liberio patricio*] In synodo Arausicana II omnibus suis nominibus subscribit : PATRUS MARCELLUS FELIX LIBERIUS V. C ET INL. PRÆFECTUS PRÆTORIO GALLIARUM ATQUE PATRICIUS CONSENTIENS SUBSCRIPSI. Nihil habuit ætas illa Liberii nomine illustrius. Primum enim pro Odoacre adversus Theodericum fideliter stetit : post illo devicto sub Theoderico, quandiu is regnavit, summis togæ militiæque honoribus perfunctus, multa in Italia et Gallia præclara cum laude gessit : itemque sub Athalarico. Theodati etiam regis legatus ad Justinianum imperat. delectus : a Justiniano denique ipso militaribus copiis adversus Gothos in Italia et Sicilia præpositus, ἀνήρ, ut Procopius testatur, καλός τε καὶ ἀγαθὸς διαφερόντως, λόγου τε τοῦ ἀληθοῦς ἐπιμελεῖσθαι ἐξεπιστάμενος. Quorum omnium auctores nobis Cassiodorus lib. II Variar. 11 et 15 ; lib. VIII, epist. 6, et lib. XI, epist. 1. Procopius idem lib. I et III de Bello Gothico : et Ennodius ipse lib. IX, epist. 23 et 29, ubi plura de Liberio. Hanc porro epistolam tanquam Symmachi nomine scriptam ab Ennodio inter Symmachi epistolas collocarunt.

[2] *Inter arbitros Marcellini*] Honoratos videlicet, quorum arbitrium in antiquis episcoporum electionibus ac testimonum exquirebatur. Leo episcopis provinciæ Viennensis epistola 89 : *Exspectarentur certe vota civium, testimonia populorum : quæretur honoratorum arbitrium electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab iis qui norunt Patrum regulas custodiri.*

fectio; dum manet caritas imis inserta visceribus peregrinante persona. Comitem se tamen cœlestis gratia desideriis jungat: et dum cupitis datur effectus, aut inveniat bonum pontificatus, aut faciat. ([1] Valete, mi domine, et amantem vestri crebris relevate colloquiis: ut si non exigat negotiosas frequentia paginas, præstentur affectui.)

EPISTOLA II.

ENNODIUS [2] MARCIANO.

Dum inter spem et metum animus meus de te anxio jactaretur incerto, solida profectus tui indicia colloquii melle reserasti: quia domesticam origini tuæ facundiam fidelis doctrinæ hæres insequeris. Non degerat, ut video, vena linguarum; et peritiæ successio illo quo patrimonia jure discurrit. Putabam scientiæ dotes rem tantum ingeniorum esse, non familiæ, nec duci per stemmata quod labor continuus et indefessus sudor adipiscitur. Sed, quantum apparet, ordines suos servat eloquentia, et oris pompa quæ exundavit in veteribus, migrat ad posteros: concordat scientiæ cursus et fluminum: per consuetos alveos et dicendi unda prælabitur. Venit ad te cum censu patris eruditio; et bono sobolis Asterium sepulcra restituunt. Invidi, fateor, hactenus annis senioribus. Et ætatem cui ille concessus fuerat suspiravi. Beneficiorum cœlestium negligens æstimator, quando potui desperare de togæ fructibus, radicis manente substantia? Sed superna dispensatio, ut det genium beneficiis, improvisum facit esse quod tribuit: et dum vota transgreditur, potentiam suam liberalitate manifestat. Non est bonis partubus infecunda Liguria: nutrit foro germina, quæ libenter amplectatur et curia. Nota proximitate sociantur [3] causidicus et senator: his qui bene toga usi fuerint, reseratis susceptura sinibus palmata blanditur. Vale dulcissime, et ad hæc decora multus incumbe: totum te studia honesta suscipiant: festina, ut ad messem patriam venias, linguam lectionis sarculo, mores bonorum imitatione purgando.

EPISTOLA III.

ENNODIUS [4] OPILIONI V. I.

Debeo equidem prioribus responsa colloquiis, et in obsequio propositi vel pudoris, nisi pagina rusticante displiceam, accepta geminare; ne potioris dignatio ad pœnitentiam redeat de abjuratione fastidii. Nostro enim vitio in culmine constituti supercilii memoriam non amittunt, si illud male genus sectari et humiles suspicentur. Cum enim eminentissimos attollat castigatio sua, et honorum plenitudo sæcularium hoc solo artificio patiatur augmenta, considerandum est quid abjectis detrimenti pariat status angustia non metiti. Ergo sufficiat magnitudini vestræ quod post duplicem scriptionem sentio quid per silentium erroris incurrerim. Sed timui, confiteor, ne ad vitium me duceret fuga culparum; et sermo deputatus ad gratiam, dum nulla peritiæ lima comeretur, inveniret offensam. Refugi horrorem, qui ignaris de parendi occasione generatur. Ecce asserui habuisse me et animam depositum confitentis, et bene de viribus conscii in restitutione verecundiam. Restat autem, emendatissimi hominum, et illud placere vobis allegationis meæ inspectione cognoscam, quod hactenus accepta non reddidi. Fida enim index est possibilitatis nostræ consideratio; et sicut in omnibus præcipua, ita fama muniens circa linguæ maciem custodita, quasi crescit eloquentium dos pudore: facile prudentiæ nomen adipiscitur, cum per ipsum conticescat infantia. Causæ tamen quam injunxistis, jacturam frontis exhibeo, et dum imperata exsequor, opinionem ad incerta transmitto. Agnellus de casis per varias permissionum mihi illudit effigies, volens a nobis summam pretii designari. Sed mali hominis ardorem insatiabilem esse didicistis, qui nisi contemptu pecuniæ non sanetur. Domine mi, saluto et rogo ut religio circa me pii amoris servetur et fœderis.

EPISTOLA IV.

ENNODIUS [5] HELISEÆ.

Diu quæsitus desideriis meis evenit effectus: ut

---

[1] *Valete*] Omissis quæ sequuntur, codices Symmachiani epistolam ita concludunt: *Data* XVIII *calend. Novembr. die, indictione* VIII, hoc est anno, ut dixi, CDXCIX. Ex quo patet epistolas Ennodii ordinem suum non retinere. Alioquin hæ quæ de Marcellini electione agunt, superioribus præponi deberent.

[2] *Marciano*] Advocato, Asterii filio.

[3] *Causidicus et senator*] Ad curiam et senatum aditus per honores patebat: ad honores autem gradus erat advocatio. Unde Valentinianus novella de postulando, quæ est 34 inter Theodosianas, advocationem appellat SEMINARIUM DIGNITATUM. Vel quia ex primoribus advocatis plerumque fiebant quæstores, consulares, præsides et alii litterati magistratus: quod in Decorato et Honorato vidimus; passimque exstant exempla apud Marcellinum et Cassiodorum: quo quidem sensu locutum hoc loco arbitror Ennodium. Vel quia qui præfixum legibus numerum annorum in advocatione expleverant, diversarum deinceps dignitatum privilegiis ornabantur. Quo spectans Sidonius lib. I, epist. 11, advocatorum dignitates tum incipere dixit, cum actiones finiuntur.

[4] *Opilioni* V. *I.*] Sublimem et magnificum virum dixit lib. IV, epist. 18. Illum puto, qui postremis Theoderici temporibus consulatum cum Justino Aug. gessit anno 524 cujusque nomen concilio Carpentoratensi præfixum est, quod eo anno celebratum constat. Quod enim perperam ibi a sciolo quodam antiquario Opilioni consuli adjectus est collega Vincomalus, quia Opilionem alterum quem eumdem credebat, cum Vincomalo consulem anno 463 fuisse meminerat; id mirum videri minime debet: cum pari audacia in epistolas Hormisdæ papæ ad Possessorem, quæ Rustici consulis, cui collega fuit Vitalianus anno 520 subnotatum nomen habet in antiquis exemplaribus; cum Rustico Olybrium, qui cum Rustico altero ante annos sex et quinquaginta consul fuerat, in plerisque editionibus suppositum videamus. Sed ut ad Opilionem redeamus, diversus a consulari eadem ætate fuit Opilio Boetii delator, quem prestringit lib. I, de Consolatione. Is nimirum, quem Athalaricus postea, ut est apud Cassiod. lib. VIII, epist. 16, comitem sacrarum largitionum fecit indict. VI, hoc est anno 528, triennio postquam a Theoderico eadem comitiva ornatus fuerat Cyprianus ejus frater, delator et ipse, ut scribit Boetius, Albini consularis. Quin et horum quoque fratrum pater Opilio alius, qui comes item sacrarum largitionum fuerat sub Odoacre lib. Variar. X, 61.

[5] *Heliseæ*] Matri Aviti, Ennodii propinquæ, epist. 5.

detur genius beneficiis, transmissa in longum exspectatione tribuuntur. Vivit in quacunque terrarum parte proximitas : sequestratione corporum sanguinis catena non rumpitur : per discreta regionum caritas damna non sentit; quando inter eos qui habitatione separantur, præsentiæ vice tenetur affectio. Deo omnipotenti gratias refero, quia vos memores fecit esse pietatis, et prosapiæ sub religiosa occasione reminisci. Teste Deo, postquam mihi domna Cynegia meritum vestræ conversationis exposuit, visionem vestram speciali ardore requisivi, si votis copiam dedisset optata occasio. Domina, salutationis reverentiam dicens, in designato litteris vestris negotio ministerium devotionis spondeo : quia tantum præstatur animæ, quantum sanctis exhibetur studiis. Vere dico me nunquam dilexisse quem detestamini ; et veritum ne ad diri hominis profectum vester quoque inclinaretur assensus. Adsit Deus, ne ad ecclesiasticam dignitatem veniat nulla bonæ institutionis incude formatus.

EPISTOLA V.

ENNODIUS AVITO.

Vellem produci causam, si propositum non gravarem, per quam frequentia amantis scripta promerui. Dum enim negotiosas paginas destinatis, ministerium præbetis affectui. Sed apud prudentes et animorum conscios sufficiunt parca colloquia. Urbanus in promissionibus esse non sapio : nec eis quibus animam debeo, fucata fronte blandiri. Vos tantum cœptis insistite, et mandatis cœlestibus obsequentes, malum hominem quem dicitis, a desideriis deducatis. Me convenit plus rebus ostendere, quam sermone polliceri : quia quod tribuo, hoc mihi restitui incunctanter exspecto. Domine mi, salutationem plenissimam dicens rogo, ut domnæ Heliseæ communi matri pro me gratias agas ; quæ dignata est litteris suis vincula proximitatis ostendere.

EPISTOLA VI.

[1] LEONTIO ABBATI ENNODIUS

Supra meritum meum summa circa me beneficii cœlestis adolevit, dum qui pœna dignus sum, justorum præmia consecutus exsulto. Frustra delinquentes periculi mater desperatio ad extrema præcipitat. In errore maximo constituti, meo ad solidam spem reparentur exemplo. Nescio de quo opere mihi, de qua innocentia epistolarum vestrarum fructus accesserit ; et animam peccati ubertate locupletem cœlestis boni melle satiarit : nisi quia ille qui vulnera nostra suscepit et pro nobis doluit, mutata meritorum conditione, quos flagellis dignos viderit, castigat muneribus : et versa vice noxiorum animas, dum secundis

A replet, pudore meliorat. Superni ergo secreti dignatione confabulationis vestræ fruges elicui. Vos de corporis mei sanitate sollicitos ille reddidit, quia animæ meæ curam per spiritales medicos ad statum indutæ valetudinis redire compellit. Quæ sit in me substantia membrorum, religiosæ sollicitudinis investigatione perquiritis : quorum status animæ partem negligens, toto mundi istius gravatur imperio. Agite me talem oratione fieri, qualem asseritis blandimentis : quia fuci nescia propositi vestri claritudo, quem bonum esse prædicat ante tempus innocentiæ, annuntiat mox futurum. Fratribus meis et conservis quos direxistis, quantum exhibere solatii potui, voto potius quam re idoneus, non negavi. Superest ut accipientes obsequia mea cum universo cui præestis

B concilio, per Dei omnipotentis misericordiam conjurati, Deo pro parvitate mea precibus insistatis, ut cui deest per actiones suas fiducia, bonorum per suffragia vestra contingat.

EPISTOLA VII.

EUPREPIÆ ENNODIUS.

Quamvis sæpe ingenii mei maciem cognovisses, periclitari tamen jejunia oris olim probati jussionis celeritate voluisti. Sed ego non abnuo obedire diligenti, ut si facundiæ deest meritum, gratia veniat obsequendi. Variæ sunt donorum cœlestium, licet ab uno auctore progrediantur, species. Alium commendat perfectio, alterum insinuat quod sine tarditate aliqua vult parere. Domnæ meæ Cynegiæ epitaphium

C vix una hora habens tractandi spatium inelimata velocitate composui. Vide necessitatem, ut illam tantorum meritorum feminam verborum saltibus explicarem. Parcat sterilitati meæ venerabilis anima, suscipiens pro schemate dictionis studium sine nube dictoris. Tu, domina, epistolam præsentiæ meæ vice complectens, ora ut spiritus illius scabridis nequaquam lædatur officiis.

[2] EPITAPHIUM CYNEGIÆ.

Nil sexus, nec busta nocent, nil fila sororum
  Ultima, fallaci pollice quæ tenuant.
Mixta Deo mulier vivit post funera factis,
  Mascula femineo tramite gesta ferens.
Sanguis, honor, genius, probitas, constantia, vultus.
  Vicerunt tantis exitium pretiis.
Moribus asseruit magnorum stemma parentum,
  Iudicium generis [3] mens cui clara fuit.
Instituit natos vitam servare serenam,
D Dum docet exemplis semper amare Deum.

EPISTOLA VIII.

ENNODIUS [4] PETRO.

Postquam venerabilis judicium principis, periclitatis moribus magnitudinis tuæ, donavit te honorum germine pro messe virtutum, per linguæ ferias fovens irreligiosa silentia, et in eloquentia tua et in

[1] *Leontio abbati*] Cujus hortatu vitam beati Antonii scripsit, quam eidem nuncupavit.

[2] *Cynegiæ epitaphium*] Fausti uxoris. Hoc enim docet alterum ejus epitaphium, quod subjicitur ep. 29 lib. VII.

[3] *Mens cui clara*] Ita libri antiqui. Basilienses *mens tua clara*, inepte. Sed movebat illos voculæ *cui* diæresis et dimensio : quæ tamen veterum poetarum exemplis nititur : et Paulini Nolani in epithalamio Juliani : *Ut si ei vertex vir, cui Christus apex.* Nec ignoravit Goteschalcus monachus Orbacensis, cujus sunt versiculi quos subjiciam in proœmio carminis ad Ratramnum :

Age, quæso, perge Clio,
Propera celer virago,
Repeda sagax propago,
Cui frater est Apollo.
Fer amico ovans Ratramno.
Domino, patri, magistro,
Calamo metrum impolito,
Quod ei libens remitto.

[4] *Petro*] Illi fortasse qui postea consulatu ordinario functus est anno 516, cui nunc aliam quampiam dignitatem adepto gratulatur Ennodius.

meo amore peccasti. Quia naturalibus adolescit elocutio munita superciliis, quotiens prosperum famulatur indicio : copiosior facundia honorum militat incrementis : profectus suos non imparibus significant peritorum ora successibus. Ecce inamabilis taciturnitas, et vobis dicendi abstulit genium, et mihi lætitiæ invidit effectum. Referatis forsitan : Posses me, amice, de ignoratione culpare, si quid tibi de apice meo promiscuis dedicata nuntiis fama suppressit. Sed ego agnoscere carorum culmina rumore non patior : et manifesta gaudii colligere de opinionis inconstantia. Noveram quam mihi devinctionis spem simplex eruditi dudum fecisset allegatio : credebam frustra me in illa parte serenis animum auribus committere, unde tu me hilarem esse non jubebas. Illam ipsam mille alarum fabricatam) remigiis scriptionis tuæ æstimabam pedibus potuisse superari, ne amanti exspectata bona tibi fructum præripiens alter ingereret. Ecce, mi domine, honorem salutati accipiens, agnitis dolorum causis, remedia præparata non deneges : quia, quantum præsumo, nec fides in diligentia, nec ad unguem ductus sermo vos deserit in loquela. Non contentus tamen uno dicendi genere displicere, carmen adjeci : ut post epulas Antenorei gurgitis, quas [1] lavacra Aponi, coacta in artum carnis lege, castigant, dum illud quod aquarum fetibus distenditur, aqua desecat; ego quoque qui Heliconis fluenta non tetigi, poeta novus admiscear. Accipe ergo risum motura poemata; et [2] Glovidenum tuum te solum agnovisse contentus, a publico rigore me subtrahe : quia si est quod forte placeat, sententia mihi vestra sufficit : si quod morsu dignum sit, secretum puto quod de amici culpis agnoveris. Dabis etiam veniam, quia oculorum pressus angore poemata fortasse clauda composui. Non enim possunt esse versuum solidata vestigia, luminis officio destituta. Lege ergo aquas calidas, quas invises.

VERSUS.

[3] Tollitur adclivi tellus subnixa tumore,
Leniter elato fulta supercilio.
Verticibus nullis caput admovet illa superbum,
Nec similis pressis vallibus ima petit.
Fumiger hic patulis Aponus fluit undique venis.
Pacificus mixtis ignis anhelat aquis
Unda focos servat, non sorbet flamma liquorem;
Infuso crepitat fons sacer inde rogo.
Ebrius hic cunctis medicinam suggerit ardor.
Corpora desiccans rore vaporifero.
[4] Heic pyra gurgitibus, scintillis fluctuat humor :
Vivitur alternæ mortis amicitia.
Ne pareat, nymphis Vulcanus mergitur illis,
Fœdera naturæ rupit concordia pugnax.

EPISTOLA IX.

ENNODIUS FAUSTO.

Secundet desideria honesta divinitas : felix auspicium bonis non negetur studiis : ingenuæ intentiones prosperorum fructibus convalescant. Votorum obsidem tradidit honestati, qui ad liberales aspirat, superis faventibus, disciplinas. Bonarum affectus artium dirum dedignatur ingenium, ad eloquentiæ ornamenta non tendunt nisi moribus instituti. His [5] Parthenius noster, germanæ filius, incitatus stimulis Romam in qua est naturalis eruditio, festinat invisere : cui magnitudinis vestræ suffragia sum paterna pollicitus. Datur culmini vestro par supplicantem genius, dum quod usus exigit, precibus imploramus : ceu si quis credat se ortum solis, cursum fluminis oratione promereri. Non est beneficium, ubi ordo servatur : mori obsequitur, quod obligat universos. Ego tamen supra cursum a quo nequaquam disceditis, aliquid accepturus occurro. Direxi personam, in qua meritorum meorum status æstimetur. Alios forsitan commendatio juvet indebita : parentibus minus est quidquid superare non possumus. Domine mi, servitia salutationis repræsentans, portitorem paucis ejusque negotium elocutus, restat ut agnoscam quid mereatur persona, causa, proximitas.

EPISTOLA X.

SYMMACHO PAPÆ ENNODIUS.

Dum sedem apostolicam coronæ vestræ cura moderatur, et cœlestis imperii apicem regitis, blanditur profectibus parentum, quod [6] meis promissum tenetur officiis. Spem sine labore obtinet apud constantem virum fideliter obsecutus. Grandis est pompa præstantis, quotiens quod unus meruit pluribus repensatur. Superiorum instituta sectantur, per quos generatio recipit quod persona condiderit. Sic Israelitici delicta populi propter David pœna non tetigit, dum genti opitulata est præcessoris integritas, et fides hominis aut eripuit de errore populum, aut juvit in gratia. Parthenius igitur præsentium portitor, germanæ filius, hac ad coronam vertram fiducia animante directus est ; quem sollicitudo liberalis Romam

[1] *Lavacra Aponi*] Corruptum hic nomen erat nobilissimi fontis, qui hodieque propter salutares aquas magna hominum frequentia celebratur in agro Patavino quæ Apona tellus ab hoc fonte dicta Martiali, ut Antenorea Ennodio et aliis, ab eo quam Trojanæ coloniæ auctorem ferunt. In Aponi aquas lusit etiam peculiari carmine Claudianus : et Cassiodorus suo more in epistola quam Theoderici regis nomine dictavit ad Aloysium architectum, ut Patavinarum thermarum ædificia instauret, totam Aponi naturam, vim atque usum scitissime atque ingeniosissime describit, lib. II, epist. 39.

[2] *Glovidenum tuum*] In præfatione carminis ad Faustum : *Ad Camænalem tamen ignominiam, quibus nunquam gluvidinus deest, versus adjeci.* Satis apparet glovidenum ab Ennodio sæculi sui voce eo fere sensu poni quo gurdonicum a Sulpicio Severo, pro rudi et imperito. *Vereor*, inquit, *ne offendat vestras nimium urbanas aures sermo rusticior. Audietis tamen, ut gurdonicum hominem, nihil cum fuco aut coturno loquentem.* Sed gurdonicum a gurdo deduci, hoc est lento et inutili, ut interpretatur Isidorus, facilis est conjectura : gluvideni quænam sit origo, non item.

[3] *Tollitur adclivi*] Claudianus de Aponi balneis :
Alto colle minor, parvis erectior arvis,
Conspicuo clivus molliter orbe nitet.
Ardentis fecundus aquæ, quicunque cavernas
Perforat, offenso truditur igne latex.

[4] *Hic pyra gurgitibus*] Sic legendum pro *pera*, quod est in antiquis, nota litteræ mutatione : ut lib. I, epist. 4, *peripoma* pro *pyripoma*. Paribus antithetis de eadem rescribens utitur Cassiodorus : *Juvat videre secretum, latices vapores igneos exhalantes, amicum undis indesinenter ardorem, et calorem venire de cursu rivi, unde usualiter solebat exstingui.*

[5] *Parthenius noster*] De quo lib. VI, epist. 1.

[6] *Meis officiis*] Quæ in Symmachi causa præstiterat, tum cæteris in rebus, tum maxime in Apologia pro synodo, cujus defensione Symmachi innocentia nitebatur,

coegit expetere. Sancta sunt studia litterarum in quibus ante incrementa peritiæ vitia dediscuntur. Hoc itinere cana ad annos pueriles solent venire consilia : dum quod ætas refugit norunt instituta præstare. Fovete ergo : [1] veniendi causas patefacta consanguinitate didicistis. Habetis obsidem, in quo dilucide meritorum apud vos meorum qualitas innotescat. Domine, ut supra, salutationis reverentiam obsequiorum devotione restituens, precor ut perlator præsentium famulus vester felici sorte peregrini apud vos nomen excipiat : quia quod attributum fuerit precibus meis, vestrum supra dotes suas ornat officium.

EPISTOLA XI.

ENNODIUS LUMINOSO.

Videor apud quos plurimis asserendus est, quem instituti liberalis cura sollicitat : vos patronos meruit causa communis. Non ignari peregrinos suscipitis, nec erudiendos animatis. Expertis manus necessitatibus frequenter adhibetur, dum ad eloquentiæ palmam feriato ore eos qui titubant invitatis. Exemplis hortatur ex peregrino potens, ex insipiente perfectus. Utraque Parthenio, germanæ meæ filio, pars convenit : cui ad venerabiles disciplinas Romam petenti, pro ferratis calcaribus sufficit vos videre. Si ab humanitate non discrepat, sublimitatem tuam gerens ante oculos, rebus ad virtutem potius quam monitis excitatur. Magistra laboris est laudis ambitio, præcipue quando in illo exuberat, quem similis retineas fuisse fortunæ. Sed si vobis cordi sum, circa memoratum patrem reddite, ut amor mutuus de vicaria impensione gratuletur : ut quidquid in magnitudine tua dudum laboris exhibui, mihi per alterum reformetur. Domine, ut supra, salutationis obsequia dependens, satis esse ad commendationem credidi, si qui esset portitor non lateret. Precum prolixitate utitur de impetratione diffidens : argumentum est nil merentis, diu rogare. Facessat a moribus tuis, ut perdas beneficiorum genium, dum longa supplicatione producitur de effectu celeri sublevandus.

EPISTOLA XII.

ENNODIUS FAUSTO JUNIORI.

Deo gratias præfatus, qui oculorum meorum quas inexplicabilis dolor pepererat nubes abstersit : jure ad ipsum beneficia sua referens, qui lumen dedit et reddidit. Vix enim post innumeros dies sanitatis fiducia animante respiro. Et hoc ad sententiam culminis vestri prolixiorem respicit, ut quem genius suus de vicinitate deseruit, nil videret : sed potens est ille qui corporis tollit nebulas, rerum serenitate mutare tristitiam. Post elocutionem necessitatis, ad negotium redeo quod coactum impetravit alloquium. Amabitis, ut spero, bajulum quem asserit causa veniendi. Parthenius, sororis meæ filius, per liberalis studii disciplinas ingenuus vult videri : optat, ni fallor, peculii vestri habere testimonium. Magnitudo igitur vestra præteritorum tenax, memor præsentium, prudens futuri, perlatorem pro mea commendatione suscipiat : et qui erit per visionem vestram scribente felicior, peregrinationis non patiatur adversa sentire. Domine mi, debitum servitium reddens precor ut vel per hanc occasionem qua illinc Parthenius susceptas poterit paginas destinare, desiderati multiplicetur forma colloquii.

EPISTOLA XIII.

ENNODIUS HORMISDÆ.

Scimus religiosi sacramenta propositi ab obnoxia peccatis multitudine, innocentia et fide separari, et titulos venerabilis officii mores potius insignire quam corpora. Quis bonum conscientiæ inter homines quærat, si mundi adhibenda est circa pontificum statuta necessitas, si sacerdotum promissio circumspecta cautione servabitur? Nunquam habuit in affectu constantiam, cui facere aliud de pollicitatione non licuit. Sæculi conversatio legum metu retinetur : Dei famulos quod bonum est exhibere convenit non formidini, sed amori. Dudum dum nobis metus instaret, et de clementia pii regis dubio meritorum æstimatione penderemus incerto, camelos tot dandos [2] domno papæ tali reverentiæ vestræ conditione tradidimus, ut si nobis animalia ipsa non essent necessaria, justum pro ipsis pretium mitteretur. Et quia novit optime [3] sanctitas vestra, nos, dum potuimus, per allegationem tuam utilitates sanctæ Romanæ Ecclesiæ sublevasse, nunc pro vicissitudine facite de veritate beneficium. Quæsumus etiam, salutatione præfata, ut quid super hac parte deliberatio vestra habeat, indicetis : quia credimus nec præfatum sedis apostolicæ præsulem, nec vos qui mediatores existitis, aliud cogitare, nisi quod et proposito et justitiæ sine dubitatione conveniat.

EPISTOLA XIV.

ENNODIUS [4] SERVILIONI.

De perfectione confidunt discipuli, quotiens magistrorum præsentiam præstolantur. Spes eruditionis manifesta est, ut fruatur genio suo, invitare doctorem : clara sunt ingenia, quæ instruentum agitantur desideriis : monitorem requirunt, qui felici sorte didicerunt. Sic ergo sanctitatis tuæ affectione possessus, quanquam me de peritia jactare non audeam, vultum tamen præceptoris exspecto : ne degeneri te credas ecclesiasticum germen filio commisisse : quia quamvis memoria mea ad centenos se non valeat fructus extollere; scit tamen semina multiplicata redhibere cultori. Veni ergo, ut coram positus segetem tuam boni agricolæ vice respicias. Deus procul avertat in-

[1] In edit. Schotti, *cujus veniendi*, etc.

[2] *Domno papæ*] Symmacho : et hoc igitur inter Ennodii erga Symmachum beneficia numerandum.

[3] *Sanctitas vestra*] Ut *Beatitudo tua*, supra lib. IV, epist 34 Hormisdæ eidem. Rata compellatio in allocutione diaconi, cujus ordinis erat Hormisda. Est enim episcoporum potius vel presbyterorum προσφώνησις. Attamen eumdem Hormisdam diaconum tacito nomine sanctissimum etiam vocat lib. VII, epist. 28 ad Maximum : *Habes quæ cum diacono sanctissimo de institutis morum nota dicendi ubertate communices.*

[4] *Servilioni*] Ennodii magistro, a quo ecclesiasticis institutis fuerat imbutus.

vidiam. Ita vomeribus tuis ecclesiasticæ fecunditatis A planta convaluit, ut nulla sævientis procellæ possit impulsione subverti. Nolo præjudicio laudi sanctitatis tuæ gravare conscientiam : inspicies quæ litterarum testimonio declarantur. Superest, salutatione prælata, ut ad gaudia tua jam properes : quia divina beneficia gradibus semper accedunt, et quibus bona conferunt, meliora pollicentur.

EPISTOLA XV.

ENNODIUS SENARIO.

Nunquam apud Deum fusa deprecatio votivo nudatur effectu, apud quem hilaritas lacrymis obtinetur, et mœror transit in lætitiam. Adfuit Divinitatis auxilium desideriis meis, et te, animæ meæ major portio, [1] de prolixis gentium finibus gratia duce re- B vocavit. Vere non possum epistolam in multa verba diffundere, impeditus, fletibus, quos gaudia in cumulum adducta pepererunt. Fac, mi domine, parvitati meæ cœlestis doni plenitudinem non perire. Unum uterque habeamus hospitium : nec de parietum angustia sollicitudo generetur; quando unum pectus sufficiens animabus nostris præstat habitaculum.

EPISTOLA XVI.

ENNODIUS [2] PANFRONIO.

Magna sunt gaudiorum imperia : expers est continentiæ hilaritas, et in vocem gestit erumpere. Venit optatis desideriis dies, et ille quem nunquam de meritis meis, sed semper de superna pietate postulavi, magnitudini tuæ splendor accessit : redditus est ge- C neri et moribus tuis apex, per quem conscientiæ fidelis in lucem prodire non formidet integritas. Deus bone, indulta custodi : auge successibus quod dedisti : fac circa servum tuum primum esse gradum, qui summus est. Præcipio spe futura, quæ deprecor : nesciunt in foribus hærere, quæ cœlo auctore tribuuntur. Semper incrementis ad culmen ascenditur, ubi supernus favor præstat exordium. Quis hoc in vita hominum vel eorum qui conversationem suam nulla custodiunt nube sordentem, accessisse sibi die una gratuletur; te honorum auspicia ingressum, et dulce meum Senarium ab ultimis terrarum partibus restitutum? Brevis horarum cursus interfuit, ut et tu palatio natus, et ille sit redditus. In veritate dico, et de Dei misericordia mihi securus spondeo, fragilitati D meæ præsidia cœlo obsequente concedi. Spondetur mihi, quod vobis est præstitum. Domine mi, salutationis obsequia suscipiens, rogo ut si quid amori meo tribuis, dominum animæ meæ Senarium, ut apud me maneat, exorare pleniter non omittas. Quod nisi obtinueris, multum mihi de hilaritatis cumulo decerpsisti.

EPISTOLA XVII.

ENNODIUS AVIENO.

Bene magnitudo vestra, dum origini et moribus præstat obsequium, emendationem sine intervallo conjungit errori : et quod peccatum sapienter intelligit, priusquam altero denuntietur, avertit. Quis credat deliquisse in correctione velocissimum? pene non vocandus est sectator excessum, qui obviam manum ponit in subreptione culparum. Hæc, mi domine, ad ea quæ dignatus es scribere, gratia vestra duce respondeo. Cæterum humiliorem me proposito actuum meorum pondera reddiderunt : vix miseria remansi idoneus reformare colloquia. Domine mi, salutationis obsequia præsentans, Deum rogo, qui culminibus vestris fructum pro hac qua humilem non spernitis, consideratione restituat.

EPISTOLA XVIII.

ENNODIUS FAUSTO.

Vix est ut intentus rebus felicibus adversa prænoscat : velut sinistrum enim animi omen repudiat, si quid de austeritate futurorum intellectu præcedente respexerit : certe ne et alieno tempore amaræ se misceant, ipsa molestiarum horret agnitio. Nullo credebam intervallo nunc inamabilem Ravennam, dum erat thesauris meis plena, distare : non me sic sitientem fons, æstuantem aura, ut illa ad se non lassum requies invitabat. At nunc ipsa Roma puto ad longiora, pro peccatorum meorum fasce, translata est. Ubi est illa, quæ rara putabatur, frequentia litterarum? ubi crebra visio? ubi tot solatia diligentiæ? Vere pro meis partibus loquor : detestor vitam, quæ nec in ærumna constitutis est odio. Allegat forsitan culmen suum, sibi pro superna dispensatione cupita contigisse. Non est plena felicitas, quando nostrorum aliquis miseriis duræ sequestrationis affligitur. Deo credite, non sunt fucata quæ defleo; nec ad explicandam cordis tragœdiam, aut epistolaris concinnatio sufficit, aut sermonis angustia. Christe, rerum arbiter, propriæ succurre necessitati; ne humana fragilitas, ad immensi fascem doloris non sufficiens, pressa succumbat. Domine mi, salutationis servitia dependens, rogo, ut paginalis circa me cura servetur : ut vel hoc remedio inter æstus mens constituta respiret.

EPISTOLA XIX.

ENNODIUS PARTHENIO.

Non in te admiror sermonis abstinentiam : quia qui exigua condiderit, nil producit. Credis sub hac occasione profectus tui latere substantiam? et taciturnitatis imperitiam prodit, et infabricata confabulatio manifestat infantiam. Interea ante inops gratiæ

[1] *De prolixis gentium finibus*] Epist. sequenti : *Senarium ab ultimis terrarum partibus restitutum* : ex legatione nimirum aliqua. Frequenter enim delectum in legationis honorem fuisse constat. Cassiodorus lib. IV, epist. 3 Senario : *Subiisti sæpe arduæ legationis officium : restitisti regibus non impar assertor, coactus justitiam nostram et illis ostendere, qui rationem vix poterant cruda obstinatione sentire. Non te terruit contentionibus inflammata auctoritas : subjugati quinimo audaciam veritati, et obsecutus ordinationibus nostris in conscientiam suam barbaros coegisti.*

[2] *Panfronio*] Sublimem et magnificum virum appellavit lib. II, epist. 16, et lib. VI, epist. 14, quibus illum Fausto commendat. Pro eodem scribit et Agapito epist. 16, ubi aliquid insinuat de Vicariæ dignitate, quam illi fortasse hoc loco gratulatur. Illustrem virum dicet lib. VII, epist. 1.

non fuisti, sciens quid diligentia, quid amantis sollicitudo flagitaret : factus es bonarum rerum nescius, postquam te ad obtinenda quæ putantur maxima, transmisimus. Quod restat, vale, et accipiens monitoris verba, melioratum te scriptionis assiduitate divulga.

EPISTOLA XX.

ENNODIUS AVITO.

Dum remedia sua quærit affectio, et æstum sollicitudinis colloquio cupit mediante relevari, ardescit animus provisionis beneficio : unde exstingui creditur, geminatum diligentiæ surgit incendium. Sæpe mihi bajulorum copiam perquirenti inde ægrescere contigit, unde opinabar quod prodesset accidere. Ecce medetur desideriis meis, qui suorum ad vos causa properavit : fit adjumentum necessitatis alienæ, quod propriæ consideratione suscipitur. Videro quid commendatione mea Bonifacius promoveat : interim opitulatur studiis meis, quod prolixis a me precibus impetravit. Hunc bonis ortum natalibus testis sanguinis mens designat. Germanum suum præfatus in vicinitate Aquileiensis civitatis asserit esse captivum : qui ut a vobis juvetur, exposcit, Sanctæ domus vestræ consuetudo vulgata est : talem vitam bonorum actuum obsidem jam dedistis, a qua velut debitum poscat, qui calamitate deprimitur. Domine mi, accipientes plenæ salutationis obsequium, facite exorari, quod sponte consuevistis, ut qui vestris supplex est, alteri eum esse non liceat.

EPISTOLA XXI.

ENNODIUS AVITO.

Astipulatorem me opinionis suæ magnitudo vestra ita supplicatione postulat, quasi ad amicitias recenti adhuc sim incude formatus : aut non genio suo defraudet, qui propositum diligentiæ sub quacunque occasione commutat. Facessat a Christianis moribus varia de amante sententia : qui officium oris sui dedicaverit laudibus, liberum non habet inchoata deserere, ne devenustet præfati mella præconii vilitate sequentium. Videro qui [1] ingenium credat esse sectari novitatem; ego ut tarde amicos eligo, ita in his indemutabiliter persevero. Mihi adsum, quotiens opinionem vestram astris æquavero : quia apud quos ignoti sumus moribus nostris, de sodalibus æstimamur. Vere fateor splendorem conscientiæ vestræ, famæ vice, copiosius [2] effudi. Ante adventum culminis tui, obsequio sermonis mei in Liguria, quanti essetis, innotuit. Deo gratias, qui cum sententia mea * generalitatem fecit habere concordiam. Utinam me non humiliaret paupertas eloquii ! plus habent vota de meritis tuis, quam proferat lingua de laudibus : inops facundiæ per quoscunque strepitus quæ gloriæ tuæ potuerunt convenire, non tacui. Facta est lux genii vestri conscientiæ meæ demonstratio. Procul

A avertat divinitas, ne unquam testimonio meo fragilitas claris moribus inimica subripiat. Nulla est, quam opime texuistis, in vobis erroris causa quam recolam : et si pro meritis meis exstitisset, bonorum veterum recordatione sopiretur. Quod restat, valete, mi domine, et iter meum votorum benignitate prosecuti, caritatis recordatione absentiæ meæ damna pensate.

EPISTOLA XXII.

ENNODIUS [3] VENANTIO.

Si proximitas sanguinis ad diligentiam mentes invitat, pii amoris obsecutus imperiis, gestio me prævium præstitisse sermonem, et orditum paginas amplectendis viam reserasse colloquiis. Diu quidem cassa exspectatione maceratus, dum operior paginas, non emisi. Sed calcaribus suis animum meum fodit B affectio, et ad tabellarum munia priorem fecit accedere. [4] Habes prærogativam, si bene conjicio, plus amantis : qui et post productum silentii vestri studium loquor, et debeo verecundia commendare quod tacui. Nunc tamen, ne epistolaris concinnatio transgressa terminum devenustet auctorem, salutationis servitia deponendo, etsi mereor, dignationi vestræ conciliandus occurro : quia potiorum sublimitas communione geminatur, et facem præfert eminentissimo gratia concessa subjectis.

EPISTOLA XXIII.

ENNODIUS CONSTANTIO.

Si liceret cum magnitudine vestra æqua sorte contendi : si honores, ætas, meritum quod vobis facem C prætulit, nos non in umbram cogeret, ego potius culmen vestrum de tabellarum abstinentia jure culparem ; qui postquam ad urbem Romam profecti estis, nulla me recordationis fruge sublevastis. Sed vide, per rerum providentiam quam cauta est seniorum dispensatio, et fabricatis plena sermonibus : prævenitur querelis innocentia : et ne dolorem suum in lucem producat, arguitur : fit rea, ne faciat. Ergo hæc mihi digrediens promissa contuleras ? hæc deosculatum fiducia sublevasti, ut crederem mei immemores vos futuros ? an ad aliud attributæ sunt paginæ, nisi ut secreta pectorum oris clave manifestent ? Sed abstineo prolixitate paginali, ne grandiorem generet confabulatio producta rancorem. Ad salutationis obsequia me reduco, rogans ut pro me apud apostolos D Dei preces effundas, ut eorum beneficiis mortalis angustiæ superetur obscenitas, et de puro mandatorum cœlestium tramite mens serena gratuletur.

EPISTOLA XXIV.

ENNODIUS LACONIO.

Bene cupitis superna dispensatio dedit effectum, et de negotiosi occasione colloquii fraternam refovens diligentiam, quod putabatur necessarium, fecit optabile. Hinc cœlestis cura nepti meæ procul non omnino a sanguine nostro peregrinantem jussit accedere :

[1] In edit. Schotti, *ingenuum*.
[2] In edit. Schotti, *effundi*.
[3] *Venantio*] Viro clarissimo, lib. IV, epist. 9. Duos hujus ævi Venantios commemorat Cassiodorus. Unum virum spectabilem, correctorem Lucaniæ et Brutiorum lib. III, epist. 8 et 46, quem quidem eumdem fuisse cum Ennodiano nihil vetat. Alterum Liberii filium, virum illustrem, qui comes domesticorum vacans, creatur a Theoderico lib. II, epist. 15, et Venantius patricius dicitur lib. IV, epist. 36.
[4] In edit. Schotti, *Habeo*.
* *Generalitatem*] An *generalem* ? Sed nihil muto.

ut dum consulendi instat opportunitas, sancto amori pabula præstarentur. Vix sustinebam, fateor, procurati studia longa silentii : sed interpres mitior putabam applicandum timori quod subducebatur affectui. Deo gratias qui ad usum styli fraternitatem vestram reduxit et gratiæ. [1] Divinis tamen legibus cognationem indiculo comprehensam in matrimonio licere sociari, sine dubitatione noveritis. Sed continuo ad urbem Romam homines meos dirigo, exacturus a venerabili papa super hac parte responsum, ut animum vestrum potioris præcepti firmet auctoritas. Domine, ut supra, salutationem plenissimam accipientes, sanctum quoque et communem patrem parilis noveritis esse sententiæ : cujus ad vos per hominem meum, si divinus favor annuerit, cum sedis apostolicæ apicibus litteras destinabo.

EPISTOLA XXV.

ENNODIUS AVITO.

Quam sæpe aliena peccata nos ingravant, et quod a nobis non oritur, jure nostro imputatur excessui ! Ex me didici fidem veterum non perire, dum per negotia novella cana poetarum reparatur annuntiatio. De me dictum æstimo, *Decidit infelix alieno vulnere* (*Æneid.* x). Super exspectandæ memoriæ viri Sabini [2] filio exhibetur præfata concinnatio : qui hactenus ægritudinis tentus obstaculis, sine vitio suo constituta violavit. Fateor, pene animum meum reum fecerat magnitudinis vestræ dives assertio, et credebam culpam esse propriam, quam conscientia non habebat. Ecce, ut primum in bonam valetudinem reductus est, Mediolanum cum summa properatione commeavit. Cætera apud vos alleganda esse non credidi : quia qui commendat magnis viris justitiam, oblivionem videtur æquitatis opponere. Domine mi, salutationis plenissimæ munus exhibeo : et quod superest, quæso ut status circa me gratiæ vestræ, quamvis sit plenissimus, adhuc tamen recipere cogatur augmenta.

EPISTOLA XXVI.

ENNODIUS AGAPITO.

Resistunt peccata desideriis, et ut meritorum status delinquentibus innotescat, a labiorum proximitate cupita subtrahuntur. Acrius affligunt oblata, cum A pereunt : potior sitis est, quam undarum gustus exaggerat : non urunt memoriam prima fronte negata beneficia : quis ferat ingestam oculis æquo animo se perdidisse dulcedinem ? Sed recte ista ad supernam remittuntur providentiam : quæ cœlestis dispensatio mysterii idcirco humanis dispositionibus manus opponit, ut votorum præstet effectum. Sanctus pater vester libenter se pariturum jussioni magnitudinis vestræ fuerat de mea occasione pollicitus : sed animum ejus in diversam partem pro utilitate, quantum dicit, Ecclesiæ supervenientia rapuere consilia ; sicut præfati pagina ad vos directa declaravit. Præstolatur tamen super negotio designato magnitudinis vestræ secunda colloquia : quo manifestius in fratris vestri Fausti patricii utilitate me esse necessarium reseretur : cu- B jus gratiæ nihil sibi æstimat liberum derogare. Quod restat, obsequii mei humilitate suscepta precor, ut opifex qui culmini * vestræ parvitatis meæ curam est dignatus infundere, ipse per vos sequenda disponat.

EPISTOLA XXVII.

ENNODIUS EUGENETI.

Supra modum me sollicitant procurati studia indefessa silentii : et licet animus in statione sit positus, contristat sermonis abstinentia, quæ vivis imaginibus secretum pectoris oris clave manifestat. Patior quidem interdum caritatem sub paginarum promulgatione simulari : nunquam tamen credo his muniis abstinere qui diligunt. Referat forte magnitudo vestra publicæ occupationis curam locum scriptis C familiaribus non dedisse. Sed idem status erat, cum præcedente tempore colloquia culmen vestrum crebra præstabat : nec [3] aulicis deputatus ita premebatur excubiis, ut promissi amoris memoriam non haberet. Quis favis toxica, quis cœnum fontibus clandestinus susurrator admiscuit ? aut forte quod fuerat de affectione subreptum ad judicium retulistis ? Sed ego occupare vos paginarum promulgatione non differo : ut ad usum veterem, cessantibus promissæ dignationis stimulis, vel garrulitatis meæ provocati fruge redeatis. Domine mi, salutationis obsequium plena humilitate persolvens, indico me vestris cupidum esse aspectibus præsentari ; si tamen faciendum, perpensis quæ vobis cordi esse non dubito, rescribatis.

[1] *Divinis tamen legibus*] Cognati generis matrimonia et divinæ leges coercuerunt et humanæ, tum civiles tum canonicæ. Ac sacris quidem Litteris apud Hebræos de paucis iisque proximis cautum fuit : nec longius fere processit interdictum, quam ne cui fratris sororisve filia copularetur. ** Imperatores Christiani etiam consobrinas jungi vetuerunt, ut Theodosius, *tantum*, ut Sex. Victoris verbis utar, *pudori tribuens et continentiæ, ut consobrinarum nuptias vetuerit tanquam sororum*. Quare sine principis venia duci non licebat : quod declarat Cassiodori *Formula qua consobrina legitima fiat uxor*. Ecclesiasticæ vero leges, quæ incestas hodie nuptias quarto gradu definiunt, ad septimum usque gradum aliquando provectæ sunt. At Ennodii sæculo mos adhuc indulgentior. Qui enim de ea re canones erant, intra vetitos sacris D Litteris ac principum legibus gradus fere consistebant, ut synodus Agathensis c. 61, Epaunensis c. 30, Aurelianensis III, c. 10. Sive ergo divinas leges hoc loco interpretere quæ sacris Litteris continentur, sive sacros canones ita vocet, quo modo Græci θειους κανόνας, et divinas regulas passim Latini ; parvum erat illo tempore discrimen.

[2] *Sabini filio*] Pro eodem scribit etiam epist. 13 et 14 libri sequentis ad Avitum eumdem.

[3] *Aulicis excubiis*] Quæsturæ palatinæ qua fungebatur, ut dictum est ad epist. 26 lib. IV.

* *Culmini vestræ*] Malim equidem, c. *vestro*. Sed ἀπέχω.

** Est in opusculis Sirmondi, ea de re *quæstio triplex*.

LIBER SEXTUS.

EPISTOLA PRIMA.

ENNODIUS [1] PARTHENIO.

Nisi te efflictim diligerem, et pii cordis soliditas indemutabili radice constaret, posset injuriarum dolore provocatus, vel cum pueriliter irasceris, vel cum arroganter supplicas, commoveri. Nihil enim invenio, quod sit fabricata humilitate superbius. Præfero contumelias fucatæ frontis obsequiis : transit amaritudinem dulcedo simulata. Non opus est deprecationibus, si quæ te catena nectat intelligis, Poscant pro excessibus veniam, quibus est liberum non parere. Ita famulos nobis cœlestis judicii claritudo deputavit, ut in quacunque mens parte deflexerit, illorum necessitas inclinetur. Ille exspectat clemens, qui destrictum, si velit, refutare possit imperium. Haud procul te ab hoc ordine evagari potestas mihi a Deo attributa patietur. Optare te convenit ne mansuetudinem quam in me prædicas meritorum tuorum consideratio justa devenustet, et pietatis tramitem culparum multitudo depretiet. Licet, ni fallor, misericorditer vindicta comitatur errantem, nec ulla est potior patientia nisi quæ vitiis aditum non recludit, a te tamen facessat indignatio nostra : quia quod deliqueris, non inclusus dolor et gratia fallente servatus, sed verbera castigabunt. Nunc uno modo in cicatricem cogere vulnera intemperatis sermonibus, ingesta prævalebis, si te per culmina liberalis studii ingenuum doctrina monstraverit. Veniam, nisi peritia suffragante, non exiges : mutata, qua notus sum lege parcendi, circa desidem sævitiam sub perennitate servabo. Quod restat, Deum precor, ut valeas, et de versibus tuis, cœlesti favore comitatus, spem augeas quam dedisti.

EPISTOLA II.

ENNODIUS FAUSTO.

Summa gaudiorum est opportunitas perlatoris, qui minister diligentiæ per necessitates suas desideriis obsequium præstat alienis. Hunc quidem honestas commendat, et peregrinus ab officio mercatoris pudor insinuat : jungitur, quod ei notitia culminis vestri ad fidem probitatis accessit. Nam scriptionis venerandæ frugibus ipso commeante satiatus sum. Refundo ergo depositum, officii lege constrictus : et quem in Liguria positum pro virium mediocritate suscepi, ad potissima patrocinia tabella prosequente A transmitto. Quod superest, reverentiæ vestræ quidquid habet humilitas devotionis offerimus, supplicans ut litteras vestras vel pro mearum assiduitate jam merear.

EPISTOLA III.

ENNODIUS EUPREPIÆ.

Rerum omnium cursus obsequiis corporis, animarum constat imperio : aliud nobilitat cœlestis affinitas, aliud abjectio terrena submittit. Nec liberum est ut quo mens Deo parente collata deflexerit, quod de ultimis assumptum est non sequatur : nec licet militem obviam manum decretis imperatoris afferre. Hinc Crispus asseruit aliud nobis cum diis, aliud cum belluis esse commune. [2] Hujus secreti ratione cum absentibus peregrinamur, et salva membrorum B valetudine, amantum febribus æstuamus : per hæc vincula nulla itinerum interjectione dividimur, et segregati habitaculis, in unum studiis convenimus. Nosti, soror venerabilis, et omnem apud me transgressa dulcedinem, quæ præfationem exegisset occasio. Nunc aperta tecum et prodiga pudoris fronte congrediar. Vix quæ ante direxeras blandimenta sustinui : post admonitionem meam duplicia in litteris mella fudisti, quæ tota pectoris secreta concuterent et ad desiderium tui captivam animam relicta corporis sede transferrent. Quam timeo ne rursus ad incertum remittatur affectio ; et cum tota mens diligentiæ vela laxaverit, subducta periculum statione patiatur! Animus meus quia fuci sit nescius C cognovisti ; nec detestabilem inter amantes urbanitatem possit assumere. Tua rursus diversum sexus et natura pollicetur, ut dicit sapientissimus Salomon : *Anima* [3] *quæ in saturitate est, favis illudit* (*Prov.* XXVII, 7). Scit verborum meorum testis et judex, disposuisse me (nisi forte subdolo gratiæ sapore decipiar, et degustatæ caritatis sitienti pocula oblata submoveris) spiritalis conjugii non simulacrum, sed ipsam implere veritatem. Ut dum inter nos unum velle, et unum nolle constiterit, vel quod bonos ad imitationem stimulet, vel quod malos afficiat, omnium oculis et mentibus exhibere. Tu tantum, Deo medio, adversus omnem quæ ex invidia noscitur impugnationem, firmam promitte et indemutabilem servandam esse constantiam. Quocirca vale, mi do- D mina, et brevi pro maximis admonitione contenta,

[1] *Parthenio*] Germanæ Ennodii sororis filium fuisse docuerunt nos aliquot superiore libro epistolæ, quibus Parthenium Romam studiorum causa proficiscentem commendatione sua prosecutus est. Sed sorori nomen quod fuerit, nusquam indicat. Euprepiam enim non esse id ostendit, quod Euprepiæ filius quem unicum habuit, Lupicinus, non Parthenius vocabatur. Deinde Euprepia vidua erat : Parthenii vero pater superstes lib. VII, epist. 30 et 31. Parthenii porro nobilitatem et felicia eruditionis auspicia celebrat in Dictione 4 scholastica, qua gratias egit grammatico, quando Parthenius bene recitavit : item libri hujus epist. 23. Quibus argumentis ducor, ut de Parthenio illo conjiciam. qui magister officiorum ac patricius tandem fuit : ad quem exstat elegiacum carmen Aratoris, quod lib. IX producemus, in quo singularem ejus eruditionem cum generis nobilitate conjunctam, ac diversas legationes commemorat.

[2] Sallust. in Catil.

[3] *Anima quæ in saturitate*] Cassianus collat. 14, cap. 13 : *Anima quæ in satietate est, favis illudit.* Ea est lectio interpretum LXX : Ψυχὴ ἐν πλησμονῃ οὖσα κηρίοις ἐμπαίζει .Nec multum discrepat Vulgata, *Anima saturata calcabit favum.*

quia nec epistolaris concinnatio plura patitur, nec ratio penetralium paginis debere committi, si ad hæc quæ indicata sunt voto et fide respondes, propriæ scriptionis testimonio pollicere.

EPISTOLA IV.

ENNODIUS FAUSTO.

Non scripsi, ut amaro incommoditatis meæ indicio vos gravarem ; sed ut sollicitudinem vestram, quatenus insistat orationibus, convenirem. Male oculos meos ante receptæ valetudinis substantiam impositus labor accepit, omne a me vobiscum lumen abscessit. Satis sit significasse quod patior. Vestrum est prosperitatem meam a Deo quem precibus placatis exigere, et reseranti litterarum fores crebris opem ferre colloquiis. Domine mi, Deum quæso, ut illud a vobis indicari faciat quod me delectet agnoscere.

EPISTOLA V.

ENNODIUS AURELIANO.

Non est fiducia mea præcognitis nudata successibus. Validus in affectione est, quem animo meo diligentiæ memorem justa sum æstimatione pollicitus. Gratias tibi, superna dispensatio, quæ humanis rebus prosperorum fructum de adversitatis occasione largiris, nec pateris in ordine suo tristia permanere. Nescio quid magnitudini vestræ hostilis malitia de patrimonii ubertate decerpserit ; tamen sub hoc titulo invictissimi domini multum locupletem gratiam comparavit. Bona est jactura substantiæ, si inclyti notitia principis dispendiis invenitur. Non est facultatum formidanda decessio, si per eum qui omnes vincat divitias, summi Domini amor acquiritur. Huc accedit quod nec illa imminutio, dum facta est lucri mater et honorum via, impactæ humilitatis potuit tenere substantiam. Sic reparata sunt quæ inimicus eripuit, ut adhuc gaudiorum cumulum præstoleris. Supersunt quæ in spe habeantur, cum culmini tuo contigerit maxima jam tenere. His beneficiis, cœlo auctore collatis, notitiæ et communionis nostræ bona jungamus. Quando mihi tantum virum, nisi per illa quæ præfatus sum, contigisset agnoscere ? Sed augeant superna quæ tribuunt ; et ad quæ desideria porriguntur, divina nos cura perducat. Quod restat, vale, mi domine, et amantem tui crebris fove colloquiis ; quia nisi epistolaris concinnatio teneret terminum lege præscriptum, gaudia me in multa verba diffunderent.

EPISTOLA VI.

ENNODIUS [1] BOETIO.

Par quidem fuerat unis litteris magnitudinis tuæ respondisse simpliciter, nec geminare debere colloquia semel obnoxium : sed cautione ad hoc, non inscitia devolutus sum. De utriusque enim epistolis, A una obsequitur debito, altera præstatur affectui. Credite, nefas putavi non cum fenore suo restituere quod mens venerabilis prima contulerat. Dulciora sunt ante exemplum bona diligentiæ : nec tantum habet virium aut genii qui amicitiarum callem fecundus ingreditur. Summatim sibi gratiam non potest vindicare, cui in amore forma præstatur : impudentiæ est non respondere caritati, cum manifestet res bene orta virtutem. Hæc in festinatione perlatoris celer scripsi. Latius posthac verba diffundam : nec maciem ingenii mei, dum merita vestra respiciuntur, aspiciam : si tamen desideriis meis tabellarum frequentiam commodetis. Domoni mi, salutationis uberrimæ servitia dependens, quæso, ut memoriam proximitatis vos habere signent promulgata sine inter- B missione colloquia.

EPISTOLA VII.

ENNODIUS AVIENO.

Diu est quod desideriis veracibus suspensus solo litterarum pascor officio : dum enim magnitudinem vestram alloquor, votivo me æstimo non deesse conspectui. Sed remediis suis animus ægrescit afflicti ; et quod diligentiæ pabulum invenitur, hoc magis macerat de amoris fruge jejunium. Vere, domine, sic vos lumina mea Deus servet incolumes ; quia si aut vires corporis mei sivissent, aut festinatio domni, Ravennam totis intentionis meæ viribus expetissem. Sed si Deus voluerit, salva vita domni mei patris vestri, et domnæ matris, post Pascha cum adjutorio C superno veniam, ut vobis visis ad opem vitæ revalescam. Domine mi, salutationem uberrimam dicens precor, ut omnes sanctos orare pro me instantissime procuretis.

EPISTOLA VIII.

ENNODIUS SENARIO.

Quamvis pro peccatis meis etiam litterarum vestrarum solatia subducantur, ego tamen memor debiti quo me per gratiam vestram, ut Dei memores, obligastis, scribere non omitto : sperans, domne Senari, ut Deum quem in me cogitasti, semper attendas et frequenter mihi litterarum vestrarum munus impertias. Domne mi, saluto plurimum reverentia consueta, et imploro ut per omnes sanctorum basilicas pro D afflictione mea Deum rogare non desinas.

EPISTOLA IX.

ENNODIUS FAUSTO.

Quamvis ad tutelam pontificis innocentia officii ejus comes assistat ; nec opus sit humanis solatiis ei qui humanitatem professione superavit, scit tamen omnipotens Deus, me sancti episcopi portitoris præsentium jussioni exactum impendisse colloquium.

[1] *Boetio*] Hæc secunda Ennodii ad Boetium est epistola : et contra prima videtur quæ sequentis libri est duodecima. Adeo verum est quod monuimus, epistolarum Ennodii seriem ubique rectam non esse. Jam in nominis scriptura variant codices. Nam alii Boetium scribunt, alii Boethium : quod quidem, si Græcæ vocis origo spectetur, rectius erat. Sed usus obtinuit, ut Boetium potius dicamus. Et jam olim variabant sculpti lapides, ut Romanus hic in æde beatæ Agnes suburbana.

VALENS V. D. COMIT. DEPOSITUS
KAL. JUL. CONS. BOETHI V. C.

Et aliter in D. Laurentii tetrastylo extra muros.

GENEROSUS EUNUCHUS DEPOSITUS
IN PACE VII. ID. OCTOB. BOETIO V. C. CONS.

Diu enim renisus sum, ne arrogans videretur, [1] si minister antistitem, et apud sanctissimam conscientiam potissimum vix mediocris assereret. Sed perfecta obedientia est, quidquid summus exigit, non negari. Et ideo prælato debitæ salutationis obsequio, precor, ut ad consolationem multis impugnationibus prægravati subsidium conferatis : quatenus singularis boni rem facientes, non patiamini immeritum sacerdotem diuturnæ subjacere mœstitiæ.

EPISTOLA X.

ENNODIUS FAUSTO.

Deus, qui bonorum operum animo vestro inseruit affectum, ipse obsequentem sibi longa felicissimum ætate tueatur : quia quamvis innocentia quam fovetis, indesinentes pro vobis ducat excubias; obligati tamen beneficiis vestris non possunt quæ pro vobis Deo debent vota comprimere : quia pro impensis gratias non referre et Deus in carne constitutus exhorruit. Utinam tantum valerem pro rebus verborum tribuere, quantum sentio me debere! His tamen, quod ad aliam mercedem vestram pertineat, suggerere non omitto, ut chartam quam in causa Laurentii tabularii comensis fecistis, impletam mihi transmitti jubeatis; et pro illa cæca muliere quam Martinus conductor [2] de Moditia opprimit, comitis patrimonii litteras tollatis, quibus jubeatur, quod ei abstulit mancipium, sine dilatione reformare : quia quod in præsenti in mandatis accepit, facere pro rustica temeritate contemnit.

EPISTOLA XI.

ENNODIUS AVIENO.

Digresso de Mediolanensi urbe [3] communi domino, sola in consolatione remanserunt solatia litterarum : quia dum sermo ad vos dirigitur, aliqua præsentiæ vestræ desideriis meis imago blanditur. Quod et a vobis dominis meis, ut crebro faciatis, exposco; cogitantes absentiam vestram hac sola posse assiduitate sustineri. Habeant felicissimi votivam præsentiam : mihi delicta mea cogitanti epistolaris cura sufficiet. Domine mi, salutem uberrimam dicens, precor, ut per sanctos Domini pro me preces fundere minime desistatis, et Domino gratias referte, cujus circa me beneficia etiam insperata tribuuntur.

EPISTOLA XII.

ENNODIUS LIBERIO, EUGENETI, AGAPITO, SENARIO, ALBINO.

Uberioribus opus est paginis, ubi fides claudicat perlatoris : per amantem mei cultorem vestrum Stephanum diaconum, sufficit parca collocutio : qui transgrediens epistolas in multa verba diffusas, præfert affluentibus necessaria, dum compendio fidelis arcani

A alleganda non supprimit. Quod restat, valere me, Deo auspice, nuntians, prosperitatis vestræ bona disquiro, et plenum reddo salutationis obsequium, deprecatus, ut fiduciam meam incorrupta dignationis vestræ non denudet integritas.

EPISTOLA XIII.

ENNODIUS AVITO.

Importunum me facit aliena necessitas, quia debeo pro deprecante sermonem. Lex propositi intercessionis refutat avaritiam. Nam ad conscientiæ meæ sarcinam jungitur, si respuam supplicantem. Exspectandæ memoriæ Sabini filius ad diem constitutum sententiam præstolaturus occurrit : sed agellum suum utilitatis ratione est coactus expetere; quia et fide-
B jussor et exsecutor defuncta die defuerunt. Abjurantem me de præfati negotio ultra vilescere bajulus impulit, ut ad eum nuntios, quatenus rursus occurreret, destinarem : quod me fecisse significo. Nunc salutationis meæ dicens obsequia, in potestate est culminis vestri, in prædicti causa, quid justitia quam fovetis, quid fiducia quam dedistis mereatur ostendere.

EPISTOLA XIV.

ENNODIUS AVITO.

Scio mea apud vos clamare silentia; nec quidquam fieri, quod non secreta interpretatione teneatur. Ego tamen a scriptione non destiti; nec sublimis memoriæ viri Sabini filium fabricato ingenio a judicatione subtraxi, qui violentias in agello suo perpessus, hactenus
C operam dicitur navasse cum barbaris. Credite mihi, aderit secutus examini, et disceptationem vestram sine aliqua formidine veniet ingressurus. Domine mi, salutati reverentiam dicens, precor ut personam meam tanti habeatis insitæ dudum affectionis recordatione fulcire.

EPISTOLA XV.

ENNODIUS FAUSTO.

Bene providentia superna disponit, ut dum a me beneficia postulantur, sic sollicitudo mea votivos inveniat perlatores. Facessat negare aliis quod mihi tribuo : et illud avaritia sordente continere, quod sublevat largientem. Simplicianus præsentium bajulus, adolescens nobilissimus, natalem scientiæ sedem Romam conatus expetere, hoc sibi credidit pro sin-
D gulari evenire compendio, si ad notitiam culminis vestri duce pagina perveniret. Cui ego nequaquam volui cupita subtrahere, sciens consuetudinis vestræ esse quod reliqui faciunt exorati. Nunc, mi domine, servitia salutationis accipientes, facite ut præfatum peregrinationis dura non onerent : meque crebra

[1] *Si minister antistitem*] Diaconus episcopum. Διάκονος est minister. Quos ergo diaconos Græca voce in Ecclesia nuncupamus, ministros etiam simpliciter appellabant. Commodianus :

MINISTRIS.

M * Ministerium Christi, Zacones, exercete caste.
I Idcirco ministri facite præcepta magistri.
N Nolite fugere personam judicis æqui.
I Integrate locum vestrum, per omnia docti.
S Sursum intendentes, semper Deo summo devoti.
T Tota Deo reddite inlæsa sacra ministeria aræ.
R Rebus in diversis exemplum date parati.
I Inclinate caput vestrum pastoribus ipsi.
S Sic fiet ut Christi populo sitis probati.

* Fortasse *mysterium*.

[2] *De moditia*] Modoetia : quod notum est Liguriæ oppidum haud procul Mediolano, ubi Longobardorum et Italiæ reges olim coronati. Moditia pro Modoetia pari antiquariorum licentia scriptum, ac mira pro mœra, id est μοῖρα apud Sidonium, et metici pro metoeci μέτοικοι, in vetere Galli auctoris panegyrico.

[3] *Communi domino*] Fausto, patre Avieni.

scriptionis vestræ per hanc impetratam frequentiam revelare munia non desistant.

EPISTOLA XVI.

ENNODIUS LUMINOSO.

Non deberent esse negotiosa colloquia quæ pro remedio sibi amor invenit, nec religionis stipendium ad necessaria nos oportet evocare commercia : quia dulce esset epistolarum munia soli militare concordiæ, nec rem diligentiæ in aucupia transferre compendii. Sed res ad hoc rediit, ut nisi senior caritas quæ inter nos ab ipso vitæ lumine sumpsit exordium, et per varias profectuum vires messem gratiæ perduxit ad aream, compulsa pro meis partibus stimulo scriptionis assurgat, grandi ingratitudinis et detrimentorum sterilitate percutiar. [1] Meminit amplitudo vestra, quæ de expensis quæ apud Ravennam episcopus meus fecerat, me ei redhibitionem promittente, pro sedis apostolicæ utilitate, vobiscum fuerit collocutus. De qua restituenda celerem promiseratis effectum : sed pro peccatis meis nescio qui casus opposuit manus. De qua ad me prædicti antistitis se convertit intentio, ut vix inducias ad sacratissimam urbem tribuerit destinandi. Nunc post Deum in vobis causa est; qui potestis et personam meam offensione pontificis mei et detrimentis eripere; ne officium fidei mihi uni peperisse videatur adversa. Domine mi, salutationis munera persolvens, Dominum precor, ut animum vestrum ad utilitatis meæ considerationem incunctanter invitet. Ego quid amplius facerem invenire non potui, nisi ut cum allegatione manifesta fidum mihi dirigerem perlatorem.

EPISTOLA XVII.

ENNODIUS MARCELLINO EPISCOPO.

Magnifici viri domni Stephanioni filii vestri facit dignatio ut beatitudini vestræ legendus occurram, cujus beneficio itineris caritas detrimenta non patitur, et quod præsentia non valet, sermone compensat. His ergo servitia apostolatui vestro debita repræsentans, quæro ut me orationum suffragio sublevetis : quatenus insertus venerabili conscientiæ, de omni merear dignationis vestræ fruge gratulari; quia fiduciæ meæ coronam vestram non ambigo responsuram.

EPISTOLA XVIII.

ENNODIUS DOMINICÆ.

Fecit magnitudo vestra quod et sanctis moribus suis debet et sanguini, ut propinquitatis memoriam silentii non patiatur torpore languescere. In quacumque terrarum parte vivit affinitas, nec separantur regionibus parentelæ catena sociati. Credite mihi, dilectio sancta non deperit, nec ullum patitur per divisionis itinera natura dispendium. Nam generum vestrum tantum mihi noveritis caritatis impendere, quantum ad vicissitudinem nulla satisfactio existat idonea. Quod superest, domina mi, accipientes debitæ salutationis affectum, Deum precor, ut in bono mutuo felicitatis videndi vos occasionem conferre dignetur; quatenus sub confabulatione votiva pia desideria subleventur.

EPISTOLA XIX.

ENNODIUS FAUSTO.

Postquam desideriis meis videndi vos facultas elapsa est, iterum ad litteras mens revertitur : cogitur abjuratum poscere paginale subsidium, et institutam melioribus copiis animam, quasi vilioris cibi alere aut sustentare commercio. O quam grave est, quotiens variis necessitatibus obsequentem fugitiva libertas ad nova instituta transducit! Quæ dura sunt, continuatione franguntur : multum de gravitate oneris usus incidit; flebilis conditio ad optata quæ non sunt mansura perducit; levior sors est curis jugibus occupati. Hoc sum infelicior peccatorum fasce, quod de bonarum rerum sapore gustavi. Sed hinc alias. Deo relinquenda sunt, quæ humano remedium nesciunt habere consilio. Vobis interim reverentiam salutationis impendens, reditus mei facere indicia non omisi, cupiens pari scriptionis vestræ hilaritate relevari.

EPISTOLA XX.

ENNODIUS FAUSTO.

Ignoratur bonorum sapor in prosperis; vix dignoscitur superni qualitas beneficii, dum tenetur; post migrationem cupita dulcescunt; desiderii pretia in manibus constituta nescimus. Vere fateor, quandiu Ravenna vos habuit, sinistrum omen credidi cogitare quæ patior; nec inter res secundas, quasi malignus propriæ felicitatis interpres, quæ per absentiam vestram evenire poterant suspiravi. Non debui merita mea, si ab homine non separarer, agnoscere, nec intelligere fugitivum esse, quod sectanti peccata blanditur. Sed quid epistolaris concinnatio castigatæ terminum dictionis excedit? Ferat his rebus medelam, cujus imperio universa famulantur. Ego tamen propter quod attributæ sunt paginæ, valeo substantia corporali; et per hæc munia, sub Dei ope, ut prosperitas vestra nuntietur exspecto. Accipite ergo obsequia mea; et si quid inter hæc quæ mecum geri didicistis, eventus dexter attulerit, sine dissimulationis obstaculo nuntiate.

EPISTOLA XXI.

ENNODIUS FAUSTO.

In occasione rapui solvendæ humilitatis personam domestici perlatoris. Desideriis meis militabit, quod in aliorum negotiorum efficacia providistis. Fateor, durum credidi vicinior litteras denegare, qui nunquam potui in longinquo constitutus abstinere colloquiis. Visum enim mihi sum, Ravennatibus occupatus excubiis, magnitudinem vestram quadam mentis dextera contigisse. Idcirco ad levamen desiderii scripta prorogavi, ut quod vivis subtrahebatur affatibus, lectione pensarem. Ergo honorem salutati exhibens, rogo, ut me hujusmodi, quotiens opportunitas ingesta fuerit, remediis sublevetis, in quibus absentia unicum habet divina provisione subsidium. Agnovistis quæ sit curatio affectione languenti : vestrum est medelam ægris animis non negare.

[1] Inf. epist. 33.

EPISTOLA XXII.

ENNODIUS EUGENETI.

Diligentia est multiplicium causa paginarum. Reverentiæ vestræ debetur, quod a scriptione non tempero : testis gaudii non patitur vox defectum, quia statum valetudinis vestræ lætus excepi. Valete.

EPISTOLA XXIII.

ENNODIUS PARTHENIO.

Deo auspice dilectionis tuæ primordia convalescant : adsit desideriis communibus, per quem vires studia sortiuntur. Declarasti te scriptionis luce urbem amicam liberalibus studiis jam tenere : præmisisti in foribus quod avara parentum vota superaret. Non sum dictionis tuæ rigidus æstimator, nec respuo tenuitatem præsentium, cui secutura blandiuntur. Quotiens vomeribus terram scribimus, animus de spe venturæ frugis elevatur : semper de herbis aristarum divitias amicus[1] rationis intelligit : diligens rusticandi adhuc in cano flore pomorum populos jam metitur. Facessat adversitas, et quidquid pariunt peccata discedat. Ductus mihi oratiunculæ tuæ et si eloquentiæ nitore non subsistit, Latiaris tamen venæ sapore radiavit. Fluxit sermo non absonus ; lectionis tamen opibus ampliandus. Sed quid ego post tantum judicem, cujus oribus operis tui concinnationem placare signasti, quasi post olores anser, strepui ? Illi quicunque placuit, examen securus ingreditur, facundia ab illo prædicata prævalet favorem etiam ab inimicis exigere. Labora ergo, ut felix bene cœpta eventus extollat : honestorum te obsequiis indesinenter impende ; eos qui consortio se suo polluunt, debens monitis nostris reverentiam, velut veneni poculum fuge ; profectum tuum paginis scire cupido semper annuntia. Quod superest, vale, et omnibus superni favoris adjutus auxiliis, familiæ tuæ de peritiæ messe responde.

EPISTOLA XXIV.

ENNODIUS [2] ARCHOTAMIÆ.

Quamvis jus affectionis, consanguinitatis lege constrictum, regionum prolixitate non pereat, nec catena generis, quæ animas nectit, terrarum separatione dividatur, attamen pabulum caritatis est, aut videre, aut officio sermonis appellare quem diligas : nescirentur secreta mentium, nisi proditione linguarum. Hæc in usu vocavit antiquitas, ut illa quæ pectoribus clausa sunt, non laterent. Ego Gallias quæ totum me propter vos sibi vindicant, si oculis non inspicio, affectione non desero. Gratias tamen præsentium perlatori, qui necessitatis suæ occasione desideriis meis præstitit, ut inter æstus animarum quibus bajulus deerat, optatum præberet officium. Salutans ergo servitio debito, precor ut portitor beneficii sui vicem recipiat, et qui in gaudio meo opitulatus est, suis votis restitutum per me credat effectum.

EPISTOLA XXV.

ENNODIUS FAUSTO.

Scit magnitudo vestra quo me honorent præjudicio studiornm liberalium sectatores, tanquam rem sibi debitam commendationis meæ scripta poscentes. In A usu est, vos beneficia, me verba conferre, et magnitudinem rerum desiderium vincere postulantis. Si ab his muniis temperem, salvo munerum vestrorum genio, ego votum benevoli non habebo. Perlator præsentium Pertinax teste apud vos natalium suorum pudore vulgabitur : qui in astipulatione stemmatis usurus est bono verecundiæ, per quem, indiciis valetudinis meæ pro vestro desiderio factis, precor ut fiduciæ suæ fructum capiat ex dignationis vestræ messe locupletem : et quotiens votivus commeantum cursus accesserit, ad sublevandum me, quas in amoris solatio accipitis, paginas destinate.

EPISTOLA XXVI.

ENNODIUS EUPREPIÆ.

B Debentur quidem necessitati silentia, sed scripta diligentiæ. Exigit metus abstinentiam tabellarum ; sed interdum cedet affectui. Vix aliquibus acquiescit obstaculis mens amantis, servet ad redhibenda gratiæ stipendia potius cum vetatur. Ecce prælocutus quæ me causa ab his muniis suspenderet ; relinquo conscientiæ vestræ quæ faciat obsequentem. Deum tamen precatus, in bona me valetudine, vel Lupicinum nostrum esse significo : hoc de vobis cupiens, quæ a me sunt prorogata cognoscere. Nolo tamen curam vestram sequestrati pignoris fasce deprimatis : credite conscientiæ meæ ; plus illi per studium debeo, quam ipsa exhibere poteras per naturam. Utinam ingenium illius beneficia superna meliorent ! Vere dico, vobis ad longiora digredientibus, utriusque parentis C sollicitudo me respicit, quam potuimus in unum positi cum ambitione partiri. Domina mi, salutationem plenissimam dicens, precor ut tantum mihi caritatis et orationis suffragium concedatis, quantum me ad desiderii vestri effectum tendere comprobastis.

EPISTOLA XXVII.

ENNODIUS SENARIO.

Uber conscientiam vestram pro superna dispensatione vicissitudo comitetur ; reddat pro parvitate mea Altissimus quod agnoscit a vobis, qui semper amantibus fideles exstitistis, fuisse collatum. Certus portus est, pectoris vestri invenisse diligentiam : estis hac conversatione præditi, ut amicorum spem beneficii collatione vincatis. Secundam admonitionem desi- D dero, ut injunctum iter arripiam. Date felicem dexteram humilitati meæ, et prospera mecum vestra dividite. Domine mi, salutationis obsequia præstans, quæso, ut si rerum dominus apud Ravennam feliciter commorabitur, indicetis quatenus sine ambiguo præcepta vestra perficiam.

EPISTOLA XXVIII.

ENNODIUS GUDILEVO.

Solent quibus felicitas et potentia, Deo ordinante, conceditur, humiles consolari officio litterarum, et prospera sua paginarum promulgatione partiri. Ego multo tempore ut his sublevarer muniis, exspectavi. Sed cessantibus vobis necessarium credidi non tacere, ut quod amor non exigit, juxta evangelicam lectionem mereatur importunitas. Domine mi, salu-

[1] Forte *sationis*.

[2] *Archotamiæ*] Arelatensi consanguineæ, lib. VII, 14

tationem plenissimam dicens, quæso, ut me antiquum cultorem vestrum illo foveatis quo olim promisistis affectu : et prospera vestra paginarum me faciatis directione cognoscere.

EPISTOLA XXIX.

ENNODIUS FAUSTO.

Quamvis sublimi viro et omni integritate prædito, [1] Sabino Romam properante, tute paginarum officia commisissem, ut resignanda per litteras fidelis relator assereret, attamen sollicitudini meæ debui duplicibus magnitudinem vestram indiciis informare, ut perlator ex litteris secutus principium narrationis assumat. Hæc scripto degustata sufficiant : ad illud revertor, propter quod epistolæ destinantur. Valere me corpore nuntio ; Deo supplicans, ut statum animæ de vestra faciat prosperitate reparari.

EPISTOLA XXX.

ENNODIUS FAUSTO.

Non potest doloris magnitudinem eloqui oris infantia, qui mihi de illa re contigit, quod harum perlatoribus ad Liguriam destinatis a scriptione temperastis : quorum commeationem vos ignorasse non credidi, et præsentiam magnitudinis vestræ a petitionis qualitate deprehendi : datur enim inveniri a dispositis tractatorem. Me tamen urunt epistolarum feriæ, quas ad levamen mœroris mei etiam occupatissimi repulistis. Nunc ad vota redeo. Valete, * mi domini, et cœlestem circa vos gratiam multiplici resignate colloquio. Partum est enim actibus vestris, quietis tempore de ea quæ in laboribus sata est, innocentiæ messe gaudere.

EPISTOLA XXXI.

ENNODIUS DOMNO PAPÆ.

Pervigil beatitudinis vestræ cura, quasi coram positos, in quocunque loci sint, obsequentes attendit, et sine ullis feriis, dum gratiæ suffragium præstat expertis, invitat extraneos. Etenim plures de spectaculo fructus capiuntur laboris alieni : quia discit operam navare in cujus oculis redduntur præmia sudoris et fidei. Atque utinam par votis esset effectus! et quod didici pro religione, cuperem daretur implere. Domlne mi, famulatus mei humilitatem exhibens, parca in maximis elocutione contentus, quid domnus episcopus frater vester super directa legatione senserit, patefaciendum præfati litteris derelinquo.

EPISTOLA XXXII.

ENNODIUS AVIENO.

Cum semper sint litterarum inter amantes jucunda commercia, et ex his muniis, etiam si spartana adhibeatur brevitas, gaudia prolixa nascantur ; sintque hujusmodi officia remedio absentibus, votiva sollicitis: attamen æger animus super eorum de quibus pendet, prosperitate jactatur, et hac tantum curatione respirat ; quam cum negat anxiis is qui nullo labascit incerto, resignat se diligentia non teneri. Paverunt diu animum meum a magnitudine vestra destinata colloquia, et hilaritati congrua pabula præstiterunt. Quorum nunc abstinentiam non affert tristitiam, sed cogit ad exitium. Potuit enim saluti opem tribuere, quod ante militavit affectui ; abjurata est caritatis religio, quando profutura meæ valetudini verba denegantur. Agnovistis quid fecerunt silentia vestra ; quibus emendatione succurrite : nam apud vos si mei non dominatur oblivio, scriptione mutantur. Domine mi, salutem largissimam referens, Deum deprecor, ut æstibus meis superni dispositio favoris occurrat, et in solatio mœrorum meorum illa a vobis indicarit faciat, quæ delectet agnosci.

EPISTOLA XXXIII.

ENNODIUS HORMISDÆ ET DIOSCORO.

Scio conscientiam religiosam grande æstimare compendium, si præstandi nascatur occasio, his maxime quos devotos exstitisse meminerunt. Ergo quamvis prima reverentiæ vestræ causa sit scripta mittendi, et utilitatis allegatio sit subjicienda diligentiæ, attamen anxius animus sæpe necessaria præponit affectui. Retinet fraternitas vestra domnum papam de expensa, quam episcopus meus apud Ravennam pro ejus utilitate me spondente fecerat, restitutionem fuisse pollicitum. Sed actum est ut vix ad vos dirigendi præstaret inducias, et de mea sibi satisfaciendum esse substantia protestatur. Nunc quia grandis summa non est quæ reposcitur, et summum est beneficium me ab ingratitudine ejus quæ videtur justa, subtrahere, ordinate quod vobis retributio superna compenset, Domine mi, salutem abundantissimam reddens, Deum quæso, quo animis vestris, quod me sublevare possit, inspiret. Ego autem adfui partibus meis, qui cum contestatione mœroris per paginas indicati direxi fidelissimum perlatorem, qui nobis perferenda sine imminutione suscipiat.

EPISTOLA XXXIV.

ENNODIUS FAUSTO ALBO.

Quamvis magnitudo vestra per longum silentium oblivionem mei fuerit contestata, et dum ab epistolaribus muniis temperat, memoriam obsequentis abjecerit, attamen providentia cœlestis desideriis meis prospera vestra non patitur occultari, et variis indiciis successum circa vos resignat optatum. Nunc tamen animus meus usque ad hoc devinctione productus est, ut proprium ad vos dirigerem perlatorem, qui vivis pastus aspectibus, bona ad me manifesta perducat. Credite, domini, magna me vobis esse obligatione constrictum, nec ullas pectori meo ferias dari, quibus visionem vestram non plena intentione disquiram. Superest ut, [2] reducta in Ecclesia Ro-

[1] *S. V. Sabino*] Hujusce nominis præfectum annonæ Roma paucis post annis habuit, cujus hoc restat in basilica Ostiensi epitaphium, sed mendosissime exaratum :

HIC REQUIESCIT IN PACE. SABINUS V. S. PRÆF. ANN. QUI VIXIT ANNOS LIII ET DIES XXIV. DP. XV. KAL. AUG. SYMM. ET BOETIO W. CC. CONSS. .

[2] *Reducta Ecclesiæ concordia*] Sedatis motibus schismatis Laurentiani.

* *Mi domini*] Forte, *mi domine*, ut alibi sæpe.

mana concordia, occurrendi vobis contingat occasio. A Domine mi, salutationem reverentiæ vestræ plenissimam dicens, deprecor ut suggestionem portitoris, hominis mei, grato suscipiatis auditu, et de felicitate vestra vel totius domus statu recurrenti nos instruatis alloquio.

EPISTOLA XXXV.

ENNODIUS DOMNINÆ.

Inter curas et molestias quibus pro peccatorum fasce subjicior, elegi singulare subsidium, ut ad vos domnas meas litteras destinarem; quarum precibus omnia mihi secunda contingerent, et ad serena lætitiæ, depositis angustiarum nubibus, reformarer. Prima enim mœroris causa est, quod prospera vestra, dum in longinquo degitis, vix datur agnosci : ex qua nascitur circa personam meam omnis adversitas. Adeste ergo supplici precibus vestris, ut per sanctorum Dei suffragia ægro animo medela tribuatur. Domina mi, servitium salutationis impendens, deprecor, et per Deum vos, quem colitis, obtestor, ut continuis me postulationibus et lacrymis, quibus regnum cœleste vim patitur, Domino commendetis : quia hoc munus speciale computo, et omnibus commodis antepono.

EPISTOLA XXXVI.

ENNODIUS ADEODATO PRESBYTERO.

Cœlestis dispensatio religiosis desideriis nunquam negat effectum : nam quod pie cupimus, maturo præstat studio. Desideranti enim mihi per litteras orationum vestrarum postulare suffragia, perlatorem domesticum vota pepererunt; ut stimulo scriptionis C admoniti, pro suscepti anima supplicetis, quia [1] doctor gentium clamat, *Orate pro invicem* (*Jac.* v, 16). Nihil enim est quod Deum diligens, etiam pro delinquentibus obtinere non possit. Laborate ergo promissis dudum patrociniis, et gaudia mihi per lacrymas comparate. Veniat ad me fructus innocentiæ meritis ignoratus. Hæc sunt de quibus sanctum Dei admonere præsumpsi. Timeo enim facere prolixa colloquia, quia res necessaria strictis est postulanda sermonibus. Nunc in Christo valete, mi domine, et sentire me deprecationis vestræ munera prosperis indicate.

EPISTOLA XXXVII.

ENNODIUS JOANNI.

Ergo falso creditur amorem reddi diligentiæ, et tacitis animas se interrogare colloquiis, fidem mentium sensus asserere, ut quod impendimus vicaria nobis relatione debeatur? Vocem montium secreta restituunt, et in obsequio humanitatis muta famulantur : sed magnitudinem tuam in contemptu mei contigit silentium pro scriptione reddere; et in astipulatione artificis genii, temperando a paginis, pertinaciam garrulitatis opprimere, naturæ lege calcata. Facessat a moribus meis, sequi quod admissum doleo, et sublevare culpas imitando. Ecce iterum appello linguæ ferias foventem, et in longioribus persequor, habens promissæ caritatis memoriam. Domine, ut B supra, salutationem largissimam offerens, quæso, ut debitum gratiæ vel nunc exigat importunitas, dum providetur quatenus ardorem desiderii prolixis satietis alloquiis.

EPISTOLA XXXVIII.

ENNODIUS FIRMINÆ.

Quotiens votiva res repente contigerit, pretium de ipsa temporis brevitate sortitur. Cœlestis enim ut crescat beneficii genius, subitum facit esse quod tribuit, ne devenustet sperantum prolixitas misericordiam largitoris; quis enim affectum desiderii repente suscipiens non avidius impetrata veneretur? Sic litteras magnitudinis vestræ sitiens, temporeprofcctionis accepi. Dolebam, fateor, et vehementer angebar, dum nec obsequiorum meorum perlator existeret, nec sospitatis vestræ digressurus bona cognoscerem. Ecce utrumque frons bona concessit : accepi pariter indicia optata quæ refero, et uno eodemque tempore regressum me [2] de Alpibus Cottiis, et Ravennate significo iter arrepturum. Orate ut variis laborum jactato incommodis patientiam supernæ benedictionis munus infundat. Me autem quod ad custodiam gratiæ culminis vestri splendor hortatur, facilius credo cursus flumium in diversa revocari, et relictis fluentorum alimoniis æther vacuum pisces expetere, quam tantorum me immemorem delicta restituant. Quod superest, valete, mi domina, et redemptori nostro pro persona suscepti incessabiliter supplicate.

[1] *Doctor gentium*] Paulo tribuit, quod est Jacobi apostoli cap. v Epistolæ catholicæ.

[2] *De Alpibus Cottiis*] Hoc iter quod describit in itinerario Brigantionis. De Firminæ autem annulo est epigramma 93.

LIBER SEPTIMUS.

EPISTOLA PRIMA.

ENNODIUS [1] JULIANO.

Præceptis magnitudinis vestræ ministerium devotionis exsolvimus; quia fit æquitati proximus, qui justi viri monitis obsecundat. Negotiorum qua- D litas quæ ab amico veritatis agnoscenda committitur, cautione instruit animum cognitoris integri : affectionem infudisset nobis magnitudinis vestræ consideratio, si studia non dedissent. In negotio igitur quod inter Bautonem [2], regiæ domus conductorem, et

[1] *Juliano*] Comiti patrimonii, lib. IV, epist. 7.

[2] *Regiæ domus conductorem*] Qui fiscale aliquod prædium conduxerant, hi conductores domus Augustæ dicebantur, de quibus est titulus in codice, et lex Valentiniani III, qua illos nullius militiæ dignitatisve privilegiis frui docet. Domus Augusta, quando imperatores erant, vocabatur; nunc domus regia, regnante Theoderico, et conductores domus regiæ, Cassiodorus lib. v, epist. 39. Eorum cognitio ad comitem patrimonii pertinebat, qua comitiva Julianus fungebatur. Theodericus Juliano eidem C. P. *Conductores Apuli deplorata nobis aditione conquesti sunt*,

[1] Epiphanium chartarium vertitur, dum anceps in disceptatione nostra eventus nutaret, et alterna se partes intentione colliderent, asserente Bautone se sexaginta et quatuor solidos publicos, quos de reliqua indictionis illius emisso chirographo fuerat debere confessus, idcirco non posse restituere, quia per manus sublimis viri Projecti quadraginta solidos Epiphanio suffragii nomine contulisset, pro quibus nullum beneficium secutum fuisse doceretur; et replicaret ipse Epiphanius, se si quid accepisset, labore meruisse, nec frustra sibi a Bautone quidquam fuisse collatum, vel prolati testis fidem laudibus incessanter attolleret; statuimus ut sub jurejurando mihi nominatus superius vir nobilis Projectus et sperati genus declararet beneficii, et effectum, si ita esset, assereret non secutum : quod cum fuisset impletum, Epiphanius acceptam pecuniæ refunderet quantitatem. Nunc in potestate est culminis vestri decisionem nostram, si placet, auctoritate fulcire.

EPISTOLA II.

ENNODIUS FAUSTO.

Quantum ad facem mœroris adjungit interrupta tribulatio, quando ut acrius urat adversitas, prosperorum mutatione blanditur! Ad cujus unquam onus accessit, quod continuatæ sarcinam calamitatis abjecit? Quam bene me ad patientiam absentiæ vestræ longus temporum usus aptaverat; dum hoc quod felicitas non habebat, didicerant nec vota præsumere! Ecce iterum de inveteratis doloribus passio novella me lacerat, et obductam cicatricem rescindit ictus acutior. Imploraveram a discedente misericordiam, ut quod de præsenti confabulatione perdebam, litteris pensaretur; nec hanc frugem omnibus desideriis jejunus emerui. Ego consuetudinis meæ non negligens inter laceymas scripta concinno : quibus de afflictione mea credidi nil potius indicandum, illustris viri domni Pamfronii relatione contentus. Nunc, mi domine, obsequia famuli vestri dignanter accipite, et animæ in angustiis constitutæ remedia consueta præstate.

EPISTOLA III.

ENNODIUS AVIENO.

Quibus magnitudinem tuam discedentem precibus imploravi, merito retexerem, nisi memoriæ vestræ irrogare contumelias devitarem. Nam qui amantem de his quæ recens sunt acta convenerit, fugiendam bonis oblivionem importunus opponit : cum hoc sit peculiare conjunctis, ut sub quadam præscientia mutuo sibi cupita sufficiant; et ad substantiam caritatis efficaci dispensatione, quod votis poscendum est, effectu seniore concilient. Cœlestis dispensatio facienda suggerit, si quid amor optat, inquiras. His jungitur quod æstuanti animæ, dum iter arriperes, multis in promissionibus subvenisti; dicendo sustentandum me esse paginis, qui propriæ lucis privarer absentia. Ecce et pollicitatio fide claudicat, et spe irritatus ardesco. Egit veniens de remedii præsumptione fiducia, ut difficilius dura tolerentur. Sed nunc, mi domine, honorem salutationis accipiens, postquam apud vos, quod male est animo, declaravi, curatio properata succurrat : ut qui salutis vestræ status est vel gratia principalis, exspectatis reseretur alloquiis.

EPISTOLA IV.

ENNODIUS AGNELLO.

Semper famulantes diligentiæ paginas nunc in proditione sui dolor exigit, et gaudiorum ministras in vocem reserandæ taxit injuriæ; nec contenta fuco dissimulationis urbanæ secreta pectoris aut taciturnitate vestivit, aut in partem aliam transtulit blandimento. Novi quidem fabricata, sed fugio : et simplicitate contentus, cum amantibus sereni animi fronte congredior. Ubi gentium fuit sub obtestatione Dei inter nos promissa devinctio, ut proficiscentes insalutatum me, velut incognitum linqueretis, nec potestatem ramanens sortirer necessaria suggerendi? Credo providistis ut imbecillus oculis totum vobiscum lumen amitteret, nec diem meum sub amici præsentia clausis orbibus intuerer. Hæc si per negligentiam contigerunt, æstimationi relinquetis quem apud vos locum obtineam : ferenda sunt acerbius, si intelliguntur accidisse per studium. Nunc vale, mi domine, et animo meo quem in statione consistere suadet innocentia, origo, propositum, potiorem gratiæ partem qua vobis sinceritate patuit invitate.

EPISTOLA V.

ENNODIUS SENARIO.

Quamvis te dominum meum per intemeratæ documenta fidei [2] principalis sibi cura conjungat, et morum claritudo ita publicis rebus misceat, ut amabilis a te saporem quietis excludat, credo tamen ita religionem amicitiæ posthaberi, ut non satisfaciens, Deo adjuvante, regnantis imperiis debita sua refundas affectui. Nostis quid poscat aula, quid gratia : uno eodemque tempore nec rerum deestis domino, nec amori, quando Christianæ mentis integritas per has partes divisa solidatur. His ergo sollicitudinem meam credo relevari, quibus venerabilis consuetudo servatur studiis. Tantum est, tu Dei nostri solatiis magnitudo vestra adjuta gratuletur. Domine mi, salutationis obsequia præsentans, spero ut de vestro vel amici vestri domni Fausti statu hilarem me fieri votivo litterarum contingat indicio.

EPISTOLA VI.

ENNODIUS FLORO ET DECORATO.

Permisi hactenus magnitudinem vestram mobilita-

frumenta sibi inimicorum subreptionibus concremata : postulantes ne cogantur ad integram præstationem, quibus commerciorum sunt commoda diminuta, etc.

[1] *Epiphanium chartarium*[Lapis sepulcralis Romæ, LOCUS VALERIANI CHARTARI. Sed chartarius hoc loco non chartæ opifex, aut negotiator, sed chartularis comitis patrimonii : quomodo accipi etiam videtur ab Athalarico lib. VIII Variarum, epist. 22, ubi chartarios nominat sedis Burgantini comitis patrimonii.

[2] *Principalis sibi cura conjungat*] Vel propter legationes ad quæ sæpe adhibitus Senarius, vel propter exceptoris officium, quo in regis aula fungebatur, lib. III, epist. 11, et lib. V, epist. 15.

tem Ligurum urbanæ fuco disputationis incessere, quia et me origo reddebat alienum, et vos ab eorum culpis constantia promissa sejunxerat. Sed cum una sorte ab oculis vestris et mente discessi, præconis voce contestor, neminem damnare posse quod sequitur, nec salvo pudore sententiam excessibus dictare peccantem. Fas est liberos a reatu detestari; quis æquo anima ferat monitorem quod verbis destruit actibus non vitare? Evangelii sententia est, *Qui fecerit et docuerit sic* (*Matth.* v, 19) dignum Dei gratia posse judicari. Vobis copiosus sermo est, quotiens error arguitur, et sub conversationis negligentia puritas amplectenda verborum. Perdidistis lacrymarum mearum memoriam, quam discedentibus gemini doloris ictus effudit. Ecce quanti dies sunt, in quibus sub tanta frequentia commeantum nulla neque domini mei, amici vestri, neque vestra, quæ de illo rem voti indicent, scripta suscipio. Absolvistis imitatione culpabiles : non quod Liguribus evenerit propositum, quantum vos dicitis, infidelitatis amittere, sed quod eos contigerit invenisse in his quæ sunt vitanda consortes. Rogo tamen, servitio salutationis exhibito, ut tandem aliquando, tanquam boni domini precum mearum memores, prosperitatem vestram, vel domni mei, amatoris vestri, reseretis muniis litterarum.

EPISTOLA VII.

ENNODIUS [1] ELPIDIO DIACONO.

Perfecta caritas corporalis absentiæ damna non patitur, nec animorum serena conjunctio itinerum sequestratione multatur : quorum animæ Christo in caritate sociante conveniunt, nulla possunt separari interjectione terrarum. Hac ego spe vel securitate, de conscientia vestra securus, amantem mei alloquor, tanquam in amplexibus constitutum. Fove, domne Elpidi, quem Deo medio suscepisti. Habeat suas mundus astutias, et urbanitatem fallendi prudentiam damnandus appellet. Tu illi dulcedini quam probavi, nihil admisceas, nisi quod gradibus ad perfectæ caritatis nos bona perducat. Domine, ut supra, salutationem plenissimam reddens, quæso ut prosperitatem vestram vel eorum qui nos diligunt frequentibus mihi indicetis alloquiis.

EPISTOLA VIII.

ENNODIUS EUPREPIÆ.

Quam bene animum meum ad patientiam sequestrationis absentiæ vestræ usus aptaverat, dum prolixa silentia contemptum dulcedinis rerum suarum necessitate pariebant! rescissa est cicatrix quæ ad medicinam pii amoris accesserat. Confiteor, soror venerabilis, ad antiquum me desiderium litteræ tuæ nimis noto conditæ sapore revocarunt. Ecce vide qua A arte contendis, cui nec satietatem de præsentia tua, nec oblivionem de silentio pateris subvenire. Scit mentium discussor altissimus, lectione apicum tuorum animam meam intra penetralia sua non potuisse consistere, et ad præsentiam tuam diligentiæ evolasse melle compulsam. Habuit Arelatensis habitatio, cum Mediolanensibus muris includerer : et dum ad dulcem sedem libertas mentis excurreret, intra Italiam me corporis captivitas includebat. O si suppeteret sermonis abundantia ad ea quæ cupit animus exponenda, aut ad illa ad quæ lingua sufficit, non pudor eriperet! Parvus amor est, qui oris testimonio sufficienter aperitur. Confessio est tepidæ caritatis, quotiens in ea non cedit eloquium. Quod restat, B Deum precor, ut valeas et ad sublevandum mœrorem meum quem scriptione tua nimis dædala arte geminasti, bono prosperitatis mutuæ reserveris.

EPISTOLA IX.

ENNODIUS AVIENO.

Pompam quam in litteris fugitis obtinetis; nec aliud est loqui vestrum, nisi declamationum insignia custodire : hoc in vobis natura, hoc peritiæ mater indeficiens lectionis cura congessit. Sed miseriis meis evenire nulla consolatio potest, quando ante oculos sunt locata, quæ merui, et quantum prælatus indignior exstiterit, tantum in aperto fiunt peccata superati. Quid animum meum, illustrissime hominum, conaris attollere? quid in vita quæ plena C mœroris est, reservare liceat tribulationibus meis? pro bono dispensationis cœlestis finem vel cum vita constitui. Vobis tamen insufficientes refero gratias, qui illam circa me servatis diligentiam, qua potiorem nec dignissimis præstaretis. Domine mi, salutationis reverentiam solvens, spero ut orare pro me minime desistatis, et ad calamitatum solatia ferentia opem scripta mittatis.

EPISTOLA X.

ENNODIUS FLORO ET DECORATO.

[2] Compulsoris functus officio, ad redhibitionem promissionis suæ vix advocatum coegi, ut quod advocatis debebat exsolveret. Genus duræ professionis, ut a vobis dicenda præveniam, ad verecundiam clericus inclinavi. Quale sit quo molliuntur obstinatis-D simi, et quid sibi velit qui raptores spoliat, æstimate. Argenti libram quam frater Epiphanius dedit, fratri Gaiano ad vos perferendam tradidi, pactis tamen adhuc apud me quæ suscepi constitutis. Restat ut, si tradere debeam, designetis. Domine mi, salutationem plenissimam dicens, rogo ut primum pro me sanctos orare dignemini. Deinde domnis amatoribus nostris obsequia mea sub illa qua me cupere scitis humilitate reddatis.

[1] *Helpidio diacono*] Lib. viii, epist. 8. Sic jam olim scribebant, pro Elpidio quod est ἐλπίδιος : ut Helpis, Euhelpistus, et alia id genus. Quare ita quoque scriptum ab Ennodio verisimile est.

[2] *Compulsoris officio*] Fiscalium onerum exactoris, qui publicis functionibus obnoxius ad solutionem compellit. Leg. 7 cod. de Exsecutoribus, et leg. 4. Ne collationis translatio postuleretur : et apud Cassiodorum lib. vii, 45; lib. ix, 4; lib. xii, 8. Editio Basiliensis hic etiam mutila erat. Priori enim hujus epistolæ membro alterum attexuit, quod epistolæ 13 debebatur. Tres igitur epistolas sequentes ad Agnellum, Hormisdam et Boetium ex manuscriptis supplevimus.

EPISTOLA XI.

ENNODIUS AGNELLO.

Male est animo meo, quod de facundiæ suæ dotibus mihi abundantia vestra nihil tribuit: et ita eloquentiæ opibus incubat, ut partem ex eis facere, sacrilegium computetur. Turpis est equidem universarum rerum avaritia : contigit tamen, si verba deneges, plus pudenda. Sæpe etiam evenit ut frequenter scribentes minus diligant; nunquam tamen accessit ut aliquid caritati reservet. qui in perpetua taciturnitate perdurat. Potest nasci de epistolaribus blandimentis ambiguitas : certa fides est ab eo qui servat silentium non amari. Hæc sunt quæ in festinatione perlatoris celer scripsi, geminis stimulis incitatus, vel properationis bajuli vel doloris. Ergo tædio animi mei remedia incunctanter adhibete : ut quamvis defuerit hactenus affectioni pabula sua, in statione esse tamen promissa caritas innotescat. Domine mi, salutem plenissimam dicens, quæso ut expectationi meæ quod sufficit loquendi peritissimo non negetur.

EPISTOLA XII.

ENNODIUS HORMISDÆ DIACONO.

Nullus remaneret imperitis locus veniæ, si plura loquerentur : sola brevitas commendat indoctos. Supra errorem est prolixa narratio rusticantis : quando ab ignaro extortum fuerit quod diu legatur, sibi rancorem suum debet exactor. Quisquamne hominum in longum vult fastidienda procedere, et nullo sapore condita breves terminos non habere? Romana hoc, frater, et nimium artifici subtilitate flagitasti. Sed nos contra fabricatos munit simplicitas nullis colorata præstigiis. Etenim quamvis me delenifica epistolæ tuæ oratione produxeris, mei immemorem non fecisti. Scio artare paginam, cujus pretium promulgator intelligo. Noveris me tamen meis partibus non deesse, quamvis vocet in medium et urbanus et clericus. Sed quid produco paginam, cujus superius angustiam pollicebar? Hæc mihi cum amante concertatio : talis fructus est litterarum. Domine mi, salutem uberrimam dicens, precor ut Dei nostri tribuente misericordia crebro salutem vestram votivis mihi, dum meam quæritis, nuntietis affatibus.

EPISTOLA XIII.

ENNODIUS BOETIO.

Si liberum esset imperata differri, concederetur adhuc mihi ornamenta silentii non perire. Nam taciturnitatis munus est, quod non inhumanum loqui me posse credidistis. Videte quantum linguæ genium vox pressa contulerit. Sed res est vacui pectoris periclitata remedia non tenere. Agit sermonis cura, ne promulganti celetur inscitia, quando otii labor gloriam intercipit. Ecce ego ille ante probationem laudatus subdor examini, et ferias meas, ne videar prædicatione dignus, irrumpo. Nam dum humilitas reddit obsequium, impetrata par silentium non habemus. Tu in me, emendatissime hominum, dignaris A prædicare virtutes, quem in annis puerilibus, sine ætatis præjudicio, industria fecit antiquum; qui per diligentiam imples omne quod cogitur; cui inter vitæ exordia ludus est lectionis assiduitas, et deliciæ sudor alienus ; in cujus manibus duplicato igne rutilat, qua veteres face fulserunt. Nam quod vix majoribus circa extremitatem vitæ contigit, hoc tibi abundat in limine. Vere dedisti pretium loquacitati meæ, dum desiderantem colloquia primus aggrederis. Contigit nova res garrulo, ut usque adeo produceretur, donec exigerent scripta responsum. Deo gratias, qui occultis itineribus de propinqui vos necessaria affectione commovit. Ecce geminæ causas injuriæ jam tenetis : nam postquam agrestis innotui, præsumo B me dicere parentem. Domine mi, salutis officium dicens, spero ut circa litterarum munia frequentiam commodetis : in quo opere assiduitatem et amans exhibet et facundus.

EPISTOLA XIV.

ENNODIUS [1] ARCHOTAMIÆ.

Ita supra claritatem generis morum luce profecistis, ut quos etiam vobis non nectit propinquitas, actuum vestrorum bona subjiciant. Quis enim non perfectam reverentiam sit paratus impendere animæ in Dei cultura sublimi? quia peregrinum se facit a Redemptoris gratia, qui Deo non suscipit obsequentes. Indicium enim est conversationis præcipuæ, Christi nostri amare cultores, proximus est emen- C datissimis, qui diligit jam probatos, testimonium dat bonorum sine dubitatione meritorum, si studeas laudibus prosequi sub debita continuatione perfectos, fit sanctis proximus, qui in illis sine fuco prædicat sanctitatem, quemcunque diligentia hortante prætuleris, dispendium pudoris est, ni sequaris. Quis salva verecundia per spinosa gradiens purgatum iter attollat, et viam salutis aspiciens calles eligat noxiorum? professio cæcitatis est, bona ante oculos in exemplum locata respicere, et unde imitatione proficias non tenere. Hæc, mi domina, de te non incertis fama nuntiavit indiciis, non loquax vulgus per ignara judicii ora jactavit; cui mos est de humanis actibus, dum scintillas in rogos animat, amplificatas D fidelium flammas extinguere. Hoc nostrorum relatione propinquorum, præcipue tamen domna et sorore Euprepria referente, percrebuit; non solum vos dignas esse præconiis, sed instituisse celebrandum, et venerabili filio cum prosapiæ radiis facem conversationis ingerere. Habet, quantum comperi, Lirinensis habitator quod de sancta matre discat, etiam quæ urbana domicilio non reliquit. Si mihi credit pietas tua, plus est in acie vicisse sæculum, quam vitasse; resignat timorem fuga certaminis; nec spes est ulla virtutis, quando ante congressionem declinatur adversarius. Conscientia roboris paucis acquiescet ad latebram : hoc est secretum eligere, quod ostendisse formidinem. Hæc ego non dominum meum,

[1] *Archotamiæ*] Nobili viduæ Arelatensi, Ennodii consanguineæ : cujus pietatem tantam esse ostendit, ut filio presbytero, qui religionis studio ad Lirinensem eremum se receperat, exemplo atque incitamento esse possit. Archotonia mendose scribitur apud Cassiodorum lib. IV, 12. Nam de eadem ibi sermo est, ut ostendemus ad epistolam 35 lib. VIII.

et familiæ nostræ jubar, presbyterum [arguens scribo : cui nec ibi credo impugnationes deesse, quas superer ; in quo loci visus est declinasse conflictum. Tunc enim universa sæculi blandimenta calcavit, quando ætatis, opum, natalium profectionem ejus retinere catena non valuit. Sed vobis quantum sexus infirmior, tantum debetur potissima de palmæ adeptione laudatio. Prope est ut etiam illius tu sis tutela propositi : quæ mala viduitatis et orbitatis patiens, de venerabilis filii meritis solatii tui occasione pateris nil perire. Ecce ubi femina, fragilitatis oblita, castelli vice, et virum et juvenem ab hostili impugnatione subducit. Hujus facta dux gloriosa perdures, et usque ad illud in sæculo perseveres, quo illum, si ita res poposcerit, jam maturum mundi istius campus accipiat. [Vellem , confiteor, si epistolaris pateretur concinnatio, in longum verba producere, et de actuum vestrorum ornamentis pauca sub loquendi ubertate narrare. Sed hæc ad alios scribenda reserventur. Sufficit vos scire, quia quamvis a me nunquam sis visa, cognosceris, et adorandis inserta monumentis radice animi jam teneris. Scriptum est, meministi : *Laudent te proximi tui* (*Prov.* XXVII, 2). Vere sola mihi vellem causa existeret Gallias expetendi, ut cum domno meo presbytero, utrique osculantes manus et oculos tuos, beatam te in quavis afflictione temporis redderemus. Domina mihi, propter quod mittuntur epistolæ, corpore me valere significans, prosperitatis vestræ statum requiro : deprecans et per Deum conjurans ne unquam mihi orationum vestrarum adjumenta denegetis.

EPISTOLA XV.

ENNODIUS AGNELLO.

Deo gratias, qui circa magnitudiuem vestram licet protulerit cupita, non repulit. Etenim ne fides claudicet supplicantis desideria differuntur, quia devenustat securæ hilaritatis genium velox impetratio. Et vos quidem honores meruisse, non optasse, manifestum est, sed præcedens concinnatio eloquitur vota diligentium. Novit omnipotens, et generis vestri luce permotus, et gratiæ quam polliciti estis invitatus fiducia, præcessit in prosperis vestris quidquid vos disciplina aut ratione cohibetis. Sufficiant in floribus stricta colloquia : respondete de prosperitate vestra sollicito, quamvis de amore non dubio. Domine mi, salutationis plenissimæ obsequia dependens, litterarum portitorem commendo, quia mihi fide et honestate compertus est, volens universis quid dignationis vestræ habeam non taceri, ut sperantes de communis gratiæ messe pascantur.

EPISTOLA XVI.

ENNODIUS AGNELLO.

Solet prosperorum indicia dispergere sermonis jucunda festivitas : dum quidquid boni facundis accesserit, germana gaudiorum per populos voce discurrit. Facilius est ignem in pyras animatum lingua comprimere, quam silentium inter optata servare. A Humanitatis lex est et naturæ imperium, hilaritatem mentis opibus scriptionis effluere. Emanant enim vel si arctentur secunda conclavibus. Sed in magnitudine vestra, sicut ætas cana est, pudoris et scientiæ dote maturescens, ita lætitiam frenis moderationis astringitis. Sed nunquid in damnum gratiæ disciplina debet excurrere ; et hoc minui amicorum diligentiæ, quod ad morum ornamenta sociatur ? Quamvis monetam Latiaris eloquentiæ teneas, non potes tamen invenire quemadmodum jure factum asseras quod exspectanti mihi verba non tribuis. Decet ergo beneficia superna sola amantibus opinione nuntiari, et de solida gratulatione trepidare gaudiis jam potitum? Hac ergo necessitate puerum direxi, qui non reposcat scripta, sed exigat. Nostis quæ sit fiducia simpliciter B amantum, eorum præcipue quorum spem retinetis gratiæ promissione firmatam. Domine mi, salutationem plenissimam dicens, quæso ut frequentes et non in arctum coactas epistolas destinetis. Videte animi mei securitatem : prolixas posco paginas, qui adhuc nullas accepi.

EPISTOLA XVII.

ENNODIUS AVIENO.

Si vobis de parvitate mea fuisset ulla curatio, tanti temporis silentium non maneret : maxime cum inæqualitas domnæ meæ, matris vestræ, per varios rumores sine remedio affligat absentem. Scio enim hoc solo sanctam feminam fasce prægravari, quia immodicam pietatem exhibet non merenti. Sed quid pro-C duco verba catenis obligata tristitiæ ? si bonam valetudinem ejus cœlestis favor refudit, properato litteris nuntiare. Expecto enim ut tunc mecum prospera concilientur, quando cum illa esse comperero. Didicistis causam mœroris indifferenter post Deum date remedii. Domine mi, salutationis obsequia præsentans, Domino pro me, supplice vestro, obsequia digna porrigite.

EPISTOLA XVIII.

ENNODIUS AVIENO.

Si judex vilium personarum laboret injuriis, nescio utrum possit ab hoc onere alios sublevare, cui ipse succumbit. Gravibus medica manus est adhibenda vulneribus, ne impunitate morbus adolescat. D Sublimis virvicarius [*sic*] hæc a me, quamvis pro justitiæ consideratione deberentur, tamen extorsit alloquia : quid pertulerit, ipse manifestet. Unum scio. quia nisi succurritis, generale futurum malum, cui ipse est disciplinæ tutor expositus. Hoc non est alienum a Christianitate, cum defero, quia impium est rerum ordinem sub hac permixtione confundi. Domine mi, salutationis honore prælato, vos vocem supplicis grataṇter accipite, ut qui tanti fascem laboris arripuit, convalescat effectu.

EPISTOLA XIX.

ENNODIUS [1] SIMPLICIANO.

Divini favoris adjumento adolescentiæ tuæ rudi-

[1] *Simpliciano*] Is est de quo ad Faustum lib. VI, epist. 15 : *Simplicianus præsentium bajulus, adolescens nobilissimus, natalem scientiæ sedem Romam conatus expetere* : cui nunc felicia eloquentiæ primordia gratulatur. Fit ejusdem præterea mentio epist. 29 hujus libri.

menta solidentur. Ipse det successum frugibus, qui contulit ornamenta principiis; ut quod in cano flore præmisisti, in pomorum maturitate non subtrahas. Est propositi nostri prima curatio, ut de incipientis laude solliciti ad Deum vota mittamus; quatenus quod in bonæ indolis eruditione præsumptum est, de superna ope maturescat. Ille ingenii segetem perducat ad horrea, qui altricem hominum herbam exegit e cespite; ipse de terreno lacte expressam in triticum formet effigiem, cujus imbre soli facies maritata fecundatur. Tibi autem, erudite puer, habeo gratias, quod quamvis dicendi splendore nituisses, et in illa urbe litterarum scientia astipulante lauderis, mei quoque desideras adjumenta præconii. Accessit tibi fructus diligentiæ meæ, et si nulla tribuuntur rusticantis ornamenta testimonii. Libens dicta tua cum facundissimis prædico, cum quibus sententiam meam, ut bonorum ditescam societate, conjungo. Proximum est ut non dividantur meritis, qui in qualibet judicatione consentiunt. Unus est, nec enim procul evagatus ab arce sublimium, qui ad hoc quod illi prænuntiant, non dispari admiratione concordat. Ad epistolæ tuæ tamen dictionisque mella me refero: cui sic est blanda de præsenti et tenera ætate præfatio, ut non subtrahatur virtus et genius de futura. [1] Constitit concavatis Latiaris elocutio, dum per alveum suum Romanæ eloquentiæ unda prælabitur. Ad quæ se porrigat, vix comprehendit æstimatio, qui maximus apparescat in foribus. In matutina luce meridiano fulgore rutilasti. Tueatur circa te cœlestis gratia munus suum, et ut frequentibus amantem epistolarum colas muniis, salus nostra Christus inspiret.

EPISTOLA XX.

ENNODIUS [2] MAXIMO.

Dum prelorum famuli autumni dotem complerent, et teneras uvarum tunicas properata calce disrumperent, ego ad summatem virum parentem fratremque meum et oculos et verba revocavi: justum esse conjiciens, dum vineta uberem tribuunt liquorem, me sobriam alloqui cum jucunda hilaritate personam. Solve ergo Pythagoricam taciturnitatem, et mecum peritiæ et facundiæ tuæ bona partire: sit inter nos felicium vindemiarum vice colloquium; currant dulcia musta sermonum. Habes quæ [3] cum diacono sanctissimo de institutis morum nota dicendi ubertate communices. Nam qui ecclesiastica, ut vos, probitate subsistunt, silentii apud illos justa vitatio est. Scribite qua aurea castitas districtione teneatur, per quem callem obscena fugiatur avaritia, quibus modis turpis fallendi declinetur obscuritas. In summa, sine dissimulatione docete quæ geritis. Illud præcipue scire cupidum dignanter instruite qua sponsæ A vel blandimenta sæculi religionis districtione respuantur. Domine, ut supra, salutationis munera præsentans, precor ut gratanter accipias quod inter curarum moles exigit fieri jocorum non respuenda subreptio.

EPISTOLA XXI.

ENNODIUS MAXIMO.

Ubi est fides splendentis periclitata conscientiæ, quam in annis puerilibus cana reverentia non relinquit, quam per ævi præjudicium observantia honestatis irradiat, quæ in tempore juventutis actibus maturescens infantiam ingressa prælabitur? Nunquid æquum fuit amantis paginis tantum mandata restitui, aut par fides est liberæ scriptionis et famuli? Nunquid dignum probatis moribus censuistis provo- B cantem ad officia religiosa non subsequi, vel nefas putastis epistolas reddere quas vobis inter excessus contigit non cepisse? Hæc igitur est tua disciplina? Non talem te probitas olim manifestata disseminat. Ego tamen loquacitate qua notus sum indurata nitor mutare silentia. Nunquid impar est tibi lingua natalibus? aut non testimonium generis annuntias flore sermonis? nunquid ostrum loquendi deseret pectoris fecunda dictatio? Nihil nisi malitiam designat, qui cum possit, desideranti verba non tribuit. Ecce inter ructationes Lyæo debitas qualia Silenus alter verba compono. Scribendum sciatis nomen vestrum ad genii mei purpuram, et libellis propriis inserendum: ut etiam si nihil tribues de responso, ego tamen arcem teneam, quod ad doctos viros dirigo sine C trepidatione aliqua quod legatur. Domine mi, accipe nostræ salutationis obsequia, reddens debita litterarum.

Sic tibi virginitas mansuro constet in ævo:
Nec pereat quidquid vita beata dedit.
Sic tua non maculent nigrantes membra puellæ;
Nec propter jaceas Tartaream faciem.
Ut cupidum sanctis releves per scripta loquelis;
Deque tuis fratri fontibus unda fluat.

EPISTOLA XXII.

ENNODIUS MAXIMO.

Fidelius a sublimitate tua vocem suscipiunt aut interrupta montium, aut secreta silvarum. Præbent D hominibus naturæ institutione et muta responsum; redit ad mortales vicissitudo clamosæ solitudinis; non perit quod linguæ acceperint vel lustra beneficium: quare istud in magnitudine tua laudis et philosophiæ genus est, nihil dicere, et silentii tenere inter declamantium incerta cautionem? Homo, quem nec infecundum natura protulit, nec infabricatum doctrina dereliquit. Sed, credo, me dedignaris affatu; [4] opicis nolens pretiosa dare verba judicio. Quid quod signum est divitis eloquentia viri, nec in-

[1] *Constitit concavatis*] Ita omnes libri antiqui: quid autem sibi velit, sequens alvei commemoratio declarat.

[2] *Maximo*] Viro spectabili: cujus epithalamium scripsit Ennodius: atque his etiam epistolis ad ejus nuptias alludens subinde jocatur. Postea consul fuit ordinarius anno 523, hoc est biennio post mortem Ennodii. Ad eum enim consulem scripta exstat epistola Theoderici de ludorum pompa quam daturus erat, lib. v Variarum 42.

[3] *Cum diacono sanctissimo*] Hormisda.

[4] *Opicis nolens*] Veteres omnes *obicis* mendose.

doctis sermonum cupita subtrahere? mendicus fluminum cursus est, qui tantum nobilissimorum satiare putatur ardorem; ubertas imbrium et nihil paritura saxa perfundit. Liquidæ rationis ordo est, ut paupertatem resignet qui damna formidat; quidquid non procurrit, exile est. De volucribus tamen munus singula destinavi, quod cepit accipiter. Nam progressi ad Bromium et Bacchi orgia, [1] inter aves bella commisimus : profuit quæstui nostro certamen sociale pennarum. Memento quod solam anatem direximus : scientes quia *numero Deus impare gaudet*. Dona nostra institutio est : sume, si diligis, pro dogmate quod jocamur. Fac meam frugiferam esse lætitiam. Si tibi perpetuæ diligentiam castitatis indixerit, laborabit in laudibus tuis lingua, quæ modo exercetur in monitis. Vale, domine, et amanti, ut doctus, si mereor, sequestrata dissimulatione responde.

EPISTOLA XXIII.

ENNODIUS MAXIMO.

[2] Producit magnitudo tua nuptiarum festa temporibus; dum rem ad quam coactus es, sub diuturnitate prosequeris, subito necessitas tua facta est desiderium. Aliquis negotio illi perenniter incumbat, ad quod descendit invitus? Sic recessisti a custoditæ beatitudinis diligentia, quasi prolixis temporibus didicisses qualiter institueretur uxorius. Triginta feliciter dies abierunt, et te civitati adhuc meis oculis longa me macerans exspectatione subducis. Vere quidquid vis facias, si vixero, qui tibi dicenda texui, non tacebo: tamen honore salutationis accepto, gustum de guttulis ut fratrem decet a fratre, directa suscipite. Erubesce tu, quia nec ægrum requiris, nec de nuptialibus deliciis quæ possent fastidium relevare transmittis.

EPISTOLA XXIV.

ENNODIUS STEPHANO.

Exigit a me filii communis Marcelli adhortatio, quem natura vobis, mihi dedit affectus, ut ad scriptionis munia prævius aspirarem, et solatium litterarum per quod vetustas voluit absentiæ nil licere, amore victus impenderem. Jam debes mihi duplicem gratiam, et si responsa restitueris, ob hoc quod primus incepi. Ille dilectionis januam pandit, qui in colloquiis præstat exemplum : propositam custodiunt formulam, qui scripta restituunt. Ergo, auctore Deo, nuntiam prosperitatis nostræ epistolam destinamus. Illud ad gaudium vestrum, quo uberius paterna mens exsultet, adjungimus, filium vestrum in studiis liberalibus ingenuitatis testimonium jam tenere, et talem se in hac cura præstare, ut avara suorum vota transcendat. Spes perfectionis est, honesta in adolescente inchoatio, nec ab erudito distat, qui inter exordia boni gloriam occupat instituti. Salutans ergo affectione qua debeo, spero ut reparata opportunitate de bono me faciat vestræ prosperitatis attolli.

EPISTOLA XXV.

ENNODIUS [3] SYMMACHO.

Lex desideriis scripta vix creditur. Impatiens rigidioris præcepti diligentia, non jugiter dignum facit reprehensione quod libera est. Redditur sæpe ama-

Mihi certa visa est castigatio, ut *opici* legamus, hoc est, ut mox declarat, rudis et indocti; quo sensu et opica translatio dicta Sidonio lib. VIII, epist. 3, ab Opicorum gente deducta significatio, cujus sermo incultus et barbarus. ὀπικῶν φωνή, apud Suidam in voce Γέλα.

[1] *Inter aves bella commisimus*] Sidonius idem in panegyrico Aviti :

Quid volucrum studium, dat quas natura rapaces
In vulgus prope cognatum? quis doctior isto
Instituit varias per nubila jungere lites?
Alite vincit aves, celerique per æthera plausu
Hoc nulli melius pugnator militat unguis.

Avium igitur venatio illis temporibus frequens, nec clericis ignota : quibus eam tamen postea canones vetuerunt, ut in illa ipsa Liguria synodus Ticinensis anno 830, can. 4 : *Ut episcopus omnes affectiones quæ in sancta conversatione a sacerdotali abhorrent officio, penitus repudiet, et non canibus aut accipitribus vel capis, quos vulgus falcones vocat, per se ipsum venationes exerceat.*

[2] *Producit magnitudo*] Septem quæ sequuntur epistolæ desiderantur in exemplaribus quibus usi sumus.

[3] *Symmacho*] Non papæ, sed patricio, socero Boetii : qui illum hoc ornat elogio lib. II de Consolatione : *Atqui viget incolumis illud pretiosissimum generis humani decus, Symmachus socer, et quod vitæ pretio non segnis emeres, vir totus ex sapientia virtutibusque factus, suorum securus tuis ingemiscit injuriis.* Item lib. I : *Symmachus sanctus, et æque ac tu ipsa reverendus.* Ennodius originariam Symmachorum familiæ eloquentiam, nobilitatemque esse ait : nec frustra, quia docti fere omnes fuerunt, et summis dignitatibus illustres. Quo loco non abs re facturus videor si, quoniam Symmachos, qui Ennodii ætate et superiore sæculo floruerunt, plerique confundunt, suis singulos notis distinguam ducto a patre Symmachi oratoris exordio. Is fuit.

1° L. AURELIUS AVIANUS SYMMACHUS præfectus urbi anno 364. Cujus meritorum series auctoritatisque, prudentiæ et eloquentiæ testimonium in statuæ inscriptione continetur, quam illi duplicem, Romæ scilicet ac Constantinopoli, principes poni jusserunt. Virum doctum et modestum appellat Marcellinus Rerum gestarum lib. XXVII. Sed ejus exstat unica epistola ad Symmachum filium cum paucis epigrammatis, quæ supersunt ex iis quæ in octoginta illustres sui sæculi viros conscripserat.

2° Q. AURELIUS SYMMACHUS L. F. orator; cujus Epistolarum lib. IX ac decimus Relationum quas in præfectura urbana scripsit : in quibus et famosa relatio de ara Victoriæ legitur, cui S. Ambrosius et Prudentius responderunt. Proconsul enim Africæ fuit anno 370, præfectus Urbi anno 384, consul denique ordinarius cum Tatiano anno 391. Uxor illi Rusticiana Orfiti filia : mater Acyndini consulis, quem avunculum propterea vocat, germana. Is est qui apud Macrobium disputat in Saturnalibus; cui Griphum mittit Ausonius : de quo loquitur Augustinus, cum a Symmacho P. V. Mediolanum ad rhetoricam professionem missum se scribit lib. V Confess., cap. 13. De quo item Prosper lib. III de Promiss. cap. 38, Sidonius epist. 1 et aliis locis; Socrates lib. V, cap. 14; Cassiodorus lib. XI, 2.

3° Q. FLAVIANUS MEMMIUS SYMMACHUS, unicus oratoris filius, a quo et patris epistolæ post ejus mortem digestæ et editæ. Proconsul itidem Africæ anno 415, præfectus Urbi anno 420. Hujus siquidem sunt Relationes quæ de Eulalii adversus Bonifacium papam contentione ad Honorium Aug. scriptæ Annalibus ecclesiasticis sunt insertæ. Quæstor etiam candidatus, et prætor ineunte ætate fuerat. Nam utriusque filii sui honoris crebra mentio in epistolis Symma-

bilior de reatu, cum per effrenationem sortitur genium plus placendi : nam delictum suum quodam ipsius præsumptionis melle commendat. Ego a præfatione me tueor, quia ad epistolas primus aspiro. Restat in potestate celsitudinis vestræ, si sustinere eligetis garrulum, non tacere, et de originario Symmachiani fontis lacte me pascere. Vale in Christo nostro, Romanæ gentis nobilitas, et me jam ut clientem et famulum pro morum et naturæ luce dignare.

EPISTOLA XXVI.

ENNODIUS AGNELLO.

Pro voto meo produxistis epistolam, dum res nulla fuscatas nube purgatis. Felicissima defensionis sorte adsumus innocentiæ, et dextro semper omine per se splendentibus usuram vocis impendimus. Facile ejus lucem qui nitet affirmas : nec deest sermo qui commodetur absolutis. Sic de caballo promisso processistis affatibus, quasi vobis aliquando obscena mentiendi fuisset affectio. Vere per animam meam facilius sacros crederem labi in hanc foveam posse pontifices. Vitia maturos nesciunt, nisi quos primævos imbuerint. Infitiatio in hominibus nova non germinat : quidquid in moribus nostris est, et sequitur et præcessit. Proinde valete, ostrum Latiaris eloquii, et mihi vicissitudinem amando restituite : illud providentes, ut pro compensatione tarditatis dignus mihi munere vestro equus succurrat.

EPISTOLA XXVII.

ENNODIUS [1] PROBO.

Eligo jacturam pudoris, ne subeam dedecus non amantis, sciens facilius sarciri posse frontis damna quam fidei. Indoctum esse infelicitatis est; virtutes familiæ vestræ odisse, res criminis. Potuimus disciplinis liberalibus defuisse non delinquentes ; nulli sufficit, unde mores excussit. Ego in amplitudine vestra tot coacervata epistolari sermone bona non venerer? ego non illud generis lumen amplificatum studiis et probitate suspiciam? Videtur mihi non longe ab honestate desciscere, qui colit emendatos; dum creditur quicunque sectari posse quod diligit. Proinde vale per gratiam Dei, et studium meum approbans amantem tui amplifica muniis litterarum.

EPISTOLA XXVIII.

ENNODIUS ADEODATO PRESBYTERO.

Voto meo obsequitur, quæ ministra ad vos scriptionis existit occasio. Nam et præsentiæ vice blanditur alloquium, et promittit sibi de paginarum promulgatione quod exhibet : quia emendatissimi homines, sicut derogari virtutibus suis æstimant, aliquos in diligentiæ testimonio prævios exstitisse; ita ignominiam reputant, exempla negligere. Vixit inter sanctos viros ista communio, ut per intimi hominis providentiam nil noceret terrena sequestratio. Par est, domine, ut et votum meum sequaris et formam. Ergo salutans principe loco, ut mei memor sis deprecor; ut quod mihi per negligentiam subtrahitur. divinæ gratiæ per vos suffragio conferatur. Indico ergo non mentiens nocte tertia [2] a profectione mea, ingratam mihi dominam meam Cynegiam apparuisse in ipso lucis exordio, et multum ab ea me de itineris properatione culpatum, quare etiam nullis versibus sepulcrum ejus esset honoratum. Hæc quidem ego non ad imaginem propheticæ veritatis accepi; nec nocturnis forte illusionibus operis mei sudore litavi. Sed quia facile suadetur amantibus, debitum opus non laboravit exigere qui monebat. Salva est dominæ reverentia. Versus quos direxi, per diem judicii te conjuro ut in pariete supra ad pedes scribi mox facias. Gratum noveris et filio tuo futurum, vult enim merita illius multorum ore celebrari, sed in eo modo quo illos hic invenit. Domnam meam Stephaniam et domnam Sabianam, sed et domnam Fadillam pro me saluta. Si scripti fuerint, mox rescribe.

chi : et sumptuum ejus præturæ meminit Olympiodorus Thebæus apud Photium, Symmachos inter Romanæ urbis ditissimos numerans.

4° Q. AURELIUS SYMMACHUS. Sic enim appellatur novella 4 Valentiniani. Consul ordinarius cum Aetio III consule anno 446, avus, opinor, Gallæ viduæ in epistola Fulgentii, quia Gallam Symmachi patricii filiam sic affatur : *Et licet avo, patre, socero, marito consulibus pridem fueris inter sæculares illustris.*

5° Symmachus patricius, cui hoc loco scribit Ennodius, cujus meminit lib. VIII, epist. 28, hoc est Q. AURELIUS MEMMIUS SYMMACHUS EXCONS. ORD. ET PATRICIUS, ut legere memini in antiquis exemplaribus Boetii generi, qui aliquot ei opuscula sua inscribit, Consul fuit sine collega sub Odoacre, anno 485 a Theodorico rege judex in causa Basilii et Prætextati, qui magicarum artium accusabantur, inter alios delectus : epist. 29 lib. II, apud Cassiodorum, apud quem et aliæ sunt Theoderici ejusdem ad Symmachum epistolæ. De eodem Hormisda pontifex epist. 28 et 66. Cæterum ab eodem Theoderico impiis delatorum criminationibus incitato crudeliter una cum Boetio genero cæsus est, ut narrat Procopius lib. I de Bello Gothico. Hujus filiæ duæ memorantur, Rusticiana uxor Boetii et Galla, de qua, præter Fulgentium, Gregorius Magnus IV, dialog. 13. Filium nullum reliquit. Nam qui sequitur.

6° SYMMACHUS collega Boetii in consulatu anni 522, non Symmachi patricii filius, sed nepos fuit, ex filia Rusticiana et Boetio prognatus, ut dicetur ad epist. 1 lib. VIII. Ex annis autem quos in singulis descripsimus, facile erit de principum rescriptis ad Symmachos quæ in codice utroque leguntur, ad quos referenda sint, judicare.

[1] *Probo*] Viro illustri : quem inter alios proceres urbis laudat in Parænesi. Item lib. VIII, epist. 21 ad Beatum : *Tu feceras quod sapiens, qui soli domno Probo, artem* (forte *arcem*) *tenenti inter doctos, versus meos relegeras.* Et poeticæ igitur facultatis, et nobilitatis in hac epistola mentio facit, quod inter Christiana monumenta editum est his verbis :

Spes generis clari, magnorum gloria patrum,
Sollers ingenio, carmine doctiloquus.
Inlustris, sapiens, humilis moderatus, honestus,
Communis, gratus, plus bonitate pius.
Ante annos animumque gerens ætatis avitæ,
Clarior in patria nobilitate Probus,
Nil tibi mors nocuit : cum heic vivis laude perenni,
Et Christi in regno dum sine fine manes.
Hæc tibi quæ cecini, non sunt præconia falsa:
Pro meritis fama est testis ubique tua.

[2] *A profectione mea*] Dum ab urbe rediret. Epitaphium Cynegiæ aliud vidimus lib. V, epist. 7. Illud Euprepiæ sororis rogatu scripsit : hoc a Cynegia ipsa nocturno viso admonitus composuit, et Romam misit, ut parieti ad tumulum infigatur.

Domno papæ dignare dicere ut aliquid [1] per secundia Hoscorum de mea causa ordinet. Quantum in festinatione veredarii potui, scripsi : dominum et fratrem Hormisdam satis pro me saluta, cui dicite ut clavem illam mittat. A

EPISTOLA XXIX.

ENNODIUS BEATO.

Non ego epistolam meam intra breves terminos, Spartanæ memor concinnationis, includo; nec formam tuam studio coacti sermonis irrideo : abest a me loqui pauca cum modicis. Urbanorum est exiguis producta subtrahere, et sine aliqua necessitate paginas, quales poscit hominum mensura, formare. Quod in me de his quæ præfatus sum subtile putaveris, festinatio non semper amica artis et casus exhibuit. B Magnum mihi est, si dederunt fortuita quod mireris. Ergo causam scriptionis insinuo, quam tibi prælata salutatione commendo. Digresso mihi urbe procul domnæ meæ Cynegiæ occurrit admonitio, quare sepulcrum ejus non honorassem laude ducti in carmen eloquii. Quod, quamvis reverentia viri ipsius facerem, tractavi, quia quod radiat luce meritorum, styli ubertate celebrandum est. Nam nec Deus officium respuit imperiti, et contentus ipse quod tribuit, a rusticantibus verborum diademata non requirit. His ergo versibus scribendum epitaphium destinavi. De quo quid sentiatur, sic pater tuus vivat, et Roma te, quantum ad illa quæ in ipsa reprehenduntur, non suum faciat, ut simpliciter et pure indices; nec auribus meis aut sensui fuco mentitæ gratiæ blandiaris. Non erubescas, C et etiam aliquibus, præcipue tamen dominæ, et merito dominæ Barbaræ paginam meam recensere; quia tecum locatur. Opto tamen ut tantum tabella mea quantum spes tua sapiat, quæ in cano flore, et mea et parentum suorum, quamvis sint avara, * et vota transgreditur. Dominum Cethegum et dominam Blesillam sororem ejus, pro me saluta. [2] Fidelem, Marcellum, Georgium, Solatium, Simplicianum pro me saluta : quibus dic : Si vobis cordi est disciplina domnæ Barbaræ, dominum, vel patres, aut fratres ejus, frequentate; quia est casta luxuque carens : qui aliud fecerit, ad me non sperat se esse rediturum.

EPITAPHIUM CYNEGIÆ.

Obtinui pretium votorum munere Christi :
  Quæ mihi vita fuit crux, dedit hanc tumulis. D
Dissolvens carni sobolem sine vulnere mentis,
  Quod Fausto felix conjuge præmorior :

Disjecit lacrymas medela cordis.
Quæ servat meritis torum fidelem.
Exoptet similem matrona sortem.

EPISTOLA XXX.

ENNODIUS FAUSTO.

Solida est spes adolescentium, quam magnorum cultura prosequitur : si cessat curatio, ubertas tritici transit in lolium. Parthenium, sororis meæ filium, diu circa diligentiam litterarum, quantum patris ipsius reseravit allegatio, culminis vestri metus attraxerat. Sed nunc per absentiam vestram venerandæ solutus lege formidinis, molitur obscena : ætas illa peccatis amicior multos reperit ad errata ductores. Implorat fidem propositi mei pater, et incolumem filium loco deflet exstincti. Sic faciunt, quibus de profectu suorum fiducia nulla responderit. Nihil mihi residuum fuit, quod remedii loco precibus victus ingererem; nisi ut eminentiæ vestræ conscientiam de excessibus ante dicti juvenis festinus instruerem. Vos medicam manum, vos opem præstate consuetam, ne vitiorum profectus universa in eo quæ boni aliquid potuerunt ferre succidat. Commendate amicis quæ agantur; insinuate doctori, et quidquid potest subvenire, concedite : quia hæc sunt quæ, præfatis salutationis obsequiis, consanguineo possim, professionis meæ memor, sine dissimulatione præstare.

EPISTOLA XXXI.

ENNODIUS PARTHENIO.

Par quidem fuerat silentio degeneri vicem taciturnitatis opponi, ut per ipsum callem vindicta per quem venerat error exiret. Nunquid æquum est ut in excessibus tuis vox, quid deliqueris, et non mutus dolor ostendat? Crede mihi, manifestatæ indignationi vicina curatio est. Te per longum ferire debuit inclusa commotio, si tamen non ex toto ab humanitate discessisti. Quid deliqueram, postquam [3] primoribus litteris veniam fabricata humilitate poposceras,? hæc est correctionis fida promissio, ut postquam delenifica oratione conceptam iram extorseris, erubescas te minora peccasse? Quantum video, post contestatam verecundiam, solas errorum vitas angustias, nefas æstimas circa parentem et nutritorem tuum non in tantum extolli supercilium quanta debuisti pro tot beneficiis communione submitti. Aut forte putas quod me puerilis ira sollicitet, aut ulla necessitas maturum expugnare possit affectum? nunquid genitori natorum non grata sunt verbera? aut creatores reptantium parvulorum non et mulcentur injuriis? Nihil amarum putant, quibus inter desideria quod votis pro parte adversetur efferbuit. Invenimus inter triticeas segetes spinas et lolium; et dum frugiferam herbam carpimus, infecunda suggeruntur. Nunquid

[1] *Per secundia Hoscorum*] Quia deserunt nos hic codices, ut dixi, et conjectura utendum est, non aliena, ut opinor, fuerit emendatio si *per sanctum Dioscorum* legamus. Dioscorus enim is est ad quem et Hormisdam de hoc ipso negotio suo cum papa tractando scripsit lib. VI, epist. 33.

[2] *Fidelem*] Mediolanensem. Huic inter cæteros senatores scribit Joannes papa, ut observatum est ad epist. 7, lib. I. Sed illo tempore quæstor Athalarici jam fuerat. Postea vero præfectura etiam prætoriana functus est, ut testatur Procopius lib. I Belli Gothici : a quo præterea Mediolanensem patria Fidelem fuisse didicimus, legatumque a Romanis missum ut Belisarium in Urbem evocaret. Verum hæc omnia multo post Ennodium : nunc juvenis erat. Procopii autem de illo verba hæc sunt : *Φιδέλιόν τε πέμψαντες, ἄνδρα ἐκ Μεδιολάνων ὁρμώμενον, ἣ ἐν Λιγούροις κεῖται (ὃς δὲ Ἀταλαρίχῳ παρήδρευε πρότερον, — κουαίστορα δὲ τὴν ἀρχὴν ταύτην καλοῦσι Ῥωμαῖοι. —), Βελισάριον ἐς Ῥώμην ἐκάλουν, ἀμαχητὶ τὴν πόλιν παραδώσειν ὑποσχόμενοι.*

[3] *Primoribus litteris veniam*] Ad quas rescripsit Ennodius epist. 1 lib. VI.

* *Et vota*] Conjunctio hic redundare videtur.

ideo culturæ respuenda diligentia est, aut cessandum est a vomeribus, si non in toto satisfecerit terra cultori? Deum precor, ut a te quod detestor excludat : ego tamen nunquam, si credis, deseram monitoris officium. Audivi te, patris tui relatione, circa studia jam remissum, et quasi arcem scientiæ adeptus sis, ita nullatenus esse de lectionis instructione sollicitum. Nosti, fili, istius rei summam, nisi assiduitate nimia non teneri. Non profuit in hoc opere laborasse A aliquando hominem, qui a laboris intentione destitit : pernicibus alis negligentes fugit scientia et quidquid mora et sudore partum est, sub celeritate transfertur. Tu salutatum et vigilem volo, ut profectus tui messem quotidianæ catenis lectionis astringas. Ad me vel nunc, si quid te deceat cogitas, rescribe : quia si credis, nunquam similem dictionum tuarum invenies in qualibet orbis parte fautorem.

LIBER OCTAVUS.

EPISTOLA PRIMA.

ENNODIUS [1] BOETIO.

Optimæ spei plenus, cui fautum (*an* faustum) cupio, ad curam officii epistolaris aspiro. Decet enim vestris fascibus hac præfatione delibari; et inter purpuras, possessoris luce crescentes, qualicunque non abstinere colloquio. Nunquid solius doctrinæ beneficiis amor agnoscitur, nec fas esse credendum est, prodire in medium desideria rusticantis? simplicius innotascunt vota nullo peritiæ velata præstigio. Ergo nos hoc sumus ore, quod pectore : non amara præcordiorum delenificis possumus mutare sermonibus ; pudens laudator est, cui in concinnatione blandimenti dicenda mens suggerit. Deo ergo omnipotenti gratias, qui in vobis, dum vetera familiæ vestræ bona custodit, nova multiplicat, et quod plus est apice dignitatis dignos facit esse culminibus. Redditur quidem vestræ gloria ista origini, sed, quod est clarius, merito impetrante personæ. Fuerit in morem veteribus curulium celsitudinem campi sudore mercari, et contemptu lucis honorum luce fulgere; sed aliud genus virtutis quæritur, postquam præmium facta est Roma victorum. Noster candidatus post manifestam decertationem debitum triumphum, dum nunquam viderit bella, sortitur. Judicio exigit laureas, et congredi non necessarium duxit armatis. Inter Ciceronis gladios B et Demosthenis enituit, et utriusque propositi acumina quasi natus in ipsa artium pace collegit. Nemo dissonantiam Atticæ perfectionis metuat et Romanæ, nec præcipua gentium bona societatem dubitet convenire. Unus es [2] qui utrumque complecteris, et quidquid viritim distributum poterat satis esse, avidus maximarum rerum possessor includis. Eloquentiam veterum, dum imitaris, exsuperas, dicendi formam doctissimis tribuis, dum requiris. Est apud me epistolæ vestræ, quæ hujus rei fidem faciat, veneranda compositio. Utinam quæ a vobis diriguntur, tam essent crebra quam suavia! Dicatis forsitan : Par fuit propinquum laudare, in commune augmentum laborantem, quia non est proprium, quod quasi singulariter videtur palmata conferre, Venit ad me equidem portio de curuli. Sed, si mihi creditis, plus erigor de genio et studiis sublimati. Interdum acces- C serunt ista de casibus, soli contigerunt illa virtuti. Prope inops ad scriptionem adducitur suffragii consularis, qui tantum de parentibus gloriatur. Tibi utrumque in peculio est, Latiaris scientia et vena purpurarum. O si mihi non styli epistolaris consideratio in longum equidem producta manus opponeret! quod alii relatione dictant, ego crudum, et si confusis ordinibus explicarem. Redeo ad tabellarum fidem. Valere me nuntio, et utrum valeatis imploro : ad summam beneficii postulans ut dignatio me reci-

[1] *Boetio*] Consuli ordinario ejus anni, hoc est 510. Hic nimirum ANICIUS MANLIUS SEVERINUS BOETIUS, philosophus et orator : cujus laus præconio non eget : quod si desideretur, nullum hac Ennodii epistola esse possit illustrius. Onufrius Panvinius iterum consulem cum Symmacho socero fuisse censet anno 522. Sed ut omittam, Boetium, si secundum consul illo anno fuisset, collegæ Symmacho præponi debuisset, cum in Fastis et antiquis omnibus lapidibus postponatur : mihi certum est Symmachum et Boetium consules anni 522 Boetii ipsius filios fuisse : illos inquam, de quorum ipse copulato consulatu lib. II de Consolatione scribit his verbis : *Cum duos pariter consules liberos tuos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti.* Et : *Quid dicam liberos consules, quorum jam ut in id ætatis pueris vel paterni vel aviti specimen elucet ingenii?* Scio aliter visum auctori Vitæ Boetii, qui filios ejus consules facit Patricium et Hypatium, qui anno Christi 500 consulatum una gesserunt. Verum hæc profecto nimia est allucinatio. Præterquam enim quod meminisse oportebat Græcos et Orientales illos consules fuisse, et ad Boetii familiam nihil pertinere, revincere poterant quæ modo citata sunt verba Boetii, ex quibus liquet hosce ejus filios consulares ætate adhuc pueros fuisse, cum exsilii sui Consolationem scriberet : quod sane dici non poterat, si ante 20 eoque plures annos consules fuissent. Boetii ergo filii fuerunt Symmachus et Boetius ; quorum uni nomen a socero, filii avo, alteri suum imposuit. Multa sunt horum consulatu notata monimenta : unicum proferam, quod propter ascriptam exeuntis indictionis notam memorabile videtur. Vidi- D mus id Romæ in æde suburbana S. Pancratii. Sic autem habet :

HIC REQUIESCIT MAXIMUS PARVULUS
QUI VIXIT ANNOS VI. MENS. VII. DIES X.
DEPOSITUS EST SUB D. III. ID. AUGUSTAR.
SYMMACHO ET BOETIO VV. CC. CONS.
IN FINE IND XV.

[2] *Qui utrumque complecteris*] Græcam simul Latinamque eruditionem, quod omnia ejus opera testantur, et epitaphium Ticini.

Mæonia et Latia lingua clarissimus et qui
Consul eram, heic perii missus in exsilium.

Gerbertus item nostras lib. II Epigrammatum Pithœanorum :

Tu pater et patriæ lumen, Severine Boethi,
Consulis officio rerum disponis habenas.
Infundis lumen studiis, et cedere nescis
Græcorum ingeniis.

proci sermonis attollat : hoc quoque deprecans, [1] ut domum quam in Mediolanensi civitate et abundantia vestra et neglectus propemodum jam reliquit, mihi quo vultis genere concedatis. Justum est enim ut parentes vestri habeant quod de patrimonii mole descendit. Credite mihi, Deo teste, quia si impetrare sine detrimento census vestri meruero, quasi dono obligatus, obsequiis potioribus respondebo. De qua parte, sic vobis feliciter universa contingant, si securus esse debeo, plenarii mihi documenti dirigite firmitatem.

EPISTOLA II.

ENNODIUS AVIENO.

Par erat magnitudinem vestram ingenii sui opulentiam, dum sancti patris sectatur instituta, depromere, et multo acquisitam sudore doctrinam pro diligentiæ testimonio ventilare. Gemina vobis contingit antefata concinnatione laudatio; quando crescente susceptorum devotione fertur in medium palma sermonis, res quæ nobis amorem vestrum reserat, vos extollit. Uno eodemque usu et oris pompa multiplicatur et fidei. In pace constituti illam subjectis affectionem putantur impendere, quam loquuntur. Hæc, mi domine, ille occupatissimus pater et in humana locatus arce custodit. Nam contemptum manifestat, qui in otio degens verba non tribuit. Legisse me memini, *Sermonis avari nullus honor*. Nunc ergo servitiis salutationis adhibitis, indico me valere. Superest ut suggestio mea eliciti gaudeat ubertate colloquii.

EPISTOLA III.

ENNODIUS [2] MESSALÆ.

Post unam epistolam quam victus crebris scriptionibus emisisti, in continua taciturnitate perduras : et credo necessitate, non studio, servas [3] philosophiam nil dicendi; non respiciens veteres, ut loquerentur melius, in præsentia nil locutos, et illam silentii curam nutricem fuisse sermonis. Tu videris mihi [4] disciplinas Atticas in muta fideliter parte sectari, nolens silentio acquisita vulgare : ostende post oris ferias quæ tibi per aurium callem divitiæ commearunt. Destinasti mihi dictiones tuas; in quibus et si non fuit optanda sublimitas, non tamen deprehensa est quæ sorderet abjectio. Egi Deo gratias, quia jam te de vinculo in quo negligentia constringebaris, exemeras. Promisi sequentibus potiorem successum æstimatione principii. Sed vos inchoationem, quantum ad me cui nihil dirigitis, cum extremitate junxistis. Domine Messala, quotidie cujus sis filius, habere ante oculos cordis Dei nostri dispensatione contingat. Sed nolo prolixa esse, quæ aspera sunt. A Vale, officio salutationis accepto, et correctum te suggestionibus meis frequentibus resigna muniis litterarum.

EPISTOLA IV.

ENNODIUS [5] ARATORI.

Ad longinqua digrediens caritatis immemor exstitisti, non licuit tecum piam diligentiam muros exire. Dum urbis habitator es, fabricatas blanditias, non sine dædala arte custodis, at ubi rus petendum esse decreveris, quasi graves sarcinas amicorum memoriam derelinquis. Tu villares delicias expetisti, et nos apud te inter mœnium mala remansimus. Non habuit radicem affectio, quam velut curarum tormenta separasti. Dicas, unde tam velox exprobratio? nec B æquum esse parari ante delicta tortorem. Scripturum te, mox fuisses ad optata pervectus, sine cunctatione promisisti: quantum pater tuus semper culparum tuarum vulgator exposuit, jam a te pueri paginis vacui commearunt. Timeo ne ista taciturnitas diuturnitate convalescat; et in usum silentii turpis crescat incuria. Domine mi, saluto ego, et promissi te memorem debere esse convenio, quatenus inter cana nemora redimitus hederis efferaris.

EPISTOLA V.

ENNODIUS FAUSTO.

Directos a sancto episcopo artifices prosequi commendatione non opus est. Res enim plus suo placitura genio, de devotione laudatoris abjurat injuriam. C Familia est quam, cum videritis, non possitis ambigere ab Ecclesia destinatam, et de ejus thesauris et gremio sub hoc studio processisse, ut tractata liberaliter pariat vobis in illa melioris sæculi commutatione mercedem. In quibus mancipiis, juxta annuntiationem beatissimi Laurentii martyris, opes esse maximas quis negabit? Sunt enim feminæ, quæ quamvis exterioris hominis lumina perdidissent, mentium splendore radiabunt: quidquid enim corporibus de prosperitate subducitur, ad frugem crescit animarum. Nolite male accipere, quod nec videre poterunt, nec videri : procul a maturitate vestra illiciens decore formositas. Qui vitam suam, sicut vos in hoc innocentiæ calle disposuit, si tales pascat, in cœlis est : crede mihi, quamvis vobis gaudia pariat fusa ad Deum D ubertas illa lacrymarum, contenti eritis possidere sub continuatione plangentes. Inter ista bona quæ præfatus sum, licet magno vobis labore et pretio constitissent, adjicio quæ sequuntur. Una inter ipsas, et ingenua, et sine filiis, et puto, quod fit sanctis vicinum desideriis, nec habebit. Est enim in Christianis hominibus fecunda sterilitas, et maximum solatium sæculi adjutoria non habere. Sed ne forte ani-

[1] *Domum in Mediolanensi civitate*] De hac rursum epist. 30, 38 et 40 hujus libri.

[2] *Messalæ*] Adolescenti, Avieni fratri, Fausti filio : quod docet lib. IX, epist. 12 et 26. Is eloquentiæ operam Romæ dabat. Ideo ejus dictiones laudat, ut hoc stimulo incitetur. Aliæ præterea sunt ad eumdem epistolæ hoc libro et sequenti. Rursum Messala hic videtur de cujus consulatu, qui incidit in annum 506, epigrammate lusit Ennodius. Ita pueros consules creare mos fuit hoc ævo non infrequens.

[3] *Philosophiam nil dicendi*] Pythagoricam ἐχεμυθίαν.

[4] *Disciplinas Atticas*] Sacrorum Eleusiniorum, quæ in Attica religiosissimo silentio colebantur. Unde taciti Cereris mystæ Papinio; et proverbium Ἀττικοὶ ἐλευσίνια de iis qui arcana sua silentio tegunt : quia Cereris mysteria non initiatis evulgare nefas erat.

[5] *Aratori*] Lib. IX, epist. 1.

mus vester in occupationes publicas debeat de [1] anagnostici prolixitate fastidium; quamvis bona in principiis locata vos animent, et quemlibet rancorem detergeat in exordio, juxta oratoriam disciplinam, locata dulcedo; tamen ne desideria vestra fabricata dissimulatione suspendam, nulla ex illis documenta promerui. Quia commemorationem mularum facerem, episcopo durum videtur: et quamvis famuli vestri fratris Gaiani institisset efficacia, et supra modum nos pressisset importunitas, nihil communi actione profecimus. Hoc tantum volunt inseri, multis sanctum patrem vestrum beneficiis vestris et gratia invitatum, muneris vobis vicissitudinem prospexisse: quod genus documenti si placet, sine cunctatione rescribite, aut quæ ejus forma esse debeat intimate. Nunc ego ille periclitatæ utilitatis et in obsequiis vestris annis pluribus jam probatus, quantum egerim, quod vix alter per infinita chartæ damna narrasset, pernicibus sum verborum saltibus elocutus.

EPISTOLA VI.

ENNODIUS AVIENO.

Credo ad justitiam pertinere, ut quod a vobis exspecto, primus exhibeam. Decet enim ut qui bona opera præstolatur, invitet exemplo. Expugnat calcaribus tarditatem, qui formam ministrat officii. His ergo salutationis munus impertiens, sanum me esse, post inæqualitatem quam pro peccatis sum passus, enuntio; et statum vestræ prosperitatis inquiro, sperans ut in hujus rei solutione multus incumbas.

EPISTOLA VII.

ENNODIUS SENARIO.

Apud sanctas conscientias non negat caritati debita sua gratiæ principalis occupatio, nec eliminat pii amoris aula fervorem. Testimonium dat solidæ affectioni, qui eam inter impedimenta oblivione non obruit. Commendate mihi scriptione culmina vestra, quæ voto importunus emerui: custodia communionis, honor est dignitatum. His ergo obsequentissime salutans, epistolas brevitate constringo, sciens posse productas horreri: faciens ut pro me Domino gratias referatis, qui molestiam quam pertuli, antequam ea discere potuissetis, abstersit.

EPISTOLA VIII.

ENNODIUS [2] ELPIDIO DIACONO.

Quibus modis fraternitatem tuam ad scribendum, quave arte sollicitem, quando homo verborum locuples in me silentia peregrina custodis? Elegi ut te
A loqui loquendo faciam, et illam Atticam eruditionem ad epistolas alia garrulitate producam. Justum fuit ut tot diebus a promissione desisteres, et qualiter pervenisses, nulla paginæ directione signares? aut forte contra me illam tuam cautelitatem æstimas esse servandam? Dedignaris colloquio, quorum gratiam multo sudore quæsisti? Crede mihi, nisi ab hoc te vitio sub ea qua ambulare soles velocitate suspenderis, necesse est ut ad alios nostra patrocinia transferamus, qui memores constituti amorem munerentur obsequiis. His ergo salutans, amico et medico indico me gravi corporis inæqualitate laborare: quam nisi te dictante pagina jocos exhibitura curaverit, distensam per tormenta ranulam longis hominibus
B coæquabo.

EPISTOLA IX.

ENNODIUS MESSALÆ.

Si jam te favor divinus a proposito negligentiæ ad votiva ducit studia, si quo te vena, quo te domnus Faustus vocat, attendis, optata non taceas scriptione. Sed timeo, ne dum officiosum desidero, sustineam rusticantem, et incipiat hoc desideriis meis resistere quod cupivi. Cœlestes divitiæ illam inertiam stimulo pietatis exsuscitent, et mendicitatem oris tui superna ope locupletent. Ecce injuriis provocatus scribe. Salutem ergo dicens, rogo ut quid circa te agatur tabularum promulgatione cognoscam.

EPISTOLA X.

ENNODIUS MAXIMO V. S.

C Bene disponantur superna vota nostra judicio. Ipse ad nuptias tuas veniat, qui primo parenti, dum adhuc nativa immortalitate gauderet, supernæ benedictionis munus indulsit. Faciat tibi Christus noster nec custoditæ integritatis fructum perire, nec munera nuptiarum. Sic virginitas prosit ad sobolem, ut castitati tuæ fecunditas nihil decerpat: et miro dispensationis arcano, nec sæculo, dum pater es, pereas, nec Dei gratiæ, dum pudicus. Veniat super te quod Isaac juniori filio pie inductus optavit (*Gen.* XXVII, 28). Illis domum socrus auspiciis uxor introeat, quibus ad Tobiæ penetralia nurus accessit (*Tob.* VI). Sit tibi causa perfectæ dilectionis in conjuge, in te virginitas custodita. Solam illam deputatam tibi noveris, cui te quasi non esses, ex mundi fæce servasti. Ecce
D quia venire non potui, oratione non desum. Domine mi, spero ut, honore salutationis accepto [5] quæ a me directa sunt, dignanter accipias.

[1] *Anagnostici*] Dictum lib. I, epist 4.

[2] *Elpidio diacono*] Medicum fuisse extrema epistola significat. Itaque dubium non est quin hic sit Elpidius medicus Theoderici regis: cujus ad ipsum exstat epistola quæ Helpidio item diacono inscribitur, lib. IV Variarum: in qua cum impensi ab eo servitii sedulitatem commendat, hoc ipsum medicinæ obsequium intelligit. Procopius lib. I Belli Gothici: Μετὰ δὲ, ἅπαντα εἰς Ἐλπίδιον τὸν ἰατρὸν τὰ ξυμπεσόντα ἐξενεγκὼν, τὴν εἰς Σύμμαχόν τε καὶ Βοέτιον ἁμαρτάδα ἔκλαιεν. *Postea vero,* inquit, *Elpidio cuncta quæ acciderant commemorans, admissum in Symmachum ac Boetium facinus deflere cœpit.* Mediolanensem fuisse indicat epist. 21, lib. IX. Sunt qui putent eumdem esse cum Rustico Helpidio V. et INL. ex quæstore, cujus carmina leguntur in Collectione sacrorum poetarum. Cæterum vel hoc exemplo patet clericos a medicinæ usu primis illis sæculis non abstinuisse. Quod ipsum etiam testatur Dionysii alterius diaconi et medici, qui Romæ urbe a Gothis capta floruit, epitaphium inter Christiana monimenta, cujus hoc est initium:

Heic Levita jacet Dionysius, artis honestæ
Functus et officio, quod medicina dedit.

[5] *Quæ a me directa sunt*] Epithalamium, opinor: quod Maximo scriptum in antiquis exemplaribus proximæ ad Aratorem epistolæ qua illum ad idem argumentum hortatur subjici solet: nos inter cætera Ennodii poematia rejecimus.

EPISTOLA XI.

ENNODIUS ARATORI.

Miror cur devenustes turpi silentio ad Romanum decorem politi in te bona colloquii, et coactas multo sudore divitias fugiens dispensationem taciturnitate consumas. Quidquid dignis collatum fuerit, dum in usu est, ornat auctorem : ingeniorum elegantiam qui concludit, extenuat, unus error est, prodire rusticantem, et dignum laudis honore delitescere. Nunquid non habuisti digna memoratu, aut ego tibi visus sum non colendus eloquio? Fuit aliquando materia, quæ sic omnium linguis et litteris celebranda sit, quando ad nuptialem copulam perductus homo est, cui cum magna sit lux natalium, abundantia facultatum, disciplina et pudor utrumque transgreditur? qui vitia carnis abjurans, pro blandimento turpi respuebat quidquid leges dedere pro remedio : et nolens uxoris corpus deputare servitiis, putavit se addicere, si quidquam mundo impenderet liberam castitatem? Hæc et si non diligis, debes tamen pro ingenii tui ostentatione laudare. Possumus credere te bonum fieri, si audiamus quæ honesta sunt prædicantem. Nunc salutem largissimam dicens, ut rescribas admoneo : et non me de epistola mea æstimes; quam, Deus testis est, dum de basilica remearem, transcursione dictavi.

EPISTOLA XII.

ENNODIUS FLORO.

Qua de devinctione teneam, qua diligentia complectar, ex animi tui potes qualitate colligere. Vix enim amari continget, nisi quos sinceriter amare constiterit. Congreditur inter se cœlestis vigor animarum, et studia sua mutis sibi pandit affatibus : et ideo vicissitudinem mihi reddere disponis. [1] Insiste domno ut suburbanum illud, si dignatur, dato a me pretio comparari jubeat quod dum in Liguria fuero, feliciter habebam, et post obitum meum ipse suique possideant. Mihi tamen post Deum, libertatem, substantiam videtur ipse conferre, si hoc beneficii per ipsum fuero consecutus. Sed sic filia tua vivat; sic de illa quales optas filios teneas; sic Deus animam tuam sanctis suis faciat coæquari, et frater tuus vivat, ut insistas suppliciter, importune, quatenus ad effectum petitionem meam perducas. Cogites Deum, cogites necessitates meas; quia nihil est quod potentia ipsius, quod affectus circa me majus possit præstare.

EPISTOLA XIII.

ENNODIUS AURELIANO PRESBYTERO.

Affectionem mentior, si [2] vobiscum digrediens non remansi, et beatitudinem vestram mecum quamvis locatam in statione, non detuli : et quia animus in me, ut in cæteris, imperator est corporis, ipse circa diligentiam vestram est tota intentione captivus. Ergo salutationis honorificentiam debita humilitate persolvens, nihil valetudini meæ de itineris confractione indico decessisse. Ecce qua sollicitudinem vestram benigni studii cura remuneror : facite quod scriptum est, accepta restituentes, de prosperitatis vestræ me significatione gratulari.

EPISTOLA XIV.

ENNODIUS FAUSTO.

Tacerem molestias meas, nisi intellexissem quod sollicitudo vestra me sublevat. Nam dum cognoscitis, quam variis morborum fatigor incommodis, pro peccatis meis febribus frequenter addicor, et vires quæ videbantur restitutæ, franguntur. Ergo vos remedia consueta præstate, et usum illum sanctæ conversationis impendite : ut quidquid medicina mortalium non valet, fusis ad Deum nostrum precibus impetretis.

EPISTOLA XV.

ENNODIUS EDASIO.

Ante experimentum amicorum fides occulta est : postquam in lucem processerit, eorum qui aliquid saporis habuerint, sibi mentes obligat. Est tamen minus libera servitus, quæ caris exhibetur. Confiteor magnitudini tuæ : latebat me ante relationem hominis mei, quid in sublimitate tua, et saporis et gratiæ, sub nobili humilitate delitesceret : didici hominem, qui canam in fide beatitudinem, dum amicorum absentiam bene tractat, exsuperat. Plura quidem discedens promiseras : sed ad genium conscientiæ tuæ majora præstitisti. Domini fili, salutationis effusissimæ munus impartiens, ago atque habeo insufficientes gratias de his quæ mihi in prima [3] potitiæ fronte collata sunt. Quod restat, deprecor ut residua illa mancipia teneri jam facias. Ecce fiduciam de bonis præcedentibus descendentem : qui ante ignoto preces metuebat offerre, jam non dubitat imperare.

EPISTOLA XVI.

ENNODIUS [4] BARBARÆ.

Non ego debiti immemor ab officiis temperavi; nec constituta despiciens garrulitatem meam ab obsequii exhibitione suspendi. Sed postquam ab urbe regressus sum, continuo me variæ ægritudines, et quidquid ad mortem vocat, arctavit. Vere domna mea, sic vobis vestrisque læta contingant, quia ad testimonium veteris mysterii Christus noster iterum quamvis peccatorem, nec ut illum qui amicus dici meruit, sed rursus vocavit Lazarum de sepulcro (*Joan.* XI, 11). Est facti unitas in distantia personarum: et nunc amplior magnitudo divini operis, quia quod ille meruit, mihi cessit indebite. Hæc causa me ab officii promulgatione revocavit. Postquam tamen ad vitam reductus sum, continuo me ad servitia vobis solvenda converti ; rogans Deum, ut vos vestrosque superno

[1] *Insiste domno*] Fausto præfecto prætorio : ad quem epist. 19 ita scribit : *Spero, ut petitionem meam quam per confamulum meum fratrem Florum destinavi, solita benignitate dignemini.* Nec spes fefellit : nam obtinuit, ut ostendent epistolæ 21 et 22 lib. IX.

[2] *Vobiscum digrediens remansi*] Ruricius lib. II, epist. 1 ac 9 : *Nam postquam a vestra germanitate discessi, divisum esse me sentio, partemque mei vobiscum resedisse cognosco. Nec absentibus vobis integer esse mihi videor: et cum me in me non inveniam, apud vos me ad vos reversus inquiro: atque ibidem quantum mei vobis reliquisse, tantum vestri mecum abstulisse, conspicio.*

[3] *Potitiæ*] Fabri liber, *potentiæ*, Basiliensis editio, *pueritiæ*.

[4] *Barbaræ*] Cujus cum laude mentio ep. 29, l. VII, ad quam iterum scribet epist. 27.

tueatur auxilio. Promitto mihi etiam et desideriis meis quod cum felicitate vestra et gaudio, ad comitatenses excubias, quæ vobis meis satisfaciat, dignitas adepta vos evocet. Noli, domna, huic te labori, huic oneri submovere. Videant bona Romanæ civitatis provinciæ, et quæ monitis vix instituuntur, per bona quæ vobis Deus contulit, formentur exemplis. Rogo tamen, reverentia salutationis exhibita, ut exspectatissimo me relevetis alloquio: sed nec alterum dictare patiamini, quæ ad me scribetis: sic nunquam ab impetratione oratio vestra pellatur.

EPISTOLA XVII.

ENNODIUS [1] STEPHANIÆ.

Credo vos et ignorantes meis periculis subvenisse: aut quare confidam nescire quidquam, quos per Deum contingit universa prænoscere? Postquam enim ab urbe redii, reparata sunt in me divina mysteria: et quod senuerat temporibus, novellis resurrexit exemplis. Iterum vocatus est Lazarus de sepulcro: non quidem illius par merito qui amici Redemptoris nomen emeruit, sed in diversitate actuum unius convenit forma mysterii. Deductus per ægritudines multiplices ad sepulcra; sed cœlestis voce revocatus, ad hæc primum quæ vobis solvuntur officia me converti: credens placere Deo, si cultoribus ejus per linguam quam ipse reddidit principe loco exhibeantur obsequia. Ergo reverentia salutationis impensa, deprecor ut pro me, sicut poposci, orare attentius procuretis, ut per meritum vestrum divina clementia dignetur confirmare quod tribuit: et frequenter me pia litterarum vestrarum promulgatione sublevetis. Rogo ut nullum alium dictare facias, per domni Asterii animam et professionem tuam. Sic ei nitor quem optas, usque ad consummationis tempus assistat.

EPISTOLA XVIII.

ENNODIUS FAUSTO.

Coegit me ad studia mea portitor præsentium litterarum, et quod volebam, prope importunus exegit. Sic contulit beneficium, qui exigebat. Iste in negotio suo probatum mundo justitiæ vestræ poscit examen: nec ab aliquo veritatem causæ suæ discerni æstimat, si cessetis. Pro hoc peccator accedo, ut dum adestis mandatis cœlestibus et veritatem tota intentione perquiritis, afflicti hominis necessitatibus succurratis. Spero etiam, salutationis officio impenso, ut indicio me prosperitatis vestræ, non neglectis quæ frequenter se ingerunt occasionibus, sublevetis.

EPISTOLA XIX.

ENNODIUS FAUSTO.

Quamvis omnis frequentia litterarum videatur rara sollicitis nec sufficiat providentia pro pietate suspenso: tamen pars ista cui impenditur, nisi responderit, ab humanitate sejungitur. Ergo salutationis officia præfatus, Deo tribuente indico mecum sanctorum suffragiis et vestris precibus jam melius agi, et illam desperationis et febrium intepuisse valetudinem. Nunc, quod restat, spero ut petitionem meam quam per confamulum meum fratrem Florum destinavi, suscipere solita benignitate dignemini: quia etsi mihi ad præsens res videtur esse compendii, vobis quibus magis futura cordi sunt, utilitas ex hac parte summa respondet.

EPISTOLA XX.

ENNODIUS AGNELLO.

Si valerem corpore prosequi, verbis abstinerem: at cum illa res valetudini deficit, ista succurrit. Scit secretorum discussor, me et divisum præsentia a vobis abesse non posse. Proinde sollicitudinem vestram nuntio meæ prosperitatis relevo: et propter quod concessum est epistolare commercium, vestrum requiro, indicans, honore salutationis impenso, puerum me ad suscipiendum caballum direxisse. Tantum est ut talem mittatis, quem et vos dedisse clareat, et ego pro honoris summa me gaudeam suscepisse.

EPISTOLA XXI.

ENNODIUS BEATO.

[2] Si possem scribendo delere paginam meam, multiplici hoc facere intentione procurarem. Sed quia non est fas hominem non errare; ego ille canus, sed pater tuus, ne unquam prioris epistolæ meæ sis memor, exposco. Sic te pater et patria talem, qualem per singulos dies omnibus protestor, excipiat. Alienis scriptis credidi, ut styli mei importuna festinatione morderem. Tu feceras quod sapiens; qui soli domno Probo, [a] artem tenenti inter doctos, versus meos relegeras: quod facere decuit. Ego importunus, qui alteri credere non debuissem, quantum video, frustra commotus sum. Vade ergo ad domnum Probum (sic pater tuus vivat: sic me, quem semper amasti, viventem audias, quia ista pene mortuus dictavi) et osculare illi genua pro me, et dic illi de extremo versu, Terentianus me induxit in illo exemplo,

Sic fatur lacrymans, classique immittit habenas.
Æneid., VI, 1.

Omnia tamen quæ fuerunt digna correctione, prævidit. Saluto, amore quo debeo. Si evasero, versus ipsos emendo, et sic dirigo. Nam litteras tuas quas per infantem Rufinum direxisti, Julio mense suscepi. Unde me contingit nescire quod actum fuerat, ut taliter moverer.

[1] *Stephaniæ*] Supra lib. VII, epist. 29, soror erat Fausti præfecti. Lib. IX, epist. 18, Asterii uxor, ut ad calcem epistolæ innuere videtur: ac proinde Marciani mater; quia Asterii filius Marcianus, lib. V, epist. 2.

[2] *Si possem delere*] In Cynegiæ epitaphio, quod superiore libro epist. 29 vidimus, primam in MATRONA syllabam extremo versu corripuerat Ennodius. Hac de re admonitus a Probo Beatus, cum aliis indicasset, ad aures pervenit Ennodii: qui Terentiani, ut sibi videbatur, auctoritate nixus, cum nulla in eo versu culpam putaret, objurgatorias ad Beatum litteras dedit. Nunc agnito errore Beatum excusat, prioresque illas litteras deletas cupit. Ea est epistola 29 hujus libri. Quare et hic præposterus est ordo, ut de aliis ante monuimus.

[a] *Artem tenenti inter doctos*] Leg. *arcem tenentis*. Idem Ennodius Parænesi ad Beatum et Ambrosium: *Ergo ad disciplinarum arcem properantes*. BARTH., *Adversar*. pag. 975.

EPISTOLA XXII.

ENNODIUS FLORO.

Qui justius prosperitatis meæ cognoscit indicia, nisi qui sinceriter et indesinenter optavit, nec convenit prius alterum desideria aliena cognoscere? Ergo servitio salutationis exhibito, indico me, cœlesti beneficio postquam cessavit humana curatio, mox sanatum: revocavit ad spem prosperitatis res illa, quia medici destiterunt. Nunc gaudia vestra, sicut de me æstimo, cognoscentes, mecum laudibus prosequimini tanti beneficii largitorem: et si adhuc vos longior mora detineat, quam bene valeatis, litteris intimate.

EPISTOLA XXIII.

ENNODIUS FLORO.

Spectabilis vir Eleutherius in negotio suo, quod a domno præfecto audiendum Vicarius susceperat, ad amplitudinem vestram a me commendatitias speravit: credens, salva justitia, opem sibi integram posse suppetere, si meis apud vos juvaretur alloquiis. Rogo ergo honore salutationis exhibito, ut ei, si vere contra æquitatem laborat, manum medicam porrigatis: quia nefas est, ut in præjudicio bonæ causæ prodesse sibi calliditas videat, quod molitur.

EPISTOLA XXIV.

ENNODIUS FAUSTO.

Usum suum benignitas vestra supra homines locata custodit. Vere medicina est cura sanctissimi; nam venerabilis conscientia Deo semper insinuat quod requirit. Digressis vobis, acrior me calor exussit, et ad omnem desperationem præcipitante diabolo vela patuerunt. Venit ad me medicus, et dixit se quod faceret non habere. Hinc mihi major spes, quando homo cessaverit. Continuo me cum lacrymis ad cœlestis medici auxilia converti; et [1] domni Victoris oleo totum corpus, quod jam sepulcro parabatur, contra febres armavi. Scit Deus meus: mox adfuit magni militis imperator, et quod per testem ejus idoneum poposci, incunctanter obtinui. Mox fervor ille æterni frigoris procurator intepuit, et hora nona, sicut legitur, Domino meo mandante discessit (*Joan.* IV). Scio orationis vestræ tempora; scio lacrymarum copiam in illo quoque momento juvisse laborantem. Ecce indicia votiva non tacui: sed portitorum raritas desiderium commune suspendit. Nam me multum juvat relevatio vestra, quæ a vobis minime, qui læta respuistis, optetur.

EPISTOLA XXV.

ENNODIUS FAUSTO.

Mox ubi me gratia superna respexit, et animam de judiciis cœlestis vicinitate trepidantem, concesso, ut melioraretur, vivendi laxavit spatio, magnitudini vestræ beneficia per litteras divina non tacui. Vere, cessantibus medicis, illius qui innocentia et lacrymis emitur, medicina non defuit. Credite, nisi mihi subvenisset destitutio curantium, nil valerem. Nam quia ægrescebam hominum studiis, cœpi negligentia jam sanari. Hæc quidem prioribus intimata sunt: sed ne occasio præteriretur, adjeci: sperans, obsequio salutationis oblato, ut me de prosperitatis vestræ de qua pendeo, sublevetis alloquiis.

EPISTOLA XXVI.

ENNODIUS AVIENO.

Necesse est ut qui desiderat scripta vestra non taceat: nec silentii exemplum tribuat, qui cupit alloquium. Juxta orationum vestrarum suffragia, quos innocentia et devotio Deo nostro fecit acceptos, meliorem me esse jam sentio: desiderans honorificentia salutationis impensa, quam bene valeatis agnoscere: quia post receptam salutem, unicum est solatium bono vestræ prosperitatis attolli.

EPISTOLA XXVII.

ENNODIUS BARBARÆ.

Quamvis adhuc inter extrema sim positus, et pro peccatorum meorum mole, somni mei beneficia, dum mereor in longum conteri, non sequantur: reverentiæ tamen vestræ obsequiis quod debet pendens anima non omisit. Pene jam vocatur ad judicium, et adhuc suspicit in hac luce quos coluit. Quam vera est illa sententia, quod sanctus affectus nec morte pereat! Ergo, domna mea, servitiis vos debitæ salutationis prosequens, rogo ut, agnitis quæ circa me geruntur, pro illo quo omnibus eminetis et sanguinis nitore et conversationis radiis, domno meo apostolo et cæteris ejus fratribus supplicetis: ut per vos exorata Dei potentia, clementiæ suæ quæ tarda esse non solet, beneficia non refrenet.

EPISTOLA XXVIII.

ENNODIUS BEATO.

Qua mihi vicissitudinis, qua obsequiorum cura pensabitur, quod te et in frequentibus paginis alloquor et officio sermonis tui in lucem exire publicam non detestor? Non me ætas tua, non ingenio meo potest revocare par formula. Eligo benignis plus credere, quam peritis; ut bona originis anteferant studiis: quod fidelis es, divini est muneris: in natura eruditio; per Deum veniet res secunda. Necesse est ut totum tibi amor integritatis exhibeat, primarum partium insignia jam tenenti. Ergo honore salutationis accepto, noveris me, juxta petitionem vestram, epistolam [2] ad vos admonitionis, quamvis sub festinatione, dictasse: quam ad domnum patricium Symmachum idcirco dirigere procuravi, ut quod in ea emendatione dignum est, corrigatur. Sed propter surreptionem negligentiæ, te quoque ejus exemplaribus informavi. Qua de re tu apud te esto: et cave ne tibi ad te perlatam manifestes comprehenso superius eminentissimo viro, ceu rem novam postulans: quia si ejus eam magisterio placuisse cognoveris, ad notitiam eorum perferre qui sapiunt non timebis.

EPISTOLA XXIX.

ENNODIUS BEATO.

Non mihi tuus error illusit, nec retroversa decepit

[1] *Domni Victoris*] Martyris Mediolanensis. [De hac mirabili curatione copiosius aget in Eucharistico vitæ suæ.

[2] *Epistolam ad vos admonitionis*] Parænesim didascalicam Beato et Ambrosio scriptam, cui locum dedimus inter opuscula miscella.

affectio : tu ætatis, naturæ, propositi ordinem custo- A disti : ergo deliqui aliter de te quam poscebat veritas, judicando. Ad hoc redeunt, quos diligentia insulsa captivat : proinde jam sine circuitione loquendum est. Quo te immemorem tui duxit insana præsumptio, ut [1] sancto presbytero diceres, in versibus illis, quamvis in temporis momento compositis, aliquibus videri affectum conjugalis gratiæ non expressum ? Aut ego diffamare volui quod scripseram ? aut epitaphia hoc poscebant, aut ratio? Quis hoc imperitus, quis tecum sanitate vacuus dixit, ut carnem quod in summam gratiam domnus Faustus excepit, te et participibus tuis rodentibus læderetur? Forte [2] de tertio Phaleucio, qui Terentianum nesciunt, habuerint, quod de una syllaba quærentes occasionem loquerentur. Vere dignus fui ista quæ pertuli, quia B scriptum est (*Matth.* VII, 6), margaritas ante immunda animalia non esse mittendas. Quamvis dictionum et imperitiæ meæ bene sim conscius, te tamen nec scire aliquid, nec sciturum ante didiceram. Vale, et ad alios te quibus debeas loqui, converte.

EPISTOLA XXX.

ENNODIUS ADEODATO PRESBYTERO.

Acerbo ægritudinis impetu et valida febrium nimietate contritus, cum ut fidem veteris testimonii Christus noster in me, quod in Lazaro fecerat, ostendisset, et Evangelii fidem præsentibus declararet exemplis : litteras vestras accepi. Ordinavit ille qui potuit, ut diebus quibus vitam restituerat, amicorum quoque suorum eam et confirmaret et fulciret alloquiis. De C versibus unde tibi portentum illud dixit, risum mihi stulta judicia fecerunt. Scias illos in summo pretio apud domnum habitos, quamvis in temporis angustia et viridarii transcursione conscriptos. Sed si eos non scripsisti, nec facias. Mihi sufficit, dum feci, vota complesse. Nunc ad eam partem me confero, quæ specialiter a sanctis poscenda est ; ut pro ægro et amante attentius ores ; si mereor, crebra mihi et instructionis et consolationis præstes alloquia.

EPISTOLA XXXI.

ENNODIUS BOETIO.

Consideratio magnitudinis vestræ exegit epistolare commercium ; sed festinatio portitoris epistolam brevitate conclusit. Non potui morari properantem : sed nec his vacuum muniis propter res necessarias emisi. D Crebras super domo quam poposci, litteras destinavi. Si possibile est cupita tribui, jam referte, quia omnia ædificia ejus sub negligentia consenescunt. Domine mi, salutationis obsequia dependens, rogo ut vos juvetis sine vestro dispendio supplicantem.

EPISTOLA XXXII.

ENNODIUS SYMMACHO (PAPÆ).

Rem necessariam providet, qui parenti omnium orbatos et peregrinos insinuat : unica via est apostolatus vestri solatium, quæ medetur externis. Absit afflictos dicere, quos ad vos contigerit pervenisse : creatoris patriam, opes alibi non requirunt, quos coronæ vestræ cura susceperit. Præsentum bajulus, ortus nobiliter, profutura ad testimonium ingenuitatis studia Romana requirit. Nunc beatitudini vestræ mea supplicis vestri commendat assertio, ut salutationis servitiis dignanter acceptis, quod usu facitis, pro mei consideratione geminetur.

EPISTOLA XXXIII.

ENNODIUS [3] HORMISDÆ DIACONO.

Et quod es, miseratione ornatur ; et quod futurus es, pietate conquiritur : et diaconum his studiis extulisti, cujus rei promittit cura pontificem. Præsentium bajulus, honestus moribus, natura sublimis, gemini solatii orbatus præsidio, Romam pro honestis artibus, licet peregrinaturus, expetiit. Vide si mereantur a religioso, bene nato, locupleti, juvari ista quæ prætuli. Nunc officio salutationis exhibito, rogo ut si me, si bonam quam coemisti opinionem diligis, impensis portitor adulescat auxiliis.

EPISTOLA XXXIV.

ENNODIUS [4] PORTIANO ABBATI.

Divinis declaratur exemplis, nisi per Dei gratiam visitationem hominum cœlestium non venire. Quæ enim recordatio potest esse peccantium, nisi occultis itineribus favor cœlestis operetur, et per viam mentibus inspiratam quæ propter peccata surrepere poterat, elimineter oblivio? Impetratæ jam divinæ misericordiæ fiducia est, cultorum Dei animis non deesse. Ergo gratias refero Trinitati Deo nostro, qui ut me reverentia vestra alloquiis visitaret, exegit. Suscipio obedientiam vestram : nec enim exiguus cultus debetur obsequentibus, cum Christi gloria maneat imperantem. Orate pro me, qui humanitatis imbecilla, dum adhuc estis homines, evitastis : quos contigit, necdum corpore sequestrato, ponderibus carnis absolvi ; et servitiis salutationis acceptis, frugem circa me gratiæ, dum sermonis adolescit cultura, concedite.

EPISTOLA XXXV.

ENNODIUS [5] AURELIANO PRESBYTERO.

Inamabilis quidem desideriis meis militavit occasio, et votis aditum necessitas vix ferenda patefecit : amplexus paginam præfatione blandientem, sequenti ejus elocutione confusus sum. Nam dulce principium et sereni mella colloquii, relata calamitas, quasi

[1] *Sancto presbytero*] Adeodato, epist. seq.

[2] *De tertio Phaleucio*] Id est, *Exoptet similem matrona sortem* : quo versu clauserat epitaphium Cynegiæ lib. VII, epist. 29. Hæc igitur est epistola quam paulo ante retractavit, epist. 21.

[3] *Hormisdæ diacono*] Ejus nomen inter Ecclesiæ Romanæ diaconos in synodo Symmachi, quæ Avieni junioris consulatu coacta est. Jamque apud Ennodium sæpius occurrit : nunc illi pontificatum non obscure præsagit : iterumque epistola 39, *Esto*, inquit, *specialis tutor ; omnium mox futurus*. Nec vanum fuit augurium, quia Symmacho papæ successit.

[4] *Portiano abbati*] Etsi tempora non discrepant, affirmare tamen non ausim, hunc nostrum esse S. Portianum qui Candidobrensis apud Arvernos monasterii abbas fuit, eique et oppido non ignobili nomen reliquit. SANPORTIANUM enim appellamus. Fuit et Porcianus episcopus in provincia qui synodis Carpentoratensi et Vasensi interfuit paucis annis post Ennodium.

[5] *Aureliano presbytero*] Arelatensi : quod sequentia declarant.

veste noctis, obnubit. Vere loquentibus vobis ingesta sunt oculis, quæ legebam. Nam dum absentiæ felicitatem pagina sapientis intercepit, coactus sum [1] illam Ætheriam nimis vidisse terrenam, et a sublimitate vocabuli in Tartarum duce culpa depositam. Taceo quid debuerit parentibus, quid pudori : ex qua domo infelix processit ad scelus : quod secuta est, relictis Dei cultoribus, lupanaris vice conjugium. Credite mihi, ultionem criminis, dum admittit crimen, executa est : et turpi mersa contubernio, et flagitium et pœnam flagitii reperit in marito. Secum rei personam portavit : et judicis mulier, dum elegit indignum. Producerem litteras, nisi memoriam infaustæ feminæ desiderarem oblivione sepeliri. Vos, ut Galliæ expulsione illorum subleventur, eligetis : nos, ne Italia coinquinetur. Expetant potius Libycas syrtes : et ab humanitatis consortio dividantur : quia si inde domnum Aurelianum fugerint, hinc Ennodium, ad quæ loca declinabunt? [2] Domno præfecto quæ jussistis, pressius intimavi : qui [3] præcepta regia mox exegit, per quæ credimus viros bonos et amicos occasionem invenisse præstandi : et vos tamen animum ab anxietate removete : quia cœlestis sufficiet ad ultionem malorum vigor examinis. Domine mi, salutationis obsequia præsentans, precor ut crebro me prosperitatis vestræ, quia commeantium opportunitas ingeritur, relevetis alloquiis.

EPISTOLA XXXVI.

ENNODIUS BOETIO.

Perdiderat eruditionis pretium lingua, dum retices : quia dum venustatem eloquentiæ taciturnitas includebat, credebatur non esse quod nuper efferbuit. Produxisti in lucem novum jubar eloquii : et dum diem in epistola facis, splendorem recens adeptus crederis jam maturum. Gratias ago, quod me ad amicitiæ custodiam paginæ tuæ flore compellis. Sed si fidei meæ esses conscius, dubitationem de rebus constantibus non haberes. Timeo ne ambi- A guitatem quam credis exhibeas; et dum amantis teporem metuis, in affectionem frigescas. [4] Domine, ut supra, salutationis gratiam persolvens, spero ut crebro ad me epistolarum commercia dirigas, quia in his muniis et diligentia te admonet et perfectio ut multus incumbas.

EPISTOLA XXXVII.

ENNODIUS BOETIO.

Quamvis tenui effectu petitionis surgit eloquium, et conciliant et dotant facundiam res secundæ, in qualibet verborum saturitate paginæ si repudientur, ab impetratione jejunant : plus felicibus epistolis debetur laudatio quam peritis. Jure loquitur verbis nitore sublimibus, qui summates viros dicendi venustate captivat : quodvis oratorium schema sinistra B sors dissipat : ditescit enim lingua nutrita beneficiis. Dudum ad eminentiam vestram direxi qualicunque audacia producente colloquium; quod ita responsi genio sublevastis, ut crederem me perdidisse digni favoris tempora per quietem, quando modicus sudor judicium arcem tenentis illexerat. Promiseratis etiam domum quam poposceram, non negandam. Geminis elevatus successibus incedebam ; si et opinio perfecti astipulatione, et census locupletissimi crevisset impendio. Sed detestor moram, quam sterilia quidem peccata pepererunt. Nam et homo culminis vestri quem præstolabar advenit : et nihil sibi mandatum esse, quod desideriis meis prodesse posset, asseruit. Vide meritorum meorum fusca commercia : quorum C contra me nitentia fidem frangere nequeunt, exigunt tarditatem. Absit a conscientia mea, de vestra claritate diffidere : obscenæ mentis est, putare constituti memoriam non manere. Sed rogo ut dum propositi vestri lucem asseritis, eorum quæ mihi debentur, obscura superetis. Ergo præstationi vestræ genium dono celeritatis infundite. Domine mi, cultum salutationis impertiens, preces adjicio, ut [5] consularem sportulam cum responso præfatæ petitionis accipiam.

[1] *Illam Ætheriam*] Nurum Archotamiæ, de qua lib. VII, epist. 14. Sed tota hujus epistolæ interpretatio ex Cassiodoro petenda est, apud quem Theodericus de hac Ætheria Merabaudo comiti sic scribit lib. IV, epist. 12 : *Archotamia itaque illustris femina flebiliter ingemiscens nepotis sui calamitatem tali conquestione deploravit, dum semper aviæ cura tenacior est suorum, asserens Ætheriam nurum suam, mariti postposita dilectione, cuidam se Liberio jugali fœdere sociasse : et cum ornatior cupit novis thalamis apparere, studuerit prioris viri facultates evertere : allegans dictatam filiorum spoliis, quibus magis decuit congregari.*

[2] *Domno præfecto*] Fausto.

[3] *Præcepta regia*] Illa nimirum quæ proxima quam laudavimus Cassiodori epistola continentur, ubi Archotamiæ adversus Ætheriam nurum causam Theodericus Merabaudo committit. *Sublimitatis vestræ judicio hanc causam legibus committimus audiendam : ut omni incivilitate submota, mediis sacrosanctis Evangeliis, cum tribus honoratis quos partium consensus elegerit, qui legum possint habere notitiam, quidquid prisci juris forma constituit, inter eos considerata disciplina nostri temporis proferatis.* Prolata sententia, cum prægravatam conjugem suam questus esset Liberius, Theodericus epist. 46 iterum rescripsit, ut causa per arbitros retractaretur.

[4] *Domine ut supra*] Sic lib. I, epist. 12, lib. II, ep. 9 et aliis locis. In conscribendis enim epistolis quibus honorum titulis initio epistolæ singulos appellarant, eosdem sub finem iterare mos erat. Verbi gratia, Volusiani ad sanctum Augustinum epistola sic incipit: *Domino vere sancto ac merito venerabili patri Augustino Valusianus.* Eadem sic clauditur : *Incolumem venerationem tuam divinitas summa tueatur, domine* D *vere sancte ac merito venerabilis Pater.* Rursum Augustini epistola qua Volusiano respondet, hoc habet initium : *Domino illustri et merito insigni et præstantissimo filio Volusiano Augustinus.* Sub finem vero : *Incolumem felicioremque te misericordissima Dei omnipotentia tueatur, domine illustris et merito insignis et præstantissime fili.* Eademque in plerisque Augustini et aliorum epistolis cernitur repetitio. Quam ut vitarent librarii, compendio utebantur, præfixis verbis, UT SUPRA, hoc est, ut initio epistolæ scriptum fuit. Quanquam apud Ennodium tituli omnes epistolarum, nudis tantum nominibus relictis, omissi sunt. Quod item accidit rescriptis Principum [in codice ac novellis : eoque factum ut illa : *Have Tatiane carissime nobis*, et *Albine Parens Karissime Augustorum*, ac similia quæ bis, ex more quem dixi, repeti solebant, semel tantum, quia integra rescripta non sunt, nunc in fronte, nunc ad calcem ascripta videamus.

[5] *Consularem sportulam*] Quia consul erat Boetius, epist. 1 hujus libri. Sportulæ autem amicis novis

EPISTOLA XXXVIII.

ENNODIUS SYMMACHO (PAPÆ).

Non inefficaciter poscit, qui parenti omnium peregrinos insinuat: nobilibus generalis debetur assertio, maxime apud eos qui beneficia tribuunt non rogati. Beatum sublimem adolescentem, præsentium bajulum, si corona vestra dignanter accipiat, præclarum juxta morem pontificis ornat officium. Est enim qui gratiam vestram et natalibus et moribus mereatur: sufficit dignis stricta laudatio. Nunc servitiis salutationis exhibitis, rogo, ut me amantem vestri crebri relevetis promulgatione colloquii.

EPISTOLA XXXIX.

ENNODIUS HORMISDÆ DIACONO.

Si dignatio circa me promissa duraret, assereretur frequentia litterarum: vix respiciunt humiles, quos ad arcem eventus prosper evexerit: grave est, si spes secundarum rerum caritatis nexus incidat: non debet præjudicare diligentiæ, cui secundum vota blanditur. Si tamen aliquid circa me gratiæ custoditis; si vivit amoris polliciti scintilla, Beatum commendo nobilissimum adolescentem præsentium portitorem; cui justum est ut consideratione mei, et parentem beatitudo vestra impendat, et patriam. Esto specialis tutor, omnium mox futurus. Domine frater, salutationis humilitate depensa, rogo ut sub celeritate quam bene valeatis, scriptione signetis.

EPISTOLA XL.

ENNODIUS BOETIO.

Precum iteratio bonam conscientiam oblivionis accusat. Sed facessat stimulare currentem, et constantem virum ad memoriam promissionis impellere. Hæc de his quæ a me dudum culmini vestro sunt scripta, perstrinxi; ut domum de qua jam paginali judicio voluntas vestra est patefacta, perficiam. Reliqua epistolæ salutationis nuntio mancipavi; ut sicut apud nos valetudo in statione est, ita de culmine vestro cœlestis faciat favor agnosci.

EPISTOLA XLI.

ENNODIUS AGAPITO.

Insolabiliter amantum ferretur absentia, nisi opem darent remedia litterarum, quæ jejunas desiderantum animas pascunt esca colloquii. Bene enim per stylum dilectio amicam sibi pingit effigiem; cum qua sine laboris patientia misceat mella sermonum. Ad hoc magnitudo tua artifex ne impastam gratiam linqueres, scripsisti. Debeo vicissitudinem, quia memorem mei te esse cognovi. Honore ergo salutationis exhibito, rogo ut quod scis apud caros et affectione præditos esse pretiosum sub continuatione facere non omittas.

EPISTOLA XLII.

ENNODIUS AVIENO.

Ægritudinis vestræ indicium in meæ contingit incrementum. Nam talis semper et usus et pene natura solliciti, ut vix credat transiisse quod metuit: et quæ fecit Redemptor noster cœlesti benignitate præterita, quasi sint in occultis locata suspirat. Vere domne Aviene, jam in me nihil de usura lucis istius, nisi vestra tantum, post amorem Dei, remansit affectio: quando melius mecum agitur, talis sum, qualem me in desperatione dimisistis. Superest ut precibus vestris et peccatorum remissio concedatur, et si ita Deo videtur, pro [1] vice remedii obitus celer eveniat, ne amarius sit morte quod vivo. Domine mi, salutationem debitam tota humilitate persolvens, rogo ut per vos, quid in causa vestra de Roma nuntietur, agnoscam.

EPISTOLA XLIII.

ENNODIUS MESSALÆ.

Nunquid aliquando ab effectu destitit, qui Deo cum fiducia supplicavit? Si animus in fide non claudicet, et vota et votorum copia conjunguntur. Ecce egit apud vos silentium meum, quod tanti temporis non valuit obtinere loquacitas. Quantum video, scripta vestra nisi taciturnitas non meretur: quos mutos putatis, alloquimini: ab his quibus lingua esse creditur, abstinetis. Fecistis tamen quod decuit domnum et, ut ipsi dicitis, parentem; ut me gravi ægritudine depressum dignum putetis alloquio. Rogo ut hoc sub continuatione faciatis. Domine mi, salutationis reverentiam solvens posco ut pro me per omnes Dei sanctos supplicare non desinas, quatenus vitæ redditus, de visione vestra gaudeam.

honoris causa debebantur. Symmachus epist. ultima lib. IX: *Sportulam consulatus mei et amicitiæ nostræ et honori tuo debeo.*

[1] *Vice remedii obitus*] Qui diuturno morbo languet, mortem optat, ut remedium. Vetus epitaphium,

Ἤλθες ἐμῆς ζωῆς γλυκερώτερε, ὅς μ' ἀπέλυσας
Νουσῶν, καὶ καμάτων καὶ μογερᾶς ποδάγρας.

ΑΥΡ. ΑΜΦΙΚΤΥΩΝ
ἄγων ἔτος Ο

Venisti tandem vita mihi dulcior, et me
Solvisti morbis tristibus, et podagra.

AUR. AMPHICTYO
annum agens LXX.

LIBER NONUS.

EPISTOLA PRIMA.

ENNODIUS [1] ARATORI.

Velim ita labori meo faveas, ut jejuno veniam præstes ingenio, quia nefas est in devotionibus despici amabilem discendi cupiditatem: quando quod gratiosus obtulerit, durus rerum interpres evacuat.

[1] *Aratori*] Libens accedo ad conjecturam doctissimi cardinalis, Aratorem hunc esse qui apostolorum Actus versibus exposuit. Verum is hoc tempore adolescens adhuc erat, et Musarum tamen in castris miles non ignotus, ut præter hanc binæ superioris libri epistolæ ostendunt. Ligurem patria fuisse, facundo patre natum, atque in Liguria ipsa eruditum, et causidici officio functum: legationem etiam pro Dalma-

Laudandus est in studiis, vel qui facundum æquare non putatur eloquio. Inter benignos et eruditos, quid eligatur incertum est, cum pars utraque det pretium. Ergo crede diligenti, et amaritudinem temporibus legitimi amoris amollire. Nolo rem voti facias necessitatem : et desideria quibus humanum genus natura peperit, digeras in mœrorem. Non habiturus continentiam, nisi nuptias optet, in culpa est : conjugalis copulæ vitans remedium, electurus est aut virtutes, aut crimina. Tu te ut metiaris, imploro, ut nec supra hominem plenum casibus iter arripias, nec intra hominem quæ sunt plectenda mediteris. Vix delinquit, qui a natura et lege non deviat. Ergo post Musarum castra, et inanes ætate nostra cantilenas, ad curam te serendæ sobolis muta : vita quod viluit, quia inter imperitorum exercitus furor est nolle rusticari : juvat sapientem, hoc esse quod plurimos. Facessat philosophia in nostrorum nota conventibus : ego donasse curis cupio, quotiens infelicem inscitiam sequitur qui præcedit. Ergo honorem salutati accipiens, rescribe mihi quid cum animo tuo pagina mea egerit. Nam si quæ mihi sit sententia flagites, ego ipsa studiorum liberalium nomina jam detestor.

EPISTOLA II.

ENNODIUS FAUSTO.

Stat apud conscientiam culminis vestri quid sublimis viri Faustini voto debeam et generi : et ideo quamvis apud vos credat sufficere quod pro filio pater rogavit, per me tamen quia parum putat ejus sollicitudo quod egerit, preces frequentat, sperans ut noster adolescens ad maturos, Deo auspice, mores erigatur : vos detis præcepta, quid sequi debeat, quid cavere, vos apud quos necessarium credideritis scriptione prosequamini. Hoc scio culmen vestrum, etiam si taceam, esse facturum : sed nec debui tanti viri precibus deesse, nec potui : qua de re permotus lacrymis superius comprehensi, et ego flens supplico per illam quæ vobis a Deo concessa est, conscientiam (sic petitiones vestras pia martyrum Salvatori nostro commendet assertio), ut efficaciter apud vos et creator pro filio et domnus Faustinus pro Ambrosio supplicet : et ordinate prædictum juvenem, et orate pro ipso, ut adolescentem Roma nec vitiis possit, nec moribus exstinguere. Scio vos plura apud homines, sed majora apud Deum prævalere. Et idoo securus jam effectum illis polliceor quos commendo. Ergo reverentiam salutationis exsolvens, paucis multa

A contexui. Sufficit Deo placentis viri instructam] esse pietatem : et causa et persona, cum Dei solatio, vestro disponatur studio.

EPISTOLA III.

ENNODIUS MERIBAUDO.

Quasi solem facibus adjuvet, et mare exiguo humore locupletet, ita superfluis laborat impendiis, qui per se placitura commendat. Sed stultum est perire occasionem beneficii, quando auxilium fortis implorat ; opum largus supra copias ditatus est, si credit subsidium quod pauper obtulerit. Regale munus fit, cui insigne pretium præstat accipiens. Domnus Faustinus de prolis suæ profectu supra quam poscit paterna cura, sollicitus, Ambrosium nostrum hac apud B vos credidit prosecutione communiri : æstimans quod sanguis ejus, quod prudentia, quod census, intra Liguriæ angusta delitesceret ; et quod artis fama nobilis arctaretur obstaculis : alieno præsidio claritatem suam in Romanam lucem putat erumpere. Facessat ab studiis meis negare testimonium quod plus opitulatur auctori : qui enim bonos asserit, approbatur. Videte quæ de vobis fiducia sit, cui quidquid præcipuum habet nobilis terra commisit. Nolo putet apud nos quod hac sit familia potius inveniri. Sufficit honorum cupidis sic plures vincere, ut potissimis comparentur. Honestatem juvenis vulgatus natalium pudor ostendit : faciat divinitatis dispensatio ut per vos principia ejus hic bene locata solidentur. Ego hono-C rem salutationis accipite, et petitioni meæ paterna, sicut præceptores vocavit antiquitas, pietate respondete.

EPISTOLA IV.

ENNODIUS [1] PROBINO.

Si apud eminentiam vestram supplicatio mea recordatione subsisteret, crebra scriptione patuisset : nec quos apud Liguriam vestros dignatione vocabatis, sepeliret oblivio. Sed quia loco et opibus divisi, nec diligentiæ lege comparantur ; ideo perfectam subjectis caritatem, si digni sint allocutione, præstatis : hac in amicitiam discretione coeuntes, ut vos cogamini tantum respicere, nos amare. Erit vilium superba conditio, si plus a potentibus quam verba præstolantur. Ad querelam descendi caritatis impe-D rio : debuistis me post periculum quod videratis, dignum putare colloquio, vel quia recentis mysterii reviviscentem commendabat assertio : puto quod digni sint bonorum gratia de sepulcris Redemptoris

tis ad Theodericum regem cum laude obiisse testatur Athalaricus, lib. VIII Variar., epist. 12, qua comitivam domesticorum Aratori decernit. Postquam comitiva etiam rerum privatarum, priusquam aula relicta Ecclesiæ manciparetur, ornatum fuisse, docet nos vetus adnotatio, quæ in plerisque exemplaribus Aratoris libris præfixa est. Qua ratione Vigilio oblati et suscepti ab eo fuerint. Ejus enim in codice Remensi monachorum S. Remigii hoc est exordium : *Beato domno Petro adjuvante, oblatus hic codex ab Aratore inlustri, ex comite domesticorum, ex comite privatarum, viro religioso, subdiacono S. E. R. sedis apostolicæ, sancto atque apostolico viro papæ Vigilio, susceptus ab eo die* VIII *id. Aprilium* : et quæ sequuntur. Pangendi sacri carminis, hoc est Musæ ad divina convertendæ auctor Aratori olim fuerat Parthenius Ennodianus. Idcirco cum apostolorum Actus cecinisset, opusque suum Vigilio, ut dictum est, obtulisset, id ipsum in Galliam misit ad Parthenium, ut ibi ejus opera ederetur. Qua de re præclara in eodem codice Remensi exstat Aratoris ad Parthenium ipsum elegis versibus epistola : quam quia nondum vulgata est, si velut peregrinum emblema his notis inseram, neque ingratum, neque inutile πάρεργον fore confido.

[1] *Probino*] Viro illustri, patricio, ut patet ex Theoderici ad illum epist. II Variar. 11, et Parænesi autoris ab Beatum et Ambrosium hunc ipsum Faustini filium quem Probino commendat.

nostri potentia restituti. Ego tamen, quamvis sim prodigus frontis et garrulus, nec dum de me fiduciam gerens, propinquos insinuo. Præsentium portitor, domni Faustini filius, sufficienter bona pollicetur merita de parente : hunc ut vos foveatis, imploro : quia bene nostis qua sit creator ejus morum luce conspicuus : nec debet ad alios festinare, nisi ad vos, quemcunque vitæ auctoritas armat et generis. Ergo, domne mi, obsequio salutationis impenso, rogo ut prosperitatem vestram epistolaris cura manifestet.

EPISTOLA V.

ENNODIUS HORMISDÆ DIACONO.

Cœlestis dispensatio epistolaribus beneficiis junctos caritate consociat : dum quos discernit itinerum prolixitas, in remedio sollicitudinis jungit affectio, si sit cura sermonis. Silentium tamen vestrum nimis admiror, quod post depositæ sarcinas ægritudinis nulla me allocutione sublevastis. Sed quia loquendo opportune cogimus, ut loquaris, vel garruli imitatione responde. Bene enim res desiderii et poscitur, et impetratur exemplis. Ergo honorem salutationis impendens, indico me, Deo propitio, jam valere, supplicans, ut vicaria mihi styli promulgatione benedicas.

EPISTOLA VI.

ENNODIUS BEATO.

Si proferenda temporibus de eruditionis messe pectoris horreo condidisses, jejunæ ab epistolis tuis commeantium dexteræ non venirent. Sed quia negligentiam et sterilitatem tuam sermonis prodit abstinentia, nos necesse est iterum ad culturam admonitionis assurgere, et terga jactis infecunda seminibus recidivis ad ubertatem sulcis urgere. Ubi sunt monita quæ apud te asserebas esse victura? ubi studium colloquendi, per quod et scientia patescat et caritas? Clamant silentia tua, te non assecutum quod boni dignum possit esse judicio. Nam sicut rara doctos, ita continua prodit taciturnitas imperitos. Ergo erubesce, et tandem aliquando rumpe vincula, et inpedimenta sermonum. Ostende quid valeas, ostende quid promoveris, si tamen te juxta votum nostrum gratia superna non deserit. Nunc salutationis honorem accipe, et brevi contentus epistola, agnosce patri tuo quæ longa correptione reserentur fuisse mandata.

EPISTOLA VII.

ENNODIUS AVIENO.

Benedico Dei nostri triplicem in majestatibus unitatem quæ me inter angustias meas, perfectæ sanitatis loco, de conjunctionis vestræ munere sublevavit. Venit ad me sera quidem relatio, sed votiva : adsit Redemptor noster, et impleat quod inclinatus supplicatione concessit. Domine mi, salutationis reverentiam solvens, rogo ut actionis vestræ summam de suburbano illo cum parente vestro [1] domno Liberio, Christo vobiscum adnitente, compleatis : quatenus si evenit commutatio, pretium dignetur accipere, ne diutius sub permissionis nutemus ambiguo, quia vos nostis nihil plus esse quod in hac supplici vestro mundi conversatione præstetis.

EPISTOLA VIII.

ENNODIUS VICTORI.

Dum inscitiam sublimitas tua præloquitur, eruditionis secreta patefecit : impugnas perfectione quod asseris. Nam dum te salvo pudore illitteratum esse confirmas, quid naturæ vigor, quid studiorum lima contulerit, declarasti. Credat mihi sublimitas tua, imbuendum liberalibus disciplinis jam suis bonis ditavit. Si talis lingua prosequitur fratris Pauli filium, facunda astipulatio et commendat et edocet. Nihil longe degentibus magistris opus est, quando digna laude loquitur, qui dirigit ad docentem. Erubesco insinuatum minus invenisse quam detulit : Deum rogans ut quod de me per affectionem præsumitis, ingenii valeam virtute complere. Vos tamen, honore salutationis accepto, quibus libet officium sermonis impendite ; dummodo sollicitudini meæ de prosperitate [2] multiplex scriptionis cura respondeat.

EPISTOLA IX.

ENNODIUS [3] CAMILLÆ.

Intercepisti nostrum, nescio quem secuta, consilium. Nam parvulum tuum quem studiorum liberalium debuit cura suscipere, ante judicii convenientis tempora, religionis titulis insignisti. Veneranda quidem ecclesiastici forma servitii, sed quæ ad duas partes animum non relaxet : unum et difficile iter est quo itur ad Christum, nec occupatos multipliciter aliquando vita arcta suscepit. Properantes ad se de disciplinis sæcularibus salutis opifex non refutat ; sed ire ad illas quemquam de suo nitore non patitur. Jam si eum mundo subtraxeras, mundi in eo schemata non requiras : erubesco ecclesiastica profitentem ornamentis sæcularibus expolire. Annueram quod per Patricium diaconum, quantum ipse asseruit, postulasti : quid oportuit eum aliter ad me, quam diebus ipsis inventus est, destinari? Si judicium meum consulis, volo ad me pertinentes magis merito sanctos esse quam titulo. Vere animum meum de quietis statione ad cogitationum pelagus expulisti. Suscepi tamen, Deo auspice, sanguinis mei [4] vernulam. Nunc

[1] *Domno Liberio*] Patricio item : de quo lib. v, epist. 1. Aliud hoc suburbanum ab eo quod a Fausto superius per Florum postulabat epist. 12, lib. VIII.

[2] Schot., *vestra*.

[3] *Camillæ*] Viduæ consanguineæ in Gallia, id est Arelate. Infra epist. 29 : *Camilla parens mea intra Gallias et viduitatis miseria, et gemina etiam captivitatis succubuisse fertur incommodis*. Parentem dicit, non matrem, sed sanguine conjunctam, militari olim et barbara, sed Ennodii ætate recepta, significatione vocabuli. Ideo Patricium diaconum Camillæ filium, non fratrem, sed sanguinis sui vernulam vocat.

[4] *Vernulam*] Nic. Fabri liber, *venulam*, quod probari posset : quia venam sanguinis recte diceret, ut venam familiæ Symmachus libro nono, epist. 65, nisi *vernulam* præferrent alii codices : quod rectius est ; confirmaturque glossemate Basiliensis editionis, quod expunximus, in quo vernula exponitur servitialis, hoc est servo editus : vernulæ enim primum dicti, qui ex ancillis domi nati essent.

restat ut conatibus meis favor cœlestis arrideat, et negligentias hominum piæ moderationis ubertate componat. Domina, ut supra, salutem debitam dicens, precor ut nunc geminam sollicitudinen pro utrisque suscipias, et Deo nostro commendare assiduis precibus non omittas.

EPISTOLA X.

ENNODIUS [1] CELSO.

Lenocinium est, non gratiæ sacramentum, quod tantum præsentibus exhibetur : amicitiæ sinceritas et longe positos non relinquit. Quid possit vera fides, intelligat qui tunc adipiscitur beneficia, quando desinit supplicare ; ego mihi debeo quod ad stationem precum trans Gargara positus pervenisti. Tu luce conscientiæ amicos et litteras uno a te tempore divisisti, sectans non solum longinqua, sed abdita, ita ut nusquam te sagacis boni persecutor inveniat. Semper et hic quidem latentia inter lepores cubilia diligebas ; sed sæpe latebram tuam, qui presso ore vestigia rimatus est invenit. Nunc altiori consilio, credo, ut majores [2] accenderis, te hominum cœtibus submovisti. Ergo solam pueritiam debuisti Mediolanensibus tuis? et virum te tenere debuerant, qui puerum possederunt ; et quos lætificasti de amplexibus, debuisti juvare consiliis. Sed hinc alias ; tu tibi provisionum tuarum aut gaudia debebis aut lacrymas. Ego interim salutationem præfatus, memor debiti, donationem de puero destinavi; hoc apud me reputans, ut nec importunus in tempore diffidentiæ suæ vinceret, et cessans inter desperationis mala gauderet.

EPISTOLA XI.

ENNODIUS FAUSTO.

Suscepi litteras multiplici gaudiorum dote locupletes, et gratiam circa vos Dei quam noveram nuntiantes. Protinus testibus Christi nostri, cum lacrymis quas suggerebat hilaritas, indicata patefeci : et quod per ipsos impetratum fuerat, gratias referens, quasi novus relator asserui. Vere, domne Fauste, simpliciter in hac causa vulgatum est, quid haberet meriti, quid virium in precibus illa sancta anima quæ præcessit. Nam etsi sit spes nostra adhuc cæca mundi luce vestita; sed quod conveniens esse noverat sine nostræ actionis labore promeruit ; cum a nobis divideret res in manibus collocatas, obtulit longa statione distantes, felicius tribuens necessaria quam cupita Ergo mundus iste veri aliquid habet ; aut si non habet, non de ejus ditione mox rapitur. Mentiti sunt homines qui se jurabant accipere beneficia, si dedissent : etiam superna dispensatione conjuncti sunt, a quibus nec accepimus blandimenta, nec dedimus : certa ne desperatione confidentia, et nebu-A losum de publicata promissione constitutum. Vere dicerem, si doleret ista discissio quod tales homines nec illa quam dicitis nutricem mendacium esse, Liguria potuisset mittere. Quid arguam prius in illis? fallaciæ, aut fatuitatis obscena? perdiderunt duos, qui inter se sanctorum impetratione sociantur, per quos potuisset diu jacentis et in umbram coactæ familiæ scintilla reparari. Memores estis, domnum Avienum vobis in ecclesia dixisse, Deum se de illa puella specialiter non rogare. Vide progeniem sanctis creatoribus ad usuram vitæ procedentem. Intelligebat plus se parentum fletibus quam actione promoturum. Gratias tibi, omnipotens Deus, gratias, rector fidelium, qui ancillæ tuæ vota respiciens, prophetiæ in ea pollicitationes implesti, dicentis : B *Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæreditabit terram* (*Psal.* XXIV, 13). Perfice, pie arbiter, quod remansit, et [3] in alterius servi tui copula serenus aspira. Mihi si hæc videnda morbus qui jam vitalem præoccupavit substantiam, non relinquit, videat de illis bona pater, et avi proavique ante transitum suum nomen accipiat. Me tamen, quamvis peccatorem, adhuc gratia superna non deserit, qui admonitionem cautione prævenio. Nam desideria mea ne [4] legati provincialis nomen acciperem, licet cum dolore, suspendi. Timui ne aut rerum dominus, vobis disponentibus, hæc a se exigi crederet, quæ cogit necessitas postulari ; et ego redderer officiis onerosus et actionibus infecundus, quamvis nec exsequi nec injunctis par esse sufC ficerem. Rogo ut supplicetis Deo, ut me vel usque ad votorum communium tempora in mundi istius servet incerto.

EPISTOLA XII.

ENNODIUS MESSALÆ.

Fero vestrarum absentiam litterarum, si sic ad incrementa gaudii mei pertinet quod tacetis. Non est molesta paginalis intermissio, si cum splendidis dictionibus junguntur rara colloquia. Quod de gratia circa vos Dei, quod de sanctis parentibus præsumatur accipio. Jam suffragiis amicorum Dei qui tibi pater et frater est, agnovisti. Vere dictionem tuam sine lacrymis quas dabant gaudia, non relegi. Nolo apud te quæ de te sentio verborum importunitate producere. Labora ut quod suggerente in sensibus D vena invenis, componas eloquentia. Nihil tibi a domni Fausti et domnæ meæ matris tuæ filio minus est, nisi quod [5] ipse studiose subtraxeris. Parcat tibi tamen Deus, ut credas me immemorem esse tui, dum impedientibus morbis frequenti te scriptione non veneror : debes nosse dignum esse venia quidquid necessitate delinquitur. Domine mi, salutationem plenissimam dicens, benedicere me Deum in

[1] *Celso*] Mediolanensi.

[2] Schot., *accenderes*.

[3] *In alterius servi tui copula*] Nuptiis Avieni, de quibus epistola sequenti ad Messalam, et supra epist. 7, itemque ad ipsum Avienum. Ergo puella cujus obitus hic describitur, Avieni soror, filia Fausti.

[4] *Legati provincialis*] Provinciæ Liguriæ : ut *legatio Proconsularis provinciæ* : lege 186 cod. Theod. de Decurionibus. Nam alii erant legati civitatum, qui non a tota provincia, sed a civitate tantum aliqua mittebantur, ut *Hierapolitanæ civitatis*, cod. eod. lege 8 de Censitoribus, et *legatio Alexandrina*, leg. 42 de Episcopis, etc. Oblatam sibi ad Theodericum legationem subire propterea cunctatur Ennodius, ne ob summam cum Fausto necessitudinem, suspicionem regi moveat, quæ Ligurum nomine postulanda erant, ea Fausti suggestione postulari.

[5] Schot., *ista*.

operibus ejus de domni Avieni conjunctione significo; et de te quod ejus pietas pollicetur, exspecto.

A

EPISTOLA XIII.

ENNODIUS PANFRONIO.

Peregrinari me in solo patrio vobis absentibus crederes, etiamsi valerem. At cum ægritudo mihi et quorumdam insistat infirmitas, inter utraque quid faciam? quis uno tempore, et morbos ferat, et perfidos? Scias nulla cautione, nulla innocentia, in civitate nostra, quæ Deo medio promissa sunt, custodiri : totum felicitati tribuitur, nil amori : circa humiles rara dignatio; optimus ille, qui celsior. Sed hæc ego non pro mei, cui nihil superest quod sperem, consideratione suspiro, dolet mihi illos perire quos diligo. Plenius vobis rem omnem, et quam propter studium vestrum invidiam contraxerim, homo vester insinuabit. Ego honorem salutationis impertiens, rogo ut scripta mea, et domno Avieno, et domno Liberio protinus contradatis; et per ipsum qui vobis Pamfroniam nostram sanam contribuat, conjuro, ut vos me quid responsi dederint instruatis; quia si regius occupatione aliqua negatur adventus, ego ad vos, Deo meo suffragante, sub quavis membrorum meorum fragilitate venire festino.

B

EPISTOLA XIV.

ENNODIUS ELPIDIO DIACONO.

Deus sanctitatem tuam misericordiæ suæ et gratiæ prosequatur insignibus; qui de humilitate mea, rem amici faciens, dignaris esse sollicitus, et me meosque promittis peculiari affectione te colere. Scio quia Deus propitius tibi sic gratiam invicti principis contulit, ut humilitas ecclesiastica non periret. Vere, domne Elpidi, si dignatur pius rex de servo suo esse sollicitus, tu fecisti, cujus animo nullus amicorum vicem poterit repensare. Scias me tamen quotidie diversa affligi qualitate morborum, ita ut de vita desperem. Rogo tamen, honore salutationis accepto, ut domnum Faustum et filios ipsius, memor animæ tuæ, sinceriter diligas; et pro anima mea, quantum prævales, orare non cesses : quia non remansit in luce quod sperem. Rogo etiam ut me frequenti digneris alloquio, et si domnus noster ad Liguriam venturus est, intimare procures.

C

EPISTOLA XV.

ENNODIUS STEPHANIÆ.

Bene est animo meo, quod gravatum peccati fasce meministis; et inter illas secri pectoris curas, quantum epistolæ ad domnum Avienum destinatæ manifestant, personæ meæ non emergit oblivio. Deo gratias ago, qui per indebitam delinquentibus clementiam solita miseratione succurrit, dum eos sanctarum animarum intercessione sustentat. Non credo quod inter orationes deseratur, quem nobilitatis alloquio. Saluto ergo humilitate qua dignum est, et rogo ut illi assidua orationum donetis suffragia, quem commemorationis pascitis ubertate.

D

EPISTOLA XVI.

ENNODIUS ADEODATO.

Olim ad beatitudinis tuæ scripta responderam, si facile fuisset Romam pergentium itinera deprehendi. Ecclesiastica humilitas a mundi potentibus quasi res peregrina transitur. Ut primum tamen domnus Dioscorus Romam perfunctus pii laboris remeavit officio, ad restitutionem debiti, reverentiam vestram suspiciens, aspiravi. Hos filios vestros, domnum Paulum, vel sanctam progeniem ipsius redire Romam cupitis, nos manere : dispar sententia ad unum affectionis callem sine errore revertitur. Deus tamen optimus dispensator, quod felicitati ejus scit convenire, disponat. Mihi domni Fausti, suorumque prosperitas præsentiæ vice blanditur. Domine mi, salutationis cultum pleno amore dissolvens, codicem quem dedistis, filio vestro domno præfecto remeante, transmitto : vos meum, aut illum quem promisistis, si placuerit, destinate. Ilud tamen specialiter conferentes, ut orationum vestrarum nunquam me propugnatione nudetis, quia nullus mihi murus potior esse adversus peccati arietem poterit, quam si illarum me tutela defenderit.

EPISTOLA XVII.

ENNODIUS APODEMIÆ.

Non clauda fides opinionis antiquæ, quæ perhibet quod propinquitas generis non defraudetur longinquitate regionis. Manent familiarum suis jura cardinibus; nec quæ sunt divisa habitaculis, dissociantur animabus : percurrit ætherius vigor, ubicunque carnis cognatione producitur; et illa cœlestis portio unius patriæ non continetur angustiis. Sic tu, domna mea, longe a corpore degentem Ennodium perquisisti, efferendo desideratis nobile munus aspectibus. Accepi cucullam qualem debuit dirigere, religionem profitenti. Sanctissima, ora, ut dignum me humilium indumentis, et si non invenerunt dona vestra, tamen meriti sui nobilitate perficiant. Domina mi, salutem largissimam dicens, rogo, ut crebro venerandis relevetis alloquiis. [1] Lænam et racanas, cujus vos volueritis coloris rubei aut fusci, mihi sub celeritate dirigite.

EPISTOLA XVIII.

ENNODIUS STEPHANIÆ.

Sufficeret equidem pro epistolari commercio meritum portitoris, cui et vena sua quod loquendum est et pura circa me ministrat affectio. Sed animus meus ad duplicatum festinat obsequium; nec simplici quam reverentia vestra exigit humilitate contentus, domno Avieno scripta conjungit, illi quem de stirpe vestra procreatum et vita prodit et oratio. Graviter tamen fero quod rusticas voces nimis urbana et subtili elocutione narratis. Non ita circa familiam vestram gratia cœlestis innotuit, ut aliquem in ea liceat majoribus suis aut lingua esse aut actione dissimilem, nisi forte quod vos supra clari-

[1] *Lænam et racanas*] Ita distincte Vaticanus : reliqui * *Læna metra canas* : quod eodem recidit. Racanæ autem quod genus vestimenti fuerit, non liquet, ad calceamenta referendæ videntur, ut et rogæ et tzangæ lege 3 cod. Theod. de Habitu quod uti oporteat intra urbem. *Intra urbem Romam nemo vel rogis, vel tzancis utatur*.

* Videsis le St. Moine Vat. Sacr. tom. II, p. 287.

tatem seniorum sanctæ viduitatis in vobis fulgor irradiat. Nempe illius domni Fausti germana es, in cujus præfectura quod monachos instituat, invenitur, quem plus est actione venerabilem esse, quam titulo. Rogo vos, servitio salutationis exhibito, ut nunquam scholasticorum indociles compositiones sanctis dictationibus misceatis : sufficit mihi quod admirer, quod si mereor sequi debeam, in vestris sensibus invenire.

EPISTOLA XIX.

ENNODIUS AGNELLO.

Longo animus meus pependit incerto, utrum pro diligentia notitiæ vestræ januam scriptionis amabili præsumptione pulsarem, et excellentissimi hominis per hunc callem pectus ingrederer, an per homines vestros, vaga salutatione contentus, secreta quibus obsidebar irrumperem, quia visum mihi est non esse in hominum numero computandus, quem hominum potissimus ignoraret. Et plane illi nec mores suggerunt fiduciam, nec natura, qui in arce locatis absconditur : vobis præcipue, quos uterque orbis amica et socia diversitate complectitur, quod Dei timor gratiæ suæ comitate firmatos fecit jam honorum summa largiri, et ad quod vix præcipui perducuntur ad opinionis gloriam dare subjectis. Laudandi sunt apices, sed ad eos sudore maximo vix venitur. Quod tamen feliciter dictum sit, et inter munera vestra sunt culmina. Ergo salutans reverenter, epistolam brevitate concludo, ne ante dignationem vestram videatur importuna laudatio. Latius post responsum paginale, quod moribus, quod potentiæ vestræ convenit, eritis mundo mecum attestante lecturi.

EPISTOLA XX.

ENNODIUS MASCATORI.

Et me sperare quod pium est, et vos decet annuere. Nam disparibus viis ad unum finem remuneranda tendit intentio. Vos solatia rebus impenditis, a me tenui sermonis præstolatur auxilium. Sic fit ut cui incumbit per officii considerationem præstare potiora, vix possit exigua. Reddat ingenuitatem homo palatii, quia Ecclesiæ nihil amplius sufficit quam precari. Scitis [1] pro ascinis a quo veniat retributio, si juventur. Succurrite his quos et patria terra captivat, quibus et invidia est cum originariis et conditio dolenda cum profugis. Pluribus Christianum et sapientem non decet admoneri, ne longa deprecatio fructum sibi videatur ascribere laboris alieni. Saluto ergo humilitate qua dignum est, et ut præfatos cum gaudio ad me remittatis, imploro.

EPISTOLA XXI.

ENNODIUS ELPIDIO.

Etsi te immemorem mei Pontica facit inhumanitas, me tamen imitari non decet quod accuso. Sic de civitate Mediolanensi quasi Icarus avolasti, et nec mandati me salutatione dignatus es. Sic faciunt quos potentium lateribus jungit inopinata sodalitas. Musca moritura justum est, ut si per naturam non potes, ad effectum meo inviteris exemplo : possunt tibi alii pro abundantia facultatum utiliores existere, esse tamen non valent dulciores. Sed redeo ad considerationem patriæ, cui debes bonorum oblivionem et miseriam qua laboras. Nunc ergo, honore salutationis impenso, servum tuum ad hoc direxi, ut filio tuo domno præfecto et tibi nuntiaret in Christi nomine, me de suburbano illo documenta legitima suscepisse, ut vos cum filio vestro domno Triggua, quod necessarium videris, agere non omittas [*sic*].

EPISTOLA XXII.

ENNODIUS FAUSTO.

Spero in Trinitate Deo nostro, per suffragia veneranda sanctorum, quod servos in quocunque loco positos, quemadmodum munitur oculi pupilla, custodiat, et ad bonam valetudinem reducat quidquid inimica fregit inæqualitas. Ego tamen, etsi corpore nequeo, sequor officiis. Nam imperio sollicitudinis verba congessi, deprecans ut quam sani sitis edocear. Ecce vix fero brevem, absentia longa fatigandus : sed potentes sunt et amici domni, quibus vos anima sancta commisit. Ego memores, ut depositum servent, sine cessatione convenio : aderunt partibus suis, et quod ab eis susceptum est, sine imminutione servabunt. His addo, præstante omnipotentis Dei misericordia, servos vestros de Venetiis jam regressos [2] exhibuisse documenta confirmata de legibus, hic introductionem solemnem illico fuisse confectam. Nunc utrum amico a vobis dici aliquid debeat, illa qua soletis maturitate consulite.

EPISTOLA XXIII.

ENNODIUS [3] LIBERIO.

Datum est mihi, cœlestis infusione mysterii, libera habere judicia, etiam cum sim beneficiis obligatus. Est enim superni muneris ut ingenuam sententiam ferat obnoxius, nec delectetur immanitate

[1] *Pro ascinis*] Qui laribus et tecto carent. Ασκηνοι enim asceni dicti, qui sine tabernaculis sub dio vivunt. Hos ergo clientes domo sua vi forsan ejectos Mascatori commendat, ut ejus ope postliminio restituantur.

[2] *Exhibuisse documenta*] De suburbano Mediolanensi, quod Faustus Ennodio concesserat. Epistola præced.

[3] *Liberio*] Certat hæc epistola Liberii laudibus cum ejus epitaphio, quod patri olim a filiis Arimini positum est his verbis :

Humano generi legem natura creatrix
  Hanc dedit, ut tumuli membra sepulta tegant.
Liberii soboles matrique patrique superstes
  Triste ministerium mente dedere pia.
Heic sunt membra quidem, sed famam non tenet urna.
  Nam durat titulis nescia fama mori.
Rexit Romuleos fasces currentibus annis,
  Successu parili Gallica jura tenens.
Hos non imbelli pretio mercatus honores,
  Sed pretio majus detulit alma fides.
Ausoniis populis gentiles rite cohortes
  Disposuit, sanxit fœdera, jura dedit.
Cunctis mente pater, toto venerabilis ævo
  Ter denis lustris proximus occubuit.
O quantum bene gesta valent! cum membra recedunt,
  Nescit fama mori, lucida vita manet.

Hoc epitaphium primum in lucem edidit Pithœus : post illum Baronius, exemplar nostrum secutus, in quo *superstes* versu tertio legitur : quod rectius videtur, quod *sepulcrum*, quod erat in Pithœano : cum unius tantum Liberii sit epitaphium.

gratiæ vigor examinis. Divinum est, quando sine corruptione de te loquitur cui mala contuleris, nec iniquum ponit aliquid in lance veritatis donorum tuorum opibus subjugatus. Nam ubi de potissimis sermo est, et in aures mundi itura formantur, publicum testimonium privata actio cur obumbret? Debeo quidem celsitudini vestræ plus quam universitas; sed nolo majus aliquid quam universitatis possunt ora depromere: et epistolaris angustiæ lege contentus, satis modicum de illa meritorum messe prælibo. Felicissime hominum, hoc totis hostilitas virium suarum laborat impendiis, ut per totum orbem tu solus dissipata componas. Æstimationi remanet qualis sit ille cui militas, quando lapsa, exusta, perdita, cum te aspexerint, convalescunt. [1] Vix pascebatur Italia publici sudore dispendii, quando tu ea sine intervallo temporis, et ad spem reparationis, et ad præbitionem tributariam commutasti. Læti cœpimus te moderante inferre ærariis publicis quod cum maximo dolore solebamus accipere. Fuit semper ubertas nostra dispensatio tua. Juverunt venerabile superna consilium. Nam vires vectigalium tu vel nutristi pro bono publico, vel dedisti. Culminibus omnibus sublimior, tu primus fecisti regales copias sine malo privatæ concussionis affluere. Tibi post Deum debetur, quod apud potentissimum dominum et ubique victorem, securi divitias confitemur: tuta enim est subjectorum opulentia, quando non indiget. [2] Quid quod illas innumeras [3] Gothorum catervas, vix scientibus Romanis, larga prædiorum collatione ditasti? nihil enim amplius victores cupiunt, et nulla senserunt damna superati. Taceo, consideratione paginalis eloquii, communionis et blandimentorum tuorum mella præceptis cœlestibus instituta, non minus rebus nobilitata quam verbis: orationem meam ad ea quæ eminentiæ tuæ debentur, vota transduco, quia mecum [4] Galliæ in hac astipulatione conveniunt, ut, Christo Deo vivo disponente, ordinatis illis quibus civilitatem post multos annorum [5] curriculos intulisti, quos ante te non contigit saporem de Romana libertate gustare, ad Italiam tuam, et poscentibus nobis, et illis tenentibus, reducaris. Sic utriusque orbis per sanctas actiones indigena, venerabilem domum et summates filios cum universis Italiam possidens videntibus, felicis præsentiæ tuæ dote sublimes. Ego autem, servitiis salu-A tationis exhibitis, valere me nuntio, et de vobis quod voto meo satisfacere possit, exspecto.

EPISTOLA XXIV.

ENNODIUS AVIENO.

Bene erat animo meo, si vel ad scriptionem frequens portitorum suggereretur occasio, quia in remedio desiderii senior providentia munus litterarum comparavit, in quo ad vicem præsentiæ formato æstuantibus blanditur alloquio: et licet de ipsis remediis mens ægrescat absentium, et de medicina sollicitudinis cura [6] geminentur, attamen non sunt deserenda quæ sola sunt. Ergo infante Valentino Romam petente, quantum sub celeritate potui, de his quæ erant loquenda subripui, breviter significans valetudinem corporis mei fuisse turbatam. Sa-B tis est tamen, si nuntio prosperitatis vestræ, dum fit hilaris anima, convalescam. Domine mi, salutationis muniis, sicut reverentia vestra postulat, exsolutis, rogo ut jam me de votorum effectu et de bonis vestris epistolaris sublevetis promulgatione colloquii.

EPISTOLA XXV.

ENNODIUS AGNELLÆ.

Gratum mihi est ad magnitudinem vestram litterarum munera promulgare, quia et generi et conscientiæ vestræ, non tam exhibetur honor iste, quam redditur. Justum est ut religiosi homo propositi sanctam viduam et nobilem veneretur ingenuus. Ago Deo meo gratias, quia bonus opinionis vestræ, ad nos odor emanavit. Ille usque ad consummationem vitæ fructus tribuat, qui bonam radicem in hac sæculi C conversatione plantavit. Bene fecisti, domna Agnella, mundi istius blandimenta respuere: et dum celsiora sequeris, etiam quæ potuerunt venire a legitimis remediis, non habere: scisti non solum veniam quærere, sed coronam. Gaudeant de medicina languentes: prope est ut proximior sit integritati, cui conceditur ut feliciter dediscat illecebras. Ergo, domina mi, salutationis gratiam honorificentiamque persolvens, rogo ut pro me amico et parente tuo apostolorum liminibus non desinas supplicare, ut merear servare quod prædico, et quod in aliis extollo ipse non negligam.

EPISTOLA XXVI.

ENNODIUS MESSALÆ.

Scio equidem vos pro desiderio meo fuisse sub-D tractos: sed aliud spei de sollicitudine vestra præceperam. Nam et qualiter domnus Deo præstante

[1] *Vix pascebatur Italia*] Pertinent hæc omnia ad Romuleos fasces epitaphii, hoc est ad præfecturam prætorii Italiæ, qua functus est Liberins primis annis Theoderici, quem de ea sic loquentem facit Cassiodorus lib. II, epist. 16: *Sensimus auctas illationes, vos addita tributa nescitis. Ita utrumque sub admiratione perfectum est, ut et fiscus cresceret, et privata utilitas damna non sentiret.*

[2] Schot., *imperator*.

[3] *Gothorum catervas*] Epitaphium, *Ausoniis populis gentiles rite cohortes disposuit.* Cassiodorus ibidem: *Juvat referre, quemadmodum in tertiarum deputatione Gothorum Romanorumque possessiones junxerit et animos. Nam cum se homines soleant de vicinitate collidere, istis prædiorum communio causam noscitur præstitisse concordiæ.* Tertiam agrorum partem Gothis assignari jussit Theodericus: hoc est τριτημόριον quod suis antea largitus fuerat Odoacer, ut auctor est Procopius initio belli Gothici.

[4] *Galliæ*] Præfecturam etiam prætorii Galliarum gessit et sub finem regni Theoderici, sub ejus successore Athalarico: cujus exstat apud Cassiodorum epistola ad Liberium PP. Galliarum lib. VIII. Var., 6. Verum hanc Ennodius non vidit. Quare quæ hoc loco commemorat ad superiora tempora pertinent, cum primum in Gallia missus est: in qua perdiu, nec una tantum in administratione versatus est. Nam militares etiam copias duxit: ut auctor est Jornandes in rebus Geticis.

[5] Forte *circulos*.

[6] Schot., *geminetur*.

valedixerit, et qui vobis itineris ordo fuerit, si mei memor esses, agnoveram. Sed quid facio, qui negligentiam vestram, nec suggerendo formam affectionis expugno? Ergo si te, Christo Deo nostro tribuente, spes nuptialis afflaverit, Ennodii memoriam non fugabis: quando nulla sic cessit major diligentia, et pius amor exclusus est, tantum a pectore tuo, quantum ab oculis submovebor. Sanus esto, salva vita patris et fratris tui, Deus vobis benefaciat: agnoscant quod pascat auditum, quale vultis circa me exhibete propositum. Unum te rogo, honore salutationis exhibito, ut apud domnos apostolos pro me digneris preces offerre; ut ipsi miserias meas medicinaliter curent, nec patiantur me quidquam velle quod non decet: castigent præsumptiones mentis et corporis. Quod si facias, credo pro innocentia et puritate tua te melius pro me, quam si essem coram positus, audiendum.

EPISTOLA XXVII.

ENNODIUS [1] AURELIANO EPISCOPO.

Debeo equidem dolori meo vocem, sed reverentiæ taciturnitatem. Et forte melius mœroren de abstinentia sermonis vestri sequeretur muta dissimulatio: urbanum enim et subtile erat ut eisdem lineis quibus in me delinquitur potiorum delicta ferirentur, ut secum haberet culpa vindictam. Sed quo me vertam qui immemorem mei, et humilium notitiam respuentem, pertinacia amoris insequi non desisto? Nunquid non repudiati importunitas mater horroris est, cum placendi per assiduitatem desiderium materiam exigit displicendi? Nam quidquid mente fugimus, ingestum oculis vix videmus. O si mihi liceret adhuc æquali cum beatitudine tua sorte contendere! sed dormiunt apud coronam tuam propinquitatis privilegia, postquam pater esse meruisti. Retinet quisquam hominum perire suis jura necessitudinis incrementis, et accessione piæ dignitatis, et generis et diligentiæ vincla dissolvi? Ergo decuit evectionem meriti vestri instabili mihi esse rumore compertam, et de communibus gaudiis adhuc pendere opinione contentum? Electus sum cui bonum generale taceretur, ut rem aurei sæculi solus pro conscientiæ meæ obscuritate nescirem. Nobilis vita et genere apicem ecclesiastici honoris ascendit, et me dedignatur alloquio. Vere tale factum, aut studio aut negligentia evenerit, non probatur. Ego tamen servitia salutationis impendo, et Italica simplicitate, unde tristitiam habuerim, sine dissimulatione manifesto.

EPISTOLA XXVIII.

ENNODIUS AGAPIO.

Duriter officium gestientis animi ad memoriam tristium mens recordatione stimulanda revocavit. Nam semper remedium oblivio doloris est; quia quod ratione non possumus, temporum prolixitate sepelimus. Bene est, quia diuturnitate senescit afflictio, et magni doloris consolatio per silentium procuratur. Nam in hujusmodi negotiis plus agitur nil agendo. Sed quid facio, quia epistolæ lectio jam obducta cicatricis penetralia rescindit, et sepultam immaturi funeris recordationem amara sorte vivificat? Ergo ego communi fratri consolationem dare poteram, cum si quid humanitatis in me esse creditur, sic dolerem? aut unquam flens placuit consolator? ergo exspectatur medicina de morbidis? Non de me, domne Agapi, bene judicas, si et in germani tui mœroribus, et in obitu spiritualis filii, ego quasi opinioni tuæ disputator occurro. Sana pectora iter curationis inveniunt, nemo alterum unde ipse laborat absolvit. Sed hinc alias: potens est Deus, qui solus ad ista valet occurrere et communis mali sublevare pressuram. Vos tamen honorificæ cultu salutationis impertiens, rogo, ut crebro mihi epistolaris commercii munera conferatis, ad quæ studia pigrum esse nec amantem convenit, nec facundum.

EPISTOLA XXIX.

ENNODIUS LIBERIO.

Si poetarum spiritus disciplina paginalis admitteret, centena ora, et vox ferrea vix quod celsitudini vestræ a me debetur verborum ubertate resераret. Sed quia magnis obnoxius vix ad pauca sufficio, providi post Dei misericordiam vestræ gratiæ repensorem. Nam frater vester domnus Faustus, dum debere se beneficium quod mihi tribuistis eloquitur, ab imbecillis cervicibus gravis oneris sarcinas amolitur. Sunt inter duos præcelsos ista communia: vos vobis et dare digna nostis, et reddere; me sub fasce vestri muneris constitutum sola manet de obnoxietate confessio, dum præventum gratiæ vestræ mole quod voti compotem fecit, hoc imparem. Adsum tamen partibus meis, et inter orandum, quamvis peccator, Deum, ut pro me quoque vobis reddat, imploro. Ecce duo ista sufficiunt: nam et de cœlo pro me exspectatis quod vos exhibuisse meministis: et est æqualis, qui se debere fateatur in terris. Exspecto tamen beneficii vestri celeriter supplementum, ut litteras, quales per sublimem virum Tranquillinum sum precatus, accipiam. His tamen aliam vobis miserendi viam bene morum vestrorum conscius exhibebo. Camilla parens mea intra Gallias, et viduitatis miseria et geminæ jam captivitatis succubuisse fertur incommodis. Nemo est qui tam multiplices necessitates præter celsitudinem vestram possit avertere, generis mei patronus quod in Italia positis præstitit, non neget in Gallia, ut[2] de casellulis ipsius, or-

[1] *Aureliano episcopo.*] Cujus cathedræ, libri non indicant. Cave putes Arelatensem. Nam qui hoc nomine episcopus fuit Arelati, 30 ut minus annis post Ennodii obitum eam sedem sortitus est. Hoc vero tempore Arelatensis anstistes erat Cæsarius. Non abnuerim tamen, novam hunc cujuscunque civitatis episcopum Aurelianum illum videri presbyterum Arelatensem, ad quem rescripsit epist. 35 lib. VIII.

[2] *De casellulis*] Cassiodorus lib. VII, 45: *Formula qua census relevetur ei qui unam casam possidet præyravatam.* Cui enim gravior æquo canon impositus erat, a peræquatore minuebatur. Id revelationis seu peræquationis beneficium dicebatur. Glossæ nostræ, Relevatus ager, ἀνακεκουφισμένος, ἐλαφρωθείς τοῦ δημοσίου βάρους.

dinatione vestra, dum ab eis fisci onera derivantur, ad præfatæ alimenta sufficiant. Domine mi, salutationis servitia dependens, rogo ut portitorem præsentium, hominem meum quem ad hæc exsequenda destinavi, Deo vobis inspirante, meum effectum eminentia vestra jubeat commeare. Nunquid dubitare de postulationibus suis eum convenit, qui se novit et illa quæ non poposcerat, impetrasse?

EPISTOLA XXX.

([1] SYMMACHO PAPÆ.)

Natura rerum est ut etiam idoneus ore vel pectore possit de præsumptione culpari, quia omnis verborum commoditas humilitatis terminos egressa calcatur : et sicut habenda sunt quæ exiguntur in pretio, ita ingesta vilescunt. Importunitas cum facundos opinionis nobilitate dispoliet, dedecore vestit indoctos. Sed hac me ratiocinatione sustento, quia est quidem audax, sed amabile prævium præstitisse sermonem : et sicut vicinum temeritatis, ita proximum diligentiæ ad caritatem pertinens iter aperire. Inter Ecclesiarum homines nunquid reatus est, si pari amori contenderint dispares dignitate ? aut excedunt modici honoris angustiam, qui desiderant suffragio gratiæ summatibus comparari? Non habet superbi conscientiam, qui se tantum in affectionis muniis non metitur. Præsumo dicere, subditorum error est, qui in hac re præcedentem antevenit. Ecce sic partes meas quasi voluntariæ allocutionis fuscatas nube purgavi. Sed dico quod ad defensionem spectat uberrimam. Filius vester domnus Rhodanius coegit a me in usum styli præsentis erumpere. Fateor tamen, in studio meo fuisse quod jussit : quia qui volentem coegerit, non laborat. Deo gratias principe loco, et tota epistolæ concinnatione referamus, quia in societatem capitis sui aliquando Romana membra coierunt. Justum erat ut et beatus Petrus apostolus sedi suæ Ecclesias et senatui liberiori per Dominum partes debitas reformaret. Dignus regnator, dignus in quo cum ætate votorum summa contigerit. Nam etsi itura ad posteros felicitas perseveret, litandum illi est laudatione præcipua a quibus sumpsit exordium. Deo efficaciter supplicastis, ut illius vos virtus erueret, cujus potest servare clementia. Didicistis ejus eventus prosperos, quem videtis dum mandat secutam bella victoriam. Parum superest, ut mansuetudinem mentis illius ita profundam teneatis, quasi sit ignara procinctuum. Deo tribuente, nec pax ejus turbari dubiis potest, nec fortitudo qualibet objectatione confringi. Nihil apud illum tutius supplicante : solus evasit præliares acies, qui rogavit : vicit armorum impetus qui obtulit devotus obsequium. Quod vix veteres principes præsentiæ suæ sudore potiti sunt, hoc semper regis nostri brevis procuravit epistola. Per excursus dirigitur felix exercitus ad triumphum. Quis credat militem ejus in labore et perfectione habere quidem superantis gloriam, sed continentiam subjugati? Consummatis congressionibus de iræ hæreditate nil remanet : uno tempore, quos perniciosos adversarii viderint, blandos sentiunt tributa pendentes. Et hæc quidem cælosti præparantur pro hac repensione suffragio : quia fides nostra apud eum, (cum) aliud ipse sectetur, in portu est. Mirabilis patientia, quando tenax propositi sui, claritatem non obumbrat alieni : nam et Ecclesiarum nostrarum patrimonia relabi, nisi aucta fuerint, ingemiscit. Sic factum est, ut et statum suum locupletes pauperum substantiæ teneant, et mediocres ad supremam opulentiam convalescant. In sacerdotibus virtutes et innatas colit, et non repertas inspirat. Sed cur beatitudinem vestram præjudicio diffusi sermonis anticipem? Continuo experientia vestra et spiritalis illa perfectio jejunum me fuisse in filii vestri laudibus accusabit : et cum soleant amplificari facta colloquiis, sterilem me relatorem de virtutum ejus messe causabitur. Jam sæculares apices, curules et trabeas, patricias etiam dignitates qualiter aut naturæ reddat aut moribus, domestici perlatoris astipulatione vulgetur. Nam et veteres in antiqua generis luce durare fecit, et novos splendore inopinati fulgoris irradiat. Facilius respublica ejus bono dispensationis in privatam migrat opulentiam, quam famulantum census in palatina lucra commutetur. Nunc quod superest, meæ servitiis salutationis acceptis, prospicite ut Christus Redemptor noster quæ in præfato clementissimo rege servientibus sibi contulit, longa ætate conservet. Det etiam regni de ejus germine successorem : ne bona tanti hominis in una ætate veterescant, et antiquata temporibus pro sola aurei sæculi commemoratione nominentur.

EPISTOLA XXXI.

ENNODIUS AVIENO.

Dum jucundis adhuc, Deo dispensante, fruerer de præsentiæ vestræ vicinitate conspectibus, et amabilia colloquiorum mella venerabili mendacio retineret auditus, occasio mihi scriptionis oblata est. Fateor, diu nolui medicinam desiderii, dum altera procuratur, irrumpere. Delectabat series animo meo pia ludificatione blandita, nolebam, conscius deprehendere quæ pascebat in amore fallaciam. Bene enim sapit studiis nostris obsecuta seductio, et pro vero libenter admittimus dulcium imagines nuntiorum : grata somnia quoties fugantur vigiliis, ingemiscimus, et illud mortis simulacrum de placidis deceptionibus plus amatur. Ergo nunc mihi, quia illud quod præfatus sum stare non licuit, exsequendum est quod remansit. Aliquis hominum pro peccati sui onere sic laborat? affligerer nisi vos viderem : ad cupita perductus maceror, quia quæ poscebamus, Deo tribuente, con-

[1] *Symmacho papæ*] Titulum adjecimus, cujus vice in antiquis exemplaribus scriptum erat *In Christi signo*. Sed perspicuum est epistolam esse ad Symmachum papam, et quidem scriptam post exstinctas schismatis reliquias, membris omnibus, ut Ennodius ipse loquitur, in capitis sui societatem Theoderici regis quem propterea laudat, opera revocatis.

cessa sunt. Nunquid alicui accessit de lætitiæ occasione quod torqueat, aut de messe gaudiorum egressa est planta tristitiæ? Gratias inseparabili Trinitati, Deo vero, qui ut vota impleat, aliquotiens vota contemnit. Ipse ergo conjunctionis tuæ copulam respiciat: ipse unum faciat ex duobus, in primi hominis corpore, dum adhuc nativa et intemerata immortalitate gauderet, utrosque formavit. Jungatur tibi uxor, ut Abrahæ Sarra, ut Isaac Rebecca, ut Jacob Rachel cœlesti benedictione sociata est. Habeas continentis præviam frugem, et dulcedinem conjugati: legi Dei pareat solutio virginalis, dum quod in se subtrahit, reddit in sobole. Nesciat externam diligentiam bene in vobis solidata communio: illa matrem tuam moribus et conversatione restituat, tu parentem. Non pareat mundo majorum tuorum, dum in te renascitur, amplectenda formatio. Nequaquam peregrina vitæ exempla, nec non adventitia postulantur: in oculis locata sectamini. Ecce ego, qui hymenæis tuis interesse non potui, hac te precum mearum prosecutione convenio: vos ad vicissitudinem exhibete crebra colloquia. Salutationis amorem et reverentiam persolvens, rogo ut si memoriam mei de illa locupleti recordatione non truditis, et orationtbus me et colloquiis sublevetis.

EPISTOLA XXXII.

ENNODIUS ADEODATO PRESBYTERO.

Quantum a me merito, quantum actione sis clarior, orationum tuarum reserabit effectus. Ecce domni Fausti filii tui abstractam de solatio meo partem maximam tu tenebis. Ego quidem sanctis et legalibus desideriis precum impedimenta non attuli: sed tanta me domni Avieni perculit pro ejus caritate discessio, ut lacrymis prosequerer et ad optata tendentem. Patuit humanarum rerum in hac causa de diversitate formatio. Illum evocant, Christo duce, votiva; me feriunt. Illi blanditur de conjunctione vicinitas, me de sequestratione compungit. Ecce de precum mearum fruge sollicitor: et adeptos nos, si quid in hac parte postulatum est, quod cum Christi pace dici liceat, ingemisco. Sed inter hæc tali diligentiæ curatione sustentor, quia domnum Avienum superantem vota reddidimus. Habet de origine ejus Roma jactantiam, Liguria de profectu: ibi domno Fausto filius naturæ lege concessus est, hic eruditione patefactus. Minus fuit cum generalitate hominem nasci, quam quod inimitabile videbatur, Fausti sobolem comprobari. Referamus ad Deum beneficia sua, et ipsi pro illo redhibeamus gratias, a quo poposcimus A quæ tenemus. Vos salutationis meæ obsequia pro sancti pectoris vestri puritate suscipite; et codicem recipientes meum, cum illo qui a vobis promissus est, destinate.

EPISTOLA XXXIII.

ENNODIUS [1] CÆSARIO EPISCOPO.

Quod spe præceperam, litteris indicastis Nam venerandi promulgatione colloquii, quid cœlestis imperator domnum regem circa vos facere compulisset, agnovi: ego sum, cui postquam meritum vestrum patuit, nequaquam se felicitas actionis abscondit. Qui hominum nobilissimo in Christi servitute pontifici terrenas dominationes nesciat esse subjectas, et minacem reis potentiam innocentiæ objectione superari, quando principacis purpura aut cilicia despexit, aut B pallium; quando libertas illa potissima credidit, sibi ante Christianam humilitatem licere quod voluit; aut quando ei licuit velle quod læderet? Quod si inter hæc canæ ætatis exempla recolantur, et sævitiam circa cultores Dei tyrannicam reducas in medium, scimus quia ab illis nostri dogmatis sectatores, ne unquam morerentur, occisi sunt. Tunc militibus suis vitam, æternitatem, obsequente gladio perpetuus ille dux contulit. Illi inimicorum suorum ministerio perdiderunt originariam vilitatem. Te, mi domine, in orbe jam Christiano diva lex peperit, et apostolici uberis lacte nutrivit: tu cæteros velut solis magnitudo astris minoribus comparata transgrederis: te qui interioris hominis oculis inspexit, instructus est. C Nam et cum facie ipsa foveas puritatem, delinquentes feriato ore castigas. Boni de conversatione tua, quocunque processeris, imitanda inveniunt: malis fugienda demonstrantur. Beatus tu, cui a Deo tributum est ut monitis doceas et exemplis: qui ad pii itineris directum semper existens prævius invitasti: quis non optet, te loquente, ut sciat plura, non legere? Tu dum libris genium relatione concilias, et magistros informas: tibi debet quicunque ille scriptorum maximus, quod eum dote elocutionis amplificas. In te lux convenit sermonis et operis. Unde hæc prærogativa Transalpinis? unde parentibus meis inauspicata sublimitas, ut talem virum miserint? Sed cur inter terrena quæritur res cœlestis? Potuit ergo ante te quodibet palatii supercilium non jacere? potuit tibi cupita subtrahere, quem mitiorem D ovibus sola faciunt errata pugnacem? Latius me et meritum vestrum vocat et diligentia: sed loquacitatem meam lex epistolaris includit. Quod superest, benigni ssrvitutis meæ munus accipite, et me Deo

[1] *Cæsario episcopo*] Arelatensi. Episcoporum sui sæculi, ut jure vocat Ennodius, nobilissimo, doctrina, eloquentia, vitæ sanctitate clarissimo. Is ergo conficta criminatione ad Theodericum delatus, Ravennamque sub custodia pertractus, angelici vultus aspectu, et innocentiæ securitate regem ita permovit, ut non solum pacate humaniterque illum exceperit, sed oblatis etiam muneribus honestarit. Nec dispari ante aliquot annos eventu, cum Visigothis adhuc pareret Arelate, falsæque proditionis accusatus apud Alaricum fuisset, cum honore postea dimissus est. Utramque historiam (de priore hic sermo est Ennodio) lib. I Vitæ Cæsarii complexus est Cyprianus. Cujus etiam librum II qui in Surii editione desideratur, in S. Martini cœnobio Parisiensi vidimus, de miraculis S. Cæsarii ejusque obitu compositum: in quo præter alia Liberium patricium narrat, lethali lanceæ vulnere confossum ac pene exanimem, admota Cæsarii veste curatum fuisse. Variæ præterea exstant pontificum Romanorum epistolæ ad Cæsarium. In quibus et illa Felicis, quæ viros doctos frustra exercuit ob deprvatæ subscriptionis suspicionem, quasi P. C. Boetii scripta dicatur: cum Arelatensis codex ex quo deprompta est, diserte habeat. P. C. MABERTI, seu Mavortii, qui annus erat Christi 528 Felicis IV papæ secundus.

nostro orationum suffragiis intimate, frequenter de his quæ vobiscum aguntur vel acta sunt, informantes. Deprecor etiam ut quid apud vos promoverit Rustici supplicatio, qui, quantum audio, fornicationes suas nomine vestit uxorum, et vocabulo legis putat excusari posse rem criminis, mihi manifestes ministerio litterarum.

EPISTOLA XXXIV.

ENNODIUS AVIENO.

Ubi sunt, qui dicunt inter habitatione discretos diligentiam non durare, et affectionis calorem terrarum divisione tepescere, nec longius procedere mentes posse, quam oculos? Ecce amoris mei plenitudo violentia sequestrationis exæstuat, et colloquii medicina languidior corporis sedibus non tenetur. Deum tamen qui, circa vos respexit vota nostra, benedico, qui vos non solum nobili, sed, quantum fama nuntiat, sancta moribus uxore donavit. Cultores Christi perfecta omnia promerentur, ipsis solis in conjunctione, opum, mentium et sanguinis claritas non negatur. Ipse præcipiebam quod possit talis effici, qualem ad te audio jam venisse. Transit æstimationem meam quid de ejus hominis profectu sentiam, quem audio ab optimis inchoasse. Domine mi, gratiam salutationis impertiens, spero ut petitionem sancti episcopi patris vestri dignemini incunctanter A efficere, et homini ipsius classici illum de quo securus sum, [1] grate animum condonare.

EPISTOLA XXXV.

ENNODIUS MESSALÆ.

Solent inauspicata felicitate superbarum mentium colla mollescere, et rigidioris propositi novo gaudio supercilia temperari. Nam benignitatem seminat quidquid votis obsequitur, nec plus aliquid humiliat potissimos quam optata sublimitas. Indicium communionis et obsequii est, ad apicem pervenisse. Tu postquam ad cupita provectus es, ignorato hactenus tumore me despicis : et quid in melle tuo respicias oblitus, de sola amicos veteres futuræ uxoris opulentia contemnis, nesciens sarcinam venire unde æstimas commeare rem præmii : primum quod mobilem esse non decet, qui originis suæ radios non B obumbrat : deinde, quia unde despicior, vindicabor. Ergo ad usum promissionis benigne revertere, ne videar manifesta suspicatus. Ego, quia hactenus ab scriptionis munere temperastis, in hæc verba prorupi : vos aut factum diluere, aut affirmare innocentiam convenit nobilitate sermonis. Domine mi, salutationis plenissimæ officia persolvens, spero ut qui diligentem neglexisti, saltem alloquiis facias dignum arguentem.

[1] Schot., *gratiæ*.

MAGNI FELICIS ENNODII
OPUSCULA MISCELLA X.

OPUSCULUM PRIMUM.

[1] PANEGYRICUS DICTUS CLEMENTISSIMO REGI [2] THEODERICO.

Illum, princeps venerabilis, in laudibus tuis proscribat professio, illum a præconiis propositi repellat consideratio, quem a defensione tua aliquod subtraxit officium. Refundat tibi generalitas rebus obligata sermonem, dum inæqualis vicissitudo compensat laudibus quod adepta est de sudore. Armis tuis libertas obnoxia, quod solum potest, hilaritatem didicit annuntiare præconiis. Tuum est, inclyte, devotioni pretium dare, quam intelligis vires subditorum non C posse transcendere : erit dispensationis sacræ de famulis æstimare quid exigas, in quibus cognoscis totum tibi militare quod prævalent. Propriis majestas tua oblationem litterariam dignetur altaribus : quia ne senescat claritudo operum, advocanda sunt linguarum exercitia : quid egeris, ne vetustas sibi vindicet, obliget catena referentum : disciplinarum enim quietem vos tribuetis, per quas vobis continget æternitas. Nihil amplius cœlestis dispensator arcani

[1] *Panegyricus*] Panegyricus ubi aut quando dictus sit ab Ennodio, æque incertum est. Hoc constat, Romæ dictum non fuisse, cum Romam ut absentem alloquatur. Mediolani crediderim, aut Ravennæ. Si ergo Mediolani dictum placet, exceptum hac laudatione adventantem Theodericum dicendum est, quo more Lugduni a Sidonio exceptus est poetico panegyrico Majorianus. Sin Ravennæ, in legatione aliqua pronuntiatum, qualem his fortasse verbis indicat Ennodius, *Nunc ecclesia dirigit laudatorem.* De tempore hoc modo affirmare licet, ante Cethegum consulem, hoc est annum Christi 504, dici non potuisse, cum de recepto Sirmio disserat, quod Cethegi receptum est consulatu. Sed et alia sunt quæ posteriorem ostendant. Quod si quis ordo est in serie operum Ennodii qua in antiquis exemplaribus digesta sunt, facilis est conjectura panegyricum hunc in annum 507 vel 508 conjici oportere.

[2] *Theoderico*] Regi Italiæ. Ostrogothorum, dum adhuc in Pannoniis versarentur, reges ex Amala stirpe germani tres fuerunt, Valamer, Theodemer et D Widemer. Theodemeris ex concubina filius fuit hic Theodericus, consul ordinarius, et magister militum in Thracia sub Zenone, ac tandem rex Italiæ : cui Valameris cognomentum tribuit Marcellinus comes in Chronico. Malchus vero Sophista Philadelphiensis in Historia Byzantina, Valameris filium, sed perperam, nominat, cum Theodemerem illi patrem multis locis asserat Jornandes in rebus Geticis, Valameremque illius patruum vocet.

ab humanis poscit ingeniis, nisi ut intelligant, quo veniat auctore quod sapiunt. Inter Deo proximos agnovisse qui præstitit, reddidisse est beneficium : quod descendit a superis, sola hymnorum licet mercede taxari : fabricator mundi ad potiora munera modulatis invitatur eloquiis. Dicite, si non præmii loco opifici suo lingua blanditur. Jungitur, quod de sacrario mundi pectoris laudatio debet principalis effluere : nec solum linguæ nitorem postulat commemoratio numinis tui, bono asserenda conscientiæ. In divinis obsequiis feriato ore peragit mens serena sacrificium : actuum munitus claritate, in ætherio cultu etiam mutus obsequitur. Ergo et me titulus qui obstare putabatur, invitat; utinam mundior professio habeat concordiam cum secretis, ne dissentiat splendor cordis a corpore.

Salve nunc, regum maxime, in cujus dominio saporem suum ingenuitatis vigor agnovit. Salve, status reipublicæ : nam nefas est, separatim a te simul collata narrare, et unius bona temporis verborum divisione discernere. Si bella regis mei numerem, tot invenio, quot triumphos : congressui tuo nullus hostium, nisi qui laudibus adderetur, occurrit : militavit tropæis, qui restitit voluntati : nam semper aut pietati tuæ peperit subjectus gloriam, aut qui præsumpsit tela, virtuti. Qui te in acie conspexit, superatus est; qui in pace, nil timuit : nec promissio venerabilis claudicavit inter prospera; nec passus est moram vigor in præliis. Callis tuus multo vallatus obstaculo, et quotidianas victorias vidit, et profectionis detrimenta non attulit : sic inimicorum interclusus agminibus, ut negaret accessum : sic tuo patefactus impulsu, quasi hostium providentia nil noceret. Hæc si felicitati tuæ ascribenda sunt, est plena dos principis : omni honore angustior, si labori. Prima dextris omnibus contra naturam certamina suscipiens, ne resistendi spes relinqueretur inimicis, varias tibi loco principe cœli leges, terrarum munimina, fluminum [1] superbia subdidisti. Mentior, si unquam dispositis tui impedimentum exhibuit ardor, aut frigus : si tumore gurgitum, si bibendi necessitate constrictus es : si Alpium juga, [2] connexis poli sublimitate sociata, cursibus tuis attulere tarditatem. Nescierunt resistere, quos devictis locorum munitionibus invenisti : quia securos faciunt interrupta, quos protegunt; et laxatis in otio animis vivunt, qui tutiora possederint. Adversus te nec campestris habitatio pares protulit; nec quos amplexa sunt invia, nisi exstiterunt supplices, a deprædatione subduxit. In possessione tua positus sine formidine divitias indicavit : nec rebellem juvit, si pauper innotuit : nemo indignationi tuæ nisi humilitate subtractus est; cum in sociorum profecisset numero, qui rogavit. Non tibi ignotus est algor Scythiæ : non Meroen, aut anhelum æstibus Cancrum, ut alterius possessor orbis, ignoras : didicisti universa subigendo, quæ nobis vix auditu patuerunt. Hæc quidem majora sunt homine : sed qui ad mundi paratur gubernacula, necesse est ut universis veniat cardinibus institutus. Nimis velociter tempus maturæ laudis arripui : et quasi non in primordiis fluvius etiam torrentis fatiscat ingenii, sic per narrationis famem fruges perfectæ ætatis invasi. Laurearum ordines quærit, qui et celeritate earum superatur et numero. Citius a te, invictissime, insignia quæ reteximus impleta sunt, quam dicantur. Quis ferat in gestorum suorum elocutione torporem, quem in actione non pertulit?

[3] Educavit te in gremio civilitatis Græcia, præsaga venturi : quem ita ingressum vitæ limen erudivit, ut dum adhuc de puero haberet hilaritatem, mox eam sequeretur securitas de tutore. Adhuc in cano flore degebas adolescentiæ, nec virtutum messem lacteus ante experimentum culmus attulerat : adhuc blanda erat imago pubescentis, nec cingens faciem lanugo vestibat : quando ævi purpura et flosculus supervenientis imperii promittebat sollicitis de gratiæ commutatione terrorem, cum in probationem roboris et clementiæ tuæ ruptis vinculis furor emicuit : et evisceratas diuturna quiete mentes occasionis pabulo subjugavit. [4] Pulsa est extemplo principalis urbe reverentia, et in vacuam possessionem nullo ascitus sanguine tyrannus accessit : qui aula potitus, definivit, postquam metu hostes suos debellaverat, nihil superesse quod gereret : cum animos tuos sine annorum suffragio impulit lux naturæ, ne aut causa melior te coram posito subjaceret : aut non beneficium necessitatis tempore redderes, quod pacis acceperas. In ipsis congressionis tuæ foribus cessit invasor, cum profugo per te sceptra redderentur de salute dubitanti. Ventilemus historias, interrogentur annales : apud quos constitit, refusum exsuli quem cruore suo rex genitus emerat, principatum? Castrensis gloria turmarum participatione dispergitur : nec ad unum referri potest quod venerit collatione multorum. Singularis boni fructus est ambitionis refrenatio : illo maxime tempore, quo sine opinionis damno possis acquisita retinere. Par te, inclyte domine, laus respicit donati diadematis et defensi. Si te illarum rector partium non amavit, perculsus præfuit reipublicæ : si dilexit, obnoxius : usus es in tuorum fide meritorum teste purpurato.

Jam tunc in jus tuum se palatia ipsa contulerant.

[1] Editiones aliquæ, *superba*.
[2] Editiones aliquæ, *convexi*.
[3] *Educavit te Græcia*] Constantinopolis. Obses enim a patre Leoni Augusto datus, cum annum ætatis septimum vix excederet, in ejus aula educatus est, principisque, ut Jornandes eodem libro scribit, gratiam meruit : a quo post decem tandem annos ad patrem remissus est.
[4] *Pulsa est principalis urbe*] Zeno Augustus Verinæ socrus fraude circumventus, Constantinopoli relicta in Isauriam profugit. Vacua aula biennii ferme spatio potitus est Basiliscus, Zenone ipso II consule, anno Christi 475. Hic igitur est quem tyrannum vocat. Post hæc Zeno collecto exercitu, cedente Basilisco, imperium recepit. In eaque expeditione Zenoni auxiliatum oportet Theodericum, quando integram ei laudem restituti Zenonis tribuit Ennodius : etsi nulla ejus hac in parte mentio, neque in excerptis Candidi apud Photium, neque apud alios qui de Zenonis rebus scripserunt.

nemo credidit, non te posse ad quem voluisses transferre, quod reddideras. Sed parcus in exigendis præmiis, quasi sufficerent ad vicissitudinem operum tuorum, [1] fasces accepisti : non quo tibi accederet genius de curuli, sed ut de te pretium palmata mereretur. Quis hanc civilitatem credat inter familiares tibi vivere plena exsecutione virtutis? Ille annus habuit consulem, qui rempublicam non tam sollicitudine, quam opinione tueretur : [2] quo in segmentis posito, quæ ab hostibus sumpta fuerunt arma, tremuerunt. Quando talis contigit sorte lictoris, qualem dedit ab ipsa mundi infantia regum examinata claritudo? Nolo per casus errare dominatuum : in tuo stemmate probati sunt, qui reperti. Serranum scipionibus aratra pepererunt : qui dum grandia sulcis semina commendaret, honorum ei messis oborta est. Sed minus diligo prospera, quæ sumunt a desperatione principium : vix paucos contigit degenerare nobiliter, cum familiæ tuæ debeas actus generis nobiliter custodire. Quid mihi, vetustas objicias agrestia membra paludamentis decorata? Ego tibi, quod admirationem vincat, oppono principem meum, ita ornatum, ut eum non liceat improbari : ita agere, quasi inter imperatores adhuc precetur adjungi.

Sed quid faciam, cui fecunda actuum tuorum seges occurrit, ubi universa eligentem superant? nescio quas aristas horreis inferam, quas relinquam. Stat ante oculos meos [3] Bulgarum ductor [4] Libertem dextera tua asserente prostratus ; nec exstinctus, ne periret monumentis ; nec intactus, ne viveret arrogantiæ : in gente indomita domesticus astipulator superfuturus roboris tui : qui si sufficiens letho vulnus excepisset, personam viceras : quod in luce substitit, submisit originem. Hæc est natio, cujus ante te fuit omne quod voluit : in qua titulos obtinuit, qui emit adversariorum sanguine dignitatem : apud quam campus est vulgator natalium. Nam cujus plus rubuerunt tela luctamine, ille putatus est sine ambage sublimior : quam ante dimicationem tuam non contigit

A agnovisse resistentem : quæ prolixis temporibus solo bella consummavit excursu. Hos non montanæ strues, non fluminum objectio, non negati egestas alimenti in artum necessitatis lege continuit ; dum credunt satis esse ad delicias equini pecoris lac potare. Quis ferat adversarium, qui pernicis jumenti beneficio currit et pascitur? Quid quod et illis animalibus indicunt studiosæ famis patientiam, per quæ esuriem vitare didicerunt? quemadmodum fit, ut jejunæ cornipedis sessor visceribus cibos extrahat, quos illa ne conderet, diligentia instruente prospexit? His ante mundus pervius esse credebatur : nunc illam sibi tantum orbis partem interclusam æstimant, quam tueris. Cursim multa transcendo ; ne pigrioris [5] stellæ vitio serus advenias : ne Romanæ fax curiæ diu in B umbram coacta tardius elucescat. Inter vitæ tirocinia et triumphorum maturitatem, pectori sacro affectum nostri cœlestis favor infudit. Jam diuturnæ quietis dispendio, per gubernantum vilitatem potens terra consenuerat : jam attulerat publicis opibus pax intemerata defectum : cum apud nos quotidianæ deprædationis auctus successibus [6] intestinus egeret populator : qui suorum prodigus, incrementa ærarii non tam poscebat surgere vectigalibus, quam rapinis : [7] sævientem ambitu pauper dominum odia effusione contraxerat : sed nec defrudatis viribus, quod minuebat opulentiæ, jungebatur affectu. Tunc enim aulæ angustia in artum res privatas agitabat : nec micare usquam scintillas famulantum exstinctus ty- C ranni fomes indulserat. Metuebat parentes exercitus, quem meminisse originis suæ admonebat honor alienus : nam ire ad nutum suum legiones, et remeare pavore algidus imperabat. Suspecta enim est obedientia, quæ famulatur indignis : et quotiens prælatos convenit conscientia stirpis ultimæ, et illud metuunt, quod timentur. [8] Nata est felicis inter vos causa discordiæ, dum perduelles animos in propinquorum tuorum necem Romana prosperitas invitavit. Generata est ab invalidis causa certandi, et ne vel a ne-

[1] *Fasces accepisti*] Consul a Zenone designatus in annum 484 Marcellinus comes. *Theodericus rex Gothorum Zenonis Aug. munificentiis pene pacatus, magisterque præsentis militiæ factus, consul quoque designatus, creditam sibi Ripensis Daciæ partem, Mæsiæque inferioris cum suis satellitibus pro tempore tenuit.* Consul fuit Orientalis, collega Romæ Venantio. Cassiodori Fasti eo anno, *D. N. Theodericus et Venantius.*

[2] *Quo in segmentis posito*] Quandiu consul fuit in toga picta seu palmata veste consulari, quæ segmentis aureis ornari solebat, Sidonius de Asterii consulatu lib. VIII epist. 6 : *Et illam Sarranis ebriam succis inter crepitantia segmenta palmatam plus picta plus aurea oratione convenustavit.* Hæc igitur certa videtur emendatio, pro *figmentis*, quod in omnibus libris legebatur.

[3] *Bulgarum ductor Libertem*] De hoc bello, ni fallor, Athalaricus lib. VIII Variarum, 21 ad Cyprianum patricium, qui in ea expeditione sub Theoderico meruerat : *Habuisti sub divæ memoriæ domno avo nostro in utraque parte laudatus semper excubias. Vidit te adhuc gentilis Danubius bellatorem : non te terruit Bulgarum globus, qui etiam nostris erat præsumptione certaminis obstaturus. Peculiare tibi fuit et renitentes barbaros aggredi et conversos terrore sectari. Sic victoriam Gothorum non tam numero, quam labore juvisti.* Idem epist. 10 Bulgares toto orbe terribiles fuisse dicit.

[4] Forte *libertatem.*

[5] Schot., *styli.*

[6] *Intestinus populator*] Odoacer, qui mox tyrannus. D Is Momyllo Augusto ultimo Romanorum imperatori in exsilium pulso regnum eripuit anno 476, jamque annos pene 14 regnarat, cum Italiam sibi a Zenone Aug. concessam, ut Odoacrum debellaret, ingressus est Theodericus. Hinc omnia in Ennodii verbis perspicua. Potens enim terra, gubernantium, hoc est postremorum principum, vilitate attrita est Italia : cujus affectum desideriumque apud Zenonem professus est Theodericus. Quod præter cæteros copiose describit Jornandes in Geticis.

[7] Edit. aliquæ, *sævientem ambitum pauper dominus odiosa effusione contraxerat.*

[8] *Nata est causa discordiæ*] Ne injuria bello appetitus videatur Odoacer, lacessitum ab eo dicit Theodericum, stimulatumque cæde propinquorum : hoc est, ut conjicio, Rugorum, quo bello cæsos afflixerat Odoacer, Phæba rege capto Friderico ejus filio cui aperte favebat Theodericus, semel atque iterum acie fugato, ut in S. Severini Vita narrat Eugippius.

gotio perituris veniret fiducia, pars fugacium prælia concitavit. Tunc a te commonitis longe lateque viribus, innumeros diffusa per populos gens una contrahitur migrante tecum ad Ausoniam mundo, nullus præter parentem iter arripuit. Sumpta sunt plaustra vice tectorum, et in domos instabiles confluxerunt omnia servitura necessitati. Tunc arma Cereris et solventia frumentum bobus saxa trahebantur: oneratæ fetibus matres inter familias tuas oblitæ sexus et ponderis, parandi victus cura [1] laborant. Tunc in campo hiems et jugi pruinarum candore velata cæsaries, barbam stiriis implicuit crine possesso. Nam quod diligentius indumentum matrona neverat, durante gelu, ut adhæreret corpori, frangebatur. Pastum agminibus tuis aut indevotæ nationes, aut educata lustris fera suggessit.

Inter hæc, quæ tibi cum glacie aut ardore cesserunt, unam certaminis tui lineam summotenus libet attingere. [2] Ulca fluvius est tutela Gepidarum, quæ vice aggerum munit audaces, et in jugorum morem latus provinciæ quibusdam muris amplectitur, nullo ariete frustrandis. Ad hunc te callis tui rigor adduxit: ubi pro legatis et gratiæ postulatione, obsistendi animo gens diu invicta properavit: cum pene cohortes tuas ante inimicos famis necessitas obsideret. Dic quæso, clementissime domine, quid præter te spei erat residuum in populo arenæ aut sideribus comparando? Instantibus Gepidis, amne, pestilentia, iter quod declinasset fugiens, contra nudatos vagina gladios transvolasti: nullius inscii mersa cœno hæsere vestigia: nullus vitæ prodigus periculum ignarus incurrit. Vincitur humanæ mentis auctoritas prævisione discriminis: labascit fortium conscientia, quotiens formidanda oculis ingeruntur. Stetit ante indomitam juventutem certa de mortibus optio, cum nulla videretur securitas de salute. Quid Catonem extulistis prisca monumenta, quod per Libycas Syrtes duxit exercitum, dum humanas neces ludibria faceret esse serpentum: vel cum sine virtutis pretio educatum cœli vaporibus veneni frigus expertus est? Neminem contigit chelydros ante videre, quam exitium: dum per flamen prodigiosum et corporis fabrica, ut assolent animæ, in auras evolaret. Non cum viri fortis laude perimitur, qui unde venit nescit occasus. Nec illius militis cuneis tuis fortitudo comparanda est; nec par est in duce sapientia. Illum civilis belli furor agitabat; te orbis domina ad status sui reparationem Roma poscebat. Sed quid differo, quod tibi eventus dexter exhibuit? Cesserunt confertissimis hostium tuorum turmis, quos ulterior ripa susceperat. Urgebantur telis, quos vorago aut irruptio non tenebat: A jejunas pectorum crates acta validioribus lacertis lancea transmeabat: cum inter naufragia terrena, et cruoris undas, invictissimus ductor apparuit, tali muniens astantes alloquio: « Qui in hostili acie viam desiderat, me sequatur: non respiciat alterum, qui dimicandi poscit exemplum. Virtus multitudinem non requirit: ad paucos vadunt bella; bellorum fructus ad plurimos. De me æstimabitur exercitus: et in his quæ gessero, gens triumphat. Attollite signa per quæ ne lateam, providetur: noverint quem petant aut cujus jugulis acquiescant. Qui congressu meo occurrerint, nobilitentur exitio. » His dictis, poculum causa poposcit auspicii, et laxatis in prælium habenis, effusus est. Ut torrens sata, ut leo armenta, vastasti: nec concurrens quisquam substitit, nec evadere potuit B insequentem. Portabaris per universa, jam deficientibus telis, adhuc ira crescente. Extemplo Gepidarum versa conditio est: palantes visi sunt mutata sorte victores. Nam tu, venerabilis, qui incomitatus gustum luctaminis arripueras, vallatus millibus incedebas. Cæsa est multitudo adversaria, donec paucos eriperet nox vicina: dum ad vaga horrea copiis urbium referta veniretur: quæ non solum satisfacerent necessitati, sed sublevarent inter deliciarum secunda fastidium. Ita prosperis tuis militavit adversitas: et contra famem tuorum esuries pugnavit hostilis: vicit inediam inimica congressio: nec redisses ad valetudinem, si certamina defuissent. Hæc de innumeris actibus in ordinem digesta sufficiant. Transeo Sarmatas C cum statione migrantes, et plebem conflictuum numeratam sileo de tropæis.

[3] Tibi cnm rectore meo, Odovacar, occurro qui universas contra eum nationes, quasi orbis concussor, exciveras. Tot reges tecum ad bella convenerant, quot sustinere generalitas milites vix valeret: deprehensum est varias esse mentes coacervatæ multitudinis, nec spem victoriæ venire de numero. Adhuc tuorum dextræ de præcedenti tabe titubant: nec peragebat votivos impetus membrorum imbecillitas: sufficit tamen unum velle pro viribus, et indiscretum consilium de inimicis loco roboris attulit ultionem. Non te castra longo munita tempore: non fluminis profunda tenuerunt: datum est hostibus tuis vallum D construere, non tueri. Repente æquora fugacium discursus obnubit, per quæ superandam domesticam tempestatem abeuntibus indixisti: interea acies tuæ aspectu consummant prælia, non labore. Illic tibi fores reseravit felicitas, manifesto detegens, quod qui primore loco cesserant, secunda eos luctamina non manerent. Sed instruxit rursus in deceptione

[1] Schot., *laborabant.*

[2] *Ulca fluvius est Gepidarum*] Theoderici regia hoc tempore, ut Eugippius idem et Marcellinus in Chronico docent, Novensis erat civitas in Mœsia inferiore. Νόβας, Novas appellat Ptolemæus. Inde orsus Italicam expeditionem, Sirmium recta contendit. Eo in tractu qui interjectus est, in Dacia Gepidæ Gundaritho rege habitabant: quos iter impedire ausos Theodericus ad Ulcam fluvium profligavit.

[3] *Tibi Odovacar occurro*] Prima Theoderici cum Odoacre congressio ad Sontium Venetæ provinciæ fluvium facta, Probino et Eusebio coss. anno Christi 489, in qua Odoacer, ut Cassiodorus in Chronico notat, cum suis omnibus fugatus est. Flumen ergo cujus meminit Ennodius, est Sontius, sive ut in Cassiodori Chronico scriptum est, Isontius. Sed Sontius item est Jornandi, et Cassiodoro ipsi lib. I Variar., 18, verbis Theoderici, *Ex quo*, ait, *Deo propitio Sontii fluenta transmisimus, ubi primum Italiæ nos suscepit imperium.*

sui mens vaga conflictum:[1] dum apud Veronam tuam apparatum nubeli laxis manibus pugna instruebatur impendiis. Nihil fortius adversariis tuis ante aciem: sed cum belli cecinerunt classica, nihil infirmius: maxima in luctaminis promissione virtus, et si sufficeret lingua pro dexteris, copia summa verborum. Electus est locorum situs, non tam congressui utilis, quam pavori: providentes ne ascriberetur casui prima etiam discessio perfugarum, et tamen reipublicæ candida fortuna perurgebat, ne cœpto desisteres. Itineris tui permensus intervalla, conspexisti ignes hostium astrorum more rutilantes: ut si aliquando tibi fuissent nota formido, in abruptum te pendere didicisses. Nunquam animi tui status, aut secundarum rerum tumore elatus est, aut dubiis acquievit. Instabat certandi dies multis tenebras allatura. Cum primum aurora bigis in croceis ortum jubaris indicavit; cum de oceani lymphis solis flamma surrexit: jam raucum buccinæ concinebant, jam te sui oblitus quærebat exercitus. Qui dum munimentis chalybis pectus includeres, dum ocreis armarere, dum lateri tuo vindex libertatis gladius aptaretur, sanctam matrem et venerabilem sororem, quæ ad te diligentiæ causa convenerant; dum inter spem et metum feminea sollicitudo penderet, dum de eventu attonitæ vultus tui sidere pascerentur, talibus alloquiis confirmasti: « Scis, genitrix, partus tui honore universis nota nationibus, quod natalis mei tempore virum fecunda genuisti: dies est, quo filii tui sexum campus annuntiet: telis agendum est, ut avorum per me decora non pereant: sine causa parentum titulis nitimur, nisi propriis adjuvemur. Stat ante oculos meos genitor, de quo nunquam fecit in certanime fortuna ludibrium: qui dextros sibi ipse peperit valetudine exigente successus: hoc oportet duce contendi, qui omnia incerta non timuit, sed ipse sibi secunda conscivit. Vos tamen elaboratas vestes, et liciorum tormenta devehite: cultiorem me acies suscipiat, quam festa consuerunt: qui me de impetu non cognoverit, æstimet de nitore. Invitet cupidorum oculos honor indumenti: pretiosior species feriendos exhibeat: habeat laboris solatium, cui jugulum meum fortuna præstiterit: inhient jacenti splendori, quos non contigerit videre pugnantem. » His dictis, excepit te tergo sonipes, lituorum desideriis inquietus. Sed dum indulsisti affatibus, inimica legiones tuæ premebantur instantia. Dedisti inertibus fiduciam, dum moraris: et hoc credo provisione cœlicolum, ne deberetur multitudini, quod vicisti. Protinus adventum tuum indicavit hostibus populus occisorum: exsecutorem prodidit cædis enormitas. Sed nec illis remedia defuere consueta. Continuo alas quas tribuit formido, sumpserunt: cursu præpeti interitum mortis eligentes. Qui me veritati nescit obsecutum, Athesis undas videat tua vice opulentas exstitisse cadaveribus: et dum tumefaceres gurgites de cruore, in parte alia sistebatur impetus fluentorum. Itaque ne ensibus non sufficeres, pro te et lympha militavit. Salve fluviorum splendidissime, qui ex majore parte sordes Italiæ deluisti, mundi fæcem suscipiens sine dispendio puritatis. Ecce ille tectus armatis campus enituit humanorum ossium candore nobilissimus; habemus, quotiens vetusti doloris urgemur memoria, quod tueri. Scenam pulcherrimam servet terra. Sublimes tandiu maneat quod passi sunt, quandiu deleat oblivio quod fecerunt. O utinam voracibus abripere aliquid bestiis non liceret! Perit desiderabili spectaculo, quod acquisiverint furta belluarum.

Illic vellem ut ætatis immemor, Roma, commeares. Si venires lapsantibus tremebunda vestigiis, ævum gaudia commutarent. Quid semper delubris immersa concluderis? Hic actum est, ut plures habeas consules, quam ante videris candidatos. Agnosce clementiam domini tui: saporem te voluit haurire triumphorum, quam dubia elegit nescire certaminum.

Ecce iterum ad deditionem sibi cognitam hostium letho debita pars cucurrit: et cum excessissent occumbentes numerum, ad servitium tamen armis instructa radiantibus agmina convenerunt. Flexus est animus tuus pronus semper ad veniam. Credidisti quod fidem assuescerent magisteria necessitatis, quam nunquam exhibuerant studio conciliante principibus. Servavit te, regum præcipue, quod abjecisti sacramenti confidentia cautionem. Pependimus anxii ne mererentur, quos de hostibus tuis receperas, non perire. Gratias tibi, mundi arbiter Deus, qui conscientias veterno errore possessas ad ultores gladios impulisti. Puderet me recensere levitatem originariam, nisi eam viderem tuis laudibus obsequentem. Quid dissimulo gesta persequi? Libuit eos rursus tendenti inermem dexteram[2] Odovacri regna polliceri. Innotuit illico rebus in luce deprehensis hostilium error animorum. Advocasti providentiam actuum tuorum comitem: et ne impunita esset libido discurrentium, ultionis vexilla concutiens, fecisti consiliorum participem in secretis populum jam probatum. Neminem adversarium agnovisse contigit, quod tecum pars mundi potior disponebat. Mandata est per regiones disjunctissimas nex votiva. Quis hæc præter supernam voluntatem præstitit, et unius ictu temporis effunderetur Romani nominis clades longa temporum improbitate collecta? Hic quo me vertam nescio. Gradum referam, qui suscepi officium laudatoris; an arreptum præconiorum tuorum iter ingrediar? Consumpta res est prospero fatalique bello: succisa est Odovacris præsumptio, postquam eum contigit de fallacia non juvari. Quid Herulorum agmina fusa commemorem? Qui ideo adversus te deducti sunt, ut hic agnoscerent, [etiam in propriis sedibus quem timerent: egit causas longæ quietis tuæ furor alienus.

[1] *Dum apud Veronam*] *Eodem anno*, inquit Cassiodorus, *repetito conflictu vincitur Odovacer*. Jornandes: *Quem ille* Odoacrem Theodericus, *ad campos Veronenses occurrens magna strage delevit*.

[2] *Odovacri regna polliceri*] Tusa duce atque auctore: qui cum deditítio exercitu ad Odoacris partes iterum defecit: unde secuta est obsidio Ticinensis, quo se Theodericus receperat: ut est in Vita Epiphanii.

Taceo ubi [1] tibi injuncta est pax diuturna, Burgundio : quando sic fœderibus obsecutus es, ut deputetur, quod vivis feriatus, constantiæ, non pavori. Illud quoque quis patiatur notitiæ perire, quod bono felicitatis tuæ concurrentia inter se vidimus tela perfidorum, et inimicas acies te occupatum in aliis pia congressione cecidisse? Quotiens tibi vicit qui contra te sumpserat vota pugnandi? [2] Dicat Fridericus, qui postquam fidem læsit, hostes tuos interitu comitatus est; contra illos arma concutiens, quibus fuerat errore sociatus; quando nata est inter sceleratos de hoc quod intelligebant se unum velle discordia. Adsit Divinitas, et beneficia sua in ævum producat : qua disponente votiva inter reos evenere litigia. Nam Fridericus, postquam tibi de adversariis tuis peregit triumphum, de se præbuit.

Trahit me ad aliam partem venerabilium pars magna meritorum. Video inspiratum decorem urbium cineribus evenisse, et sub civilitatis plenitudine [3] palatina ubique tecta rutilare. Video ante perfecta ædificia, quam me contigisset, disposita. Illa ipsa mater civitatum Roma juvenescit, marcida senectutis membra resecando. Date veniam, Lupercalis genii sacra rudimenta : plus est occasum repellere, quam dedisse principia. Huc accedit, quod coronam curiæ innumero flore velasti. Nullum de honoribus tetigit desperatio, quem juverunt deprecantem bona conscientiæ : nescit de effectu petitionis dubitare, qui splendidis inops meritis non rogavit. Aut boni sumus proposito nostro, aut tuo informamur exemplo. Creverunt reipublicæ opes cum privatorum profectibus : nusquam in aula tua ambitus et opum ubique diffusio est : nemo indonatus abscedit, et nullus incommoda proscriptionis ingemiscit. Legationibus tuis inest vigor immortalis; mandatorum ordinem digeris, priusquam legatos aspicias : nec replicationibus tuis reperiuntur contraria; nec objectionibus facilis occurrit resolutio. Excubat pro armis opinio principalis : otia nostra magni regis sollicitudo custodit : nec tamen
A desistis castella propagare, curas tuas in longum producens : nec viri fortis in te deest securitas, nec cautela metuentis. O geminam in uno principe virtutum plenitudinem! quæ Dominum resignat auctorem : quia non habet inter homines, a quo videatur sumpsisse quod exhibet.

Sed ecce rursus post quietem solidam ad acies verba revocamus : iterum ad se tuba vocat eloquium. [4] Sirmiensium civitas olim limes Italiæ fuit : in qua seniores domini excubabant, ne coacervata illinc finitimarum vulnera gentium in Romanum corpus excurrerent. Hæc postea per regentium neglectum in Gepidarum jura concessit : hinc quotidiana insultatio, et incomposita legationum frequentia mittebatur.
B Urebant animum principis dolosi blandimenta commenti; et circa alios Gepidas quorum ductor est Gunderith, intempestiva Traserici familiaritas. Credebas in tua injuria perire, quia diu licebat Italiæ possessionem te dominante retineri. Nec sufficiebat consolatio, quod eam tu non perdideras : cum immensus esset dolor, cur illam retentator non inter dominationis tuæ exordia reddidisset : minui æstimas quod non crescit imperium. Postquam tamen liquido Traserici patuere commenta, Gothorum nobilissimos Pitzia, Herduic, et pubem nullis adhuc dedicatam præliis destinasti : ut si oblatis pactionibus acquiesceret, semel invaso locorum potiretur arbitrio. Sed usus inconstantis felicitati tuæ obsecutus est : fugit sponte aliena, et sine impulsu exercitus tui deseruit
C quod debebat. Continuo Pitzia, qui et de te eventus utiles sumpserat, et consiliorum momenta librabat, non acquisitam esse terram credidit, sed refusam : nec rapinis ut lucrativa populatus est; sed dispensationibus servavit ut propria. Quibus ibi ordinationem moderantibus, [5] per fœderati Mundonis attrectationem Græcia est professa discordiam, secum Bulgares suos in tutela deducendo; quibus inter Martios conflictus castelli vice usa minitatur. Tunc Mundo credens ad præsidium sufficere, si cohortes tuæ quid

[1] *Tibi pax diuturna Burgundio*] Pacem intelligit cum Burgundionum rege Gundobado ictam, atque Ostrogothæ Theoderici filiæ cum Sigismundo Gundobadi filio nuptiis copulatam, de qua rex ipse Burgundio ad Epiphanium episcopum Theoderici legatum : *Concedat tamen divinitatis assensus, ut solidatum inter nos fœdus longa ætate servetur.*

[2] *Dicat Fridericus*] Fæbani Rugorum regis filius. Is pro Theodorico primum hoc bello militarat : postea fidem fregit, et hostibus sociatus est. Tum orta inter hostes ipsos discordia, collatis signis, Fridericus victus est. Ita qui Theoderico triumphum de adversariis suis ante pepererat, de se ipso iisdem præbuit, quando ab eis prostratus est.

[3] *Palatina ubique tecta*] Cassiodorus Patricio et Hypatio coss. de Theoderico : *Sub cujus felici imperio plurimæ renovantur urbes, munitissima castella conduntur, consurgunt admiranda palatia, magnisque ejus operibus antiqua miracula superantur.* Idem inter cæteras ejus fabricas formam laudat Ravennatem instauratam.

[4] *Sirmiensium civitas*] Sirmium caput Pannoniæ inferioris, quæ proinde Sirmiensis Pannonia dicitur lib. III Variar., 23. In ea regnabat hoc tempore Trasaricus rex Gepidarum. Quem Theodericus propter occultam, ut Ennodio placet, cum aliis Gepidis, quibus Gundarithus præerat, conspirationem, per Pitziam comitem devicit, et Sirmium Italiæ regno restituit, Cethego consule, ut Cassiodori notat Chronicum, anno Christi 504. Jornandes de Rebus Geti-
D cis : *Suum comitem inter primos electum ad obtinendam Sirmiensem direxit civitatem. Quam ille expulso rege ejus Trasarico filio Trastilæ, retenta ejus matre obtinuit.* De hac ipsa expeditione et sequenti, Athalaricus lib. VIII Variar., 10. Pitziæ vero comitis celebratæ opinionis viri meminit Theodericus lib. V, epist. 29.

[5] *Per fæderati Muudonis attrectationem*] Hoc est, Mundonem aggressa, qui fœdere junctus erat Theoderico. Mundoni igitur, qui collecta latronum et abactorum manu, Hertaque munitione ad Danubium occupata, illinc agresti ritu circumquaque prædas agens impetitabat, cum illum oppugnare adjunctis sibi Bulgaribus aggressus esset Sabinianus, militum per Illyricum magister Anastasii Aug. jam pene desperato, ac deditionem meditanti opem tulit Pitzia, Sabinianique copiis ingenti strage ad Margum deletis, Mundonem eripuit, ac Theoderico regi volentem subjecit, Sabiniano ipso ac Theodoro coss. anno 505, ut fusius narrant Marcellinus comes, et Jornandes in Rebus Geticis.

pateretur agnoscerent, pernicibus nuntiis periculi fidem commisit : qui ante defensoris inire pro partibus suis conspexit certamina, quam moliri didicisset : tamen eminus Pitzia indomitam Bulgarum juventutem speculatus est, ardentes adolescentium impetus potioribus verborum armavit incendiis : « Meministis, socii, cujus ad hæc loca commeastis imperio : nemo absentes credat regis nostri oculos, pro cujus fama dimicandum est : si cœlum lancearum imber obtexeret, qui fortius telum jaceret, non lateret. Ferro pectora immergite, ut veniat de horrore vitæ spes manifesta victoriæ. Credo regii testem roboris jam defunctum; nec superesse qui illis quem habeamus dominum, consueverat indicare : aut forte gentem nostram dedignantur æstimare de principe. Intelligant ab eo fluxisse quod gerimus : nec liceat illis, quod rector noster transmisit ad originem, uni tantum debere personæ. » Hæc eloquia lituis commutavit : continuo ut assolet ater nimbus tectis crepitantibus procellarum mugire discursum : sic se præcipitem plebs Martis immiscuit. Incerta diu conflictus lance titubavit : dum par ex utroque latere pugnandi surrexisset asperitas. Concurrebant duæ nationes, quibus nunquam inter gladios fuga subvenerat : miratæ sunt mutuo sui similes inveniri, et in humano genere vel Gothus resistentem audere, vel Bulgares. Interea dum anceps esset fortuna certaminis, et pennatæ mortes sibi æthera vindicarent, superavit nostri memoria principis, dum agerent, ut singulorum apud eum merita campus assereret. Versa est in fugam natio punita gravius, quod evasit : tellus excita tremuit concussione cornipedum : cum ingenti lamentatione properabant, postquam viderunt non esse se dubios de salute. Cœli arbiter Deus, munera collata multiplica. Illi nunquam dubii de triumphis : illi quos suspexit universitas, perditis bellorum signis, et perculsi incolumitate discedunt ; terque beatos esse clamitantes, quos oppetere contigisset. Quid strages militum revolvam, et Sabiniani ducis abitionem turpissimam? cum a ratione dividatur, retexere exterminatis patrociniis quid evenerit indefenso. Tunc ne videretur celebrandus sæculis Pitzia non tam militasse gloriæ quam cupiditati, liquit feris aut avibus campi laborem, cum jejunum militem opulentis detrahere cadaveribus nihil juberet. Sed hæc quibus linguis sufficienter explicanda sunt? qua poterunt facundiæ dote reserari? Diu tu vicisti in universis congressibus tuis, nunc incipiens in obsequio habere victores. Interea ad limitem suum Romana regna A remearunt : dicta more veterum præcepta Sirmiensibus : de suis per vicinitatem tuam dubitant, qui hactenus nostra tenuerunt.

Quid [1] castigatas Vandalorum ventis parentibus eloquar deprædationes, quibus pro annua pensione satis est amicitia tua? Evagari ultra possibilitatem nesciunt, duce sapientia : [2] affines esse meruerunt, quia obedire non abnuunt.

Hæc de gestorum tuorum cumulis, major voto quam eloquentia, strictim digesta replicavi, melioribus intacta derelinquens. Videro quis me vincat facundia, nemo circa te transcendere valebit affectu. Habes hanc, Deo inspirante, mansuetudinem, ut te plus credas posse diligentia quam timore. Excellentia bona sunt gloriæ tuæ inserta monumentis, ut cum te reges B metuant, famuli ament : nam quæcunque tibi, metitis subjectorum viribus, dari imperas, credis posse denegari. O regem omni tranquillitate compositum, qui devotioni nostræ imputat, quod impendimus servituti!

Quid quod a te [3] Alamanniæ generalitas intra Italiæ terminos sine detrimento Romanæ possessionis inclusa est? cui evenit habere regem, postquam meruit perdidisse. Facta est Latiaris custos imperii semper nostrorum populatione grassata. Cui feliciter cessit fugisse patriam suam : nam sic adepta est soli nostri opulentiam. Acquisistis quæ noverit ligonibus tellus acquiescere, quamvis non contigerit damna nescire. Sub te vidimus eventus optimos de adversitate C generari; et fieri secundorum matrem, occasionem periculi. Ulvis liberata gratulatur, terram incolens quæ hactenus dehiscentibus domiciliis solidiori [4] chænicem mergebat beneficio.

Par fuit etiam, ut eloquentiam laudis præmiis incitares; ne adoreas tuas silentio perderemus. Nullarum artium cessat industria : solers ubicunque latet inquiritur : magistratum, etiam si longe deguerit, exiget qui meretur : nunquam absconditur, quem prodiderit innocentia : dum subtilis arbiter non placaris voce, sed actibus. Parentum nostrorum qui occubuerunt, apud te bene acta servantur : cujus mansuetudini tuæ fides innotuerit, hæreditatis jure quod auctori debueris, soboli mox refundes. Habemus de majorum obsequiis fructum; et tamen de ex- D cessibus supplicia non timemus. Finitur indignatio moderata cum homine; cum propter retributionem quærat tua pietas successorem. Restant adhuc multa quæ dicerem; sed inter plures actuum tuorum præcones convenit illibatum aliquid reservari. Debent

[1] *Castigatas Vandalorum deprædationes*] Cassiodorus Olybrio Jun. cos. : *Tum etiam Vandali, pace suppliciter postulata, a Siciliæ deprædatione cessarunt.* Antea enim per Siciliam et Italiæ omnes oras, quo ventus impulerat, continuo prædabantur.

[2] *Affines esse meruerunt*] Per Amalafredam Theoderici sororem, quæ Thrasamundo regi nupsit. Jornandes: *Et ut ad plenum progeniem suam dilataret, Amalafredam germanam suam, matrem Theodabati qui postea rex fuit, in Africam regi Vandalorum conjugem dirigit Thrasemundo.*

[3] *Alamanniæ generalitas intra Italiæ terminos*] Alamanni Suevis in Germania finitimi, cum a Clodovæo rege nostro subacti fuissent, rege amisso, ad Theodericum confugerunt. Sic enim apud Cassiodorum scribit Theodericus ipse Clodovæo lib. II, epist. 41 : *Alamannicos populos, causis fortioribus inclinatos, victrici subdidistis. Sed motus vestros in fessas reliquias temperate: quia jure gratiæ merentur evadere, quos ad parentum vestrorum defensionem respicitis confugisse. Estote illis remissi, qui nostris finibus celantur exterriti.* His ergo profligati Alamannorum exercitus reliquiis sedes in Italia datas a Theoderico, docet Ennodius.

[4] *Chænicem*] Unus, *Scheniem* : ex aliorum vestigiis Chænicem collegimus.

tibi veneranda studia, quod loquuntur. Amaverunt A præcessores tui inscitiam, quia nunquam laudanda gesserunt. Sordebat inter aratra facundissimus, et quod peritia dederat, vis negabat : muto mœrebant auctore tribunalia; nec ulla concedebatur palma dicenti. In casum negotiorum nutabat eventus, quando litteris genius non dabatur : unus ubique ingenia mœror oppresserat; quia atterebant otia eloquentium facultates : pompam seniorum edax negligentia possidebat; nec accendebatur tiro æmulatione sectanda. Vide divitias sæculi tui : tunc vix fora habuere perfectos : nunc Ecclesia dirigit laudatorem.

Eat nunc, et cothurnatis relationibus Alexandrum jactet antiquitas, cui famæ opulentiam peperit dos loquentium; ut per adjutricem facundiam videatur crescere rebus mendica laudatio. Regis nostri merita solatium non postulant asserentis : minora sunt ejus veris actibus, quamvis aucta sint veterum gesta mendaciis. Simulastis, poetæ, grandia; sed fateri vos convenit præsentem dominum gessisse potiora. Pellæus ductor præconiorum suorum summam Chœrili voluit constare beneficio : ne fallendi votum multitudo deprehenderet; et fieret testis impudentiæ, qui adsciscebatur in astipulatione victoriæ. Nihil detraho senioribus, quos præcipuos habuisset antiquitas, nisi Romani nominis erectio te dedisset. Illum veræ religionis ignarum obtinuit erroris mater inscitia : te summi Dei cultorem ab ipso lucis lumine instructio vitalis instituit. Nunquam applicas laboribus tuis, quod eventus dexter obtulerit. Scis in te curam penes Deum perfectionis esse substantiam : agis ut prospera merearis adipisci : sed potius universa ascribis auctori ; exhibes robore, vigilantia, prosperitate principem, mansuetudine sacerdotem. Quid frustra majores nostri divos et pontifices vocarunt, quibus sceptra collata sunt? Singulare est, actibus implere sanctissimum, et veneranda nomina non habere. Rex meus sit jure Alamannicus; dicatur alienus. Ut divus vitam agat ex fructu conscientiæ : nec requirat pomposæ vocabula nuda jactantiæ, in cujus moribus veritati militant blandimenta majorum.

Vellem, fateor, ad orationis terminum, victus gestorum tuorum enormitate, descendere, et novellas adoreas hebetatus priscorum luce transire. Quemadmodum si ætherii axis in numerum redigere ornamenta voluissem, et Trionum fulgure comprehenso, cœli decorem impotenti lingua describerem, cederet divino splendori mortalis obscuritas; jubaris lampadi non sufficeret humilium scintilla sermonum : hæc me conditio resignat imparem, quæ testata est obsequentem.

Nam illud quo ore celebrandum est, quod Getici instrumenta roboris, dum provides ne interpellentur otia nostra, custodis; et pubem indomitam sub oculis tuis inter bona tranquillitatis facis bella proludere? Adhuc manent in soliditate virium victricia agmina, et alia jam creverunt : durantur lacerti missilibus, et implent actionem fortium, dum jocantur : agitur vice spectaculi, quod sequenti tempore poterit satis esse virtuti. Dum amentis puerilibus hastilia lenta torquentur : dum arcus quotidianæ capitum neces dirigunt. Urbis omne pomerium simulacro congressionis atteritur : agit figura certaminum, ne cum periculo vero nascantur. Ad hæc quis credat unum pectus posse sufficere, ut per procinctus indomitos vincat in præliis, et agat consilio, ne dimicandi causa contingat? Rutilium et Manlium comperimus gladiatorium conflictum magistrante populis providentia contulisse, ut inter theatrales caveas plebs diuturna pace possessa, quid in acie gereretur, agnosceret. Sed tunc feriatis manibus frustra sociæ mortes ingerebantur B aspectui. Nunquam bona sunt, quæ a crudelitate veniunt instituta : ut armarentur contra inimicos animi, prius videre exitia suorum. Interea illa congressio (quod docuit exitus) non tam peperit incrementa robori quam pavori : inter secundas res didicit imbellium animus, quid timeret. Vide adinventionum diversitates pleno calle distantes : illis vera cruoris effusio animos a dimicatione submovit : hic adolescentium vigor de imagine mentitæ concertationis incanduit : quos præcox ætas tot mortes adversariorum repositas docuit habere, quot spicula : [1] non per exoticos discursus assueti pharetrarum dispendia negligenter effundere ; nec in auras exitia manifesta torquere, tot exacturi animas, quot tela vibraverint.

C Sed inter præliares forte successus, quibus omnes instruis, et concilias omina fecunda vincendi, civilitatis dulcedini nil reservas. Quis credat heroas tuos peregrinam non respuere, dum sint tranquilla, formidinem? Nam indomita inter acies ingenia lex coercet : submittunt præceptis colla post laureas; et calcatis hostium cuneis, quibus arma cesserint, decreta dominantur. Solus es meritis et natura compositus, cujus magnanimi jussa sectentur. Origo te quidem dedit dominum, sed virtus asseruit. Sceptra tibi conciliavit splendor generis : cujus si deessent insignia, eligi te in principem mens fecisset.

Sed nec formæ tuæ decus inter postrema numerandum est, quando regii vultus purpura ostrum dignitatis irradiat. Exhibete, Seres, indumenta, pre-D tioso murice quæ fucatis, et non uno aheno bibentia nobilitatem tegmina prorogate : discoloribus gemmis sertum taxatur; et quem vehementior vipera custodit, lapis adveniat. Quæcunque ornamenta mundo obsequente transmissa fuerint, decorata venerandi genio corporis plus lucebunt. Statuta est, quæ resignet prolixitate regnantem : nix genarum habet concordiam cum rubore : vernant lumina serenitate continua : dignæ manus quæ exitia rebellibus tribuant, honorum vota subjectis. Nullus intempestive positum jactet : quia quod agunt in aliis dominis diademata, hoc in rege meo operata est, Deo fabricante, natura. Illos faciunt tot divitiarum adjumenta con-

[1] *Non per exoticos*] Libri omnes, *non te rexoticus,* ex quo germanam, ut reor, lectionem eruimus.

spicuos : sed hunc edidit simplex, et indemutabilis figura meliorem. Quid cultu laborent, qui cupiunt peregrinam obtinere pulchritudinem? Italiæ rector in amicitiam colligit duo diversissima ; ut sit in ira sine comparatione fulmineus, in lætitia sine nube formosus. Feriato ore legatis gentium, aut pacem blanda promittit effigies, aut bella terribilis. Tantis constans insignibus, quanta facerent viritim distributa perfectos. Sed utinam aurei bona sæculi purpuratum ex te germen amplificet! utinam hæres regni in tuis sinibus ludat! ut hæc quæ tibi offerimus verborum libamina, sacer parvulus a nobis exigat similium attestatione gaudiorum. Ecce satisfaciens debito et obsecutus officio, orationem meam oratione conclusi.

OPUSCULUM SECUNDUM.

Libellus adversus eos qui [1] contra synodum scribere præsumpserunt.

PRÆFATIO.

Solet dicendi affectum rerum ardor exigere : si avarus laudis est animus et favorem desiderat sudore mercari; et per blandimenta gloriæ crucem narrantis ignorat: aut lucri compedibus, linguæ vendit obsequium, ut dum animus habendi cupidine subjugatus præsumptum æstimat jam tenere compendium, sic ingruentia per styli exercitium nescit timere discrimina : aut necessitate conclusus, profert eloquium sine quacunque lima captivum, et nesciam pudoris frontem monstrat in medium, ut dum intentioni famulatur, diligentiam decoris abjuret : quia dicendi ornamenta non sunt negotii, sed quietis ; nec militiæ sunt picta verba, sed otii : campus fortem postulat, pax profunda redimitum : qui profutura asserit, loquelam quæ penniculo artis est colorata, contemnit. His ergo ita se habentibus, causam narrationis insinuo, et coactam vocem pravorum latratu religiosis mentibus commendo : scriptum esse reminiscens, *Tempus tacendi, tempus loquendi* (*Eccli.* III, 8) : vel post fidem prophetici oraculi [2] cujusdam oratoris exemplum, qui refert, nisi cum necessariam, dicendi nimis ineptam esse conditionem. Oris ergo ministerium pro ingenii valitudine sacerdotibus dedo, adversus quos sibilantium effusa sunt venena linguarum : licet scuto munita fidei spiculorum imbrem patientia religiosa non timeat, et ad auctorem redeant tela quæ sine bellandi arte diriguntur. Quibus enim pro lorica Christus est, vim non metuunt, et inimicos longa exspectatione prosternunt. Quisquamne tamen in hac acie prælium putet esse formidini, in qua Deo et pontificibus infertur sine virium æstimatione certamen? quisquamne fluxum et lacessentem hostem videat, et præliorum causis adversarium debilem expavescat? Invidet sibi ipse victoriam, qui conscientia vulneratum aggredi cessat inimicum. Ad lucrum hostis sui procedit, qui in conflictibus non prius causas, quam aliud expendit : dat vires jaculis innocentia, et mucronem acuunt ex æquo venientia vota bellandi : percutiendi impetum plus justum dolorem scimus dedisse quam brachia. Inde paucorum telis multitudo non substitit. Dicente ergo mecum propheta : *Plures nobiscum sunt, quam cum illis* (*IV Reg.* VI, 16) ; placiturum bonis, quantum æstimo, opus incipiam.

Sufficeret quidem schismaticam imperitiam propositione cecidisse : maxime cum secum habeant objecta responsum, et mereatur titulus sine lectionis discussione cum auctore damnari : cum in prænotatione ipsa significantia operis innotescat immundi, dicentium ADVERSUS SYNODUM ABSOLUTIONIS INCONGRUÆ. Ego tamen nunc si agam, quasi opus sit alieno esse perire mala proponentem. Istud præloquium potest, dementissimi hominum, tantum inscientiæ ascribi? Estne aliquis præter vos, sic inter oves ulcerosas deputandus et erraticas, qui magnum regem potuisset lacessere pastorum? dicente propheta : *Filios nutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isai.* I, 2) : et Domino de apostolis, *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16) : quos episcopos fuisse propheta testatur, de Juda dicendo : *Et episcopatum ejus accipiat alter* (*Psal.* CVIII, 8). Apostolo æque Paulo proclamante, *Obedite præpositis vestris, quoniam ipsi exorabunt pro vobis* (*Hebr.* XIII, 17).

Sed redeamus ad gravem et venerabilem non solum [3] ex ala productam, sed mysticam propositionem. « Non omnes, inquiunt, sacerdotes regis ad conci-

[1] *Contra synodum scribere præsumpserunt*] Synodus quam hoc libello defendit Ennodius ea est quæ inter Romanas Symmachi papæ quarta numerari debet, X cal. Novembris Rufio Magno Fausto Avieno v. c. consule peracta, quæ et palmaris cognominata est. In qua cum absolutus fuisset Symmachus a criminibus quibus impetebatur ab adversariis, reperti sunt inter schismaticos, qui contra illam scribere auderent, titulumque operi suo indere, ADVERSUM SYNODUM ABSOLUTIONIS INCONGRUÆ. Quibus Ennodius, ex synodi mandato atque auctoritate, hoc Apologetico respondit, et singula eorum argumenta refellens, universam Symmachi synodique causam diligenter accurateque tutatus est. Quo nomine adeo episcopis omnibus probatus est liber, ut eum synodus altera quæ post consulatum Avieni habita est, suffragio suo confirmarit, atque inter quartam et quintam synodos Symmachianas collocari, decretique vim obtinere jusserit. Hodie tamen perperam post synodum Avieno juniore coactam ponitur libellus Ennodii, cum alteri quæ Fausto Avieno, ut dixi, consule habita est, subjici debeat. Hæc enim, non illa, synodus fuit absolutionis, et quarta, et palmaris, a Symmachi æmulis oppugnata, ab Ennodio defensa.

[2] *Cujusdam oratoris*] Ciceronis dialogo 1 de Oratore, ubi Crassum sic loquentem inducit : *Nam quid est ineptius quam de dicendo dicere, cum id ipsum dicere nunquam sit non ineptum, nisi cum est necessarium?*

[3] *Ex ala productam*] Sic libri omnes, quo sensu,

lium adscivit auctoritas : [1] nec omnes in judicatione senserunt. » Mancipia Tartari, et liquido Satanæ ministri, quoscunque non evocavit scriptum principis, novis nexibus, et actuum vestrorum spiris causa pertraxit. Nolo dicere in quo fuerint voto, in qua deliberatione discedentes : quibus tædium illa peperit exspectatio, cum viderent venerabilem papam longas in vita contra fas suum inducias accepisse. Videbant æther tantum directis a se jaculis verberari. His ne liceret infelicibus in malorum actuum consolatione secreto delitescere, libris vestris nudantur absconditi, et per vos in turpi facto habere solitudinem non sinuntur; dicente Domino in Evangeliis: *Omnis malus odit lucem* (*Joan.* III, 20).

« Post hæc asseritis, [2] adversarios papæ Romani dici non debuisse, qui prædictum prolatis petitionibus accusabant. » [3] Dolose videlicet hoc agentes, eo quod adversarios suspectosque, canonica synodalibus clamante in decretis auctoritate, in suam recipi accusationem episcopos minime oportuisse, vos non laluisset: « ad assertionis fidem jungentes, quod eos isto nomine præcepta regia non vocassent. » O homines omni artis lima compositos, et caminis fabrilibus excoctos, qui ad stipulationem dictorum desudata invenere testimonia! Amamus, reverendi viri, sententiam vestram, et ut aiunt, in ipsam pedibus imus : cognoscimus errata, quæ dicitis. Inimicum vocet aliquis accusantem, et tragico nomine appellet contumeliam non merentem? Dehinc subjunctam quæstionem rhetorica fibula momordistis, allegando : « Testis est Romana civitas, si omnes episcopi senes et debiles convenerunt. » Ecce orationem viri nervis nitentem, et [4] ipsi Cepasio præferendam nitore sermonum. Ergo quia se ætate valentes et corpore imbecilles esse dixerunt, ipsi se ineptos judicio esse testantur, quoniam membrorum se dixerunt jam sustinere dispendia : maxime si hoc ingerere clementissimi domini auribus præsumpserunt. Vos putatis, ab universis Dei conspectibus pulsi, illo vestrorum more congressum ubique narranda confundi, et apud principem de collectione pontificum alios protulisse sermonem, nisi quos ætatis maturitas ordiendæ loquelæ fecit auctores; quibus anni veteres re-

A verentiam contulerunt, qui putabantur bonorum meritorum suffragio in longum fuisse servati : ipsos ergo de gravidæ ætatis fatigationibus queri decuit, quos ætas jusserat allegare. « Viri optimi, subdidistis, ex præceptis regiis evocationis causam fuisse jam cognitam, et Italiæ summa moderantem non fuisse, quasi de novo negotio consulendum : plus chartæ et scriptioni religionis debitum, quam præsentiæ principali. » Nullus ergo in prædicto negotio titulus remanserat, ad cujus inquisitionem pergentes illud jure præloquerentur exordium. « Ex hinc digressi bonarum rerum in rege laudatis affectum, et colitis verbis innocentiam, quam actibus ignoratis. » Si tamen cultus est in loquela vestra : quam scabro vomere, velut agentes per devium aratra, proscin-
B ditis, marcenti solo lolia commendantes, recepturi pro tali impendio paleas, quibus gehennæ in perniciem vestram ignis animetur.

Sed nunc, ut quidam fertur dixisse, *quæ quibus anteferam*? « Contra Apostolum dicitis impugnatores summi pontificis non auditos, qui cœlestis mandati memores partem suam [6] a consortio adulteri subduxerunt. » Hic non incesso ignorantiam : rimosam memoriam non accuso. Nolo dicere quod prophetæ verba Apostolo contulistis ; qui novi et ipsos apostolos recte vocitari, quos missos esse non nescio. David enim dicit : *Furem videbas et currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* XLIX, 18).
C « Deinde quis se de illa vestra enodem faciat quæstione, qua dicitis : In criminibus objectis, quod non excluditur, approbatur? » En vocem Romanæ Ecclesiæ militibus congruentem, in qua nescias utrum prius nitorem prædices, an saporem. Putasne, audistis legi : *Quod justum est, juste exsequeris* (*Deut.* XVI, 20)? Audistis de malefactis hominum, si tamen aliquando conversatio humana vos tenuit, quidquid non suis ordinibus approbatur, excludi? Ubi est illud prophetæ : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui* (*Isai.* III, 14). Et de vobis dictum : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt: væ animabus eorum* (*Ibid.*, 9)? Sed quid facto opus est, quotiens nulla desperatis medela succurrit, nisi implorandus es

non apparet. Sed allusit Ennodius ad locum alterum Ciceronis in Pisonem : *Confer nunc, Epicure noster, ex hara producte, non ex schola.* Quare legendum censeo *ex hara productam.* Non solum, inquit, non ex hara productam, sed mysticam et divinam. Dictum ironice, et *non solum* positum pro *non modo non* : ut alias sæpe.

[1] *Nec omnes in judicatione senserunt*] Quia nonnulli episcopi moræ tædio, post primum aut secundum synodi conventum ab Urbe discesserant.

[2] *Adversarios dici non debuisse*] Male habebat schismaticos, quod Theodericus Symmachi accusatores, tanquam adversarios, e judicum numero repulerat. Infra : *In electione enim venerandorum judicum ipse accusantes extra ordinem repulit, et ad spem retulit accusatum.*

[3] *Dolose videlicet*] Hanc periodum, tametsi necessariam, nec ignotam Surianæ editioni conciliorum, nusquam in manuscriptis offendi, præterquam in codice bibliothecæ Tilianæ.

[4] *Ipsi Cepasio præferendam*] Et hoc etiam est Ciceronianum, atque ironicum. Cepasii enim duo fratres fuerunt, oratores deterrimi atque ineptissimi :
D quorum alterius, hoc est majoris Cepasii, verba quædam profert ac deridet Cicero in oratione pro Cluentio.

[5] Virg. IV Æneid., vers. 371.

[6] *A consortio adulteri*] Symmachi. Satis aperte declarat quodnam crimen fuerit, cujus insimulabatur ab adversariis. Sed et in Præcepto de Cellulanis eodem spectat, quod recenti perstricti Romani pontificis exemplo vitandam clericis docet flagitiosi contubernii suspicionem : et hoc ipso libro in prosopopæia beati Pauli : *Docetis*, inquit *fornicantibus neminem esse miscendum, adulteri Laurentii aut sequaces, aut prævii.* Itaque quod Xysto III ante annos fere 70 contigerat, ut fœdi criminis infamia pulsaretur a Basso exconsule; id ipsum Symmacho, Festi exconsulis item ac principis senatus potissimum instigatione accidit, nec dispare eventu : nam uterque ab infami labe synodi, cujus se judicio sua sponte subdiderant, sententia purgatus est.

Dominus, qui promisit per prophetam (*Isai.* II, 12), futurum se super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, ut humilietur? Sed fetidum opus vestigiis insequar et ferrata, si valeo, calce contundam. Ut vere dicam, res cum re, causa cum causa, ratio cum ea quam putant, ratione pugnabit. Oblocutos sacerdotes præceptionibus regiis allegatis, et quoddam sacrilegium creditis, mali aliquid, cum cœlestem nesciatis, de terreni domini jussione sentiri : opponendo, quis regi debuit dicere; [1] papam oportuisse synodum convocare? certe quod in hac parte constat exemplum? Illum præcipue, qui criminosis multorum propositionibus jam jacebat, quem hoc fuerat damnare, quod argui; cui prærogativam cœlitus ascriptam hostium suorum oblocutio jam tulisset? Ad hanc vos dementiam malorum actuum per gradus suos incrementa traxerunt, ut hoc credatis esse lacessere, quod convincere? nec apud vos habeant a veritate differentiam odia, quæ plerumque contra meritum impetiti, studiis, non rationi obsequentia vota concinnant? Ubi est illud, *Priusquam agnoscas, ne adjudices quemquam* (*Eccli.* XI, 7), *sec.* LXX)? Olim vos accepit grex positus in sinistra collegas : apud quos ex præjudicio excepisse sententiam creditur, qui meruit ad examen adduci, et hoc est reum existere, quod libram disceptationis intrare.

Prælocutioni tamen optime divinum subdidistis exemplum : quod ita quadratis constat alloquiis, ut ipsum in eo [2] Archisippum tenere lineam putes. Peccatori dicit Deus: *Quare tu enarras justitias meas* (*Psal.* XLIX, 16)? Huic dicto conserentes, quasi ad sacerdotes apostrophen, quia beati Petri apostoli vicarius æstimatur. « [3] Prohibetis archiatrum ejus corpori afferre medicinam : quomodo vos animæ ejus curationem exhibere renuetis? Magnum per divina ridiculum, an maxima lamenta sint nescio. » Vos alienæ febri curam quæritis, vos fatiscenti animæ medelam adhiberi cupitis, et in lethi proximitate positi, vestri immemores de alterius salute tractatis. Quid si illud vere vobis a propheta dictum : *Nunquid parum est quod molesti estis hominibus, molesti estis et Deo meo* (*Isai.* VII, 13). Et iterum : *Medice, cura te ipsum* (*Luc.* IV, 23)? Sed hinc alias. Novimus, quia sanari non potest conclamatus, et (*Prov.* XVIII, 3) improbus in profundum deveniens mira temeritate contemnit. Sed credo vivit in istis, et in malæ conversationis suæ morte, consilium; et potest optare quis alteri, quod ipse jam perdidit. Nunc recte vobis cum propheta dicam: *Omnia quæ loquitur populus iste conjuratio est, et timorem ejus ne timeatis nec formidetis* (*Isai.* VIII, 12). Facessat a nobis, qui in vobis est, pruritus iste linguarum : quos vere idem propheta arguit : *Scribentes injustitiam scripsistis* (*Isai.* X, 1). « Non nos beatum Petrum, sicut dicitis, a Domino cum sedis privilegiis, vel successores ejus, peccandi judicamus licentiam suscepisse. » [4] Ille perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros : quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet quos par conversationis splendor illuminat. Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit; in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci decessore præstantur? aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat. Prænoscit enim quid Ecclesiarum fundamento sit habile, super quem ipsa moles innititur. « Sed hinc actibus vestris cœlestem potentiam putatis esse suffragio, quod ad præsidium beati apostoli adjutricem, ut dicitis, dexteram commodatis. « Nescitis, stolidi, solem facibus non juvari, nec ad præsidium diurnæ lucis lychnos accendi? Scriptum enim est : *Scrutatur corda et renes Deus* (*Psal.* VII, 10; *Jer.* XVII, 10).

Sed in illa parte quis audeat argumentis vestris respondere, nisi quia sine arte dicitur verum, et fides mendacio sermonum technis assuitur? « Cur, inquiunt, ad principem convenistis, si audiri non licebat impetitum? » Sic vos in stuporem pecualem peccati nebula aut divinus horror oblimat, ut verecundam excusationem aut fraude mens vestra transeat, aut belluarum pressa hebetudine non agnoscat? An forte aliud putatis fuisse, quod dictum est, ipsum debuisse synodum convocare, cujus opus erat officio? ut vos videlicet per pontificale examen sententia percelleret, quos a capitis sui compage in salutis detrimento insanus fervor absciderat.

Post, Esau mentionem operi vestro, nescio verbis, an latratibus indidistis, [5] comparantes ei antistitem nostrum, qui senioris naturæ beneficium unius cibi commutatione perdiderit, et primogeniti canam dignitatem amiserit faucibus obsequendo (*Gen.* XXV). Ad ista quid referam, qui ex omni objectorum parte concludor? Quis, rogo, vestrum Symmacho benedictionem, dum patri plus deservit, eripuit? cui tantorum munerum Jacob vice est collata nobilitas? quis ex

[1] *Papam oportuisse synodum convocare*] Hoc Theoderico Ravennæ, ut est in actis synodi palmaris, opposuerant episcopi, cum ipsius mandato evocati Romam ad synodum proficiscerentur. Sed hanc episcoporum libertatem, tanquam regi scilicet contumeliosam, taxarant schismatici. At non iniqua visa est Theoderico, qui non abs re id causari episcopos sentiens, ipsum quoque papam in colligenda synodo voluntatem suam litteris demonstrasse testatus est.

[2] *Archisippum*] Colniensis editio, *Chrysippum*.

[3] Forte *probetis*.

[4] *Ille perennem meritorum dotem*] Synodus palmaris. *Maxime cum illa quæ præmisimus inter alia de auctoritate sedis obstarent, quia quod possessor ejus quondam beatus Petrus meruit, in nobilitatem possessionis accessit, et claritatem veterem novis dat de Christi dote rectoribus.* Sic enim postrema hæc verba legenda sunt. Quod ergo de sedis auctoritate dictum a synodo fuerat, ad sanctimoniam quoque transtulit Ennodius cujus ex hoc loco sententiam laudant Joannes VIII in epistola ad Bercarium abbatem, et Gregorius VII in Dictatu.

[5] *Comparantes ei antistitem nostrum*] Plerique *vestrum* legunt; sed res exigit ut *nostrum* legamus, quod sequentia declarant. Schismatici enim cum Esau Symmachum comparabant, cum Jacob Laurentium, per quem Symmacho pontificatum, tanquam benedictionem eripere conabantur. Paulo post, in illis verbis, *Præterea tunc Jacob*, Isaac legendum videtur.

vobis cæci parentis desideriis pariturus occurrit? quis vestrum devotione sua genitorem venerabilem captum oculis nulla fecit lucis damna sentire? Nonne collatione tenebrarum vestrarum nox putatur per sudum rutilans jubar ostendere, et omnis obcuritas, actibus vestris collata, decorem solis assumit? Præterea tunc Jacob, quamvis congruentem moribus filii, benedictionem tamen contulit jam promissam (*Gen.* XLVIII). Nunc qui his longius immoramur, cum docendi non sint, qui calces stimulis intulerunt? Credite mihi, pacis inimica sunt, impugnationi non sunt idonea, quæ profertis.

Sed sequitur vinculum cum ænigmate, quod nescio qua replicationis arte solvamus. Tullianæ enim profunditatis pelagus ingressi cymbulam nostram quæstionum flatibus per littorum incerta transmittunt. In qua tamen, Christo clavum tenente, portum ingrediar, et sigillatim de turbinibus vestris universa discutiam, habiturus in ductu illorum facultatem non meam. Aiunt enim : « Vera est episcoporum assertio, sedis apostolicæ præsulem minorum nunquam subjacuisse sententiæ; cur ad judicium districta conventione productus est? » Multum quidem annosa hic in nobis laborat infantia : cui ille advocandus est, qui ineluctatæ nobiscum semper pondus propositionis exsuperat : cum manifeste pro sacerdotibus cum propheta clamitem : *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum qui trahit eam* (*Isai.* X, 15)? ut sit mihi illlud suffragio divinum oraculum : *Quomodo si cessavit exactor, tributum quiescit; ita contrivit Dominus baculum impiorum* (*Isai.* XIV, 4). Tribue, Domine, quod prædixisti in illis : ut sicut errat ebrius et vomens, ita pereat incredulus qui infideliter agit. Propter hoc, propheta vobis insultans vociferat : *Audite verbum Domini, viri illusores* (*Isai.* XXVIII, 14). Quisquamne causarum ex præcognitione sancit eventum, et rabidis terminum positura conflictibus sic metitur, ut pernix decisio, dum inquisitione esse senior innotescit, favorem censentis accuset? Nunc paulisper ore, actibus, annis indignus, pontificali voce vos arguam. Nos, qui statuta nostra non una apud vos volumus lance constare, quibus de impugnatorum qualitate lati sunt canones, apud quos nefas est cana patrum diffinita transcendere, quibus scriptum est in [1] Carthaginiensi concilio, quod apostolicæ sedis per Faustinum episcopum qui tunc ab ea missus interfuit, approbavit auctoritas, Accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non credendum; in quibus odio succensa vicinitas per nutrimenta arida flammam persecutionis exsuscitat, et universam doli fabricam sumptu et machinis cohærentibus secreta dispositione componit; istos quæ domus evomeret, qui scire potuisset nostra collectio, nisi præsentes? et impugnationis qualitatem unde nisi ex scripta propositione didicisset? in quibus sententiam criminum, dum simulato ferunt persecutionem se debere criminibus, agnovisse?

Post illa quæ de accusatoribus prolata sunt, addidistis : « [2] Cur personæ jussæ sint præsentari, quas sæpe imperialis flagitasset auctoritas, ad defraudationem genii pertinere ejus, qui nunc in sede apostolica, quasi in quadam arce consistit. » Vere vobis dicit Sapientia ; *Homo infirmus et exigui temporis ad intellectum non perveniet, sed laboret, ut sciat quid acceptum sit apud Dominum* (*Sap.* IX, 5). Et iterum dicunt Proverbia : *Odit*[3] *se qui negligit studia, imperitis enim obviat mors* (*Prov.* XV, 32, et X, 21). Quid enim illam quæ ex viperina scientia descendit, ignorantiam fingitis? quid adhibetis mira latrocinandi arte præstigia, simplicitatem fronte monstrando? De vobis vere dictum est : *Qui loquitur mendacium, ex propriis loquitur* (*Joan.* VIII, 44). Istam lætitiæ faciem, ex judiciorum censura venientem, vafra provisione sacerdotis nostri oculis abstulistis ; ut eum talibus adversus acies vestras instructum munitionibus, et innocentiæ in testimonio orbis tela deferentem, ab ipsis judiciorum adytis pelleretis : providentes ut nec sine impugnatione insons viveret, nec haberet solatium de incorrupta judicum inquisitione pulsatus. Vos præfato et dedistis et invidistis examen, cum uno eodemque itinere a vobis disceptationum dubia subire et prohibetur, et cogitur ; et per singularem callem ad causam arcendus evocatur ; ne manifestam salutem aut non lacessitus obtineret, aut subriperet absolutus. Adolescentiæ meæ memini me legisse temporibus [4] de quodam dictum : *Exsuli exsilium imperas, nec das.* Vos impetit Prophetæ sententia : *Isti sunt viri qui conturbaverunt terram, et qui concusserunt regna* (*Isai.* XIV, 16). Et iterum : *Excidentur ramusculi eorum falcibus, et quæ derelicta fuerint, abscindentur* (*Isai.* XVIII, 5). Et rursus : *Dum non speratis, veniet contritio vestra, et comminuetur multitudo vestra, sicut lagena figuli* (*Isai.* XXX 14). Nec non propheta ad hanc causam specialiter locutus intonuit : *Dominus inclinabit manum suam, et corruet qui fert malis auxilium, et cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes*

[1] *Carthaginiensi concilio*] Septimo, quod in secretario basilicæ restitutæ P. C. Honorii XII et Theodosii VIII celebratum est, cui et Faustinus Potentinæ in Piceno Ecclesiæ episcopus, Bonifacii papæ legatus interfuit. Alludit autem ad canonem 4 concilii.

[2] *Cur personæ jussæ sint*] Symmachi mancipia : infra, *Quæro a vobis, cujus conditionis fuerint ista mancipia, quæ postulata scriptis principalibus intimastis.* Item ubi de Visitatore disserit : *Ibique papam ab eo salutatum suo ore jussit affari, ut traderet coepiscopo mancipia, nullis subdenda tormentis, servanda ad disceptationem synodalis examinis.* De his enim a Theoderico impetrarant adversarii, ut repræsentari, et quod leges et canones vetant, contra dominum interrogari juberentur. Quare et illa tradit per libellum a synodo postularunt.

[3] *Odit se qui negligit studia*] Quod in Vulgata nostra scriptum est Prov. XV, 32 : *Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam :* apud LXX interpretes sic legitur : Ὃς ἀπωθεῖται παιδείαν, μισεῖ ἑαυτόν. *Qui repellit disciplinam, odit se ipsum.* Quod sine dubio prius est comma Ennodii. Posterius ex CX, 21, sumptum videtur : ubi quod Græcis est, Οἱ δὲ ἄφρονες ἐν παιδείᾳ τελευτῶσι, nos legimus, *Qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.*

[4] *De quodam dictum*] Jasone. Medeæ enim ad Jasonem verba sunt e Senecæ Medea.

consumentur (*Isai.* XXXI, 3). Redeo tamen, post vetusta exemplorum suffugia, ad novellas canonum definitiones. Clamat in alio loco Carthaginiense concilium : Quascunque ad accusationem personas leges publicæ non admittunt, his impugnandi alterum et nos licentiam submovemus : et, Nullæ accusationes a judicibus audiantur ecclesiasticis, quæ legibus sæculi prohibentur. Quæro a vobis, viri quibus indita est ad unguem polita perfectio, cujus conditionis fuerunt ista mancipia, quæ postulata scriptis principalibus intimastis? Si ea servilis adhuc in potestate alterius catena retinebat, et nulla ad obscenæ obligationis compedibus vestigia in libertatem missa laxabant, vel vobis disceptantibus fidem aliquam prædictorum verba portassent. Sed, credo, replicabitis : veritatem quam sponte prolata in illis vox habere non poterat, hanc diversis cruciatibus e latebris suis religiosus tortor exegerat : ut dum pœnis corpora solverentur, quæ gesta fuisse noverat anima non celaret. Sed quæso, primum ad leges publicas, deinde ad judices ora convertite : qui possunt in defensione sua sic eloqui : Nos quos Dei servitium post istarum rerum abjectionem fecit ingenuos; qui servulorum insultantium contumelias aut despicimus, aut ridemus; quibus scriptum est de famulis per Apostolum : *Mementote quia vester et illorum in cœlis est Dominus* (*Ephes.* VI, 9), ad hæc sæculi mala revocabimur? faciendum a nobis est, quod facientem alterum profanum esse contendimus? quod per ministerium jussionis et manus alienæ incestaret aspectum, nostro peragetur imperio? Nolite hanc ad universas Ecclesias mentem rapacium luporum more et natura servare : quia postquam nos maculasset forte pro desideriis vestris cruenta discussio, effectum in his, quo tenditis, non haberet. Sed dicente vobis propheta : *Ponamus circulum in naribus vestris, et frenum in labiis, et reducamus vos in viam qua venistis* (*Isai.* XXXVII, 29; *IV Reg.* XIX, 28) : qui eodem propheta asserente impugnamini, qui dicit : *Erunt quasi non sint, et peribunt viri, qui contradicunt vobis* (*Isai.* XLI, 11).

Hoc etiam novo adversus nos subdidistis invento, ipsum Dominum et Redemptorem nostrum, servorum subiisse judicia ; et cœli operatorem particulæ cuidam sponte subjacuisse terrenæ : dum testatur, et loquitur, *Homo Juda, et qui habitas Jerusalem, judicate inter me et vineam meam* (*Isai.* V, 3) : hoc etiam beatum Petrum ; hoc Paulum apostolum non horruise narratis, et illam vestram elegantiam ad jus pertrahitis exemplorum nexibus præcedentem : quasi vobis in hac parte remanserit cum renitente contentio, et validis facundiæ vestræ digitis exigantur oblata. Sa-

A muelem etiam prophetam mirificum de conscientiæ suæ serenitate vulgi dicitis implorasse testimonium. Quid enim Samuel dixit? scire Dominum, quos nullius unquam substantiam, nullius pecus abegisset, adversatum se muneribus, et quod est supra hominem, sponte venientia dona vitasse : providens scilicet, ne per suspicionum præjudicia, opinionis damna pateretur. Postremum sub divina attestatione patefecit innocentiam, ne humanum subiret examen. Redemptor noster judicium, quod inter se et vineam suam optat evenire, dum vestra in præsenti negotio mala respicit, magis implorat. S. Athanasius Alexandrinæ urbis episcopus, dum participum vestrorum argueretur invidia, agnoscens sibi per contumeliarum multitudinem exercitium contingere, non timo-

B rem, vere ad coronæ pretium junxit, quod de dignitate submisit : et ante cœlestem de absolutione sententiam, personam rei innocentiæ bonus æstimator implevit. Sic enim Christi milites sudore suo honorum sibi incrementa parturiunt, dum concessa fastigia celsiore humilitate castigant : inde laudum cumulos mercaturi, unde indepta culmina sublimi parcitate moderantur. Sed quamvis beatum Athanasium Romano antistiti, quantum nosse datur, imparem locus ostendat; facto tamen in negotiis comparantur. [1] Ille præsto fuit judicibus : iste quantum et vos dicitis, advocavit. Ille intentatam discussionem ut Dei famulus non refugit : iste triumphi sui spem in discussorum collectione constituit. Sed quid his longius

C collationibus immoremur? Judicia et iste voluit, amavit, attraxit, ingressus est : et quod posset fideli corda doloris justi aculeis excitare, venerando [2] concilio auctoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit. Quis in hac allegationis ipsius fronte nesciret fultum ad coepiscopos puritatis testimoniis convenisse, qui hoc quod districtionem eorum minus licebat, exhorruit, æstimans illud magis quolibet modo labefactandum, quod statuisset censor invalidus? Quid præfatum incessistis canina loquacitate? quid læditis non merentem? Votum ejus est quod vestrum putatis esse terrorem : sed astutior in vobis, quam in Athanasii adversariis novelli virus serpentis insibilat. Illi nescierunt quod vos optime calletis, qualiter triumphus tolleretur impetito. Illi provocatum, ne audien-

D dus non occurreret, formidabant : vos moram quam habebant examina non ferentes, [3] venientem jaculis repulistis; et tædium vobis de sententia præparatum armorum ultricium assumptione commutastis. O malorum commemoratio, quæ vocem et præstat et subruit; dum illos quos in clamorem coegerit, eorum etiam gravitate facti verba confundit.

[1] *Ille præsto fuit judicibus*] In synodo quæ contra ipsum Tyri fuerat convocata : ad quam etsi propter apertam vim et conjurationem adversariorum, aliquandiu, ut Sozomenus lib. II, cap. 24, scribit, an vocatus veniret, cunctatus est, postea tamen innocentia fretus, et ne judicium declinare videretur, profectus est.

[2] *Concilio auctoritatem*] Synodus ipsa de Symmacho, cum synodum quæ ipsius causa ad basilicam Julii convenerat, esset ingressus : *Auctoritatem*, inquit, *ordinis corrigendi, sicut poscebant ecclesiastica statuta, in omnium qui ibidem convenerant episcoporum præsentia se dare professus est.*

[3] *Venientem jaculis repulistis*] Symmachum papam, cum ad alterum synodi conventum pergeret, qui in basilica Sessoriana coactus erat. Tum enim, ut synodi acta narrant, ab irruentibus æmulorum turbis ita tractatus est, ut cæsis qui cum ipso erant presbyteris, ægre ad beati Petri septa, unde egressus fuerat, incolumis a comite Aligerno reductus sit.

Quis patiatur vos æquo animo garrientes? Ergo nos secundum assertionem vestram, novellæ utilitatis commoda non amamus, dum definitis senioribus præstamus obsequium? Hic tota ingenii vela suspenditis : hic resupinæ cervicis ex secessu pectoris quidquid habuit flaminis ructus emovit. « Aiunt enim : Moysi a vobis jejunia, et Elisæi miracula quæ egit dum mortuum suscitavit, si annosa tantum sectamini, condemnantur. » Quid hic rationis invenit scrutator idoneus? non si auri pallidus inquisitor occurrat, in sensibus vestris latentium venarum motus inveniat, et insuetis lucem latebris sermonum fossor admittat. Idcirco ergo cana miracula non probamus, si juvenilibus consensum non præbemus excessibus? Si servum Domino discipulum magistro Evangelii memores subjungamus (*Matth.* X, 24; *Luc.* VI, 40; *Joan.* VI, 40, et XXV, 20), quidquid potuit prodesse negligimus? Alia sunt, improbissimi hominum, quæ ad usum recentem sine injuria vetustatis adhibemus.

Novam deinde culpam, et quam investigatio nostra transierat, reclusistis : « Quare papa, sine exempli instituto præcedentis, synodum convocavit, ut de criminum ejus objectione cognosceret? » Post hæc nos falsitatis arguitis, cur a principe, quæ in præfato negotio scripta sunt, dicimus postulata. « Præsta, Domine, ut labyrinthi hujus sine errore sinuosos superemus anfractus : » dirige semitam, quam flexilis coluber juxta fabricam proprii corporis aut mentis operatur, ut vere dicamus : *Dominus virtutum nobiscum, adjutor Deus Jacob* (*Psal.* XLV, 8). Et cum Salomone exsultemus dicente : *Equus paratur in die belli; apud Dominum est autem omne præsidium* (*Prov.* XXI, 31). Superforaneum quidem est absurdis respondere propositionibus, dicente propheta : *Ne respondeas imprudenti ad imprudentiam ejus* (*Prov.* XXVI, 4). Sed si quid contemptus transierit, vereor ne quasi validum putetur non tetigisse formido. Melius est nobis cum beato Paulo insultationis causas incidere, et plena voce testari : *Factus sum insipiens, vos me coegistis* (*II Cor.* XII, 11). Hoccine ergo nullo constabat exemplo, ut sacerdotum papa concilium convocaret, cujus arbitrium est collectio synodalis? aut parva erant, quæ de vestris cum hac multitudine facinoribus damnarentur? [1] Nonne directa verba sunt canonum : [2] Quicumque clericorum ab episcopo suo, ante sententiæ tempus, pro dubia suspicione discesserit, manifestam in eum remanere censuram? Ad hujus rei ministerium devotum Deo oportuit agmen occurrere, ut perditi et profligati gregis ulceribus medicorum exercitus subveniret : quia quotiens morborum violentia celeri gressu ad animæ secreta festinat, obvias manus afferre non potest salutare consilium, nisi ex collatione multorum. Nam et hoc a rege nostra poposcit allegatio, ut abscissis clericorum præjudiciis de accusatorum papæ merito per humanum os supernum judicaret imperium. Videamus tamen si placet, et illas [3] didascalici libelli vestri relegamus argutias : habentibus etiam nobis ante oculos patrum sanctiones, quibus excessuum vestrorum sentina ponderetur. Lex ecclesiastica pontificem ab aliis accusatum, priusquam sub lucem objecta constiterint, exigit non relinqui. Vos vero divini, ut puto, juris memores, qui levia errata despicitis, qui peccati nobilitate gaudetis, ne qua vos ex desertione sacerdotis culpa respiceret, accusastis cum incrementis delictorum. Ad hanc vos valitudinem ille qui est prævius vester, adduxit, ut post desolatum, post impetitum pontificem, sine ullius vigore sententiæ, totius pene Italiæ improbandam antistitum crederetis esse censuram : quomodo quidam dixit de cohorte vestra : *Festinantem animam morti non credidit uni.* Potestne mens indocilis, criminum jam ditata successibus, a detestabili proposito, velut effeta feriari? Ille vos locupletes malis effecit, cui elationum copiæ opes angelicas sustulerunt (*Isai.* XIV, 12) et divinum censum nocendi quo exuberat, thesaurus invidit.

Sed promissi memores universa quæ operi ipsorum recolimus inserta, tangamus. « Arguitur stylo splendidissimo papa Symmachus, quare conventionem præveniens, cum populorum cœtibus examen intravit, et postea judicia, [4] cum evocatus quater fuisset, sprevit. » Sic a vobis veri discessit affectio, ut mendaciorum nebulis urbis testimonium putetis involvi, et fallaciæ penniculo depicta verba plus virium credatis habere, quam veritatem Roma quam retinet? Ergone ille disceptationem vel importunus adiit, vel exspectatus aufugit? Ergone illam multitudinem devotæ Deo plebis, non pro fidei diligentia Christiana magis exspectatio, quam furor evocavit? Quisquamne ad inferendam violentiam currens lacrymas comites habet, et qui studet esse formidini, vultum timentis ostendit? Multitudo illa juncta sacerdotis officiis attulit ad nos lamenta, non jacula : nec venit telis minax, sed fletibus miserabilis : una tantum intentionem vestram ostentatione gravatura; quia uberibus oculorum fluminibus demonstrabat, quam esset per acerbitatem vestram conditio dolenda pulsati, et in sobrietate venerandi examinis afflictione propria

[1] *Nonne directa verba sunt canonum*] Symmachi nomine, non Ennodii citatur hic locus a Gratiano VIII, q. 6, quia cum libellus Ennodii synodis Symmachianis, ut paulo ante dictum est, cum pari auctoritatis prærogativa insertus esset, quæ in eo erant, pro Symmachi ipsius decretis aut sententiis haberi cœperunt. Percellebant autem canones illi schismaticos, qui criminum obtentu quibus Symmachum impetebant, discessionem ab eo ante judicii, nedum sententiæ tempus fecerant.

[2] Dist. 8, quæst. 4.

[3] *Didascalici libelli*] Ironice. Nam διδασκαλικοὶ λόγοι. didascalicæ disputationes dicuntur accuratæ et ad docendum idoneæ : unde ab Aristotele una copulantur τὸ ἀκριβέστερον καὶ διδασκαλικώτερον.

[4] *Cum evocatus quater fuisset*] Ingressus est synodum Symmachus primo conventu, qui in basilica Julii actus est; ad alterum item Sessorianum proficiscebatur, cum ab adversariis in via circumventus ac cæsis suis pene oppressus est : quod utrumque jam supra commemoravimus. Post eam cædem commonitus an rursum ad synodi judicium exire vellet, compelli se jure posse negavit.

commendabat, quem voce non poterat. Sed habetis manifestum ex hac re qui bilem furor accendat: quia pene absolutus ad judicia venit, pro quo orbis illacrymat, et dum rebus extraneam in prædictum invidiam sermone colligitis, paulisper reverentiæ nostræ diu cervix superba submittitur. Sacram enim congregationem tunc vocatis, quando exstinctorem nostrum Symmachum vultis asserere: et crudeli pietate honori nostro putatis accrescere, quod residens in Ecclesiarum arce perdiderit. Nos ista non solum non sensimus, sed diversa sentimus: ad alios magis tutelæ vestræ venena convertite. Non habet testimonium defensoris, qui repugnanti impenditoris obsequium: perdit quam esse putat beneficii gratiam, qui aliquid præstat invito: quia non est munus nisi quod velis accipere.

Nunc longa non opus est admonitione jam perditis; odium debemus operi, de cujus jam non superest quod damnetur auctoribus. « Mulierum turbas asseritis urbanis coloribus cum præfato ad judicia convenisse: et illa subtilitate ostenditur sexus, qui majorem antistiti debuisset affectum. » Profanissimi hominum, scriptum retineo: [1] *Aliud est male dicere, aliud accusare.* Et prophetam dixisse: *Reprobantes verbum sperastis in calumnia et in tumultu, et estis in eo: propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio* (*Isai.* XXX, 12). Quia pro nobis dicit Dominus: *Eos qui judicant vos, ego judicabo* (*Isai.* XLIX, 25). Et iterum ad servos suos dicit: *Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis* (*Isai.* LI, 7). Rursus etiam vobis clamat: *Accedite huc semen adulteri et fornicarii: super quem lusistis, super quem dilatastis os et ejecistis linguam? nunquid non vos filii scelesti estis, semen mendax* (*Isai.* LVII, 3)?

Quæ quibus copulatis advertite, dicentes: Indicta causa, derelictis defensoribus, papa decessit: fori nobis in negotio præsenti, et platearum quarum estis hypocritæ, exempla proponentes: Nobis scriptum est per Paulum apostolum (*Gal.* I, 14): quibus crucifixus est mundus, quid illis cum foro? sed ista nescitis, aut quod est gravius, nota contemnitis. [2] Peregrinum credo aliquid, et a ratione separatum postulans papa discessit. Nonne hoc speravit pro statu labentis Ecclesiæ pastorali cura constrictus, quod et religiosa providentia, et causæ ipsius ordo flagitabat? Quæ enim judiciorum forma præcesserat, ut vobis hostiliter disruptis, etiam per suggestionem vestram sublatis Ecclesiæ opibus, qui diu fuerat cibus esurientium, famis mancipium videretur effectus: dum alimentis distributor egebat, ut fieret in dominatu servitus, et in servitute dominatus? Quæ hoc qualitas præcedentis ævi per memoriam in medium transacta reddebat? Qualis habuit effici ex censura convictus, in quo causam adjudicatio præcedebat? Non fuit privilegium, quo spoliari potuit jam nudatus. Unum vobis putastis residere in sacra collectione subsidium: ut ad tuendorum immanitatem criminum sacerdotes vobis comites jungeretis, et fieret impunitum facinus pollutione multorum. Nunquam convenienti tempore censor adsciscitur, qui ad decisum pene negotium convocatur; criminosi etsi est meritum, tollit accusator, qui eo plus furori suo vult licere, quam judici. Dicit enim vos impetens propheta: *Hæc est pars eorum, qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos. Ite, angeli veloces, ad gregem convulsum et dilaceratum, et populum terribilem* (*Isai.* XVII, 14, et XVIII, 2). Ad vos angelus missus est, scilicet per sacerdotes, quorum voce atque merito perferenda Christo dona suscipiunt, et placato dominante impetrata mortalibus vota concedunt, per quos vobis oblata sunt munera repudiata concordiæ: qui pœnam merentibus dilectionis præmia detulerunt, qui dum se considerant, in nullo quod merebamini, respexerunt.

Quis eum, inquiunt, vidit cum accusatoribus suis aperta, ut aiunt, pugna confligere? Impudentissimi hominum, quem cum quibus vultis decertare, respicite: et utriusque partis, si quid salutis in vobis resedit, loca, tempora, personas attendite: et si vos nefarie congesta cordis adhuc pravi non subegit opulentia, oculos ad Deum paulisper attollite, et vel brevi tempore sinistri monitoris jussa contemnite. Agnoscitis summi [3] regis præceptionibus vos in his quæ merito plectenda sunt, non muniri. Quia quamvis responsi qualitatem dictent dogmata postulati, et petitio dum existit prævia quæ sint secutura, describat: nunquam tamen casibus vestris libera regnantis verba cepistis: nunquam desideriis per aucupia calliditatis imperialia vobis scripta militarunt. Quotiens vanis hiatibus nocendi inefficax morsus increpuit? quotiens de accusato quidquid spe tenuistis, effugit, et vacuos imago præsumptione occupata deseruit? Deo gratias, qui hanc providentiam indidit ei, cui rerum humanarum summa commisit. Spes certa quietis est, et salutis perfecta in gubernatore sapientia. Puppis cujus magister ad clavi regimen intellectus dote præparatur, ubique stationem, ubique

[1] *Aliud est male dicere, aliud accusare*] Verba sunt, Ciceronis in oratione pro M. Cœlio cum ea refellit quæ adversus Cœlii pudicitiam sine probatione objiciebantur. Quare aptissime ab Ennodio in re simili usurpantur, ut tacitum schismaticorum convicium retundat, quod ex mulierum Symmachum officii causa prosequendum turba captabant.

[2] *Peregrinum credo aliquid*] Duo, ut ex actis patet, a synodo postularat Symmachus: unum ut cederet visitator, de quo postea; alterum ut omnia quæ per suggestionem inimicorum suorum amiserat, ante judicium ipsi redintegrarentur. Quod etsi neque alienum neque iniquum videri poterat, cum spoliatos ante omnia restitui, ecclesiasticæ leges jubeant; regi tamen, cum synodus ad eum retulisset, placuit ut Symmachus ante restitutionem judicium subiret. Quod ille pro modestia sua minime detrectavit.

[3] *Regis præceptionibus vos non muniri*] Etsi multa quæ Symmacho adversari videbantur, a Theoderico præcepta ac rescripta expresserant schismatici, ut de visitatore, et quod modo de intercepta redintegratione recitatum est, atque alia id genus: irrita tamen omnia et inania fuerunt. Neque unquam his præsidiis assequi potuerunt, quod moliebatur, ut Symmachus damnaretur. Nam ubi synodo tandem a rege integra permissa res est, illum protinus absolvit.

portum habet in fluctibus. Certa est generalitatis securitas, quando rempublicam nobilibus regit artibus institutus. Scit imperatoris nostri cœlo infusa dispensatio obviam manum famosis in fallendum ingeniis exhibere. Labore apud eum non opus est, quem sortita est olim nuda veritas defensorem. Cessent impii commentitia apud illum simplicitatem fraude mentiri : quidquid se adversus justitiam moverit, mox tenetur : nihil apud prædictum tutius innocentia est : legatione valida utitur, qui æquitati res congruentes insinuat : quæ gravis est plerumque principibus impugnatio, minus fidelium blanditiis non legatur. Sed hæc Deo minus narrantur, a quo frugis hujus planta descendit.

Ad vos me reduxit propositi operis non amica conditio, qui melioribus, hactenus operam volui navare sermonibus, dum captivam orationem exigit imperiosa necessitas. Dixistis enim : « Quomodo de causa vel qualitate ejus primitus tractabatis, cum [1] necdum haberet synodus firmitatem? » O frontem dictionis immundæ, et faciem libelli, quam non sola maculavit imperitia. Tractatus nostri provinciam et narratis et quæritis. Hinc eramus nempe dubii, quia quemadmodum loquimini non habebat synodus firmitatem : transibat negotii qualitas audituros, et plus adhuc remanserat in reverentia pulsati, quam esset in nostri integritate collegii.

« Deinde pro quæstionum tormentis venerabilem [2] Laurentium et Petrum episcopos, a communione papæ se suspendisse replicatis, et quidquid providit cautio convocatorum, ducitis ad crimen impetiti. » Ullone ergo tempore, dum celebrarentur ab his sacra missarum, a nominis ejus commemoratione cessatum est? Unquam pro desideriis vestris sine ritu catholico et cano more, semiplenas nominati antistites hostias obtulerunt? Aliquando, quod capiti vestro ascribatur, facta est apud Deum offensa per gratiam, et exstitit nutrix veniæ, peccati mater oblatio? Fuerunt quidem corporis tantum conventione separati, quos loqueris; animarum tamen præsentiam non vitarunt. Si eos putas a consortio mutuo dissociatos quos fibula religionis pio mordens dente conjungit, procul te ab æstimatione catholica culparum duxit affectus. Mandati cœlestis habitatio nos aut miscet, aut separat : non interest quæ intervalla nos segregent, si uno in supera mansione conclave retinemur. Vere hinc conjicimus esse vos servos ventris et corporis, et per hanc sententiæ vestræ vilitatem declaratis mancipia vos esse terrena. Scriptum est enim : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus* (*I Cor.* II, 14).

Post hæc, versis in fugam ordinibus, lymphatici more sermonis addidistis : « Ergo concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus quot annis decreta per provincias, quia præsentiam papæ non habent, valitudinem perdiderunt? » Legite, insanissimi, aliquando in illis præter apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, et non de majoribus negotiis, ad collationem si quid occurrit, præfatæ sedis arbitrio fuisse servatum. Sic enim habet [3] : Si quis episcoporum judicio provinciali depositus fuerit, Romanum papam, si placet, rursus appellit; et ipse, si videtur, reparet judicia in opitulatione damnati. Ecce enode est, quod ad laqueum præparastis : nisi forte arctissimis in illa parte nexibus astringamur, et replicationum nobis itinera non patescant; dum callis ante pervius dumetis novella interclusione vestitur.

« His enim nos eloquii vepribus, dum gradimur per plana, retinetis, cum dicitis, læsum principem, quare [4] attributum visitatorem, contra ecclesiasticas regulas, prima voluimus fronte discedere : » et nihil amplius liceret hunc vitiis, ne duresceret lolium, ne profana messis, nulla disciplinæ ante maturitatem succisa falce decumberet. et putaretur licere quod judices non vetabant. Unde ex aperto constat, nulla vos, extra præstantiam piissimi regis, quam frustra desideratis, noxæ copulari, exemplorum auctoritate fulciri. Superest, ut et ipsum doceam in his excessibus, quod bono universitatis contingit non teneri : quia directum non occasionem litis, nec fomentum jurgii, sed causam voluit esse concordiæ : prævidens scilicet, quos nisi simplicem jussionum suarum tutela vallaret, cito in escam dissidii toxica vestra subreperent. Scriptum est enim : *Vir simplex credit omni verbo* (*Prov.* XIV, 15). Idcirco mandati limitem fixit, quem nulla liceret transgressione violari. Præfatum ad beati Petri basilicam, mox Romam perductus fuisset, mandavit occurrere, faciens de sacerdotis voto regis imperium. Quis enim non putaret pontificem sponte pariturum in ea parte quam licere sibi

[1] *Necdum haberet synodus firmitatem*] Cum adhuc incerti penderent episcopi an Symmachus illam approbasset. Quod ubi coram ab eo confirmatum fuit, *Tum*, ut est in actis synodi, *causa de sacerdotum animis quæ de concilio nondum firmato tristitiam ministrabat, abscissa est.* Sentiebant nimirum episcopi concilium hoc sine pontificis assensu ratum esse non posse. Quod ipsum tamen, sed frustra, improbabant schismatici.

[2] *Laurentium et Petrum episcopos*] Quorum hic Ravennas, ille Mediolanensis, synodi ambo moderatores ac præsides : quod declarant synodi ipsius subscriptiones, et Theoderici regis ad synodum præceptio quæ Laurentio, Marcelliano, Petro ac reliquis episcopis inscripta est. Sed Marcellianus Palmari conventui non interfuit. Quod vero studio egerant Laurentius et Petrus, ut a Symmachi consuetudine ante judicii disceptationem abstinerent, ne præjudicium aliquod facere viderentur, id adversarii aliam in partem rapiebant, quasi de objectis Symmacho criminibus compertum ipsis exploratumque jam esset.

[3] Syn. Sardic. cap. 3.

[4] *Attributum visitatorem*] Petrum episcopum Altinatem qui a Theoderico rege, flagitantibus schismaticis Ecclesiæ Romanæ præter fas moremque datus fuerat visitator, quem propterea submoveri, ut ante dictum est, postulabat Symmachus. Acta synodi : *Sperans ut visitator qui contra religionem, contra statuta veterum, contra regulas majorum, a parte cleri vel aliquibus laicis fuerat postulatus, ex ordinatione antistitum, sicut decebat sanctum propositum, prima fronte cederet.* At Ennodius non solum Symmachi desiderium, ut æquissimum defendit : sed Theoderici etiam factum, quasi Symmacho ipsi visitatoris præsentia consulere voluerit, excusare conatur.

princeps non credidit, etiam si vetaret? Ibique papam ab eo salutatum suo ore jussit affari, ut traderet coepiscopo mancipia, [1] nullis subdenda tormentis; servanda profecto ad disceptationem synodalis examinis. O castitatem præcepti, quæ dum facem præsentibus præfert temporibus, in umbram cogit antiqua! quæ rapit lumen veteribus inauspicato splendore novitatis! Quis taliter commentitiis laudibus locupletavit fama dominum actuum suorum veritate mendicum? Non derogo vobis de scriptoribus, quorum beneficio contigit ornata ad nos majorum gesta perduci: sed Dei beneficia non tacebo: quia princeps noster rebus superat decora sermonum. Obnoxiam linguis gloriam venerabilis causarum trutinator inspexit: ut cum petitioni vestræ effectus artifex præstaretur, in omnibus tamen jura ecclesiastica custodiret. Quæ ad hanc æstimationem, quamvis acutiora cæteris corda, sufficiunt? uno tempore, una scriptione, sine æquitatis detrimento, desideria vestra supplentur, et eadem charta ad ministerium religionis, et vestrum destinatur ad gaudium. Boni enim principis prævidit inquisitio, servilem assertionem innocenti examine non probandam. In electione enim venerandorum judicum ipse accusantes extra ordinem repulit, ipse ad spem retulit accusatum.

Videamus tamen ista si facta sunt: si Dei inimici, etiam terreni domini non fuistis, dum Christum et regem parili temeritate despicitis, et unus vobis ad utramque contumeliam ductus est criminum. Destinatus antistes ab ipso complendæ jussionis confinio oris vestri spiris adripitur, et ad incentivam confusionis aptatur, qui paci militaturus advenerat. Invisis beati Apostoli liminibus ad usum furoris vestri jam nescius sui advocatur; et illud quod ex omnibus orbis cardinibus devotos attrahit, positum in vicinitate transitur. Ecclesiarum fundamentum adire non permittitur structura mediocris: tunc spem bonorum fructuum perdidit a radice separatus. [2] Dicatis forsitan, Apostoli genio decerpi, si putatur cœli civis terrarum locis includi. Tamen quamvis benedictio poscentibus ubique præstetur, et exigat præsentiam martyris fides et devotio supplicantis: negari non postest, diligentiæ natali solo plus tribui, et majorem affectum loca impetrare, de quibus ad superna transitur. Quam fidem allegationi curationum multitudo jam præstitit? et utimur post obsidionem diabolicam testibus jam sanatis. Hæc licet per Redemptorem nostrum in toto orbe celebrentur: est tamen non modica monumenti illius per frequentiam comparata nobilitas: quia per eum qui hominem mutavit in angelum, illustrari potuit natura telluris. Hanc visitatori vestro invidistis gratiam, æstimantes quia A errorum vestrorum sectator esse desisteret, si reverendæ passionis penetralia contigisset. Ecce non habetis in regia auctoritate subsidium: ecce post cœlestem commotionem juste vos et principalis quam sperni fecistis, censura percellit.

Videamus si superest aliqua de regulari propositione defensio. « Visitatores, inquiunt, et aliis episcopis ipse dedit, et justum est, ut facti sui lege teneatur. » Non vos in hoc titulo falsitatis incesso: diu mendaciis adhærentia verba non arguo. Dico tamen, latorem juris definitionis suæ, nisi velit, terminis non includi; et nisi princeps fastigii summa moderetur, frustra ad illud quod dederit, jus vocatur. Lex probitatis et mentis est, quæ hominem viventem sine lege castigat: proprie moribus impendit, qui neces- B sitati non debet disciplinam. [3] Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare: sed istius præsulem suo, sine quæstione, reservavit arbitrio. Voluit beati Petri apostoli successores cœlo tantum debere innocentiam, et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibiere conscientiam. Nolite æstimare eas animas de inquisitoribus non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reservavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste, quo judice. Dicas forsitan, omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo uni dictum: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18); et, *Quæcunque* C *solveris super terram, erunt soluta et in cœlo* (*Ibid.*, 19); et rursus sanctorum voce pontificum dignitatem sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est, ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur: de qua mihi videtur dictum per prophetam: *Si hæc humiliatur, ad cujus fugietis auxilium, et ubi relinquetis gloriam vestram* (*Isai.* X, 3)?

Quid si immunda mihi labia habenti, et nullis succensi carbonis, ut Isaiæ concessum est, undis abluta, ipsum ad possessionis suæ tuenda privilegia Petrum apostolum liceret evocare, et quod agit precibus, humana voce loqueretur? quem si audiretis, hoc diceret: *Filii hominum, usquequo graves corde? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Scitote quo-* D *niam mirificavit Dominus sanctum suum* (*Psal.* IV, 3). Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subruere? quid canum possessionis genium illius qua per culpas juvenescit, ariete pulsatis, et divisione ecclesiastici gregis novis me et post carnem passionibus subjugatis? Inauditum sacrilegii genus est, quod mentitæ religionis honore coloratis: dehonestat venerandi reverentiam nominis, qui adjutorem se in his quæ in Deum jactat commissa, pollicetur. Con-

[1] *Nullis tormentis subdenda*] Ac proinde Symmacho, et si contra ipsum testarentur, nihil obfutura: quia non ignorabat, ut mox dicet, Theodericus, *servilem assertionem innocenti examine non probandam.* Ita regii præcepti invidiam hac etiam in parte amolitur.

[2] *Dicatis forsitan*] Locus insignis ad eos revincendos quibus sacrorum hodie locorum, neque ad vota et preces concipiendas, neque ad cœlestia beneficia consequenda, nullum est discrimen.

[3] *Aliorum forte hominum causas*] Et hic quoque illustris est locus de primatu summi pontificis, et prærogativa sedis apostolicæ.

tumeliæ genus est, quasi in solatio adesse sublimi, juxta Apostolum : *Tu quis es, qui judicas alienum servum* (*Rom.* XIV, 4)? Quid auribus imperitis illuditis, et graviorem vindictæ speciem facitis esse, quam culpæ? Si odium debetis excessibus, vos mundate : cur liberius condemnatis scelera quam vitatis? Sui impugnator est, qui fornicationis officiis urget adulteria, et per animarum stupra carnis accusat. Scriptum nempe retinetis : *Maledicti omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXII, 27). Fœdera ergo a nitore Domini sui obligatione dissolvitur, qui status cœlestibus minus mera fide dependit officia. Possessionis nostræ vobis, ut video, claritas movit invidiam; quam simulata in mali possessoris indignatione transfertis, dum desudatis impendiis. Arcem qua fuistis conspicui, crebris labefactatam ictibus, nisi obsisterem, proposuistis obruere; et cœlo stabilitam machinam, quanta sit, ostendere per ruinam. Nolite præstolari de clade vestra victoriam : nolite triumphum superando perdere, meis laboribus, meo sudore quæsitum. Quidquid ad tropæum ducit, obtinui : quidquid vos illustres faceret, in sede congessi : vobis tribuit claritatem fax ista quam viperino liquore putatis exstingui. In perniciem propriam accenditur, qui sic sævit in gratiæ suæ germina, ut plantas abscidat : liberior justo iracundia plus quam alios lacessit auctorem. Symmachi quos vocatis excessus, si sunt illa qua et vos, exspectatione sustineo : nefas est, peccantem patientiam judicis non amare. Quid nisi ultionem flagitat, qui dum reus et ipse sit, vindictæ in altero moras accusat? Hæc illis a me vox debetur studiis : quia Deum dixisse teneo, pronum esse hominem in malitia, et omnem carnem amicam esse peccatis. Nolo occasione personæ innumeris datura dignitatem, fiat in abjectione possessio : ne dum homo incessitur, lex divina frangatur. Mihi credite, si sunt ista quæ dicitis, respicio : quia et in illis quibus nihil tale dicebatur, quid fuisset inspexi. Errat, qui falli Deo proximum credit : *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut.* XXXII, 35; *Eccli.* XXXVIII, 1; *Rom.* XII, 19; *Hebr.* X, 30). Vos potius olim filii, de quibus spiritalis ventrem partus onerabat, ad abjuratam redite concordiam : pio vos sinu, sicut habuit hactenus, Ecclesia mater accipiat. Nunquam est sera correctio : scit diu exspectare immodico labore quæsitos : nescit pro vilibus despicere magno pretio comparatos. Multis gradibus recursus est ad salutem : præter desperantem nullus excluditur : fructus veniæ proximus est coronæ. Nolite Symmachum papam pressuris vestris juvare : si reus est, mihi credite, cum cessaverit humanæ impugnationis ministerium, divinum mox succedit arbitrium. Nonne in splendidissimi cognitoris lance prædicto aut pœna debetur, aut præmium? Syllogismos a me sermonum, et schemata non quæratis. Antiquo adhuc utor reti

A post hominem; et irrisam a sapientibus sæculi cymbalam non reliqui. Illa me per mundi freta sustentat : ditat probatum in captione hominum rete, quod cernitis. Redite ergo, quia fuga vos nec dum essetis agrestes eripuit : currite ad ovile, ne luporum vos exponatis insidiis : ne per moram amittatis gratiam sponte venientem : quia contemptam invitationem gehenna subsequitur. Ego, si quid dulcedinis ut pater debui; si quid districtionis, ut attributus a Deo magister, implevi. Providete ne diutius qualemcunque crucis meæ angulum rara Levitarum corona circumdet : ne dolenda etiam extraneis in longum solitudo dominetur : ne labor uteri mei sterilitatis vice hostilem peperisse familiam, et numerosa proles per sinistros actus infecunditatem parentis ostendat. Pauca

B sunt quæ asserui, sed quanta ex his pendeant, æstimate. *Venite, filii, audite me : timorem Domini docui vos* (*Psal.* XXXIII, 12). Romam respicite, quam ab idolorum servitute sine auri, sine argenti pretio liberam sanguinis Christi fecit effusio : cui etiam meam servuli sui mortem jussit impendi. Quæ per multa tempora famosis cultum delubris exhibuit : quæ diu venerata est in imaginibus dæmonum, quem laborante censu indiderat manus magistra terrorem : quæ suspexit potestatem numinum emptam pretio metallorum : cui sublimiores deos peperit exercitatior manus artificis : et divinitatem quam homo per fabricam contulit, apud homines Dei habuit forma majorem. Ecce jam, Christo propitio, ad novas fornaces

C simulacra redierunt : ecce jam de obsoleta superstitione usus vester accipit, quod lætetur : dum de veteri Tonante nova merito vascula præparantur. Quid hanc adnitimini interrumpere quietem? quid ludere vanis intentionibus felicitatem? excusationem non habet furor iste, si creditis : non interest quibus itineribus ad mundi principem currat, qui a sancta unitate desciscit : pingues hostias litat diabolo, qui constristat Ecclesiam. Vanas ergo repudiate tendiculas : simplicem habet defensionem pacis affectus : nimis armatus est, qui illa quæ adversarius concordiæ ministrat, tela contemnit: sufficit contra omnia jacula jurgiorum fidei nuda oppositio. [1] Quid Eulalii et Bonifacii tempora, dum malorum solatium quæritis, revocatis in medium? quid incrementis excessuum

D præsentatis vetusta contagia, et per iniquam voluntatem senectuti in operiendis delictis facitis nil licere? Alia tunc fuit causa discordiæ : et nisi narrando cogerer sustinere transacta, ostenderem vobis nullum evenire solatium de comparatione factorum : quia illos quos ad pontificale fastigium intentioni obsequens fervor evexerat, utrosque repuli; hunc elegi : quia de illis, teste exitu, nemo mihi placuit : de istis, contra regulas nitentem profugum feci; provectum legitime mundo impugnante servavi. Scitis ista, non nova sunt : quia dum ille truditur, iste firmatur;

[1] *Quid Eulalii et Bonifacii*] In schismate quod post Zosimi papæ mortem inter hos duos diviso in partes clero exortum est, cum propter factionum studia, utrius legitima fuisset electio, decerni vix posset, longiusque protraheretur disceptatio, Honorius utrumque ab urbe interim jussit abscedere. Itaque Bonifacius ad S. Hagnes basilicam, Eulalius Antium secessit. Quod exemplum in Symmacho renovari voluissent adversarii, ut una cum Laurentio pelleretur. Sed dispar fuit ratio.

vester mihi militavit assensus. Deinde cur in perniciem vestram læditis sacerdotale concilium? cur laceratis sententiam in qua inspirante Christo oracula superna patuerunt, et inter Deum atque homines interpres exstitit lingua pontificum? quid generalis Ecclesiæ dolorem facitis, quamvis in principali, tamen in una commissum? Illa enim cœli curia, variarum dotibus aucta curulium, et multo Redemptoris nostri auro ostroque decorata, nihil in illa discussione auctore se protulit: sed per humanæ linguæ ministerium divino militavit imperio. Intellexit non esse suum, quidquid impulsa constituit: nihil habet in illa sententia, nisi unde de sola devotione gratulatur: peregrinum stylus sensit eloquium, inde sumens solam gloriam, quod infusa sibi servavit et coluit. Quid his de exemplis evangelicis præparastis calumniam? sicut de vobis scriptum est: *Erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium* (*Isai.* XXVIII, 7). Nam dum profanis memoratos verbis cæditis, et inscitiam proditis et livorem. Isti ergo resurrectionem corporis quam prædicant, non credentes, hæreticis se miscuere contagiis? Isti quod abjurant linguis, corde sectantur? [1] Ergo quia dixerunt, eum timendum esse qui potest corpus occidere et animam mittere in gehennam; ideo a fide aliena texuerunt? ecce profundam imperitiam. En beatum Lucam cujus potestis assertione convinci, qui clamat: *Timete eum qui postquam occiderit corpus, habet potestatem animam mittere in gehennam* (*Luc.* II, 5). Quis hic locus erroris, ubi congruentia pari ductu exempli et historiæ verba concurrunt; nec diversum est ab intellectu catholico, et lectionibus quod profertur? Nunquam bene nodus in scirpo quæritur: non involvit nebula prædictæ lucis auctores. Resurrectionem ergo carnis non credunt, quia posse corpus confitentur occidi? quia peccatricem animam gehennæ mancipari? Densis cor vestrum vepribus suffocatur, et interna vitia aliis certat ascribere. [2] Joannis etiam apostoli jactatis scripta violari, quia ex verbis ejus dictum est: *Si dicamus quia peccatum non habemus, mendaces sumus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). De codicum diversitate nil queror. Ideo ergo corrupta sunt apostoli monita, quia non junxerunt. *Nos ipsos decipimus*, et quia junxerunt *mendaces sumus*? Non solum divinæ, sed etiam humanæ rationis ignari, qui veritatem non habet, mendax recte censetur: nec alia re nisi falsitate plenus est, qui integritate vacuus innotescit. Sed hæc in vobis non curanda sunt linguæ oratione, sed gemituum: nec magis sunt vobis exhibenda verba, quam lacrymæ: quia liquido nocens est, qui insontibus aut meritum culpabilis, aut nomen opponit. Reliqua objectionum vestrarum capita non revolvam: præstat silentio damnanda sepeliri. Nobilitatem dat facinoribus, qui ventilationem ipsorum multiplici ad aures posteras relatione transmittit. Beati Pauli est sequenda sententia, qui monet per discipulum cunctos et clamat: *Inanes quæstiones evita* (*II Tim.* II, 23). Multa enim sunt in propositionibus vestris, quæ ita feculentis ulnis peccandi amor amplectitur, ut fiant indigna memoratu: plura levitas dehonestat, dum subductis eviscerantur verba vestra ponderibus, et de religionis causis elocutio ventosa componitur, auris congruam sortita gravitatem: quæ in palearum abundantia nihil est horreis illatura de tritico, dum infecundam frugibus culmorum parturit ubertatem, et spem de herbæ luxuria mentitur agricolis: de quibus nihil lucri ventilabra reperiunt, igni debita, incendioque peritura: de his scriptum est: *Dormierunt viri somnum suum, et nihil invenerunt* (*Psal.* LXXV, 6). Nihil est, carissimi, pace dulcius, si tamen saporem ejus non plenum amaritudine pectus excludat. Breviorem quidem admonitionem debueram, quam prolixam non parva vestri consideratio, et diu in vobis jurgiis exercitata frons protulit. Usus est multa peccantum, stricta allocutione non corrigi: et effusionem plurimi, quam in delictis habuerunt, in monitoris sermonibus hanc requirunt. Me satis est et diligentiæ vestræ, et jussis cœlestibus obsecutum. In his quæ secutura sunt, locum sermonibus non relinquam: quia hæc refero; mundi caput Romam per vestras intentiones esse prostratam, et nutricem pontificii cathedram, quasi ultimum videre sedile despectam.

Cujus vocem beatus Paulus excepit, et illa qua semper usus est eloquii intonuit libertate: apostolorum principem lenitatis incessens, quod fluxis et profligatis mentibus parentis adhuc servaret affectum: nec in profundum ductis ulceribus ferro medicante succurreret rescindenda docens lanienis secreta morborum, et manifestæ desperationi salutiferum esse vulnus adhibendum: ne dum manus medici per pietatem a sectione carnis corruptæ suspenditur, de abstinentia teli invitetur exitium: quia dum parcit ægris dextera, curandos interficit; nec grandis est differentia, utrum lethum inferas, an admittas: mortem languentibus, qui cum possit non excludit, inflixit. His ergo adversus eos oris januam patefecit alloquiis.

Omnis qui judicas, in quo alium judicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas. Scimus autem quia judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt (*Rom.* II, 1). Et iterum: *Beatus qui non judicat, in quo probat seipsum* (*Rom.* XIV, 22). Quæ malum ratio est, ut prædicet non furandum, qui furatur: et prodigum verecundiæ frontem nube vestiat impugnationis alienæ? Nemo recte monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata con-

[1] *Ergo quia dixerunt*] Verba synodi: *Senatum amplissimum monentes et instruentes causas Dei ipsius judicio esse committendas, qui valet corpus occidere et animam mittere in gehennam.* Qui in his verbis hæresin astruebant, non in beatum Lucam injurii, sed in Christum ipsum qui apud Lucam loquitur, impii erant.

[2] *Joannis apostoli scripta violari*] Non tam verba ipsa Joannis citarat synodus, quam ex verbis sententiam. Sic enim habet: *Quamvis nullus est, qui delicto careat, sicut Joannes testatur apostolus, Si dicam, quia peccatum non habeo, mendax sum.*

demnat, et amorem innocentiæ conversatione demonstrat. Nam adjacet etiam publicanis, amica moribus vitia damnare sermone, et sceleratioribus linguæ officiis punire quod diligant. Quasi non quoddam genus sit majorum excessuum, dare rei affectum labiis, quam mente despicias, et ingenii virus colloquii melle vestire. Hæc sic ago, quasi si vobis esset pudor, pudicitia, venustas affectui; liceret accusare doctorem, et adversus electum oris lividi morsus aptare: cum ante futuri præscius per epistolam ad vos datam plena voce monuissem: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat: quis est qui condemnet* (*Rom.* VIII, 33)*?* Et iterum: *O homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis illa, putas quoniam effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis* (*Rom.* II, 3)? Accusatis malitiam *repleti iniquitate, fornicatione, avaritia, nequitia, invidia, homicidiis, condemnatione, dolo, malignitate, superbi, elati, inventores malorum, parenti non obedientes, insipientes, incompositi, sine misericordia* (*Rom* I, 29). Docetis fornicantibus neminem esse miscendum, adulteri Laurentii aut sequaces, aut prævii: per quos ille aut exseruit quæ habebat toxica, aut quæ effundens monstravit, accepit. Post illam illecebrosæ communionis maculam, et pestem toto orbe exsecrabilem, sacerdotes Dei, quasi obsoleta comparatos communione, culpatis: reos putatis esse, qui subiere consortium nullo teste convicti: et sectamini hominem toto ecclesiasticæ inscriptionis, non dicam stylo, sed ense perfossum. Quod licet, non licet; et quod non licet, licet. *Quemadmodum Jamnes et Mambres restiterunt veritati; sic et vos mente reprobi, circa fidem proditores, protervi, inflati, amantes voluptatem magis quam Deum; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ipsius abnegantes* (*II Tim.* III, 8, et IV). O vim doloris interni! qui nequit expedire quod concepit; qui profundis ingestum visceribus loquendi affectum quem imperavit, irrumpit. Nihil vobis ultra plus eloquar: quod de oratione remanet, lamenta supplebunt.

Post hæc si inter manus medicorum curatione ægrescitis, nec aliqua a cœpto salutis consideratio vos reducit; saltem orbis parentem urbem vestram respicite: ipsa vos post defensores suos apostolos mœrens aggreditur, ipsa compellat; et si quid est pietatis in reliquum, orditur impetratura sermonem.

Me, quam Dei summi templa, repudiatis fanorum cultibus, et novæ lucis nitore gaudentem, fecerunt esse conspicuam: quam post sacella sordentia, et multo pecudum tabo polluta, ab hostiarum cruore, dominici et apostolici sanguinis effusio purgavit: quam reducta post longum sanitas febrium fecit delubra contemnere; quam a victimis liberavit oblatio; quæ pacem Christi per idolorum inimicitias acquisivi; cui non fuerunt pene numerosiora dona, quam nu- A mina; quam religiosus reddebat varia devotione mendicam, quam egestas oppresserat frequentia a diis suis beneficia postulantem: quæ Curios, Torquatos, Camillos, quos Ecclesia non regeneravit, et reliquos misi plurimæ prolis infecunda mater ad Tartarum, dum exhaustis emarcui male feta visceribus: quia Fabios servata patria non redemit, Deciis multo sudore gloria parta nil præstitit: profligata est operum sine fide innocentia: criminosis junctus est æqui observantissimus, quia Christum ignoravit, Scipio. Per totam vellem stylum ducere, si orbatæ pectus pateretur, infantiam. Sed quisquis lamentationis transacta relegit, lacrymarum tempora videtur optare. Nemo creditur non odisse, quorum relatione non læditur: qui siccam faciem de filiorum funeribus B referens servat, certo teste crudelitatis arguitur. Illa posteritas puls mœroris attulit perdita, quam jucunditatis acquisita. Relegamus tamen quibus mutata sint ista successibus. Ecce jam in illo sacrario libertatis nihil servile de idolorum cultibus invenitur: ecce honorum corona, orbis genius flos Romanus, quæ diu venerata est plena sanctitate calcat altaria. Ecce jam curia mea ad cœlum vocatur, laudatur, accipitur: nec possum dicere, perdidisse me sobolem post gratiam baptismi, quam vel repentina mors abstulit. Multos trabearum vel curulium possessores supremus regnator sine dispendio cultus, aut dignitatis amplectitur. Pene jam terreni munificentia triumphi divinum mercatur affectum; et hoc ad Christi gratiam proficit, quod mundo studetis esse venerabiles. C Mentior, nisi egena agmina consulatus vestri in subsidio miseriarum præstolantur adventum. Etenim purpura vestra qua anni vocabulum nobilitatis, subripientem miseris vestimentorum largitate pellit algorem. [1] Prope jam iterum necessitatibus fuerunt auxilium decora fastorum; et veteri infidelitate deposita, in tali præparatione census dispendia efficiuntur lucra animarum. Ecce nunc ad gestatoriam sellam apostolicæ confessionis uda mittunt limina candidatos, et uberibus gaudio exactore fletibus collata Dei beneficio dona geminantur. Quis tempore quo pretiosis siccamus ubera partubus, quo prolem nostram æterna genitrix rursus paritura nunc suscipit, cujus post primam nativitatem grandævis fetibus alvus impletur, D quæ mihi prolem regenerando dulcem facit esse, quam peperi, quæ ad se venientes senium facit exuere, et ad vitæ principia redire contractos, quis hanc felicitatem, rogo, interpellatione commutat? Quis per discordiam viperina mente compositam aurei mihi sæculi jubet perire beneficia? quis in renovatione mea occasum clandestinus inspirat, et per blandæ frontis speciem inimicitiis vires acquirit? Generosam in tali negotio prosapiem non agnosco. Si qui sunt tamen summorum, quos vilibus tempestatis hujus procella sociavit, aliis auctoribus facino-

[1] *Prope jam iterum*] Consulum olim mos fuerat pecunias in populum spargere, cum procedebant: eum morem abrogarat Marcianus, lege 2 cod. de Consulibus. Itaque Ennodii tempore non spargebantur. Sed quia ejus ævi consules, in honoris sui auspiciis multa in pauperes erogare solebant, pristinum morem quodammodo, sed feliciori liberalitate, renovare videbantur.

rum participatione maculantur. Splendor sanguinis, et si communionem criminis incurrit, nescit tamen ducem se præbere peccantibus. Habet forsitan reatum de neglecta cautione, non habet dignum supplicium de scelerum principatu. Sub quadam verecundia jungitur delinquentibus, qui ad adulta jurgia convocatur: non meretur desperationem perditi, in quo facilis tantum crudelitas improbatur. Vos potius video, triviorum germina, vos agnosco: in quibus naturæ vilitas convenientes sibi mores peperit; quos degenerasse claritas fuerat: qui per mentitæ titulum religionis gaudetis impunitate vitiorum: quorum labia nunquam aut honorum sapor tetigit, aut quietis: qui fas omne origini parendo violatis, quos de latebris et specubus productos præsens causa monstravit. Quis ante concinnationem mali hujus, qui essetis, agnovit? diu fovistis secreta, quibus vos nox generationis abdiderat. Redite potius ad amicam cæcitatem: nobis serenam et diuturnam lucem relinquite: concordiam Ecclesiæ, aut absentia, aut correctione præstate. Si tamen vultis vos numerari inter splendidas prosapies, actuum emendatione cognoscam.

OPUSCULUM TERTIUM.

[1] Vita beatissimi viri epiphanii episcopi ticinensis ecclesiæ.

Quamvis me urgeat suscipiendi operis anceps necessitas, et e regione impositus sit, nec meo labore vacuus, nec maledicorum disceptatione tractatus; in quo gemina cautio dictionis, hinc ubertatem exspectet ingenii, inde etiam lingua divitibus narrandi frenos imponat; cum ipsas eminentissimas, ut putentur, in sæculo vana inflatione personas si quis ventoso nimium studuerit elevare præconio, aut intra gestorum terminum inopia eloquii continere, utrumque apud eas judicetur ingratum. In laudibus enim ipsis turpe est illa cudere, quæ nec ille de quo narrantur, agnoscat: sic injuriosum et dolore dignum putatur, illud præterire silentio, quod relatio vera possit attollere. Etenim res bene gestæ veterum nostrorum pro referentis apud nos accipiunt facultate virtutem. Nam veræ aut perit notitiæ, aut attenuatum transit ad posteros quod ad explicandum pauper verborum vena susceperit: et illa haud justo [2] liberior laudatio tantum decerpit gloriæ, quantum falsitatis adjecerit. Fit vero plerumque, ut fide carens cumulus minuat probe facta multorum, et sit vana narratio quæ crescit ex mendaciis: intempestiva et mendica nimium, quæ non pertransit ad terminum. Quocirca vitam beatissimi Epiphanii Ticinensis antistitis narraturus, invito Spiritum sanctum testem actuum ejus et comitem, ut ipsius auxilio gloriam conscientiæ serenissimæ quam eidem concessit, tradam chartis victuris in sæculo; ut exemplum præbitura virtutum nunquam fama moriatur. In quo tamen opere, si me angustia non coarctaverit eloquentiæ sub certa lege currentis, ut saltem cruda per ordinem digeram facta meritorum: nihil tamen de laboribus ejus tam mediocre vel humile inveniam, ut necessariis illud bullis,
B ut plerique solent, vividi sermonis amplificem. Testes etenim calentium citabo negotiorum, et tropæa illius adhuc fumantia, et exornata de manubiis diabolicæ nuditatis ostendam. Nemo enim sub oculis præsentia pene et nimium nota commemorat, nisi qui de veritate confidit: ut quos forsitan ficta dicturus, velut impudentiæ meæ conscius, evitarem, eorum auribus relegam illa quæ cognovit aspectus.

Igitur præfatus vir insignis Epiphanius oriundo Ticinensis oppidi indigena fuit, patre Mauro generatus et matre Focaria editus, quæ [3] sancti etiam Mirocletis confessoris et episcopi tangebat prosapiem hominibus ex liquido ingenuitatis fonte venientibus. Sed quid illorum retexam sanguinis prærogativam, quorum familiæ et nobilitatis caput est filius? Qui sub
C decessore suo viro integerrimo [4] Crispino pontifice cœlestis militiæ tirocinium sortitus, annorum ferme octo lectoris ecclesiastici suscipit officium, signo ante cœlitus demonstrato. Nam dum esset in crepundiis lactentis infantiæ, fulsisse ejus cunabula superno lumine videre complurimi: ut futuram mentis claritatem lustrans eum et præcedens fulgor ostenderet, secuturumque splendorem in moribus jam tunc typica luce signaret. Notarum in scribendo compendia, et figuras varias verborum multitudinem comprehendentes brevi assecutus, in Exceptorum numero dedicatus enituit, cœpitque jam talis excipere, qualis possit sine bonorum oblocutione dictare. Igitur processu temporis et laboris ad sextum et decimum
D ætatis annum divino favore perductus, cana consilia in annis puerilibus meditabatur. Vernabat in illo præ cæteris mater bonorum operum verecundia. Ita famulabatur antistiti libens, ut si quid operis gereretur ab

[1] *Vita beatissimi Epiphanii*] Hujus Vitæ vix tertia pars erat in editione Basiliensi: nos reliqua supplevimus ex manuscriptis. Ac sane intererat publici juris fieri totum hoc opusculum, quod inter Ennodiana, ut maximum, ita optimum videtur, et variam ac multiplicem illorum temporum historiam complectitur.

[2] In edit. Schotti, *liberialor,* Bollandus, *illa justo liberior.* Forte *illa justo liberalior.*

[3] *S. Mirocletis*] Episcopi Mediolanensis, qui judex inter alios sedit in causa Cæciliani, temporibus Constantini, ut narrat Optatus lib. I. Mirocletis sæculi vitio dictum, pro Miroclis, quo usus est Mirocles ipse in epigrammate, quod beato Anatholoni episcopo prædecessori suo posuit, clausitque hoc disticho:

Hic titulum, et picto venerandos pariete vultus
Miroclis reddit Præstitis alma fides.
MIROCLES EPISCOPUS.

[4] *Crispino pontifice*] Ticinensi, cujus nomen exstat inter cæteros illius provinciæ episcopos, qui synodicæ Eusebii episcopi Mediolanensis ad Leonem Magnum epistolæ subscripserunt. Meminit ejusdem Ennodius carmine 9, eique acceptum fert quidquid laudis fuit in ejus discipulo et successore Epiphanio.

altero, graviter ferret subreptum sibi fuisse servitium. Accipiebat senes graviter, juvenes comiter, et coercebat jam tunc facinorosos audacter : erat primis subjectus, prioribus sancta injungentibus obsecundans, æqualibus blandus atque officiosus, sequentibus mera caritate communis : nulli se præferens, cum religioso cursu per cœlestem tramitem omnibus anteiret, laudationis amore vacuus, cum quotidie in eo laudanda adolescerent : cumque res gloriæ dignas per horarum momenta consummaret, perire fructum gloriæ opinabatur atque mercedem, si prætulissent homines, quod soli Deo exhibebat abscondite. In summa, apostolici memor oraculi, assentationes respuens, in semetipso, teste conscientia, pro boni operis recognitione plaudebat.

Illud vero libandum esse non abnuo, quod formositas in illo lucis corporeæ index animæ fuit, et tantum contra studium illius formæ decus enituit, ut nec forti viro posset oppugnante subverti. Ridebant genæ, etiam cum animus mœstitudine torpuisset : nitida simul labia commendabant dupliciter mella sermonum : necnon quocunque vertisset oculos, serenitatem mentis nuntiabat aspectus : frons cereæ pulchritudinis, et candoris illius quæ solis passa radios colorem traxit ab æthere : nares in tanto naturaliter splendore formatæ, ut illas nequiret imaginibus corpora repræsentans pictor æmulari : manus teretes, prolixi digiti, de quibus aliquid et alienigena gauderet accipere. Staturæ proceritas decens, quæ eminentiam secuturæ dignitatis præfiguraret in membris ; nec tamen modum ornatissimæ prolixitatis excederet.

Sed ne quis forsitan malitiosus interpres intempestive pósitum jactet, in viro tantarum virtutum de lepore carnis factam esse mentionem, cum in illa veteri mandatorum cœlestium radice sit insitum, sacerdotum corpora sagaci debere insinuatione lustrari : ne quid debile, vel de forme, ne quid plus minusve esse contingat, neve inolitam maculis cutem superficies fœda dedecoret (*Lev.* XVIII, 21 *seq.*) ; ne fractura manus, aut fractura pedis aut gibbus indignum altaribus reddat antistitem : et clamet doctor gentium et electionis vas (*Rom.* XIV, 2), hominem mundum ad ejusmodi debere officium pervenire : quod non solum de animæ, sed etiam de corporis creditur nitore dixisse. Qui deformem ac debilem a libaminibus suis mandat arceri, invenitur eos qui multipliciter grati sunt, admittere libenter : præsertim in quo lucem membrorum animæ fulgor exsuperat ; nec naturaliter illud terrenum decus aliquibus artificiis adjuvatur.

Præstrictis ergo his quæ oportuit non omitti, ut cui innotesceret opere vir immensus, præsentaretur et vultu : transeam ad illa quæ de cultoribus Dei non mediocriter laudanda fronte narrantur. Erat in eodem sermo ad doctrinam congruus, fabricatus ad blanditias, [1] ad intercessiones jam tunc artifex, ad A corripiendos singulos auctoritate plenus, ad exhortandos quosque necessario lepore dulcissimus : vox sonora, succo virilis elegantiæ condita, nec tamen agrestis ac rustica, nec infracta gradatimque a mascula soliditate deposita. Illum quicunque vidit, cum necdum dignitatum aliquod limen intrasset, omnia eum transisse credidit, quæ sequebantur insignia.

Talis jam ad decimum octavum ætatis suæ pervenit annum. In quo, secundo a levitis numero dedicatus, senum cœtibus puer adjunctus est. Stupuerunt plurimi, sed externi, qui mores illius cum ætatis immaturitate jungebant : seram credebant dignitatem hanc redditam esse ; qui noverant. At ille venerabilis Crispinus episcopus, favoris nescius, pertinaci tenens districtione censuram, et quem nunquam nisi bona B conscientia duxit ad gratiam, sic eum mulcebat sensibus, ut morderet obtutu ; et sub specie frontis rigidæ clandestinum circa discipulum nutriebat affectum. Pascebatur alumni sui optabili conversatione pater, et omnibus ejus actibus oculos amœnabat. In quo tamen ille subdiaconi ordine nihil amplius quam biennio commoratus, meritorum suorum saltibus evectus exsiluit, nec se diu intra angustias modici honoris anima est dives passa refrenari. Festinabat ad leviticem dignitatem conscientia, quam nunquam vota præsumpserant : exigebat conversatio, quod desideria penitus ignorabant.

Circa metas tamen præfati honoris et terminum, unum ejus opusculum summo tenus libet attingere. C [2] : Summias vocitatur ager, qui in eo loci situs est, in quo terrenum marginem gulosus Padani gurgitis morsus arrodtt, et flexuose serpens fluvius largitur in compendio alterius, quod furatur ab altero ; simulque fit lucrum finitimi aliena calamitas. De hujus prædii finibus antiqua cum clericis Burco quidam lite certabat : ad quod jurgium dirimendum senile nimis, et præter quam conjici possit annosum, adhuc puer iste dirigitur. Electus est enim, qui et fortiter [2] illas intentiones exciperet, et maturitate consilii inferendas temperaret. Attulit tamen, quod solet omnium mater intentio. Nam processu sermonis, et scandali, ipse Burco qui malitiæ suæ sordido lenocinaretur assensu, summum facinus sine aliquo timore commisit : nam sanctum virum ita fuste percussit, ut sanguis D protinus ebulliret. At ills paratissimus iram repressit, nec vindictæ spe provocatus efferbuit : turbatumque potius et attonitum percussorem blandissimo delinibat affatu. Illico miseram se clamans, et orbatam filio ob atrocitatem facti, Capraria Burconis mater occurrit. Credere eam circa funus pignoris sui illa qua fugatur omne consilium in carorum mortibus, lamentatione jactari. Lambebat vestigia sanctissimi juvenis ejulans mater, et, Parce, clamabat, illi, quem nunquam ad indignationem vis ulla compulerat. At ille supplicantem prohibebat, ne sibi invidiam ro-

[1] *Ad intercessiones jam artifex*] Ad deprecationes quas pro miseris et oppressis apud potentiores adhibere solebat Ecclesia, ut dictum est lib. I, epist. 7, de quibus semel atque iterum paulo inferius.

[2] *Summias ager*] Ticine vicinus. Padi alluviones scite describit : de quibus et Lucanus :

Illos terra fugit dominos, his rura colonis
Accedunt donante Pado.

[3] Schottus et Bollandus, *illatas*.

gando concitaret, ne se non merentem delati honoris sarcinis impediret. Turbata est repente civitas : omnium Christianorum in furorem versæ mentes. Burco ad exilium poscebatur, et in tanta hominum multitudine nemo placidus, nisi qui injuriam fuerat passus, inventus est. Flebat egregius pontifex, de infirmitatibus suis et molestiis gaudente discipulo. Nam ita satisfaciebat pro eo qui putabatur inimicus, singulis, ut nec gloriam parcendo jactanter quæreret, nec vindicando mandata cœlestia præteriret.

Brevi post ad diaconii evectus infulas, vicesimum annum ætatis ascendit, facie nec dum bene barbata. Turbabatur suscepti honoris tirocinio homo, qui jam ducem poterat implere Christianum : singulorum pro pudore declinabat aspectus, quem universa civitas, quasi salutis signum aliquod attendebat. Interea supra dictus antistes omnem ecclesiasticæ conversationis substantiam et divitias pauperum suorum in ejus potestate committit, volens ante episcopatum cognoscere, qualem futuris temporibus præpararet episcopum. Et cum vix sit, ut ab eorum personis, de quibus successionis seritur quantulacunque suspicio, invidia temperetur ; in istius gratia sibi credebat perire [1] sanctus pater, quidquid fuisset minus exhibitum : quædam in illo sua, quædam volebat esse majora. At iste quotidianis profectibus, etiam cupidissimi in oratione genitoris voto transcenderat. Erat enim genitor, cujus eum per Evangelium conceptum verbi cœlestis semine feta alvus effuderat. Nam de pudicitia juvenis mei quid loquar? in quo domum sibi statuerat castitas, et continentia radices fixerat in profundum? Virum se esse, nisi per laboris patientiam, ignorabat : carnem habere, nisi cum moriturum se esse meminerat, nesciebat. Quoties tamen illum corporeus appetitus, sicut ab ipso didici, ludebat imaginibus somniorum, illico ad vigilias sanctas, continuata jejunia, standi diutissime necessitatem plena aviditate currebat ; talemque bellatrix dextera animæ suis certaminibus reddebat carnem, ut illi opus esset postea pro necessitate succurri. Nec tamen refecto corpusculo indulgebat otio : utebatur lectione pro requie, librorum venerabilium pro blandimentis instrumenta suscipiens : memoriter semel transcursa reddebat : et ne crederetur Scripturarum divinarum tramitem verborum tantummodo celeritate transvolasse, pingebat actibus suis paginam quam legisset. Si propheta fuisset in manibus, prophetantem videres codice amisso lectorem : si Testamenti Veteris recensuisset volumina, Moysi dignus æmulator incedebat : taliter ac si illum Israelitica per desertum agmina sequerentur. Si apostolicum lac verborum et mel dominicæ passionis severitatem legis condiens A Scriptura index revelasset, continuo ex ore ipsius dulciora favis verba fluxerunt. Postremo quid libri docuissent, vita signabatur.

Domum taliter regebat Ecclesiæ, ut nec profusione immoderata commissam penum exhauriret, nec odia sordenti parcitate contraheret. Intercessionum etiam tunc certaminaproludebat. Nam ubicunque pro remediis miserorum episcopi mittebatur imperio, tanta exigebat beneficium arte supplicandi, ut sentirent sibi in causis profuisse complurimi, ipsum per se episcopum non venisse. Augebatur circa eum per dies singulos popularis affectus et magnis successibus cumulabatur amor, qui ex judicio descendebat. Desiderabatur in eo sacerdotium, cum nemo nutritoris B sui optaret interitum. Ipsum tamen ne odor quidem hujus opinionis afflaverat : arbitrabatur ad profectum suum sufficere, si cum bona semper æstimatione serviret. Postquam tamen invalida senectus, et semper de infirmitatibus querula venerabilem virum Crispinum pontificem occupavit, istius sustentabatur manibus, in hujus nitens erigebatur amplexus, pes illius erat, oculus, dextera ; cujus ministerio, quidquid optasset fieri, ante jussionem suam videbat impletum. Præsentiunt enim bonæ mentes eorum desideria, quibus cum integritate famulantur. Talis in diaconatu, a vigesimo incipiens, octo annos explevit : et quidem tunc status Ecclesiæ Ticinensis bona clericorum fruge pollebat. Erant cœlestes viri, quos iste a perfectione incipiens [2] amabat : fuit Sil-C vester archidiaconus ea tempestate, homo in vetusta disciplinarum instructione probattssimus ; Bonosus presbyter, tam nobilis sanctitate quam sanguine ; Gallus quidem prosapia, sed cœlestis indigena : fuere alii et numero plures et virtute præstantes, quorum idcirco facio mentionem, quia parva laude dignus est, qui tantum miseris antefertur.

Circa finem tamen vitæ quem spiritu prævidebat sanctus antistes, Mediolanum vicinam expetit civitatem, ubi nobilium germina messe quadam mundæ ingenuitatis excreverant. Quos visitationis gratia requisitos, talibus vir Dei sermonibus appellavit. « Ecce, filii, jam me ætas compellit ad transitum. Jam originariam ad jus suum revocat terra particulam. Commendo civitatem, commendo Ecclesiam, commendo D hunc, cujus labori et gratiæ debeo, quod usque ad hoc tempus vixi, et grandævus et debilis. [3] Corporea soliditas et virtus animæ imbecillitatem meam portavit sine fastidio : cujus ambulavi pedibus, tenui aliquid manibus, vidi oculis, ordinavi sermone : duo videbamur intuentibus, cum unus per concordiam fieret ex duobus. » Hæc, [4] Rustico illustri viro dicta penitus insederunt, qui in omni dicendi genere exer-

[1] *Sanctus pater*] Basilienses *sanctus papa*, quod etsi in aliis ferri posset, quia papæ nomen quibusvis episcopis plerique tribuebant, Ennodio tamen non convenit, qui ut ad epistolas docuimus, unicum Romanæ sedis pontificem papam vocat. Nam quod objici posset, Epiphanium quoque papam infra in hoc opusculo appellari, id nihil efficit, quia Eurici verbo sunt quæ eo loco recitantur, non Ennodii. Idemque judicium de Vitæ titulo, ubi papa dicitur Epiphanius : nam ascititium videtur. Itaque patris nomen hoc loco reddidimus : quod asserunt vetera exemplaria, et quæ mox sequuntur, satis confirmant, ubi genitor nuncupatur.

[2] Bollandus, *anteibat*.

[3] Schott. et Bol., *cujus corporea*.

[4] *Rustico I. V.*] Illi, opinor, qui paucis ante annis consul fuerat cum Olybrio, anno scilicet 462. Hic Rusticus Mediolanensis, alter eodem tempore in Gallia Rusticus Burdigalensis, ad quem scribit Sidonius lib. II, et de quod item lib. VIII, epist. 11 : *Satis*

citatissimus, tali est orsus eloquio. « Scimus, sancte Pater, scimus, et profunda consideratione perspeximus, juvenem istum non oportere pro ætatis immaturitate censeri, nec debere gravis concilii hominibus teneros pro quadam obice annos afferri : vir namque cana morum integritate probabilis geminata laude dignus est, si illi ad venerabile mentis imperium puerile corpus obtemperet. Vive tu tamen, vive, exemplum et forma bonorum operum, et uberiores in eo, si adhuc possunt crescere, lucidæ conversationis fructus adjunge. » His dictis conticuit. At ille piissimus pontifex benevolentiæ ejus impendens gratias, quod secum pari de discipulo exstimatione sentiret, dicto vale, discessit; atque Ticinum quasi ad sepulcrum festinans regressus est : qui aliquantis diebus emensis morbo regio perfusus, lucem sæculi nostri superna habitatione commutavit.

Exemplo in istum bonorum omnium consensum adducitur: magnus illico in tota urbe concursus : rapitur a lamentatione funebri in gaudium populi consecrandus antistes. Flebat iste intemperanter dolore mortis paternæ, cui reddi debitas aliquas lacrymas promiscuæ multitudinis lætitia non sinebat. Resistebat in quantum poterat, et indignum se jam apostolica imitatione clamitabat : sed tantum magis surgebat in eo dilectio cunctorum, quantum in multitudine magna solus erat, qui se vocitaret indignum. Nunc quid pluribus utar, qui omnia explicare non valeo? Finitimarum civitatum junguntur studia, et attrahitur tanta collectio, ac si initiandus esset totius orbis episcopus. Ducitur Mediolanum adhuc reluctans, et magna si dimitteretur munera promittens, qui ut fieret, noluit spondere vel minima. Consecratur cum omni celebritate cunctorum. Exsultabat mundus de tam sanctæ ordinationis insignibus. Extranearum habitatores urbium tanto se tripudio jactabant, quasi ipsis proprie profuturus infulas sacerdotales exceperit. Aliquos tamen magnarum urbium incolas edax consumebat invidia, quod tantum oppidi Ticinensis angustia habere meruisset antistitem, cum apud ipsos sola pontifices metropolitanæ jactantiæ vocabula tuerentur.

Exacto ergo dedicationis suæ die, Ticinum rediit, convocatisque universis presbyteris ac ministris, talibus eos instruxit et confortavit alloquiis. « Quamvis me, fratres carissimi, inter primordia immatura titubantem judicii vestri et susceptæ dignitatis pondus oppresserit, memini tamen quid gratiæ vestræ debeam, cui maxima contulistis. Et licet parendi vobis magis quam jubendi habuerim voluntatem, mutavi tamen per officium personam serviendi, animum non amisi. Estote pacifici, estote unanimes; onus meum mecum dividite : fit enim ad portandum facilis sarcina, quam multorum colla sustentant : meam vobis communionem servandam cum omni humilitate pollicetur; neque futurum esse quemquam, qui me, nisi cum Deo nostro, possit offendere : auctorem bonorum omnium servate pudicitiam, et ne injuriosum putetis quod grandævos et presbyteros de continentia et integritate servanda puer appellat : conversatio, non anni, aut adolescentiam aperit, aut senectam. Speculamini meæ conversationis interna, et si indignum aliquid agnoscitis, coercete. Nemo ut Ecclesiæ principem admonere timeat, si probat errantem. » His ita dictis, conticuit. Surrexerunt omnes, et consona, quasi ex pristina meditatione, sub momentanea tamen voce dixerunt : « Ave, Pater probatissime, ave pontifex singularis : bonum te quidem universorum sensit electio ; sed optimum etiam tua testantur alloquia. Crescis sanctis meritis apud conscientiam nostram, et aperiris luce operum, supra quem porrigebatur opinio. » Quibus breviter perstrictis, suscepto omnes munere discesserunt.

Mox sibi beatus antistes proprio ore leges quibus se posset tenere, dictavit. Primum statuit non lavandum, ne nitorem animæ et interioris hominis fortitudinem balnea magis sordibus amica confringerent. Deinde decreverat nunquam esse prandendum; sed ne propositi sententiam supervenientium vis ulla temeraret, et aut jactantiæ nebulis, aut avaritiæ fama læderetur, diffinivit nunquam sibi cœnandum ; ut commutatio horarum, ac per hoc semel in die reficiendi tempus afferret. Cibos jussit sibi placere viliores, nihilque in apparatione ferculorum nares saporemque suum posse offendere, nisi quod aromatibus condiretur. Olerum et leguminis pascebatur epulis; sed neutrum horum usque ad satietatem capiens : vini quiddam parum, quam tamen exiguitatem apostolicæ admonitionis memor sumebat ob stomachi cavendam debilitatem. Procedendum censuit omnibus in quolibet aeris terrore maturius : ita ut vigiliarum formam lectoribus antecedens ad ecclesiam præberet episcopus. Postquam vero ad altaris confinia pervenisset, nullam deliberavit futuram esse necessitatem, qua inde nisi impletis solemnibus posset abduci. Junctis pedibus usque ad consummationem mystici operis stare se debere constituit : ita ut humore vestigiorum locum suum depingeret, et longe aspicientibus indicaret. Intercessionum tantam sibi proposuit curam, ut ipsum se miseris inferre crederet molestiam, quam per negligentiam a quibuscunque permisisset inferri. Ad patientiam laboris tempore otii, necessitati ut sufficeret, corpus aptavit. Hoc sibi vivendi pragmaticum vel disciplinæ dogma proposuit, aggressus est, servavit, implevit.

Mox vero per universum mundum sanctam illius conversationem illa, quæ licet in gloriosis actibus tardior esse solet, fama non tacuit. Sed [1] ad aures

facetum, Solo et nomine Rusticum videto. Verum præcipuæ notæ codices hoc loco Rusticium legunt.

[1] *Ad aures Ricemeris*] Ricimer Anthemii Aug. filiam uxorem duxit anno 467, ut docet nos Sidomius, qui sub ejus anni finem Romam ingressus nuptiis intervenit, lib. I, epist. 5. Idem Anthemium socerum civili bello adortus interemit anno 472. Nec posterior igitur hoc anno, nec prior illo potuit esse legatio, qua Ricimeris nomine functus est ad Anthemium. Sigonius, et abi partim ad annum 471 referunt, partim ad sequentem, perspicuo anachronismo. Novus enim adhuc episcopus erat Epiphanius, ad Ticinensis urbis

Ricemeris, qui tunc secundis ab Anthemio principe habenis rempublicam gubernabat, detulit. Nam imperatore Romæ posito, seminarium inter eos jecit scandali illa quæ dominantes sequestrat, invidia, et par dignitas causa discordiæ. Surrexerat enim tanta rabies atque dissensio, ut mutuo bella præpararent; et præterquam origo irarum proprios suggerebat stimulos, lis ista circumstantium consilio nutriebatur. Nutabat status periclitantis Italiæ, et affligebatur ipsis discriminibus gravius, dum exspectabat futura discrimina. Interea apud Ricemerem patricium, Mediolani ea tempestate residentem, fit collectio Ligurum nobilitatis : qui flexis genibus soloque prostrati, pacem orabant principum, et ut ab scandalo utræque partes desinerent, occasiones gratiæ ab una precabantur offerri. Quid plura contexam? mulcetur Ricemer, et velle se reparare concordiam permotus multorum fletibus pollicetur. « Sed quis, ait, potissimum hujus legationis pondus excipiet? quem tantæ molis cura maneat? quis est qui [1] Galatam concitatum revocare possit et principem? Nam semper, cum rogatur exuberat, qui iram naturali moderatione non terminat. » Tunc uno omnes ore responderunt : « Vester tantummodo ad pacem declinetur assensus. Est nobis persona nuper ad sacerdotium Ticinensis urbis adscita, cui et belluæ rabidæ colla [2] submittunt : cui ante preces offeratur beneficium, quod a quolibet petiturus advenerit : cui est vultus vitæ similis, quem venerari possit quicunque, si est catholicus et Romanus; amare certe, si videre mereatur et Græculus. Jam si ad sermonem illius veniamus, nunquam sic diras aspides verborum digitis incantator Thessalus violentis poterit evocare carminibus, quomodo ille effectum petitionis suæ a negaturis extorquet. Pendet in arbitrio ejus, cum loqui cœperit, sententia audientis. Pendet jus suum, qui excusare disposuit, si illi allegandi copia concedatur. » Tunc patricius Ricemer ita respondit : « Detulit ad me hunc hominem quem exponitis, fama gloriosum : et in hoc magis admirationi mihi est, quod omnes habeat laudatores; nullos ejus quibus per invidiam abundare solet novitas, prodit inimicos. Ite ergo, et rogate hominem Dei, ut ambulet : jungite etiam meas preces. » Egressi de consilio (*an* concilio?) statim Ticinum petunt, causam narrant, fusis, ut istum laborem susciperet, beatus Epiphanius rogatur lacrymis : qui ne extenuaret beneficium, si filios diutina supplicatione torqueret, antecessit desideria postulantum : quos tamen taliter allocutus est : « Quamvis tantæ rei necessitas probatissimæ personæ pondus inquirat, et titubet sub gravi fasce portitor immaturus, affectum tamen quem debeo patriæ non negabo. » Quibus breviter narratis, quomodo erat loquendi A parcus, ad Ricencrem patricium perrexit : a quo simul visus et electus est.

Mandato ergo sibi legationis ordine, Romam petiit. In quo itinere quid molestiarum sustinuerit, quidve virtutum gesserit, festinans ad majora prætereo. Mox tamen ut supra dictæ urbis portas ingressus est, fama quæ absentem illum notum fecerat, digito cœpit ostendere. Conversi illico omnium oculi, stupuerunt mentes attonitæ, quod tantam sibi exhiberi reverentiam imago ejus index sanctitatis requireret. [3] Inexplicabilis se culpæ reum fatebatur quilibet potentum, si tantum genua ejus amplexus est : tollebatur clamor in cœlum : nemo illum in mortalium numero computabat, cui omnia cœlestis gratiæ videbant bona constare. Perfertur ad principem B Anthemium, studio legationis episcopum venisse Liguriæ, hominem quem nullus possit etiam dives eloquio sufficienter exponere. At ille, « Callida mecum Ricemer et in legationibus suis arte decertat : tales dirigit, qui supplicatione expugnent, quos ille lacessit injuriis : perducite tamen ad me hominem Dei : qui si possibilia precatur, admittam; si difficilia, supplicabo ne excusationem meam gravetur accipere. Dubito tamen an Ricemer apud me, quod poscit, obtineat : cujus scio votorum intemperantem esse personam, et in conditionibus proponendis rationis terminum non tenere. Sed veniat directus antistes, et laudatam jampridem præsentet effigiem. » Egrediuntur officia urbe tota palatina. Jube, rogaris audiebat episcopus.

C At venerabilis et sæculis omnibus probatus pontifex, posteaquam introgressus est, et proferendi sermonis donatus licentia, quamvis fugitivæ potestatis insignia, ostrum gemmasque rutilantes reverendæ imaginis fulgore compresserit (etenim quasi absente imperatore, ita in se oculos traxerat singulorum) tali narratione incipiens, januam oris reseravit : « Summa cœlestis Domini, venerande princeps, est ordinatione dispositum, ut cui tantæ reipublicæ cura mandabatur, per catholicæ fidei dogma Deum et auctorem et amatorem pietatis agnosceret; per quem bellorum furorem pacis arma confringunt, et calcans colla superbiæ concordia superat, quod fortitudo non prævalet. Sic namque David prædicabilem parcendi D magis inimico animus reddidit, quam intentio vindicandi. Sic perfecti sæculorum reges et domini, supplicantibus indulgere cœlesti arte didicerunt. Supernæ namque dominationis instar possidet, qui imperium suum pietate sublimat. Hoc ergo Italia vestra freta judicio, vel Ricemer patricius, parvitatem meam [4] oratu direxit : indubitanter conjiciens, quod Romanus [5] Deo munus tribuat, quam precatur et barbarus. Erit enim triumphus vestris proprie profuturus

cathedram nuper adscitus. Quare cum octavus ejus annus, ut postea dicetur, inciderit in tempora Nepotis, primam hanc legationem sub annum 468 contigisse necesse est.

[1] *Gatatam concitatum*] Anthemium quem Græculum mox vocat. Sidonius item de Arvando scribens, ejusque litteris ad Euricum lib. I, epist. 7 : *Hæc ad regem Gothorum charta videbatur emitti, pacem cum Græco imperatore dissuadens*. Græcum namque imperatorem appellat, non Leonem principem Orientis, cui rei nihil erat cum Eurico, sed Anthemium qui e Græcia nuper exortus Romæ regnabat.

[2] Bolland., *submittant*.

[3] Schot. et Bolland., *Inexpiabilis*.

[4] Schot. et Boll., *oratum*.

[5] Iidem. *Dominus*.

annalibus, si sine sanguine viceritis. Simul nescio quæ species fortior possit esse bellorum, quam dimicare contra iracundiam, et ferocissimi Getæ pudorem onerare beneficiis. Gravius enim percellitur, si postulata impetret, quem puduit hactenus supplicare. Tractandus deinde anceps bellandi eventus: in quo tamen si ita prævaluerint peccata certamine, vestro regno defraudabitur, quod partes utræque perdiderint. Nam quæcunque apud Ricimerem, si amicus est, salva sunt, cum ipso a vobis Patricio possidentur. Cogitate pariter, quia bene causæ suæ ordinem dirigit, qui pacem primus obtulerit.

Hactenus admirandus pontifex prosecutus, loquendi finem fecit. Tunc princeps erigens oculos, desertum se omnium vidit aspectibus, atque in eum invitatos vultus esse cunctorum: quem admirari nec ipse desinebat. Tunc alto trahens verba suspirio, ita orsus est: « Quamvis inexplicabilis mihi, sancte antistes, adversus Ricimerem causa doloris sit, et nihil profuerit maximis eum a nobis donatum fuisse beneficiis, quem etiam (quod non sine pudore et regni et sanguinis nostri dicendum est) in familiæ stemma copulavimus, dum indulsimus amori reipublicæ quod videretur ad nostrorum odium pertinere: quis hoc namque veterum retro principum fecit unquam, ut inter munera quæ [1] pellito Getæ dare necesse erat, pro quiete communi filia poneretur? Nescivimus parcere sanguini nostro, dum servamus alienum. Nemo tamen hoc credat propriæ causa factum esse formidinis: nam in tanta circumspectione salutis omnium, solum pro nobis timere non novimus. Bene enim apud nos compertum est, perire imperatori laudem suæ virtutis, qui pro aliorum cautela non meruit. Sed ut tuæ venerationi ad liquidum conatus illius aperiamus; quotiens a nobis majoribus donis cumulatus est Ricemer, totiens gravior inimicus apparuit. Quanta contra rempublicam bella præparavit? quantas externarum gentium per illum vires furor accepit? Postremo etiam, ubi nocere non potuit, nocendi tamen fomenta suggessit. Huic nos pacem dabimus? hunc intestinum sub indumento amicitiarum inimicum sustinebimus, quem ad fœdus concordiæ nec affinitatis vincula tenuerunt? Grandis cautio est, adversarii animum cognovisse: etenim hostem protinus sensisse, superasse est; perdunt semper deprehensa odia stimulos, quos occultata conceperant. Sed si in his omnibus reverentia tua, et vadis et mediator accedit, qui potes spiritali indagine consilia nefanda invenire, et inventa corrigere; pacem quam et tu poscis, negare non audeo. Postremo si solitæ calliditatis astutia etiam te fefellerit, certamen jam vulneratus assumat: me tamen, statumque reipublicæ tuis committo et commiendo manibus, et gratiam quam supplicanti et profuso per se Ricemeri negare disposueram, per te primus exhibeo. Profunda enim deliberatione compendiis nostris in hac parte consulimus, si in incertis procellarum erroribus navem ex veri gubernatoris ordinatione flectamus. Quis enim tibi excusare præsumat beneficium postulanti, cui oportuerat ante preces offerri? » Hæc imperator. At venerabilis sacerdos: « Gratias, inquit, omnipotenti Deo, qui pacem suam principis menti inseruit: quem ad instar superni dominatus vicarium suæ potestatis voluit esse mortalibus. »

Quibus breviter narratis, accepto etiam pro concordiæ firmitate ab Anthemio sacramento, discessit, festinans ad Liguriam reverti, quando resurrectionis dominicæ tempus instabat: per quod maceratis jejuniorum cruce corporibus, carne frigida spiritus hilaris recalesceret; dum a Redemptore nostro moriendo mors vincitur, et fidelis spei cibis anima saginatur. Vicesimo a se, cum Romam egressus est, futurum Pascha dies promittebat: tanta tamen iter celeritate confecit, ut quarto decimo die improvisus et famam præveniens, Ticinum ingrederetur, comitibus sane plurimis in via derelictis, quia nec abstinentiam ejus sustinere poterant, nec laborem. Ecce concursus præstolantium tanti antistitis adventum, domi positum videre, quem nondum Romam egressum fuisse cognoverant. Lætæ urbis tripudia attonito Ricemeri indicantur: pacem factam consono omnes ore clamitabant. Exsultatio infinita provinciarum: et sicut hominum mos est, gratius habere quod redditur, quam si omnino non pereat; dulcior erat concordia quæ post litem revocabatur, et pax quæ jam pene desperata contigerat. Et vocabatur reverendus pontifex, ut diu exspectatum Mediolanensibus præsentaret aspectum. At ille, ne velut debitas gratiarum actiones præsens videretur exigere, visitationes eorum sub colorata specie declinabat. Igitur processu temporis et laboris, quotidianis successibus vitæ in eum meritum geminabatur. Erat illi germana natu minor, religione non impar, [2] Honorata nomine cujus vitam per singula virtutum genera longum est eloqui. Sufficit tamen ad laudum ejus cumulum, dignam tanti viri sororem dixisse. Hanc in ipso quo de legatione rediit, consecravit anno quam tamen imbuendam disciplinis cœlestibus, quasi sancta illi natura non sufficeret, Luminosæ cuidam feminæ stupendæ sanctitatis et singularis exempli commisit: cujus oporteret fortassis natalium culmina relegi, nisi insignior fuisset vita quam sanguine. Hæc enim fuit talis, de qua se crederet habere et ipse quod disceret, qui erudiendam consortem uteri committebat. Nam brevi apud hanc depositum antistitis pignus effloruit, et ad maturitatem bonæ frugis plantaria onusta perduxit. Interea per propositum sibi callem vitæ cursu præpeti sacerdos venerabilis incedebat,

[1] *Pellito Getæ filia*] Filiæ Anthemii, quæ Ricimeri nupsit, nomen incertum. Nam quod Ascilam nonnulli dictam putarunt, error est. Scripserat e consularibus antiquis Gregorius Turonensis lib. II Hist. ex Ricimere et Ascila natum Theodemerem regem Francorum. Hi unum eumdemque Ricimerem nati sunt, cum eos et temporum intervalla distinguant, et patriæ. Gregorianus enim Francus fuit; hic noster Suevo patre, Getica matre natus, teste Sidonio.

[2] *Honorata*] Hujus Deo devotæ virginis Ticinenses memoriam quotannis agunt III idus Januarias.

eleemosynis sine retractatione operam dans: quod munus accipientibus vultu et animo blandissimo commendabat: ita ut quicunque sermonis solius gratiam præstitisset, nequaquam se indonatum putaret abscedere: erat enim summum præmium, talem saltem vidisse pontificem. Crescebat in dies singulos fama gloriosis successibus, et totum pene mundum illius prædicatione complebat.

[1] Defuncto tunc Ricemere vel Anthemio, successit Olybrius: qui in ipsis exordiis diem clausit extremum. Post hunc Glycerius ad regimen accitus est: apud quem quanta pro salute multorum gesserit, studio brevitatis incido. Nam sancto viro, inlatam matri a ditionis suæ hominibus concessit injuriam: cum apud illum reverentia præfati sacerdotis esset etiam decessore sublimior. Post quem ad regnum Nepos accessit. Tunc inter eum et [2] Tolosæ alumnos Getas quos ferrea Euricus rex dominatione gubernabat, orta dissensio est: dum illi Italici fines imperii quos trans Gallicanas Alpes porrexerat, novitatem spernentes non desinerent incessere: e diverso Nepos, ne in usum præsumptio malesuada duceretur, districtius cuperet commissum sibi a Deo regnandi terminum vindicare. Hinc utrinque litium cœperunt fomenta consurgere. Et dum neutræ partes conceptum tumorem vincendi studio deponunt, sic exsuperabat causa discordiæ.

Attigerat jam beatissimus vir octavum in sacerdotio annum, cum repente Nepotis animum summovendæ dissensionis amor infudit: ut repulso simultatis veneno servaret inter reges caritas, quod tueri arma vix poterant. Evocantur ad consilium Liguriæ lumina, viri maturitatis, quorum possit deliberatione labans reipublicæ status reviviscere, et in antiquum columen soliditas desperata restitui: tantique ad tractatum colere ex jussu principis, quanti poterant esse rectores. Seritur de ordinanda legatione sermo: in beatissimum virum Epiphanium mentes omnium et oculi diriguntur: fiunt cunctorum sententiæ, quasi unius et ore proferrentur et pectore. Quid plura? cum lætitia Christi miles occasionem laboris amplectitur, et spe effectum præcipit; de negotii æstimatione confidens, agendi speciem melioraturus inquirit: actionem pene conclamatam et valde difficilem cœlestis potentiæ præsidio percunctatus est, suscepit, implevit. Cujus itineris molestias necessi-

A tatesque non valeam per ordinem digerere; nec si mihi centum linguarum fluminibus per meatus irriguos verba fundantur. Nam egressus Ticinensi oppido, donec ad destinata loca pertingeret, tali viæ suæ fatigationem arte geminavit, ut si temperius, jumentorum defectum considerantes, in futuræ mansionis diversoria successerunt, præter psalmorum continuationem, præter lectionis perseverantiam, quorum nihil nisi stando faciebat, eligebat secessum nemorosa fronde conclusum, ubi connexis arborum brachiis nox domestica texeretur: quod solum refugus per umbracula opaca sol nesciret, et torum viridanti cespite gratia naturalis sterneret. Ibi profusis in oratione continuis fletibus exsortem pluviarum terram oculorum imbribus irrigabat. Reddeban-
D tur arva illa fecunda orationum copia, quæ frugum esse non poterant.

Tali exercitio se macerans, Tolosanam in qua Euricus tunc rex degebat, urbem ingressus est, quem jam prævia opinio Gallorum auribus, qualis esset, intimaverat: sacerdotibus præcipue ejusdem regionis, quos attonitos de advenientibus inquisitio profunda sollicitat. Erat præterea ea tempestate consiliorum principis et moderator et arbiter [3] Leo nomine, quem per eloquentiæ meritum non una jam declamationum palma susceperat: qui cum summo gaudio adventum pontificis indicavit notitiæ publicæ. Evocatur ex tempore regi præsentandus antistes, ad quem illico ut ingressus vidit, salutavit, aggressus est.
C « Quamvis te, stupende terrarum princeps, multorum auribus reddat virtutis fama terribilem, et gladii quibus finitimos continua vastitate premis, segetem quamdam inimici germinis metant: nullam tibi tamen superni gratiam numinis dira bellandi præstat ambitio: nec ferrum fines tuetur imperii, si cœlestis Dominus offendatur. Regem te habere memento, cui oportet considerare quid placeat: qui cum susceptum hominem portaret ad cœlum, pro immensæ hæreditatis munere pacem discipulis iterata sæpius admonitione commendat. Cujus nos præcepti necesse est esse custodes: præcipue cum noverimus virum fortem dici non posse quem vicerit indignatio. Deinde perpendere nos convenit, quod nemo diligentius propria tuetur, quam qui aliena non appetit. Quocirca Nepos, cui regimen Italiæ ordinatio divina commisit,
D ad hæc nos impetranda destinavit; ut reductis ad

[1] *Defuncto Ricemere vel Anthemio*] Anno 472. Ricimer enim Anthemium, creato jam in ejus locum Olybrio, interemit: ipse 40 post dies, ut Cassiodorus in Fastis notat, defunctus est, XV cal. Septembris. Post hæc Olybrius septimo imperii mense decessit Romæ X cal. Novemb. Sequenti anno 473 vacuam aulam Ravennæ occupavit Glycerius III nonas Martias. Idem proximo dehinc anno imperio dejectus est, levatusque imperator Julius Nepos VIII cal. Julias.

[2] *Tolosæ alumnos Getas*] Vesogothos, quorum rex hoc tempore fuit Euricus, Alarici pater: qui ex crebris principum Romanorum mutationibus occasionem nactus, ut Jornandes quoque in Rebus Geticis notat, Arvernos oppugnabat, et regni sui limitem per Romam imperii fines promovebat. Sidonius lib. VII, epist. 6: *Evarix rex Gothorum, quod limitem regni sui, rupto dissolutoque fœdere antiquo, vel tutatur armorum jure vel promovet, nec nobis peccatoribus hic accusare, nec vobis sanctis hic discutere permissum est.* Hæc igitur Nepoti Aug. causa cur Epiphanium legatum mitteret ad Euricum, ut antiqui fœderis jura renovarent.

[3] *Leo nomine*] Ad quem Sidonius idem lib. VIII, ep. 3. his verbis: *Sepone pauxillulum conclamatissimas declamationes, quas oris regii vice conficis.* Erat enim velut quæstor Eurici. Sed aliis etiam locis doctrinæ nomine laudatur a Sidonio, ut lib. IV, ep. 22, et in Narbone.

Sive ad doctiloqui Leonis ædes
Quo bis sex tabulas docente juris
Ultro Claudius Appius lateret
Claro obscurior in decemviratu,
At si dicat epos, metrumque rhythmis
Flectat commaticis tonante plectro
Mordacem faciat silere Flaccum.

fidem mentibus, terræ sibi convenæ dilectionis jure socientur. Qui licet certamina non formidet, concordiam prius exoptat. Nostis in communi, quo sit dominorum antiquitas limitata confinio : qua sustinuerint partes istæ illarum rectores famulandi patientia. Sufficiat quod elegit, aut certe[1] patitur amicus dici, qui meruit dominus appellari. » Hæc vir insignissimus Epiphanius.

At Euricus, gentile nescio quod murmur infringens, mollitum se adhortationibus ejus vultus sui serenitate significat. Leo vero nominatus superius tanto allocutionis ipsius tenebatur miraculo, ut crederet verbis hujusmodi expugnari posse mentes, si fas est dici, etiam si contra justitiam postularet. Taliter tamen fertur ad interpretem rex locutus : « Licet pectus meum lorica vix deserat, et assidue manum orbis æratus includat, necnon et latus muniat ferri præsidium, inveni tamen hominem, qui me armatum possit expugnare sermonibus. Fallunt qui dicunt Romanos in linguis scutum vel spicula non habere. Norunt enim et illa quæ nos miserimus verba repellere ; et quæ a se diriguntur, ad[2] cædis penetralia destinare. Facio ergo, venerande papa, quæ poscis : quia grandior est apud me legati persona, quam potentia destinantis. Accipe nunc fidem et pro Nepote pollicere, quod servet intemeratam concordiam, quando te promisisse, jurasse est. » His dictis, inito etiam pactionis vinculo, verendus pontifex vale dicto discessit. Ad quem statim precatorum turba dirigitur, ut secuturo die regis epulis interesset; quem ille jam compererat jugiter per sacerdotes suos polluta habere convivia : cui excusavit, dixitque sibi non esse in more positum alienis aliquando prandiis vesci : perinde se magis velle proficisci ; quod constitutum maturavit implere, et Tolosam tantis comitantibus egressus est, ut pene deserta urbs discedente nostro pontifice cerneretur. Tantos enim in brevi devinxerat sibi caritate sincera, ut captivitatem flerent, quod apud patriam remanere necessitas constringebat. Inde tamen regrediens singula sanctarum habitationum loca visitavit. Medianas[3] insulas, Stœchadas, Lerum, ipsamque nutricem summorum montium planam Lerinum adiit. Unde singulos vitæ flosculos decerpsit ex omnibus, quos in se boni germinis fames insereret, et ad maturitatis tempus gravida pomis cœlestibus arbor adduceret. Interea exspectatum Italis lumen redditur, et revertente singulari sacerdote per sudum rutilans jubar aperitur. Ticinum diu desideratus ingreditur : Nepoti effectum peractæ legationis insinuat : et crescente laudum A cumulo, humilitas in eo pariter sentiebat augmentum.

Igitur dum talibus se disciplinis et laboribus Christi et Dei nostri operarius exercet, ecce ille quietis nescius et scelerum patrator inimicus, magna dolorum incrementa conglutinat, et inquirit quibus virum integerrimum passionibus lacesseret. Exercitum adversus[4] Orestem patricium erigit, et discordiæ crimina clandestinus supplantator interserit. Spe novarum rerum perditorum animos inquietat : Odovacrem ad regnandi ambitum extollit. Et ut hæc pernicies in Ticinensi civitate contingeret, Orestem ad eam fiducia munitionis invitat. Episcopus cum omnibus ad se pertinentibus præsens invenitur : fit maximus in urbe concursus, prædandi rabies inar- B descit : ubique, luctus, pavor ubique, et mortis imago plurima discurrebat. Ille sollicitus poscebatur ad pœnam, cujus substantiam notiorem fecerat amicitiarum fides antiquior. Alii flammas ruituris ædibus supponebant : alii ad exitium poscebant dominum, pro cujus convenerat salute pugnari. Currunt ad ecclesiæ domum, totis direptionis incendiis æstuantes, dum quem videbant erogare plurima, perimmensa suspicabatur abscondere. Proh nefas ! thesauros cruda barbaries quærebat in terra, quos ille ad cœlestia secreta transmiserat. Diripitur etiam sancta ejus germana, et seorsum ab eo captivitatis sorte deducitur : omnes nobilium a suis familiæ sequestrantur : Luminosa, gloriosissima femina parili C necessitatis conditione constringitur. O dolor ! utræque ecclesiæ flammis hostilibus concremantur : tota civitas, quasi unus rogus, effulgorat. Cunctorum voces sacerdotem requirentium audiuntur : nemo periculi sui meminerat, dum major ab illis salutis portio divideretur. Cui quamvis confusa in singulorum exitium turba fremeret, honor tamen et inter gladios impendebatur. Nam illico non fuerunt, quos potuit videre captivos : venerabilem germanam suam, priusquam in vesperam diei illius lux funesta laberetur, eripuit. Plurimos etiam civium absolvit precatu suo, antequam durissimæ conditionis vincula sentirent : matres familias præcipue, quas immanior in hac necessitate poterat manere commoratio. Postremo status civitatis quem multitudo barbarica D succidebat, unius fortissimæ columnæ sustentatus resurgebat auxilio : nec tantum ad delendum sufficiebat exercitus, quantum ad reparandum unius persona pontificis. Sublato tamen Oreste et propter Placentiam urbem exstincto, deprædationis impetus conquievit.

[1] Schot., *patiatur*.

[2] Schot. et Bolland., *cordis*.

[3] *Insulas Stœchadas*] Sic legendum censui, non *Cycladas*; quod habent manuscripti. Stœchada Plinius lib. III, cap. 4, et geographi in ora Massiliensi locant, docentque propter ordinem quo sitæ sunt id nomen esse sortitas. Στοιχάδες Ptolemæo. Qui Stœchadas insulas ignorabat antiquarius, Cycladas scripsit, quia notiores erant : quemadmodum in panegyrico Cyrillum item scripserunt pro Cochrilo, et Cylindros pro Chelydris. Sunt autem, ut dixi, Stœchades in ora Massiliensi : at Lerus et Lerinus e regione Antipolis. Omnes olim refertæ cœnobiis ac cellulis monachorum, quod Cassiani collationes testantur : ex quibus septem postremæ ad sanctos qui in Stœchadibus erant insulis, emissæ sunt, totidem ad Honoratum et Eucherium, quorum alter auctor, alter alumnus monasterii Lerinensis.

[4] *Orestem patricium*] Anno 476. Hic superiore anno Augustulo filio imperium, fugato Nepote, dederat. Hoc anno arma in illos movit Odoacer et Orestem, quod Ennodius docet, Ticini obsedit, captumque cum oppido Placentiæ tandem occidit.

Post quem [1] adscitus in regnum Odovacris tanto cultu insignem virum cœpit honorare, ut omnium decessorum suorum circa eum officia præcederet. Interea ne diu favillis domicilia divina premerentur, ante gloriosus antistes reædificandi sumpsit animum, quam expensas aut substantiam præparandi. Ingentis pretii fabricas sine nummorum attollere condito non expavit, apostolicæ admonitionis haud inscius, quod cœlestia regna quærentibus indeficiens jugiter census exuberet, et de pleno semper impertiat quem non opprimit in largiendi voluntate paupertas. Dicebat enim : Vix est ut animum divitem possibilitas deserat, et difficillimum ut sequatur abundantia hominem mente mendicum. Jam jamque tamen fastigia perfectionis majoris ecclesiæ opus attigerat, ædificio et dedicationis insignibus adornato. Extemplo alterius ecclesiæ tum columnatus repente paries impulsu callidi serpentis ejectus est. Voluit experiri si multiplici ejus possit vexatione subverti. At ille violentior, ne malis ejus cederet, assurgebat, et continuo, sine alicujus passionis indicio, ad reparationem ipsius plena se aviditate succinxit. Nimio tamen universitas tenebatur miraculo ; quod ab ipso templi tholo artifices cum ingenti machina corruerunt : nullus tamen eorum aut crure debilis factus est, aut aliqua membrorum parte truncatus. Quod orationibus episcopi contigisse cunctorum sensibus patuit ; ut molem propriam ruina sustineret, et a casu suo lapides suspenderentur. Stupendo tamen ordinationis ejus cursu, supra dicti operis perfectionem labor accepit. Jam consummato majoris ecclesiæ [2] præparationem orditus, raptim ad fastigia priscæ incolumitatis surrexisse conspexit domum Dei, qui necdum compererat inchoatam. Quibus tamen ab eo celeriter exactis, mox se in illum divinus favor ostendit. Nam in ejusdem anni curriculo summa dæmonum turba de obsessis cœperunt clamare corporibus, flagris se et cruciatibus nimiis, ut fugerent, sacerdote Epiphanio imperante compelli. Quos ille modica cum fletu oratione profusa, ad extima terrarum confinia transmittebat, ac diversis vocibus ejulantes meritorum suorum urgebat imperio. Sed cum talia per Christi gratiam jugiter faceret, nihil sibi de præsumptionum flatibus assumebat. Tollit enim illis boni meriti potentiam, quibus supercilium fiducia benignitatis attulerit.

A Interea ne solis civitatem templorum ædibus videretur ornasse, fessis ejusdem urbis habitatoribus remediorum utilitate prospexit. Nam directa legatione ad Odovacrem, [3] quinquennii vacationem fiscalium tributorum impetravit : ad quæ beneficia per singulos dispertienda, tanta se castitate continuit, ut nemo ex his minus acciperet, quam is quo fuerant impetrante concessa. Dum hæc tamen gererentur, in perniciem Liguriæ possessorum [4] Pelagii qui ea tempestate prætorio præfectus erat, repositus malitiæ ardor efferbuit. Nam coemptionum enormitate gravissima tributa duplicabat, reddebatque onus geminum, quod simplex sustinere non poterat. Unde mox ad sanctum virum oppressorum turba confluxit ; qui lætus succurrendi occasiones amplecti-

B tur, et pro cunctorum necessitate alacer ambulavit, poposcit, obtinuit. Sed quid frustra gestio singulorum species laborum ejus vel formas eloqui, dum quod non explicat possibilitas, præsumit affectus, datque terminum latiora opinantibus sermonis angustia? Fuerunt tamen ista sacratissimi vatis desideria, ut cum innumerabilia faceret, optaret de laudibus suis aut nulla aut pauca perstringi. Unde si quid minus lingua pauper aperui, audientium et legentium sensibus derelinquo.

Post multas tamen quas apud Odovacrem regem legationes violentia supplicationis exegit, dispositione cœlestis imperii ad Italiam [5] Theodericus rex cum immensa roboris sui multitudine commeavit, ad

C quem vir integerrimus, dum Mediolani jam positus esset, excurrit. Quem cum ille regum præstantissimus cordis oculis inspexisset, et solita judicii sui sacerdotem nostrum libra pensaret, invenit in eo pondus omnium constare virtutum, cujus integritatem velut fabrilibus lineis ad perpendiculum mentis emensus est : qui tali apud suos de illo sermone usus est : « Ecce hominem, cui totus Oriens similem non habet : quem vidisse, præmium est ; cum quo habitare, securitas. Fortissimo muro Ticinensis civitas incolumi isto vallatur, quos impugnantum nulla vis possit obruere, quos nequaquam Balearis fundæ transcendant excursus. Si qua necessitas inter undas certaminum accesserit, tutum est apud istum matrem familias deponere, et expeditum excursibus

D militare bellorum. »

Interea perduelles animos dedititii exercitus mu-

[1] *Adscitus in regnum Odovacer*] Regnum ait, non imperium : quia Odoacer ejecto in exsilium Augustulo, deletoque Romanorum imperio, regis tantum sine purpura et insignibus, non Augusti nomen assumpsit, eoque contentus Italiæ præfuit annos ferme 14. Vetus Chronicum consulare levatum regem prodit x cal. Septembris, et quinto post die Orestem interfectum.

[2] Schott. et Boll., *reparationem.*

[3] *Quinquennii vacationem*] Bonorum principium mos est, attritis bello vel alia calamitate civitatibus ac provinciis, onerum fiscalium vacatione aut indulgentia subvenire. Sic olim Constantinus Æduæ civitati graviter afflictæ quinquennii reliqua remisit. Eumenius rhetor : *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius!* Et Theodericus provinciæ Alpium Cottiarum, quia exercitus per illam transierat, tertiæ indictionis tributa relaxavit. Cassiod. lib. IV, epist. 36.

[4] *Pelagii qui prætorio præfectus*] Præfectorum enim prætorii erat tributa exigere, *τοὺς ἁπανταχοῦ φόρους διὰ ὑπηρετουμένων αὐτοῖς εἰσπράττειν* ut loquitur Zozimus lib. IV. Cæterum Pelagio huic ætate suppar Pelagius alter patricius, vir eximius et poetica laude clarus, quem Zeno Augustus anno 490 necavit. Marcellinus comes, Longino II et Fausto coss., *Zeno imp. Pelagii gulam in insula quæ Panormum dicitur, frangi præcipit.*

[5] *Theodericus rex*] Anno 489 Cassiodorus, *Probino et Eusebio coss. felicissimus atque fortissimus D. N. rex Theodericus intravit Italiam.*

tationum incendit ambitio: quorum caput[1] Tufa fuit, homo in perfugarum infamio notitia veteri pollutus: qui concepit mente, ut se desperatis partibus cum ingenti multitudine redderet : quod dum Theodericus rex principali sollicitudine cognovisset, continuo omnem illam quam totus Oriens vix sustinuit, contraxit manum, atque ad Ticinensis civitatis angustiam contulit. Videres urbem familiarum cœtibus scatentem : domorum immanium culmina in angustissimis resecata tuguriis : cerneres a fundamentis ædificia immensa migrare ; nec ad recipiendam habitantium densitatem solum ipsum posse sufficere.

Inter hæc ille in bonis vir exercitatissimus, in quo animorum amplitudo cunctis pandebat accessum, opportunum sibi conjiciens tempus offerri, quo benignitatis suæ pleno austro vela laxaret, et portum gloriæ per variarum notitiam gentium et actuum celebritatem secunda navigatione pertingeret: primore in loco, quod nullæ chartæ veterum, nulli librorum de quocunque loquuntur annales, quod cum stupore relator affirmet, vel cum admiratione lector admittat, ut cum sagacissima gente habitans, et quam nulla suspicionum aura prætervolat, in rebus dubiis, quando metus periculi etiam mitia contra quoslibet corda sollicitat, sic illis fidelissimus exstitit, ut inimicos eorum toto devinctos teneret affectu, et[2] inter dissidentes principes solus esset qui pace frueretur amborum. Applicabat enim ad compendium unius, quidquid præstabatur ab altero : et reverentia personæ suæ atque dulcedine sic largientis temperabat animum, ut nullatenus accenderetur, si aliquid a se beneficii per episcopum et inimicus acciperet. Ille fuit, circa quem concordiam et pugnantes servarent, et cujus quietem bella non læderent, Jam si ad illud veniamus, quod quotidiana et ipsos pascebat humanitate raptores, et illis intra civitatem sumptuum necessaria ministrabat, qui foris prædia illius continua vastitate deleverant. Nam tot millia hominum uno eodemque tempore, cum diversa poscerent, reficiebat blanditiis, humiliabat alloquio, pascebat muneribus. Si cujus liberi uxorque, inimicis a qualibet parte fuissent intercipientibus occupati, illico supplicationis illius pretio reddebantur suis, quos auri redimere non potuisset effusio. Regi aptissimus, et præ sanctis omnibus venerabilis existebat, ut quoscunque Romanorum bellandi licentia hominum ejus fecisset esse captivos, mox illi restitueret, quem sola intelligebat aliorum libertate ditari. Deinde enumerare nequeam quanta ille subjugatorum agmina solo proprio reddidit ; quanta, ne vexarentur, imposuit. Jam si illa retexam, quas inimicorum sustinuit insolentias, quibus laboravit immissionibus, quali procellas pessimorum virtute contempsit, ad hæc

A enarranda lingua non sufficiet. Juvat enim certa quæque decerpere, ubi sunt omnia admiranda quæ referas. Sub tali cruce triennium duxit, soli Deo dolorum suorum secreta manifestans, a quo ministrari sibi clandestinum poscebat auxilium.

Post hinc digressis Gothis, [3] civitas Ticinensis Rugis est tradita, hominibus omni feritate immanibus, quos atrox et acerba vis animorum ad quotidiana scelera sollicitabat : diem putabant perisse, qui illos sine facinore casu aliquo interveniente fugisset. Quos tamen beatissimus antistes sermonum suorum melle delinibat, ut effera corda auctoritati submitterent sacerdotis, et amare discerent quorum pectora odiis semper fuisse dedicata cognovimus. Mutata est B per meritum illius perversitas naturalis, dum inhonoris mentibus radix peregrinæ apud illos affectionis inseritur. Quis sine grandi stupore credat dilexisse et timuisse Rugos episcopum, et catholicum et Romanum, qui parcere regibus vix dignantur ? Cum quibus tamen integrum pene biennium exegit taliter, ut ab eo flentes discederent, etiam ad parentes et familias regressuri.

Postquam vero perfuncta res est misero exitialique bello, et vicit is cujus post triumphum spoliatum vagina gladium nullus aspicit ; qui præsumptionem exercitus sui cum prælio terminavit : illico aggressus est venerandus pontifex de urbis suæ reparatione tractare : quam ut primum dignis compleret habitatoribus, spiritalis prospexit deliberatione consilii. C Et licet eam, precatu illius faciente, nullus in vastitatem temporalis procellæ turbo dispulerat ; parum tamen credebat posse sufficere, si post ruinam omnium Liguriæ civitatum Ticinus suis tantum contenta indigenis exsultaret. Cœpit vicinarum urbium finitimos quosque de civibus flosculos legere, atque ad suos hortos cultor [4] diligenter plantaria jam probata portare, de quibus frugi et idoneus aptissima caperet poma possessor.

Interea subita animum præstantissimi regis Theoderici deliberatio occupavit, ut illis tantum Romanæ libertatis jus tribueret, quos partibus ipsius fides examinata junxisset : illos vero quos aliqua necessitas diviserat, ab omni jussit et testandi et ordinationum suarum ac voluntatum licentia submoveri. D Qua sententia promulgata, et legibus circa plurimos tali lege calcatis, universa Italia lamentabili justitia subjacebat. [5] Itur rursus ad illum qui manu medica publicis consueverat subvenire vulneribus : cujus fonte ærumnarum sæpe fuerat ardor exstinctus. Qui dum se diceret solum ad tantam sarcinam sustinendam non posse sufficere, rogatur pariter venerabilis Laurentius Mediolanensis episcopus : qui profecti una Ravennam etiam pariter pervenerunt, suscepti reverenter. Postquam illis agendi aditus reclusus est,

[1] *Tufa*] Liguriæ atque Æmiliæ consularis, ut nonnulli tradunt. Incidit ejus defectio in annum 490.

[2] *Inter dissidentes principes*] Odoacrem et Theodericum.

[3] *Civitas Ticinensis Rugis est tradita*] Anno 493.

[4] Schott. et Bolland., *diligens.*

[5] *Itur rursus ad illum*] Tertia hæc Epiphanii legatio, in qua collegam habuit Laurentium episcopum Mediolanensem, ad Theodericum, de abroganda lege quam adversus eos tulerat qui steterant a partibus Odoacris.

beatus Laurentius necessarium duxit illi potissimum perorandi copiam dari, cujus vestigia frequentium legationum laboriosus callis attriverat, et per tramitem hujuscemodi itineris cursitantem non semel hispidum castrensis pulvis effecerat : qui tali publicas petitiones est orditus eloquio. « Quantus, invictissime princeps, per innumerabiles successus felicitatem tuam favor divinus evexerit, si per ordinem relegam, [1] agnoscis te votorum parcum, majora semper a Deo nostro beneficia accepisse quam optasse memineris. Sufficit tamen hoc unum narrare, sed maximum, quod apud te principem ibi servorum tuorum causas agimus, ubi solebat inimicus tuus hujus solii possessione gaudere. Habes plurimum Christo Redemptori nostro quod debeas : pro quibus rogamus, ipse largitus est. Cavendum nobis est, ne offendatur auctor muneris, si quod præstitit non amemus. Diu suspendo fiduciam meam : placet ire per singula, quæ fando comperi, quæque perspexi accessisse tibi Divinitatis [2] auxilia. Scis quæ te pollicebaris acturum, quando confertissimis inimicorum cuneis urgebaris, et circa muros Ticinensis civitatulæ [3] hostis tuis clangor streperet, quando armis numero adversarii præstantiores subsistere, sola tecum dimicante cœlitu, invisibili virtute, non poterant. Audebat te aggredi, qui exercitus tuos nuda æstimatione pensabat ; solatiorum tuorum pondus omnis bellandi apparatus sustinere non valuit. Quoties utilitatibus tuis aer ipse servierit, si recenses, tibi cœli serena militaverunt, tibi convexa pluvias pro voto fuderunt. Quis resistere dextræ tuæ ausus fuit, et cum gratia superna pugnanti ? quoties imimici tui ceciderunt mucronibus sodalium suorum ? quoties tibi vicit, qui pro hostium tuorum utilitate certabat ? His ergo donis cœlestibus vicissitudinem impensa circa homines pietate restitue. Mysticæ oblationis holocausta sunt supplicantum lacrymas non sperni. Illud certe perpende, qualibus in regno successeris : quos si, ut liquet, malitia expulit, casus illorum necesse est, ut sequentes informet. Ruina præcedentum posteros docet : cautio est semper in reliquum lapsus anterior. Non sine exemplo militat, qui respicit qua causa decessor ejectus est. His freta Liguria vestra nobiscum profusa supplicat, ut legum vestrarum beneficia sic tribuatis innocentibus, ut noxios absolvatis. Exigua est apud Deum nostrum misericordia, si illos tantum læsio non sequatur, qui reatu carent : culpas dimittere cœleste est ; vindicare terrenum. » Post hæc siluit.

At eminentissimus rex infit : quo loquente, attonita de voluntate ejus corda pavor arctabat. « Quamvis te, venerabilis episcope, pro meritorum tuorum luce suspiciam, et multa apud me confusionis tempore reposuisses beneficia, quibus frui te convenit tranquillitate revocata ; regnandi tamen necessitas qua concludimur, misericordiæ quam suades, non ubique pandit accessum : et inter res [4] duas nascentis imperii, pietatis dulcedinem censuræ pellit utilitas. Exemplorum cœlestium testimonio [5] affectio mea nititur. Offendisse legimus principem, qui cœlitus destinatum nec inimicum subduxit exitio : pœnam meruit lenitas, quam potuit intulisse districtio : ultionem suscepit, qui detrectat inferre. Vim divini judicii aut attenuat aut contemnit, qui hosti suo, cum potitur, indulget. Justitia coercendi sunt, quos constat gratiam non secutos. Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Nam quod de Redemptoris nostri patientia loqueris, illos vere amplectitur lac gratiæ, quos austeritas legis informat. Nunquam a medico ad plenissimam curationem æger adductus est, nisi ab illo qui primum putria ferro membra desecuit, et latentem penitus e sina viscerum produxit illuviem. Qui criminosos patitur impunite transire, ad crimina hortatur insontes. Tamen quia precibus vestris quibus superna assentiunt, obsistere terrena non possunt, omnibus generaliter errorem dimittemus. Nullius caput noxa prosternet, quoniam potestis et apud Deum nostrum agere, ut sceleratæ mentes a propositi sui perversitate discedant. Paucos tamen quos malorum incentores fuisse cognovi, locorum suorum tantum habitatione privabo ; ne forte exsurgens necessitas vicinos inveniat nutritores, et malorum adjuta successibus bella consurgant. » His præcellentissimus rex dictis, [6] virum illustrissimum Urbicum acciri jubet, qui universa palatii ejus onera sustentans, Ciceronem eloquentia, Catonem æquitate præcesserat : cui præcepit ut generaliter indulgentiæ pragmaticum promulgaret : quod ille ad omnem benignitatem paratissimus illico tanta brevitate et luce contexit, ut et illa culparum genera cognoscerentur abolita, quæ putabantur fuisse reservata.

Interea secretius rex præstantissimus sacerdotem venerandum Epiphanium imperat evocari : quem tali compellat affatu : « Judicii nostri ex ipsa sententia, gloriose antistes, pondus intellige, ut cum tot in regni circulo pontifices esse videantur, tu potissimum in tanta re quasi unicus eligaris : nec enervata per meritum tuum hujusmodi æstimatores illudit opinio. Solus esse juste crederis, cujus splendore, tanquam globis lunaribus minorum siderum lumen obtunditur, et medicæ lucis radii præfulgida conscientiæ tuæ luce fuscantur. Quis quærat noctis lampadam, ubi solis jubar effulgorat ? quis candelæ præsidium, ubi caminis indesinentibus fidei pyra succenditur ? Postremo talem a me oportet dirigi, qualem suscipiens libenter auscultet. Vides universa Italiæ loca originariis viduata cultoribus. In tristitiam meam segetum ferax spinas atque injussa plantaria campus apportat : et illa mater humanæ messis Liguria, cui numerosa agricolarum solebat constare progenies, orbata atque sterilis jejunum cespitem nostris monstrat obtutibus. Interpellat me terra quocunque respicio ube-

[1] Bolland., *agnosces*.
[2] Schot. et Bolland., *auxilio*.
[3] Iidem, *hostilis litui*.
[4] Schot. et Boll., *duras*.
[5] Idem, *assertio*.
[6] *V. I. Urbicum*] Quæstorem sacri palatii, aut instar quæstoris. Quod Eurico erat Leo : quod Gundobado Laconius, hoc Urbicus Theoderico.

rem vinetis faciem, cum aratris impexa contristat. O dolor! nullus humor illorum labris infunditur, quos a vini copia Œnotrios vocavit antiquitas. Hæc quamvis [1] Burgundio immitis exercuit, nos tamen, si non emendamus, admisimus. Populatæ patriæ cessamus succurrere, et aurum apud nos habetur in conditis? Quid interest, pecuniis an ferro adversariorum animos inclinemus? obtulisse quod mentes capiat hosti, vicisse est: occuluisse, superari. Suscipe ergo, Christo adjuvante, hujus laboris sarcinam, ex qua communem habeamus in cœlesti repromissione mercedem: quia novus iste propriis insignibus titulus laudis accrescit, per manus tuas de [2] oppugnationibus nostris sine sanguine triumphare. Princeps eorum Gundobadus est, cui reverentiam tui vetustas inseruit, quem videndi te nimia cupido stimulat. Mihi crede, pretium captivitatis Italicæ erit vester aspectus : redemptos esse putabo quos cupio, si ad terras illas talis redemptor accesserit. Quam magno suffragio vincuntur oculi quibus te offerimus! Sed quid demoror manus arva poscentia? polliceor tibi redivivum statum Liguriæ : polliceor soli lætitiam, et post Transalpinam peregrinationem reducem fecunditatem : ex accidenti aurum tibi commodatur, pro qua talis legatus acturus est. »

Ad hæc episcoporum lux Epiphanius : « Quanto, venerabilis princeps, pectus meum tripudio repleveris, si sermone posset ambiri pro divitiis meritorum tuorum immeditata et continua verba profunderem. Sed quam sermoni meo interceptus denegetur successus, monstrant lacrymæ gaudiorum, quas dolorum alumnas nunc parturiit exsultatio. Proinde intellige, ad referendas regi tam pro nobis, quam pro se ipso gratias, plus me sentire posse quam eloqui. Justitia prius an bellorum exercitatione, an quod his præstantius est, omnes retro imperatores te pietate superasse commemorem? Habes unde gentis nostræ rectores accuses : tu redimis, quos illi persæpe aut permiserunt fieri, aut fecerunt ipsi captivos. David legimus, pro singularis laudationis exemplo, idcirco maxime cœlorum proximitates indeptum, quod oblato manibus suis Sauli pepercit inimico, et in testem concessæ potestatis exuviarum ejus particulam rapuit : per quam et licentiam probaret et votum. Deus bone! in quanta remuneratione hujus factum suscipis, pro tot millibus oppressorum libertate tractantis, qui illum pro unius servati hominis sanguine sublimasti. Perage ergo cœpta festinus, et felicitatis tuæ oblationem lætus apporta, meque, quamvis sim paratus, stimula, ne in offerendo tam odorato sacrificio tarditatis obice refreneris. Christi Redemptoris nostri erit concedere, sicut ex operibus futurum conjicimus, ut vere holocausta tua per manus meas possis offerre.

A Precor tamen, ut indultu clementiæ tuæ Victor, Taurinatis urbis episcopus, comes mihi et particeps hujus itineris adjungatur, in quo clarum est epitoma omnium virtutum : quo socio adhibito, de Deo nostro securus respondeo, nullum effectum propriis petitionibus abnegandum. » Quibus auditis, rex eminentissimus annuit. At tremendus pontifex, dicto vale, discessit.

Ex tempore portandæ pro redemptione pecuniæ destinantur, suscipiuntur : egreditur, Ticinum impiger venit. Et quamvis adhuc hiemali tempore Martius mensis glaciales fluminibus frenos imponeret, et cana nivibus juga Alpium transituris minarentur exitium: sed mortiferum frigus et concretas algore glebas fidei B ardor exsuperat : nunquam in gelu labitur, cujus fundamentum petra solidavit. Ordinato ergo itineris sui viatico, profectus est : diceres quod universa impelleret, quæ poterat retinere necessitas: nec cibi ipsius capiendi mora sustinebatur : et cum singulos cum ipso positos ille plenus discriminibus callis turbaret, solus inter pericula timere non noverat; quem spes vitæ certa comitabatur. Interea illa quæ itineris ejus fuit semper prævia, et in apparatu diligens, præcessit fama; et tanta Gallos insignium ejus relatione complevit, ut quasi superni nominis adventu præsentia turbarentur. Concurrebat omnis ætas et sexus; et quos a vicinitate viæ ipsius longa intervalla sejunxerant, ardor animi proximabat. Quidquid habuit quisque pretiosum obtulit; et si non habuit, aliunde C [3] mercatus est : [4] patria ubique opulenta diffusio. Inemptis dapibus mensæ cumulabantur peregrinorum: et illis quis nisi comparatas incolæ habere non poterant, escis sine pretio utebantur externi. Tunc quoscunque indigentium reperit, illis quæ erant donata dispersit. Domi, forisque pascebat miseros : neque fieri potuit, ut quod ad ipsum delatum est pauperum usibus subtraheretur.

Hoc ordine mira celeritate Lugdunum ingressus est, ubi [5] Rusticus tunc episcopalem cathedram possidebat, homo qui et in sæcularis tituli præfiguratione sacerdotem semper exhibuit, et sub prætexta fori gubernatorem gessit Ecclesiæ : qui trans Rhodanum fluvium adventui ipsius spiritalis lætitiæ copia repletus occurrit, causam commeationis inquirit, quæ D essent astutiæ regis, edocuit. Quem ne inopinantem objectionum aut responsionis calliditas inveniret, intra penetrale pectoris certaminum se prolusione formabat. Quem postquam Gundobadus terræ illius dominus venisse cognovit, « Ite, inquit ad suos, et videte hominem quem et meritis et vultu semper ego Laurentii martyris personæ conjunxi: qui quando nos velit videre inquirite, et cum jusserit invitate. » Mox ad eum omnis Christianorum principis assisten-

[1] *Burgundio immitis*] Gundobadus Burgundionum rex Liguriam hostiliter populatus, multa captivorum millia Lugdunum abduxerat, agrosque colonis pene vacuum reliquerat. Ad hos redimendos quarta legatio imponitur Epiphanio, adjecto ipsius rogatu collega Victore episcopo Taurinate anno 494.

[2] Schot. et Boll., *oppugnatoribus*.

[3] Bolland., *mercatus est patri*.

[4] Schot., *patria ubique*, *ubique*, etc.

[5] * *Rusticus tunc episcopalem*] Successor Patientis ad quem exstat epistola Sidonii, decessor Stephani cui scripsit Ennodius lib. III, epist. 17.

* Vide Sirmondi adnotationem primam in Aviti epist. 24.

tium turba confluxit : qui affatim admiratione capiebantur, quod illa tot linguarum fama tam minorem se in isto, quamvis esset ampla, monstraret : cui nunquam sufficeret paupertate sermonum, quamvis ditior justo esset in reliquis. Constitutus ergo videndi regem dies : ad quem cum ingressus est, salutavit, et sua uterque visione læitati sunt. Dedit summo viro Victori licentiam, si juberet ipse, principium legationis ordiri : qui ad illum omne pondus retulit, ut fuit ad cunctam humilitatem paratissimus.

E vestigio decus Italiæ antistes noster talibus verbis regem cœpit affari : « Inexplicabilis mihi jam dudum, probatissime princeps, vestri amor imposuit, per iter istud contra naturam et tempus bella suscipere, et crustati montis pericula non timere : quibus dum in metallum aquas arctaverit, coagulatum ex liquore minatur exitium. Transcendi alienis mensibus ninguidos saltus : posui gressus quos in suis locis vis frigoris obligabat. Postremo mortem non timui, ut tibi celer præmium æternæ lucis afferrem. Inter duos optimos reges testimonium in cœlestibus dicturus adhibeor, si quod ille misericorditer postulat, tu clementer commodes. Munus repromissionis dominicæ æqua lance dividite : et cum ambo amplius habueritis, damna nemo lugebit. Certate, duces invictissimi, et alterutrum vos exsequendo præcepta mystica superate. In qua conflictatione sic bravium victor accipiet, ut victus præmium non amittat. Sequimini consilium meum, et ambo superiores, ambo pares exstabitis. Redimere cupit ille captivos : tu sine pretio redde genitalibus glebis. Mihi credite, nemo uberius in hac causa, nemo majus accipiet, quam qui nihil acceperit : defraudabitur præmium partis illius, atque ad tua compendia lucrum transit alterius, si quos et vendere gloriosum est, donare disponas. Pro quantum dispendii de pollicitatione divina offerenti aurum in hoc negotio, si remittatur, infliget; vel quantam pauperiem, si suscipiatur, apportat! Divites exercitus tuos faciet contempta pecunia, acquisita mendicos. Audi Italorum supplicum voces, et de te præsumentum preces serenus admitte. Audi Italiam nunquam a te divisam, et multum de animi tui clementia confidentem : quæ si una voce uteretur, hæc diceret. Quoties pro me, si reminisceris, ferratum pectus hostibus obtulisti ? quoties pugnasti consilio, ne bella [1] subriperent? ne aliquis eorum duceretur in quacunque orbis parte captivus? Quos nunc detines, tu nutristi : dolose mihi virtus tua beneficium præstitit, si quos ab extraneis tutatus est custos, invasit. Quis catenarum nexibus impeditus duræ sorti non uberiores lacrymas exhiberet, cum se ad conditionem liberator impelleret? quis se subduceret, cum armorum tuorum crepitus audiretur, in quo in necessitatibus tutissimum habuere præsidium? Elisis collo manibus matrona sublimis, cum traheretur ad vincula, promisit sibi vindicem te futurum. Virgo ab stupratoris insidiis pudorem suum tibi cre-

A debat displicere posse, si perderet. In summam capti sunt, quos nemo fugientes invenit. Agricolarum laboriosæ stirpes, et duris exercitatæ ligonibus soboles, quos per terram suam pascit infabricata simplicitas, cum loris colla necterentur, et palmas vinceret arcta connexio, nihil pro defensione sua aliud clamitabant : Scimus, et evidenter agnoscimus : nonne vos estis Burgundiones nostri? Videte, ne ante pium regem quæ facitis, excusetis; et illa urbanorum consuetudine crimina supprimatis. Quoties quas ligare præsumitis, manus domino communi tributa solverunt ? Novimus quia ille fieri ista non jussit. Hac auctoritate miseri pro solatiis utebantur. Multos tamen integritatis tuæ fiducia fecit interimi, dum capti superbius responderunt. Redde ergo residuos patriæ;
B redde origini, redde gloriæ tuæ. Antiquus dominus provinciam diligit, quam et modernus amplectitur. Remitte quamvis ad alienam ditionem, qui se et ibi positi tuos esse cognoscant. Parum enim gratiæ impendimus illius imperio, cujus misericordiæ nihil debemus. Vacua sentibus illam quam bene nosti Liguriam, et reple culturis. Quantum obnoxia sit muneribus tuis intelligit, si faciem suam aliquando cognoverit. Domesticum tibi semper est indulgere supplicibus, sicut superbos opprimere. Sic in utroque fortissimos, ibi per gladium, hic per temperantiam triumphos acquires. Nostris [2] nostrorum commovere fletibus. Sic in successione regni istius legitimus tibi hæres accrescat, et per spem adultæ [3] progenies ad
C Burgundionum gubernacula reviviscas : et licet hoc Deo tribuas, adjice et illud; quod nec hominibus externis istud impendis. Jam tibi Italiæ dominus [4] et necessitudinis affinitate conjungitur : sit filii tui sponsa Latia largitas, absolutio captivorum : offerat pactæ suæ munus, quod et Christus accipiat. » Hæc cum dixisset, commonito sancto collega Victore surrexit, et usque ad pectus regium lacrymantes, et cum omnibus propter astantibus capita submiserunt.

Tunc rex probatissimus, ut erat fando locuples, et ex eloquentiæ dives opibus, et facundus assertor, verbis taliter verba reposuit : « Belli jura pacis suasor ignoras, et conditiones gladio decisas concordiæ auctor eviscerAs : lex est certantium quem putas errorem : frenum nesciunt inimicitiæ, quem tu, Christianæ lucis jubar, ostendis. Præliis temperantiam
D nullus annectit, quæ oris tui nitore, egregie moderator, attollitur. Statuta sunt dimicantium, quidquid non licet, tunc licere. Ista forte quies vindicet, quæ narrasti : hostem suum qui non læsit, adjuvat. Paulatim adversarius a regni sui mole succiditur, cujus imperii radices [5] viribus amputantur. Reposui regi partium illarum contumeliam, quam putas illatam. Ludificatus specie fœderis nihil egi studiosius, nisi ut quod est cautelæ, apertos inimicos agnoscerem. Concedat tamen divinitatis assensus, ut solidatum inter nos fœdus longa ætate servetur : invenient partes illæ constantem in amicitia, quem senserunt sibi

[1] Bolland., *subreperent.*
[2] Schot. et Boll., *nostrorumque movere.*
[3] Iidem, *progeniei.*
[4] Iidem, *etiam.*
[5] Bolland., *vicibus.*

perniciosum fuisse dum litigatur. Vos tamen, sancti viri, ad domos in quibus manetis sine tribulatione discedite : dum ego animæ meæ et regni utilitate discussa, quæ me conveniat præstare pronuntiem. » His auditis pontifices abscesserunt.

At ille vocato [1] Laconio, cui et rerum et verborum fides ab illo semper tute mandata est, quem et prærogativa natalium, et avorum curules per magistræ probitatis insignia sublimavere, cum quo confert quoties et pia et religiosa meditatur; et sicut non est cum vitiis sociata nobilitas, nec astringitur ad illecebras lux naturœ; si quid ille benigne facere voluerit, duplicari iste hortatur adhibitus. « Cui princeps, Vade, inquit, Laconi, et tota votorum tuorum vela suspende. Et sacerdos a nobis et beatus Epiphanius libenter auditus est : cujus te precibus fuisse permotum, cum apud nos verba faceret, animorum indices lacrymæ testabantur. Vade, pleno pectore dicta sententias, per quas pactionis illius durissime nexus irrumpas. Liceat Italis omnibus, quoscunque Burgundionum nostrorum metus captivitatis fecit esse captivos, quos famis necessitas, quos periculorum timor advexit, postremo quoscunque concessit aut addixit consensus principis sui, noster absolvat : at paucos, quos quasi ardore prælandi tunc ab adversariorum suorum dominatione rapuerunt, pro illis pretii quantulumcunque percipiant, ne detestabiles apud illos fiant certaminum casus, quorum cum discrimina sustinuerint, lucra non sentiant. »

Post præceptum venerandi regis impiger ille verborum saltibus indulgentiæ species aut formas exposuit, et chartas ad insignem antistitem detulit : quas ille cum exspectatissima devotione suscepit, et portitorem tanti doni ambienter amplexus est. Qui postquam rumor innotuit, tanta istius jam liberœ multitudinis frequentia subito astitit, ut desolata crederes esse etiam incolis rura Gallorum : nam testis hujus rei ego sum, per cujus manus pictacia ad clausuras jussio sacerdotis elicuit, quadringentos homines die una de sola Lugdunensi civitate redituros ad Italiam fuisse dimissos. Identidem per [2] singulas urbes Sapaudiæ, vel aliarum provinciarum factum indubitanter agnovimus. Ita ut istorum quos solæ preces beatissimi viri liberarunt, plus quam sex millia animarum terris propriis redderentur. Eorum vero qui redempti auro sunt, numerum ad liquidum agnovisse non potui : quia inter eos etiam multos fuga eripuit. Sic factum est, ut tunc ad liberationem omnium subjugatorum transeundi occasio concessa sufficeret. Postquam tamen pecuniarum ille cumulus effusus est, continua ad expensas redemptionis suggessit necessaria illa, quæ ibi est thesaurus Ecclesiæ, Syagria : cujus prolixam quærit vita narrationem : sufficit tamen ut ex operibus agnoscatur, quam verba transcendunt. Dedit etiam præstantissimus inter Gallos [3] Avitus Viennensis episcopus, in quo se petitia, velut in diversorio lucidæ domus inclusit. Quid pluribus? auro illorum ex maxima parte actum est, ne Gallis

[1] *Laconio*] Ad quem ternas vidimus epistolas Ennodii.

[2] *Singulas urbes Sapaudiæ*] Sapaudia jam dudum Burgundionibus concessa fuerat, post memorabilem illorum cladem, et victoriam Aetii. Tiro Prosper in Chronico, *Sapaudia Burgundionum reliquiis datur cum indigenis dividenda*. Quæ hodie Sabaudia dicitur, veteris Sapaudiæ partem tantum retinet. Nam longius olim porrigebatur, cum in Notitia imperii occidentalis Ebredunum Alpium maritimarum caput in Sapaudia collocetur, itemque Cularo Allobrogum, quæ est Gratianopolis.

[3] *Avitus Viennensis episcopus*] Doctrina et pietate clarissimus, Alcimus Ecdicius Avitus omnibus nominibus appellatur in sua ipsius epistola, qua poemata sua quibus in codice S. Victoris præfigitur, Apollinari fratri suo, Valentiæ episcopo dedicat his verbis :

* *Domino sancto in Christo piissimo ac beatissimo Apollinari episcopo Alcimus Ecdicius Avitus frater.*

Nuper quidem paucis homiliarum mearum in unum corpus redactis, hortatu amicorum discrimen editionis intravi. Sed adhuc te majora suadente, in cothurnum petulantioris audaciæ edurata fronte procedo. Injungis namque, ut si quidquam de quibusque causis metri lege conscriptum est, sub professione opusculi vestro nomini dedicetur. Recolo equidem nonnulla me versu dixisse, adeo ut si ordinarentur non minimo volumine stringi potuerit epigrammatum multitudo. Quod dum facere, servato causarum et temporum ordine, meditarer, omnia pene in illa notissimæ perturbationis necessitate dispersa sunt. Quæ quoniam sigillatim aut requiri difficile, aut inveniri impossibile foret, abjeci ea de animo meo, quorum mihi vel ordinatio salvorum, vel dispersorum reparatio dura videretur. Aliquos sane libellos apud quemdam familiarem meum postea reperi: qui licet nominibus propriis titulisque respondeant, et alias tamen causas inventa materiæ opportunitate perstringunt. Hi ergo, quia jubes, etsi obscuri sunt, tuo saltim nomine illustrabuntur : quanquam quilibet acer ille doctusque sit, si religionis propositæ stylum non minus fidei quam metri lege servaverit, vix aptus esse poemati queat. Quippe cum licentia mentiendi, quæ pictoribus ac poetis æque conceditur, satis procul de causarum serietate pellenda sit. In sæculari namque versuum opere condendo tanto quis peritior appellatur, quanto elegantius, imo, ut vere dicamus, ineptius falsa texuerit. Taceo jam verba illa vel nomina, quæ nobis nec in alienis quidem operibus frequentare, ne dicam in nostris conscribere licet: quæ ad compendia poetarum aliud ex alio significantia plurimum valent. Quocirca sæcularium judicio, qui aut imperitiæ aut ignaviæ dabunt non uti nos licentia poetarum, plus arduum quam fructuosum opus aggressi, divinam longe discrevimus ab humana existimatione censuram : quoniam in asserendis quibusque rebus, vel etiam prout suppetit explicandis, si quacunque ex parte peccandum est, salubrius dicente clerico non impletur pompa quam regula, et tutius artis pede quam veritatis vestigio claudicatur. Non enim est excusata perpetratione peccati libertas eloquii. Nam si pro omni verbo otioso quod loculi fuerint homines rationem redhibere cogentur, agnosci in promptu est, illud periculosius lædere, quod tractatum atque meditatum et antepositum vivendi legibus loquendi lege præsumitur.

Ex hac epistola docemur, homilias etiam ab Avito editas fuisse. Et quidem sola una restat de Rogationibus a Mamerto ejus prædecessore institutis. Sed plusculárum fragmenta in antiquissimi libri reliquiis V. I. Jac. Augusti Thuani amplissimi senatus præsidis vidimus : unam in conversione dictam domini Segisrici Lugduni, postridie quam soror ipsius ex Ariana hærese est recepta; alteram in basilica sanctorum Agaunensium, in innovatione monasterii ip-

* Hanc epistolam Sirmondus postea edidit inter opera S. Aviti aliquanto emendatiorem.

diutius servitium pubes Ligurum duceretur. Nec in uno loco summus vir in illa regione se continuit, ne forsitan in longinquo degentes dominorum feritas impediret. Fuit Genavæ, ubi [1] Godigisclus germanus regis larem statuerat: qui [2] famam fraternæ deliberationis secutus, bonis operibus ejus se socium dedit. Brevi tamen tantæ liberatorum phalanges emissæ sunt, ut videres longe lateque agminibus ferventia itinera cum laude Dei, tum etiam splendidissimi sacerdotis Epiphanii, cujus ministerio atque labore erepti fuerant, redeuntium. Et ne tanti lux nostra tropæo muneris privaretur, atque ab oculis ipsorum pulcherrimum spectaculum tolleretur, ipse cum his remeavit. Videres duci in triumphis cœlestibus vulgus liberum, et pro mactandorum sanguine terram madefieri lacrymis exsultantium: cum Eliæ currum istarum cohortium ductor scanderet, et quadrijugum ad cœlestia pro merito suo raperetur excursu. Non sic Pellæus princeps Alexander, quem pacatorem orbis vocavit vana laudatio, captum gentium duxit examen, ut iste revocavit. Ecce hinc comperimus armatorum mentes sanctitate superatas, et cessisse precibus electi principem, qui obvium semper lanceis pectus ingessit. Quantum fuit acutior verborum, quam ferri lamina, hinc lector agnosce: expugnavit sermo, cui se gladii subduxerant. Dum ergo tertio mense cum tali tropæo Ticinum remearet antistes, ut [3] Tarantasiam venit (sic enim vocitatur oppidum Alpibus vicinum), ibi quædam mulier gravi immundi spiritus vexatione laborabat: quæ continuo percepta benedictione absoluta discessit. Ipse tamen suis inopinatus nec suspicantium oculis astitit. Visus est subito, de quo vix credebatur aliquis posse rumor audiri.

Mox tamen ut rediit, curis ex more animum fatigat, ne forte quibus absolutionem Deus per illum dederat, proprii census possessione turbarentur; præcipue ob nobilium considerationem personarum; quibus immanior apud suos poterat constare calamitas, si vitam inopem reduces sustinerent, et de peregrinationis incommodis sola misericordiæ solatia perdidissent. Ad regem invictissimum Theodericum per se mox ire noluit: ne forte laboris sui vicissitudinem in relatione gratiarum, aut in exhibitione munerum coram positus videretur exigere: flagitat enim quasi debitam retributionem, qui profligatis principum jussionibus, ipse quid actum sit auctor annuntiat. Hoc ergo ille totius acuminis vir prospiciens declinare gestiebat. Scripsit tamen, et quæ gesta sunt, loqui commisit epistolis; ne aut tacendo contemptor, aut occurrendo per arrogantiam pronuntiaretur intemperans. Quantum tunc admirande pontifex, tua plus egit absentia, quantum [4] imperavit humilitas deprehensa; dicant illi, quos de exsulibus ditissimos reddidisti. Igitur omnia quæ a piissimo rege pro miseris per paginam petiit singularis antistes, incunctanter obtinuit. Serenus præstitit copiam supplicanti, cui pro compensatione laboris sui hoc credebatur posse sufficere, quidquid per illum beneficii redemptus et pauper acciperet.

Postquam tamen omnes qui revocati fuerant, indultu præferendi principis jure suo donati sunt, perfunctam molestiarum suarum molem admirabilis censebat episcopus: cum necdum biennio exacto, a deliberatæ quietis gremio, tanquam a portu cymba aliis inlata tempestate propellitur. Nam infirmis Ligurum et labantibus humeris vix ferenda tributorum sarcina mandabatur. Rursus ad te, afflictorum consolator, accurritur. [5] Doceres frustra reddidisse patriæ cives, si illis in solo avito periclitantibus non adesses. Et quia apud te nunquam fatigatus est qui rogavit, suscepisti causas infelicium, et te protinus ad recidiva onera præparasti. Ravennam pro nobis regem rogaturus excurris; quam ne te ibi quisquam post Gallicana insignia laudaret, effugeras. Minas cœli, procellarumque discrimina, adhuc quasi ævi integer, aut valentia corporis munitus, exsuperas. Nunquam tibi ad officium animorum se membra quamvis invalida subduxerunt: frigus, pluviæ, Padus, jejunia, navigatio, periculum, tonitrua, sine tecto mansio in ripis fluminis, incerti pene sine terra portus, virtuti tuæ dulcia fuerunt, et grata successui. [6] Contristatus est de præsentia tui et ille eminentissimus rex, qui te videre ambienter optabat. Exposuisti necessitates nostras adventu tuo, antequam diceres, et quales tecum habitantium lacrymæ te compulerint, docuerunt superata discrimina.

Ast ubi ad principem tamen ingressus est, ita loqui cœpit. « Solita, rex venerabilis, mentis tranquillitate famulorum preces intellige: et me ad postulanda necessaria, et vos ad tribuenda usus informat. Lex tua est, ductor invicte, misereri jugiter: tu semper nutristi spem intercessionis in posterum, dum præsentibus non resistis: viam supplicationi nostræ patefecit ad reliqua, semper apud vos beneficii fides impetrati. Liguribus tuis largire quod proferas: tribue quod reponas: futurorum quæstus est, temporalis indulgentia. Boni principis mos est, cum virtutibus amare famam; et regnum ita ordinare, tanquam ad stirpis suæ posteros transiturum. Nutantes domini hæc tantum quæ accipiunt, diligunt: firmissimi illa potius, quæ dimittunt. Sic terris semina parva committimus, ut multiplicata capiamus: fenus sine cri-

sius; tertiam in restauratione baptisterii in civitate sua Vienna; quartam in basilica S. Petri, quam sanctus episcopus Tarantasiæ condidit; quintam in dedicatione basilicæ Genevæ, quam hostes incenderant; et alias quæ vel incriptionibus ipsis nimium quantum sui desiderium excitant, reliquorumque beati Aviti operum quæ recensent Isidorus et Ado Viennensis.

[1] *Godigisclus*] Ita scribunt libri omnes, non Godigisilum, ut vulgatæ habent editiones Gregorii Turonensis aliorumque.

[2] Schot. et Bolland., *formam*.

[3] *Tarantasiam*] Tarantasia olim oppidi nomen, Alpium Graiarum caput. Sic enim et in vetere Itineratio Æthici, et in Aviti homilia quam modo commemoravimus. Hodie Tarantasiam vocitant non oppidum, sed pagum ipsum, tractumque totius Centronum civitatis. Itaque contra illi accidit quam plerisque aliis Galliæ locis, ut princeps oppidum regioni nomen daret, non regio seu civitas oppido.

[4] Bolland., *impetravit*.

[5] Idem, *doceris*.

[6] Baronius ex Vat. cod. *consolatus*.

mine fit triplicatum : boni imperatoris est possessoris opulentia. Concede immunitatem anni præsentis Liguriæ, qui eos externis qui supplicant, reduxisti. Quam uberem præsentem nativitatem habuerimus, clementia vestra astantes interroget. Nemo illi mentitur, cui serviunt qui convincant. » Ad hæc princeps : « Licet nos immanium expensarum pondus illicitet, et pro ipsorum quiete legatis indesinenter munere largiamur, tamen vis meritorum tuorum tractatibus nostris reverenter intervenit. Opus est fieri quidquid injunxeris : juvat omne quod præcipis : æstimamus enim compendiis nostris adjici, quod ipse decerpseris. Nihil tu quasi ex accidenti depreceris, qui habes a nobis plurima quæ reposcas. Duas tamen præsentis indictionis fiscalis calculi partes cedemus ; tertiam tantummodo suscepturi, ne aut ærarii nostri angustia Romanis pariat majora dispendia, aut supplicatio tua exspectata patriæ gaudia non reportet. » Taliter præfato regi egit gratias summus antistes : a quo vale dicens abscessit. Heu dolor atque gemitus ? omnibus quasi supremi officii vel ultimæ visitationis studio impiger occurrebat. Et cum domus ipsius Christianæ multitudinis turbas evomeret, ipse tamen omnium penetralia adibat : nullum humanæ mentis crassitudine hebetatum tangebat tam funesta suspicio, quod instaret transitus ejus quem ille spiritus relevatione cernebat. Ninguido aere, et quali solent homines ad tecta confugere, Ravennam egressus est, et per omnes Æmiliæ civitates celer venit, tanquam ad sepulcri receptaculum properans : omnibus sacerdotibus in itinere positis munificus, communis, affabilis, et quasi [1] exagellam relinquens, se ipso præstantior. Ut Parmam tamen, ejusdem viæ ingressus est civitatem, continuo eum coagulatus in vitalibus humor infudit, quem catharrum medici vocant : qui se medullitus inserens in ruinam publicam serviebat. Sed quid formidas oratio ? quid velut [2] navis fragos scopulos perhorrescis ? Velis, nolis, et si strictim, cujus vita dicta est, narrandus est obitus : quoniam nulla protensione libelli, nullis dilatationibus promulgatæ laudis, transitus ipsius poterit occultari. Et quamvis velut Scyllæos canes et patulas Charybdis fauces, fragosa discrimina murmure minitantes velificans carina diffugiat, obitus ejus naufragium non omittit. Quid fletus narrare metuo, quos continua semper necesse est ut monstret effusio ? Ergo dum se oppido Ticinensi, nunc misero, propinquavit quasi alacer et sanus apparuit : quod licet cum [3] omnibus exsultationibus ob reditum suum introisset, illico gaudia vertit in lacrymas, ægrum se esse ipsa die significans, altera graviorem. Et cum grandior per dies singulos appareret infirmitas, adjuta est imperitia medicorum. Stabant mussitantes et attoniti populi, casum in uno homine totius provinciæ considerantes, et funus mundi metuentes. Septimo tamen die inopinatum scelus, ineffabilis calamitas, inexplicabilis luctus accessit. Sed cum beatissimus cerneret pontifex, sarcina carnis abjecta maturius se ad purum ætheris evolare fulgorem : cujus vox illa semper fuit, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philip.* I, 21), læto animo ac vultu sereno illos versiculos Davidicos sæpius repetebat : *Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo. In generatione et progenie pronuntiabo veritatem tuam in ore meo* (*Psal.* LXXXVIII, 1). Et illud : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* (*Psal.* XXX, 6). Nec non adjiciebat de perfectione securus : *Confirmatum est cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo salutari meo* (*I Reg.* II, 1) : ut hymnis et canticis et in morte resonans ad sedem suam cœlestis anima remearet : quæ quinquagesimum [4] octavum ætatis annum duxit ad tumulum : triginta in hac sacerdotali, qualem, et si excerptim lector attendis scalptam, conversatione exemit.

Illud namque silentio præterire non debeo, quod ejus sanctæ reliquiæ usque in diem tertium, quo cum summa veneratione reconditæ dinoscuntur, tanto lumine ac decore vestitæ cunctorum visæ sunt oculis ut splendorem vitæ vultus signaret defuncti, et depositam gloriam jam nunc percepisse gloriosum vas crederetur, in quo vere fuit thesaurus magni regis inclusus. Quæ tibi fuerunt flumina lacrymarum, quanti planctus, silebo, ne post annos ac curricula novellum dolorem scriptor incutiam. Quæcunque ibi mater venit, liberatum clamavit ab illo filium ; quæcunque uxor, maritum ; quæcunque soror, fratrem ; qui cælebs, se ipsum. Postremo in illa tanta hominum multitudine et conventu, ut audenter dicam, totius orbis nemo fuit qui beneficiis illius aliquid non deberet.

Sed quæso jam temperemus a luctibus : contractam tristitia resolvamus frontem. Excelsa cum Deo possidet, ob cujus obitum mœremus in terris. Sed quid faciam, quod remediatoris vestri singultus verba difficiunt ? lacyrmæ ora profundunt ? mugitum resonat omne quod eloquor ? et intelligo quod nunquam ad flentem flens bene veniat consolator. Hæc sancto Patri et doctori peritissimo idoneus affectu non scientia impendi, ut aliquos de conversatione illius flosculos relegerem ; ut est longum iter agentibus iu usu positum, qui non omnes obvios consalutent. Tu mihi, anima apud Redemptorem nostrum præpotens, tribue, ut cura vacuus et pectore liber, munda tibi sicut debentur præconia mundus exsolvam. De cætero ha-

[1] *Exagellam relinquens*] Hoc est, ut interpretor, normam et exemplum. Exagellam enim appellasse videntur libram seu trutinam, ab eo scilicet fonte a quo et aginam et exagium. In antiqua inscriptione quæ continet edictum Aproniani P. V. sub exagio pecora vendere, est appensa vendere. Zeno item sermone 6 ad neophytos, *Habetis*, inquit, *aginam : exagium facite, quemadmodum vultis ponderate*. Exagium facere est ponderare : trutina qua ponderamus, exagella.

[2] Alii, *navifragos*.

[3] Alii, *omnium*.

[4] *Quinquagesimum octavum*] Decessit beatus Epiphanius XII cal. Februar. anni 497, anno ætatis duodesexagesimo nondum expleto. Quare natus videtur an. 439, creatus episcopus anno 467.

bentem in te post Deum fiduciam non relinquas, et quem religionis titulis insignisti, religiosorum in divinam repromissionem redde participem.

OPUSCULUM QUARTUM.

[1] De vita Beati Antonii monachi Lerinensis [2].

PRÆFATIO.

Ut præliantes assurgunt buccinis; ut equorum celeritas ad potiorem cursum ferrata calce provocatur: ita dum majorum virtus sollicitat, ingenia novella confortat. Qui cana exercitia et veterum gesta relegit, ad disciplinarum frugem propositis laudum præmiis inardescit. Imago præcedentis gloriæ, ut ad posteros veniat, linguarum catena retinetur: non licet per ætates perire, si quid lectio serenis actibus amica susceperit. [Itaque eloquentiæ diuturnitas, mortalis naturæ sine congressionis periculo vincit angustiam, per quam optimorum conversatio, ipsis decidentibus, noscit occasum. Restituetur quidem corpus origini, et destinatus a superis spiritus ad proprium recurrit auctorem: quorum tamen probitas libris mandata fuerit, eorum vitalis est obitus. Dicat forsitan interpres austerior: Abjurat prædicationis dulcedinem perfuncta mens sæculo, et carnis vinculis absolutus non desiderat quæ inter incerta mundi gessit, agnosci: sed illos humanus carcer, sine libertatis dispendio, refudit opifici: dum inter polluta gradiens, nitorem suum anima Deo nostro intenta geminavit; et per mandatorum cœlestium lineas lenocinantem hujus lucis non sensit errorem. Nobis vero ista reviviscant, nobis profutura serventur; quibus si a studio deest sectari meliora, de illorum qui facem conversationis suæ præferunt, venire debet exemplo. Tu autem, venerabilis abbas Leonti, qui id mihi operis injunxisti, adjuva oratione titubantem, et siccitatem styli sanctarum precum imbre locupleta: facies enim, ut confido, meritis præcipuum, quod aggredi me ipse jussisti. Pronum est, beatitudini tuæ jejunam eloquentiam fecundis innocentiæ ferculis ampliare: credite mihi, vos respiciet extortæ aut culpa, aut genius dictionis: cujus nisi substantiam religiosa auctoritate firmaveris, videbitur judicii tui clauda fides delegisse minus idoneum, cui venerandi laboris provinciam commisisti.

Igitur beati Antonii narraturus insignia, primum Spiritus sancti mihi majestas invocanda est, ut qui illum rebus divitem facit, me in his explicandis per linguæ frena moderetur, et labiorum sordes prophetici carbonis diluere maturet incendio, ne conscientiæ nebulis lucem conversationis illius, aut amplissimis pauperem faciam laudibus, aut infantia arente devenustem. Benedicitur indivisa Trinitas Deus noster, qui servum suum Antonium, tanta virtutum dote sublimem, circa Danubii fluminis ripas in civitate Valeria, Secundino patre lucis hujus januam jussit intrare. Qui quamvis de splendore natalium conscientiæ jubar hauserit, tamen fulgorem stirpis præcipuæ morum radiis obumbravit, vincens decorem sanguinis ingenii claritate; dum coruscantem germinis sui lampadam actuum serenitate transcendit; et factus est victor stemmatis sui, per quod universos nascendo superavit. Qui dum adhuc de matris penderet uberibus, quem præscivit Dei gratia, non reliquit: nec passa est inopem favoris existere dispensatio cœlestis, quem remunerandis plenum studiis approbavit. Qui ne sancti instituta propositi per parentum blandimento frangeret, annorum ferme octo genitoris tutela nudatus est: mox tamen ad illustrissimum virum Severinum ignara fuci ætas evolavit: qui dum eum mulceret osculis, futura in puero bona quasi transacta relegebat. Fuit enim, cujus meritis nihil esset absconditum. Ille hunc sibi futurum participem, pia ubique voce prædicabat: credo, ut incipientis tirocinia spes annuntiata solidaret.

Sed postquam beatus vir humanis rebus exemptus est, Constantii antistitis ea tempestate florentissimi, junctus obsequiis, gloriosis operibus vitæ rudimenta dedicavit: qui eum inter ecclesiasticos exceptores cœlestem militiam jussit ordiri: erat enim venerabilis sacerdos Antonii nostri patruus. Sed nunquam ille magisterii rigorem consanguinitatis lege mollivit: nec fecit securum de necessitudine discipulum non timere, cui gratiam doctoris nisi censura non præstitit. Tantus fuit circa sectatorem diligentiæ modus, quantum judicia contulerunt: meritum suum in facie monitoris agnovit. Sed jam peccatorum consummatio Pannoniis minabatur excidium. Nam succisa radice substantiæ regionis illius status in pronum deflexerat. Per incursus enim variarum gentium quotidiana gladiorum seges messem nobilitatis absciderat, et fecundas humani generis terras ira populante desolabat. Jam Franci, Heruli, Saxones, multiplices crudelitatum species belluarum more [paragebant: quæ nationum diversitas superstitiosis mancipata culturis, deos suos humana credebant cæde mulceri: nec unquam propitia se habere numina, nisi cum ea æqualium cruore placassent: cessare confidebant

[1] *De vita beati Antonii*] Beatum hunc virum, quem paucis post obitum annis primus omnium celebravit Ennodius, jure quodam sibi vindicant tres provinciæ: ortum Pannonia, potiorem vitæ partem Italia, obitum et sacras corporis exuvias Gallia. Natus quippe in Valeria Pannoniæ, atque a beato Severino primum abbate, deinde a Constantio episcopo Laureacensi patruo suo institutus, inde in Italiam profectus est: atque in valle Tellina, qua Abdua fluvius, priusquam Lartum subeat, decurrit, cum Mario presbytero aliquandiu versatus, inde rursus emigrans, ad Larium lacum, haud procul a sancti Felicis Comensis martyris sepulcro sedem fixit, clarissimamque nominis famam adeptus est. Quam ut declinaret, Lerinensem denique maris nostri insulam petiit, in eaque vitæ cursum inter sanctissimos ejus ævi monachos biennio peregit.

[2] In martyrologio Romano die 28 Decembris.

iram cœlicolum innocentis effusione sanguinis, qui ut in gratiam redirent cum superis suis, propinquorum consuerant mortes offerre: quoscunque tamen religiosi titulus declarabat officii, hos quasi sereniores hostias immolabant, æstimantes, quod piorum jugulis divinitatis cessaret indignatio, et fieret materia gratiæ locus offensæ. Inter quas temporum procellas Constantius pontifex, ne quid in mundo haberet subsidii, terra [1] hostilibus deputata, humana lege liberatus est.

Post cujus resolutionem, Antonium nostrum famuli ad Italiæ partes quibus cœlitus fuerat deputatus, Christo duce perducunt. Principe loco Tellinæ vallis, quæ id sortita est vocabuli, limen ingreditur: quam montium ex utroque latere brachiis fabricata naturæ ditat amœnitas, et de verticibus fecundis amnium plebe locupletat uber solum: quod avaris respondet juxta desideria immoderata cultoribus, non tamen ita aristis prægravidum aut dotatum pascuis, aut arbustis compositum, aut fluminibus lætum, ut non plus supervenientis personæ gratia præstaret, quam ipsius originis variata et distincta formositas. Illic Mario presbytero qui spiritibus immundis dominabatur, adjunctus est: quia hæc est rerum conditio, ut novi hominis mores divulget inventa sodalitas: et qui ignoratur per originem, similium clarescat affectu. Deprehenditur mens secreta per socios, et cui non licet ad liquidum supervenientis æstimare conscientiam, conceditur ut de suis deprehendat externos. Nam cum eum beatus Marius illis oculis quibus mentes videntur, inspiceret, et interioris decorem hominis absconditis percontaretur obtutibus, voluit eum clericorum sociare collegio, et inter ecclesiasticos cœtus præstantem meritis dedicare personam. Sed fugit honorem, velut veneni poculum, qui semper potentiam credidit subjacere, et servire patienter prætulit regali dominatui.

Ne tamen diu humanæ conversationis mixtus illecebris, societatem contagionis hauriret, elegit secessum haud procul a beati martyris Felicis sepulcro, ubi Larius Jonii marmoris minas deponit; quando ne evagetur longius, objectis ripis resistunt frena telluris. Illic insertio nubibus vertice mons coruscat, qui sublimitate sua vincit aspectum. Sed quam superbus est magnitudine, tam difficilis ascensu. Nam nullis ante monachum nostrum patuit gressibus; nec per prærupta saxorum humani generis admisit, formidine repugnante, vestigium. In præcisis cautibus tuta feris longum præbuit nullo exterrente cubilia: eo bestiis blandior, quo terribilius agricolarum minatur excursui. In hoc Dei famulus sedem diligit, in quo sola fuit placendi causa, quia nequaquam lenocinabatur aspectibus. Nihil secum amplius, nisi parum leguminis et ligonem quo terram sollicitaret, de mundi beneficiis assumens: dedicavit callem subjecta asperitate nescitum. Juga illa indomitam naturæ legem Antonio congrediente perdiderunt: reserata itinera post ingressum ejus patuere cupientibus. In-

A venit illic tamen duos senes, quos jam ita inter lustra belluarum habitatio longa miscuerat, ut nihil de illis mundo fama nuntiaret: quorum vitam scientiamque plene videor elocutus, cum expetitam pro Dei timore habitationem sine nube vulgavi. Brevi post, horum unus assumptus est, et terreni carceris mole deposita, ætheriam valetudinem felix anima resumpsit: nam absolutionis ejus tempore columna ignea beati Antonii oculis est ingesta, ad cœlum usque pertingens: credo, ut venerabilis viri fides, et ardor ille vitiorum decoctor typico monstraretur incendio. Tunc dum ibi Deo cultor tota disciplinis cœlestibus virium suarum vela laxaret, et per sinus animæ corporisque extrudentia paleas flabra susciperet: cujus vigilias, jejunia, lectionis assiduitatem jure replicarem, nisi B haberem digniora memoratu. Nunquam ille cibum sumpsit, nisi fatiscente corpusculo, nunquam nisi exemptis officii muniis, sollicitudinem quiete laxavit. Sed quid retexam, quæ perfectionis habuerit instrumenta perfectus, aut per quos gradus ad celsa conscenderit, quem liquido declaratum est obtinere sublimia? Scivit ille sic per labores varios disciplinarum lineamenta sectari, ut nunquam assumeret arrogantiam de labore: et cum omnia essent digna præconiis quæ gerebat, dispendium virtutis credidit fuisse laudatum. Sic totum de ejus actibus opinionis luce radiabat, ut nihil præberetur ostentui: præminebat censura mentis in corpore. et iracundiam quam contra culpas anima ejus susceperat, facies infucata C pingebat. Videres adversus flagitia mundana torvos oculos, et indefessa contra sæculi blanditias Christi militem bella tractare. Quando illa imago statum suum resolvit in risum, et ab ordinis proprii rigore lætitiæ debilitate confracta est? Interea dum velut obsignatum monachi in universis implet officium, vir quidam quem sponsæ suæ amor in facinus impulerat, et ad effusionem humani sanguinis affectu et indignatione provocarat; dum conscientiam se credidit fugere mutatione terrarum, et in aliis provinciæ partibus innocentiam reperiri quam furore duce perdiderat, velatum simplicitate ad secreta eremi portavit homicidam, putans in Dei obsequio constitutis de actibus suis præter effigiem nil patere. Artifici humilem simulavit obtutu; et per dolosi D commenta consilii, fabricata subjectione compositus, cautioribus scelerum sordes texit obstaculis. Difficile est præter Deum deprehendere, quidquid obsequendi argumentis involvitur: proinde flagitium celat abjectio: raro in lucem erumpunt crimina, quæ auctor obtemperandi scierit fuco sepelire. Protinus tamen adfuit ille index consuetus, et latentis secreta conscientiæ divinæ vocis clave reseravit; in his sermonibus adorsus Antonium, quando eum plus quam homo possit docuit cognovisse, illum denudans, qui crasso indumento latronem tegebat: « Cave, inquiens, ne tanti criminis reum sancto velis miscere collegio: ne lupum ovibus, agnis viperam negligens æstimator adjungas. Iste animam Dei manibus con-

[1] Schot., *hostibus*.

cessam per ensi fragmenta gutturis effugavit, et internecivo fratris furore constricti vitam e sedibus suis, dum infert faucibus vincula, dissolvit : hunc debitum exitium sequitur, nec a jugo supplicii erit alienus qui humano sanguini non pepercit : misericordia est, circa facinorosos servata districtio. Ergo sopori terminum ponens, mandatorum cœlestium hostem depelle, ne candida conversatio tecum habitantum fusca supervenientis contagione violetur. » Illico divinis obsecutus imperiis hominem vocat, mentientem convincit, feriato ore male conscii omnia ejus gesta persequitur. Expavit deprehensus, cum flagitia sua recenseri videret ab homine, quæ sine teste humani generis commiserat : viaticum poposcit, fugam tremens apparavit : continuo tamen pedissequa reum ultio comprehendit, et expiatum scelus patratoris morte nuntiavit. Ita sermo justi viribus carere non potuit. Interea sanctus vir per regiones finitimas insidiatricis famæ linguis innotuit : quæ ne pareret de celebritate jactantiam, ante provisa sunt remedia, quam morbus adolesceret. Qui enim grandævus aut debilis, duce diligentia, non itineris illius transmeabat abrupta, cum dantibus valetudinem desideriis etiam ægritudines corpora non tenerent? Hac perterritus frequentia ; ad secretiora eremi beatus Antonius credidit evolandum, ne singulorum devotio inamabilis arrogantiæ mater existeret, et de multiformi gratia rigidioris propositi ruina nasceretur. Mox tamen secessus quem pendula rupes commendabat, electus est : in quo annis pluribus solus, et vere monachus vitam sine humani generis consorte transegit. Dabat feras pro sodalibus montana solitudo : mugitus ursi aliarumque belluarum minax immurmuratio, pro blandæ confabulationis communione ponebatur. Denique ea tempestate ursus petulantior, gloriæ plus daturus, caules ipsius puberibus foliis lætiores, et quadam domino hilaritate gestientes, immani ingrediens contritione vastavit, ita ut nusquam de simplici fruge spes residua linqueretur : quem ille baculo mulcatum districtius abire præcipiens, testem virtutis suæ, et nuntium passionis ad alias ire bestias mox coegit : ut impleretur Domini fidelis pollicitatio, quæ sectatoribus suis totius veneni et omnium ferarum promisit obsequium. Rursus tamen gradienti ei per destinatum callem rugiens se fera suggessit : quam ille sola jussione turbatum iter fecit aperire ; et occupata viæ claustra deserere. Sed ecce iterum alis pernicibus, per proditionis suæ ordinem, Dei servum in quo loco degeret fama vulgavit ; aliud de ipso, pro sententiarum varietate, diversis opinantibus. Tunc liquido patuit per occursus multiplices nihil obstare cupientibus ; planari ardua, solidari scissa, pendentia non timeri. Sed potioribus insidiis, ne per arrogantiam hostis subriperet, fortiori consilio manus opposuit, ne jam grandævus perderet, quod inter tirocinia virtute servasset : acrius enim circa robustos diaboli certamen est, et majoribus copiis illos aggreditur, qui conflictus ejus experti roboris sudore domuerunt. Universa tamen secum

A ipse pertractans, brevi animum suum allocutione firmavit. « Quid agimus, mens adhuc mundani oneris fasce depressa, quam nondum ad auctorem suum corporeus carcer evomuit ? non tibi certa est de perfectione fiducia, dum adhuc includeris fragilitate carnali : periculis plena sunt, quæ videntur esse tutissima : lenocinia hostis tui intelligis, dum universorum voce laudaris. Vide quantis labores insidiis : absconditum esse non licet, quod adimus : latebram nostram persecutio manifestat hostilis. Sanctorum petamus exercitum, et illam Lirinensis insulæ cohortem irriguo inquiramus ardore : quem solum hactenus pulsavit adversarius, timebit inter inimicam sibi multitudinem constitutum. Instructa præliis acies illa semper invigilat, et variis perfossum ictibus abigit

B infestantem : quot bella illis diabolus intulit, numerant tot triumphos : non metuunt quotiens adesse Satanam, ut dimicantes acuant, classico fuerit stridente nuntiatum : semper eruditos et fortes reddidit quotidiana decertatio, quomodo prolixior pax solutos. » His dictis, dimissa fratribus cellula, quos ibidem prædicti amor congregaverat, apud Lirinum improvisus apparuit. Nuntiavit virum insignium meritorum facies jejunii pallore decorata. Num dum secreti nitorem hominis splendidissima macies indicaret non defuit actuum ejus præco consuetus : immaculatam conversationis ipsius speciem sub verborum abundantia et relationis ubertate describens. Mixtas grandævis et præcipuis gestorum suorum

C lampadam non minori intellexit igna rutilare : metitus est fomitis sui lucem, dum vidit alieni. Quasi inter ornamenta cœli et sidera pleno fulgore micantia, supervenientis astri claritudo societur : certant sine invidia : geminare radios, et per augmenta luminis speciem superare novitatis. Alia prolixiori crine facem suam stella commendat : alia puriore ; unam ditat potior flamma, nobilitat alteram per spatia nocturna sincerior. Sic Antonium nostrum per universas locorum mutationes a Christo veniens disciplina comitata est. Providit tamen, ne cui in illa nutrice sanctorum insula, cum præstaret meritis præferri videretur honoribus : sciens in humilitatis radice plantatum ad centenos fructus assurgere. Blandus juvenibus, gravis maturis, doctus peritis,

D submissus existendo simplicibus, totam illam dominici gregis legionem distinctam actu, variatam gentibus, quasi unam animam in sua affectione collegit, Ibi biennio, se ipso potior, mundi istius sarcinam deponens, victor insidiarum quas antiqui serpentis parat astutia, diem nostrum et lucem præsentis sæculi perpetui luminis adeptione commutavit. Taceo qualiter vitam ipsius mortis claritudo signaverit, ne universa digerens, non tam veritatem narrasse, quam prædicti laudibus videar immoratus. Veluti si quis consitum lucum frondium densitate repererit ; ex quo coronam ferro stringente subripiens, genium silvæ, dum præsumit parva, non amovet ; melioribus equidem de Antonii nostri factis, quæ stylo non attigi, narranda servavi. Vincar forte eloquentiæ flu-

mine : nemo me circa illum superabit affectu. Habeat qui secutus fuerit, de peritiæ messe jactantiam : mihi gratiam beati hominis nemo præripiet, qui ad explicanda ejus bona primus accessi.

OPUSCULUM QUINTUM.

[1] Eucharisticum de vita sua.

In nomine Patri et Filii et Spiritus sancti.

Oraculum est scientissimi doctoris gentium (*II Cor.* XII, 9) quod pariat infirmitas nostra potentiam, et quod terrena contritione anima convalescat : cum virtus quæ de substantia carnis fluxerit, currat ad spiritum; et dum labefactatio nostra cœlestem hominem, et in divina locandum arce componit ad frugem spiritus; si quando sine cultura aut messe sunt corpora, dulce est, et cum accesserit propter augmenta diminutio : ad divitem Dei gratiam pervenitur jejuna et sterili paupertate membrorum. Ergo tibi debetur post Deum, imbecillitas nostra, quod de rerum sublimium affectione surreximus. Votiva febris meæ necessitas, et exustio amplectenda medullarum, dederunt mihi et timere Deum de abitione sospitatis, et in ipso gaudere de reditu. Lætatur nunc in auctore nostro mentis sanitas procurata languoribus. Ubi est superbia divinæ salutis quæsita ludibrio ? ubi supercilium, per quod omnium munus credebas esse rem propriam? Repente deseruit te constantia roboris tui, et ægritudinis subjecta ponderibus elisa cervice jacuisti : postquam fugit prosperitas tua, seram meditata pœnitentiam, quod prævalueras, Dei nostri fuisse cognoscis. Gratias tibi, cœli moderator et conditor, qui dispensatione subtili, et occultis miserendi itineribus, vias nostras et de afflictione componis, et ad virtutem perfectam pia laceratione nos reparas. Ad medicinam tuam venire, nisi suffragio vulneris, non valemus : cum duritiam cordis assuescimus te percutiente mollire, et suggestionem terrenæ vilitatis nobili et dulcissima molestiarum nostrarum passione comprimere. Ecce ego ille, qui in longum ducta mihi alacritate plaudebam ; qua dum perpeti fruerer, quasi nulla intermissione solveretur, quærebam qualiter peccati stipendium mors veniret. Nam elevatus insanis successibus, poetarum me gregi, ignarus venerandæ professionis, indideram : delectabant carmina quadratis fabricata particulis, et ordinata pedum varietate solidata. Angelorum choris me fluxum aut tenerum poema miscebat : et si evenisset, ut essem clarorum versuum servata lege formator, sub pedibus meis subjectum, quidquid cœli tegitur axe, cernebam. Ineptum diu volutavit vita mortalis, et certa miseriarum cæcitas de falsa dicendi felicitate perextulit. Quotiens acclamantium flatibus propter religionem vertex nudatus intumuit, et mendacibus labiorum lusus illecebris, credidit amorem sui habentium pectoribus imperari? Tu autem qui in cœlis habitas, irridebas me (*Psal.* II, 4) : tu quem non deliniunt verba, sed puritas : tu apud quem sæpe muti loquimur, et clamantes tacemus. Sic dum me concinnationis superfluæ in rhetoricis et poeticis campis lepos agitaret, a vera sapientia mentitam secutus abscesseram, nihil aliud cupiens, nisi auris vanæ laudationes aucupari. Erat orandi fastidium, dum perorandi tenebar cupiditate mercari. Infelix ego homo! quis me separaret de corpore mortis hujus (*Rom.* VII, 24)? gratia Dei, medicabilis morbi concessa ministerio. Nam ecce repente ad sedem animæ formidantis dolor ingressus, et secreta cordis hostili pavit incendio : tunc quidquid homo est jugi consenescebat ardore, et per aditus naturales coctio se interna reserabat. Nam dum e latebris suis pelleretur arrogantia, quamvis adhuc aliqua de superstitioso, tamen jam de superstite nihil habebam. Hoc solum remanserat de conscientia viventis, quod a te, Deus meus, sanari me posse confidebam, quem ad commotionem errore perduxeram. Nec tamen vastatrix illa et magistra pestis latebat, viscerum immissa conclavibus : nec contenta velamine, totum me luridi coloris nube vestierat; ut quidquid in cæteris passionibus medicorum quæritur digitis, hoc propositum pro correptione sui vulgus videret. Urebat amantes mei longa calamitas; urebat inimicos : alios desperatio obitus mei, alios angebat instantia, concors erat civitatis in studii divisione sententia. Interea me edax ignis interno vastabant officio, et continuis curantium nutriebatur studiis. Nam quasi morbos aleret, ita quidquid contra ipsos providebatur, accessit. Tunc illa sæcularis pompæ philosophia, Hippocratis et Galeni contrita subsidiis, ad adjutorium fidele se transtulit, aliquando sentiens mundi blandimenta vanescere, et humanis hominem præsidiis non juvari. Jam duorum ferme mensium curriculis cladis hujus me sibi pressura submiserat. Jam remedii vice transitum præstolabar, et nihil suave de usura lucis istius recolens, abrumpere moras, etsi cum peccati iturus fasce cupiebam. Expendite legentes quæ hic flagella, quæ tormenta me manserint : ut suppliciorum præsentium metu gehennæ pœnas expeterem, et ut ad illa immortalis camini et dirum anhelantis piacula festinarem. Sed non defuit mihi Dominus, qui *mortificat et vivificat*, *deducit ad inferos et reducit* (*I Reg.* II, 5), majestate sua ille, cujus est promissio. Adhuc verba in ore tuo, *Et ecce adsum, dicit Dominus* (*Isai.* LII, 6, *et* LVIII, 9). Nam cum unus se ex his qui assidebant mihi, et per singulos dies ditabant inæqualitatem meam dispendio facultatum, lassatum

[1] *Eucharisticum*] Liberatus gravi morbo Ennodius, gratias Deo, tum de reddita salute, tum de cæteris quæ in reliqua vita acceperat beneficiis, hoc egit opusculo : cui cum anepigraphum esset, nisi quod in uno codice *Relatio cursus vitæ suæ* inscribebatur, Eucharistici nomen indidimus, Paulini Burdegalensis exemplo, qui ejusdem argumenti ac tituli carmen composuit.

se fuisse testaretur, nec aliquid remansisse quod fieret; illico mihi spem vitæ detulit desperatio curatoris. Nam illic promptiora sunt cœlestis bona juvaminis, ubi se subtraxerint obsequia infausta languentibus. Continuo me ad [1] beati Victoris martyris præsidia sæpe experta transvexi, et opem fortissimi precatus, Deo per ipsum cum lacrymis alleganda commisi. Satis esse ad promerendam clementiam ejus, si semper ante oculos suos statuat, unde nos sumpserit; nec facile ad sublimitatem mandatorum illius cum velocitate extremam migrare posse materiam. Quamvis per secundam pii naturam baptismatis ablutum sit quidquid de limo parente sorduimus: tamen quia dum inimicus salutis nostræ inclusum blandimentis fucat interitum, dulci vitia sapore condivit; et dum pruritu aurium, dum gustandi oblectatione producimur, mors per fenestras ingreditur (*Jer.* IX, 21); quo fugiendum est ab ira ipsius, nisi ad misericordiam ejus, qui reducem filium et concessæ prodigum portionis, quem postquam cum porcis per obscenum siliquarum cibum addixit immunda communio, ad stolam candidam, ad annulum pretiosum, ad divitias illas paternæ possessionis, quasi semper servasset jussa, revocavit (*Luc.* XV, 12)? Precatus sum per electum ejus, ut debita mihi plura dimitteret, ut plus diligentiæ absolutus exhiberem. Et hoc eum promissionis suæ chirographo et casta sponsione conveniens, poposci, ut daret etiam per præcepta sua amabili devotione me currere: quia cum sit illius, quod vocamur, illius quod vocati acquiescimus, a nobis tanquam sint orta munerantur: et velle recta, et perficere ipse suggerit: tamen ceu pro nostra obnoxius devotione dat præmium. Promisi etiam, si clarioris studii me per gratiam suam donaret affectum, de manu linguæ meæ confessio ista procederet, de muneribus ipsius ingenioli mei eidem adipem litarem; ut nunquam styli cura de sæcularium rerum ventosa exsecutione lassaretur: reliquas etiam quibus suggillabar fœditates abnuere; si tamen ipse, quod loqui inspiravit, velle me faciat. Supplicavi ut adesset in me beneficiis suis, nec averteret se ab eo, quem genuini præsidii tutela destitutum fovisset misericorditer, et illis qui parentum lætabantur defensione, prætulisset: et ut hæc tribuerentur non vicem innocentiæ meæ reddidit, sed quantum gratiæ ejus deberet felix et eruditus peccator, ostendit. Nam si recti custodiam pietatem secutus non linqueret, et nos terreret ut arbiter, et non ut pater foveret; nusquam via salutis, nusquam evadendi aditus pateret. Deus meus, redemptio mea, quæ mihi occurrunt de his quæ fecisti mecum: quæ de illis quæ gessi adversum me: quæ si conferantur, nullum tempus aut ope tua, aut delicto meo sit vacuum. Libet ex innumeris in me collationibus tuis unam libare, et prætereundo populos largitionum tuarum, singularem summo tenus attingere. Tempore quo Italiam optatissimus Theoderici regis resuscitavit ingressus, cum omnia ab inimicis ejus inexplicabili clade vastarentur, et quod superesset gladiis, fames necaret: cum excelsa montium castrorumque arces penuria perrumperet; et in culminibus locatos armis sævior egestas obsideret: [2] ego annorum ferme sedecim, amitæ quæ me aluerat, ea tempestate solatio privatus sum: remansi solus, inops re et consilio destitutus, cui sola remedium tribuere possit adversitas. Ne inter parentes, quod est captivitatis sorte amarius, subsidia vivendi liber poscerem, extemplo porrexisti consuetam dexteram, defensio mea; et domum censu et religione prædivitem, ut solatium meum non respueret, compulisti. Poposci in matrimonium cujusdam nobilissimæ et tibi bene compertæ parvulam filiolam: protinus, te ut ad te veniret procurante, quasi hoc a me sperari debuisset, exceptus: contulit mihi placentium tibi consortium, et ut alimentis affluerem, et ad culturam tuam fugiens infidelitatis obscura commearem, pene ante agnitionem desolationis meæ, cœperunt mihi largienda suppetere. Tunc primum ex mendico in regem mutatus, afflictorum orditus sum mala deridere, et quasi debita mihi fuisset prosperitas, sic illorum negligere auctorem. Non tamen perduellis animus et duræ cervicis continuo a te tumor elisus est: produxisti ultionis tempora, ne forte compungerer, et hoc tantum, quis esset præstitor, sanatus sentirem. Sed quia homo non corrigit ex injusto, nec facile ad candidum post maculas sedetur; steti in sententia mea illa qua caderem, vici patientiam tuam continuatione peccati. Et quia, cum sis clementissimus, non semper justitiam reponis, nudatus præsidio tuo, vocem illam quæ directa est ad aures primi parentis, accepi, *Adam ubi es* (*Gen.* III, 9)? In confusione mea, quantos amiserim clementiæ tuæ thesauros, et qua nudatus sim dote, numeravi: rerum a te collatarum æstimatio tunc concessa est, cum mihi periret: redii ad me atque ad ærumnas meas, et propter gaudia producta lacrymavi. Statim quidem alio itinere, non tamen impare, subvenisti. Ordinasti, ut per officium

[1] *Beati Victoris*] Martyris Mediolanensis, ubi domus et sedes Ennodio. De hac ipsa curatione sua quam infuso beati Victoris oleo consecutus est, vidimus lib. VIII, epist. 24. Alterum ejusdem martyris, etsi re ac modo dispar, in Apollinarem nostratem præter usitatum morem collatum beneficium narrat Gregorius Turon. lib. I Mirac., c. 45.

[2] *Ego annorum ferme sedecim*] Hinc petenda epoche annorum Ennodii. Nam si sedecim annorum erat, cum Theodericus Italiam ingressus est, nempe anno 489, consequens est ut, Valerio consule, qui fuit annus Christi 521 et Ennodio postremus, annorum fuerit non amplius 48. Itaque hunc numerum non excessit. Nam dissimili argumento ætatem suam, et quo anno suos libros ederet, prodidit Prudentius, consulem indicans quo natus erat, in Cathemerinon præfatione, quam vetera exemplaria, ut totius operis Prudentiani procemium, in prima ejus fronte merito locant.

Irrepsit subito canities seni,
Oblitum veteris me Saliæ arguens,
Sub quo prima dies mihi.

Salia consul cum Philippo fuit anno 348. His adde annos 57 quos egerat Prudentius: reliquum est ut hæc scripserit anno 405.

levitarum coactus sanares, et impacti honoris sarcina quod premebat a me pondus amoveret. Sed postquam venerandæ me pressura dignitatis absolvit, habui de titulo genium, non de actionis nitore conscientiam. O mens rigore inebriata venefico, nec exemplis instructa, nec monitis! Si desunt tibi venarabilium magisteria librorum ad profectum, informare suppliciis: et nisi te cœno perditionis immergis, habere potes de pœna doctrinam. Sed hæc faciat in nobis ille qui præcepit, et ut pares ejus existamus imperiis, ipse nobiscum quod injungit, operetur. Hæc et alia plura, sicut præfatus sum, per testem probatissimum beatum Victorem intimanda suggessi: nec requies, nec mora procuranda lentavit: petitionem meam suscepit, replicavit, obtinuit. Hoc amplius suffragator meus emeruit, quam poposci, ut [illa quæ mecum matrimonii habuit parilitatem, religiosæ mecum habitudinis decora partiretur, et fieret præclari dux femina tituli. Sed utinam sexum fragilem in animi virtute sequeremur, et actione nobili non tantum excelleret merito, quantum femineæ imbecillitatis sequi videretur obtentu. Illa pretiosæ vigore constantiæ mala carnis vota perdomuit, et affectiosam servavit pudicitiam, non coactam. Illa recti observantiam, dum obstinate diligit, ire compulit in naturam. Utinam non mihi in illa districti proponatur hora judicii; et dum in infirmitate sua fortis apparuerit, ego in naturali virtute sim fragilis! Ecce, Domine, recensui ipsa quæ noveras, et in ea tantum fui fidelis parte, ut non raperem quod tenebas. Adesto, rex gloriæ, adesto supplicanti, et secundum benignitatis tuæ consuetudinem, secutura dispone. GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO.

[1] *Religiosæ mecum*] Simile quiddam Ruricio accidisse scribit Faustus Reiensis epist. 7, ut cum ipso fidelissima Sarra, id est conjux sua, sub uno Christi jugo ad communem tenderet coronam.

OPUSCULUM SEXTUM.

Parænesis didascalica ad Ambrosium et Beatum.

Deo obsequimur, dum ejus convenientia monitis imperamus: nam quod petitioni vestræ studio caritatis acquiescimus, mystica sunt præcepta. Multis etenim supplicationibus exegistis, ut pagina vobis concinnationis didascalicæ fingeretur. Volens me in multorum jura submisi: quia videbo, quid in verbis adhibeatur examinis; sufficit si me in voto prædicetis. Ego tamen in foribus scriptionis quod vivificat non tacebo. Deum tota mentis intentione mundis tenete visceribus, et circa vos precum frequentatione mulcete, nullis ab eo animarum fornicationibus, nulla transactione deducti. Fovete etiam proximos, quos facit naturale collegium; et ne quod vobis factum dolori esset, vos fecisse gaudeatis. Hujus boni fructus est, quidquid optatur. Me tamen diu tenuerunt anxium deliberationis incerta, utrum ad vos per carmen, an epistolari lege verba promulgarem. Elegi affectionem meam circa vos utroque dicendi calle patefacere: quia et præcipientem decet fortis elocutio, et pressis admonitione mentibus mollioris styli cura subvenitur. Ergo benigne exacta suscipite.

LAUS VERSUUM.

Quamvis sit tenerum madore mellis,
Quodcunque strepuit parens Camœna,
Et fictum lepido nitore carmen
Captivet docilis momenta cordis:
Nec semper deceat poema virtus,
Quod lex præcipiens tenere fluxum
Resolvat studio jubente fortes:
At nos Pieriæ modum loquelæ
In tantum sequimur, monente cura,
Quantum dat genius, vigorque veri
Christi militis insitum rigorem
Elumbem patimur cavere ductum.

Ergo dictorum aliquotiens amœna fugientes, materiam solidam suo ore celebremus, ne sentiat virilitas operis enervati damna sermonis. Non refugit professionem meam monitoris officium, quia decet præcedentes emendatio: et sicut post tergum relictis par est facem de innocentia proferri; ita ratio flagitat, ut etiam verbis iter quod sequantur ostendas: cum divini voce constet hortaminis, *Argue sapientem et amabit te* (*Prov.* IX, 8): et non reticeat sæcularis assertor. Qui præceptorem sancti voluere parentis esse loco. Jure enim in affectionis supercilio collocatur, quem benignitas corrigendi promptius asserit quam ipsa natura generis. Genuisse etenim libidinis testimonium est erudisse pietatis. Ergo ad disciplinarum arcem properantes, matrem bonorum operum amate verecundiam: quæ ita ex se variarum species virtutum fecunda et virgo parturit, ut impudentia procax et corrupta vitiorum. Hæc vos hac voce, ut ad eam tendatis, hortetur.

VERECUNDIA.

Tinguite candentes roseo de murice vultus,
Atque fidem morum pandite de facie.
In niveo spargens maculas sis pulchrior ore,

[1] *Parænesis didascalica*] Auctor ipse sub initium concinnationem diadascalicam vocat, et lib. VIII, epist. 28, epistolam admonitionis: dignam sane quæ adolescentibus omnibus, qui ad virtutem et litteras informantur, legenda ac pædagogi loco sectanda proponatur. Beatus et Ambrosius ad quos ea missa est, ex epistolis noti sunt. Ambrosium enim Faustini filium fuisse docuit lib. IX, epist. 2 et 3. Beatum, etsi patris ejus nomen non prodit, nobilissimum et sublimem adolescentem appellat lib. VIII, epist. 38 et 39. Ad eumdem etiam aliquot sunt epistolæ Ennodii, et Ambrosii nomine controversia [6] in aleatorem. Ambrosius vero is videtur qui postea quæstor fuit Athalarici regis, apud Cassiodorum lib. VIII, epist. 13 et 14.

Cum sudans tenerum roscida colla feras.
Nil tibi plus lingua tribuas, quam schemate frontis.
Quidquid amare libet, hinc tibi concilia.

Nefas est huic tam sacro manus negare consilio, quando et ipsa quæ loquitur, quæstuosi decoris dote redimita, nobilitatis vel amplificat bona vel suggerit. Pudori ergo cognatam semper sociate pudicitiam : quæ ætatis præjudicium cana moderatione temperans, annis fervore tumentibus peregrinæ frigus dispensationis admisceat : et edomita erroris appetentia, carnem sapore sanctæ conversationis illiciens, recti diligentiam studiosam in vobis videri faciat, non coactam. Hæc tamen ventris castigatione procuretur, nec inimica ejus ferculorum populosis nutriatur erroribus. Exigit enim comessatio, magno quæsita dispendio, etiam bonorum damna meritorum, et uno calle morum veniunt detrimenta vel censuum. Hæc si ad vos gressum protenderit, his eam tonare oportet eloquiis.

CASTITAS.

Nil moror afflictos constanter prodere vultus,
Dum mihi præniteant casti monumenta decoris.
Pinguia nam tenuem suffocant corpora sensum,
Et male farta suas conculcant viscera mentes.
At mihi crux cuspis, crux scutum, [1] cruxque thoraca :
Hac tegar, hac feriam, hac pacis fœdera firmem.
Hæc mihi dux belli est, quo victrix lubrica calcans,
Dira cupidinei detestor mella veneni.
Ad me currentes puerum seponite factis,
Deque meo juvenes canam præsumite vitam.

Hanc admittentes fidei ornate consortio : quia sicut in emendatis moribus principem locum obtinet, ita suis spoliata dotibus non tenetur : nec fas est quasi singulare occupari ; quod constat ex pluribus. Nobilia serta nisi multiplicibus pratorum non componuntur spoliis : ex variis gemmis una diadematis solet constare formatio. Semper admirabilis electri corpus numerosa metallorum membra pepererunt. Proinde, quia nihil est quod fidem possit anteire, foveatur, et ita in diligentiæ messe coalescat, ne lacteus alimenti divitis culmus importuna demessus falce moriatur. Ergo recedat ab instituto vestro clauda pollicitatio, et per usum in naturam transeat res sequenda. Hæc tamen his vos convenire putetur affatibus.

FIDES

Qui cupit cœlo sociare terram,
Linquere et luxæ vitium parentis,
Me petat, certum decus, et coronam
Muneris alti.
Ille nec dirum metuit tribunal,
Nec per urbanos volitat potentes :
Conscius recti tenet inter undas
Stagna salutis.
Barbarum quamvis tumeat Gelonus,
Parthica et latret Morinus figura,
Omne quod mundi rabies susurrat
Despicit, arcet.
Intrat excelsi penetrale regis,
Divitum tutis manet in ruinis.
Ille nec legem patitur sepulcri,
Nec mala vitæ.

De præfatis virtutibus facessat studiorum liberalium deesse diligentiam, perquam divinarum bona rerum quasi pretiosi monilis luce sublimentur : quia non multum a fœditate sejungitur imperfecta formositas : et qui non sufficienter magnorum tetendit ad culmina, miserorum infirma vix reliquit. Istæ tamen præ foribus quasi nutricem cæterarum anteponunt grammaticam, quæ adolescentium mentes sapore artificis et planæ locutionis illiciat, et ad Tullianum calorem scintillas præfigurati vaporis adducat. Fabricatum Martius campus militem suscipit, quem simulacrum mentitæ dimicationis animavit : nec pedem retorquet a classicis, cui buccinarum clangor et ministeria belli inter pacis blandimenta crepuerunt. Usu enim virtus nutrita grandescit, et de institutione nascitur periculorum tolerantia : consummati roboris viros principia viderunt timentes. Bene est, si rhetorum dextera, et libertas illa linguarum formatos grammaticorum fornace enses accipiat : qui ne manifestis cedant ictibus, frequens contulit imago feriendi. In hac cautione opus est, ut supra ætatis immaturæ naturalem pene licentiam artis crescat affectio : et de continua per pædagogos, et indicta necessitate clari operis spontanea cura prosiliat : ostendit tamen ad bonam voluntatem se tendere, qui ut cogatur acquiescit. Jam pene in studio habet honestatem, quem non offendit sollicitudo monitoris. Tamen sectatoribus ista sic loquitur :

GRAMMATICA.

Mentibus damus saporem, dum polimus fabulas.
Judicem tenemus æquum, si quid errat parvulus.
Abstinens manu, pudorem aure et ore verbero.
Quidquid ars habet pavendum, ars loquendi temperat.
Cum pusillis et jocamur inter ipsa dogmata.
Nam jubet rigor magister, ne per omne terreas.
Nos parentes dixit ætas illa major optimos.
Quod favore computamus esse nostra pignora,
Quæ dedit venter tumescens litterati seminis,
Nec libido subjugavit jura clari pectoris.

Hoc vos digredientes jam instituto, rhetoricis lituis

[1] *Cruxque thoraca*] Pro *thoraca*, hoc est lorica, Basilienses ut labanti metro subvenirent, ediderant *corona*. Sed nos fidem veterum librorum sequi maluimus, quam seduli nimium emendatores videri : præsertim cum hujus generis exemplis abundet Ennodius, thoraca igitur, pro eo quod est thorax : ut lampada passim pro eo quod lampas. Sed primam præterea syllabam corripuit, cum in θώραξ producatur.

evocat Mavors eloquentiæ; et quasi loricam hamis, ita componit variis et connexis causarum munimenta particulis. Nam nodosis orationis artubus in solidam et simplicem formam coactis, unam sermonum pingit effigiem : in qua ita quadratis sociantur diversa mensuris, ut nec divisio deroget conjunctioni, nec viritim aggreganda valeat, cum opus est, segregare partitio. Vos præmisso laudis sapore mascula dictio et humani saporis Latiare supercilium sic adhortatur : « Post apicem divinitatis ego illa sum quæ vel commuto si sint facta, vel facio : quantisvis actionum tenebris involuto lux sufficit, quam loquendo contulero. Ego sum per quam exspectant homines reatum de turbida et innocentiam de serena: per me fusca splendorem conscientia, per me luce sua radians adventitia nocte tegitur : vel si sit ignara tenebrarum, est quod nec confidit puritas, nec culpa suspirat. Ad meum compendium ubicunque est Romanus invigilat : fasces, divitias, honores, si non ornaveris, abjecta sunt : nos regna regimus, et imperantes salubria jubemus. Quid quod declamationum nostrarum oblectatio vincit universa quæ sapiunt, et opinionem quam conciliamus æterna est? Ante scipiones et trabeas est pomposa recitatio : de virorum fortium factis quod volumus creditur : actum nemo æstimat quod silemus : nobilia germina, ex nobis fusa, orbem totum sole clara perfectionis irradiant. Poetica, juris peritia, dialectica, arithmetica, cum me utantur quasi genitrice, me tamen asserente sunt pretio. » Audite tamen et carmen, alieni quod nobis suggerit ludus officii.

RHETORICA.

Sit noster tantum, non stringunt carmina quem-[quam.
Nos vitæ maculas tergimus artis ope.
Si niveo constet merito quis, teste senatu,
Cogimus hunc omnes dicere nocte satum.
Et reus, et sanctus de nostro nascitur ore :
Dum loquimur, captum ducitur arbitrium.
Lana Tarentinæ laus urbis, gemma, potestas,
Quid sunt ad nostrum juncta supercilium?
Qui nostris servit studiis, mox imperat orbi.
Nil dubium metuens ars mihi regna dedit.

Hæc ergo, dulcissimi, et assequi contendite, et adepta custodite. Sed replicetis, quibus ad ista magistris, quibus utamur institutoribus, quorum erigamur exemplis; cum Faustum et Avienum, sæculi nostri beatitudinem, et Latiaris flumen eloquii, aulicis districtum teneat sors secunda consiliis? quos dum manet cura, a generalitate nescitur : quorum tentare præconia idem est ac si lucem solis et potentiam velis divinitatis asserere. Sed istis in bono publico desudantibus, patricii [1] Festus et Symmachus, omnium disciplinarum materias et constantes forma sapientiæ, ab urbe sacratissima non recedunt. In ipsis est nobilis curiæ principatus : quos vidisse, erudiri est. Non apud eos sermo de ludicris, nec pantomimorum vix ignoscenda commemoratio. Illi auram popularem per pudoris detrimenta non capiunt : contenti rectis magis placere quam plurimis, sortiuntur de innocenti actione testimonium. Istorum quamvis in omnibus jussa sequenda sint, est tamen in illis et magistra taciturnitas, et eruditi forma silentii. Est etiam Probinus patricius, placidi germinis examinata claritudo: quem eruditorum familiæ mores ad unguem ducti contulerunt : qui et de patris et de soceri hausit fonte, quod mundus est. Est patricius Cethegus, ejus filius vir consularis, qui canam prudentiam minor transgrediens, sine ætatis præjudicio habet et provectorum soporem et mella pueritiæ. Est Boetius patricius, in quo vix discendi annos respicis, et intelligis pueritiam sufficere jam docendi : de quo emendatorum judicavit electio. Est Agapitus patricius, et honestate dives et scientia. Est probus V. I. quem si sequamini, illum Faustum et Avienum quos prædixistis præsentes, etiam cum desunt habebitis. Cæteros claros viros quos tantum ad me opinio detulit, silentio relinquo : per vos, si vobis jam cordi est maturitas, aut per eos quos sum præfatus, agnoscite : manifestis enim patet indiciis amicus bonorum : nec in altero mores quisquam hominum, nisi quos in se formavit, amplectitur. Jam si matronarum delectat aditio, habetis domnam Barbaram, Romani flos genii, quæ testimonio vultus patefaciat lucem sanguinis et saporis : in qua invenietis et verecundam securitatem, et de bono actionis confidentem verecundiam : sermonem naturali et artifici simplicitate conditum, ut nec lepos devenustet alloquii, nec duris splendor feminarum rigescat affatibus, in qua sic in naturam transiit honestatis diligentia, ut si vel mentiri velit, non possit errorem. Sonat pudicam lingua dulcedinem, nec mentis nubilum tecto sereni sermonis operitur : hoc est pectoris, quod loquelæ. Det veniam feminarum diadema præsumenti, quod ejus invideo quieti : velim illam omnibus Italiæ partibus imitationem præferri, ut quæ non acquiescunt monitis, formarentur exemplis. Est illic etiam Stephania, splendidissimum catholicæ lumen Ecclesiæ, cujus natales ita majore luce fuscantur, si mores intelligas, ac si facem mundi oculus sol obumbret : si ingenitæ conversationis radios seponas, plus ejus sanguine nil lucebit. Istorum, quoscunque præfatus sum, cœlestis vos dispensatio jungat obsequiis. Ecce habetis gratiæ meæ obsidem paginam, quam velut pædagogum sectamini. Det autem vobis Deus quod decet et velle semper et facere. Ergo si pomposa oratione non valui, oratione vos, memor professionis, adjuvi.

[1] *Festus et Symmachus*] In hoc illustrium virorum catalogo dignitatum ordinem secutus est. Festus enim hoc tempore, ut Anastasius in Symmacho notat, caput senatus erat, consularium antiquissimus : ex anno videlicet 472. Symmachus eumdem honorem adeptus anno 475. Probinus anno 489. Cethegus Probini filius anno 504. Boetius anno, ut monuimus, 510. Agapitus nondum quidem consul, cum scriberet Ennodius, sed postea futurus anno 517. Probus fortasse anno 525.

Per te, [1] per qui te talem genuere parentes,
Symmache, ne nostram maneat sors dura tabellam,
Da dextram tenui, et tecum me tolle per undas.
Non facit ad mores credentem fallere sanctos.
Nihil moror, en supplex venio : miserere precanti,
Vilia divitibus commendans dicta patronis.

Germina clara
Sumite sicci
Verba parentis.
Nobile dictum est,
Quod bona monstrat.

[1] *Per te, per qui te*] Miserat Ennodius Parænesis exemplum ad Symmachum patricium, ut eam corrigeret, lib. VIII, epist. 28. Propterea hi versus parænesi subjiciuntur. Adonii vero ad Ambrosium et Beatum referendi.

OPUSCULUM SEPTIMUM.

Præceptum, quando jussi sunt omnes episcopi [1] cellulanos habere.

Nulli dubium est, hominem qui carnalis concupiscentiæ illecebras sacri amator instituti, magistra vivendi arte domuerit, et præceptorum falce cœlestum erraticos palmites de conversationis suæ radice sustulerit, vitali traditurus incendio, fructuosa plantaria ad supernum fovere valitura compendium, unde annuas divina jussa capiunt pensiones, et eum sicut sinceritate innocentiæ, ita opinionis luce gratulari, Nec bonorum facem meritorum maledicentis credendum est exstingui posse conflatu : quomodo et si dente tangatur invidi splendor vitæ, umbram venenatæ oblocutionis excludit. Auctorem repetunt tenebræ, quæ ad involvendum jubar aptantur : nitorem siderum nox infusa non obruit : ad genium claritatis proficit cum obscuritate conflictus : lunaris globi ministerium die recedente plus rutilat, et placet suo lumine, dum fugat alienum. Sub externum jus non mittitur, qui lucem facere, ut auctor, assumit. Sed quomodo noxiæ mentes definitis se æstimant senioribus non teneri, putantes prophetarum præcepta dicentium : Os detrahentis eradicabitur, cum ætate veterescere; et valetudinem non habere per tempora? quasi novellis tantum timor debeatur statutis, et ad pœnam reos lex annosa non teneat : cum temporum operator Deus, prophetæ usus officio, et antiqua jusserit, et moderna disponat; et unus atque idem boni fabricator instituti, circa homines quod præmisit in parentibus, servet in posteris. Sed ad propositum revertamur. Exercentur quidem sanctæ animæ sermonibus æmulorum, et ad gloriæ augmenta deputant, quidquid contra earum meritum accusator ingesserit : sicut doctor gentium clamat, homines oblocutionibus exerceri. Ut solent arbores quæ ad terræ penetralia validis radicibus pervenerunt, despicere flabra ventorum, et certaminis procellarum stabilitate propria animante contemnere : sic illi repudiantes superstitiosi quæ impacta fuerit caligo figmenti, per sudum radios bonæ conversationis ostendunt. Nam dum quis illorum objectis, conscientia teste, congreditur, ad triumphi spem interna æstimatione percurrit. Nos tamen quos pastoralis cura constringit, quibus tuendarum commissa est animarum diligentia, ne summorum quispiam minimorumque dispereat; maxime cum mali ipsius recens oculis offeratur exemplum, cum apostolicæ sedis præsulem, et omnium pene Ecclesiarum gubernacula tractantem, per proximi tumultus incendium inimicorum rabies tali ore momordisset, et in ruinam suam aliquorum furor sine justa indignatione surrexerint. Hanc ergo volentes morborum desecare perniciem, ne in locum iniquæ assertionis nostrorum aliquis negligentias aucupetur, et similitndine veritatis ad impugnationem fultus occurrat : qui, ut aiunt, viva hominum testimonia non formidant, dum quod nefas dictu est, convicti loco deputatur incautus, et fecisse scelus creditur, qui potuisse facere perhibetur. Nemo Dei oculos, quam hominis, judicat plus timeri : errorem creditur fovere solitudo, et profundam nequitiam incomitatus admittere : quasi cœlo facinora penetralibus inclusa non pateant, et vindicari malum non queat, quod homo non respicit : credentes quod rem studii possint deputare necessitati : et dum homo homini custos est, alio maledicendi ordine, pudicitiam valeant accommodare formidini. Nos quidem vel ex una parte carpendi occasiones incidimus : nos supernæ memores disciplinæ, qualemcunque sacerdotalem dexteram volentibus perire porrigimus; et a ruinæ præcipitio diabolicis actos stimulis retardamus : ut discant loquaces, vel post decreta præsentia religiosum amare silentium.

Nullum ergo sacerdotum, antiquis et modernis legibus obsequentem, nullumque levitarum, sine bene probata volumus in quocunque loci manere persona : vel quem substantiæ exilitas non permiserit habere consortem, ipse concellaneus fiat alterius. Publicum sit apud religiosos omne quod geritur; clandestina repudietur obscuritas; multos habeat actuum conscios, qui Deo debet innocentiam. Videant æmuli, quia qui testes adhibet, vult probari :

[1] *Cellulanos habere*] Scriptum est ab Ennodio episcopi sui nomine. Cum enim jussit essent a papa aut synodo (neque enim proditum est), episcopi omnes, contubernales clericos habere vitæ suæ actuumque testes, ad amoliendas maledicorum calumnias quibus vexatus nuper fuerat Symmachus : episcopi, ut par erat, exemplum secuti, presbyteris item ac diaconis suarum diœcesum id ipsum præceperunt, ut ipsi quoque sine aliorum contubernio non essent. Cellulanos itaque interpretatur concellaneos, συγκέλλους.

male deprehensa judicetur conversatio, quæ non optat agnosci. Certe vel si mens sit recti conscia, vindicta dignus est, qui alii existit causa periculi: dum enim suspicionibus patefacit accessum, fit fraterni origo discriminis: et qui peccandi fomenta tribuit, ipse jugulum mortis impingit, ut ait divinus et beatus præco: *Noli detrahere ne eradiceris* Confessor Ambrosius: Multi non dederunt errori locum, et dederunt suspicioni. Suspicio ista est interitus suspicantis, et quam non caret peccato qui dederit. Unde mansuro cum Dei et Redemptoris nostri ordinatione constituto sancimus, apostolicæ sedis beati A Petri, vel præsulis ejus auctoritate papæ subnixi, quæ vitia desiderat radicitus amputari, ut nullus religiosorum de memoratis ordinibus, aliter quam præfati sumus, audeat conversari; vel quicunque præsumpserint, cum amissione pudoris honorum damna sustineant Quomodo grande malum est; dicatam Deo personam salutaribus monitis non parere. Nullus secum extraneas habeat [1] mulieres, præter personas canonibus designatas; ne agendo taliter, etiamsi vita sit innocens, damnum opinionis incurrat.

[1] *Mulieres canonibus designatas*] Gregorius Magnus lib. VII, epist. 39: *Si qui episcoporum cum mulieribus degunt, nullo modo patiaris, exceptis eis quas sacrorum canonum censura permittit: id est matre, amita, germana et aliis hujusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio.*

OPUSCULUM OCTAVUM.

[1] Petitorium quo absolutus est Gerontius puer Agapiti.

Deus arbiter universitatis et conditor illa res humanas lance dispensat, ut et fideles præmium et pœnam rebelles accipiant. Lassis enim devotorum obsequiis valetudinem tribuit: dum muneris oblatione succurrit: perdit laboris memoriam mens terrenis obligata carceribus, quotiens illi vicissitudine subvenitur: in antiquum sudoris juvenescit affectum, qui necessitatem gratiæ melle commutat. Sanctorum pœnæ, dum corona quæritur, abjurantur. Cui dubium est, quod nec ad cœlum sine fiducia remunerationis acceditur? Imitanda sunt mortalibus duce sapientia illa, quibus æternus ordo componitur: secuturus est animus actibus, unde sumpsit originem, dum Deo devote famulantes quod præstolamur, offerimus. A superna enim conversatione non discrepat, qui talem obsequentibus impendit dominum, qualem sibi vult esse salutis auctorem. Gerontium itaque, cujus a me comperta fides, pudor, integritas, et exigit libertatem, et suis dotibus innotescit, per præsens petitorium a beatitudine vestra Romanæ deprecor B civitatis gaudere consortio: cujus ego absolutionia non tam largitor, quam testis existo: abjecta enim esset natura designati, nisi moribus vulgaretur. Hunc quidem sum dudum interveniente commutatione mercatus: sed quia nullum est majus commodum quam illud qnod serenum examen assequitur; elegi palmam judicii, quam de acquisito habere compendium: ostendit mihi justa prædicti servitus personam non esse servilem. Ergo nominato non tam cupio ingenuitatem tribui, quam refundi: scio quod recte vile nomen expulerit, qui ante ingenuus credi meruit, quam vocari. Remisso ergo ab eo, quod mihi debebatur, obsequio, quam suam esse conversatione docuit, eidem restituo libertatem: supplicans coronæ vestræ, ut gestis ecclesiasticis ex omni C obnoxietate solvatur; ut perpetuo Romanæ urbis possit exsultare collegio, omni peculio suo sine aliqua imminutione concesso: nec fas est enim de acquisitis quidquam minui, quem polliceor donis etiam potioribus subsequendum.

[1] *Petitorium quo absolutus est Gerontius*] Manumissiones olim in Ecclesia fiebant, beneficio Constantini Magni, cujus exstat lex ad Protogenem episcopum Sardicensem, quæ formulam declarat. cod. De his qui in Ecclesia manumittuntur. *Jamdudum placuit ut in Ecclesia catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis assistentibus Christianorum antistitibus faciant ut propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscunque scriptura, in qua ipsi vice testium signent* Augustinus in sermone nondum * edito, sed qui a Nic. Fabro brevi lucem cum aliis exspectat: *Servum tuum manumittendum ducis in ecclesiam: recitatur libellus, aut fit desiderii tui prosecutio. Dicis te servum tuum manumittere, qui tibi in omnibus servaverit fidem* Ejus antiqui moris præclarum hic exemplum in Gerontio servo, quem dominus apud episcopum manumittit. Alterius D ergo nomine scriptum hoc etiam opusculum ab Ennodio, Agapiti nimirum, cujus nomen titulo apposui: quia in veteribus libris GERONTIUS PUER SS. dicitur, hoc est suprascripti. Subjicitur autem epistolæ ad Agapitum, quæ est 6 lib. IV.

Editus postea cum aliis 39 ab ipso Sirmondo.

OPUSCULUM NONUM.

[1] Benedictio cerei.

I. Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, ut quod a te, Domine, accepimus, prece saltem et voce solvamus. Et licet nostra lingua auctoris sui beneficiis digno nequaquam respondere possit affatu:

[1] *Benedictio cerei*] Harum alteram, quæ posteriore loco posita est, nunc primum edimus. Pertinent autem ad priscam et solemnem in ecclesia cerei paschalis consuetudinem, cujus auctorem Zosimum pa-

vult tamen divino mysterio profecisse, quod facta est. Nam cum cæteris animalibus hebetata caligantium crassitudo sit sensuum, vernat in hoc dispositione dominica hominum factura præstantior, quod sola uberius potest sentire factorem : quæ tamen cernuis est socianda recte pecudibus, si cœlestis ignara muneris, velut elinguis, beneficia divinitus concessa concludat. Nam ut absolvit a crimine in holocaustis mysticis, non habere quod offeras : ita digna piaculo res est, offerenda subtrahere. Parili namque judicio censendus est, et qui nunquam loquitur per naturam, et qui quod loquitur, non reddit auctori. Idcirco, Domine, stupendi hujus opifex elementi, aliquam tibi a nobis reddi credimus humili satisfactione particulam, quod totum cognoscimus non debere. Quis enim alius præter te mundi fabricam perpendiculo repentinæ jussionis exactam bifida auctoritate solidavit ; cum primum præcepti tui miraculo terra coagularetur in pelagus, et deductis deinde aquarum impressionibus illa naufraga post sitiret? Cujus etiam, nisi tuæ investigabilis fotu jussionis suscepta germina nutriuntur? qui calorem gignit infusis, qui humorem stillat arentibus ? qui, nisi Deus noster, succidua jungit temporibus tempora, quorum terræ fetus nunc igne fervescant, nunc glacie temperentur, nunc tepore animentur, nunc bibulo liquore conspergantur ? Quis hæc omnia et fecit ex nihilo, et per lucis januam a perpetuæ noctis furva densitate discrevit, fecitque perenniter laudanda dispositione piissimus, post lucis claritatem non horreri tenebras revertentes per dierum dies ? Quis te vel dignus aut facundus laudator eloquitur, cujus terminata distributio succedente varietate fit gratior : quo jubente dulcior lux est, quæ aliquando desinit, quam si jugiter permaneret? Ecce illa nox, quæ mundum hactenus jugo crudelissimæ deditionis oppresserat, populos a nexibus violentæ conditionis absolvit, et fit libertatis altrix, quæ mater fuerat servitutis. In hujus tibi, Domine, sanctissimæ noctis ministerio hoc cereum lumen offerimus, per quod caligo vetusta pellatur : in quo species trino compaginata consortio, societatis propemodum mysticæ glutino conjungatur ; quarum ceram paravit nectareis partubus feta virginitas papyrum ad alimenta ignium lympha transmisit, lumen adhibetur e cœlo. Nihil hic habet vox humana quod consecret, ubi totum dirigit superna cognitio. Agnoscit hic odorem suum salutiferæ virginis filius, ubi sine coitu nascitur quidquid offertur. Non enim hic turicremis Panchæus adoletur ignis altaribus : non ad triste ministerium extremum mugiens bos percussa litatur : non bidentum fetus carnificis potius, quam sacerdotis mucro desecuit. Sufficit ad reparationem æternitatis perditæ, quod non a nobis, sed pro nobis, Agnus occisus est. Procul hinc aberit lanista Judaicus, qui per cicatrices inguinum animas sibi acquisitas tot solet numerare quot vulnerat. Christi nostri libamina infucata simplicitate complentur. Peragit dedicationem corporis nostri, crux, unda, confessio. Te ergo quæsumus, Domine, ut sicut typico prisca mysterio, ita renovanda agmina ducat hæc columna trans gurgites : æstuet nobis semita præparata per maria, et sitiat callis pulverulentus in fluctibus. Nihil hic est in quo discrepent antiqua novis aut moderna veteribus. Tu semper idem Dominus et sacerdos memoratus per prophetas. Hic est ad cujus precatum fluenta siccentur, ut Hebræus transeat, Ægyptius deprimatur, et mersis in aqua corporibus, sola sentiat culpa naufragium. Hoc autem tibi, Domine, castæ operatricis munus, et hanc intactæ matris sobolem commendamus ; per quam meretur habere terra quod cœli est : quæ per domos cereas divino stipant mella compendio : quibus causa est numerosæ progeniei nescisse conjugium : ne dum copularum nexibus occupantur, laborandi tempus effugiant, et exspectent ut prolem suam turgida alvus effundat, quam herbarum lucro diligentius possunt ore profligare quam semine. In hujus autem cerei luminis corpore te, Domine, postulamus ut supernæ benedictionis munus accommodes : et [1] si quis hinc sumpserit, adversus flabra ventorum, adversus spiritus procellarum, tua jussa faciens, sit illi singulare profugium : sit murus ab hoste fidelibus. Simul etiam quæsumus te ut quia ad vernantis anni faciem passionis ac resurrectionis tuæ tempus aptasti, cum post concretas hiemali torpore glebas et infrenata glacie flumina, novellas frondium tunicas gemma conscendit, et cum auctore germinum Domino nobis omnia reviviscunt : da multiplices fructus in terris, nostrum effice quod ostendis, et sacerdotis nostri, vel totius cleri incolumitate servata, ubertatem temporum sine adversa tempestate concede.

pam faciunt ritualium librorum scriptores Alcuinus, et * Amalarius, non episcopus Trevirensis, ut vulgo nuncupatur, sed diaconus, qui episcopo ætate suppar Ludovici imperatoris jussu id opus contexuit.

[1] *Si quis hinc sumpserit*] Mos enim erat quem iidem auctores tradunt, ut ex cereo paschali qui sabbato sancto conceptis precibus sacratus fuerat, particulæ decerperentur, ac populo die dominica in Albis, post sacram communionem distribuerentur, unde suffitum in ædibus suis facerent, vel agros vineasque munirent adversus dæmonum præstigias, aut contra fulgura et tonitrua, Quo etiam spectant illa Ennodii Bened. II : *Sumptam ex hoc contra procellas vel omnes incursus fac dimicare particulam.* Cæterum hic mos olim extra urbem duntaxat. Romæ enim cerei paschalis vice ceram oleo perfusam benedicebat archidiaconus : inde particulas in agnorum effigiem expressas asservabat, populo similiter die qua dictum est, dividendas. Quæ res nimirum originem dedit cereis agni cœlestis imaginibus, quæ a pontificibus ipsis augustiore postea ritu consecrari cœperunt.

* Vide inter Sirmondi ipsius opuscula, de duobus Amalariis epistolam ad Constantinum Cajetanum abbatem Sancti Baronti.

OPUSCULUM DECIMUM.

Benedictio cerei.

II. Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, ut principe loco fores beatæ noctis, adhibito præsenti ministerio, digno quasi clave reserentur: ut nobilis nuntius vitæ testetur adventum, ut præconis merito secutura ponderentur, sacris fidem mysteriis venerandus præcessor accommodet. Justum est ut proximitatem salutaris aquæ flamma manifestet: elementorum diversitas in peregrina pace conveniat: lympharum in promptu esse remedia sacer ignis ostendat: agnoscatur non esse naturæ, sed redemptionis, quod concordat unda cum lumine. Lætetur in operibus suis fabricator ille cœlestis, cum benedicit ipse quod tribuit: cum illud quod secreti sui producit origine, nobilitat sacramento. Intelligat linguæ nostræ ministerio specialem quam nobis concessit distantiam. Mancipetur laudibus ejus quidquid a cæteris animalibus jussit in homine esse præstantius. Quia optimi conditoris aperta sunt beneficia; et ira a pietate non discrepat, quando et artem nos supplicandi docuit, et suis muneribus vult placari. Ipse enim hominem sibi templi vice dædala provisione formavit. Ipse penetralia cordis nostri sancto ruderata pandit introitu, nisi per propositum libertatis fœdo obstruantur interna contagio. Quare, universis rerum liquet arcanis, vitalem per sapientiam factoris machinam, nisi per suum studium, non perire. Qui nos et ad meliora formavit, et quibus itineribus salus peteretur ostendit. Cum enim ex humo hominem fingeret; cum terra victuram migraret in formam; cum putre solum novam transiret in faciem; cum insufflatione spiritus sui moverentur arva vestigiis, et tellus respiceret possessorem ex propriis abstractum sinibus inopina dote præstantem, habentem quod ipsa quæ mater putabatur esse, non dederat; cum referret gloriam nobilitata per sobolem; imperfectio erat, si actuum callem non suo jure disponeret. Quotidianus tamen, Domine, beneficiorum tuorum successus munera seniora transcendit, et æstimatione sequentium vetusta superantur. Ille enim perpetuam destinatus ad vitam, ille de parente limo cœli civis effectus, ad originem voluntario errore detrusus est. Et quir dum liceret, noluit sectari meliora, sublimitatem perdidit quam feliciter degenerans dono conditoris acceperat, et ad prosapiem duce culpa revocatus exsilium flevit. Hunc nisi omnipotentia tua, Domine, regeneraret perditum, parum posset prodesse quod feceras; et nisi opem ferret et numero et prosperitate fecunda nativitas, prima in qua mortem error peperit, non juvaret. Postremo, nihil esset quod ad fabricam nostram materiam humus præbuit, nisi unda succurreret: unicum nobis sacramenti hujus solatium contulisti, quod aquæ diluunt peccata telluris. Ergo jam typus recedat; et qui imaginibus annuntiaverunt sequentia, conticescant. In veritate tenemus quidquid colorata legis umbra promiserat. Tempus est quo corpora nostra, vel animæ Redemptori Christo feriato mucrone dedicentur; quo salus per vulnera non quæratur: quo sacerdotis dextera lanistæ opus abjuret: quo consecrationem impleat fides, lympha, signaculum: quo humanum genus unde decidit, fons reducat. In hujus ergo suspiciendæ noctis officio, venerandis compactam elementis facem tibi, Domine, mancipamus: in qua trium copula munerum primum de impari numero complacebit: quæ quod gratis Deo veniat auctoribus, non habetur incertum: unum, quod de fetibus fluminum accedunt nutrimenta flammarum: aliud quod apum tribuit intemerata fecunditas, in quarum partubus nulla patitur damna virginitas: ignis etiam cœlo infusus adhibetur. Redemptor enim proprio aquas dedicavit baptismate: integritatem diligit quam et nascendo in matre servavit: ut a propheta nosset inspici, innocui corpus suscepit incendii, cum frondibus in rubo crepitantibus nulla frutex detrimenta sentiret; cum arida pabulum flammis, dum lamberentur, ligna non fierent. Ergo proprium tibi est, Domine, quidquid in hoc cereo servorum tuorum præparavit obsequium. Serenis in isto respice oculis, quod contulit cœlum, fluenta, pudicitia. Tu ad tribuendam benedictionem evocatus ministerio humani sermonis, inlabere. Tu resurrectionis tuæ tempore, quo vernat anni reviviscentis infantia, sumptam ex hoc contra procellas vel omnes incursus, fac dimicare particulam: ut sacerdotis nostri votiva omnibus, vel totius cleri ejus incolumitate concessa, ubertatem terrarum cum actuum innocentia et prosperitate concedas.

MAGNI FELICIS ENNODII

[1] DICTIONES.

DICTIO PRIMA.

[2] In natali Laurentii Mediolanensis episcopi.

SACRA PRIMA.

Quousque me iners diffidentia intra angustum patuit penetrale delitescere? quousque nimia cautio: terminos honesti pudoris exsuperans, dispendia opinionis quæ evitat, incurret? Usu enim rerum venit inter homines, ut quantum famæ decerpitur per audaciam, superfluum non minus pereat per timorem. Non enim debet notari velut avaræ laudis assumptor, non ei ascribi cupido affectatæ devotionis ostentui: apud quem res obnoxia pudoris stimulis adacta completur: quia sicut in umbram cogit gloriæ appetitus, oratione dum quæritur; ita non reddere quod deberi noveris, proximitatem noctis indicit. Superflua scribere, res jactantiæ est: necessaria reticere, contemptus. Sæpe vituperationis nostræ mater est doctoris occultata laudatio. Dicat forsitan aliquis animo consulendi, quod operis pressa magnitudine exhausti macies arescat ingenii, et destituta dicendi valetudine garrulitas defectum mercetur ex copia: ceu si in alveum magni fluminis stillantis guttam fundas eloquii, nequaquam ad cursum proficis liquoris impendio, et vix humorem parturit, quod ad undas aptatur. Sed æstimanus animo quæ dicantur ad pretium meritum dictionis: et vena quæ est per naturam torrida, frequenter currit a themate: eloquentiæ exilitas propositione pinguescit. Sæpe pro eorum meritis quibus se mancipaverit oratio, dicenda tribuuntur; maxime si mera affectione laudando militet narraturus: tunc verborum abundantiam transmittit affectio: tunc amor suggerit, quod negat ingenium. Sancti Laurentii aliquatenus pro mea mediocritate bona dicturus, plenum quidem laboris opus aggredior, sed plenum caritatis. Facessat ergo formido venerando inimica proposito: fugitiva est gloriæ mens subjecta terrori, clamante Paulo apostolo: *Perfecta caritas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 18);
A hoc est dicere et indicio certo monstrare, quia non diligit, qui pavescit. Sine culpa vincitur oneris immensitate, qui ad portandam sarcinam et si impar, tamen devotus occurrit. Illis ita se habentibus, festa nascentis anni cur non votivo sermone concelebrem? cur lucidi natalis exordia silentii fœditate dehonestem? Manca est sine sermone hilaritas, et simulacrum mœroris est, occultare quod gaudeas; et afflictionis imitatio, vocem in lætitia non habere. Ergo tibi, sancte pater, officii conscius verba non tribuam? Libet tamen dicendi principia consecrationis tuæ derivare de tempore, et cum anni renascentis infantia, florulenta, si valeo, dictione vernare. Nunc cum terræ succus per venas arentium virgultorum currit in
B germina, et alvus sicci fomitis humore maritata turgescit: cum in blandam lucem novelli præsegminis comæ explicantur arboreæ, et omnis ramorum plectura diffunditur, vel quæ intra tunicam natura arctaverat frondium decora solvuntur: cum avium cantilena comitur sapore modulato: cum vita segetum glebis sepulta hiemalibus, quasi algoris repagulo emissa et tepore fota concipitur. Nunc in cano flore spem fructuum metitur agricola, cum mutuis palmitum brachiis vinearum texitur aprica formositas, et ante maturitatis tempus vultum frugiferum cultura componit, dans venustatem falce domitrice, et luxuriam infecundam ferro fructificante compescens. Cum profundi gurgitis rabies blandum transit in sibilum, et enervata tepore ventorum ferocitas migrat
C in delicias navigantis; dum tutum est cymbam salo laxare, et anchorarum morsus absolvere: dum fractura procellarum quæ nautas hactenus terrebat, invitat, et per uda æquoris spatia somnum gubernantis admittit, cum colore distincta geminato verni opibus prata ditescunt; et in ordinatione summi pontificis

[1] *Dictiones*] Dictio interdum est cujusvis generis oratio seu vera seu ficta. Itaque Cicero pro vera usurpat cum scribit in Bruto malle se unam L. Crassi pro M. Curio dictionem quam castellanos triumphos duos. Ennodius pro ficta in epistolis passim, cum Avieni, Messalæ, Parthenii adolescentum declamatiunculas dictiones vocat: suis etiam tum veris tum fictis idem nomen imponit. Quas quidem in unum collectas quatuor in classes digessimus. Duæ primæ veras laudationes continent, pertinentque aut ad res personasque ecclesiasticas, aut ad scholam et auditorium: unde illas ab argumento sacras diximus, has scholasticas. In tertio ordine sunt controversiæ: in postremo quas Græci ἠθοποιΐας καὶ ἠθικοὺς λόγους nuncupant, quæ alienos mores et verba imitantur, nos ethicas dictiones appellavimus, Sidonium nostrum secuti, qui de Lampridio rhetore Burdegalensi lib. VIII, epist. 11, inter alia sic scribit: *Hic, ut arreptum suaserat opus, ethicam dictionem pro personæ, temporis et loci qualitate variabat;* vulgo male, *et hic additionem*: nam certa est emendatio.

[2] *In natali Laurentii Mediolanensis episcopi*] Natalem intellige non vitæ, sed cathedræ et episcopatus. Hunc enim festum quotannis agebant episcopi, sicut imperatores natalem seu ortum imperii sui, lege 2 cod. Theod. de Feriis, et quod vel ex hac Ennodii dictione discimus, quemadmodum principes natali suo
D panegyrici orationibus laudari mos erat: ut testantur panegyrici dicti in quinquennalibus, decennalibus et alii: ita etiam episcopos anniversario die suscepti episcopatus: quod confirmat altera Ennodii dictio, quæ dicta in natali Epiphanii episcopi tricesimo, et sermo in Petrum episcopum, qui est 107 inter Chrysologianos.

naturæ gaudium elementa testantur. Tibi ergo, antistes, nunc non reddam quod aliis præstare jam didici; quem ad pontificalem apicem gravitas, pudor, pudicitia, venustas adduxit; qui tot dotibus velut in acervum coactis, canam dignitatem præsentis officii suscepisti, habens tantarum honestamenta virtutum, quantarum singulæ probatum facerent species sacerdotem? Taceo universitatis in electione tua consonantiam, et discretarum nationum concordem sententiam non revolvo: statuat ista loco laudis, cui non suppetit quod possit prædicare de moribus. Momentis enim plerumque incerti favoris aura popularis impellitur, et nescia examinis turba Quiritum, dum studiis rapitur, amat incognitos. In te libram tenuit, qui petitionis tuæ aut socium se præstitit aut auctorem. Imperitæ cœtus multudinis meritum tuum expendit lance perfecti: et dum in te ornamentorum varietas placet, quasi unus hæres diversissimi fueris instituti; sic singuli hoc de claritate tua censebant sufficere quod probabant: quia bona omnia nequaquam omnibus nota esse potuerunt: et speciatim ad favorem sideris tui universos illexeras, alteri ostendendo quod pius es, alteri quod severus, alteri quod bene acquisiti distributor patrimonii, alteri quod scires recte parta servare. Id studii sumpsit universitas, ut cum de proposita laude unusquisque vinceret, collatione tamen in præconiis tuis melioris tituli ab altero vinceretur. Nolo istis diutius immorari. Veniendum est ad laboris tui exercitia; quia ego, qui non sum in laudatione tua idoneus maximis, nescio esse [1] parva contentus. [2] Novellis te adhuc impositæ dignitatis labentem vestigiis ineluctati temporis suscepit adversitas, et tironem pontificii exercitatissimum militem adversus libertatem impacta bella reddiderunt. Tu prædonis nescisti timere sævitiam; tu blandimentorum quod in malitiosis nocentius telum est, scuto constantiæ venena respuisti. Quotiens te qui certamine non potuit, insidiosa honorificentia lacessivit? Quotiens in damno bonæ opinionis servitii sui te credidit figmenta suscipere, hoc a te postulans, ut adhibito hostem colludio intra urbis muros concluderes, et ovium tuarum dissipanda lupis membra præstares? paris facti, quod dictu nefas est multorum exempla suggerens. Quæ quidem tu vitanda despiciens, et ad vindictam sereni temporis servans memoriæ commisisti, detestabilia retinens, ne per oblivionem impune transirent, et majorem horrorem excessibus debens, dum ruinam metuis aliorum. Sed remotis dicendi obstaculis, veniamus ad illa quæ religioso sunt digna memoratu. Cum hostilis irruptio more pecorum Christianum populum per diversa distraheret, ut variorum generibus cruciatuum capiebaris in omnibus, tu paterna conventus pietate sustinebas tormenta multorum, ut ait Apostolus: *Quis vestrum cruciatur, et non ego* (*II Cor.* XI, 19)? Inter ista tamen fractum te non vidit adversitas: hoc triumphis suis decerpi sensit inimicus, quod capti sacerdotis animum non subegit. Pugnabas adhuc pro absolutione plurimorum, et tibi nihil metuens, de plebis tuæ anxietate pendebas. Nolo diutius tristibus immorari; nolo tragœdiam maligni temporis aperire, libens de illustri conservatione tua aliquanta prætervolo, ne te narrando cogam denuo sustinere quæ passus es: quanquam doctor gentium in tribulatione exercitum se fuisse commemoret vociferans: *Cum infirmor, tum potens sum* (*II Cor.* XII, 10). Taceo inediam, frigus, et injurias, et illa quæ tibi inimici animus providit augmenta morborum. Sed, credo, hæc puerilia, et succo antiquæ valetudinis robusta membra tolerabant. Nonne emortuis per compages artubus, et a possibilitate propria longa jam ætate distractis, sola anima flecti nescia sustinebat, et imitanda intentione adversus impugnantes muro constantiæ stabilita certabat? Post hæc ad redivivum statum libertatis optatæ nunquam pia vota despiciens Christus Redemptor noster occurrit, et fractas Romani nominis vires artifici medela solidata in vigorem salutiferum res contrita remeavit. Cum ex alto benignis oculis cœlestis dominator aspexit, Mediolanensium urbi lux est proprii reddita sacerdotis. Tunc cum rarus habitator, tunc cum error in domibus, et per dulcia cubiculorum limina confusa discursio; tunc cum ubique pavor et luctus, et Dei templa ferarum habitationi deputata sordebant: cum marcens incuria splendidissima dudum atria situ vetusti humoris obnuberat, lætitiam cæteris tuo dedisti de reditu, tu regressus ad lacrymas. Tunc more avium, quibus, dum terra nivibus vestitur, et alicujus loci in spem cibi spoliatur angustia, videres quæ remanere potuerunt plebis reliquias confluxisse, et ad boni pastoris præsentiam undique fatigatis balatu nemoribus greges accurrere. Alios tunc, multiplici sustentandi genere, mulcebas affatu; alios reficiebas impendio; alios hortabaris exemplo. Brevi post in antiquum statum qui tibi post Deum debetur, urbs jam sepulta revaluit; et quæ non credebat in se reparari posse quod fuerat, cœpit jam meliora æmulari. Tunc qui vitæ usus est jam cernere erat omnia ad latiorem profectum bonis successibus invitari. Curro per singula, strictim referendo quibus opus est larga narratio; ad agonem vitæ tuæ, ad summi celebritatem propositi perventurus. [3] Secunda post dubium temporis nata est in Ecclesia Romana captivitas, quæ te quasi jam diu desidem, et laboris fugacem de longæ sinu quietis abstraheret; cum vix spe pacis laboris tui arma deposita resumuntur. Deberetur quidem,

[1] Schot., *parvo.*

[2] *Novellis te adhuc*] Successit Laurentius in cathedra Mediolanensi Theodoro episcopo, in quem exstat Ennodii epigramma 88. Paulo post secuta est direptio urbis Mediolanensis et exsilium Laurentii, per Odoacrem opinor, quando Tufa duce, ut in Epiphanii Vita dictum est, adversus Theodericum rebellavit. Theoderico victoria potito Laurentius Mediolanum rediit, urbemque ex pristinis ærumnis recreavit.

[3] *Secunda in Ecclesia Romana captivitas*] Ob schismaticorum machinationes adversus Symmachum; qua de causa Romæ diu versatus est Laurentius, et synodo absolutionis præfuit, quam senatum curiæ cœlestis nominat, impugnantiumque odiis et furori constanti animo restitit.

nisi me laudis tuæ censura pertraheret, in lugenda causa silentium, ut in una ætate memoriæ pereat res nefanda. Senatus ille curiæ cœlestis accitus est : ubi ex variis provinciis episcoporum turba confluxit : ubi cœtus ille, quot hominum genera, tot sententiarum varietates advexit. Sed quibus inerat spiritualis sapor intelligentiæ, quasi ducem te principalis deliberationis caritate tenuerunt. Tunc quo minantium impetus blandimentorum melle domuisti, qua superbarum corda veneranda humilitatis erectione fregisti, qua labantium animos consilii radice fundasti, explicare non valeo. Rei gestæ notitiam scire cupidum ex facti contemplatione compello. Unum te secuti sunt tot electi, et in sententiam tuam reciderunt tantarum principes civitatum. Coquitur lamentationis æstibus, qui a te cruda obstinatione descivit ; et nihil habet in solatium præter calamitatis lacrymas, qui divisus est. Dicat aliquis forsitan, rerum gestarum malignus interpres, quam sortita est de hujusmodi constantia præsens causa decisionem : quærat, qui fines de laudato sudore contigerunt. Huic ego fidens replicabo ; te præsule factum, ne sacerdotes ministros acciperet furor alienus : ne cruentæ indignationi pontificum sententia militaret ; ne in usum male commoti traherent evenire posse quod vellent. Postremo improborum loquacitas obmutescat, hujus saltem æstimatione secreti ; quia odiorum incendia quæ non ex impugnati merito, sed ex studiorum fomentis arserunt, nec sanctæ deliberationis potuerunt fonte restingui. Tibi ergo debetur venerabilium custodia canonum. Tibi quod sine episcopali nota contigerit, quidquid in præsentia sævit improbitas. Tibi patuit quod aliis accusantes clandestina fraude texerunt : apud te compertum fuit, non satisfaciendum odiis, quotiens fide deseritur qui lacessit. Sed melius aliis servantur narranda temporibus. Salve, Ecclesiarum sidus, et ad senectutem bonam Abrahæ æmulator accede ; quia testimonium probitatis est, diu hominem in ecclesiastica arce servari, ut scriptum est : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* (*Psal.* LXIV, 24). Tu ævo maturus, et ad religiosum sudorem primævus exsupera. Tu pietate laudabili bonis disciplinis exempla suggere ; malos severitate compesce ; et boni utriusque fibula operis in testimonio summæ gloriæ sine labe perdura.

DICTIO II.

[1] *Missa Honorato episcopo Novariensi, in dedicatione basilicæ Apostolorum, ubi templum fuit idolorum.*

SACRA SECUNDA.

Credo ego vos, fratres carissimi, tota mentis cura venerari, quod in loco hoc, manente templi nomine, vetus perierit pro religione cultura : quod delubri re-
A verentia fugatis instituatur libaminibus ; quod sacrarium apelletur merito, postquam seniores hostias abjuravit, et in adolendi mutatione sacrificii divinæ ædis nomen assumpserit : postremo quod in alium statum inconcussis migraverunt fundamenta culminibus : et cum ad structuram parum humanus sudor adjecit, quæcunque fuerunt innovata sint, dum persistunt. In summa, cujus æstimandum est miraculi, ubi dum modum teneat machina, adhuc non desistit ascendere, et in antiquis constituta vestigiis attollitur incremento? Requirendum sane quis hujus operis, quis innovationis auctor exstiterit : prædecessor nempe parvitatis meæ [2] Victor antistes. [3] Futuræ annuntiatrix innocentiæ divinitas nomen imposuit :
B nam qui de his quæ suscipiuntur adversus vitia mundana, certaminibus prædicto eventus accesserit, cum vocabulum didiceris, gesta cognoscis. Iste per spiritalem dimicationem, ut victorem decuit, de criminibus triumphavit : et quidquid portio sinistra mortalibus ingerit, de eo casum non requiras, cum nominatum intelligas fuisse quod dictus est. Cujus merita orationis campum postulant, si me ad latiora progredi aut ingenii macies pateretur, aut meriti : quædam enim actuum nobilitas est, dignum inveniri laude magnorum. Hunc mediocritas nostra in ædificationis cura dum sequitur, ad consummationem, Deo auspice, vota perduxit. Nemo æstimet arrogantiæ esse quod dixi : fas est cum eo vota conjungere, cui par esse nequeas actione : quia assertio conscentiæ est me-
C liorem in quacunque parte sectari : nunquam tenebrosum callem, sicut æstimamus, incurrit, qui eum quem novit prætendere vitæ lumen insequitur. Luculentius tamen gestarum fidem rerum sermonis pandamus officio. Hic ante fallacibus dedicata præstigiis, et turpi pecudum cruore perfusa veteres simulacra coluerunt : hic in divinitatis injuria, per altare infaustis cumulatum muneribus, res cœlo debitas dæmoniis obtulerunt : hic junicum exta semivivis palpitantia motibus misero inquisitori futura cecinerunt : hinc fumus sordidis aerem ipsum polluit sparsus per multa contagiis. Ad ultima, hinc mactata per lanistas hostiarum multitudo, quidquid Deus est effugavit, dum farra, sanguis, tura, vervinæ idolis exhibentur : dum simplicem ritum ætas Christo inimica non reci-
D pit, et multifariis[4] censura laborante oblationibus supernam mercatur offensam. Liberet ire per singula, et funestorum secreta linguæ clave reserare, ni merito æstimemus oris injuriam narrare sordentia, et quod illos actione perculit, nos loquela contaminaret. Explicemus interim, quibus sint ista mutata successibus, quanto præventa nox splendore fugerit. Ubi sunt sigilla numinum votis imaginata facientum ?

[1] *Dictio missa Honorato*] Scripta hæc quidem ab Ennodio, sed in gratiam Honorati Novariæ Insubrum episcopi, qui eam recitavit, ut suam. Sic etiam quæ proxime sequitur ab Ennodio composita est, a Stephano vicario pronuntiata. Sunt et aliæ id genus nonnullæ, quas pro diversis composuit : quo more Salvianum Massiliensem presbyterum homilias episcopis fecisse multas auctor est Gennadius in catalogo.

[2] *Victor antistes*] Episcopus Novariensis, decessor Honorati, cujus epitaphium scripsit Ennodius epigram. 95. At epigrammate 11 de hac eadem re :

Di, quibus hoc patuit, possessas linquite sedes.
Quod fecit Victor, victor ubique tenet.
Addidit ad cultum merito successor et actis
Quid morum nomen hinc Honorate geris.

[3] Schot., *Cui futuræ*.

[4] Schot., *censu*.

quorum facies in potestate pependit artificis? quibus pretium aut sollicitudo peperit operantis, aut metallum? Ubi sunt dii quibus potentiam dederunt homines fulgore gemmarum? En video, omnia ista, ut credo, fugerunt : Christus ingressus est : respiciamus quibus fultus auxiliis. Venerunt cum eo cœlorum radii, apostolorum diademata. Petrus et Paulus. Qui enim in restauratione ædis essent necessarii, nisi architectus et petra? nisi lapis et superædificans? nisi fundamentum et opifex? Quid trepidatis pericula mortalium? quid anxio fugam paratis excursu? ille est, cui nullus versutiam vestram lapsus abscondit : qui cum loco non moveatur, quocunque abieritis insequitur. Veni ergo, piissime Domine, et ad consecrationem operis tui plenus illabere; vice humani per baptisma pectoris purgentur hæc templa turpi hactenus dedicata patrocinio. Institue, Domine, vertendo sacrificia; et dum puris cumulamus altaria sancta donari is, præsentiam tuæ majestatis intersere, evocatus sanctorum merito sacerdotum, electi seorsum præsentis [1] Patris nostri Laurentii conscientia : qui tot plenus dotibus ad Ecclesiæ fastigia crevit, duot fecissent summum singula quæque pontificem. in quo vernat princeps boni operis et mater honestatis verecundia, religionis sanctæ nutrix patientia, Deum semper placatura pietas, qui ecclesiasticis membris non sermone vitæ instituta tribuit, sed exemplis : qui omnem callem quo ad Deum itur, dum prævius incedit, ostendit : adjuvante se Domino nostro Jesu Christo, cum Patre regnante in sæcula sæculorum. Amen.

DICTIO III.

[2] *Data Stephano* [3] *V. S. vicario dicenda Maximo episcopo*

SACRA TERTIA.

Prodit religiosæ votum conscientiæ mens laudibus devota pontificum : assertio ingenii est, Deo obsequentibus mancipare quod loquimur. In quorum præconiis forte augustus sermo vulget imperitiam : manisfestat tamen, si abstineatur, infantiam. Quis mendicam narrationem æstimet, quam vota locupletant? Sæpe in facundiæ dotibus pauper invenitur vena prædicantis, et e diverso thesaurus cordis irradiat in egestate verborum. Qui vice Dei judicat, non desiderat picta colloquia, sed quæ infucatus commendat nitor ingenii : quia in his etiam sine amore blanditur eloquentia, in illis splendorem suum veritas nuda commendat. Sine phaleris est omne quod dictat affectio : ad unguem fabricantur illa, quæ volumus non tam speciem recti habere, quam similitudinem. Ad te, venerabilis mihi antistes Maxime, sermo est : cui in meritorum testimonio virtus cœpit a vocabulo, in quo actus eloquitur, qui nomen appellat : provida parentum tuorum diligentia prius te eligi voluit quam probari. Te olim sæcularibus inhærentem titulis castrensis sudor excoluit, et ad Ecclesiæ gubernacula pars adversa solidavit : sicut Deus loquitur per prophetam, *Qui in modico fidelis, et in magno fidelis est* (*Luc.* XVI, 10). [4] Te sacrarum judex et consilii comitem meruit et laboris. Bene venerandis initiandus altaribus, et in laica conversatione quod sacrum esset elegisti. Tu pudicitiæ in illa ætate custos inventus es, in qua et lex obsequitur desideriis. Satis enim est pueritiæ ambitum quem licentia fulcit, horreri. Christus milites suos quos in personam ducis attollat, inter acies quærit hostiles. Adscitus Ecclesiæ, pontificem actibus implesti ante tempora dignitatis. Non fuit advena benignitas, quæ naturæ innixa radicibus, de cano flore germen ostendit. Temporale est omne quod fingitur : perpetuum quod cum ætate maturescit. Non tibi sacerdotium rem doni credimus evenisse, sed præmii. Alius vulgi aura, gratia lenocinante, commendatur : tibi rigida circa culpabiles districtio dedit affectum. Manet te singularis sapientia : quæ licet generaliter optanda est, tamen existit in magistro necessaria. Fustra monitoris personam suscipit, qui impacti non prævalet æstimare pondus officii : vilissimis comparandus est, nisi præcellat scientia, qui est honore præstantior. Dedit tibi apicem res judicii, non favoris; dignus pontifice amor est, quem censura conciliat : devenustat institutionis genium, qui per solam gratiam vult placere. Tu his conditus et formatus cœli beneficiis, plus agendo populum instituis, quam loquendo. Illa monita discipulorum conscientiam erudierant, quæ præbentur exemplo : sine pudore invitat ad innocentiam, qui illam non fuerit ipse sectatus. Te inter secreta penetralium quasi testem metuunt, qui peccare disponunt : nascentibus culpis metus, et reverentia tua negat effectum. Qui inter exordia occurrit vitiis, et occasio-

[1] *Patris nostri Laurentii*] Episcopi Mediolanensis, quem proinde ut metropolitanum suum patris loco habebant Novarienses. Quod vero in ejus laudes digreditur, specimen habet priscæ episcoporum inter se observantiæ : quorum concionibus si quando aderant aliarum sedium antistites, aliquam eorum laudationem intexere solebant. Cujus rei obvia sunt apud Græcos et Latinos exempla. Sed illustre Petri Chrysologi sermone 136 in Adelphum episcopum.

[2] *Dictio data Stephano*] Dictionem hanc Cresconius et aliæ quædam antiquæ collectiones inter Symmachi papæ epistolas numerant, cum inscriptione, tanquam ad Laurentium episcopum Mediolanensem scripta sit : quo etiam factum, ut in nupera editione Conciliorum cæteris Symmachi epistolis inserta sit, errore manifesto : cum Symmacho minime congruat, et epistola non sit, sed oratio : quam quidem ad Laurentium referri non patitur allusio ad Maximi vocabulum, quam continet. Dicta igitur est Maximo episcopo Ticinensi, Epiphanii in ea sede successori, cui postea successit noster Ennodius.

[3] *V. S. vicario*] Viri spectabilis notas adjeci ex manuscriptis. Hinc enim vicarianæ præfecturæ et jam olim proprius fuerat titulus, et adhuc erat ævo Ennodii. Cassiodorus lib. III, epist. 17 : *Spectabilem virum Gemellum, vicarium præfectorum, fide nobis et industria compertum.*

[4] *Te sacrarum judex*] Comes sacrarum largitionum. Hujus assessor fuerat Maximus, ut olim Alypius item ante episcopatum. Sic enim de Alypio scribit D. Augustinus lib. VI Confessionum, cap. 10 : *Romæ assidebat comiti largitionum Italicarum*; et lib. VIII, cap. 6 : *Mecum erat Alypius otiosus ab opere jurisperitorum post assessionem tertiam, exspectans quibus iterum consilia venderet.*

nem lapsus adimit, et concupiscentiæ purgat auctorem. Hæc beatitudini tuæ quasi strictim pro linguæ meæ commendatione dedicavi. Si precibus tuis vitæ successus arriserit, gestorum tuorum plena me relatione consecrabo : ut quæ universis nota sunt, mansuris in posterum litteris, quatenus gaudeat ætas secutura, serventur.

DICTIO IV.

[1] *In dedicatione missa Maximo episcopo.*

SACRA QUARTA.

Nunquam pauper vena timeatur ingenii, ubi dives est causa dicendi. Transit hominem, quotiens cœlestibus militat mens nostra culturis ; nec in angustum redigitur narrationis exilitas, si opifici suo obsequium referat narraturus. Potest enim linguam facundiæ dotibus ornare qui contulit, et dare verbis genium quem fatemur dedisse sermonem. Nam prophetici dudum maciem juvit eloquii, dum ad perfectam magistri eloquentiam et fortissimi monitoris tubam imbecilla Moysi erigeretur infantia : qui nullis gradibus dum peritiam meditatur effloruit, nec per ætatis alicujus scientiam ad messem perfectionis ascendit : qui diu militem infabricato portavit ingenio : officium ducis jussus arripere, quia verecunde renuit, constanter implevit. Sic nos dedicationis festa celebrantes, inter spiritalis lætitiæ bona præstolamur gratiam, dum paremus. Absit formido debilis : removeatur fiducia inaniter concepta per studium. Nos de humanæ perfectionis schemate nec præsumimus aliquid, nec timemus. Deinde quis in beati Joannis prophetæ cujus templum hoc sanctificavit ingressus, vel muta dubitet ora laxari? cujus senior gratia, quam natura, dum ante lucis ingressum pii vatis implesset officium, limen vitæ hujus virtute signavit. Nam uno eodemque tempore, et matrem fecunditate nobilem fecit et inofficiosa genitoris labia in loquelam pristinam usu remeante commovit. Nemo Joannem nominans, post exempli præcedentis miracula, pristinam linguæ habiturum se suspicetur imperitiam. Post sacratissimum Zachariam cujus faucibus eliminata per istud vocabulum remeavit humanitas, ab universis jure creditur Joannes apostolus clavis esse verborum. In hujus comitatu Antoninus, vetusti heros sæculi, et beatissimi Cassiani juncta claritudo, faciunt de æde sacramentum, de terrena habitatione cœleste collegium, de manu factis quod nulla possit senectute violari. Occasum enim Deo oblata non sentiunt : nec ad vetustatem tremulam pietate fulta mittuntur : stat soliditas machinæ, quam Christus ingreditur : et originariæ oblita fragilitatis, adipiscitur de possessore virtutem. Tecta vilia de consecrantis nobilitate decorantur, dum rei caducæ pretium tribuitur habere de Domino. Tu autem, frater sanctissime, hujus oblator ædificii, de mercedis retributione gratulare. Nescit spes titubare, cui bonæ fructus promittitur actionis : ab exercitio descendit retributionum fiducia, nec ullo nutat incerto qui laudanda meditatur.

DICTIO V.

[2] *Incipientis episcopi.*

SACRA QUINTA.

Par quidem discipulis incipiens magister est, et inter exordia doctor nulla est ab auditoribus sorte sublimior : expertis honor debetur ingeniis : vix mediocrem cultum exigunt non probati. Illa sunt vera præconia, quæ longus sudor elicuit : blandimentum est, non judicium, quotiens laborem gloria ingesta præcesserit. Inter maculas numeret, quoscunque triumphos ante discussionem campi miles acquiret. Qui properatis subeunt Olympiaca bella vestigiis. Nunquid eis ante consummationem certaminis suppetit spes coronæ? dicente Apostolo : *Non coronatur, nisi qui legitime certaverit* (*II Tim.* II, 5). Ecce nec illos decet ante meritum prædicatio, a quibus juste poscitur post laborem. Nostra e diverso prolixo distat calle conditio : quibus tantum decerpitur de fruge innocentiæ, quantum accesserit de favore. Nam sicut positi in tirociniis æstimamus, plenum necessitatis et periculi iter est, in quo et sectanda est vita laudabilis, et fit probris uberrima, si desideret ab humanitate laudari. Actio nostra, si de bonis suis fuerit elata, sordescet, protestantibus divinis eloquiis : *Qui vos laudant, seducunt vos, et subvertunt semitas pedum vestrorum* (*Isai.* III, 12). Splendorem pontificis res, non lingua testetur : plus lucet claritas hujus officii veritatis indicio quam loquelæ. Ecce cernitis quam tuta sit causa subjecti, et quantis discriminibus sociata præpositi. Munia mea plus poteritis fulcire gemitibus, quam clamore. Nemo quod auribus lenocinatur, credat eximium : sermo noster, nisi animæ medetur, abjectus est. Illum præferte, qui spiritali

[1] *Dictio in dedicatione missa Maximo*] Eidem episcopo Ticinensi, qui synodo absolutionis Symmachi cum cæteris interfuit et subscripsit. Superior oratio Maximo dicta fuit : hæc a Maximo, cum dedicaretur basilica S. Joannis Baptistæ, quem novo exemplo apostolum quoque nominat : ut prodromum nempe, missumque ante Christi Domini adventum : quo modo et prophetas in Apologetico dixit, quia et ipsi missi sunt, apostolos posse nuncupari. Verum ædes illa non solum Joannis Baptistæ, sed Antonini etiam et Cassiani titulo dedicata.

[2] *Dictio incipientis episcopi*] Incertum est an concione hac usus sit Ennodius ipse, cum episcopus creatus est, an, quod potius reor, formulam aliis scripserit qua in episcopatus auspiciis uterentur. Cæterum de Ennodii cathedra longa refutatione non eget, quod a Bernado Sacco in Historia Ticinensi lib. VIII, cap. 1, scriptum est, Ennodium anno Christi 490 sedere cœpisse. Qui enim potuit illo anno episcopus creari, qui anno proxime antecedente quo Italiam ingressus est Theodericus, sedecim tantum erat annorum? aut quomodo imponi tum potuit cathedræ Ticinensi, quam adhuc regebat et aliquot post annis rexit Epiphanius, ac post Epiphanium Maximus quem synodo palmari interfuisse monuimus? Certe et in Apologia pro synodo, et in omnibus epistolis quas toto Symmachi pontificatu scripsit, non amplius se quam diaconum appellat Ennodius. Quare certius videtur, quod alii censent, Hormisdæ temporibus ad eam dignitatem evectum fuisse. Sed cum de anno initi episcopatus non liqueat, de fine constat ex consule qui Ennodii epitaphio ascriptus est, incidisse in annum 521.

falce sentibus purgat interna. Tunc pretiosum pastoris diadema est, quando suasioni ejus grex ecclesiasticus, dum ad probitatem graditur, non repugnat. Ille sine fuco monitorem et feriato ore diligit, qui ejus instituta sectatur. Additur quod imperitia nostra justam sustinet de ipsa novitate formidinem : qui nuper de ovilibus ad custodiam præparati, assuescimus de universorum fieri necessitate suspecti; et cui vix fuit pro se fida cautio, suscipit officium cuncta metuentis. Scimus quantum erit humilior famulantibus, qui ad religiosum vocatur imperium. Necesse est ut etiam extremæ conditionis personis obtemperet, cui imminet sic jubere. Ait enim doctor gentium : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes acquirerem* (*I Cor.* IX, 22). Modo Divinitatis operatio adsit muneri suo, et quem dignum apice tanto non invenit, efficiat.

PRECATIO MISSARUM.

Dignum et justum est. Vere dignum est, ut inter exordia dignitatis tibi principiorum Domino supplicemus, qui mundi ipsius in novam lucem prodeuntis infantiam, quanto bonorum tuorum secreto orditus es, tanta potentiæ virtute solidasti. Stabat in admiratione sui tenera orbis inchoatio, et pene decoris proprii concussa stupore titubabat; ante agnitionem ordinis solam sortita de auctore substantiam ; requirens quo esset rotanda lux attributa moderamine; qualem finem diei tempus exciperet, si per assiduos semper renasceretur occasus : si nox mundum fuscis ambitura complexibus, quasi rem originariam perenniter non teneret. In hoc ambiguo, ut certis famularentur per longum confusa temporibus, Dei nostri exstitit lex voluntas. Omnis dispensatio statutis præfixa limitibus tantum potuit, quantum præstitit qui creavit. Sic nos, pie opifex, inter sacerdotalis tituli auspicia, sole conversationis irradia : per sudum de meritis nostris fulgeat dies officii : nulla subreptione, nullis diaboli blandimentis pereat quod vocamur : non liceat admisisse, quod non decet : recti studium, te imperante, transeat in naturam : adsit muniis nostris æqualis operatio : composita servitute beatum crescat imperium, nec subjaceat moribus, qui præminet dignitate : per Dominum nostrum Jesum Christum.

ORATIO ANTE MISSAM.

Collator bonorum Deus, cui effectus in voto est : qui de medio populi Moysen in prophetæ persona dedicasti : nam dum queritur de imbecillitate, te auctore convaluit : sumpsit meritum pontificis, dum justus sui arbiter se vociferat nil mereri, cui apicem actione sublimem conciliavit humilitas : da parem nostris exordiis gratiam, quia propensiorem deberi actibus declaramus offensam. Non sunt inusitata quæ poscimus : benignitas tua testimonio tenetur exempli ; eo circa nos eris bonorum largitione clementior, quo substantia nostra facta est de peccati fasce proclivior. Da, bone imperator, dignam tua electione virtutem : quia sub pio principe nulla militem decolorat abjectio : per Dominum nostrum Jesum Christum.

DICTIO VI.

[1] *De hæreticis et synodo.*

SACRA SEXTA.

Pro ratione solvendum est quod pro ratione tacuimus : nam ut pateat et linguæ nostræ officia et silentium ordinatis servisse temporibus, fide hortante in officium sermonis erumpimus. Idem enim est supervacue loqui quod necessarie non locutum, dicente enim Apostolo : *Væ mihi est, si non evangelizavero* (*I Cor.* XI, 16) ; et alibi : *Tempus tacendi* (*Eccle.* III, 7) ; nos præcipue quos prælati cæteris hortatur pondus obsequii, decet aut bona facientes elevare, aut mala comprimere. Et quidem vos docere non aliud est quam stimulos admovisse calcaribus : nam quod ex proposito facitis, superbi sumus, si nostris debendum credimus institutis : sed qui bona studia probat, amplificat. Stat apud conscientias vestras quanta Nestorius et Eutyches, gemina diabolicæ informationis ostenta, diu castam Ecclesiarum Orientalium disciplinam perfidiæ fornicatione corruperint, qui juxta Apostoli sententiam : *Dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent et ideo misit illis Deus operationem erroris, ut crederent mendacio* (*I Thess.* II, 10) : dum per subripientem scandali occasionem Christi milites ille contentionum campus examinat : sicut scriptum est : *Oportet esse certamina ut probati manifesti fiant* (*I Cor.* IX, 19). Apud quem [Chalcedonensis non vivit commemoratio veneranda concilii, in quo Dioscorus cum sectatoribus suis stylo piæ districtionis addictus est, et sanctæ memoriæ Flaviani adoranda monimenta exsultans Constantinopolitana civitas recepit, cujus jam pridem firmaverant cœlestia decreta sententiam ? [2] Ubi gentium Timotheus ignoratur, qui propter suscipiendæ (*an* suspiciendæ) recordationis Proterii cædem fieri plus quam patricida non horruit ? Nam sacri persecutione pontificis, et genera criminum vicit et nomina. [3] Scitur Petrus, et Cyrus, et Timotheus, qui dum jacenti manum Dioscoro porrigunt, corruerunt : hi de præcessore suo et studiorum hæreditatem adepti sunt et ruinæ. Proinde, fratres, manentem in supernis patrum, et adhærentem beato Petro tenete sententiam : quia nos mundæ Ecclesiæ et non habentis maculam optamus unitatem (*Ephes* . v, 27). Patienter sufferre non possumus vana in Christum nostrum et blasphema ructantes : scimus qui in putribus membris non utitur

[1] *Dictio de hæresibus Orientalium*] Lemma dictionis non est Ennodii : nam in veteribus libris est anepigrapha, præfixis tantum his verbis, IN CHRISTI NOMINE. In ea porro nihil apparet unde ab Ennodio potius quam ab alio quopiam episcopo dicta suspicemur. Sed digna est prorsus optimi cujusque antistitis studio, ut suos ab hæresum contagione avocet, atque in orthodoxa et Petro seu sedi apostolicæ adhærente doctrina contineat.

[2] *Ubi gentium Timotheus*] Ælurus cognomento, Alexandriæ sedis, cæso Proterio qui in Dioscori locum suffectus fuerat, insessor : de quo Liberatus diac. cap. 15 Breviarii.

[3] *Scitur Petrus*] Petrus Moggus Æluri successor, et Dioscorianæ factionis præcipuus incentor ac signifer : qui expuncto ex diptychis nomine Proterii et Timothei catholici, Dioscori et Æluri nomen inscripsit, ut narrat idem Liberatus cap. 18.

ferri medicina, serpentibus morbis præstat obsequia: A go, nutritor profectuum, fax et splendor ingenuitatis: qui nobilia germina laboriosis purgando sarculis in fructibus facis agnosci: qui in cano flore novellæ posteritatis, quantum horreis paretur, ostendis: qui de ferarum cubilibus et bubonum habitaculis ad fora nos revocas, unde majores pene jam longa ætate discesserant. Non enim patent eruditis loca ista, quibus scientiam non primoribus labris ipsa contulerint. Cujus enim tuba cognoscitur eloquii, nisi cujus puerilia innotuerint rudimenta sermonum? Tibi ergo debentur hæc beneficia, quod citaturus reum causidicus inter atria jam probata dictionem metuendus incipiet. Tibi spes unica honestæ professionis ascribenda, quod nobilitas decursis brevi temporibus liberali sudore placitura est. Sed B quo me ignarum virium tui rapit affectio, narrationis pelagus non pendentem? sufficit in loci amici et diei celebritate vota testatum. Ad vos revertor, quibus paterna conventus affectione vocem debeo commonentis. Reddite vos studendo origini, reddite natalibus lectione: naturæ lucem jubar dictionis ostendat: multiplicate suffectu scientiæ parentum titulos: ornate eruditione decora majorum. Fulvi nobilitatem metalli nisi ad unguem manus ducat artificis, maternis pene hebetatur tenebris: et si non magistra politione venustetur, nihil ei prodest sublimitas quam vena concesserit. Adjuvatur quidem doctoris instantia dotibus sanguinis mundioris; sed nisi limata non rutilant illa quæ se erigunt prærogativa nascendi. C Incrementum rusticum matris mammas inter sulcos evacuat; et per pascua pecus agere, dum ab uberibus pendet, assuescit: patris brachiis, dum juvencos fatigat, adjungitur: prensat dexteram grandia terris semina committentem; et sudorem originis suæ in ipso lucis limine meditatur. Quid vos faciatis quos liberalibus pepererunt matres optimæ disciplinis? peregrinandum vobis est a germine ditiori, nisi vos nobiles instituta monstraverint. Habetis prævium eloquentiæ morumque doctorem: currite prosapiæ stimulis incitati, et cum vos ad agonem præmia promissa perduxerint, mei meminisse dignamini: quia sunt quæ a vobis post cœlestem retributionem suffragia hortator accipiat. Hæc sunt, quæ vos nostris licuit vocibus admoneri. Vos diligentiam pectoris D mei expendite consideratione verborum: non phaleratus sermo, non illecebrosa tantum et depicta fucis narratio delectet: quærite apud me non blanda, sed necessaria; non deliciosa, sed fortia. Nunquid juvat pompam texere præcepta daturum? qui probari non magis sensibus quam sermone disponit, affectum monitoris evacuat. Ponderibus ornetur dictio casti-

nam nisi secentur tabefacta, contaminant. Pacifica est cum his qui rectum nituntur impugnare, congressio: quis a bellis talibus timoris revocetur obstaculo, de quibus vitali possit morte gaudere? quibus mundi hujus potentibus, vel si minentur, acquiescendum credimus, quando aliud imperat qui regna moderatur? dicente Apostolo: *Non sunt condignæ passiones hujus mundi ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom*, VIII, 18). Fluxa ecclesiasticorum corda aut turbant quæ in præsenti vita sunt, aut delectant: quibus [1] Acacius qui diro diaboli a sententia sua motus imperio, erubuit diu propugnatorem se fuisse veritatis; et clari deserens ornamenta certaminis, triumphum suum quem sub Basilisco pio sudore meruerat, debellavit: qui solis præmiis suis pene tempore adeptionis invidet, spem bonorum fructuum perfidiæ falce succidens. Gravius enim est, degustata bona quam intacta calcasse. Nihil defensionis superest homini, post dulcem justitiæ saporem, ad mortifera schismatum venena redeunti. De his quæ præfati sumus natum est, quod in Constantinopolitana nuper Ecclesia fertur admissum. Inde patimur sine vocis usura tristitiam: qui enim oblatis remediis non obediunt, merito nihil consolationis tempore quo premuntur, habuerunt.

DICTIO VII.

In dedicatione auditorii quando ad forum translatio facta est.

SCHOLASTICA PRIMA.

Ut campus militem, mare navitas, fora causidicum, sollicitant incerta raptorem, ita auditoria linguas exercent. Nam quæ malum ratio suadebit silentium in loco in quo sunt præmia constituta verborum? ubi orationis palma, si hie gratia taciturnitatis? Bene solvuntur sudoris pretia, ubi sunt templa victoriæ: bene effugatur servitus inter atria libertatis. Vincta hic ora teneat mens captiva: non agnoscit forum Romani populi, non liberalis eruditionis gymnasium, qui adhuc quasi in secessibus conticescit. Sint muta forte diversoria: hic nihil est tam familiare quam pompa dicendi. Fescenninos sales hymenæis dare genium consuetæ professionis plausus hortatur: eriguntur lituis bellatores: virtute debiles gravis buccinarum cantus attollit: data sunt universis amica incitamenta propositis. Quid ego faciam, doctorum optime, te loquente? si infabricata verba intra verecundum penetrale contineam, instituti me esse similis non agnoscas. Amicitiarum religionem in gratia parcus offendam, si nec translationis festa, nec debitæ tibi laudis munus exsolvero. Salve er-

[1] *Acacius*] Episcopus Constantinopolitanus, qui primum quidem pro synodi defensione adversus Petrum Moggum stetit, auctorque Basilisco fuit, ut edictum quod adversus illam scripserat, revocaret, ut ex Zacharia rhetore tradit Evagrius lib. III Hist. ecclesiasticæ, cap. 7. Post hæc, mutato levissima, ut Liberatus cap. 17 notat, ex causa consilio, Petro Moggo, quem antea damnarat, favere cœpit, gravissimæque et molestissimæ in Ecclesia perturbationis auctor fuit, quæ post ipsius etiam mortem diutissime desæviit.

[2] *In dedicatione auditorii*] De Romanæ scholæ auditorio sermo est. Translationis festa vocat, cum ex pristinis sedibus ad forum schola migravit, ut ibi ludicræ exercitationes fierent, ubi seriæ causæ agebantur. Sed quodnam in forum fuerit non explicat, cum in diversis olim declamasse rhetores legantur. De Trajano licet conjicere ex iis quæ Fortunatus scribit de poematis illic ipsius ætate recitatis lib. III, epist. 21.

gantis: lancem in exhortatione teneat, qui gestit audiri. Institutor virtutis plausus excludat: bene morata oratio imperat quod suadet. Hæc si explicare nequeo facultate dicendi, amare tamen didici consideratione propositi et lectione consilii. Pars quædam probitatis est, si implere nequeas, nosse meliora. Sequitur examinatam intentionem effectus operis: proximus magistro est, qui diligit ornamenta doctrinæ. Deus tamen voti se comitem jungat: et quod novellis præceptor commendo cespitibus, in pomis tanquam de hæreditaria possessione decerpam.

DICTIO VIII.

Præfatio [1] *dicta Lupicino, quando in auditorio traditus est Deuterio V. S.*

SCHOLASTICA SECUNDA.

Quotiens amomi flosculus, aut messis cassiæ per deprædationem lascivi pollicis viduantur, et ad dotem manuum humanarum nobile germen adjungitur, meritum cespitis odore significat, et naturæ genium prima visione testatur: occultari se non patitur fetura sublimis: decus clari sanguinis non tenetur abscondito: vox mundæ originis licet in recessibus, semper auditur. Sed quamvis ita se res habeant, humanitatis interest, non tacere quod gestias: parum suscipit oneris, qui quod scit amore dignum esse, commendat: feritatis maculam non evitat, qui non festinat asserere, quod meritis novit esse placiturum. Diem laudare abnuat? attollere solis radios quis metuat qualibet nocte sermonum? si themati obsequium præstat oratio, ab ipso suscipit dignitatem. Proprii ergo macie non turberis ingenii, quando eloquii vilitas pretio susceptæ dictionis elevatur: erigere mens fasce depressa imperitiæ: dextera impacti oneris sublevaris. Sed cur longis involvimur? Præsenti adolescentulo militat præfata narratio, quem rediturum ad proavos, non denuntiatione augurum, sed post Deum fultus spe mihi vestræ perfectionis spondeo: nec futurum ambigo, splendorem te iste suorum posse reddere, quem aliis contulisti. Potest enim facile veterum decora suscitare, cui fas est nova construere. Non credas hæc esse solius incitamenta facundiæ. Tibi uni concessum est, claritatem aut dare, aut reparare majorum. Stant ante oculos tuos non annosa pueri monumenta, sed recentia. Peritiam tuam Firminus et Licerius, ætatis suæ sidera, hac voce conveniunt. Suscipe, doctissime hominum, utriusque plantam familiæ, et culmum in quo gravidas aristas parias secundus attende. Scalpe sarculis uberem terram, quæ si nostri est germinis fibula, fit tuis profecto laboribus responsura. Docendo libro adolescere maritata plantaria: novelli dentibus virgulti fructum surculi melioris accommoda: veniat pomorum successus, dum ore tenero sublimior ab illo te docente planta mordetur: quia nisi edomitam terram terque et quater agricolæ ligonibus scripserint, triticeam messem paliurus superabit et lolium. Munus Palladium et cana nemora baccis plurimis cultura locupletat. India multo sudore quo se jactat hebenum nutrit. Sabæi virga cespitis manu cessante non proficit. Industria fecit, quod Præstaneis rosas dumeta pepererunt; quas de spinis, ceu terræ sidera, labor exigit. Felix est operantis instantia, quotiens glebis uberibus manus adhibetur. Tunc fessa brachia succo effusæ valetudinis intumescunt, quando integrum fenus ruricolis arva dissolvunt: nascitur exercitii desiderium de fertilitate telluris: vomeribus agendum est, ut per palmites exuberet dos autumni. Nunquam spumantia labris musta meruit, nisi qui vitium luxuriem curva falce resecavit: et in diversis cultibus plus quam vini acciperet, liquoris effudit. Talis est natura mortalium: rite comparantur arbustis rudimenta parvulorum. Quos postquam parentum sollicitudo a matris radice decerpsit, providendum est cui solo juxta vota commendet. Post deliberationem doctoribus jura nostra transcribimus. Tunc fiunt institutione vestri, quos nobis natura concesserit: tunc incipit sibi tantum studiorum lima vindicare: quantum origo vix prævalet. Pene enim non injurium est, vinci prosapiem collatione doctrinæ; quia patris officium habet luxuriem comitem; præceptoris, sollicitudinem: genitor fit deliciis, institutor laboribus: libertatem origo tribuit, dignum libertate monitor facit. Ergo magis vestrum est, quod laudatur in homine: nemo enim, si desit testimonium facundiæ, poterit prædicare quod nascimur. Splendorem familiæ prodit lingua, quam tribuitis: fit præco generis, magistri beneficium: ineruditata nobilitas cœleste munus abjurat. Adstringite ergo arctioribus vinculis per ætatem erratici palmitis lapsus: sine sobole ramos ferro castiga: novellum cespitem fotu quo cuncta fructificare soles, attolle. Habet adolescens noster, quodcunque de suis respexit, quod sequatur: nobis crede, actus tot stimulis pervolat, quolibet scientiæ fuerit æquor ingressus: fodietur prosapiæ suæ calcaribus: per tot ordines nihil nisi quod ad litteras invitat, invenit. Stat ecce ante te parvulus noster felicibus initiandus auspiciis: et sicut justi hostia devotionem sacerdotis expostulat. Paternam convenit ore pietatem, ut qualibet oratione constitutam in vitæ limine commendet infantiam, quam de parentibus non sermone exigit, sed quid desideret error ostendit; cogimur subvenire in necessitate parvuli, quam formido manifestat. Sponde tuis adolescentule [2] digne primordiis: spem solidam de tua perfectione concipimus: bonum ingenium doctori optimo mancipamus. Sacri jam rudimenta venerare collegii: ad Latiaris curiæ proficiunt sidera, quos vides scintillis modicis futurum lumen ostendere. Hoc avos dixisse sufficiat: mihi

[1] *Præfatio dicta Lupicino*] Lupicinum Euprepiæ sororis Ennodii filium fuisse nos epistolæ docuerunt: hic utrumque ejus avum prodit, Firminum et Licerium a quibus et cognomina de more sumpsit: nam Flavius Licerius Firminus Lupicinus appellatus est: quod quidem ex Vaticano codice Commentariorum Julii Cæsaris didicimus, in quo ad libri calcem ascriptum erat: *Julius Celsus Constantinus legi. Flavius Licerius Firminus Lupicinus legi.*

[2] Forte *digna*.

remanet stricta insinuatio. Propinquum ad te consanguineus, orbum parentibus religiosus exhibui. Quæ res mihi affectum pueri faciant, jam tenetis. Si necessitudo respicitur, liber ab amore esse non possum : si pietas amica proposito, nostri fiunt filii qui parentum suorum præsidio denudantur. Unum ergo vinculum, venit a prosapie : alio nos adstringit officium. Respice, venerabilis magister, tot pro isto supplices manus, et in spe parvuli majores ejus, me teque considera. Genus est singulare laudis in doctoribus, disciputi eruditio. Achillis lingua Chiron innotuit; fecit sequacis meritum opinionem illius plus amari, cujus per se forte facundia in lucem non potuisset exire. Maro vester tantis institutores suos commendavit, quantis ipse notus est : et certe illos per merita sua fama non prodidit. Hieronymus noster, nisi præceptorem suum Gregorium diceret, illo melior censeretur : sed illi applicanda sunt bona nominati, a quo sumpsisse videntur originem. In summa, ut dixi, cœlum pulsat magistri opinio perfectione discipuli. Apud scientem rerum non objicio oblivionem, quia nota commemoro : avara sunt vota diligentum. Deum precor, ut studiis vestris gratiam suam comitem jungat, ut quos a me limandos accepisti, doctissimos reddas : et illorum eruditio vestra quidem gloria, sed meum efficiatur obsequium.

DICTIO IX.

[1]*Præfatio quando Arator auditorium ingressus est.*

SCHOLASTICA TERTIA.

Notum cunctis bene mortalibus, quod dicendi laborem negotiorum feriæ pariant, et eliminatis curarum procellis orationum serena plus rutilent. Diem suum ingenia, nisi occupationem nebulis fuscata, non perdunt : sententiarum jubar cura vacuos respicit, et expeditus animus declamationum pompam commendat. Qui cæca remis temerarius freta proscindit, nudum sollicitudine gubernaculis pectus accommodat : et clavi regimen sola qua magistrum navis convenit, inquisitione perpendit. Tunc stupea in ventos ex voto frena laxantur : tunc rudentum vinculis diu libera maria vinciuntur, et imperiosis undarum cumulis homo dominaturus ingreditur, viarum incerta astris recludentibus agniturus. Tunc Phosphorum, Pleiadas, Cynosuram, et quidquid iter monstrat inspiciens, ad cœli ductum callis hominis ordinatur ; si tamen mens nullo extraneæ occupationis mordeatur ambiguo ; nec peregrinantem notitiam magister inertiæ mœror affligat. Quod si aut pigro torpore hebetatus animus dormiat, aut diversis excitans stimulis per devia distrahatur, nescit ad propositum suum totus occurrere, cujus membra prudentiæ lanista animarum cura discerpit. Inefficax semper est, et a molis suæ valetudine dissociatus ostenditur, qui non potest, quantus est, una tractatuum forma monstrare. Est tamen boni doctoris expendere origine serpentis rivuli, qui scalpente ad ipsam terram ungue perducitur, quid sit ejus in unum collectus alveus, quid si ubi nascitur æstimare, et vires fluminis non de his quæ accepit. sed de illis quæ potuit accepisse, colligere. Quorsum, venerabilis magister, libertatis index, boni testimonium sanguinis, ingeniorum lima, fabricator sensuum, hæc verba præmiserim, si requiras ; me me locutus sum, fateor, me digessi : quem inter inscitiæ dormientis infantiam occupationes variæ et tristitia fortis imperitiæ mater oppressit : cui non datur duris solvere colla laboribus, ut studiorum lupatis ora decorentur. Meus sermo quod scaber est, et nullo splendescens dictionis attritu, intelligentiæ est et exercitii quod dedisco. Te inter palæstra tua originaria linguæ palma sollicitat : te inter cives, mei immemor, superba Delus annumerat. Tu Castalii gurgitis lautus possessor incedis ; et ego vix arentibus labiis stillantem guttam marcidi liquoris infundo. Te sudore continuo, nulla diversitate interpellante, utpote colonum suum, doctrinæ messis amplificat. At mihi vix de magnorum horreis pauper fasceli esca porrigitur. Tu in sustentationem ruituræ libertatis felix dextera subrogaris : me Ecclesiæ angulus etiam bona metuentem sæculi præsentis includit. Quid, rogo, visum est dudum insignia eloquentiæ tuæ in me tam longe positum oculos destinare? Fuerunt magis alii, quos dictionis tuæ ornamenta componerent, quibus verborum phaleræ per Latiales elegantias acquisitæ victurum et apud posteros nomen offerrent. Me tacito teneri tantum convenit affectu dictis imparem et officiis sequestratum. Quid erigeris animos quos alter jam sibi vitæ ordo subdiderat? Quid ad te revocaris per longa iterum intervalla distantem hominem, apud quem sicut nefas est non meruisse laudari, ita crimen fuisse laudatum? Tua sunt, tua, ne dubita, aut eorum, si tamen inveniri potuerint qui sequuntur. Ad adolescentulum tamen, quem præsentis diei auditoriis tuis auspicia dedicarunt, cum quo mihi parili infantia convenit, si venia me donatis, verba converto. Cujus primordia quamvis infabricato sermone commendem, imperiis amoris excusor. Sub jugum mittitur dilectionis necessitate constricti : et dum caris prospicimus, quid nos deceat non videmus. Hunc licet paterna debuisset oratio prosequi : non est tamen a patre aliena quam porrigo. Debuit tibi, macte, orationem professio et mea. Felix istud nominis apud doctos auspicium, ditando scientiæ frugibus laborem circa studia necessarium promittit et nomine. Finde, adolescens egregie, pinguium dorsa terrarum : imprime dentem vomeris novella adhuc incude formatum : exerce in studiorum solo quidquid optimum convenit aratorem. Si scrutatus penitus fueris latentium secreta camporum, invenies illic Deuterium, qui ubertate

[1] *Præfatio quando Arator auditorium*] Hæc tota nunc primum in lucem eruta ex manuscriptis : scripta in gratiam Aratoris, cum Deuterii grammatici Mediolani disciplinæ traderetur. Mediolani inquam, quia ut ad epistolas observatum est, Arator extra Liguriam non studuit : et quæ de Deuterio passim scribuntur, ad Mediolanum, ubi scholam habebat, referenda sunt.

linguarum germina tibi multiplicatis seminibus, et sudorem remuneretnr impensum. Disce jam nunc verborum luxuriem artis falce truncare ; ut novellus cespes sub ferri disciplina proficiat. Resecetur quidquid infecunda palmitum umbra transmiserit : ad solam uvarum spem vites tuæ ramos extendant. Talis ad genium tuum redeas necesse est : talis ad vota nostra respicias : et cum te gravidis scientiæ culmis ornaveris, tunc te magnum dici conveniet Aratorem. Quocirca spe in te præmii nutriat laudis ardorem. Legi quia non est fortunæ lusus, si quando inter feculentos quorum ego primus sum, imperitorum greges profecerit litteratus. Non metuas pressuram, qua gravantur instructi : magis laudis habet jacens peritia, quam culmina rusticantum. Erigit doctos conscientia sua ; et si quando incertis temporum flatibus opponuntur, sustinent mala, quæ sæculis magis sunt ascribenda, quam meritis.

Prosecutionem meam quam vere rusticam in Aratoris commendatione contexui, felici tantum dicunt aliqui personæ blanditam ; cui favorem de patris potestate conciliet dilectionem mentita necessitas. In cujus laudis ministerio vivis et præsentibus tantum serviens, temporalem exhibet lingua famulatum. Quæ quoties in aliquorum præconio fucatis verborum imaginibus ludit, fortiori studio conceptum mentis abscondit. Nonnunquam enim doctis tribuit stylus profundiorum cogitationum latebram, si dulcibus aures non bene merentium fomentis illexerit. Sed sequestrentur a nostro talia instituta proposito. Nos et scire hæc convenit, et odisse. Cautius enim a prudentibus nota quam inopinata fugiuntur. Mihi ad laudationes amicorum nisi amor verbo transmiserit quæ in penetralibus conscientiæ caritate magistra dictantur, inter relationum vias sub fasce suscepti oneris palpitabo. Ergo [1] classico meo, cui proprium sine fraude servivit ingenium, indices animi mei dictiones attuli ; quia sine adulationis suspicione est inter æquales amicitia personas ; et tunc fida diligentum sinceritas approbatur, quotiens non venit a potestate quod metuas. Mihi classicus non meretur imperiis, quidquid non imponit obsequio. Ferunt tamen aliqui, orbo parentibus fideli, auspicato gymnasia litterarum, personam religiosam debuisse magis verba præsentare. Orbum parentibus dixi, cui per felicia naturæ damna communis pater et episcopus factus est proprius. Ille afflictorum consolatio, jejunorum cibus, cæcorum oculus, pes claudorum, tot pietatis suæ species, tot misericordiarum gradus ad hujus convertit personæ profectum. Et illud domni Laurentii, quid mundi necessitatibus succurrit, ingenium, in ministerio hujus exercetur infantuli. Cui talis non sit, ut vere dixerim, gratiosa calamitas?

A quem non juvet amisisse patrem, sub lucrosa commutatione si talem conceditur invenisse? Tanti viri insignia, quæ implere nequeo, per profana verba non temero. Ipse est, cujus est dulcis auctoritas, aut horrida dulcedo qui magistrum in ecclesia, magistrum in domo, magistrum in convivio, magistrum implet in jocis : qui nunquam facit quod sequentes nolit imitari. Cujus ad unguem polita conversatio cœleste iter discipulis, dum incedit, ostendit : minor enim laus est docere bene, nisi opere docenda monstraveris. Hujus viri suscepto adolescenti quid mea præstitisset oratio ; quem eventus dexter de institutoris meritis manet, et de orbitatis prosperitate perfectio? Huic sufficiunt patroni preces : per quas B merebitur institutis optimis imbutus degenerare sublimiter.

DICTIO X.

[2] *Gratiarum actio grammatico, quando Parthenius bene recitavit.*

SCHOLASTICA QUARTA.

Quando debitas beneficiis reddimus gratias, credo quod abjuramus jactantiam necessariis obsequendo : nullo enim arrogantiæ tumor honestatis velatur indumento, cum non gloriæ militant verba, sed sanguini. Aliud est enim ut lauderis dicere, aliud dicere ne carparis. Ibi mens avara famæ est subjecta jactantiæ, hic servata ratione jure in locum gloriæ redigit, quod ex dictionis sudore contigerit. Justis namque et superfluis declamationibus, et si pari favor C sermone, discretis tamen mentibus exhibetur : uno quidem tyranni laudationes, et bonorum principum ore celebrantur, nec est aliqua inter ejus qui meretur præconia, diversitas, et illius qui usurpat. Quod nisi gravia judicantum ingenia dicendi causas expenderent, nullum daret hæc quæ etiam indignis contingit, acclamantium aura discrimen. Susceptarum secreta dictionum ab audientibus non examinantur lingua, sed pectore. In summa, aliud est recitantem blande et libenter audire, aliud affectum quo recites approbare. Sed jam omissis thematis commendationibus, rem potius mediocratis nostræ eloquatur. Parthenium quondam ad studia tua properantem, optime magister, sub oratiunculæ meæ insinuatione perduxi, tunc cum liberalium disciplinarum limen D intraret, tunc cum incertum esset, utrum prosapiæ nitorem eruditione loqueretur ; nullo enim teste nobilitatis utitur, cujus sanguinem non prodit instructio. Tunc ergo prædictum prosecuti sumus eloquio, quando fas non erat sermone nostro, qualis esset natus, ostendi : quia bonorum semper meritorum labes est habere lucem sanguinis, et nocte rusticitatis includi : prodi stemmatum vocibus, et imperitia fuscante delitescere. Aurum nihil est, nisi manu

[1] *Classico meo*] Mox infra, *classicus non meretur imperiis*, nempe Arator. Nova significatione classicum dixit auditorem scholasticum, quasi jam tum scholarum ordines in quos scholastici distinguuntur, classes appellarint : usus porro eadem est voce lib. IX, epistola penultima.

[2] *Gratiarum actio grammatico, quando Parthenius*] De Parthenio alterius Ennodii sororis filio dictum est suo loco in epistolis. Nunc olim, cum studia auspicaretur, alia dictione prosecutus fuerat Ennodius quæ non exstat : nunc ejus doctori, Deuterio, ut opinor, gratias agit, cum specimen profectus sui declamando dedisset. Sic pro Aratore duæ sunt dictiones, una cum ad scholam deductus est, altera cum ad laudem provectus.

componatur artificis, et fulvo pretium metallo lima A fabricante jungatur : cessante industria, exigua est claritas quæ venerit a natura. Fabrilibus debet studiis, quod in partu suo terra laudatur : fornacis beneficio et latentium fæcibus venarum quod in solidi traxit speciem ferro [1] dominatur; et effera hominum corda, domitrice affectione captiva, victum, nisi exercerentur, mortalibus non præberent. Artis est, quod liquidum maris elementum homo securus ingreditur; et parvo discrimine per ingenia iter mortis exsuperat. Magistra agricolarum simplicitas telluris faciem dum brachiis distinguit, vineta componit, et de prole arborum liquorem quo salus nutriatur, extorquet. Multis manifestatur indiciis, operantium diligentia, aut infundi quod origo non tribuit, aut quod bona tribuit custodiri. Et si talis est rerum A universa conditio, quanto, doctor eruditissime, sollicitudo tua est elevanda præconio, per cujus dexteram libertas jam jamque ruitura relevatur? per cujus peritiam aut instituuntur novella, aut servantur decora majorum? Vere fateor, nisi esses, brevi succumberet, quidquid monstrat ingenium. Sed quid obligor maximis, qui sustinere parva non valeo, et generalem facio gratiarum relationem, qui vix pro persona sufficio? Uberes tibi coram multis, emendatissime hominum, grates refero, quia agnosci a me Parthenium institutione fecisci. Tu de ejus pectore scientiæ sarculo paliurum et lolium submovisti : tu triticeam messem qua propinquos pascat, elevasti, felici in eo eventu per familiarum dissonantiam, unum C quod sequeretur, et aliud quod fugeret, demonstrando! O laudanda supra hominem tui virtus ingenii! In una eademque persona, qua arte, quod utrumque descendebat a sanguine, quid disceret, et quid dedisceret, indicasti. Læto Deus gaudia nostra disponat eventu : procul sit quodcunque minatur adversitas : plus in te laudandum est, quia discipulus tuus scit prosapiem vitare, quam quod prosapiem certat imitari. Ecce Parthenium propinquitas sua ex utroque generis calle descendens, alia agnoscit feliciter, alia feliciter non agnoscit. Quam timui ne præfata permistio dum ipsa diversitate discordat, in deterioris jura meliora vita concederet, et pro vilitate temporum facilius in ipso pars indocta regnaret! Sed ostendisti mihi, ætatis tuæ ornamentum, quia plus in consan- D guineo obtinui quam poposci. Cœlestia imitatus es ubertate beneficii, quando impensione multiplici commendantis vota vicisti. Ecce jam hiemali pectore et corde algido dictionum flosculi vernant, et ridentia verborum germina depingunt calathos exhibentis : ecce post gentile murmur de ore ejus, quæ humanitatem significent, verba funduntur. His ergo muneribus tuis nisi reddam vicissitudinem, præstitisse te æstimes non merenti. Quisquis enim feriata lingua successus meliores susceperit, ostendit se quod attulit prosperitas non amare.

[1] Schot., *donatur.*

DICTIO XI.

Quæ dicta est, quando Eusebii filius traditus est ad studia.

SCHOLASTICA QUINTA.

Licet sicut novitas, ita habeant intermissa formidinem, et hoc sit cum de [2] attrito favoris publici frons refugit, quod fuit ante quam disceret; dum ad eluctatam reducitur usu dicendi pereunte senectus infantiam. Exercitus Olympicis certaminibus de palma confidit eculeus; et si non otio debilitetur, in suo jure credit esse victoriam : semper ei coronam blandimentis efficacibus spes promittit, nisi velocitati præmium desidiæ languor excutiat. Artifex jaculandi de triumphis securus optat incerta : et cui occurrit semper in acie gloria, longa pace superatur : poetarum hederas nobilioribus corymbis et viridanti specie nutrix ingenii comit assiduitas : cessante frequenti probatione mutescunt ora causidici : educatus in puppibus æquor liquidum sine terrore nauta perlustrat : qui si ad terrenam vitam ducat officia, nec itinera astris, nec eventus deprehendit auspiciis. Agricola si aliquando vomerem illectus urbanitate contemnat, in devium bobus dum scribit terga, rapietur. Ergo sicut artium in suo quæque opere invenitur mater instantia; ita noverca eruditionis est negligentia. Talis est nostræ, quam post temporum intervalla producimus, conditio dictionis : non notum schema deferens, non pompam quam ætate mercari debuisset ostendit : totam fiduciam de auditorum benignitate concipiens, sufficere credit veniam pro favore; satis esse pia vota pro merito. Absiste procul, debilis timor : insinuandum orbitatis miseratio, orationem religiosum commendat officium. Quid faciat sermo peritiæ splendore dotatus, ubi causa etiam sine insinuatricis linguæ placet officio? res impetravit gratiam : sufficit ut verba mereantur affectum : utraque secundis ad audientiam vestram ominibus convenerunt. Dicam sane quod restat, quia tantum defrudo laudibus meis, quantum remanserit in præsenti causa silentiis. Huic Eusebius nobilissimus genitor, par moribus quam natura, dum extremis pressus, humanitatis sortem profuturo in longum velit superare consilio : dum vitalis animæ vigore terreni carceris angusia calcaret, ac se spiritalibus habitaculis, cum a Deo vocaretur, refunderet; nihilque in mente ejus esset de homine residuum, nisi immaculata filii diligentia, illud, quod nec inter cœlestia ulla delet oblivio : hunc mihi quasi bene conscius fovendum, prout vires tribuunt, dereliquit : confusa sunt supremis deponentis verba suspiriis. Videro quid aliis reliquerit, mihi sub Dei obtestatione dimisit hæredem. Cui saporem vitæ labris primoribus contingenti gustum deprecor ubertatis infundi : ut provocatus disciplinarum melle et favis scientiæ, de domibus cereis ipse sibi liquentis elementi nectar assumat. Habet, doctor venerabilis, laus tua per hunc ad cumulum perducta, quod capiat : ex talium profectu, meritorum tuorum pleni-

[2] Forte *attritu.*

tudo non refutat augmenta : quia discipuli elegantia assertio est sine labe doctoris ; ejus maxime, cujus prosapiem splendidam tempus postulat scientiæ radiis adornare, ut decus originis in diem serenissimum procedat, quando oris in ipso jubar effulserit.

DICTIO XII.

Data Aratori quando ad laudem provectus est.

SCHOLASTICA SEXTA.

Thema, laus litterarum.

PRÆFATIO.

Littera de proprio laudetur splendida censu,
Advena nam cultus nil tribuet genii.
Ebria vestito plus lucent vellera Sere :
Persica candentes colla decent lapides.
Nil juvat externo componere membra nitore :
Lux naturalis sidera nobilitat.

NARRATIO.

Omnibus rebus quæ æstimantur præconiis, exhibenda est pro dicendi facultate laudatio : ab eloquentiæ dote radiantibus reddenda sunt litteris quæ debentur : quia sicut gratuitum munus, et opes et animum indicat largitoris ; ita accepta denegari, avaritiam et impudentiam reserat supprimentis. Libemus litterarum numini quod de ipsarum fluxit altaribus : quantisvis enim materia ista copiis prædicationis honoretur, qualibet effluat ubertate dictorum, de possessionis suæ frugibus pasta satiatur : quia dum inter vireta quæ disposuit, propria oculos amœnitate captivat, habet quidem ipsa jucunditatem de graminibus suis, sed majora capiunt messes ingeniorum incrementa per dominam. Itaque qui fenus litteris solverit, plus ditescit : dum per secretiores meatus, quasi per magnos alveos, quæ ad illas directa sunt fluenta, reducuntur : nec quod per guttas amiseris, aliter quam si relabentis Jonii jus habeas, possidebis. Quis peritiæ depositum neget, nisi qui desiderat mendicus effici dum reservat ? Istius rei fructus (quod mirum dictu est) in abundantiam refusus exæstuat, dum jejunos faciat incubantes. Ergo post opem cœlestem, post superni favoris auxilium, ministra quibus utaris, ars veneranda, præconiis ; et inventionis tuæ bono de his quæ a te fuerint directa, gratulare. A te orta in usu laudis amplectere : nos nihil manet in hac parte, quod dignum sit ultione vel præmio. Fideli oris nostris famulatu si parum in elevatione meritorum tuorum suggerimus, hoc dedisti : nos horum amnium fistulæ sumus, nec quidquam de copiis commissi liquoris ebibimus : tu ut per nos meritis tuis satisfacias, quasi Ægæum pelagus, ut Pegaseus gurges illabere. Ante oculos vestros sunt morum vestrorum, si bene exempla retinetis. Salvæ sunt quascunque de censu vestro ad usuram gemmas admovemus. Ecce verticem meum coruscans luce vestra diadema nobilitat, et pretiosorum lapidum fulgore variato, crescit ex genio, dum competenter ostenditur. A vobis radicem sumunt instituta sapientiæ ; per vos informata proferuntur. Nullus sine vobis pectori sapor est, nec libertas eloquio : vos ingenui testimonium sanguinis, vos materia pudoris, A per vos, quod cor bene dictaverit, lingua proloquitur : ad investigandam inter justitiam vos præbetis, dum oppressum callem dumetis quo expetuntur superna, purgastis : vos triticeam de loliis segetem, vos fecundas de sterilitate ingeniorum glebas efficitis, et gravidas aristas ad scientiæ horrea, ne fames infantiæ possit prævalere, portatis. Mundæ nitorem familiæ servando, obscenam prosapiem peregrina luce perfunditis. Deo proxima res est vero infusa beneficio, dum per cursus elucubrationis traditæ, ne optimi degenerent, et ut mali degenerent, salva stemmatum veritate præstatur. Per vos de innocentum actibus, quæ ad instructionem sequentium pertinebat, gesta non pereunt : vestris in medium catenis transacta reducuntur, et sepulta reviviscunt : vos instrumenta B memoriæ, vos causa pietatis : vestris vomeribus humani pectoris tellus ad fecunditatem præparata describitur : vos religionis auctores, vos hostes criminum : vobis ducibus quæ per usum subripiunt, dediscuntur scelera, per quas bona discuntur : aut ad directum homines augetis propositum, aut mutatis obliquum. Vestro exsules ornantur indicio, et a mundi culminibus sejunctos vos cœlo sociatis : malas conscientias aut intrare contemnitis, aut in sacrarium ingressæ dedicatis. Facessat a litteris vel mutare quod dignum est, vel non mutare quod noxium : vestris vulneribus nulla per chalybem vestitos subducit instructio : ad penetralia illorum, et quos ferrum texerit, pervenitis, vestris umbonibus directa ab adversariis tela repelluntur : nec speculis peritiæ vestræ ulla clypeorum crates opponitur. C Vos in afflictione constitutos erigitis : vos positos in corporum cruce mulcetis : sic gaudiis augmenta tribuentes, ut modum hilaritas et producta custodiat : si a vobis veniant blandimenta, dulcescunt. Non licet contra imperium vestrum vel defunctum flere quem diligas : vos nuptiis, vos aptæ funeribus : scientiæ istius studium diversissima in concordiam tenet, et utramque partem amplexa gratulatur : utinam vos longioribus coli liceret affatibus, et non vestris legibus deberetur brevitas, a quibus copia votiva suggeritur ! Per litterarum species in longum itura vox tuto committitur, et sine imminutione sui relegente solidatur. Ante vos ignara ordinis vixit humanitas, et ructantia glandem pectora sine modis verba vomuerunt : vos inter unius naturæ D homines distantiam facitis, dum cœlestibus notitia vestri, pecudibus similes reddit ignoratio. In propatulo est, qualis ante hanc frugem fuerit mortalium deserta prosapies : cum illis enim quibus nobiscum par adventus in luce est, per discretionem vestram non est conditio una sapiendi. Valete, ornamenta melioris sæculi, et mundum quem eruderastis concessæ a Deo, in temporum remedio possidete.

DICTIO XIII.

Quando Paterius et Severus traditi sunt ad studia.

SCHOLASTICA SEPTIMA.

Si nauta secundis flatibus feliciter humidi directum transit itineris : si bellatorem ducit successus melior ad triumphum : si per rhetoricos campos litterarum

miles judicis fit favore sublimior: nostrum est hodierno die momentis paribus gaudere de themate. Quid mihi est cum ingenii mei publicata et degeneri paupertate? ecce de susceptæ dictionis messe ditescimus jucunda sorte, quando relatorem meritum relationis amplificat, et actorem causa commendat. Ubi est pavor, qui nos sibi propter imperitiæ conscientiam subjugabat? ubi frontis trepidatio, usu et exercitatione fragilior? obliviscimur meriti nostri, dum claritatem loquimur alieni. Nunc discimus potentes et alios esse, vos facere, quando tantum et fama nobilis dat præconi. Nihil mihi cum dubiis: splendor laudantes illuminat: et immersos tenebris, si ejus meminerint, sol recludit. Sed rursus hilaritas jungitur cum pavore, et fit socia exsultationis trepidatio. Quando impar in modicis, sufficit in supremis? Nam qui claritudinem non styli luce commendat, obnubilat: et sicut ingenio facundorum crescunt modica, ita siccitate devenustantur amplissima; et nisi æstimatis viribus aggrediaris sarcinam, subjacebis. Ecce Paterius et Severus ornamenta curulium, et parentiva vocabula purpurarum, eruditionem originariam in ipsis vitæ præstolantur exordiis: dedignantes non studiorum diligentiam cum sapore haurire lucis, quos indiscretis temporibus Dei natura donavit et litteris. Pro quibus, quid parentum decora, quid insignia vetusta novo mentibus relator insinuem? Levabor hoc onere, si fastos pro me, auditor, interroges: mecum campi solemnis illa vociferatio, mecum Severum et Paterium et aula veneratur et curia: quorum quamvis familia meruit scipiones et trabeas; seposita tamen ad tempus dote sanguinis, quod occasum per dignitates et post sepulcra nesciunt, moribus exegerunt. Mentior, nisi vivit [1] Paterius in opinione doctorum, et perenni ære formatus, illam eloquentiæ palmis nobilem inter peritos præsentat effigiem. Horum prosapies adhuc quidem parva, jam maxima, gemmata pubescentis flosculi ora præferens, vocis præsidium quod exhibebit, implorat, hoc taciti poscens allegatione colloquii. Juvate parvulos, quos habebitis patriæ mox parentes: impendite præsidia defensoribus, et pugnate pro teneris, ne maturiores ævo succumbamus pro universitate bellantes. Scitis quæ domus pro generali calamitate desudet, cui debeatur pro communi securitate litatio: a qua fluxerit quod inter adversa inter vos civilitas non vacillat. Debet vobis origo nostra hanc tributariam functionem, ut semper nutriat patriæ suæ sine intermissione custodes. Ergo si nota sunt vobis bona germinis nostri, inserenda suggerite: ut quod nitet in semine, cultura melioret: habeat cespes radici obsecundans poma, quæ tribuat. Non sunt peregrina, non fugitiva quæ poscimus. Si Eleis et Olympicis conflictibus nutritur eculeus de parentibus æstimatus, nos adhuc proficientium creatorum muniamur exemplis. Vobis tantum præbuerunt obsequii A res secundæ, quando propugnatorum vestrorum et adolescit posteritas, et adhuc patris avique tutela non deficit. Ergo his stimulis incitatum, doctor venerabilis, suscipe universorum voces afferentem, et elevatus consideratione meriti parem te multorum forma sententiæ: labora ut munitio nostra te sustinente solidetur, et ne inimica arietum vincat impugnatio, tu muris patriæ studiorum arma conjunge. Scimus quorum tibi soboles committatur, ut quod natura validum peperit, confortet industria. Ducis erit, non originis, si de viri fortis stirpe editus habeat inter bella formidinem. Sufficit te sic instructionis tuæ sudore crescere, ut præsentes pueros formam veterum facias obtinere. Sed dicas forsitan: licet te professio sanctior urgeat, me in istis non habet cura B postremum. Ego sùm cui Paterium filium mater et virgo sacri fontis alvus effudit: ego in animæ ejus secunda nativitate aut recreatione sum genitor: ergo peculiaris eruditionis ejus me provisio respicit, cujus pater et inter cœlestia sum vocatus.

DICTIO XIV.

In legatum, qui patriam hostibus prodidit.

CONTROVERSIA PRIMA.

Si excellentius crimen est, quod digna veneratione persona commiserit, habetis, judices, in uno homine duo diversissima, et proditoris meritum, et sacramentum legati. Sed vincitur in ipsis vox superata primordiis: facinus vix credo, quod arguo: quis æstimet in vocabulo integritatis consummatam cecidisse C perfidiam. Cogimur dicere, quia nil mali aut proditor metuat, aut verus legatus admittat. Quid accusationi meæ pro innocentia nomen opponis? insequentem posses effugere, si esses meritus quod vocaris. Nemo cautius malus est quam qui absconditur sub appellatione pietatis: tutum est iniquitatis exercitium, quod honestatis tegitur indumento. Facessat propositum præstigiis potius quam mente constare: enervata defensio est, quæ nudi honoris nititur nihil valitura testimonio. Ut nocentior contra patriam existeres, viam tibi consilia nostra pepererunt: nos egimus, ut fortior hostis, dum propugnatorem quærimus, appareres: non sentiremus quæ irrogasti patriæ inimicitiarum pondera, nisi sumpsissent ab amicitiarum religione principium. Externis D adversariis sine labore congredimur: inerme pectus invenit, qui de gratiæ fruge in affectum prorumpit inimici: egimus fœderis tempore, ut generalem adversarium, quid gravaret patriam, non lateret. Iste enim, cognitorum splendidissimi, si negligentius in suscepto functus officio, per animi tædium sociorum commodis institisset, capitale mereretur exitium: quale est enuntiasse hostibus interna patriæ, pro quibus certasse sacrilegium fuit? quibus sunt expianda tortoribus, quando illud perdideris, quod nefas est non juvisse? quantis colorum varietatibus et urbanitate lethali ad hoc perductus æstimatur, ut

Vivit Paterius] Petronii Maximi II consulis collega anno 442 et ante consulatum præfectus prætorio, ut testatur Valentiniani Aug. novella ad eum missa. Ennodius æream quoque statuam doctrinæ nomine Paterio positam fuisse significat, in foro nimirum Trajano, ubi mos erat, Sidonius:

Ulpia quod rutilat porticus ære meo

legati personam putaretur implere? Solet virtus quæ innata non fuerit, cura et nutrimentis institui, et transire in affectum, quod feceris studio falsitatis: usu honestatis robur adipiscitur, qui bonum sub diuturnitate mentitur. Servasse adhuc benevolentiam captiosam, nisi inspexisses lædendi callem legationis clave reseratum. Tale est, ac si ægris sub febrium jactatione languentibus allaturus salutem curator adveniat, et animam in penetralibus suis sub medicinali specie exclusurus inquirat: quis, rogo, huic non pandat secreta vitalium, et in quibus adhuc locis vigor subsistat, annuntiet? facilis exstinguendi ministratur occasio illi a quo sanitas postulatur. Sic te, impurissime hominum, adversus nos intimorum reseratione munivimus. Ex vestro nunc, cognitores, pendet arbitrio, si qui peccatis vicit universos, non debet omnes reos superare suppliciis. Nascituras in posterum culpas incidite: eveniet ex unius cruciatu generalitatis emendatio. Genus pietatis est, circa hostem patriæ esse districtum, ne dum personæ parcitis, ad incrementum vitia provocetis.

DICTIO XV.

In novercam, quæ cum marito privigni odia suadere non posset, utrisque venena porrexit.

CONTROVERSIA SECUNDA.

Adest, judices, noverca, quæ ut satisfaciat odiis, non parcit affectibus: quam ne privignus evaderet, elegit miscere ejus casibus, quem dilexit: quæ sævissimarum more belluarum, de confusis mortibus tesseram fecit, dignos lethi forte æstimans, quicunque cum inimico illius potuere trucidari. Ruptis repagulis accepit furor ejus exercitium, quasi neci deputatum perimens quidquid occurrit. Generalitati perniciosa esse desiderans, nisi defecissent toxica, adhuc ira crescebat: hausta sunt a duobus venena, quæ reperit: quod in aliorum servaretur exitio, non remansit. Heu! quemadmodum gemuit defectum poculi, cum cadavera pauca conspiceret, indignata sibi quod de funesto liquore plus defunctis, quam quod occideret, dedit. Quæsivit de exstinctorum visceribus pretium mortis alienæ, si licuisset, abstrahere; ut plurimis per guttas fata dispergeret, ut animarum penetralia virus nobile possideret. Ante experimentum perniciosus effundebatur humor in poculum: fecit eam quid perdidisset, agnoscere, postquam de succis abundantibus paucos exstinxit. Ubinam gentium fuit animus conjugalis diligentiæ? ubi maritalis sacramentum copulæ? Plus egit privigni, quam tori recordatio: dum immanitati obsequitur, effugatus est viri præsentis affectus: credidit in quocunque vivente privigni remanere posse substantiam. Lucem voluit profana confundere, et humani generis messem mundo labente succidi: quidquid in occasum potuit ire præcipitans veternis Erebi legibus diem nostrum cupiens scelerata submittere: ne illam vel post inferna odiosus inspiceret. Quantis gradibus et profectu scelerum ad venena descendit? Diu exitium distulit, quod aliquando in tormentis constituto ingessit vice beneficii. Ante flagris, fame, frigore inimicum corpus afflixit: postrema est in novercali indignatione necis exsecutio. Vellem in accusatione, judices, diutius immorari, nisi facinorosæ pœnam prolixior lingua differret. Nolumus quas peroranti conceditis, ut addicenda in luce mereatur inducias. Quotiens, scelestissima feminarum, subdolis privignum fovisti complexibus matrem mentita? quotiens innoxiis potionibus egisti, ut de manu tua mortem securus acciperet? Captata sitis, tempus et bibendi necessitatem forte ut citius lethum porrigeres, exorabat: habuisti misericordis opinionem privigni desideriis obsequendo: quotiens matrum loca tenuisti, ut novercam tutius exhiberes? Solet, libertatis præsules, in conjugali consortio unius sobolis ut commune pignus attendi, dum affectio quam pater obtinuit transit ad filium: decedentibus matronis, virorum providentia, dum ad educandam posteritatem curarum participes quærunt, sic novercas inveniunt. Sæpe tamen sub hoc vocabulo mater accedit, eo cautior circa germen alienum, quo sollicitius nomen tragicum vult vincere. Genitricem munit securitas, et sacramentum nominis sui: quæ etiam misericorditer creduntur irasci. Vestras, infausta, blanditias jure respuimus, quibus per fucum malitiæ interna vestitis. Erubesco, cognitores sanctissimi, damnatam meritis suis diuturna impugnatione sustentare: non est anceps sententia, quam labore suspendo. Utinam exquisitis effugetur de luce cruciatibus, et lentis secta vulneribus existat superstes corpori suo! non uno tempore de propriis sedibus nocens anima vellatur. In affectum reducitur puritas, quotiens generalitatis oculos expiaveris cruce noxiorum.

DICTIO XVI.

In eum qui præmii nomine vestalis virginis nuptias postulavit.

CONTROVERSIA TERTIA.

Creditis, judices, per hunc victoriis lamenta misceri et triumphorum saporem displicere de præmio? æstimatis offendi deos in effectu rerum, et deduci ad pœnitentiam numina, quæ vota juverunt? Adest homo nequissimus, qui gemere nos imperat, quod patriæ nostræ vicit inimicos: qui consummatis præliis, dum laboris pretium flagitat, et hostes et bella commendat: qui exhausta putat laboris esse suffragia, nisi quæ iratis cœlicolis conferuntur: ut possit civitas ejus perdere, quod per ipsum creditur acquisisse. Confidit genium bellatoris pictis tabulis et imaginibus non teneri; nec requirit ut servetur sæculis ære formatus: sola opinatur esse gaudia, quibus evenit munus adulterii. Si ad hoc te casibus obtulisti, ut pro sudore tuo nominari pudeat quod requiris, nos non possumus scortis debere quod vicimus. Non pro amore bella gessisti, qui post adversarios in civitatis medio cum pudore congrederis: sine causa hostes depulisti, qui eorum vicibus fungeris in triumpho. Habuimus statum honestatis liberum, dum casibus subjacemus: fugienda est virorum fortium felicitas, per quam jungimur miseriis subditorum. Etenim, curiæ lumina, per minutias scelerum hunc opinamur

ad immania vota perductum? quantis gradibus exercitatum facinus pervenit ad hoc ut vitia laudibus mercaretur? Credebamus eum, dum vitam in tentoriis ageret, et ad insignia roboris duris corpus successibus invitaret, civico amore constringi; ut per militiam ejus, nec incendium urbis, nec sacras corruptela virgines possideret. Iste enim emit tot vulneribus, ne alter facinorum fruge potiretur. Quid tibi debeam, crudelissime hominum, datur intelligi, per cujus beneficia superati exitum victor ingemisco. Dicite, præsules libertatis, quem potius habuimus qui animos nostros possedit, in tubarum clangore terrorem, dum ferri seges equorum fremitu minaretur exitium? Credo, ne libera patrum colla catenarum rigor astringeret: ne inviolabilis matribus pudor civitatis excidio deperiret: ne votiva virginitas sacris mancipata culturis prædonis igne raperetur: ne famula castitas hosti pretium fieret insultanti: ne corporibus ex humana conditione liberatis, vis inimica subriperet, et adversariæ pudicitia libidini ad ultimum deducta serviret. Quæro a te [1] heroa magnanime, quid de patria tua mali depuleris, si hæc quæ timui victor optasti, dum mortes hostium ictibus tuis numinum favor addiceret. Percunctor utrum poposceris superos in illa necessitate fautores? Si fecisti, perfunctus periculis sacerdotibus eorum pro debita oblatione minitaris? si non adhibuisti pia vota certamini, quid tibi debeo, quem sine precibus suis generalis prosperitas comitata liberavit? Si intelligis, multum est quod debes numinibus, si studuerunt supplici: majus, si dederunt victoriam non petenti. Credo, digressus e prælio, loco principe delubra veneratus es, et ibi gratiam retulisti, unde prædam feriatis manibus certas abripere. Vereor ne templis nulla face consumptis, ducat vestalem virginem sors secunda captivam.

DICTIO XVII.

In eum qui seni patri cibos subtraxit.

Data Aratori.

CONTROVERSIA QUARTA.[1]

Nescio, judices, utrum inveniatur pœna, quæ criminibus satisfaciat impetiti. Interim deest linguæ copia, quando facinoris novitas superat arguentem. Iste est filius qui grandævo patri, cum posset præbere alimenta, denegavit: id genii sceleribus suis associans, ut esset patre incolumi parricida. Putas evasisse te debitum de non illata genitori morte supplicium? ut esses [2] innocentior, pepercisti. Potuisses cruciatus quos intuleras, ultimo, patris fine concludere, si manum jugulo medicam præstitisses: prima est malorum tuorum adinventio, creatoris proprii exitium nec removere ut pium filium, nec ut crudelem decet, inferre. Quid est quod inter utramque viam, exquisiti inventor periculi, neutram sectatus pasceris promulgata tabe genitoris? vixit, te procurante, eo infelicior pater, quod mori te procurante non meruit. Nemo, sanctissimi, dubitat mundi istius mala advocata nece sepeliri; et communem sortem votum esse

A inter adversa constitutis: necesse est optari, quod modum ponit amaritudinis. Rogo, quibus est belluis comparandus, qui procuratione sua infert dura sine termino? cujus doli, dum manus abstinet ab auctore lucis, letho commutanda pepererunt? Jam erat genitor istius annorum fasce contritus: jam per tremenda senis membra ævi depopulatio vestigia olim robusta subverterat: jam diuturnitatis morsibus in rugas quæ declarabat hominem, forma vergebat: non tamen sine spe subsidii ad maturitatem pervenerat, cui jam major soboles arridebat. Potiori fiducia ad victum congregata dispersit, quem semper scimus horrea sua in pignoris alacritate posuisse. Omen putavit cogitare de substantia, cui existebat natus incolumis: ad gelidam canitiem hoc putans posse sufficere,

B quod reparatus in prosapie annis viridioribus non periret: cum repente egregius juvenis tali patrem securitate nudavit. Vellem paulisper, venerandi cognitores, ad hunc verba convertere: sed reor perire monita, quæ profligatis moribus exhibentur. Putamus, venerandi hominum, ad hos usus prolem cujuspiam magisterio pervenire; sufficit germini institutio naturæ; quando quod solent facere doctores, infundit eorum pectoribus lex humana. Non est exaccidenti bonum, debita complere: nec deesse potest ratione præditis, quod avibus probamus insertum. Versa vice, aquilas legimus fetuum ministerio pasci: et beneficium parentum, quod implumes nati, quando ovorum tunicis exuuntur, indepti sunt, qua-

C dam districti æquitate restituunt. Non putant volucres esse liberum accepta denegare: quale est ingenium quod circa diligentiam suorum alites nescit imitari? Transeo multiplicibus exemplis luporum rapacitates, jejuno escas parentibus ore deferunt, et impasta visceribus fera ad creatores suos currit ore locupleti. Vos perpendite conscientiam rei, quali pœna digna sit, quæ inusitata commisit: quia propagantur impunitate vitia, et nisi judicantium censura succurreret, peccandi vis per generale corpus exiret.

DICTIO XVIII.

In tyrannum, qui præmii nomine parricidæ statuam inter viros fortes dedit.

Data Aratori V. C.

CONTROVERSIA QUINTA.

D Quamvis, judices, virorum fortium effigies mansuro perenniter ære serventur, et per hæc simulacra nesciant obitum vel sepulti: quamvis in æternitatem migret per has artes imago mortalium, et angustam humanæ naturæ legem vincat industria: tamen virtutis pretium nec parricida aliquando meruit, nec tyrannus exsolvit. Quando munus innocentum aut sceleratus elicuit, aut oppressor libertatis ingessit? Statua, venerandi præsules, sudoris fructus est, judicio reddenda purissimi: ut in utroque congruus nitor nec suscipientem devenustet, si indigno auctori provenerit, nec, si conferatur immerito, maculet largientem. Si libera adversus tyrannum vox est vitia detestantis, si licet sub tutore criminum culpas urgeri,

[1] *Heros* vet. cod. apud Schot.

[2] Schot., *nocentior*.

dicam quod sentio. Inter duos nefarios res honesta volitavit, et neutro munita præsidio, nec a quo procederet, nec ad quem deflueret, cognoscebat. Res dudum decreta sortibus, et sanguinis comparanda suffragiis, ad quorum pervenerit jura, respicite : ut eam tribuat usurpator imperii, et accipiat patris exstinctor. Quo me vertam, nescio : inter virtutum tuarum, venerande princeps, deprehensus abrupta, nescio utrum accusem quod tyrannus es, an quod honoras præmio parricidas. Utrique digni crucibus, et de præsenti vita culleis effugandi. Non creditis sufficere, vos debitum vitasse supplicium, nisi et tu quod non licet, tribuas, et ille quod non meretur acceperit. Jam dudum a te ista per audaciam præsumpta sunt, cum arcem justitiæ profligator intrasti, his ad dominatum evectus suffragiis, quibus in altero statuam contulisti. Necesse est, amplissimi hominum, universos fovere quod fuerint : nec utiliter, nisi ab emendatis, corriguntur excessus. Prodigus frontis est, qui punitorem mali credit facinorum sectatorem. Judicis conscientia constringitur necessitate secreti, et non putat liberum condemnare in subjectis, quod ipsa non dubitavit admittere. Quantis successibus aut quam variis incrementis ad hæc sentina criminum pervenisti, ut tibi liceret ad sublimia pervenienti in tantum peccare, cum velles, ut probrosos ad potiora statuis invitares? Tu libertatis saporem felle servitii commutasti : ille obsequia patri debita vertit ad gladios. Quantum laudanda sint quæ læsistis, advertite : et feriato ore accusantis quid mereatur pater, et ingenuitas æstimate. Tu absoluta colla jugo miserrimæ conditionis astringis : apud illum nihil prævaluit lex naturæ : hoc tu circa patriam geris, quod intulit hic parenti : in eo fortasse crudelior tu credendus, quod dura imperia sub vitali quadam morte dispensas : nec illis quibus est desiderabilis obitus, quasi medica manu præstas exitium : ille non passus genitorem in mundo subsistere, pernici ictu eripuit vitam lucis auctori. Nescio qua sunt criminum diversitate discreti : interim si liceat, pœna jungendi sunt. Si te circa cives alicujus supercilii tumor elevasset, reum te designaret læsa communio, et privatæ abjuratorem dulcedinis immoderata nuntiaret erectio. Si ille creatorem torvo lustrasset aspectu genitore incolumi, habuisset meritum parricidæ. Videte quid dignum his sit, qui ad delictorum fastigia pervenerunt. Nihil est quod residuum, aut afflicta credat patria, aut pater exstinctus. Facessat a nobis, principes viri, argumentis acerbare commissum. Sufficiunt nuda reorum vocabula, nullo defensionis munienda privilegio. Addam sane delicto quædam quæ sunt præcelsa reatuum, ne ulla res videatur, actione subtracta, quam sagacibus, ut æstimo, vestigiis invenistis. Ambitur parricidæ statua, fortium vallata lateribus, et simulacrum, quod aut [1] litteraris cura peperit, aut Martius campus refudit, hujus imaginem posthabetur. Duriter, si creditis, ferunt tot evecti titulis, nulla ab effusore se paterni sanguinis retributione distare : et si qui animabus reliquus vigor est, deflent præmia sua, quæ annisu roboris exegerunt. Ubi honestas, ubi studii liberalis efficacia, ubi munus pro patria dimicantis, si æreas formas artis possessor exhibet, et qui genitoris funus procurat, obtineat? Vos tantum digna meritis exhibete tormenta : ne si impar pœna impetitos addixerit, nec vobis debeatur laudatio directa censendi. Uno itinere vita pellantur, quibus pene par exstitit sors delicti.

DICTIO XIX.

Data Ambrosio, in aleatorem qui agrum in quo parentes ejus erant positi, pro ludi pretio dedit.

CONTROVERSIA SEXTA.

Postquam, judices, deforme aleatoris studium deductus ad exilitatem census evaserat, et crescentem certandi curam facultatum defectus addixit, cœperunt a turpi præmio nec parentum sepulcra subduci : cœperunt exspectari dubia casuum de favillis, et ridenda proponi contentionum momenta de lacrymis. Ubi sunt, qui dicunt perfunctas luce animas nihil cum hujus mundi cultoribus habere commune, et post sæculi segregationem diem suum habere translatos? Ecce jam majores istius prope quæ obtinuerant sepulcra senuerunt, et de ipsis per diuturnitatem fiunt busta jam tumulis : et tamen apud commessatorem improbissimum adhuc creduntur in illis intentionis pretia non perisse. Post longa vitæ curricula fortuito nil debentes, eventum manes jubentur exspectare de tesseris : post profligatas, quas parentes tui per longam parcimoniam opes collegerant : post multa argenti aurique pondera, quæ jutura hæredem parcitas sub dimensione servavit : urnas veterum, ut essent in præmio tabulæ, sterilitate deterior proles honorasti. Si mausolea præcedentium minor posteri cultus ornaret, esset plectenda negligentia, et spectaret de illis pœnam judicibus, qui filiorum suorum mores in alienis cupiunt emendare commissis. Pro festivitate certa temporum lege redeunte, pro sertis, et quibus animæ pascuntur muneribus, credidisti nefas si genitorum tuorum sepulcra dominos non mutarent. Non tibi licuisse domos ultimas pro abducta ab hostibus pignoris tui redemptione distrahere : quæro quæ sit necessitas quod alienum video in parentum tuorum cineribus possessorem : et nihil mihi aliud nisi ludus opponitur. O misera mortalis conditio, et cum denegantur desideria, et cum infelicius conceduntur ! Quotiens creatores tui sollicitis Deum movere suspiriis, ne de hujus usura lucis, quod infaustissimum creditur, et sine legitimo hærede transirent? Editus, institutus, eruditus, ad hanc messem, judices, jejuna pudoris mente pervenit, ne in jure suo patiatur esse, postquam universa perdidit, patrimonii largitores. Damnamus in scelerato voluntatem turpissimam : nam contigit forsitan, ut ad probos dominos priorum tuorum ossa beneficio levitatis emiseris. Communis est universis defunctorum reverentia, et circa religionem sorte ultima conditorum dignam poscit humanitas universa culturam : excellentius tamen

[1] Schot., *litteraria.*

majoribus nostris debita suprema redduntur, quos ita sibi veneratio proponit ante oculos, ut diis credamus exhibitum in quibus defunctorum mandata peraguntur. Servamus universa quæ jusserint; non credentes impune contingere, quod de eorum fuerit præceptione violatum. Non invenio, novum facinoris genus qua explicem novitate sermonum. Quibus fuit sacrilegium non parere, quale est eorum suprema domicilia pro ludicris vendidisse? Credite, cognitores, stare ante oculos vestros tot istius atavos vindictæ tempora præstolantes, quorum placatione mansura in posterum circa parentes diligentia poterit sine labe sanciri.

DICTIO XX.

In eum qui in lupanari statuam Minervæ locavit.

CONTROVERSIA SEPTIMA

Semper venerandorum judicum ancipitem credimus fuisse sententiam de confusione peccati. Ibi cognitoris, quo potissimum vergeret, hæsit deliberatio, ubi dubia exstitit sors delicti: nam definitionem æquitati congruam sicut vitia manifesta exigunt ita obscura suspendunt. Quando in luce est facinus, quid spei remanet addicendo? Percipite, quæso, animis, et interna æstimatione tractate, qualis sit, qui et virginitatis oculos, et lupanaris secreta violavit: et in utroque sacrilegus, nec flagitia veneratur quibus inimicam testem adhibuit, et castitatis profligat ruborem quam indignis associat. Expostulo a te, humani generis ostentum, qui levitatem tuam ad erigendum Minervæ simulacrum religionis cultus adduxerit, dum integritatis hostem illata de loci fœditate monstret injuria: nec reverentiam te exhibere Veneriæ pollutioni clamat publicata corruptio. Nesciunt peccandi terminos, qui ad transgressionem sceleris excessuum amore provocantur: modum in erroribus ignorant, qui crimina excelsa moliti sunt. Dum Dionem et Palladem, diversissima numina, peregrinantibus mancipata sententiis, in unum fabricata deridens arte conjungis, fecisti religione tua acerbius quod delinquis. Res summo digna piaculo, miscere discordantiam, et in unum colligere, quibus nisi secretum præstiteris, contumelias irrogasti. Creditis inveniri hominem de hac mundi gemina conversatione neutrum tenentem, et nec amicum virtutibus existere, nec fidum vitiis inveniri? Solent aliquos erigere ad despectum boni operis patrocinia culparum, et qui de sapore laudis alieni sunt, de licentiæ fruge gratulari. At te quæ istarum rerum invenit sectatorem? meliori ordini contrarias manus attulisti: nec improbis sinceriter obsecutus colla submitteris. Odi, principes viri, morum suorum remissos judices: condemno, qui per negligentiam serenorum actuum in dubium trahuntur: exsecrabilius tamen detestor qui in utroque deprehensi, nulli exibent stabilem conscientiam. Pollicentur enim pœnitentiæ tempore honestatis affectum, quos fidem videris exhibere peccatis. Si te, scelestissime hominum ante Veneris delubra positum stimulasset Minervæ recordatio, utramque potestatem male diligens ingenii tui memoria læsisset? fugisses illius domicilium, cujus adversariam mente retinebas: qui honor est ibi ejus statuam collocasse, ubi dea pudicitiæ potuisset commemoratione violari? Nesciendo, infaustissime, gradibus ad fastigia exsecrandi erroris accedere, pene postliminio bellum inter cœlicolas excitasti. Vident illi oculi semper turpia, detestati junctos quadam obscenitatis lege complexus. Dum procurante te interest lupanaribus captivum numen; solus es qui ostendisti servire humanæ libidini superorum potentiam: et illis eos constringi locis, quibus fuerint a mortalibus deputati. Quam dissona erit in adolendis impensa sacrificiis? unius oblatio numinis alteri dabit injuriam. Nam dum per providentiam tuam simplex pulvinar gemina superorum potestas obtinuit, et in una æde pudor et luxuria convenit, neuter devotionem nostram favor aspiciet: quas tu habitatione miscuisti, nos propriis habebimus offensas sacrificiis: qualia erunt munera quæ gregatim portanda sunt per incestas et virgines? una offendenda est hilaritate, et lascivia placanda altera. Inter verbenas et thura hostiarum erit causa certamen, et inde efficienda irata numina, unde mulcentur[1]. Submovero sacrilegis prolixam narrationem: moras quas in luce reus accipiet, inter supplicia consumat: quia devenustat referentem et alienorum actuum turpitudo.

DICTIO XXI.

In patrem quemdam, qui cum filium a pirata captum redimere non dignatus esset, ab eo tamen ali petebat.

CONTROVERSIA OCTAVA.

Thema. Lex. Liberi parentes alant, aut vinciantur: cuidam duo filii, frugi et luxuriosus: pirtaas utrique incidere: scripserunt patri de redemptione. Pater vero venditis facultatibus piratas expetiit: cui optio data est, quem vellet, redimeret, quia parum pretii detulisset. Ille elegit luxuriosum, quia æger erat, redimere: qui cum reverteret in via mortuus est: frugi piratas evasit: pater petit ut alat: ille contradicit. Actio contra Quintilianum suscepta. Ille enim patrem tuetur, nos filium. Rogo ne arrogantiam putes, qui legeris.

Præfatio.[2] Nunquid fas est adversus Quintilianum nisi pro veritate dicere? aut immemorem sui loquendi facit aviditas, qui tribuit verba justitiæ? Fallentes decet urbanitas, dum peniculo fucata mendacii peregrinum decorem laudanda verbo tenus sumit elocutio. Sane solatio oratoriæ artis æquitas asse-

[1] Schot., *Submoveo.*

[2] *Nunquid fas adversus Quintilianum*] Quem acutissimum Romani generis declamatorem appellat Trebellius Pollio in Postumio juniore. Ausonius de Professoribus

Seu libeat fictis ludorum evolvere, lites,
Ancipitem palmam Quintilianus habet.

Quinta est Quintiliani declamatio ÆGER REDEMPTUS, cui contradicit Ennodius. Thema autem controversiæ, quod apud Quintilianum iisdem pene verbis legitur, et principium, quorum utrumque in vulgatis libris desiderabatur, ex antiquis adjecimus.

ratur : ergo pompam, quam probitas defensa parturiet. Procedat contra eloquentissimum virum cœlestium favore munita simplicitas : de fiducia partium nostrarum oritur quod audemus. Vos tantum, principes viri, benignitatem vestram, salva aurium animorumque cautione præstate : ne cothurnus ille sublimior, oris facultate qua prævalet, in possessione sua credat esse victoriam. Quid est aliud adversus ejus impetus nos juvare, nisi peregrinantem reducere post intervalla justitiam ?

Principium. Gauderem, cognitores amplissimi, evasisse me pedorem carceris, vincla piratarum, nisi regresso mihi myoparonum loco pater existeret. Quærit a me alimenta, quem nec auro ab hostibus, nec lacrymis liberavit. Putat quod illi debeat regressus ejus proficere, quem cum potuit non redemit. Frustra pastum beneficio legis imploras, qui factis tuis naturæ jura solvisti. Exhiberi victum patribus jus decernit : non est tantummodo sacramentum istud in nomine. Dicat vel pirata, si pater es. Meliorem me fuisse mortuo sæpe cum loqueris, nunquam ostendis esse, cum judicas. Viam culparum germani decedentis attendite : ipse magis genitoris moribus paruit, qui prælatus est; ego quo omine vitam meam per extraneos ab istis actus exegerim, declaratum est cum me pater prædonibus sponte dereliquit. Valida sibi videtur adversus sobolem argumenta proponere, cum propensiorem gratiam meruisse jactet culpabilem filium, et proximum sepulturæ. Quæso, judices, pronuntiate quid debeam. Interim clarum est me et cineribus vitiosi fuisse postpositum. Non erubescit quidquam ab eo auctoritate parentis exigere, in quo esse noluit quod vocatur. Utinam mihi ad hos usus valetudinem piratarum catena reservasset ! facerem præbitione indebiti alimenti patrem meum pudore captivum, ut injustus arbiter de propriæ gemeret iniquitate sententiæ. Cibus enim qui ab illo præstatur, cui nihil boni mereris, exhaurit : jejuna sunt saturitate sua viscera, quæ non habent conscientiam beneficii ante collati. Nescio quid de duobus filiis homo ille spei suæ residuum putet, qui unum terræ reddidit, alterum passus est in perpetua raptorum dominatione servari. Accipiat, nisi confunditur, quidquid exhausta suppliciis membra gemuerunt. Non novi quid senex a debilitato flagitet : interea quod adverto, sumus ambo pascendi. Quid mihi rationem modicæ facultatis adducis in medium : qui unum redimere voluit, sic substantiam suam vendidit, ne pretium pro utroque sufficeret: quis infelicitatem meam, quis miserias possit exponere? cui post Cilicas et ipsa quam resumpsit esse fertur libertas obnoxia? Dicite quæsumus, judices, si et in patria mea debitores pronuntiabimur, quid evasi? Addidit creator sanctissimus dolere me quod emisissent vincla germanum. Quasi vero tantum a nobis exigat natura servitium, ut compenset erepti fratis hilaritas quod remansi. Amorem debemus carnis sociis absoluti : credite dicenti manifesta : nesciunt intrare de altero gaudia hominem pro se timentem. Illud enim improbati more

A clamat examinis, ditiorem esse quodammodo a quo aliquid poscitur. Talem technam in supplicationibus fucata servat urbanitas, ut utatur composita humilitate pro jaculis : quatenus commanto superbæ abjectionis nihil ei relinquat liberum, qui rogatur. Licitatum pro ambobus censum testatur, quem pro uno constat expensum; exspectat geminam gratiam de beneficio singulari. Nescio utrum quærendum sit quid cogitaverit, cum apud universos liqueat quid fecerit. Exhausit partium tuarum defensiones pirata, qui de nobis præstitit optionem : teneat quæ sola desideravit sepulcra de filio pater, qui tantum moriturum redemit; nam qui sano languentem præposuit, denuntiavit se horruisse victurum : quid de superstite

B poscas, nescio, habens in consolatione lacrymas quas emisti.

Narratio. Perpetuo, judices, honestatis culturam et in ætate peccatis amica servavi : subtrahens impensas desideriis puerilibus, unde posset ævi gaudere maturitas. Hujus rei frugalitate fecimus ut remaneret patri quod pro luxurioso filio posset offerre. Quid de patrimonii exilitate causaris? si par moribus exstitissem, usque eo perducta res fuerat, ut neuter potuisset absolvi. Inæqualis est arbiter, qui proficere voluit alteri quod nostro pudore condidimus. Quantum asserit paterna districtio, causa nobis diuturnæ captivitatis probitas fuit. Sanus diligens, patri fratrique sedulus, talis reduci non meretur in patriam : et nisi exstitissemus una sorte

C captivi, sorduisset suspicione nostra regressio : æquales calamitate fuimus ; sed patris amore distantes. Felix luxuriæ suffragio juvenis, et ante magnam partem communis exhausit substantiæ, et ipsi profuit quod remansit. Me miserum, et semper paterna judicatione captivum ! Prolusi in pace ante quod pertuli ; et dum recti iter teneo, indicio parcimoniæ, qualiter inter hostes viveretur, agnovi ! Hinc est quod, cibo quem ministravit feritas illa contentus, vixi inter ultima solatio consuetudinis, non humanitate raptoris. Quæro qui me servavit usus ille frugalior, si æqui observantia patrum meretur offensas?

Objectio. Quid quod barbarus dixisse se perhibet, Unius pretium pertulisti? debitum semper accipiunt

D objecta responsum. De nulla pependisti auctione sollicitus : aurum quod exhibueras ante preces inimicorum oculis obtulisti. Dum sic tibi universa procederent, a nullo potuit ambigi quo sufficeret desideriis tuis unius liberatio. Mox tamen ut illa intra repleta squalore mortis intrasti, quid esses electurus, antequam optionem tribueret pirata, cognovit : non descendit ista de amore trepidatio; nihil ostendit ambiguum, qui de duobus filiis per omnia signa diligentiæ, quasi ad unum venisset, annuntiat. Post egressum tuum fortiores me arctavere custodiæ : divinitati gratias, si libertatem meam et hic tutaverit, quod evasi. Tua interim ad inimicos vocem videtur emisisse sententia, nisi studiose quem relinquo servetur, elapsurus est. Diis ducibus fuga nostra ante oculos hostium locata efficax fuit.

Excessus. Præterea, ut est fandi locuples pater, et vivendi diuturnitate didicit præsentare quod loquitur, callens impenere necessitatem mentibus per auditum, dicit omnibus in humanitate degentibus cibum esse communem, et ab uno flagitat quod non licet quemquam negare, generaliter allegans deberi universis quidquid terra produxerit. Sed quando in communem usum seges triticeam sobolem et liquorem vineta fundebant, nec viritim tellus erat distributa cultoribus : nullus inter hostes filium sic reliquit, ut crederetur gemitus prætulisse servitiis. gnoro, judices, postquam elegerit lacrymas, de superstite quid requirat. Sed metum nobis legis objectat, et quod inter parentes et liberos scriptum est, sibi deberi vult, qui nihil exhibuit de parente. Voluntatem nostram, dum cogimur, quærit; et desiderat hoc nos exhibere pietati, quod ipse professus est excusantem non posse negare formidini. Nunquid misericordiæ locus est ubi instat imperium? quod non licet subtrahi, non possumus dicere liberalitate conferri; clementia nisi ingenua non vocatur : quidquid non dare prævales, ceu intermunus computa, si dedisti. At frequens nobis naturæ iteratio et sanctum creatoris nomen obsistet, quasi usura lucis, dono parta cœlestium, inter illa quæ ab hominibus tribuuntur possit ascribi : sacrilegium est superorum indulgentiam semen dixisse mortalium, de sola habet libidine testimonium pater crudelis. Jungit etiam oneribus meis, dum reposcit solatia destituti, dicens sibi civitatem potuisse succurrere, ni redissem. Quid aliud voluntas ista manifestat, nisi ut rursus me pirata suscipiat : si gravis est inempta visio prolis tuæ ; certe, vel quod soles magno comparare, meum bustum sine pretio possidebis : ætas quidem pollicetur vitam, sed tormentorum magnitudo, quam acerbiorem te digresso pertuli, promittit exitium.

Exempla. Deinde protulisti exempla paterno digna proposito : sed interpretatione viluerunt : quasi ætas cana desideriis tuis formam, et non imitationem sanctis præstiterit institutis. Quid magni Æneæ humeri ponderis de creatoris fasce senserunt? aut pressit filium corpore, cujus ipse fuit sæpe bajulus actione? Vis scire quia eripi de hostibus meruit? ante oculos locatum est quod noluit, ne gravaret, credens sibi sepulturam procumbentis Ilii ruina præstari : et ne procedentem natum vita digniorem senilia membra retinerent, occasum civitatis dixit satis esse pro tumulo. Ille prædonibus evadente filio remanere voluit : remeasti ad patriam tu relicto. Quid nobilia Scipionis pro genitore suo facta commemoras? cum ille pro auctore sedulo dum se obtulit, totum dedit, sed non consumpsit universa quæ debuit. Semper votorum bonorum est causa consimilis, nec discreta sunt studia benignitatis. Pronuntiat quid de filio mereatur, qui eum ad officia naturæ, nisi coactum, æstimat non venire. Vincla, nisi paream, lex minatur : quid refert? Ad hanc me consuetudinem suppliciorum a te procurata formavit diuturnitas, quamvis longa pœnarum tolerantia non faciat contu- A macem. Miror tamen, nisi quod effugi de barbaris pater intulerit : nihil est unde declinentur prædones, si sors ipsa sequatur in patriam, una est, quantum video, genitalis soli et peregrinationis adversitas, nec dispar amaritudo redeuntibus et captivis. Nequaquam tamen quid intersit invenio, nec quæ potissimum cervices meas catena nectat inquiro : rigentis ferri nexus incurram, aut gulæ vectigal exhibeam, una conditio est. Jejunus epulas portabo satiato, et, quod est deterius, non amanti. Quantis oblata a me projiciet alimenta fastidiis? quo devotionem meam rancore calcabit? homo quem misericordem habere, et dum essem inter extrema, non potui. Ex æquo me et germanum meum redemptione litteris poposcisse denuntiat, paribus absolutionem B implorasse lacrymis, in simili epistolas constitutos sorte dictasse. Non renuo, non refuto, habeat de hac objectione victoriam. Illud tamen flagito, quæ causa fecerit ut quod duo poposcerunt, duobus est debitum, unus acceperit? Pro utrisque maria intrasti, et liquentis elementi minas, quantum asseris, pietate duce transisti. Quis de gemina caritate credat homini cum uno redeunti? Nunquam misericordia nisi periclitata laudatur; quo pudore cessante effectu prædicatur affectio? Nunquid semper secretum pectoris innotescit veraciter clave sermonis? pietas quæ non etiam muta rebus tenetur, ostentum est. Inter omnes homines inconvulsa amor radice subsistet, si valet ista jactatio. Lex dicit : *Aut alat, aut* C *vinciatur.* Clamat pater : *Pastus iste parenti, vel si non redimat, jam debetur.* Ad has te equidem partes, cum ab officio cui eras per naturam obnoxius cessaris, armasti; proficit ventoso munimini, quod genuinæ negatum est turpiter puritati. Crede mihi, lex cum parentem locuta est, non tacuit redemptorem : hortata est, jussit, extorsit universa sufficienter impleri religiosi operis sacramenta per nomina. Calamitas mea sensus tuos ad hujus rei intellectus obnubit : redemptio filii quæ est in diligentia necessitudinis, esse non potuit in præceptis. Impietatem meam, et in liberatione fratris invidiam, dum Ledæa pignora laudas, accusas. Nescis quia si inter illos tuæ distributionis processisset æquatio, generasset errorem : nam unum in perpetuo decore lucis, alterum in jugi D noctis possessione damnasset. Mentior, si alia judicia tua exstitere de filiis. Quidnam esse censuisti, cum unum nunquam habiturus pirata dimitteret, alium nunquam relicturus quasi patre tradente retineret? quidquid post oculos tuos in illa ferali terra sustinui, a te processisse non dubito. Spes mihi universa consumpta est, postquam inerme de solo barbarico redemptor abscessit. Quas naves ad littora inhumana tendentes non primus inspexi, et quidquid vanescente visione non sequebantur oculi, mente comprehendi? quia sagacius inscipiunt aliquid, qui promptius præstolantur. Quotiens ante adventum tuum, si quando nos lustrare aerem pirata permisit, in extraneis mihi personis pater occurrit, et vidi has quas sibi amor sine mentiendi dedecore pingit effigies? His imagini-

bus diu sollicitata corda feriuntur. Heu! quotiens renuenti mihi cibos quos pirata præstabat, hac barbarus consolatione subvenit. Nil metuas, nil de hac afflictione suspires : si creator tuus superest, parum a libertatis statione sejungeris. Ecce aliquando adfuit sors cupitis, alacer mihi adventum istius et prædo nuntiavit. Non longe fuit ab integræ amore clementiæ, qui redemptorem lætus excepit. Non habuimus, judices, dominos inhumanos : fuerunt qui potuissent et prece molliri : si auri inopiam compensassent lacrymæ, uno tempore utrosque reduxerat; testatus est noluisse fieri, quod non est magno precatus impendio. Expendite, quæso, quid a me jure postulet, qui mihi in ultimis nec supplicatione subvenit. Adjecisti quod privilegiis naturæ munitus sis, et quod in me deliquisti non liceat vindicari. Sed non habet innocentiæ prærogativam, qui defensionem suam locat in apice. Insons actionis luce niteat : citra dissimulationem crimina confitetur, qui in hoc tutelam suam æstimat quod præcedit : reos nulla defendit auctoritas ; in facinorosis sacramenta nominis evanescunt.

Epilogus. Et hoc, sanctissimi cognitores, ita post custodias latronum alio labore pectoris allegavi, quasi, etsi essem debitor, valerem exhibere quod poscitur. Non considerat spoliata carnibus ossa, dominorum inhumanitate sordentia, et patefacta per carnifices naturæ secreta non respicit. In corpore meo in lucem quidquid homo est protulerunt tormenta, et penetralia viscerum instante cruciatibus barbaro, cum pater mihi dedignaretur adesse, vulgata sunt. Modum transit atrocitas, quæ vel in debitis exigendis non principe loco vires interrogat. Tu cum videas ætatis in me valetudinem miseriarum fasce mollitam, cum ævi robur multiplicium calamitatum varietate contritum, cum et necessitate senectæ habeam et invidiam juventutis, non a me desistis poscere quod et hostis remisisset exhausto. Tu accipies tributariam functionem, et adhuc me magnitudine nominis, et genio parentis incessis, cum miserationem quam debes cuicunque homini, despicias exhibere vel pignori. Superna dispensatio hac intentionem tuam mercede locupletet, ut rursus prolis tuæ funera votiva respicias ; et qui gravaris de vivaci præsentia, desideriorum summam capias de sepulcris.

DICTIO XXII.

CONTROVERSIA NONA.

Præfatio.

Copiose quidem egregius adolescens inventorum suorum divitias in ordinem digerens, verborum quoque ubertate ditavit, et quæ pro religione esse credidit, digno reverentia ore deprompsit. Sed procul opinionis insidias cessent malignorum commenta tractatuum. Nos contra Aratorem dictionis pectus opponimus. Sed nec erumpentem in lucem laudis palmitem inimica falce truncamus : sed quem verborum callem sequi debeat demonstrantes, scimus in illo nobis clarius, si eum præferri contigerit, triumphandum quia de nostris hausit quidquid Deo amplificante de scientia opum largius effuderit.

THEMA LEX.

De capta civitate hostium sacerdotes et Vestales virgines liberi dimittantur.

Post secundos bellici certaminis eventus, inter triumphos et laureas vires habere non potest lex ad resistendum recitata victoribus. Quid gladiis per affectionem mortis egimus, si erit quod post prælia formidemus ? Jacet ante oculos meos quidquid hactenus minabatur exanimum, et postquam fusa est inimica congressio, nescio quid nobis afferunt defunctorum principum decreta terroris. Nescit probatæ qualitatem virtutis expendere, qui de chartarum freno superbit armatis. Acquiescant istis inertia corda repagulis ; ego quidquid mihi licentiam tollebat, ense dispersi. Illud tantum potest nobis quisque negare, quod nolumus. Illud contentus sum habere terminum, ad cujus me transgressionem desideria non vocarunt. Mihi quidquid prævaluero habere lex tribuit. Otium et toga denegnantes aliquid ferant : mihi totum natura peperit, quidquid in procinctu constitutus extorsero. Sola nobis scripta jura sunt, nil timere. Et hæc quidem auribus vestris, quasi bona esset formula quæ objectabatur, asserui. Nutrix tamen virorum fortium lex, vindex libertatis, patriæ munimentum, jubet post certamen heroas suos reci divam intentionem habere de præmio ; et gestis non contenta felicibus, dum tollit sudoris pretium, frangit studia dimicandi. Ergo ne bona sunt præcepta quæ ne boni efficiamur occurrunt? Quæcunque fructum adimunt laborum, censores prudentissimi, de aliena nos facultate castigant. Nunquid æquum est habere valetudinem sanctiones de externo jure conscriptas ? aut videtur rationi vicinum spem de futura possessione præcidere ? Quid nobis religionis in sacerdotum personis opponitis ? Deo duce, quem in illis veneraris, obtinui. Cujus intuitu desideras eos de jugo nostræ servitutis evadere, ipsos noveris teneri illo imperante captivos. Contra superos nititur qui quoscunque illorum sententia prosternit extulerit : quos festinas eripere, nequaquam fuerant effecti hominum, si meruissent ministri esse cœlestium. Ecce tecum de sapore legis, quasi non habeam quæ responsi loco objiciam tela, contendo. Quam justitiam putas in illa jussione, quæ ut hostem fulciat socio imperia propagantes addicit ? Tolle spem prædæ, tulisti vota certaminis ; et si defrudatur genius laureati, ad pœnitentiam rediet quidquid contemptu lucis expetiit. Facessat a prudentibus æquitatem hujusmodi non dico lege, sed tyrannica inscriptione requirere, quæ ingrata numinibus, inimica virtuti, contra fas et justitiam pugnat mentito colore pietatis. Nescis, loquacissime hominum, quam justus dolor de amissa laboris fruge nascatur. Hoc est dicere, quidquid diis ducibus acquisistis, eripimus. Vidi urbem inimicam quasi uno incendio senescentem, et illas cœlicolum sedes desertas et spoliatas divinitate prosterni : et putas remansisse quidquam quod non debeat esse victoris? Quid quod ipsa frivola et inanis constitutio obscuritate confunditur ? Dicit enim, sacerdotes vel Vestales virgines debere libertate gaudere. Credo

illos nominat in quibus domicilium suum esse cœli habitator ostenderit, quos majores esse hominibus ætherius favor sua luce signaverit. Indicit eorum reverentiam quos agnosci volunt divina pontifices. Vidimus miseros quos tuetur iste inter favillas lapsæ urbis de sola exspectantes lamentatione præsidium, et, nihil habentes fiduciæ de proposito, inter turbas captivitate pressas errare. Non illis erat divinus splendor in vultibus, non quæ officium nuntiaret hilaritas. Nesciunt inter adversa turbari, quibus in sæculi tempestatibus de innocenti conscientia portus occurrit. Vidimus afflictiores cæteris trepidantibus, quibus nuda nomina lex ridenda concedit. Quis remansit locus in meritis, si sacramentum istud solo restat in titulo? Dici credo aliud esse pontificem. Vidi sæpe ante confectas jejuniis facies directa in jugulum tela cecidisse, et retusos ab inermibus gladios rigentem perdidisse naturam. Si creditis religiosa dicturo, non fuit templorum minister, qui inter quælibet discrimina humano eget auxilio. Scit supremus arbiter possessionem suam nova luce vestire. Non latet cœlestis illa permistio ; et quamvis humanæ fragilitatis tunica vestiatur, effulgorat. Quid quod ipsi parati ad famulandum veniunt, qui trahi ad servitia non merentur? Hac extremitate qui indignus est, non rebellat. Occurrunt ad obsequia, quorum mens est digna culminibus ; et pervicaciam mortalitatis eliminant, quos nefas est ad inhonesta constringi. Isti tui pericula, si nequaquam absolvi mereantur, intendunt. Non possunt subtrahi hominibus. quos non intelligimus quidquam amplius habere de hominibus. Juvate me, socii, juvate consortes : et garrulitatem impugnatoris mei auxiliante veritate comprimite. Agitur res de qua quid senserit superorum sententia jam tenemus. Addicantur immeriti, ut bonos possimus habere antistites. Instituantur per istos quos suos esse non conciliatrix fabula, non incerta defensio, sed ipse summi Dei fulgor enuntiet.

DICTIO XXIII.

[1] *In abdicatum, qui, patre necato, matri quoque insidiabatur.*

CONTROVERSIA DECIMA.

Postquam, judices, abdicatus filius, in justi exsecutionem doloris, patris factum, matris consensum, gladio vindicavit, turbare se æstimat innocentiam cognitorum, et aliquid de manifesti facinoris absolutione subripere. Nescimus quæ in defensione sui verba commentitia sceleratus inveniat, ad cujus nos confutationem vulnus ostendimus. Malo perseverantiæ
A perditus filius, postquam necavit patrem, opinionem matris contendit exstinguere : dolens quod evasimus pugionem, telo famam insequitur, cui pro sexus verecundia plus timemus, Non ruptum patri, non scelerati iter ostendimus. Ille contra verba non pœnitet. Ne quod nobis fidum videatur exstitisse subsidium ad sententiam suam traxit parvulum nostrum, quem fuci nescium fabricata verborum arte subvertit, faciens et illum perire, qui putabatur esse residuus. Quid præstigiis nudam desideras velare justitiam? nec odiosus parcere potuit, nec quem mentiris amasse, percutere. Nunquid argumentis opus est, ubi factum suum propria voce veritas testatur? perdidisti spem defensionis, cum genitricis ferro membra describeres. Sed licet procurator formosus et nitidus, nos ad hæc
B inspicienda oculos non habemus.

DICTIO XXIV.

Ex tempore, quam ipse Deuterius injunxit.

ETHICA PRIMA.

THEMA.

Perfunctus pelago Diomedes, tutus et arvis
Naufragium deflet, quod sine lympha fuit.
Quam propter varios contendens vicerat æstus,
Uxor ad alterius transierat copulam.
Causa querelarum simulato nomine vera est.
Hujus verba, precor, comite vos placidi.

[2] ALLOCUTIO.

O numina, si vobis non eveniunt cuncta disponentibus, divisa potestas est, aut et malorum estis au-
C ctores. Quod si humanarum rerum quemquam ex numero vestro cura sollicitat, felicitatem mihi redeuntis tribuite, aut errorem quem finistis ingrati. Si cœlum vocanda piorum possessio, si propter momenta lætitiæ mortalibus orata tribuuntur, nolite beneficiis vestris sociare vindictam. Cur taliter ad effectum vota tetendimus, ut pararetur cœlitum suffragio de occasione prosperitatis adversitas? Reddite, quæso, propitii incommoda quæ tulistis ; restituatur pelagus, ne terreno pereat fama naufragio. Secundis rebus proximum est quæcunque accesserint mala nesciri. Ignominia quæ me in facie perculit, non tetigisset absentem. Uxorem, pro nefas ! nisi ad eam rediissem, amisisse non crederer : inflexit statum meum abjurata calamitas. Stationi proprior fuit liquentis error
D elementi : portum in genitali solo perdidi, quem sæpe in vasti gurgitis sinibus acquisivi. Hæccine est domus optata, cujus desiderio periculorum promittebatur oblivio, cum spe sequentis gaudii præsens malorum poterat forma nesciri? Cui unquam de miserarium terminis sunt nata principia, aut de perfun-

[1] *In abdicatum*] Titulo caret in duobus antiquis : in tertio, qui recentior est, inscribitur : *Iuvectiva in Orestem qui occidit Clytemnestram matrem*. Sed deceptus est quisquis hujus inscriptionis auctor fuit, argumenti similitudine. Nam Orestes matrem occidit, non patrem : hic autem patrem necavit, matrem non potuit. Quare indefinite scripta est in filium abdicatum : cujusmodi aliæ complures sunt apud Senecam, Libanium et alios in abdicantes vel abdicatos, ἀποκηρύττοντας ἢ ἀποκηρουττομένους.

[2] *Allocutio*] Quam ethopœiam a Græcis dici monuimus, eam Latini sæculo Ennodii allocutionem vocarunt. Sic enim et Priscianus in Præexercitamentis rhetoricæ : *Allocutio est imitatio sermonis ad mores et suppositas personas accomomdata, ut, Quibus verbis uti potuisset Andromache Hectore mortuo* : quod est apud Libanium, τίνας ἂν εἴποι λόγους Ἀνδρομάχη κειμένῳ ἐφ' Ἕκτορι. Hoc enim modo Græci ethnicarum dictionum themata proponebant. Latini in hunc fere modum, Verba Diomedis, cum Ægiales uxoris adulteria cognovit.

ctis casibus evenit exordium? Aliquando optata contigit non amari? aut accessit ut hominem læderet fuga discriminis? Me novis semper pessima ictibus fortuna perculit: cujus si in deterius vergit mutatio, simplicem nocendi fervet speciem, ne successionibus insolescat. Uxorem, malorum comites, habui ad pudicitiam naturæ luce transmissam, cui splendor oriundi creverat institutis, ut gemino defensa propugnaculo nullatenus facinorum crederetur ictibus subjacere, nec dura castimoniæ obscenitatis evisceratione mollire. Illa nunquam fulvum metalli quæsivit ornatum, nec pretiosorum candore lapidum nivem corporis imitata est, non ulla habuit decoris adjumenta, dum placuit, scivit conjugalis jura sacramenti fucatis studiis non juvari, nec obligatum tenuisse conjugem, quando alium præter eum qui descendit a moribus quæsivit nupta fulgorem. Mansit illa educandorum pignorum servitus libera, dum talem se præbuit, quæ et desiderari meruerit, et virum nunquam putaret absentem. Illa sexum mentis firmitate duraverat, dum illa muliebris imbecilla consilii de virili ceperant auctoritate substantiam. Jam lapsibus ordinis sui doctrina medicante repugnabat, et translata in usus alteros feminarum ridebat excessus. In summa, talis periit, quales solent a meritis lacrymas impetrare. Circæo, ut aiunt, poculo a se translata est, et in votum migravit adulteri. Sed quid agamus inter anxia et incerta deprehensi? Recipiat nos pro remediis exosa navigatio, lassatæ manus rudentibus stupea rursus vincula meditentur; hæreat clavis dextera, ut frenatæ puppis per gubernaculum jura moderetur; depictus sideribus axis reddatur aspectui; dispositionis nostræ itinera noctium dirigantur indiciis. Sit solatium luminibus meis, si profanati non videatur terra conjugii: fugiamus patriam, in qua tale effectum est matrimonium nostrum, quod et amisisse pudeat, nec audeant vota recipere.

DICTIO XXV.

Verba Thetidis, cum Achillem videret exstinctum.

ETHICA SECUNDA.

Intercepta est pio quæsita fraus materna consilio. Invenerunt Achillem nostrum fata et ab alia natura subreptum, nec profuit quod sexum quem ei origo dederat astutia commutavit; feminam diuturnitate non didicit, et viri fortis animum mollis consuetudo servavit. Quis credat inefficacem fuisse provisionem, quam et dea et mater invenit? Non est præmium immortalitas, quam nec genitrix transmittit ad sobolem, nec per eam quod filium casibus furetur occurrit. Ut nunquam doloribus subducamur, numina sumus. Quæ est ista conditio, quando de penetralibus viscerum nostrorum quod letho serviat exhibemus? Cœlicolum potentiam aut liceret posteritati conferre quod possidet, aut caris descendentibus pro lamentationis termino daretur occumbere. Inferiores hominibus sumus quibus similes paremus: in hoc deterius Parcarum ludibrio subjacentes, quia nescimus exitia pignoribus obligatæ. Superorum maxime, aut prosapiem nostram subduc fortuitis, aut nos pro beneficii collatione submitte. Liceat pro caro, si non vincimus interitum, vel subire. Stat ante oculos meos orbitas, idcirco deterior, quia illam pro æternitatis meæ sublimitate præscivi. O lugendam numinum felicitatem, cum illud quod de adversis ignorari non licet, non donatur avertere! Recordor præteriti sollicitudinem temporis, et curas meas quibus nequidquam invigilavi reminiscor. Quid profuit Stygiæ paludis auxilio nati corpus armatum, dum illud quod a nobis sumere debuit quæreremus a gurgite? In membris prolis nostræ, quem dea tenuit, locus est vulneris. Cur non laxioribus digitis lympha se miscuit, ut ex toto exclusisset ictus superis unda sublimior? quid etiam juvit Chironis elegisse magisterium, qui ætatis lubricum doctrina solidaret? Credo diversis institutionum callibus, ut bellum filio placeret, invenimus: apud monitorem fortissimum actum est ut vires quæ sequebantur consilia non haberent. Quis miscendum feminarum latebris virum saporem vellet haurire certaminis, et inde provideat pignori, unde facit perire quod providet? Jam duratas spiculis manus ad calathos frangebamus, et illos humeros quos spoliati leonis terga calefecerant, auro distincta vel murice palla claudebat. Non facilis transitus fuit, juvenem nostrum puellam post gustum laudis imitari: nec astute componitur, quod non in teneris ætatis primordiis imperavi. Sed quid transacta recolo, cum animum futuræ calamitatis pulset immanitas? Video Trojæ fumantis excidia, et statu eam manente subversam; video Hectoris prælia acerba Grajugenis, qui idcirco crevit opinionibus, ut soboli meæ, dum occumberet, triumphi cresceret ad pretium; raptatum quadrigis adhuc bellaturi corpus agnosco, et Achillis mei minui commodis, quod de pondere decrescit exstincti; video, quod iræ proficit, perire compendio. Sed quid his laudibus pascor orbanda? reliqua silentio tegam, ne ante doloris tempus narratione conficiar. Habeat consolationem de taciturnitate æternitas nostra, quam non habet de natura.

DICTIO XXVI.

Verba Menelai cum Trojam videret exustam.

ETHICA TERTIA.

Etsi gravibus dolorem meum raptor inflammavit incendiis, etsi pertulimus faces injuriæ, debito tamen rogo immensi auctor sceleris cum conjuncta sibi universitate consenuit. Pene felix contumelia est quæ talem meretur, etsi cum maximo sudore, vindictam. Quis respuat suscipere necessitatem triumphi termino concludendam? sapor sequentium amaritudinem rei præcedentis excludit: dulce fit quod doluimus, quia doloris nostri pœnitet provocantes. Abductæ mulieris turpiter occasio nostri exstitit mater augmenti; peperit a nobis sequestrata uxor imperium, et de adulteri complexibus nobis edidit patriam quam tenemus; qui riserunt cælibem, videant superba hostium colla calcantem. Habuimus conjugem honestis per longum moribus institutam, alieni ignaram contubernii, quæ non optaret desiderare quod non licet. Non illam usus præcipitavit in vitia; sed scelerati prædonis impulsu secuta est Paridem voluntate ca-

ptiva. Nunquam ad hoc illam erexit forma conscientiæ, ut se crederet adamari : quia, ut confidimus, turpissimis sunt moribus quæ pulchras se esse meminerunt. Talis ultio decuit magna peccantem ; funditus procubuit, qui sibi venerandæ sumpsit culmen uxoris. Talibus utere, adulter, hymenæis. His te Alecto pronubum sectatur insignibus ; et placari nos sic convenit, et Paridem sic perire. Dictavimus matrimoniorum jura non sermone, sed gladiis, præsumptionum segetem ultrici falce vastantes. Multis ad conservationem proderit, nos perdidisse conjugium. Dicite, quæ ubicunque accepistis nomen uxoris, si non, quotiens vitia subripuerint, Menelai et nomen et virtus occurret. Quibus non est in studio pudicitia, erit, ni fallimur, in necessitate ; et par per omnes disciplina servabitur, ubi unam formam et volentes custodiunt et coactæ.

DICTIO XXVII.

Verba Junonis cum Antæum videret parem viribus Herculis exstitisse.

ETHICA QUARTA.

Tandem aliquando qui judicio nostro responderet inventus est, qui de inimico nostro, et dum vincitur, triumpharet. Herculeæ vires, nisi eliserint, non jacebunt : quem providimus, et de casibus est superbus. Stat propriis magnus viribus, sed erit maximus per ruinam. Nescio utrum Hercules valeat par esse, vel si Antæum non liceat ulla ratione prosterni : at si hosti nostro blanditur adversitas, nos ad laureas pervenimus. Scimus futura, sed convenit superos loqui quasi humana mortalibus. Provideat Hercules quid eligat esse faciendum. Vincendus est congrediente inimico, vincendus est et jacente. Qui venena lusit in cunis, qui pacavit Erimanthi nemora, qui cervam velocitate præcessit, optionem habeat quid sequatur : aut hostem periturus dejiciet, aut si certamen metuerit, cum suis cautibus jam sepultus. Lernæum periculum, nisi fallor, orietur de consummatione certaminis. Quis non credat nihil superesse quod peragat, cum humi fusus aspicitur ? At nostræ partis intentio de oppressione suscitabitur, et augmentandi roboris causam feliciter pro inimico perfuncta res suggeret.

DICTIO XXVIII.

Verba Didonis cum abeuntem videret Æneam.

[1] Nec tibi diva parens generis.

ETHICA QUINTA.

Quantum docet inclementia, perdidisti testimonium A generis, quod opinione mentiris. Constat Veneris non esse filium nil amantem : ordo rerum est ut prosapiem mores annuntient, et quo quis auctore in lucem venerit, ejus facta sectetur. Diva Idaliæ nescientem respondere beneficiis non agnoscit. Non fama filios, sed conversationis monstrat æqualitas : si diversa sit conscientia, vix credenda est esse soboles quæ vocatur. Te potius Caucasei rigoris prærupta genuerunt, aut conceptum in recessibus montium saxea alvus effudit : et ne dira nutrimentis natura mollesceret, [a] eripientes [2] salutem Cytheris Hyrcanæ tigrides alimenta præbuerunt : nutrivit te illa feritas quæ trucidat. Nam quid mihi dissimulatione pollicitor ? aut quid sperando meliora sustentor ? Non reddidit fletibus lacrymas, quas ejus amore torta fundebam : non B gemitus meos propriis mens cruenta est consolata suspiriis. In doloribus meis, quod unicum est remedium, non exhibuit pari dolore collegam, quia pene [b] solus est in ætate terminus invenisse participem. Sed quæ eloquar nescio, quæ relinquam. Hæc nec dexter Junonis oculus, nec summi Tonantis patietur aspectus, ut pro tot impensis sequestratione consumar, nec aliud pietate promoverim, nisi ut merear non amari. Heu fides ab universis proturbata mortalibus, et quod hactenus numinibus homines jungebat, expulsum ! Suscepi [c] miseranda naufragium, et ejus ditioni reginam subdidi manente felicitatis sorte captivam : feci ut ageret dominum profugus imperator. Nunc furore succensa discrucior, quare possessor me deserat, ingemisco. C Ergo Apollinis vocatus auguriis abscedis, et sortis Lyciæ casum certis et apud te jam manentis præponis imperiis ? Scilicet cœlestibus crudelitas ista procuratur auctoribus, et interpres superorum ad hos hominem compellit excessus, ut diligentis littora quasi solum hos ile diffugiat ; ut per tempestates salutem prodat, qui solum fugit affectum. Vade, ulterius non morabor. Habet vindictam mei via qua deseror, habebit pelagus in furore judicium ; raucos tumentium procellarum æstus exaudiam ; vocabis inter pericula Didonis nomen, quæ et fuit portus, et præbuit : aut certe, quod timeo, ne dum vindicor me vivente moriaris, eventum expetitæ, navigationis post usuram lucis agnoscam. Vide sceleribus indebitam mercedem : perire innocens ante cupio quam merentem.

D

Durus et indomitus Veneris se semine cretum
Jactat, et abjurans collaudat stemmata divæ.
Edidit ergo Venus fugientem nomen amoris,
Pectoris et rabidi fudit clementia virus.

[1] *Nec tibi diva parens*] Hos locos Virgilianos appellabant, cum Virgilii versus pro declamationum themate sumebantur. Talis est metrica exercitatio quam in vetusto codice Pithœano vidimus, Coronati V. C. hoc titulo et principio :

THEMA, LOCUS VIRGILIANUS.

Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco ;

V. C. CORONATI.

Aspera diverso laxatur vita dolore,
Et morti vicinus eo, vivitque dolori
Ægra salus : nostras cruciant dum flamina mentes,
Vitæ flatus abit : quantos post Pergama casus
Vidit item prædata manus : quos sæpe dolores
Pertulit, atque iterum, quas sensit Troja ruinas ?

et quæ sequuntur. Nam vitiosi codicis mendæ progredi vetant.

[2] *Salutem Cytheris*] Fortasse, *cæteris*.

[a] *Eripientes salutem* Cytheris] Veram esse lectionem *cæteris* sequentia docent : Nutrivit te illa feritas quæ *trucidat*. Barth. *Adversar.* pag 932.

[b] *Solus est in ætate terminus*] Rectissime V. C. Schottus, *in anxietate*. Id., ibid.

[c] *Suscepi miseranda naufragium*] Leg. *naufragum*. Id., ibidem.

CARMINA.

LIBER PRIMUS.

I.

[1] ITINERARIUM BRIGANTIONIS CASTELLI.

Celsior astrigerum Titan conscenderat axem,
Lampade cum plena totus in orbe patet.
Flammiger ardenti sorbebat flumina Cancro,
Cum segetem messor falce domat propriam.
Siccatur dum fonte bibens, dum mundus anhelat:
Jussus in occursum Gallica lustra sequi,
Torrida non timui quæ vincunt arva Syenem.
Pulvis, flamma, sitis, dos fuit obsequio.
Quid jubar, et validos renovas mihi, Musa, vapores?
Plus erit algentes me superasse vias.
Quidquid plana calent; quidquid sublimia rigent
Frigoribus, passum dic sine lege poli,
Bellum naturæ, quod discors fecerat annus,
Æstatem atque hiemem detulit una dies,
Indutum nebulis canas superare pruinas
Edocuit [2] Vates fervidus imperio.
Presserat æstivo corpus sub fasce lacerna,
Vestitus tenui tegmine nudus eram.
Cum fugit ex oculis constanti tempore tempus.
Lampada nam Phœbi dux fuit ad glaciem.
Optanti brumam devoto contigit horror,
Quæsitusque calor nil dedit indicii.
Matronas [3] taceo, scopulos atque invia dictas,
In foribus blandas, cætera difficiles.
Illexit miseros facies depicta viantes,
Calcatæ diras mox peperere neces.
Nominibus propriis nil fallit sacra vetustas,
A Tot leti formas sic vocitare volens.
Scrupea descissis pendebat semita plantis,
Nec visu facilis, credite, callis erat.
Quid labyrinthæos priscorum fama recessus
Involvis linguis, quod timeat relegens?
Illic artificis laudandus constitit error,
Cum torsit rectum Dædalus ingenio.
Hic natura homines per summum portat Olympi,
Quo liquidum tranans ire columba valet.
Parcite, Pierides, pelagus fluviale silendo,
Ne reparet sermo, fors bona quod pepulit.
Duria [4] nam Sessis, torrens vel Stura, vel Orgus
Marmoris Ionii sævitiam superant.
Dulcia cum variis succedunt læta periclis,
Effectus rerum cor solidare solet.
B Nil mihi cum dubiis prosunt oblivia tristi:
Ebria lethæo pectora fonte fero.
Limina sanctorum præstat lustrasse trementem,
Martyribus lacrymas exhibuisse meas.
Ecce Saturnius, Crispinus, Daria, Maurus,
Ensebius, Quintus gaudia magna parant.
Octavi meritis da, Adventor; [5] redde, Solutor,
Candida ne pullis vita cadat maculis.
Hostiles laqueos scindat mens conscia recti:
Hoc semper placeat quod decet, hoc liceat.

II.

DICTIO [6] DATA DEUTERIO V. S. GRAMMATICO, NOMINE IPSIUS EUGENETI V. I. MITTENDA.

Gaudia transcendunt vires, vox læta superbit,
C Ingenii maciem prospera non metuunt.

[1] *Itinerarium Brigantionis*] Brigantio Delphinatus nostri oppidum est in faucibus Alpium Cottiarum. Briansonem hodie vocant, quod Βριγάτιον, Brigantium Straboni et Ptolemæo: quo modo etiam scripserat Ammianus Marcellinus, ubi Virgantiam legimus lib. XV Rerum gestarum. Eo igitur episcopi sui jussu tendebat Ennodius Mediolano digressus. Mediolano Brigantionem petentibus occurrunt fluvii et alia, quæ describit.

[2] *Edocuit Vates*] Episcopus. Familiare est Ennodio vatem ponere pro episcopo, ut vatis Cypriani, Ambrosii, Laurentii, Eustorgii vatis, passim. Sic in epitaphio ipsius Ennodii: item Petri episcopi Ticinensis:

> Hic vates Domini, mundo quia corpore vixit.
> Admixtus gaudet cœtibus angelicis.

[3] *Matronas taceo*] Præcelsi verticis nomen haud procul Brigantione: qua parte Galliam spectat qui hodie mons Genevra nuncupatur. Itinerarium Hierosol: *Mansio Ebreduno. Inde incipiunt Alpes Cottiæ; mutatio Rame, M.* XVII, *mancio Brigantium. M.* XVII. *Inde ascendis Matronam.* Ammianus Marcellinus: *In Alpibus Cottiis, quarum initium a Segusione est, præcelsum erigitur jugum. A summitate hujus Italici clivi planities ad usque stationem nomine Martis per septem extenditur millia: et hinc alia celsitudo erectior ægreque superabilis ad Matronæ porrigitur verticem: cujus* D *vocabulum casus feminæ nobilis dedit: unde declive quidem iter, sed expeditius ad usque castellum Virgantiam patet.* Matronam Marcellinum cis Brigantium cum Ennodio locat. Itinerarii auctor, quia iter orditur e Galliis, post Brigantium Genevræ montis pars est, ut dixi.

[4] *Duria nam Sessis*] Hunc versum ex conjectura restituimus, nam in antiquis etiam codicibus depravatissimus erat. Sturam, Orgum, Durias duas, Sessitem Plinius lib. III, cap. 16, in fluviis numerat, qui ex Alpibus in Padum lævo latere decurrunt. Et vero priscis adhuc vocabulis nuncupantur, nisi quod Sessitem Sessiam vocant, et Orgum Orcum: ex quo patet non recte apud Plinium Morgum legi.

[5] *Redde Solutor*] Octavius, Solutor et Adventor martyres tres e legione Thebæa: quorum sacræ reliquiæ in honore sunt Augustæ Taurinorum: exstatque in eos sermo Maximi episcopi Taurinensis.

[6] *Dictio data Deuterio mittenda Eugeneti*] Uterque ex epistolis notus est. Nam de Deuterio grammatico dictum est ad epist. 19 lib. I; de Eugenete quæstore lib. IV, epist. 26. Ab Eugenete igitur hortuli partem petit Deuterius, cujus nomine carmen hoc scriptum ab Ennodio.

* *Quid jubar, et calidos*] Sic legit Barthius Animadv. ad Papinii Statii I, Thebaid. pag. 114, aitque his verbis ab Ennodio exprimi *serenitatem, lucem, diem, solem.*

Dulcia temporibus famulantur fila secundis : A
Quod felix meruit, nobile carmen erit.
Vox justi quæstor, legum substantia, nobis
Ceu Phœbus mittet tympana, plectra, lyram.
Docta Camœnarum coeat pia turba sororum,
Offerat arguto pollice quod loquitur.
Turgida fatidici vix possint pectora vatis
Virtutum species enumerare tuas.
Tu decus Italiæ, spes tu fidissima recti,
Fax, tuba causarum, purpura nostra, vale.
Luminibus locuples solem te Roma vocavit
Celsa, Quirinali suscipiens gremio.
Eloquio lyncem, tu subdes voce leonem,
Melle tuo serpens gutturis arma premet.
Fetibus orbatæ ferrent tibi munera tigres,
Quæ dolor et feritas aure pavente daret. B
Te pene demessum ceu florem dextera fati
Dum lacerat, Christus perculit exitium.
Reddita se melius nunc vincit vita beati,
Actibus asseritur quod venit a superis.
Hic fretus, non legatos, nec verba precantum,
Callida fucatis artibus elicui.
Ipse ego, mendicæ transmittens verba Thaliæ,
Donum more Dei te precor ut tribuas.
Hortulus exigua sociatus parte retardat
Spem solidam, fieri ne merear dominus.
Hanc mihi largiri non spernas, lumen honorum,
Sic voti compos sæcula nostra colas,
Sic [1] te regnantis sublimet celsa potestas :
Sic currant meritis aurea fata tuis. C
Amphion Dirceus tetigit quod pectine, vixit ;
Nulla mori rerum tunc animata potest.
Commoda de Musis nunquam fluxere tot annis ;
Affectu pretii quas mihi concilia.

III.

PRÆFATIO [2] NEPOTIBUS PROCULI DICTA SUB DIE XV CAL. MAII.

Exprimit in spicam tellus jam feta papillas,
Lacte maritatis turgida cespitibus.
Stringitur in prolem sparsus per gramina succus.
De guttis faciens progeniem solidam.
Vestitus gemmis protendit brachia palmes,
De gremio ligni pampinus ecce viret.
Jussa per augmentum nunc silvam perdere vites
Frugibus ut crescat, vulnera conciliant. D
Evocat, inquirit gaudens infantia mundi
Nutricem, tepidi quam dedit aura poli.
Ludit per faciem camporum rustica pubes,
Respiciens duri dulce laboris onus.
Annus reptat ovans tractus per murmura veris,
Fracta locuturis mella ferens labiis.
Cum rebus noster balbutit carmina sensus,
Aurea principiis dextera portet opem.
Blandior ad falcem messor perducit aristas,
Si rastris segetem pectere continuet.
Nunc stirpem Proculi dans vernum suscipe, doctor :
Ne fervor teneros decoquat immodicus.
Serventur leges ; ceu census littera currat.
Horum Pindareus flumina vicit avus.
Docta Camænali cecinit qui carmina plectro :
Cujus Apollinei nil tacuere chori.
Phœbus in auxilio repetat mox fortior illum,
Artis nobilitas [3] Marsya si veniat.

IV.

[4] EPITHALAMIUM DICTUM MAXIMO V. S.

Præfatio.

Annus sole novo teneras dum format aristas,
[a] Natura in thalamis, orbe tepente, sedet.
Pingitur et vario mundus discrimine florum ;
Una soli facies, gratia, cultus, amor,
Arbuta vitali coalescunt uda vapore ;
Ignea concretus semina succus alit.
Erigitur genio tellus tumefacta marito ;
Torrida lascivis silva viret spoliis.
Lactans cespitibus in nodum truditur herba,
Vitea gemmatos brachia dant digitos.
In rerum cultu lex jungit pronuba tædas ;
Aura poli ut sponsum germina cuncta facit.
Ergo pari voto lux, cœlum, flumina, Nereus,
Montes, prata, feræ gaudia concipiunt.
De te quod vernat sortitur, Maxime, mundus ,
Et naturalem dos tua comit opem.
Cui sanguis, census, genius, mens, vota superstant.
Musarum primo fulta supercilio.
Sæcula te fidei monimentum nostra dederunt,
Corporis et cordis virginitate parem.
Vincentem meritis sponsam dat candida vita :
Quæ cum te superat, sic tibi palma venit.
Huic niveis concors arridet flamma labellis,
Alba verecundas spargit in ora notas.
Adsit oro fons loquelæ, voce, mente, pectine ;
Ars, natura, Musa, Phœbus qua tumet facundia.
Vile nil decet sonare in Maximorum laudibus :
Conterunt Phœbeia celsum sæpe dicta verticem.

[1] *Sic te regnantis*] Theoderici regis, cujus quæstor erat.

[2] *Nepotibus Proculi*] Liguris poetæ : quem Sidonius inter eximios, et utraque lingua præstantes ætatis suæ poetas numerat lib. IX epist. 15 :

Potuisset ista semper efficacius
Humo atque gente cretus in Ligustide
PROCULUS melodis insonare pulsibus,
Limans faceta quæque sic poemata,
Venetam lacessat ut favore Mantuam.
Homericæque par et ipse gloriæ
Rotas Maronis arte sectans compari.

[3] *Marsya si veniat*] Hoc est, si Phœbo iterum cum Marsya subeundum sit certamen, Proculum adjutorem ac socium habere velit.

[4] *Epithalamium Maximo*] Ad Maximum aliquot vidimus epistolas lib. VII et VIII, atque in iis nuptiarum mentionem in quibus dictum est hoc epithalamium : quod fœdis hactenus, ut cætera fere poemata Ennodii, versuum trajectionibus interpolatum, ordini nitorique suo reddidimus. Vario metrorum genere constat exemplo Claudiani, qui diversis numeris lusit in nuptias Honorii et Mariæ. Nam Sidonius in epithalamio Polemii et Araneolæ heroico tantum usus est, Paulinus elegiaco in epithalamio Juliani Memoris episcopi F. et Iæ clarissimæ feminæ

[a] *Natura in thal.*] Id est, prægnans est, mox superventuræ partioni intenta. Admodum eleganter, BARTH. *Animadv. ad Papinii Statii* I *Achilleid.*, pag. 1682.

Orbe captivo Venus alma fusis
Dotibus florum per amœna ludens,
Dum facit vernum pretio et micantis
Sidere formæ;
Sprevit aurati decus omne pepli,
Advenæ pompam noluit metalli
Ditior cultu stetit effugato,
Sparsa capillos.
Nobilis si quod bibit arte virus
Lana, mentito potior colore,
Dic [a] et algentis pelagi lapillos,
Nuda superstat.
Fulserant raro sub hiante filo
Pectoris gemmæ in roseis papillis.
Invidum membris abigens amictum
Altera lux est.
Proditum risit sine nube corpus,
[b] Carcere irrupto nituit serenum:
Quodque servabat male tuta vestis,
Proditur arte.
Aliger laxo remeabat arcu,
Marcidam damnans otii pharetram,
[c] Sanguine in nullo madefacta lætus
Spicula gestans.
Tunc sic alloquitur matrem fluitantibus armis:
Perdidimus, genitrix, virtutis præmia nostræ.
Jam nusquam Cytherea sonat, ridetur Amorum
Fabula, nec proles nascenti sufficit ævo.
Frigida consumens multorum possidet artus
Virginitas fervore novo: sublimia carnem
Vota domant: mundus tenui vix nomine constat,
Primævi tremulos fractis imitantur ephebis.
Rara per immensos sæclorum, respice, campos
Conjugii messis: per flores sola vetustas
Exserit albentes jejuna et pallida canos,
Una fides rerum nulla dulcedine flecti,
Et si quid teneros potuit transducere mores,
Præceptis calcare malis: servatur ubique
Justitium; culpa est thalamos nominasse pudico:
Tu remissa jaces, et tanti nescia juris
Nuda per effusos respectas membra capillos.
Surge, age, et obstantem properanter discute somnum.
Nec te, quod turpe est, captivum numen habere
Jura pudicitiæ, vel lex malesuada putetur.
Talibus arsissent dictis et viscera ponto.
Colligit in nodum passos lux aurea crines,
Et naturalem concludens veste decorem,
Mutavit formam. Tunc quidquid fulget iaspis,
A Quæ viret in pretio [1] pasturæ ficta smaragdus,
Et latet in conchis melior custode veneno
Alba venit, niveum sumptura ex corpore lumen.
Palla per accinctos decrescit splendida lumbos,
Et zona teneras compressit dura papillas.
Affatur natum, Quem, spes mea, figere tentas?
Quem sequimur? quove ire jubes? post otia major
Flamma decet: discant populi tunc crescere divam,
Cum neglecta jacet. Superos nil perdere somno
Ostendant geminis reparata incendia curis.
Maximus ecce, vides, generis spes unica summi,
Dulcibus illudit per longa oblivia tædis.
Sectatur matrem, quæ cœlo purior ipso est
Femina, quam scimus mulierem vincere mente.
Hic domuit puerum, mores sortitur avorum,
B Quod pudet heu, longo nobis nescitus in ævo est.
Hujus ad abstrusas veniat mea lampada fibras:
Suspiret, cupiat, discurrat, ferveat, oret.
Hæc ait: et sobolem fotu complexa benigno,
Mollia mellitis arctavit ad oscula labris.
Ille volat celeri tranans per nubila vento,
Omnia lascivo socians elementa furore.
Ut stetit, et juvenem formæ conspexit in ostro,
Tune Dionæum tumefactus despicis? inquit.
Huc Venerem culture veni: qui tardius arsit,
In multum calet ille rogus, celeresque favillas
Restituet quæcunque pyræ subducitur arbor.
Deprompsit jaculum, quo divos fixerat omnes.
Tum pulcher teretem flexuram perculit arcus:
C Singula diverso traxerunt brachia calle.
Pennigeri vultus præsentet dextera fatum.
Moxque ferit, læto factum clamore salutans.
Ille ego, qui trepida semper contemptus adhæsi
Visceribus fugitive tuis, hac victima matri
Litamus, multis quam tu non suspicis annis.
Ecce iterum magno rimatus sanguine cretam
Quam thalamis jungat, cernit sublime puellæ
Sidus, et attonitus ad matrem lumina flexit,
Germanam credens collaudat nobile furtum.
Sed teneram leviore ferit puer ille sagitta,
Inque virum totos contorsit fortior ictus.
Post hæc digrediens permulcet pectora dictis.
Nostra tuas, juvenis, confortent vulnera vires.
Nam quicunque mea est percussus cuspide, crescit.
Hæc faciunt multos, si credis, bella nepotes.
D Sis felix, semperque feras mea vulnera tecum.
Nunc me Pierio favore jutum
In læta, proceres, locate fronte.
Sustentent gracilem per omne carmen.

[1] *Pasturæ ficta smaragdus*] Pastura est νομή. Ut ergo νομὴ dicitur interdum de pascuis ipsis, ut quando νομαὶ καὶ λειμῶνες copulantur, sic pastura hoc loco pro pascuis virentibus: et epigrammate 10: *Herbida pasturam superantia saxa virentem.* Jam smaragdi laus et pretium est viror. Plinius lib. XXXVIII, cap. 5: *Herbas virentes frondesque avide spectamus: smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret.* Tertullianus de Judicio: *Herbosaque viret prægrandis luce smaragdus.* Martian. Capella lib. I de Jove: *Calceos autem smaragdineæ fluctu viriditatis herbosos vestigiis ejus tellus innexuit.*

[a] DIC ET *algentis, pelagi lapillos*] *Cedit algentis*, etc. Totidem litteræ sunt transpositæ solum. Sed rectius fortasse, *Sic et algentis*, etc. BARTH. *Adversar.* pag. 479.

[b] *Carcere irrupto nituit*] In veteribus scriptis et editis *carcere inrupto.* Optime: non enim rupit tegmen quod cohibebat, etc. ID., ibid.

[c] *Sanguine in nullo madefacta lætus Spicula gestans*] Minime *lætus* videtur Cupido adesse: id quod arguit etiam allocutio Veneris. Legendum igitur *lentus*: ut, velut tristi, lentum gradum ascribat. In editionibus priscis vox illa plane omissa est, et versus ultimus velut in hexametrum formatus: quod auget nobis de vitio suspicionem. ID., ibid.

Qui doctum faciunt benignitate.
Quod nunc ingenium premunt pruinæ.
Distendat refovens decore vernum.

V.

ITINERARIUM PADI.[1]

Ingenii cultor, fons oris, copia linguæ,
Humor Castalius veniat, quo Thracius Orpheus
Naufraga diffuso succendat pectora fluxu.
Adsit, et arentis conjungat cordis hiatus.
Eridani dicturus aquas, nisi flumine largo
Sicca Pegasæo perfundam membra liquore,
Torrida jejuno vix stillant verba relatu.
Undarum cumulos ut narrem, suggere lympha.
Quam bene pandit aquas, cui blandus murmurat [amnis?

Anni tempus erat, quo vernat mitibus uvis
Palmes, et autumni proponit dotes in orbe.
Imbribus externis madida cum veste Lyæus
Distendit tunicas uvarum carcere musti.
Uberibus pluviis [2] petrarum lege subacta
Tunc sibi forte Padus captivos texerat agros,
Canebant spumis et turgida dorsa minaci.
Currebant stantes per fluctus culmina villæ.
Servavit raptum pelagus tunc littore tectum,
Et mutans terras mansit fortuna casarum.
Respiceres silvas stationem perdere jussas
Ad flammas properare Pado ducente voraces.
Tunc ego ferventi germanæ tractus amore,
Cui natum Parcæ demessum pollice diro
Sustulerant, viduamque domum constante marito
Reddebant, [3] urbis peperit quæ semper Averni.
Hanc ut solarer vel vitam prodere legi.
Regnator Ligurum fluviorum maximus ille
Sub juga transmissus gemuit sub pondere cymbæ.
Intumuit, rursusque minas flatusque remisit,
Quique polos vicit, soli mihi cedere jussus.
Sic pietas elementa domat, sic cuncta coercet
Cujus grata Deo tenuit miseratio mentem.
Ecce iterum madidis contectus nubibus æther
Hausit aquas, quibus omne ruens submergeret arvum.
Non cœli faciem conspexit naufraga tellus,
Et stellis viduæ micuerunt dira tenebræ.
Erravit piscis sed non captivus in ædes,
Et populus fluvii per mensas lambuit escam.
Evomuit pelagus hominum penetrale profundum,
Humida pulveribus clauserunt æquora campos.
Perfunctus primis recidiva pericula vidi.
Ille triumphator tiro ad certamina Nerei
Frigida per liquidas gestabam pectora lymphas,
A Nec siccis oculis respexi marmoris iras.
Cum subito absorptum vidit vetus accola pontum,
Risit et objecti restantia signa pavoris.
Ditia permixto fulgebant arva metallo:
Eridanus claris radiabat comptus arenis.
Navita me lætus suscepit protinus alno,
Sarcina cui felix dudum concesserat omen.
Indoctus clavum rexit de pondere tutus.
Et me festivis, Christo duce, pertulit oris.

VI.

[4] DICTIO ENNODII DIACONI QUANDO ROMA REDIIT.

Amica est homini ad genitale solum revertenti semper hilaritas, dum metus quoscunque ei peregrinanti mens anxia peperit, quasi præfinitos et cœlo gravante dispositos se evasisse confidit. Debetur ergo vox se-
C rena lætitiæ, ne muta gaudia mœroris imaginem sortiantur. Cui enim pateat exsultantis animi secretum, nisi oris clave reseratum? Reduces etiam cycnos alis ludere Mantuanus asseruit. Quid ego faciam in medio deprehensus abrupto, qui et regressui meo debeo dicendi fidem, et proposito tacendi necessitatem? Secede, quæso, ad tempus officii censura gravioris, nunquam te opportune gaudiis miscuisti. Prophetarum insignissimi sub legem versuum verba redigentes carmine desideria sua et vota cecinerunt: divino pectora dedicata colloquio plectris ecclesiastica per populos jura diviserunt. Cur ego in ordinis et meriti constitutus infantia æmulari summorum facta non studeam, maxime cum narrandi simulacrum
C altaris militem ad excipienda quæ contra fidem eveniunt bella corroboret? Nec dubitabo dicere quod præsenti constat exemplo. Didicimus jam quo turbine pro amore fidei hasta jacienda sit, neque nos virtutis pretio vel titulis mediocris conflictus elevavit. Dicam ergo libens musico stylo gaudia mea: quorum perfectionem maximis promitto me, Deo adnitente, eloquii litteris nuntiaturum. Pulsabunt me oblatrantium venena linguarum, sed professionis et ingenii exercitiis aggregabo quidquid contra accusati meritum maledictor ingesserit. Usus iste est bene nitentis conscientiæ, opinionis lucro jungere morsus æmulorum, et famæ compendia de invidia aucupari. Male pertinax dens livoris infringere; et qui oblocutionis fomitem de loco gloriæ quæris, obmutesce. Dic unde
D fructus eveniat meritis, si jactantiæ deputas quod sudori nostro placemus. Labor est disciplinæ amicus, et religioni quadam cognatione sociatus. Velut uda præsegmina peregrinis maritata fomitibus nobilitatem fructuum ramis tribuant, quam parturientia diu

[1] *Itinerarium Padi*] Padi nomen argumenti vice adjectum est. Navigationem enim describit, qua æstuante Pado jactatus est, cum sororem suam unico filio nuper orbatam officii causa inviseret.

[2] *Petrarum lege subacta*] Ruptis aggeribus. Variant codices: unus *parcarum* legit, alter *parumper*: tertius *parum*. Sed nihil mutandum censeo, aut si quid mutandum, *riparum* ex tertii, hoc est Vaticani exemplaris vestigiis legendum: ut epigr. 133. Hoc enim vult quod Virgilius lib. II Æneidos:

Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles.

[3] *Urbis Averni*] Ita omnes, fortasse *urnis*, ut urnas Averni dicat urnas sepulcrales, sororem significans alios quidem antea liberos sustulisse, sed vitæ brevis omnes atque immatura et acerba morte raptos.

[4] *Dictio in reditum ex Urbe*] Huic poematio, et aliis nonnullis præfationes soluta oratione præfiguntur: quæ licet interdum longiores sint, quia tamen ad poemata referuntur in eorum potius classem conjiciendas duximus. Reditum autem ex urbe describit, quando post synodum palmarem et Apologeticum regressus est.

nesciere plantaria: ita dotatus liberalibus institutis bona mentem cura gravidam ad spem germinis melioris attollit. Pelluntur animo consiliorum toxica humanis præparata necibus, humor succi lethalis aboletur, quotiens hujusmodi occupationibus ingenia se submittunt. Hinc ad clariora digredientibus divinorum patescunt secreta librorum: quorum januam sensu pulsante dum reserat, populis se duce pervium facit iter ignoratum, dum fastidiosos eloquii splendore, parum doctos fabricata Latinitate, et, ut aiunt, artifici rusticitate perducit. Quis talem salutis non diligat indicem, non sequatur, qui necessariis dulcia dulcibus severa miscendo amare vitæ dogmata, et velle cogit invitos? Sed istinc alias cœpti compleantur honesta vota propositi. Apud scientes rerum loquimur: res virtutis est, gaudium continere; secundæ diligentiæ per elaboratum tramitem luculentæ dictionis ostendere: hodie maxime, cum mei portio limen ingressa facundiæ dat parenti exsultatione eloquentiam quam negat ingenium, cum donat causa quod natura non præstitit. Macte insignium adolescens virtutum, qui in cano flore pomorum numerum monstras. Das pellere afflictionis glaciem, et ad vernum me dictionis invitas. Nam dum quod tu debes studiis, ego impendo lætitiæ, puto ambo proficimus. Simile est enim, rudem instituere, et ad declamationis affectum revocare jam desidem.

Post canas hiemes, gelidi post damna profundi,
Tranquillum quotiens navita carpit iter,
Mœret, et infidi desperat prospera ponti,
Quamque videt faciem non putat esse salis.
Sibilat aura levis, validas timet ille procellas
Fluctibus et blandas æstimat esse minas.
Lintea si crispant Zephyri pendentia malo,
Et dulci ludit spiritus obsequio;
Confusam ventis naturam perdere leges
Jurat, et antiquum credit adesse chaos.
Gaudia sic tollunt placidis discrimina rebus;
Nulla fides lætis integra, nec dubiis.
Non aliter variis tenuit quos Roma periclis,
Littoris optati reddidit ad gremium.
Permulcent pelagi numen venerabile cantu,
Anchora quod proprium mordet obunca solum.
Flamina sed lassis tenerum factura soporem
Perturbant mentem militis æquorei.
Arma ratis subigit, remos et lintea vibrat:
Sic mens naufragium suspicionis habet,
Adveniat siccis qui pressit cærula plantis:
Nam portus felix ille salutis erit.
Qui latices vinxit, fundens in pocula saxum,
Qui lapides solvit, qui solidavit aquas.
Quem genitrix fudit sæclis sine semine feta,
Ad matrem jungens virginitatis onus.
Qui mortem propriæ superavit munere mortis,
Dans vitam mundo, funere quem peperit.
Ille per excelsum videat me dexter Olympum.
Tunc patriam teneam, tunc stationis opem.
Nubila laxati verrant licet æquora venti,
Rimosam puppim nil nocitura petunt.
Dulcia compositis quatiam tunc tympana chordis:
Floribus et pingam carmina nostra novis.
Ut fatear, dictis constat bene dicere lætum;
[1] Tristia nil capiunt pectora versiloqui.
Sed redeat vernum, cesset jam bruma timoris:
Stringite quæ nectant frondea serta comas.
Cantem quæ solitus, dum plebem pasceret ore,
Ambrosius vates carmina pulchra loqui.

VII.

AD [2] FAUSTUM DE CARMINIBUS EJUS.

Præfatio.

Nisi didicissem quod serenitas conscientiæ vestræ hujus mali scabiem abjuraret, invisum mihi eloquii uber astruerem. Facessat a bonis actibus res amica perfidiæ. Me tamen nocitum cautela vestra denuntio. Suspendistis hactenus ab ingenioli mei ariditate imbrem fructuum nutritorem. Deus bone! quam peregrinas in me et ex vestri oris divitiis acquisitas dicendi opes intelligo! Adjacet dictis locupletibus, quantum sentio, rubiginosos lingua et sensu hebetes peritiæ lima componere. Est vobis quoddam cum hominum factore collegium. Ille finxit ex nihilo, vos reparatis in melius. Gratias ego refero de suscepto carmine, cum de dilato mœream beneficio. Ad Camœnalem ignominiam, quibus nunquam [3] Gluvidenus deest, versus adjeci; et periturae, ut dictum est, chartæ prodigus non peperci. Legite jocunditatem motura poemata, et familiari stupenda, ut aiunt, decora comprimite.

Fluminis in medio succendis viscera, Fauste,
Cujus alit magnam carminis unda sitim.
Quis ferat ardorem laticum, flammasque fluentis
Cognatas sicco sorbeat ore potans?
Fonte vaporiferum pariunt tua verba calorem:
Æstuat unde jecur, pocula prospiciunt.
Ingenii quisquis festinus tendit ad amnem,
Non putet ambiguum, sic bibit, ut sitiat,
Nobilis occultum condivit lympha saporem.
Computat et damnum, si minus inde feram.
Lubrica Cecropio confidens lingua cothurno
Ni jactet priscos nobilitate senes.
In veterum morem pangit nova carmina Faustus,
Qui per membra suum desecat arte melos.
Coctus ad incudem verba infabricata referre;
Quosque facit versus, terque quaterque probat.

[1] *Tristia nil capiunt pectora versiloqui*] Sidonius Lampridio *Nosti probe lætitiam poetarum, quorum sic ingenia mœroribus, ut pisciculi retibus amiciuntur.* Versiloquum itaque vocat non vafrum aut versutiloquum, sed poetam qui versus pangit.

[2] *Ad Faustum*] Occasione carminis cujusdam quod a Fausto acceperat, poeticam ejus facultatem miris laudibus extollit. Quo scilicet Ennodii præconio permoti Petrus Crinitus, et Lilius Giraldus Faustum hunc inter illustres hujus sæculi poetas collocarunt. Neque enim ulla, opinor, ejus carmina viderant, quæ nulla exstant præter distichum quod Ennodius epigrammatis suis inseruit de vino Ligustico:

In Ligurum terris potorem qui vocat, errat.
Nunquid vina bibit vina bibens Ligurum?

[3] *Gluvidenus*] Lib. v, epist. 8.

Ætas cana refert digitis animasse Maronem A
Quod fingebat opus vivificante manu,
Tu verbis faciem tribuis, modulamine membra.
Quod natura Deo, hoc tibi dant studia.
In vetulum dexter si vertas plectra cadaver,
Primævum facias ædificante lyra.
Si flores simules gelidi per plaustra Bootis,
Mox Helicem vernis sibilat aura modis.
Ninguida lustra rosas, fundant tibi frigora mustum,
Ferventi Pallas sidere dona ferat.
Piscis in æthereo quem portas vertice tranet:
Si jubeas versu, marmora cervus amat.
Faucibus e mediis impasto viscere prædam
Ore potens tollas, quam tenet ore leo.
Jam scio Castalii quo me traxistis amores;
Accedunt culpis munera vestra meis. B
Sutilis ad tumidas rapitur mea cymba procellas,
Hibernos passura Notos: quam navita pauper
Rimosam tenui fingens de cortice puppim
Composuit, nomenque dedit sine laude phaseli.
Illa nec Ægeum pelagus, nec littora Phryxi,
Nec quæcunque valet trux æquora verrere fundo.
Æolus, agnovit: placidos sed gurgitis alti
Prælegit bene cauta sinus, ubi serviat Auster,
Non ubi regna petat: quotiens ibi remige lento
Sibilat in tremula discurrens aura carina.
Lintea nam summis dum crispant [1] nexa ceruchis,
Quæ portant mortes, præstant mihi flamina somnos.
Huc vertam puppim, certis mea carbasa ventis
Commendans, cursus artis opisque meæ. C
Flecte viam velis, clavumque ad littora, Phœbe.
Anchora proscissum mordeat unca solum.
Musa dictorum caput optimorum.
Herbidam fingens hederis coronam,
Quam per exsectos numeres poetas,
Necte capillos.
Sulcat immensum pelagus carina,
Nescit ad clavum manus apta ferri.
Quo vocat dextrum regimen per undas
Artis amicus.
Pergis ad Faustum trutinam loquelæ,
Ore qui vastum valet ut profundum.
Luce quem mundus veneratur ipsa
Dexteriorem.
Aurium libram tenet in Camœnis:
Illius ferrum secat omne vulnus,
Quodquod internis latet in medullis
Carminis ægri.
Si [2] meos vellet modicos thyrambos
Mente qua cunctum moderatur orbem,
Inter infantum triviale murmur
Pendere, laus est.
Lux mea, Fauste,
Spesque salusque,
Litterularum
Munera parva
Suscipe lætus.
Sic tua summus
Germina Christus
Lucida servet.
Porrige dextram
Nominis almi.
Grata Tonanti
Farra piorum.

VIII.

AD [3] OLYBRIUM, DE EJUS ELOQUENTIA.

Præfatio.

Non canit fistula, quotiens rusticum pecus agrestis pastor inspexerit. Muta nemora formidolosam solitudinem pariunt; et ubique metus est, quando nullus in solatium deserti sonus auditur. Sed si aurarum sibilis arborum comæ linguæ speciem mentiantur, et ridente frondium motu appellet hominem jucunda concussio, putabitur ambientibus latera cœtibus interesse: nec aliquam ærumnam gemit, quem inter secreta sua ipsa natura quibuslibet alloquitur. Juvat tunc exsulationis comitem fistulam labiis admovere, et flatibus per testudinis rimosa dispersis quamdam de spiritu et aura componere rationem. Tunc Palæmonem suum rudis et infabricata lingua compellat, tunc numerat quantis servare caulas sit opus excubiis, tunc multiplices luporum insidias quas acuit fames magistra suspirat, tunc in sermonem cadit quidquid efflaverit; hujus se solari, hujus nititur

[1] *Nexa ceruchis*] Antennis. Κεροῦχος Græcis est carniger. Inde in navibus antennas, quia cornuum instar habent, unde et κεροῖαι dicuntur, cerachos appellarunt Lucanus, Flaccus, Apuleius et alii. Sunt qui antennarum funes interpretentur. Isidorus in Glossis, *Ceruchi navium funes*.

[2] *Meos thyrambos*] Meos versus. Duplex in una voce licentia. Nam simplex pro composito, vel ancisam potius dictionem pro integra, thyrambos pro dithyrambis, et speciem pro genere: dithyrambos pro quovis genere carminum. Sic rursum epigrammate 108:

Nunquam frugiferis per sæcula longa thyrambis
In me fluxerunt commoda Castalii.

Id est, nullum unquam ex versibus meis quæstum feci: ut supra carm. 2:

Commoda de Musis nunquam fluxere tot annis.

[3] *Ad Olybrium*] De Olybrii eloquentia dictum ad epistolam 9 lib. I. Nunc auctarii loco, alterius Romani causidici qui eadem ætate vixit, memoriam vindicabimus. Is est Petilius Processius V. S. sedis prætorianæ togatus, quem Probo juniore consule, D hoc est anno 513, diem clausisse docet elegans ejus epitaphium, quod in beati Pauli basilica marmoreo tumulo incisum legimus his verbis:

Post mortem si vivit amor, si gratia prisca
Durat in arcanum mentis adacta bonum:
Quamvis luctificum, fratris tamen accipe carmen,
Ne mala sit tumulis extera lingua tuis.
Te natura parens omni depinxerat arte,
Moribus, ingenio, corpore, mente, fide.
Purus amicitiæ cultor, servator honesti,
Eloquio miseros vel pietate fovens.
Hic est quod toto semper te flebimus ævo.
Quod fuerit juveni vis tibi multa senis.
Te genitrix, fratresque simul, te compare luctu
Perpetuis lacrymis plangit amata domus.

HIC REQUIESCIT IN PACE B. M. PETILIUS PROCESSIUS V. S. TOGATUS INL. P. P. QUI VIXIT PL. M. ANN. XXXVIII. DEP. E. SUB DIE KAL. JUL. PROBO JUN. V. C. COS.

mulcere collegio. Cui talia agenti si quis sermocinantem fidibus citharam doctus admoveat, et loquacia fila irrisor urbanus apportet, in ancipiti est quid eligat nuda simplicitas, dum lyræ tactus, licet errantibus digitis, dulcem et qui animam frangat crepitum reddit : nefas tamen putat, si alieni tractus amore propositi, avitam discat scientiam non amare; ut dum infrenis ambitus rusticantis doctrinæ terminum non metitur, superiorum affectu, et ipsa se possibilia intelligat perditurum : cum nescientem quid valeat mapalium alumnus ipsa paternæ institutionis mediocritas quasi externa contemnat. Non aliter me, vir amplissime, inter maxima curiæ sidera computande, jubar facundiæ, ingeniorum flamma, splendor eloquentiæ, dictionum census, per nemorum invia ad instar pastoralis fistulæ quæ viliter narrantur, oblectant, metuentem citharam tuam, laudantem plectra, quæ, ut superius texui, agrestibus digitis meis urbanus adjungis. Amove, quæso, quam adhibes ad invitandum me, elucubrati sermonis illecebram. Absint quibus etiam apud peritos uteris vincula colloquii. Compesce verborum digitos, quibus soletis renitentium animas ad desideria vestra compellere. Liceat me aut silentio inscitiam tegere, aut per stridentem stipulam aliis triviale carmen afferre ; vobiscum fabulari, res est meriti veteris, et novæ felicitatis. Quod si mei immemor ego tentavero, adeptus contra utilitatem propriam solis currus, juste subeo Phaethontis exemplum. De quo quia sermo contigit, et forma cautionis accessit, quid facto opus sit, subjectum carmen ostendit.

Fama refert, veterum quæ nescit perdere gesta,
 Quæ loquitur semper quidquid in orbe fuit.
Germina dum lucis Titan dispergit in axem,
 Et ditat mundum nobilibus radiis :
Uda vaporiferas cohibent dum lora quadrigas,
 Et nitidum gurges mittit ubique diem.
Undantes doctis manibus sol flexit habenas,
 Artificem dominum lux bene nota tulit.
Sed Phaethontæo postquam dare regna precatu
 Non exploratis viribus instituit :
Degenerem primis rectorem motibus astrum
 Sensit, et excussis currere cœpit equis.
Tunc totam sonipes lucem de naribus efflans
 Non tenuit legis tempora certa suæ.
In flammam cessit splendor, quod luminat ussit,
 Quodque animat terras exitium peperit.
Tunc et Hyperboreas dum frangit lampade crustas
 Epotis Tanais siccus abibat aquis.
Crystallum fluxit, sed cursus fluminis arsit :
 Quod lapides solvit, nexuit Eridanum.
Sic ego rhetoricum tentans transcurrere callem,
 Aggredior currus solis et imperium.
Nescio quid variis impendam sideris oris,
 Nescio quid teneam, cuncta calor superat.
Curia te pollens teretem formavit ad unguem,
 Et patribus jussit lumina ferre tuis.
A Tu Phœbum reddis : fumat tibi victima pinguis,
 Pro qua cessissent fulmine cœlicolæ.
At mihi vix illud transmittunt pauperes horti,
 Rubra quod acceptum testa refutat olus.
Sum, fateor, cujus distillent verba relatu,
 Quæ maciem monstrent pauperis ingenii.
Carmina nulla cano, nec me modulante Camœnas
 Mansurum dabitur pollicis ore sophos.
Quidquid Apollineo loquebamur pectine, cessi
 Oblitus linguæ, quam mihi fila dabant.
Rustica per teneras errat mihi dextera chordas,
 Confringunt dulces barbara plectra modos.
Ah quotiens vitreis Helicon mihi fluxit in herbis,
 Arridens labiis quæ facit unda sitim !
B Ah quotiens hederis redimitus tempora duxi,
 Aonium mulcens carmine concilium !
At nunc per silvas, inter spelæa ferarum,
 Agrestem certus ducere militiam,
Grandia per validos commendo semina sulcos,
 Ut germen vitæ destituant lolia.
Lactea ne mentem denudent verba solutam,
 Et dictis mollis dicar et ingenio,
Non mihi per campos discurrat lingua patentes,
 Mascula nec lituis dicta feram gravibus.
Ne mea grandisono flammentur corda cothurno;
 Et tumidus scriptis moribus esse puter.
Qui mihi tunc portus famam petit undique lector.
 Sed stabilis pudor est, si taceam, proprius.
Tu cœlum teneas, me terris linque quietum,
C Qui solum novi, quod bene nil didici.

IX.

DICTIO QUÆ HABITA EST [1] IN NATALI SANCTI AC BEATISSIMI PAPÆ EPIPHANII, IN ANNUM XXX SACERDOTII.

Præfatio.

Sentio quid plerique taciti loquantur in sensibus, et apposita cordis aure vocem cordis intelligo. Clamant enim ista silentia quid sibi alienæ professionis homo quærat ex themate, quid insignitus humilitatis titulis per crepantes ex more vulgi cuneos vocem plausus exspectat, quos tumescentibus fautorum bullis aura popularis exsuscitat. Olim talia dicunt debuisse componi, cum adulantibus adolescentiæ floribus et pueritiæ adhuc in illo, et sæcularis licentiæ verna riderent, cum reboantibus efferri decuit
D acclamationibus, tunc cum capi potuit etiam fucatæ voluptatis specie : nunc cur recitet publice, quem laus nec decet publica, nec delectat? Hi meminerint quod ego rem nostri muneris ago, quem in sacerdotis præconiis constat sentire quæ debeam. Cui quamvis nunc intempestivis laudibus reddam modica, tamen maxima post debebo, in cujus ministerio quidquid valeo præstat impendi. Simul etiam percepi animo quod si reddenda est de otioso sermone ratio, non minus de otioso silentio. Erant enim otiosa silentia, si lætantibus circumfusis omnigenum mentibus solus, cum dare possem, verba subtraherem. Quippe cum etiam in obsequiis cœlestibus hymnos deceat

[1] *In natali Epiphanii*] Cum tricesimum annum iniret cathedræ seu episcopatus Ticinensis. Inciderunt autem Epiphanii tricennalia in annum 496. Illo igitur anno dictus est panegyricus ab Ennodio.

adhiberi, et credamus exsortem humanitatis Dominum hominum meris laudibus demulceri, et hoc ab his speciali quodam jure quos donavit lingua reposcere. Quid antistes faciat, qui propriis orationibus egit ut possim?[1] Scriptum est enim: *Dominus dedit mihi linguam eruditionis, quando oporteat sermonem dicere* (*Isai.* I. 4). Oportet nunc, ut censeo; et ad loquendi tempus ostium cordis aperitur. Sed nunc non ego in poeticis laudibus ora laxabo. Absit a me sentina carminum, quæ sicut vera non laudat, sic nec vere laudatur. Nunc favete mentibus certa dicturo. In quo opere si minora pro ingenii exiguitate non dixero, pro jactantia majora non fingam.

Vatibus antiquis dicendi maxima virtus
Illa fuit, doctis si scirent fallere verbis.
Laus erat in laudem mentitum pangere carmen.
Tunc operi fraus apta fuit: nam more poetæ
Servantes quod crimen habet, vetuere pudore
Vera loqui, carmenque fides despexit ubique.
Ars placuit, quam culpa decet: nam doctior error
Extorsit certis metuenda poemata linguis.
Lex docuit sine lege loqui, cum vindicat arte
Quidquid jura negat fandum: retinacula morum
Numina fallaci finxerunt sordida cantu.
Phœbum, et ter ternas dixerunt esse sorores,
Castalium laticem, varias quoque Palladis artes.
Tum laurus, tripodas, cortinam, tympana, plectrum
Narrabant: illos a veri tramite fugit
Sensus, et errantes visus delusit imago.
Nunc linguam citharæ, quæ cantat pollicis ore,
Sperne fides: magis ille veni nunc Spiritus, oro,
Cujus inexhausto reviviscit semper in anno
Quidquid terra creat, gignit mare, parturit æther.
Qui freta diffundit, solidum dat corpus in arvis,
Saxa ciet jussu, metuit quem cautibus horrens
Caucasus, aurito famuli cum fortia sensu
Corda domat: qui cuncta videt, quem cuncta tremiscunt;
Fons, via, dextra, lapis, vitulus, leo, lucifer, agnus,
Janua, spes, virtus, verbum, sapientia, vates,
Hostia, virgultum, pastor, mons, rete, columba,
Flamma, gigas, aquila, sponsus, patientia, vermis,
Filius excelsus, Dominus, Deus, omnia Christus.
Nunc precor ut dictis adsit: qui pectora prisci
Vatis ut ingressus, Pharaonis tempore regis,
Adjuvit gracili locuturum voce prophetam.
Se stupuit tunc ipse, reor, bene conscius oris.
Murmuris et soliti, complentem principis aures
Pondere, voce, sono, sensu, probitate, pudore.
Tu famulum, tu, sancte, mone: da solvere grates,
Quas debere juvat: sanctum complectimur omnes
Ecce diem, voluit quo se jubar indere terris,
Promptius et radiis animas animare propinquis.
Quo gaudet mundus, cum non sint gaudia mundi:
Cernis adorantem pavidos submittere vultus
A Vatis in obsequium? Natalis tempora sentit
Festa, nec admissis contemnit tristis alumnis.
Iste dies cunctis vitæ, cunctisque salutis
Causa fuit, veteris dissolvens vincula noxæ.
Christus in hoc tribuit decus et tamen in arvis
Ausoniis, parili populos qui mente gubernet,
Et gentes pietate regat: quibus auctor Olympi
Pollicitus simili regem probitate paravit,
Dexter et ipse Deus solio dat jura corusco.
Proximus hic cœlo, cui recti conscia mens est,
Semper erit, quem justa probant, quem judice mundo
Publica vota legunt: fateor, suffragia magna
Contulit, ut sedis gremio frueretur inemptæ.
Libera te dominum posuit sibi turba perennem,
Servitio laudanda suo. Proh quantus ubique
B Fervor erat! sancto mundi plaudente tumultu,
Omnibus idem animus, turbis vox omnibus una.
Sic tamen alterutrum certabant vincere votis,
Ceu sibi cum diro bellandi cominus hoste
Causa foret: vulgus proprio tunc sanguine vicit,
Pollicitum quotiens fuerit sufferre pericla.
Caspia non aliter cum tigris feta Niphatem
Circuit, aut catulos rapiendi format ad usus,
Ardet in absentes, sævis mortalia mandat
Membra animis, hominumque necem petit ore cruento.
Alter in hoc senium teneris miratus in annis,
Alter in antiqua jactabat stirpe parentes:
Alterius contenta parum de sanguine mens est,
C Digna referre viri virtutum stemmata mille
Commemorat: quanta tituli tunc claude superstant,
Vincuntur quotiens, et morum gloria victis
Parturit insignem per sæcula longa triumphum?
Ille pudicitiam, quæ pulchro in corpore vernat
Pulchrior, et casta ridentem luce figuram
Laudibus ad cœlum portat: decus illa profecto
Attulit huic facies, quæ multis causa pericli
Sæpe fuit: pulchrum satis est mansisse pudicum.
Hæc nisi de summo non dantur culmine Olympi.
Sic ubi contingant, vel formæ commoda sanctis
Mentibus accrescant, bello se vincere certant
Tunc homines, funditque decus vel munera terra
Dextra animæ, vivitque sibi, dum deperit illi.
Hæc cum multiplici populus narraret ab ore,
D Una fuit cunctis sententia fixa catervis.
Turba sacerdotum, venerandaque curia sæclis
Elegit, voluit, meruit, suscepit, amavit.
Ecce aliud dictuque novum, mirabile cunctis
Transieram, quod quisque pavet, quod suspicis orbis.
Vix primævus erat, tremulis cum limina lucis
Calcantur plantis, cum matris ab ubere raptis
Blandior a tenero succus subducitur haustu:
Callida mentitum genitrix cum forte saporem
Herbarum querulis infundit dura labellis,
Nesciat ut natus gustu cognoscere matrem.

[1] *Scriptum est enim*] Isaiæ cap. L, juxta editionem LXX interpretum: Κύριος δίδωσί μοι γλῶσσαν παιδείας, τοῦ γνῶναι ἡνίκα δεῖ εἰπεῖν λόγον, quos etiam secutus est Tertullianus lib. IV adversus Marcionem, 29: *Dominus mihi dat linguam disciplinæ, quando debeam proferre sermonem.* Item adversus Praxeam cap. 22: *Dominus dat mihi linguam disciplinæ ad cognoscendum quando oporteat dicere sermonem.* Nam vulgata lectio nostra in posteriore membro diversa est.

Unde subornatum sorbetur, lacte negato, A
Faucibus insuetis ridenda fraude venenum.
Istius illa fuit, cum signum contigit, ætas.
Nam fulsisse ferunt hujus cunabula magno
Lumine, cum tantus micuisset splendor in illo,
Quantus in obsequium potuit tum fungier æther:
Cum jussus servire viro, mortalia raptim
Membra levat lapsu gradiens celer ignis Olympi,
Cornipedum pernix cursus imitatus equorum.
Prospera non aliter puerum tunc flamma pererrans
Circuit, illustrat, veneratur, suspicit, ambit.
Tum pavidus genitor submisso lumine fatur:
Summe Deum, sancti custos qui culmine cœli
Omina dextra facis, quæ cernis lumine dextro:
Hunc tibi de primis et adhuc reptantibus annis,
Sancte pater, voveo, quem necdum cassibus arctis B
Lubrica terrenis innectunt sæcula culpis,
Nec faciant: sit, summe Deus, tibi munus opimum.
Hæc ait, et lacrymas quas promunt grandia fundit.
Crispinum petit inde libens, quem dicere digno
Non datur eloquio, nec si modo surgat Averno,
Qui potuit rigidas de rupibus Apennini,
Flumina cum starent, ad plectrum ducere silvas.
Helias fuit hic mage: nam quis Helisæum
Linqueret in terris, duplicato munere palmæ.
Nutrivit quem lacte pio, quod ab ubere Paulus
Pressit, evangelicis plena est cui dextra papillis.
Salve, sancte parens, semper salvete, recepti
Crispini cineres, ad cujus jura redundat
Quidquid in hoc Christi miramur dogmate dignum. C
Tu bene transmissum tibi censum possides hæres.
Res non parva docet triplicatis juncta talentis.
Monstrat ab occidui revocatum partibus orbis
Quod supplex captum transmisit Gallia vulgus.
Effera te viso didicerunt pectora flecti,
Armatum precibus superasti, maxime, regem.
Sic pugnax gladios obtundit verbere lingua,
Sic ferrum expugnat verborum lamina fortis.
Nam si fanda ferunt, sociant qui maxima parvis,
Sic Dominum expectat domitatis villicus arvis.
Cum bene mollitos incurvi dente ligonis
Scribit agros, faciemque soli sic pectit aratris,
Ut spumet plenis currens vindemia labris.
Inserit externas peregrino in cespite plantas,
Advena conjunctis sociatur nexibus arbor,
Truncantur stirpes, demessum falce maritat D
Virgultum, tenero lignum mordetur hiatu,
Germine nobilitas consurgit non sua parvo,
Surculus ignoto coalescit munere dives,
Dum madefacta novo jungit plantaria libro.
Pæstanis pariter depingit terga rosetis,
Regius agresti vestitur murice campus.
Lilia [1] pro nitidæ funduntur lumine calcis:
Tunc pingit violas, cythisos, colocasia, calthas.
Cinnama, serpillum, narcissos, balsama, costos.
Tunc rediviva serit quæ portat germina phœnix.
Hunc jubet adveniens dominus discumbere servum:
Surgit, et ipse suis manibus dat fercula mensæ.
Sic tua ter denis, animarum cultor, in annis
Halant rura rosas, interpellata nec ullis
Frigoribus marcescit humus, quam vere perenni
Servat odorato meritorum cespite doctor.
Arbuta siccantur quotiens tua rore negato,
Infundis lacrymis, cophinum quoque congeris illic
Stercoris immundi: tunc ramis surgit opimis,
Tum fecunda Deo nascendi jura superstat.
Suscipe nunc dexter, vitæ lux aurea nostræ,
Gaudia quæ faciunt modicum tibi promere carmen.
Cum mea vota Deus produxerit ordine cepto,
Fulserit et docilis quem plantat dextera palmes;
Debita post centum reddam tibi fortius annos.
En statui quodcunque tibi nunc scalpere carmen;
Nodoso sub jure, pater, quod nexuit arctis
Diversa sub fronte modis lex proxima pœnæ,
Usquam ne fallax mutaret syllaba. Dixi.

X.

[2] HYMNUS VESPERTINUS.

Nigrante tectam pallio
Jam terra noctem suscipit.
Ut viva dulci funere
Reconvalescant corpora.
Mortis figura blandior
Bustum soporis admovet,
Anhela lucis æstibus
Dum mens tepescit otio.
Lux, Christe, vita, veritas,
Ne fusca somni tempora.
Tetris parata umbraculis,
Nos ad tenebras evocent.
Nox nulla nos subdat sibi,
In noctis atræ tegmine,
Sed nec caloris ebrii
Mentita pingat corpora,
Verum reatum nesciis
Falsi ministrans criminis.
Tu per quietis munera
Assiste custos pervigil.
Hostis procul sit callidus:

[1] *Lilia pro nitidæ funduntur lumine calcis*] Pictores tabulis quas picturæ aptant, colorem primo aliquem illinunt, quem campum vocant. In rusticanis vero picturis quæ parietibus inducuntur, calx ipsa et tectorium est pro campo. Hoc igitur est quod in horto suo fingit Ennodius, pro tectorio et picturæ campo fuisse lilia; pro colorum pigmentis reliquos diversorum generum colorumque flores.

[2] *Hymnus vespertinus*] Qui Prudentio est *ad incensum lucernæ*. Sic enim in optimis exemplaribus inscribitur hymnus 6 Cathemerinon, qui ejusdem est argumenti: non ut vulgatum est, *Ad incensum cerei paschalis*. Unde et Lucernarium dicebant vespertinarum precum officium, quod vespere et quando lucernas accendi mos est, occaso nimirum sole, peragi soleret. HORAM INCENSI appellat S. Ambrosius lib. III de Virginibus: *Certe solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cum e somno surgimus, cum prodimus, cum cibum sumimus, cum sumpserimus, et hora incensi: cum denique cubitum pergimus.* De hymnis porro qui sequuntur, etsi stylo et genio auctorem satis produnt Ennodium, aberant tamen a manuscriptis, quorum ope nixi sumus. Quare cum reliqua esset conjecturæ divinatio, qui parcius uti libuit, pauca eaque aperta et obvia mutavimus.

Quod lædit, illud dormiat.
Qui dente sævo mandere
Certat cubantes lectulis,
Hic membra vinctus lugeat
Pulsare sese quos foves.
Madente carne spiritus
Non enecetur naufragus.
Ornet cubile castitas,
Quæ prima virtutum micat:
Vivat fides in pectore,
Quæ luce vernat perpeti.

XI.

HYMNUS II. IN TEMPORE TRISTITIÆ.

Deus perenne gaudium,
Pax, Christe, cordis anxii,
Portusque fluctuantium.
Quem nec procella, turbidis
Si verrat ima motibus,
Potest fugare a pectore.
Qui mersa ponto sublevas,
Qui subjugata sarcinis,
Qui dux prophetæ naufragi,
Dum vivit esca belluæ,
Dum nescit æquor quod tenet,
Tutum ferino gutture
Exactor abrumpe cibum.
Diro reductus remige,
Custode salvus pessimo,
Vates locutus te Deum
Tunc jussa gessit fortior.
Immunda lymphis sobriam
Per busta terris vixerat
Vivens sepulcra pertulit,
Viventis ornet prandium.
Secreta ceti prodidit
Testis verendus intimi.
Sic nos precamur, rex Deus,
Mœrore fractos ut cibum
De ventre curarum rape.
Vivit medullis quod necat,
Turbantur alta viscerum,
In fonte carnis ardor est,
Qui mergit, urit, afficit:
Sed si serenus aspicis,
Pressura gignet gaudium.

XII.

HYMNUS III, DE S. CYPRIANO.

Vatis Cypriani et martyris
Cor, lingua, sensus, dignitas
Mortem ferendo proferant.
Vitalis ictum nox dedit,
Mucrone parta lux micat,
Dictis fuit præfulgidus,
Et ore dives unico,
Torrentis unda gurgitis,
Impacta cornu spicula
Sermone vincens promulo.
Opes verendi pectoris
Qui jure Christo reddidit.
Nunc munus implet pristinum,
Orator orat, obtinet,
Et dura causis temperat.
Facit beatos ex reis,
Peccata rumpens carmine.
Non flamma, carcer, vinculum
Potest nocere quos juvat,
Mactare jussus hostias,
Legenda risit numina.
Instante mox periculo,
Fugit pericla funere.
Parvas loquendi schemate
Moras remisit ictibus,
Accivit enses lætior,
Currente letho plus celer.
Proconsul [1] esse sævior
Nequivit ille Maximus.
Dum quod minatur munus est:
Nec tardat ira lenior
Christum volentes visere.

XIII.

HYMNUS IV. DE PENTECOSTE.

Et hoc supernum munus est,
Quod linguis lingua militat.
Quis non tonantis præmia
Per dona ejusdem proferat?
Facit loquendo qui sapit,
Dignum loquatur ut Deo.
Infundit ecce Spiritus,
Et ora rursus instruit.
Intrat [2] veterno pectora
Eviscerata nubilo.
In hoc apostolis die
Dum verba Verbum dividit,
Sermone mundi præpotens
Et corda mundi contulit.
Summi feratur laudibus
Homo, habet ora gentium.
Thrax, Gallus, Indus unus est.
Quod blanda ludit Græcia,
Quod sævit atrox barbarum
Stridor Canopi murmuris,
Quod [3] lingua latrat Parthica,
Pectus replevit hospitum.
Mundi ad salutem curritur
Nolente mundo tot viis.
Quod sacra nunc remissio
Paschalis instar gratiæ

[1] *Procul Maximus*] Galerius Maximus, qui Aspasio Paterno in proconsulatu Africæ successerat: cujus audita Cyprianus sententia qua morti addicebatur, hoc solum respondit: DEO GRATIAS; quin et ligatis per manus suas oculis, ut Pontius diaconus scribit, moram carnificis urgere tentabat. Eo spectat Ennodius cum ait Cyprianum enses accivisse, moramque loquendo minimam attulisse.

[2] *Veterno nubilo*] Veternus adjective, pro veternoso et vetusto: ut in panegyrico, *conscientias veterno errore possessas*, et dictione in Novercam, *veterni Erebi legibus*.

[3] *Lingua latrat Parthica*] In Parænesi, *Parthica et latret Morinus figura.*

Dum mysticam septemplici A
Ornat coronam munere.
Augmenta plenitudinis
Opes ministrant diviti.
Nunc mente, voce psallite,
Hoc nostra vox et mens Deo.

XIV.

HYMNUS V. DE S. STEPHANO.

Quid Stephano potentius
Dicas coronam, martyr est.
Hoc est homo, quod præmium.
Fructus laboris nomen est.
Laus hæc brevis prolixa sit.
Sic evocantur inclyti.
Necis minister, aspice, B
De morte vitam conferens.
Hoc dat salutem, quod necat.
Felix sub istis ictibus
Fit sempiternus exitu.
Cruore lucem præparat,
Cœlum sepulcri munere,
Hostem ut triumphus effugat
Ceu palma sic congreditur.
Hic primus intravit viam
Nullis subactam gressibus.
Secreta lustravit poli,
In veste carnis abditus
Clamavit, Ecce Filius
Consistit in dextra Patris.
Dum saxa ferrent impii, C
Dum ille lethi machinas,
Solus bonorum conscius,
Orabat ex fide loquens,
Ne nescientes noxios
Cœlestis ira perderet.
Insons erat vesania,
Reum furor provexerat,
Per vota currebat labor :
Crucem gemebat carnifex,
Crescente quem subegerat.

XV.

HYMNUS VI. DE S. AMBROSIO.

Cœlo ferunt Ambrosium
Nomen, honor, vel actio.
Nil debet hic facundiæ, D
Dos omnis est a moribus.
Fortis juvantem non cupit
Umbone munitus suo.
In carne carnis nil agit
Regina mens in corpore.
Confregit omne lubricum.
Sic vixit ille non sibi,
Sed totus auctori Deo.
Adjectus hinc apostolis,
Reduxit expulsam fidem,
Dixit triumphos martyrum
Linguæ virentis laureis.
Hic ore prædam sustulit
De fauce serpentis feri.
Qui bella Christi militat,
Nudus timetur ensibus.
Vivit sepultus et juvat,
Clavum tenens Ecclesiæ.
Justina [1] vires perdidit,
Dat pœna Vati præmium.
Sedis memento lux tuæ,
Exorna, sancte, posteros.
Auctore fultus nobili
Ne dux sereni culminis
In nube tectus horreat.
Qui [2] pastor est antistitum,
Quod fucat, omne submovet :
Gregem gubernat principum,
Magister est docentium.

XVI.

HYMNUS VII. DE ASCENSIONE DOMINI.

Jam Christus ascendit polum
Necavit ante funera,
Lethum sepultus expulit,
Mors mortis impulsu ruit.
Cantate factum sæcula,
Funus subegit Tartarum,
Vicit peremptus exitum :
Mors inde luget pallida,
Præsumpsit unde gaudium.
Escis vorator captus est.
Est præda raptor omnium.
Jam rete vinctum ducitur,
Jacet catena in nexibus.
Serpens venena protulit,
Mitis terit superbiam,
Agnus leonem eviscerat.
Plus istud est potentiæ,
Quod nostra, Christe, suscipis,
Et veste servi absconditus
Nos ad triumphum provehis :
Quam si e coruscis sedibus
Fulgore terreres reos.
Deus patet per omnia,
Nullo remotus tegmine :
Sed ut jacentes erigat
Dignatus esse quod sumus,
Redemit ipse jus suum.
Ovem revexit perditam
Pastoris ad custodiam.
Levate portas, angeli,

[1] *Justina vires perdidit*] Mater Valentiani junioris Augusti, quæ Ambrosium Ecclesiamque Mediolanensem, utpote Ariana, diris modis vexavit. Itaque de ea loquitur Gaudentius in præfatione ad Benivolum ex magistrum memoriæ : *Nostri namque temporis regina Jesabel. Arianæ perfidiæ patrona simul ac socia, cum beatissimum persequeretur Ambrosium, Ecclesiæ Mediolanensis antistitem, te quoque ea tempestate magistrum memoriæ, oblitum salutaris fidei arbitrata, contra catholicas dictare Ecclesias compellebat.*

[2] *Pastor est antistitum*] Mediolanensis antistes : qui metropolitani jure multis hodieque præest episcopis, sed multo pluribus olim præsidebat. Orat ergo pro Laurentio episcopo Mediolanensi.

Intrat tremendus arbiter,
Major tropæis hostium.

XVII.

HYMNUS VIII. DE S. EUPHEMIA.

Quæ lingua possit, quis valeat stylus,
Tantæ triumphos virginis eloqui?
Nunc mente molles discite masculi :
Exempla præstat, sumite desides,
Puella fortis cum superat viros.
Virtus teneri nescia semper est,
Nec jura sexus, fractaque mens ei,
Quæ corde Christum conciperet semel.
Solvunt caducis pectora vinculis,
Quibus repostus mentibus est Deus.
Tormenta torsit fortia corpore :
Lassante pœna crevit amor crucis.
Si scire posses vincere martyrem,
Vesane tortor, parcere disceres.
Flammas, flagellum, carnifices, rotas,
Cui crux sequenda est, non metuit nimis.
Hanc cum caminis igne crepantibus
Jussisse fertur præcipitem dari
Priscus [1], veneni fonte nocentior
(Nam sic feralem tempore sordido
Dixere sanctæ virginis arbitrum)
Hujus ministri dum cuperent nimis
Fornacis escæ tradere martyram,
Lux tunc Olympi luce serenior
Opus removit sæva volentium ;
Cum voce monstrant qui gladium simul.
Nos hinc precamur dirige Tartaro,
Nam nostra sanctam non violat manus.
Turgescit illi felle jecur calens :
Mox saxa, fossas, verbera, bestias;
Majus venenum blanditias parat,
Quibus virago fortiter obstitit.

XVIII.

HYMNUS IX. [2] DE S. NAZARIO.

Angusta vitæ tempora,
Parvis coacta terminis,
Mors sancta donat crescere,
Æterna fines præparat.
De fruge casuum venit,
Quo surgat humanum genus :
In stirpe Nazarius bona
A De morte lumen addidit.
Nerone felix principe
Diversa perpessus mala,
Lustravit orbem non gravi
Pavore cordis algidus :
Sed ut profanis inderet
Quo calle conscendant polos,
Verus magister actibus
Exempla, non verbis dedit.
Nam ductor ille fortis est,
Qui bella viribus docet.
Quem dicta militem trahunt,
Si dux gerendis abstinet?
Ventosa linguæ hortatio,
Quod forma præstat, non habet.
B Sed magna postquam semina,
Scribente terram sarculo,
Glebis refudit optimis,
Mediolanum mox petit,
In qua triumpho nobili
Carnis ruinam reppulit.
Qui cæde non digna jacens,
Vatem [3] tremendus mox monet,
Ut clara rursus munera
Mundo refusus adderet.

XIX.

HYMNUS X. DE S. MARIA.

Ut virginem fetam loquar
Quid laude dignum Mariæ?
C Det partus, ornet, exigat
Quod clausa porta, quod patens
Exposcit, ipsa suggerat.
Sint verba ceu miraculum.
Quid mens requiras ordinem?
Natura totum perdidit.
Hoc est salus, quod vincimur.
Cum sola virgo degeret,
Concepit aure filium :
Stupente factum corpore,
Turgescit alvus spiritu.
Quod lingua jecit semen est.
In carne Verbum stringitur.
De matre cunctus noster est,
De Patre nil distans Deus :
D Utrisque partus integer,

[1] *Priscus*] Asiæ proconsul : quo judice S. Euphemia martyr Chalcedone atrocissimis suppliciis excruciata est.

[2] *De S. Nazario*] Martyre Mediolanensi, de quo exstat sermo S. Ambrosii, multa iis quæ hoc hymno scribuntur, simillima continens. Sed quod Nerone imperante passus dicitur S. Nazarius, id post Ambrosii mortem compertum est, quia suo tempore ignoratum adhuc fuisse, auctor est Paulinus presbyter in Vita S. Ambrosii.

[3] *Vatem monet*] Ambrosium episcopum, qui, ut Paulinus idem narrat, inventas in horto S. Nazarii reliquias transtulit in basilicam Apostolorum. Qua de re Ambrosii ipsius versus leguntur in monumentis Christianis, quos titulum apposuit :

Condidit Ambrosius templum, Dominoque sacravit
Nomine apostolico, munere, reliquiis.
Forma crucis templum est, templum victoria Christi.
Sacra triumphalis signat imago locum.
In capite est templi vitæ Nazarius almæ,
Et sublime solum martyris exuviis.
Crux ubi sacratum caput extulit orbe reflexo,
Hoc caput est templo Nazarioque domus.
Qui fovet æternam victor pietate quietem,
Crux cui palma fuit, crux etiam sinus est.

Sunt et alii versus, qui indicant eam basilicæ partem qua Nazarii conditæ sunt reliquiæ, a Serena Stiliconis conjuge, Libycis marmoribus ornatam ex voto fuisse.

Qua sinuata cavo consurgunt tecta regressu,
Sacratæque crucis flectitur orbe caput,
Nazarius vitæ immaculabilis, integer artus
Conditur, exsultans hunc tumuli esse locum.
Quem pius Ambrosius signavit imagine Christi,
Marmoribus Libycis fida Serena polit.
Conjugis ut reditu Stiliconis læta fruatur,
Germanisque suis pignoribus propriis.

Quæ gignit et qui præcipit.
Nil major ille servulis,
Sed nec minor creante fit.
Fons dicta clausus accipit.
Fons membra clausus accipit.
Nec rima cessit arctior,
Et vera proles emicat.
Dic, mater et virgo, precor,
Quisquamne claudit exiens
Arctantur exta fetibus,
Vinclum pudoris natus est.

XX.

HYMNUS XI. DE S. MARTINO.

Cum gesta Martini loquor,
Nil laude dignum transeo:
Divisa virtus omnibus
Unum coacta prætulit.
Labore magno martyr est,
Victore carnis spiritu:
Hoc est triumphis proximum,
Si bella calcent intima.
Perdente vires corpore,
Res fixa constat laureis.
Sublimat hostem mentium,
Qui vota membrorum fecit.
Hic fontis ignem nesciens,
Calore fervebat Dei:
Undis vapore junctus est,
Christo dicatus actibus.
Qua veste ludum texerat;
Hac rex nitebat ætheris:
Sordente panno acquiritur,
Quo fulget astrorum globus.
Quam justa commutatio!
Astrum rependit indigens:
Et regna mendicus parat,
Mox sacra vitæ contigit,
De plebe lusit dæmonum.
Jussit favillis surgere:
Vixere tactu funera,
Flagella passus est libens.
Quibus coronam nexuit.
Compulsus ad antistitem
Votum repugnans induit,
Quod sancta complevit fides.

XXI.

HYMNUS XII. [1] DE S. DIONYSIO.

Dionysio Christus dedit
Quot bella, tot victorias.
Exsul piorum civis est,
Urbis supernæ particeps.
Constantius vatem loco
Quondam tyrannus expulit.
Non cessit iste turbido,
Crevit periculis fides.
Hoc sancta dic professio:
Te pœna tradit prosperis.
Optata mercaris malo.
Persiste tortor adjuvans,
Lux hæc negando ceditur.
O quam beata adversitas,
Si sic triumphant exsules!
Nihil verendo martyre
Confessor ille destitit.
Dispersa mors quos afficit,
Ad vota mortis evolant.
Nil lenta perdit coctio:
Intrat latenter abdita.
Vitale funus mœror est,
Velox medela transitus.
Risit furorem principis,
Fide manente cursitans:
Fixus per orbem ducitur,
Qua sol coruscat acrior,
Negans bibendi copiam,
A te, tremende, sumimus
Ceu nostra, quæ remuneras
Tu mitte sanctum poscere,
Quod ipse nobis conferas.

[1] *De S. Dionysio*] Episcopo Mediolanensi, viro sanctissimo, qui pro fide orthoxa in exsilium a Constantio Aug. relatus in eo vitam posuit, ut docet S. Ambrosius epist. 25 ad Vercellenses.

LIBER SECUNDUS

EPIGRAMMATA.

I.

EPITAPHIUM HOMINIS BONI.

Mente bonus, probitate nitens, et [1] nominis auctor
Sic jacet angusto dic dolor in tumulo?
Spes domus immensæ modico contecta sepulcro est
Artantur parvis culmina cespitibus.
Quid decus in pueris, quid præstant limina vitæ?
Non exspectatis mors venit ordinibus.
Quid juvat hunc, teneris senium quod prætulit annis
Funeribus junxit funera multa suis.
Occidit, heu, juvenis, qui texit crimina vitæ
Tempore culparum vivificante Deo.
Aspice, primævos metuis qui forsitan annos,
Ætas vincentem non tenuit puerum.

[1] *Nominis auctor*] Φερώνυμος, vere homo bonus, et nomini respondens. Creber est his allusionibus, ut epigr. 11 de Honorato, et dictione 3 de Maximo. Athalaricus Felici quæstori lib. VIII Variarum, 18: *Sumpsisti nomen ex moribus: custodiat semper læteris veritate vocabuli. Nam cum omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita, nimis absurdum est portare nomen alienum, et aliud dici quam possit in moribus inveniri.*

Exemplum terris linquens, ad sidera raptus
Confessis rectum quam bene monstrat iter!
Bis denas hiemes, totidem transcendit aristas,
Quem subito ex oculis sors inimica tulit.

II.

EPITAPHIUM HABUNDANTII V. I.

Nunquam morte perit meritis post busta superstes,
Funera sublimem non capiunt animam.
Sanguis, honor, genius, probitas, constantia, census
Interimunt multis dotibus exitium.
In commune bonus non sentit damna sepulcri:
Fila legunt Parcæ quæ dederant miseris.
Pendula lassantur quæ plebem stamina portant,
Fortia contingunt licia nobilibus.
Cana venerandi renovabant sæcula mores:
Inque vicem templi pectora munda tulit.

III.

DE EPIGRAMMATIS PER ARMARIA DOMNI FAUSTI FACTIS.

Consona diversis finxisti carmina libris,
Suscipiat gaudens littera quod tribuit
Nescio qui tantum non laudet, Fauste, pudorem,
Cum reddis si quid lecta dedere tibi.
Depositum perdit mens recti nescia semper,
Ad mores redeunt hæc documenta probos.
Si tamen admittis dexter mea verba, fatebor,
Qui pollet magnis parvula jure fugat.
Laudentur tereti quos pingis carmine vates,
Mascula [1] rhetorico schemate lingua tonet.
Ceu Paulus Christum docuit hominemque Deumque,
Quo præstat cunctis gaudeat eloquio.
Attica per Graios ditentur dogmata sensus,
Et nostrum stupeat Græcia docta decus.
Moralis strictis, narretur physica certis,
Historiam monstrans indicet historia.
Comica per limam numerentur, fortia plausu,
Conveniunt operi lucida dicta tuo.
Non valet hæc alter: sed Faustum dicere summa
Ludus erit semper, si bene nota loquor.

IV.

DE PLAUSTRO QUOD EPISCOPUS DONARAT.

Antistes summus Plaustro te nobile donat.
Pandit iter magnis, omina dextra facit.

V.

[2] EPITAPHIUM RUSTICÆ.

Rustica, perpetuæ non te sors pallida vitæ
Sustulit, interitum nec tibi morte dedit.
Purior ætherias graderis sine carne per arces:
Sic vitam castæ funera nobilitant.

A Quid mirum, viduata tibi sat constitit ætas,
Conjugis ad natum cum bene ductus amor.

VI.

EPITAPHIUM MELISSÆ.

Corpore devicto moritur quicunque, superstat:
* Donat lethi legem crimina sola homini.
Nil tibi, virgo, perit: carnem mens pura refudit
Quæ nunquam mundi vixit in obsequiis.
Funera, busta, rogi, scelerum stipendia cessent:
De vita ad vitam transitus iste placet.

VII.

(SERPENS ÆNEUS IN CRUCE.)

Occisor mortis, dux vitæ, planta salutis,
Aspice, nunc [3] serpens ecce venena fugat.
B Et quod supplicii species et mortis imago
Jam fuerat miseris, est mihi certa salus.

VIII.

VERSUS IN BASILICA SANCTI XYSTI EPISCOPI FACTI ET SCRIPTI, QUAM [4] LAURENTIUS EPISCOPUS FECIT.

Antistes genio pollens, probitate, pudore,
Ornavit donum meritis, et lumina vitæ
Ad pretium jungens operis, hæc templa locavit.
Lapsa per incertos non spargit fama recessus;
Sed veteris facti vivit lex aucta per ævum,
Quam dexter capiat Laurenti munera Xystus.
Sic manet officium, quod sanctis contigit olim,
Obtulit hic templum, veniens quod consecrat ille.

IX.

C ITEM IN BASILCA SS. QUIA ARSERANT ÆDIFICIA QUÆ PRIUS IBI FUERANT, ET SIC FACTA EST.

Vilia tecta prius facibus cessere beatis.
Sic splendor per damna venit, sic culmina flammis,
Consurgunt habitura Deum. Si perdita crescunt
Ignibus innocuis, si dant dispendia cultum;
Qualis erit reparans crepitantibus aucta ruinis?
Laurenti tua bella gerens incendia vince.
Sordida marcenti latuisset terra recessu,
Si status faciem tenuissent antra vetusta.
Sed postquam superi flammas misere secundas,
Ad lumen cineres traxerunt ista colendum.
Huc oculos converte pios, qui cuncta vapore
Prædicis mundanda, pater, rebusque docendos
Instrue, ne verbis titubet mens nescia recti.

X.

[5] IN DOMO MEDIOLANI.

D Ædibus ad genium duo sunt concessa per ævum,
Si niteant crustis, aut domini merito.

[1] *Rhetorico schemate*] Schema, σχῆμα, est figura, cultus, habitus. Schemata igitur rhetorico dicere, est ornatre et qua pompa rhetores solent, dicere. Schema oratorium, et schema ac pompa sermonum lib. I, epist. 15 et 16. Sic mundi schemata sunt ornamenta sæculi lib. IX, epist. 9, et humanæ perfectionis schema dictione 4. At pro schemate perperam hoc loco antiquarii stemmate scripserant, itemque in hymno in Cyprianum. et epigram. 87.

[2] *Epitaphium Rusticæ*] Superest adhuc Mediolani hoc epitaphium insculptum in lapide, qui nunc insertus est ecclesiæ S. Francisci

[3] *Serpens venena fugat*] Prudentius in Enchiridio.
sed prudens ære politum
Dux cruce suspendit qui virus temperet anguem.

Pari elegantia et antithesi Severianus Gabalorum episcopus serpente illo, quia symbolum erat crucis Christi, salutem, καὶ ἀπὸ τοῦ ἐπικαταράτου εὐλογίαν, a maledicto benedictionem, fluxisse ait in oratione 2 e decem quas Chrysostomi nomine in lucem dedit card. Sirletus. Sed Severiano hanc asserunt, quam dixi, Damascenus et Hadrianus papa cum synodo Parisiensi.

[4] *Laurentius episcopus*] Mediolanensis: ab eo Mediolani exstructa basilica S. Xysti: Ennodius parietes prisco Ecclesiæ more versibus inscripsit.

[5] *In domo Mediolani*] Domo ecclesiæ seu basilicæ episcopalis; quam Laurentius idem variis rebus exornarat.

* *Dant* lege dum videtur juxta leges metri. EDIT.

Herbida [1] pasturam simulantia saxa virentem
  Illiciant oculos nobiliore dolo.
Pellat opus tamen arte, regat natura figuras,
  Viscera dum lapidum fingit imaginibus.
Candorem roseo perfundat doctor ab ore,
  Depingat sparsis congrua membra notis.
Aurum, culmen, ebur, tabulas, laquearia, gemmas
  Non datur humanis plus rutilare bonis.
In pretio cautis fors et sine lege jocatur.
  Moribus ut constes, crede, laboris erit.

XI.

(IN [2] BASILICA APOSTOLORUM NOVARIÆ.)

Antiquum ecce nitet templum, quod sorduit ante,
  Cui faciem veterem lux nova composuit.
Perdidit antiquum quis religione sacellum,
  Numinibus pulsis quod bene numen habes?
Di quibus hoc patuit, possessas linquite sedes.
  Quod fecit Victor, victor ubique tenet.
Addidit ad cultum merito successor et actis,
  Qui morum nomen hinc, Honorate, geris.
Nubila viperei qui gestat corda veneni,
  Non datur ut faciat culmina pulchra Deo.

XII.

(ITEM IN DOMO MEDIOLANI.)

Aspice de cujus biberit domus arcta fluentis,
  Atria quod superat porticibus modicis.
Pontificis summi studio constructa renidet,
  Laurenti proprium possidet ista diem.
Splendida per census consurgunt tecta ruinam,
  Occasum nescit quod venit a Domino.
Vix caries senium comitata hoc deterit unquam,
  Gloria factoris quod bene condiderit.
Fabula de magnis nunquam tacitura reservat,
  Quod vincens ævum nomen ad astra ferat.

XIII.

Ille fuit rigidi semper servator honesti,
  Terribilis culpis, supplicibusque pius.
Quem nunquam flexit vitium, miseratio semper,
  Judicium facie certus ubique dedit.
Crimina corripuit vultu, compuncta refovit,
  Conscia secreti detulit ora tui.
Hunc utero genitrix cœlestem fudit in aulam,
  Ubera subducens tradidit uberibus.
Cana venerandum stupuerunt sæcula vatem:
  Moribus ante fuit, quod gerit officio.

XIV.

Qui possessa diu felix habitacula liquit,
  Quæ crevit Domino sic viduata domus.
A Aulica suscipiens moderamina raptus inemptum
  Quod pretio mentis quæritur, obtinuit.
Nunc locus irriguo retinet quod sorbuit haustu,
  Prospera custodiens faucibus acta semel.
Extemplo quisquis successit mansor et hæres,
  Ingresso dextrum contulit ista pedem.
Quid præstet consors ad sanctam discite vitam,
  Si reddunt mundos tecta dicata viros.

XV.

Da, Pater omnipotens, per sæcula longa, precamur,
  Spes et certa piis hospitibus venia.
Candida ne meritis fuscentur stamina nostris,
  Neu metis sistat palma parata meis.
Surgat qui propriæ genitricis fotus in alvo
  Ad gustum vitæ per tua dona venit.
B Tu mea vel tenui perfundis corda sapore,
  Tu testem linguam sanguinis esse facis.
Celsa tenebroso frondescunt arbuta luxu,
  Quæ nullis strinxit falcibus agricola.

XVI.

Eloquium certus naturæ constitit index,
  Perfecti fontem quærere qui sitiat.
Libertas semper studiis reseratur honestis,
  Infabricata latet nobilitas studiis.
Captivum venis servasset terra metallum,
  Ni daret inventor quod vocat in medium.
Scrutator fulvum concessit pallidus aurum,
  Qui polit, ingenium sic facit esse suum.
Hactenus Jonium perlustrans remige pauco
C Ad portum cymbam flecte, Thalia, meam.

XVII.

SUPER [3] REGIAM TRICLINII IN DOMO.

Navita per postes suspendit munera ponti,
  In foribus propriis flumine parta gerens.
Venator portis opponit missile ferrum,
  Vestibulum galea comitur armigeri.
Discitur in valvis ars, virtus, nomen, origo.
  Nos frontis signo credimur esse Dei.
Sic nostrum pande studium dux littera recti,
  Ut domus ingenium non taceat Domini.
Qui gestas Latium satiatus pectora rorem,
  Aspice serpentes hic Heliconis aquas.

XVIII.

IN [4] MISSORIO, QUOD HABET LORICATUM JUVENEM SUPER
D EQUUM, TENENTEM VICTORIAM IN MANU.

Ecce tenet victrix pennatum dextera numen:
  Venit, et ad reditum non habet arma viæ.

[1] *Herbida saxa*] Marmor Lacedæmonium, viridi colore. Prudentius: *Qua viridis Lacedæmon habet.* Sidenius in Burgo:

Herbosis quæ vernant marmora venis.

[2] *In basilica Apostolorum*] In omnibus libris titulus hic erat, VERSUS IBIDEM, quod falsum est. Itaque alium fecimus ex Dictione 2, quæ ejusdem est argumenti. Rursum in codice Vaticano primus versus quinum tantum est pedum: abest enim τὸ *antiquum*: pro quo in Fabri libro scriptum est in fine τὸ *lavacrum*, hoc modo: *Ecce nitet templum, quod sorduit ante lavacrum*; in tertio, *ante vetustum.*

[3] *Super regiam Triclinii*] Portam maximam, mediam, βασιλικὴν, ideo postes et valvas interpretatur. Sic fores et regias in basilicis appellabant. Gregorius Turon. lib. IV, cap. 12: *Dum deambulabant per ecclesiam, ad regias ædis sacræ quæ tunc reseratæ fuerant, appropinquant.* Anastasius Biblioth. in Honorio. *Investivit regias in ingressu ecclesiæ majoris, quæ appellantur medianæ, ex argento.* Item in Conone: *Qui missi fuerant de exercitu ad custodiendas regias basilicæ clausas observabant.* Græci βασιλικάς vocant.

[4] *In missorio*] In lance seu disco: ut epigram. 92. Missorium inter vasa escaria numerat Isidorus Orginum XX, dictumque a mensa putat, quasi mensarium: ego a missu ductum malim, ut gustatorium a gustatione. Glossæ Isidori, *lancibus missoriis.* Vetus aliud Glossarium, *discum missorium.* Græci, μισσώριον Atque ut missorium hoc equitem habet cum Victoria, et alterum infra imaginem ipsius Ennodii: sic Anthologiæ lib. IV μισσώριον duplex describitur, unum

Pugnacem gestans sonipes per terga minatur,
Advena cui terror ridet in arte bonus.
Discat Hyperboreis famosum germen in arvis
Naturæ genium, cum simulacra videt.

XIX.

DE LEONE MARMOREO, QUI AQUAM MITTIT IN DOMO.

Aspice deposita blandum feritate leonem :
Ore vomit lymphas pectoris obsequio.
Unda fluit rostro, dens mortis pocula mandit,
Naturam perdens bellua nos satiat.
Effera dum vitreos effundunt guttura fontes,
Dira salutiferis corda lavantur aquis.

XX.

[IN BAPTISTERIO AGELLO UBI PICTI SUNT MARTYRES, QUORUM RELIQUIÆ CONDITÆ SUNT IBI.

Conditor [1] Armenius, supero qui dignus honore est
Hic peperit fontem vivificantis aquæ.
Plena salutiferis gestemus viscera lymphis.
Ne sitiat potans contulit unda semel.
Rapta sepulturis animavit corpora pictor :
Funera viva videns mors eat in tumulos.
Illorum tamen iste locus complectitur artus,
Quos paries facie, mens tenet alma fide.

XXI.

DE [2] SCUTELLIS SEPTEM HABENTIBUS FERAS VEL DIANAM.

Delia, cervus, aper, tigris, leo, bucula, pardus
Apportat mensis fercula, docte, tuis.

XXII.

DE [3] COMPOSTILE HABENTE SEPTEM GAVATAS.

Diversis dapibus confinia proxima servat,
Dum claudit variis fercula multa viis.
Limitibus certis quod junctus dividit ordo,
Unus in argento quam bene venter habet?

XXIII.

DE [4] EO QUI UT FILIUM MATRI RECONCILIARET, FURTUM FECIT.

Quis rogo per facinus crimen compescuit unquam ?
Amplector sanctas, quæ dant bona semina, fraudes,
Augmento rumpunt dum jurgia sæva perito.
Qui natum matris per culpam reddit amori,
Hunc odiis constat missurum semina pacis.
Ordine perverso fallax concordia pugna est,
Cum belli facies tribuat mentita quietem.

XXIV.

DE EO QUI DICEBATUR MERETRICIS FILIUS ET ASELLIONIS ESSE.

Di, prohibete minas, quas partus nuntiat horrens.
Quem lupa sordenti conceptum fudit asello,
Conjugis illicibus satiavit viscera prole,
Edidit et pecori sobolem fera prodiga legis.
Quid faciat rumpens naturam convena discors?
Unde sequenda petat natus, quis dicere possit ?
Quem stultum genitor, furem dedit improba mater,
Nobile degenerans tenuisset culmen ab istis.
Sed vitiis proprium te norunt, crede, parentes,
Elinguem, trepidum, jactantem, fraudibus aptum,
Gutturis immensi, sorbentem quidquid ubique est.
Qui semel assuetas humano sanguine fauces
Pandit, et ad viles non vertit terga juvencos.

XXV.

DE [5] CAUCO CUJUSDAM HABENTE PASIPHAEN ET TAURUM. EX TEMPORE.

Pasiphae niveum linques nec in arte juvencum,

in quo τὰ δώδεκα ζώδια, alterum ἔχον ἀφροδίτην καὶ ἔρωτας. Idacius orbiculum vocat, cum de aureo quingentarum librarum missorio scribit, quod Aetius patricius Thorismundo Gothorum regi ob navatam adversus Attilam operam dedit : pro quo numerata a Sisenando, quia direptum a Gothis fuerat, cum ad Dagobertum regem mitteretur, [solidorum millia ducenta, tradit vetus auctor Vitæ Dagoberti cap. 29. De altero item aureo Chilperici regis missorio meminit Gregorius Turon. lib. VII, cap. 5. De utroque Aimoinus lib. III et IV. De aliis duobus, sed argenteis, Flodoardus presbyter in testamento S. Remigii et Sonnatii, præsulum Remensium.

[1] *Conditor Armenius*] Ad quem epist. 1 lib. II.

[2] *De scutellis septem*] Ut in repositorio Petronii Arbitrii duodecim signa zodiaci pro scutulis sunt et lancibus, ita hic septem scutellæ in Dianam et sex feras effictæ, aut illas certe insculptas habent.

[3] *De compostile habente septem gavatas*] Quod aliis repositorium dicitur, id Ennodio est compostile a compositis in eo lancibus obsoniorum. Gavata, ut Martialis et Fortunatus docent, lancis est genus. Isidorus lib. XX : *Lancis gavata, quasi cavata.* Et in Glossario : *Paropsis gavata vel catinus* : sic enim utrobique legendum. Compostile ergo Ennodii septem gavatas habebat, id est septem lances, vel quasi lances inter se distinctas, diversisque dapibus accommodas. In repositorio enim missus unius epulæ diversis lancibus a structore compositæ (quas struices patinarias Plautus vocat) mensæ inferebantur. Et quidem Petronio repositorium id proprie, cui gravior cœna, ut gustatorium Martiali ac Plinio Cæcilio, cui gustatio imponebatur. Ita nimirum fiebat, ut non singulas lances [apponerent, sed multas simul in uno compostile seu repositorio congestas. Atque hinc fortasse labor ille gestantium ministrorum quem antiqui scriptores significant. Sidonius lib. I, epist. 2 : *Non ibi impolitam congeriem liventis argenti mensis cedentibus suspiriosus minister imponit*; et lib. IX, epist. 10 : *Geruli caput plicantes Anaglyptico metallo Epulas superbiores Humeris ferunt onustis*. Interdum etiam Compostilis seu repositorii non unica facies erat, sed multiplex, alia alii imposita : quod videre est in Petroniano : *Repositorium*, inquit, *rotundum* 12 *habebat signa in orbem disposita, superque proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum : super arietem cicer arietinum, super taurum, bubale frustum* : et post alia : *Ad symphoniam quatuor tripudiantes procurrerunt, superioremque partem repositorii abstulerunt : quo facto videmus infra, in altero scilicet ferculo, altilia et sumina, leporemque in medio pennis subornatum, ut Pegasus videretur.*

[4] *De eo qui ut filium*] Sex quæ sequuntur epigrammata in lucem nunc primum exeunt.

[5] *De cauco*] Caucus poculi genus. Hieronymus lib. II in Jovinianum de Diogene : *Quodam tempore habens ad potandum caucum ligneum, vidit puerum manu concava bibere, et elisisse fertur ad terram dicens, Nesciebam quod natura haberet poculum.* Spartianus in Pescennio : *Tantæ fuit severitatis, ut cum milites quosdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, jusserit omne argentum submoveri de usu expeditionali, addito eo ut ligneis vasis uterentur.* Apud Trebellium quoque Pollionem in epistola Valeriani cavei et scyphi una junguntur. Sed fecit insolentia vocabuli, ut passim corrumperetur. Nam apud Spartianum et Pollionem *caveos* editum est, *cavum* apud Hieronymum : apud Ennodium epigrammate 29, DE GLAUCO. At veteres libri recte ibidem et hoc loco. DE CAUCO.

Diffusis collo manibus petis oscula supplex.
Pulchrior et certis illudis ficta puellis :
Candidus argentum superat bos luce coloris,
Vivit amor, taurus, mulier, sine corpore vero.

XXVI.

DE EO QUI NUNQUAM NISI IN DEPOSITIONE FILII PAVIT.

Præparat in fletu qui fercula lauta vocatis,
Annua per lacrymas celebret sollemnia magnas.

XXVII.

ALITER.

Nunquam stante domo pascit, mihi credite, tantos,
Qui tumulos natis, et mensas complet amicis.

XXVIII.

ALITER.

Convivæ miseri luctus deposcite multos :
Prandia tot venient, funera quot fuerint.

XXIX.

ITEM DE CAUCO[1] HABENTE PASIPHAEN ET TAURUM.

Blanditur mulier, sentit bos, membra moventur.
Attulit ars formas : quis dedit hic animas ?

XXX.

ALITER.

Et fictus rigidam servat, Venus improba, mentem
Taurus, ut admotis suspendat rostra labellis.

XXXI.

ALITER.

Si tibi sunt animæ, pictor, quibus inseris artem,
Mollior in tauri claudatur spiritus ore,
Fortia si miseræ non dantur corda puellæ.

XXXII.

DE [2] EO QUOD MESSALA CONSUL ENNODIUS IN COGNOMINE DICTUS EST.

Consulis ad genium nomen pro stemmate junxit :
Dans lucem fastis, sum trabeis potior,
Quid palmata tuo tantum de murice vernas ?
Plus fucante dedit [3] purpura nostra tibi.

XXXIII.

DE OBLOQUENTE SIBI ADVOCATO.

Improbe, quid fractis confundis singula verbis ?
Depingit mores obruta lingua tuos.
Accipis, exposcis, præsumis, renuis, ardes.
Tristio, blanda simul, fortia, fluxa facis.

A Ira, pavor, rabies, patientia tempore in uno,
Tot facies gestas pectoribus vacuis.

XXXIV.

VERSUS SCRIPTI AGELLO UBI [4] FILIUM ARMENII ANGELI CHRISTO OFFERUNT, QUI PŒNITENTIAM EGIT.

Suscipit oblatum veniam cui contulit Iesus.
Post culpas animæ sunt holocausta Dei.
Perge, puer, teneros superans bene conscius annos.
Victores juvi candida vita pios.

XXXV.

DE [5] EO QUI GALLIS IPSO PRÆSENTE OBLOCUTUS EST, CUM ESSET DETRACTOR VENETUS.

Illudis Gallis, Veneti male tincta propago.
B Nil candoris habes, mens tibi quod genus est
Despicis insontes maculatæ vernula terræ :
Sed natos Rhodani nix probitatis habet.

XXXVI.

EPIGRAMMA [6] IN SUBSCRIPTO.

Quod tibi naturæ dederit lex germen amice,
Hoc mihi fons tradat vivificantis aquæ.

XXXVII.

IN DOMO ANTE ORATORIUM.

Commoda de damnis mercaris, gaudia planctu,
Si tibi de Christo est indubitata fides.

XXXVIII.

ANTE OLEARIUM.

Hoc est quod nitido membrum completur olivo :
C Nil potius sanctas convenit ante fores.

XXXIX.

ANTE HORREUM.

Horrea parva licet, sed mens est largior illis.
Non parcens opibus divitias merui.

XL.

ANTE SCALAS.

Adveniant animum reserante teste figura,
Quo semper votum proditur indicio.

XLI.

ANTE CELLARIUM.

Nulla penum laxat mentis pressura sinistræ :
Effluit expensis quod spatiis latitat.

[1] *Habente Pasiphaen*] Cælatam aut insculptam. Hoc nimirum est quod sugillat Plinius in prooemio lib. XXXIII : *In poculis libidines cælare juvat, ac per obscenitates bibere.*

[2] *De eo quod Messala consul*] Messala consul fuit anno Christi 506. In eo consulatu novum sibi cognomen Ennodii fastis ascripsit, ut Ennodius Messala diceretur. Cognomen ergo illis sæculis appellabant, quod vero nomini, hoc est ultimo, præponebatur. Ita enim Cæcilii Cypriani Hieronymus, et Sulpicii Severi Gennadius, cognomenta fuisse scribunt, quæ priore loco ponuntur. Alta mens fuit doctissimo Panvinio, qui priscum Romanorum morem jam diu exoletum secutus in fastis scriptum fuisse putat MESSALA ENNODIUS. Sed hoc modo Ennodius Messalæ proprium nomen fuisset, non cognomen. De Messala Fausti filio Avieni fratre, dictum est in epistolis.

[3] *Purpura nostra*] Nomen nostrum minio fastis inscriptum : ab hoc enim scripturæ colore purpurei D fasti Martiali, et purpurissati Sidonio. Non minus, inquit, Messalam consulem ornat nomen meum, quam ipsa palmata.

[4] *Filium Armenii*] Lib. II, epist. 1.

[5] *De eo qui Gallis*] Transalpinis scilicet, unde ipsi origo. Nam et Veneti quoque Cisalpini sunt Galli. Venetus præterea coloris genus est. Hinc Venetos male tinctos, et maculatæ terræ vernulas vocat, vel quia fusiore sunt ore, quam Galli.

[6] *In subscripto*] De competente, baptismi candidato. Qui baptismum postulabant, scripto nomen edere jubebantur. Concil. IV Carthag., can. 25. Ferrandus diac. in epist. nondum edita ad Fulgentium de quodam Æthiope baptizando : *Propinquante solemnitate paschali inter competentes offertur, scribitur, eruditur.* Cyrillus in prologo Catecheseon, εἰσῆλθες, κατηξιώθης, ὄνομά σου ἐνεγράφη. Inde eo tempore competentes et subscripti dicebantur.

XLII.

ANTE COQUINAM. A

Non mihi diffusæ dant prandia celsa coquinæ :
Nec plures venter concutit artifices.
Fercula pauca damus numerum vincentia cultu,
Gloria nec mensæ damna salutis habet.

XLIII.

[1] ANTE CANAVAM.

Sobria cella cadis vinum quod servat onustis,
Corpora confirmat gressibus acta suis.
Infundunt multis irarum pocula flammas :
Mitescunt nostro bellica corda mero.

XLIV.

IN INGRESSU HORTI.

Respice, qui gressum sinuas per amœna vireta, B
Ut discas cultis lucem præferre diserti,
Arridet germen, quod linguæ pingitur ostro,
Ver habet in bruma, qui flores carmine gignit,
Per glaciem zephyros exhalant verba tepentes,
Ebria fulgenti maduerunt murice dicta,
Omnibus in rebus sermonum purpura regnat,
Oris ad imperium submittunt colla chelydri.
Algida cum roseo juvenescunt sanguine corda,
Primævos gelidis ostendit littera membris.
Vertit ad obsequium naturæ munera doctus,
Ætates, species, mensuras, tempora, formas.

XLV.

INTRA HORTUM SUPRA LIMEN.

Collaudet spatiis hortorum commoda lautis,
Plurima cui satiant jugera culta famem. C
Ditior extentos superat dos larga minorum:
Nobilitas vera est, quæ nitet in modicis.
Venit ad inclusum postponens gratia campos,
Prodidit angustis quid faciat studium.
Vernat in ingressu viridanti porticus umbra,
Cui fudit genium vitifer ipse Deus.
Exornans magnis foliorum texta racemis
Æstivis junget commoda frigoribus.
Lilia nam, laurus, oleas, commista rosetis
De cultu proprium fecit avere diem.
Serta triumphantis frondem quæ monstret amicum.
Contulit affectus aurea terra suos.
Largus opum poscat majoris præmia voti :
Hoc satis est nobis, quod sine fraude libet.

XLVI. D

[2] DE MURENA INL. F. QUÆ [3] IN SEPTICIO CLAUDITUR.

ITA TENUIS EST.

Spiritus exhausto volitat prælubricus auro.
Candida lassatum vix tangit membra metallum.
Afflixit pondus pretium fornacis anhelæ.

XLVII.

ALITER.

Aurea per nebulas dissolvit fila magister :
Luserunt dociles flamina fulva manus.

XLVIII.

ALITER.

Contulit hic ventus pretiosi membra metalli.
Quod finxere timent, nec capiunt oculi.

XLIX.

ALITER.

Est nihil, et teneo, convincit dextera visum.
Stringitur arctatis digitorum nexibus aura.

L.

DE EO QUI FICUS MUNERE ET TESSERAM SIMUL MISIT.

Damnati [4] fructus mittit tua dextera ligni.
Hæc hominem [5] dira spoliarunt pabula primum.
Et nudis, serpens, post fraudem sorte minaris.
Parce, precor, donis: casus et damna reserva.
Quid nocitura putas insontis poma saluti?
Ante ferax lethi tunc mortem depulit ardor,
Fixa triumphigeris cum ramis vita pependit.

LI.

DE ADULTERO ET MOLLE.

Omnia memphitis retinentur sæcula textis.
Servivit nunquam Laurentius ante Neroni,
Nec timuit validas vicit qui corpore flammas.

LII.

ALITER.

Vir facie, mulier gestu, sed crure quod ambo,
Jurgia naturæ nullo discrimine solvens,
Es lepus, et tanti conculcas colla leonis.

LIII.

ALITER.

Exige mendaces poquiorum uxorcula barbas,
Ne minuant quæstum mascula labra tuum.

LIV.

ALITER.

Respice portentum permixto jure creatum,
Communis generis, satius sed dicitur omnis.

LV.

ALITER.

Ludit in ancipiti constans fallacia sexu :
Femina cum patitur, peragit cum turpia, mas

LVI.

IN BAPTISTERIO MEDIOLANENSI.

Mundior excocti fulgescat luce metalli,
Munera disponit qui dare digna Deo.
Ante vaporatis Laurenti vita caminis.

[1] *Ante canavam*] Cellam vinariam, S. Augustinus sermone 61 de Tempore : *Multa sunt quæ de horreo, canava, vel cellario aliquoties proferre non possumus*, Isidorus in Glossis, *Canava, camera post cœnaculum.* Canevaros hodieque Itali vocant pincernas vel canavæ præpositos.

[2] *De Murena inl. f.*] Hoc est *inlustris feminæ:* fortasse Firminæ : in cujus anulum lusit epigram. 97, nunc in ejus murenulam, hoc est catenulam auream, cui similitudo piscis nomen fecit: eam describit Hieronymus ad Marcellam epist. 15. Murenas pro murenulis frequenter iterat Anastasius in Gregorio IV : *Murenam in qua pendent gemmæ hyacinthicæ* 13; item *murenas prasinales*, et *murenam trifilem*, *murenam tilatam.*

[3] *In septicio*] Basilienses, *septacia.*

[4] *Damnati fructus ligni*] Ex eorum sententia qui arborem Adamo vetitam ficum fuisse existimant : in quibus Theodoretus quæst. 28 in Genesin. Tesseram autem cum ficubus missam, hospitalem dicit.

[5] *Dira spoliarunt*] Hic nulla est in metro licentia : quia veteres grammatici docent brevem natura syllabam ancipitem fieri, quam in sequenti dictione [illegible] consonantes excipiant, quarum prior sit S. Ita epigram. 17, *Pande studium*; et Virgilius, *date tela, scandite muros.* Martialis lib. VIII, epigr. Pauca Jovem, *Nondum taxata stulte, negata putas*? Sic enim eum versum legunt probatissimæ fidei exemplaria.

Constituit, ut blandum nobilitaret opus.
Marmora, picturas, tabulas, sublime lacunar
Ipse dedit templo, qui probitate nitet.
Ædibus ad pretium sic mores conditor addit,
Vellera ceu Serum nutrice tincta feras.
Qualiter inclusus comit lux hospita gemmas.
Nix lapidis quotiens pulchrior arte rubet.

LVII.

DE JOVINIANO, QUI CUM HABERET BARBAM GOTHICAM LACERNA VESTITUS PROCESSIT EX TEMPORE.

Barbaricam faciem Romanos sumere cultus
Miror, et in modico distinctas corpore gentes.

LVIII.

ALITER.

Romuleam tegetem nox oris nubila fuscat :
Oppressit vestes tenebroso tegmine vultus.

LIX.

ALITER.

Nobilibus tollis genium, male compte, lacernis,
Discordes miscens inimico fœdere proles.

LX.

IN BASILICA [1] S. CALEMERI QUANDO REPARATA EST.

Libera captivum meruerunt culmina lumen;
Arridet facies nubila nulla gerens.
Hic nuper astrigeri dos proxima venit Olympi,
Laurenti vatis ducta ministerio.
Ædibus et vitæ cujus nunc una figura est;
Ceu solis radiis forma, color similis.
Euge vetustorum reparator, perge novorum
Conditor, et vultu clarus et ingenio.
Abjurant priscam, te præsule, tecta figuram,
Advena casuris porrigitur genius.

LXI.

DE QUODAM VETERI INIMICO STULTO ET BENE PASCENTE.

Prandia lauta paras, sed lingua sordibus horres.
Si desis pastor, fercula concilias.
Ambitiosa fames, lassato prodiga censu,
Cornibus insultat, si taceat dominus.

LXII.

DE EO QUIA PAUPERUM OPES VORABAT.

Visceribus miserorum et sanguine pauperis aucte,
Tantorum mortes cur tibi sunt epulæ ?
Tubera, perdices, grus, turdus, turtur, echinus,
Non explent uterum corpora mille tuum.
Infaustus multis, tibi felix diceris uni,
Hæres quod misero venter erit proprius.

LXIII.

DE EODEM.

Artubus humanis Polyphemus vixit, et atro
A Sanguine distentos delicias habuit.
Tu reddis similem, scena redeunte, furorem ;
Cui pastum tribuunt agmina debilium.

LXIV.

DE EO QUI UT AMICOS EJUS AD SE TOLLERET, PASCEBAT.

Mergeret ut divos in mortem, pabula serpens
Contulit, et vitam munere dira tulit.
Sic quicunque meos paradisi vere labores
Demulcet, casses convivii patitur,
Illic discedit quem pectore gessit amicus :
Fit dominum cari gutturis hospitium.

LXV.

DE DEFENSORE CALLIDO.

Nesciris votis, et cordis nube recedens,
C Ex oculis præsens quæreris in facie.
Tuque per ambages nulli spectabilis esse
Calles, mellifluis toxica dans labiis.
Hoc volo quod non vis jurans, te nolle quod optas,
Concutis et variis pectora sæva modis.
Hydram verticibus, formis superare Prometheum
Doctus, ut ad priscos fabula non redeat :
Bella cies, spoliis crescis, defensor, ademptis.
Ad nomen currit præda superba tuum.

LXVI.

PRÆFATIO TOTIUS OPERIS POETICI QUOD FECIT.

Dum mea multiplices mens anxia sustinet æstus
Et reddor vitrei mancipium pelagi.
Cumque procellosus refluentis portitor undæ
Africus ut captas me rotat exuvias.
Pierius menti calor incidit : indiga serti
Tempora mox cinxit laurus Apollinea.
Tunc hederæ viridis rubuerunt fronte corymbi,
Castalii mellis murmura blanda bibi.
Continuo ponens marcentes pectore curas
Complector laudem, carmina, lætitiam.

LXVII.

DE EO QUOD VINDEMIARUM TEMPORE SCRIPSIT.

Musta cadis famuli dum condunt nostra fideles,
Et ludunt prelo calcibus intrepidis;
Dum tingunt rosei plantas de sanguine Bacchi,
Scinditur et teneras uva gerens tunicas ;
D Otia [3] Niliacis non passus carmina biblis
Sulcavi, tumulo ne tenear moriens.
Ebria lapsantis confessus verba Thaliæ,
Sum vacuus culpa, si pedibus titubet.
Jejunos deceat lex artis, [4] syllaba rhythmus :
Nulla Camœnarum jungitur ad Bromium.

[1] *S. Calemeri*] Episcopi et martyris Mediolanensis, cujus Natalem agunt prid. cal. Augusti. Calemerus ut Evemerus rectum est Καλήμερος Εὐήμερος. Usus inflexit ut Calimerus dicatur, sicut Calocerus pro Calocæro, quod Græcis est Καλόκαιρος.

[2] *De defensore callido*] Epigrammate 76, *De callido, qui Defensor dicebatur*. Defensor itaque hoc loco non est ἔκδικος, ut cum dicitur defensor civitatis, sed nomen proprium viri, ut apud Sulpicium Severum Defensor, qui obstitit S. Martino, et in antiquis Notitiis Defensor primus episcopus Andegavensium.

[3] *Niliacis biblis*] Chartis e biblo seu papyro. Aldelmus de Nycticorace, *Romuleis scribor biblis, sed voce Pelasga*. Unde et Biblinæ epistolæ Isaiæ XVIII apud interpretes LXX quod noster ait : *In vasis papyri*.. Niliacæ autem, quia papyrum in Ægypto nascitur in Nili palustribus. Plinius lib. XIII, c. 11. Cassiodorus lib. XI, epist. 38. Inde et Capella chartas Nilotica fruticis collemata vocat lib. III.

[4] *Syllaba, rhythmus*] Male in vulgatis et antiquis *remmus*. Simili joco ænigmata sua claudit Symposius :

Insanos inter sanum non esse necesse est.
Da veniam, lector, quod non sapit ebria Musa.

LXVIII.

DE QUODAM GLUTONE, QUI OPUS EJUS IMPERITUS CARPEBAT.

Nescio cur sancto non parcas, stulte, labori,
Dum morem servas dentibus insiliens.
Mandere nos pergis : sed venter commoda nescit.
Flamina nam vacuis stringis imaginibus.
Escarum gurges nil ruptis murmure buccis
Suscipit, aut castis motibus exuberat.
Phasiacam volucrem, pisces vel sumina captans,
Uda vaporatis guttura pasce cibis,
Me jejuna juvat sine ructu pangere dicta :
Regifico luxu fercula te satient.

LXIX.

DE EUNUCHO TRIBUNO, NOMINE, PEREGRINO, OMNIA PERAMBULANTE.

Testibus asseritur gens, census, vita, Tribune,
Antiquum quotiens linquimus hospitium.
Tu, quem lustratis transmisit gentibus error,
Nulla domus pleno nec tenet ampla die :
Vis dici locuples, sublimis, pulcher, amicus,
Æstibus ignoti missus ab Oceani.
Irrita dicta volant, assertor non venit ullus,
Nulla fides sexum detegit, aut patriam.
Mendicus, vetulus, timidus, confusus, anhelus,
His, verum perdens, utere nominibus.

LXX.

DE EODEM.

Tutus falsa loqui poteris sine teste, Tribune :
Ventus habet linguam ponderibus vacui.

LXXI.

ALITER DE IPSO, QUIA NUSQUAM STAT.

Instabilem faciunt naturæ damna Tribunum :
Avolat hinc rursus, vincula ni teneant.
Tolle miser modicam zephyro veniente saburram :
Radix nulla tuo est utilis auxilio.

LXXII.

ALITER DE IPSO.

Eunuchus turpem poscit per compita victum :
Semina telluri non habet unde ferat.
Grandia proscissis rus servat germina membris,
Fetibus et messis multiplicata redit.
In cassum sectus proscindit vomere terga,
Ni findens spargat triticeam sobolem.

LXXIII.

DE EO QUOD CUM IPSE GALLOS PARENTES HABERET, ANSERES AMABAT COMEDERE.

Hic volucrum pugna est, ubi Gallo cæditur anser :
Dat pœnas [1] veteris proditionis avis.
Mactatus quondam vocis capis, improbe, quæstum.
Romanis vitam qui dederit, moritur.

LXXIV.

DE VARIETATE CLERICORUM

Qui ponti facies, numerum qui novit arenæ,
A Femina quem jurans fallere nulla potest;
Astrorum plebem, qui calles spectat amantum,
Cynthia cui certis cornibus innotuit ;
Non valet hic vultus retinere, et nomina, mores,
Quos mutat clerus tempus in exiguum.

LXXV.

DE MALO HOMINE, QUI EQUOS AMABAT.

Gaudet equis recti dissuasor, et indignus æqui,
Nomina qui dignis studio superante caballis
Subtrahit, opponens ad sancta vocabula clunem.
Sed procul est pecudis quod censet mentis iniquæ,
Propositum perstat generis, quod stemmata fundunt.

LXXVI.

B DE CALLIDO, QUI DEFENSOR DICEBATUR.

Aspidas ut capiat testis fraus hospita technis,
Sub ludi specie mortis imago latet.
Umbra [2] lacessitas producit callida pestes,
Et bellum blandis principiis geritur.
Credite, non aliter defensor prælia tractat,
Qui accusat ridens, qui perimit placidus.

LXXVII.

DE [3] VITA ET ACTIBUS S. AMBROSII EPISCOPI.

Egit quod docuit meritis et honore superstes
Ambrosius vates moribus, ingenio.
Roscida regifico cui fulsit murice lingua,
Vere suo pingens germina quæ voluit.
Serta redimitus gestabat lucida fronte,
C Distinctum gemmis ore parabat opus.
Instituit populos gestu, probitate, pudore,
Fovit respiciens, perculit, admonuit.
Vocis ut officium postrema pericula poscunt,
Sic teneras culpas qui tacet insequitur.
Succinctus gladiis, clypei de pondere tutus,
Pectora claudebat textilibus chalybis.
Ensis habet vires vitiorum sector et hostis :
Vipera non tangit squamea terga viri.

LXXVIII.

DE S. SIMPLICIANO EPISCOPO SUCCESSORE EJUS.

Ambrosius linquens viduatæ munia plebis
Transtulit ad curam, Simpliciane, tuam.
Succesoris opes spoliati viscera regni
Creverunt merito temporis alterius.
D Ac velut annosam zephyris parentibus ornum,
Ne metuat bellum, longa quies solidat.
Tiro tamen felix cana ad rudimenta vocatus
Non flexit priscum degenerans apicem.
Nil timuit gelidis anima fervente medullis.
Pontificis virtus floris habet senium.
Æquora qui tecto pressit terrena patenti,
Moribus et cultu sidera cum tetigit.

[1] *Veteris proditionis*] Cum anseres Gallos Capitolium obsidentes, Romanis voce sua excitatis, prodiderunt.

[2] *Umbra lacessitas*] Seneca lib. III de Ira, cap. 3 : *Tauros color rubicundus excitat, ad umbram aspis exsurgit ; ursos leonesque mappa proritat : omnia quæ natura fera ac rabida sunt, consternantur ad vana.*

[3] *De vita S. Ambrosii*] Quæ sequuntur duodecim epigrammata laudes continent duodecim antistitum Mediolanensium, quo ordine sedem episcopalem tenuerunt ab Ambrosio ad Laurentium.

LXXIX.

DE B. VENERIO SEQUENTE.

Forma pudicitiæ juvenis sectanda Veneri
Venit, [1] nominibus nil famulata suis.
Fortia marcebant vetulo sub judice membra,
Ætas præsentem perdiderat puerum.
Sublimis postquam conscendit fulcra cathedræ,
Cana tener populis dogmata disseruit.
Aurea fluxerunt locupletis schemata linguæ,
Sol vitæ nitidum reddidit eloquium.
Alvus ut Ecclesiæ tumuisset semine verbi,
Non deerat pastus lactis apostolici.

LXXX.

DE VENERABILIS MAROLI SUCCESSIONE.

Marolus extremæ potator Tigridis ore,
Qui jubar in madidis viderat hospitiis.
Quem labor in proprio Syriæ solidaverat axe,
Orditur vatem dotibus innumeris.
Pervigil, intentus, jejunus, providus, ardens :
Quod morem tenuit sat fuit officio.
Os tenerum quotiens gustus contingit honesti,
Transit ad affectum quod fuit imperii.
Terra potens olim Patribus fundata beatis,
Nobilibus mundum portubus irradiat.

LXXXI.

DE CULTORE DEI MARTINIANO EPISCOPO.

Mens nivei lactis, species manifesta columbæ,
Astutia serpens, Martiniane, vale.
Lubrica te dubii dum poscunt flamina vulgi,
Inveniunt pavidum ne mereare legi.
Unus erat mundo contraria judice narrans,
Qui ut caperet regnum vincere non meruit.
Protinus ad magni perductus limen honoris
Exsul cœlorum civibus inseritur.
Post geminas sanctis construxit mundior ædes,
Lumine quas clauso jussit habere diem.

LXXXII.

DE VENERABILI GLYCERIO EPISCOPO.

Suffusus minio, perque optima facta rubescens
Virginei vultus Glycerius sequitur.
Puram sanguineo maculat dum rore figuram,
Picta genas facies simpliciter placuit.
Candentem crocea gestans aspergine frontem
Læta verecundis tinxerat ora notis.

A Indeptus sceptrum, tribuit quod testis imago,
Purpura quem mentis prodidit imperio.
Hunc [2] habuit et populus parvo vix tempore felix,
Sed rursus magni missus ad obsequium.

LXXXIII.

DE S. LAZARO ANTISTITE.

Lazarus ut diri premeret pede culmina mundi,
Vocibus accitus trux venit in medium.
Quem frons læta parum vitiis depinxerat hostem,
Mulcantem culpas luminibus tacitis.
Respiciens lapsus detersit nubila vitæ :
Curam sæpe dedit vulneris obsequio.
Non latuit tectis facinus qui gessit in antris,
Absens criminibus tortor ubique fuit.
B Innocuis placida vernabat luce serenus,
Ceu speculum noxis injiciens faciem.

LXXXIV.

DE AMICO [3] DEI EUSEBIO PONTIFICE.

Eusebius Ligurum successit finibus hospes,
Ignotæ tractus plebis amicitia.
Grajus erat, socio Titan quos respicit ortu
Flammigero lymphas vertice decutiens.
Mitis, compositus, largus, pius, integer, audax,
Crederet ut damnum non dare, perpetuum.
Flevit pauperiem miserans, arrisit habenti,
Gaudia cum cunctis tristitiamque gerens,
Hunc index operis locuturo nuntiat orbi
Fama virum, gentes de statione trahens.

LXXXV.

C DE GERONTIO EPISCOPO.

Ecclesiæ postquam parta est tibi sella, Geronti,
Funera decessor non timuit moriens.
Te reparante redit, patitur sors pallida lethum,
Vivit post obitum discipuli pretio.
Agricolis junctus coluisti germina vitæ,
Nec serpens lolium pabula læta tulit.
Qui dedit in medium quem lex jubet optima victum
Emit terrenis fructibus ille polum.
Errorem mentis pressisti lege laborum :
Otia non passus virtutibus veheris.

LXXXVI.

DE VENERABILI BENIGNO EPISCOPO.

Exsere quæ posuit mens nomina certa, Benigne,
Quem quisquis vocitat testis erit meriti.

[1] *Nominibus nil famulata suis*] Quia pudicus erat, cum Venerius vocaretur. Simile est quod Archontæ puellæ nomen, quia militare quoddam imperium sapere videbatur, non satis aptum virgini fuisse dicitur in ejus epitaphio : quod quidem etsi ad Ennodium parum facit, propter elegantiam tamen, et quia ad Gallos pertinet, huic loco intexi placuit, ut a nobis ex marmorea tabula paucos ante annos ad Urbem haud procul a Constantinæ mausoleo effossa descriptum est. Sic igitur habet :

EPITAFIUM REMO ET ARCONTIÆ,

Qui natione Galla germani fratres adulti una die mortui et pariter tumulati sunt.

Hæc tenet urna duos sexu sed dispare fratres,
Quos uno Lachesis mersit acerba die.
Ora puer dubiæ signans lanugine vestis,
Vix hiemes licuit cui geminasse novem.
Nec thalamis longinqua soror trieteride quinta
Tanarias redo funere vidit aquas.

D Ille Remi Latio fictum de sanguine nomen,
Sed Gallos claro germine traxit avos.
Ast hæc Grajugenam resonans Arcontia linguam
Nomina virgineo non tulit apta choro.

DEPOSITI *Nonis Novemb. consul. Dioscori V. C.*

[2] In edit. Schot., *Hinc avo et populus*. Forte *hunc habuit populus*, absque *et*.

[3] *De Eusebio pontifice*] Hujus exstat synodica ad Leonem Magnum epistola, cujus ante facta est mentio, cum de Crispino Ticinensi episcopo ageretur. Exstant et versus, qui ecclesiam beatæ Theclæ Mediolani ab Eusebio post incendium renovatam testantur : nam in illa olim ecclesia inscripti visebantur.

Prisca redivivis consurgunt culmina templis,
In formam rediere suam quæ flamma crearat,
Reddidit hæc votis Christi qui templa novavit,
Eusebii meritis noxia flamma perit.

Cana fides hominem dum narrat, detegit actus,
Nil loquitur casu pignoris attonitus.
Præscia venturi non errant vota parentum,
In veram vertunt blanditias sobolem.
Ante patres censens sedit plaudente senatu,
Prælatum sanctis extulit ille caput.
Pollice sed diro ceu flos succisus aratro est.
Spes, decus, et genius de foribus cecidit.

LXXXVII.

DE BEATISSIMO VIRO SENATORE EPISCOPO.

Qui vincit trabeas, solium, cinctumque Gabinum
Consulibus præstans ecce senator adest.
Ingenium velox, sermonis cura rotundi,
Virtutum pretium, forma pudicitiæ.
Abdita librorum mysteria clausa prophetæ
Qui dedit in lucem schemate quo voluit.
Orbis ad extremi missus secreta verendis
Curavit studiis quod fuerat lacerum.
Tunc oriens victum peregrino lumine fassus,
Hæsit ad aspectum lampadis alterius.

LXXXVIII.

DE DOMNO THEODORO VIRTUTUM OMNIUM EPISCOPO.

Tu lux certa tuis, spes tu fidissima rerum,
Vatis apostolici tu, Theodore, vigor.
Virtutum cumulus, substantia lucida veri,
Monstrat acervatis quam labor in studiis.
Præscius, accinctus, fortis, tranquillus, amicus,
Compositus, simplex, tu bonus et sapiens.
Fatidicus semper tu conscia corda futuri.
Deprensum fluxit te reserante malum.
Quem timuere feri calcantes culmina mundi,
Dilexit spernens dura supercilii.

LXXXIX.

Restat [1], quem longo servet rex inclytus ævo...

XC.

(AD DEUTERIUM.)

Imperii custos [2] vocali pollice chordas
Per numeros animans, tibi fila loquentia carmen
Verberibus plectri, doctor, servire coegi.
Cyrrha potens Phœbo, laticis pia turba sereni
Tu mihi semper eris, qui pectora clausa remotis
Inseris officiis, et dextro numine comples.
Deprecor, exactam fauturus suscipe vocem,
Extorsis pretium donans te judice dictis.

A XCI.

DE [3] MARMORIBUS OPERE SARSORIO.

Visceribus lapidum permixta lege coactis
Naturam faciunt artificum studia.
In solidum fractis riguerunt marmora membris,
Partibus in crustam colligitur genius.
Unam de variis speciem componere frustis
Qui potuit, saxum duxit in obsequium.

XCII.

DE MISSORIO UBI IMAGO IPSIUS EST.

Divitibus pretium est Ennodi forma metallis.

XCIII.

IN CONCHA IPSIUS.

Parturit unda sitim, quam splendens concha mini-[strat.

B XCIV.

DE [4] EQUO QUEM ACCEPIT HUNISCO.

Belliger algenti sonipes nutrite sub axe,
Per Tanais medium pectora sicca ferens.
Cana pruinosis mandentem gramina lustris
Virtus lege poli quem sibi percoluit.
Post domitas gentes, post flumina tanta cruoris,
Alter te dominus, sed manet ipse labor.
Linque precor lituum, cantus passure beatos,
Captivus pacis mitteris obsequiis.
Nil tibi cum bellis : commendat buccina lethum :
Quid juvat expertas semper amare neces?

XCV.

EPITAPHIUM S. VICTORIS EPISCOPI NOVARIENSIS.

C Nomine, proposito, meritis, certamine Victor,
Despicis oppressas maculato semine terras.
Tu carnis vitiis possessor corporis expers,
Lubrica subjectis domuisti sæcula membris,
Tranquillus, patiens, correptor, providus, acer.
Hic reddens tumulis cineres, ad celsa vocatus
Spiritus ætherea congaudet lucibus arce.
Busta supercilio miseratus cernit Olympi.
Unde triumphati respectans funera mundi,
Cassibus exutis concedes præmia membris.

XCVI.

DE QUODAM ROMANO QUI VOLUIT MAGISTER ESSE.

Index naturæ studium tibi non venit ullum,
Littera nulla colit brutæ commercia linguæ,
Nunquam discipulus valeas, dic unde magister?

D

[1] *Restat quem longo*] Laurentius episcopus adhuc superstes, cum hæc scriberet Ennodius.

[2] *Imperii custos*] Ad Deuterium scriptum conjeci, tum quia doctorem appellare solet Deuterium, tum maxime quia in antiquis libris subditur allocutioni Diomedis, quam Deuterio petente scripsit.

[3] *De marmoribus opere sarsorio*] Gregorius Turonensis lib. II Historiæ, cap. 16, de ecclesia quam Namatius episcopus Arvernorum in civitate sua ædificavit: *Parietes*, inquit, *ad altarium opere sarsurio ex multo marmorum genere exornatos habet.* Ex Ennodii verbis satis patet sarsorium opus dici, cum variæ discolorum marmorum crustæ committuntur, ut unum corpus et unam quasi picturam efficiant, quod genus scite a Cassiodoro describitur lib. I, epist. 6 : *De urbe nobis marmorarios peritissimos destinetis, qui eximie divisa conjungant, et venis colludentibus illigata naturalem faciem laudabiliter mentiantur : de arte veniat, quod vincat naturam : discolor a crusta marmorum gratissima picturarum varietate texantur.* Inde et sarsor, ejus opificii artifex marmorarius. In actis Cirtensibus Numatii Felicis, cum sacri codices sub Diocletiano quærerentur: *Et dum ventum esset ad domum Felicis sarsoris, protulit codices quinque.*

[4] *De equo quem accepit Hunisco*] Huniscum dixit qua forma Daciscum Aurelianns in epist. apud Vopiscum. Hunnorum gens semper in armis, et nunquam sine equis. Inde Sidonius argute, ut solet, cæteras gentes equorum tergo ferri, Hunnos habitare ait in panegyrico Anthemii.

Ita semper equo ceu fixus adhæret
Rector, Cornipedum tergo geus altera fertur,
Hæc habitat : teretes arcus et spicula cordi.

Locum ut emendari debet exscripsi, quia ut editus est multiplici menda scatet.

XCVII.

DE ANU QUADAM.

Algidus in vivo moritur dum corpore sanguis,
Annorum glacies cum siccat pabula vulvæ,
Seminis et custos refugit cruor utilis inguen,
Marcida cur juveni sociaris, Galla, marito?
Pignoris in thalamis pariet fiducia juncto.
Nam sobolem laxis mendacem vivere rugis
Insimulans, epulis das prolem feta cloacæ.
Attulit hoc venter, quod conjunx jungat ad ora.

XCVIII.

DE ANULO FIRMINÆ INL. FEMINÆ.

Nil fallit simulans, quod finxit dextera verum est.
Immobilis stantem fugitat lepus arte molossum,
Insertus rabidis ridet furor aureus ursis,
Gestandus manibus sævit leo blandior ira.
Cognoscit dominam genius famulante metallo.
Mitigat illa feras, dum plebem pascit egentum.

XCIX.

(DE ALBINO.)

Aspicis Albinum titulos post busta dedisse,
Funera qui meritis vivacibus jugulat.
Inclyte cui princeps dum subdis jura magistri,
Vere sepulturæ contigit ille locus.

C.

(DE CANE VENATICO ET AGNA.)

Cretius hic sollers quidam vocitatur homullus,
Naribus argutus, gressus celer, ore timendus,
Impavidus presso signans vestigia rostro,
Quo cervus, capreæ, lepores, lupus, ursa vagatur,
Invenit, et tepido capitur fera provida lecto.
Luditur agnellæ post prælia tanta volatu,
Molle pecus volucrem prævertit fraude molossum.

CI.

DE [1] SCUTELLIS.

Tot Jovis illecebras, tot crimina viva figuris
Dum bene depingit, vitiosa est dextera fabri.
Argenti pretium est facinus retinere vetustum,
Ne purum superet quod furtis Juppiter egit.
Nil licet ætati, scelerum monimenta resurgunt.
Admonet exemplis, qui culpas format avitas.

CII.

AIUD.

Si tantas facies tunc sumpsit divus adulter,
Se primum falsis lusit imaginibus.
Quid non mentito violasset corpore numen,
Cujus forma suo gaudet adulterio?

CIII.

(DE PASIPHAE ET MINOTAURO.)

Læsa Venus non est: naturæ vincula constant:
Bucula Dædalei cessat mentita laboris.
Ingenio vivens nil mugit vacca biformis.
Fictaque nec verum coitum dant ligna juvencæ.
Ecce iterum tauro mulier submittitur uxor,
Humanas pecudum suspirant pectora flammas.
Vasta jugum cervix, cursus capit area colli,
Qualiter astricto sudavit marcida loro.

CIV.

(DE DEUTERIO GRAMMATICO.)

Forma, caput, facies, deuteri cuncta magister,
Innumeris doctor Dotibus ille cluit.
Excussit linguam genius perfectus ubique.
Quod fari nescit, displicet inde malis.
Grammaticam jactant artem nescire magistrum:
Hoc melius simplex moribus instituit.
Oratoris opus, lapidosaque culmina Tulli
Non tetigit: celsum rhetora nullus amat.
Discipulis satis est vultus, tacitique verenda
Calvities, Phœbe lumina plena vident.

CV.

IN NATALEM INFANTIS ARATORIS.

Ex tempore.

Jure colis proprium natalem pulcher Arator.
Qui si non coleres, [2] nunquam Arator eras.

CVI.

DE QUODAM INCERTI PROPOSITI VITÆ TURPIS.

Tot rebus fallax quid garris pica biformis,
Semivir et tremulo qui vevas turpia lumbo?
Quod tibi propositum, qui sexus contigit unquam?
Quid non mentiris, vir, femina, sancte, profane?

CVII.

VERSUS MISSI AGNELLO VIRO SUBLIMI.

Ex tempore.

Lucidum tinxit maculante fuco
Quisquis affectum, ferat inde linguam
Judicis Christi facibus perustam
Ore sepultus.
Scindit urgens fœdus omne fraude vivax perpeti,
Ægre portans quidquid ordo flagitat serenior.
Linque, quæso, amice, mores plebe dignos ultima,
Sanguinis callem secutus serva quod depectus es.

ENNODIUS AGNELLO.

Ante imperium diligentiæ vestræ valetudinem suam injuncta tenuerunt. Nam ne cui hæc darentur vel legenda vel transcribenda præmonitus, obvias poscentibus manus opposui. Nunc victus tui caritate transmisi. Facies meum pudorem in statione esse si relegas, in profligatione maxima, si transcribas.

CVIII.

Vincula solvit amor, quæ quondam nexuit alter:
Non nisi per legem cedit lex prisca sequentem.

CIX.

(DE VERSIBUS SUIS.)

Nunquam frugiferis per sæcula longa tyrambis
In me fluxerunt commoda Castalii.
Tristia jejunis spargentem carmina labris
Spes nova quid stimulas gurgitis Aonii?
Sed si mutato Parcarum stamine gaudes,
Exhibe cornipedem nunc Pegasæa mihi.
Qui ferat aligerum per gramina roscida corpus,
Nec teneras flectat vestigiis segetes.
Sublimem, validum, formosum, passibus aptum-
Qui si contingat, mox mihi, Musa, places.

[1] *De scutellis*] Ut caucum supra fabula Pasiphaes, ita nunc scutellas Jovis adulteriis celatas describit, et morem pudori noxium merito castigat.

[2] Schot. legit *numquid*.

Mitteris ad largum locupletem poscere parva : A
Ni gaudens redeas, dic mihi, Musa, vale.

CX.

DE [1] CASTELLO HONORATI EPISCOPI.

Pontificis castrum spes est fidissima vitæ.
Cui tutor sanctus, quæ nocitura petant?
Hic clypeus votum est, procul hinc Bellona recede
Quod meritis constat, prælia nulla gravant.
Conditor hic muros solidat, munimina factor.
Nil metuat quisquis huc properat metuens.

CXI.

DE [2] HORTO REGIS.

Dextera bellipotens vulgatis plena triumphis,
Qua cecidit quidquid fugit ab obsequio :
Disperso celsam solidas qui sanguine famam,
Cui peperit laudem mitis et arma tenens. B
Postquam prælargo rubuisti scammate campi,
Arva colis pingens germine purpureo.
Virgultis proprio dispensas murice poma,
Das plantis fructum nobilitate tua.
Vilior en cespes jactat se divite ramo,
Dum ligni morsus semina clara fovet.
Demessus ferro floret tibi surculus alter :
Nuda maritatis dos nitet arboribus.
Gramina cultorem prænoscunt, muta loquuntur :
Quod tetigit princeps, ver habet in glacie.
Gestu terra potens, monstrat cui creverit arbor
Fetibus et genio panditur hic dominus.
Pervigil Hesperidum quæ servas jugera serpens,
Aurea jejunis munera [3] dans epulis. C
Quis silvæ sobolem carpat custode veneno ?
Morte nemus tutum, credite, nullus adit.
Hic commune facis, pietas quod sola parasti.
Visceribus plenis nescit abire fames.

CXII.

DE CÆCO QUODAM LUXURIOSO.

Orbe pereffoso fluidum de lumine vulnus
Pestifer ostentans ora sepulta geris.
Cæca per innumeros facies portatur amicos,
Qui te conspiciunt jure dolent oculis.
Ebria marcenti locupletas flumine menta,
Circumfers crasso sordida labra fimo.
Oscula nulla petas, madidam suspende Mephitim :
Te propter cupiam perdere quod video,
Quis putet ex oculis flammas coalescere turpes ? D
Nil videt, et rectum servat iter scelerum.

CXIII.

DE EQUO SUO SENE.

Flexior annoso sonipes moderamine noster
Nunc juvenem blando sustinet obsequio.
Mollia grandævus summittit terga sedenti :
Ætas constantem gressibus esse facit.

CXIV.

DE FLAGELLO INFANTIS ARATORIS.

Quæ capiunt mundum junxit mens docta flagello,
Exornans censu nobilitante plagas.

CXV.

ALITER.

Argenti atque auri vapulat quicunque metallis,
Gaudia cum fletu miscet avara suo.

CXVI.

ALITER.

Dentibus argenti fulvum concluditur aurum,
Contemnat nullus verbera pulchra pati.

CXVII.

EPITAPHIUM DOMNÆ MELISSÆ INL. FEMINÆ.

Sanguine, mente, opibus, facie, virtute, pudore,
Optatur qualis femina, sola fui.
Hoc tantum mundi quod lex est corpore gessi,
Exornans casta prole pudicitiam.
Quæ victrix fortem tenui per blanda maritum,
Melle meo vertens jura, Severe, tua.
Quos genui, celsa conjunctos stirpe reliqui,
Quod votum est sanctis, conjuge præmorior.
Nil mihi decessit, maneo post busta superstes :
Felices nunquam mors nocitura petit.
Et nomen dulce est, de factis Melissa dicor.
Moribus hoc fluxit jure datum propriis.

CXVIII.

DE QUODAM STULTO, QUI VIRGILIUS DICEBATUR.

In tantum prisci defluxit fama Maronis,
Ut te Virgilium sæcula nostra darent.

CXIX.

ALITER.

Si fatuo dabitur tam sanctum nomen homullo,
Gloria majorum curret in opprobrium.

CXX.

ALITER.

Captivo [a] stultus congaudet stemmate vates.
Non est Virgilius, dicitur iste tamen.

CXXI.

ALITER.

Externo quotiens vocitaris nomine demens,
Si tibi sunt sensus, [b] prospice ne venias.

CXXII.

ALITER.

Cur te Virgilium mentiris, pessime, nostrum ?
[c] Non potes esse Maro, sed potes esse moro.

[1] *De castello Honorati*] Episcopi Novariensis, ut docuit nos Dictio 2. Jam tum igitur ob militum prædonumque infestationes castella ædificare cogebantur episcopi. Tale enim fuit Nicetii episcopi Trevirensis castellnm supra Mosellam, quod suis versibus ornat Fortunatus lib. III, et quæ ab episcopis Remensibus condita multis locis narrat Flodoardus.

[2] *De horto regis*] Theoderici ; nam hic unus Italiæ rex tempore Ennodii. In quinto versu pro *stemmate*, *scammate* reposui ex vestigiis manuscripti.

[3] Schot., *dant*.

[a] *Captivo stultus congaudet stemmate vates*] Scribendum arbitrer *raptivo*. BARTH. *Adversar.* pag. 1535.

[b] *Prospice ne venias*] Magis est ut legas, *ne veneas*, hoc est, ne vendaris et ducaris in servitutem. Alluditur vero mos veterum, qui mancipiis emptis pro lubitu suo nomina imponebant. Non obest huic lectioni syllaba natura longa, correpta : cum eum Ennodii morem notaverit jam ante multa sæcula Arnulfus Lexoviensis ; et demonstrant scripta Felicis nostri, hac in parte perquam infelicia. ID., ibid.

[c] *Non potes esse Maro, sed potes esse moro*] Vitiosus ille *moro* exigendus videtur, et substituendus *baro*, qui sonum prioris magis æmulatur, nec contractione ulla conturbatus, hominem sonat stupidum, bardum, etc. ID., ibid., pag. 1336.

CXXIII.

IN CUBICULO SUPER CODICES IN ORDINE POSITOS.

Iste callis est, supernam qui parat potentiam,
Lux pudoris, esca mentis, fax, medela, claritas,
Mundi fæce qui fucantur hunc tenere nesciunt.
Liber exstat, hoc quicunque colla loro vinxerit.
Sanguinis venam nitentis comit iste sarculus.

CXXIV.

ADVERSUS [1] CLAUDIANUM DE MULABUS.

Hic volucrem Rhodani torrentis respice natam
Sermonum frenis subdere colla tuis.
Jussa volat verbis, et verbis jussa quiescit,
Cujus captivum est auribus arbitrium.
Vincula nesciret, ni vocis stricta lupatis
Perderet auditu luxuriam generis.
Cum stimulos clamor mentitur, clamor habenas,
Obsequium linguæ libera membra ferunt.
Non opus est loris, sed nexus certa loquendi
Dura catenati rostra ligat pecudis.

CXXV.

DE ASINO ET EQUA.

Visceribus propriis externos fundere partus
Cogitur, et generis sobolem lactare ferini.
Jurgia naturæ magno distantia calle.

CXXVI.

ALITER.

Edidit ignotum genitrix male conscia partum,
Naturæ fraudes, nobiliore dolo.

CXXVII.

ALITER.

Discrimen generis junxerunt fœdera partus,
Ingenii stirpem permixta lege coacti.
Hic mulus geminum pecus est, sed corpore simplex.

CXXVIII.

DE VECTATIONE SUA NOCTE IN ÆSTATE.

Astrorum [2] populus necdum de lumine solis
Perdiderat lucem : gremio sed noctis adultæ
Fundebat rutilos madefacta aspergine crines.
Cynthia per croceas fulgebat lactea bigas,
Rescindens quidquid descripserat orbita fratris.
Vernabat tacitus splendor de munere noctis,
Torrida frigoribus confringens tempora Cancri :
Cum me curarum cupientem spernere fasces,
Ruris amœnati facies depicta vocavit.
A Cornipedem scandi, qualem vix Cyllarus æquat,
Mollibus æthereas qui vincit cursibus auras.
Immobilis currit cujus per devia sessor,
In statione volans pedibus constanter adactis.

CXXIX.

IN BASTERNA UXORIS BASSI VIOLÆ.

Quam vaga constantem retinent hæc tecta decorem !
Mittitur a domina quidquid habent pretii.
Nam rutilat fulvum Violæ de luce metallum :
Possessor radios spargit ubique suos.

CXXX.

EPITAPHIUM EUPHEMIÆ.

Obruit hæc tumulos, vivit post funera factis,
Quæ mortale nihil moribus inseruit.
Euphemia tuos tellus complectitur artus,
B Sed mens est niveis quam bene juncta choris!
Occidit exitium : sors tunc durissima servit,
Cum superat fatum nescia vita mali.
Hæc thalamis fecunda fuit, viduata pudori
Exemplis natam fecit amare Deum.

CXXXI.

DE [3] SPATHA IN FUSTE.

Utimur incluso per fraudes ense bacillo,
Mors ligni tunicis quam bene tecta latet !
Subsidium portas ; quod cunctis terror haberis
Pacificum est nobis quod necat obsequium.

CXXXII.

DE BOETIO SPATHA CINCTO.

Languescit rigidi tecum substantia ferri,
C Solvitur atque chalybs more fluentis aquæ.
Emollit gladios imbellis dextra Boeti :
Ensis erat dudum, credite, nunc colus est
In thyrsum migrat quod gestas, improbe, pilum.
In Venerem constans linque Mavortis opem.

CXXXIII.

DE [4] STOMATIO EBURNEO.

Sollicitata levi marcescunt corda virorum
Tormento : fas est ludere virginibus.
Frangunt Marmaricis elephas quod misit ab arvis,
Per micas sparsum mox solidatur opus.
De pœna teneræ discunt cum fraude jocari.
Nam ridere necis munere, femineum est.
Angusta norunt res mille includere capsa,
Omne ebur hic, mulier, pectoris arca tui est.

D

[1] *Adversus Claudianum*] Exstat Claudiani epigramma de mulabus Gallicis duplo longius quam Ennodianum, sed utriusque eadem sententia. Quare *adversus* hoc loco non oppositionem, sed imitationem significat.

[2] *Astrorum populus*] Phrasis Ennodii, cum magnum copiam et numerum dicere vult, populum aut plebem appellare. Sic *populos piscium* dicit lib. I, epist. 6 ; *populum occisorum* in panegyrico. Item alibi, *populos largitionum*, et *populosos ferculorum errores*. Rursus *plebem amnium* in Vita S. Antonii, *plebem conflictuum* in panegyrico, *plebem astrorum* in epigr. 74.

[3] *De spatha in fuste*] Cui fustis pro vagina : quo genere utuntur etiam nunc in Gallia pedites nonnulli, dum iter faciunt. In proximo epigrammate titulum correximus, ubi *spathacinotus* legebatur. Est autem spatha cinctus, qui barbaris una voce spathatus, σπαθᾶτος.

[4] *De stomatio eburneo*] Oscillo. Glossarium vetus *Oscillum*, στομάτιον. Ludicri genus, quod graphice ab Ausonio describitur in præfatione Centonis nuptialis. *Simile ut dicas ludrico, quod Græci* στομάτιον *vocavere : oscilla ea sunt, ad summum quatuorderim. Harum verticularum variis coagmentis simulantur species mille formarum : Elephantus bellua, aut aper bestia, anser volans, et mirmillo in armis, subsidens venator et latrans canis : quin et turris et cantharus, et alia hujusmodi mirabilium figurarum, quæ alius alio scientius variegant. Sed peritorum concinnatio miraculum est : imperitorum junctura ridiculum.* Hac arte puellæ res mille, ut ait Ennodius, angusta capsa includebant, quia paucis oscillis quæ ex capsula promebant, res innumeras concinnabant. Eodem spectat larva argentea Petronii Arbitri, cujus catenatio mobilis diversas figuras exprimebat.

CXXXIV.

DE AVE PER PADUM SUPER SPUMAS SEDENTE ET TRANSEUNTE.

Riparum frenos naturæ vincula surgens
Forte Padus tumido gurgite transierat.
In spumam fluxas cogens durescere lymphas,
Squamea prævalidis dorsa ferebat aquis.
Ales ut in tenero fidens tunc constitit orbe,
Otia dans pennis, tuta premebat aquas.
De proprio pelagus calcanti suggerit alnum,
Humida cum siccam cymbula portat avem.

CXXXV.

DE SEPULCRO MAJORIANI IMPERATORIS.

Cum perstat gravior, bustum fortuna petitum
Contulit exuviis, Majoriane, tuis.
Nunc indignis pyramidum (fors) prospice moles,
Vilia principibus linque sepulcra piis.

CXXXVI.

DE EQUO PADANO.

Cornipedes cuncti quos gignunt bellica rura,
Quosque cruentatis diluit unda toris;
Algida qui Tanais domuistis dorsa profundi
Quorum prævalidas ungula calcat aquas:
Ecce Padanus adest sonipes, cui judice recto
Cedant Æmonii quos fovet aura poli.
Ille pruinosis qui mandat gramina lustris,
Et merito et forma dispar utroque venit.
Molliter incedit membris formosus honestis,
Oblectat visum dulcis in obsequio.
Nil jam Phasiacam collaudet fabula prolem:
Nec peregrina ferant nomina celsa caput.

CXXXVII.

DE [1] PRINCIPE P. P. EBRIOSO, QUI VITEM TENEBAT.

Verus honor vitem tribuit, sed munera vitis
Jejuno non dant ligna ministerio.

CXXXVIII.

ALITER.

Ut sceptrum princeps, sic gestat dextera vitem,
Utribus exornet diva corona caput.

CXXXIX.

ALITER.

Vitifer hic siccus matrem complector herilis
Uberibus pressis quæ mihi vina negat.

CXL.

ALITER.

Heu quotiens calidis vites sine fruge labellis
Illusit nudo nomine me refovens!

A CXLI

ENNODIUS HONORATO PRINCIPI.

Terrarum culpis vitium potator obumbras,
Ebrius esse nequis vina vomens Ligurum.
Dum replet madidus ferventia pectora Bacchus,
Indicunt validam pocula nostra sitim.

CXLII

DE [2] EPISTOLA DOMNI AMBROSII CONTRA SYMMACHUM DE ARA VICTORIÆ, QUANDO PETENS CULTUM IPSIUS VICTUS EST SYMMACHUS: FACTUM SUBITO, ET MISSUM DOMNO FAUSTO PRÆF. PRÆT.

Dicendi palmam Victoria tollit amico.
Transit ad Ambrosium: plus favet ira Deæ.

CXLIII.

VERSUS DOMNI FAUSTI.

B In Ligurum terris potorem qui vocat, errat:
Nunquid vina bibit, vina bibens Ligurum?

CXLIV.

VERSUS MESSALÆ.

Suscipe versiculos, Ennodi proxime, nostros,
Ut librum nobis reddere non desinas.
Ne fœdes cultum, dum reddere maxime non vis,
Quæ pridem nobis es quoque pollicitus.

CXLV.

DOMNI ENNODII.

Si te Messalam studiis mihi pandere velles,
Non deerant libri, quos tibi dulce darem.
Mens injusta nimis quod spernat tollit amanti.
Nec gratum est munus, quod fugit ingenium.

C CXLVI.

DOMNI ENNODII.

Artis Grammaticæ librum [a] de carmine facto
Qui poscit, [b] solidos certat habere pedes.
O utinam Musis contingant munere nostro
[3] De te quandoque gaudia certa puer!
Vitant loripedem, nisi fallor, pangere versum,
Vel quos in somnis respiciunt studia.

CXLVII.

DE HONORATO.

Uxor Flasconis cupis dotata Falerni,
Semper inexhausto pectus repleta Lyæo,
Quæ Bacchum madidis colui venerata labellis,
Turgida ructato permulcens numina musto,
Concludor sicci bene conscia tegmine busti,
D Est tamen ad superos conjunx mihi nobilis euve.
Pocula quem nunquam possint transire beata.
Quem si fata virum servant, tibi vivimus ambo.

[1] *De principe P. P.*] Id est præfecti prætorio, princeps P. P. erat primus inter officiales sedis prætorianæ. Notitia imperii: *Officium V. I. præfecti prætorio, princeps, cornicularius, adjutor*, etc. Eodemque modo in officio præfecti urbis, et magistrorum utriusque militiæ, et aliarum dignitatum principes erant: qui omnes e schola agentium in rebus ad gubernanda officia mittebantur. Leg. 6, cod. Theod. de Principibus agentium in rebus. Glossæ juris, Πρίγκιψ ὁ πρῶτος τῶν πολιτικῶν ταξεωτῶν. Erat et princeps officii imper. Theodericus rex Variarum lib. II, epist. 28, *Stephano V. S. comiti primi ordinis, ex principe officii nostri.* Et in lapide Romano: *Neritus princeps officii imp. Claudii.* Horum ergo insigne fuit vitis seu virga, ut centurionum: unde jocum captat Ennodius in temulentum principem Honoratum: de quo iterum epigrammate sequenti, et 141.

[2] *De epistola domni Ambrosii*] Ea est 12 lib. II epistolarum S. Ambrosii, cui præposita est Symmachi præfecti urbis relatio quam refellit.

[5] *De te quandoque gaudia certa puer*] Lego *quondam neque gaudia certa*, etc. Id., ibid.

[a] *De carmine facto*] Veteres editiones melius *fracto* referre puto. Barth. *Adversar.* pag. 405.

[b] *Solidos certat habere pedes*] Legitur in priscis *certat cavere pedes*. Scribendum puto *certat avere*, hoc est, solidos firmosque carminum pedes valere vult. Id., ibid.

CXLVIII.

EPITAPHIUM DOMNÆ DALMATIÆ.

Funus obit virgo quotiens in busta refertur.
Unum iter est mortis criminis obsequium.
Dalmatiæ meritis victa est natura rebellis,
Degeneri cœlum nobilitate tenet.
Hoc satis est mundum calcasse in corpore mundi,
De vitio sumptam cedere nil vitiis.
Stemmatis hæc lucem transcendit sole pudoris,
Mens cum proposito consociata fuit.

CXLIX.

DE FONTE BAPTISTERII S. STEPHANI, ET AQUA QUÆ PER COLUMNAS VENIT.

En sine nube pluit sub tectis imbre sereno,
Et cœli facies pura ministrat aquas.
Proflua marmoribus decurrunt flumina sacris,
Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
Et rursus natis unda superna venit.
Sancta per æthereos emanat lympha recessus,
[1] Eustorgi vatis ducta ministerio.

CL.

EXCUSATIO ENNODII DE LAUDIBUS.

Qui miratur officii terminos in amicorum me lau- A dibus egressum recolat quam imperiosa est semper affectio, nec parens propositi legibus vis amoris. Et profecto si facti mei rationem quærat, religionem vocat quod mentiebatur excessum.

Ut valeant aquilæ formatos prodere fetus,
Vitalis tenerum frangit tepor insitus ovum.
Tunc pius artatam lacerat pater impiger ædem,
Ut pariat rursus studio, quos edidit alvo.
Mox generis testem Phœbum ciet arbiter idem,
Invenit internam rimatus lumine lucem.
Non aliter celso pueros de stemmate cretos
Doctrinæ radiis opponit cura parentis.
Quæ bene flammarum constanter, respice, bella
Excipiunt teneri, vincentes fulgura visu.

B

CLI.

(DE DUABUS DOMIBUS CONJUNCTIS.)

In geminis simplex radiat pia gloria tectis,
Et de divisis consociatur honos.
Ne procul, aut ibidem sacros confunderet usus,
Constanti numerum sors dedit ampla loco.
Una domus duplici discreta jungitur æde,
Partiturque suum quod bene nectit opus.

[1] *Eustorgi vatis*] Episcopi Mediolanensis, qui Laurentio successit : ad quem exstat epistola Theoderici regis, hoc titulo : *Eustorgio viro venerabili Mediolanensi episcopo*. Nunc ut umbilicum notis aliena potius manu quam meis verbis addam, epigrammati Ennodii consimilis argumenti octastichum apponam de fonte quem Leo Magnus ante Ostiensem D. Pauli basilicam condidit :

Unda lavat carnis maculas, sed crimina purgat,
Purificatque animas mundior amne fides.
Quisque suis meritis veneranda sacraria Pauli
Ingrederis supplex, ablue fonte manus.
Perdiderat laticum longæva incuria cursus,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.
Provida pastoris per totum cura Leonis,
Hæc ovibus Christi larga fluenta dedit.

APPENDIX

EX NOVO THESAURO ANECDOTORUM

P. EDMUNDI MARTENE

TOM. V, PAG. 61.

DICTIO ENNODII

IN NATALI LAURENTII,

MEDIOLANENSIS EPISCOPI,

(Ex ms. S. Remigii Rhemensis.)

Usu rerum venit inter homines, ut quantum famæ decerpitur per audaciam, superfluum non minus pereat per timorem. Superflua scribere, res jactantiæ est ; necessaria reticere, contemptus. Sæpe vituperationis mater est, doctoris occulti laudatio. Verborum abundantiam transmittit affectio, amor suggerit quod negat ingenium. Facessat formido venerando proposito inimica. Fugitiva gloria est mens subjecta errori. Sine culpa vincitur oneris immensitate, qui ad portandam sarcinam etsi impar, tamen devotus occurrit. Marcida est sine sermone hilaritas et simulacrum mœroris occultare quod gaudeas, et afflictionis imitatio vocem in lætitia non habere.

Liber dicendi principia derivare de tempore, cum anni renascentis infantia florulenta, si valeo, dictione vernare. Nunc cum terræ succus per venas arentium C virgultorum currit in gramina, et alvus sicci fomitis humori maritatus turgescit, cum in blandam lucem novelli præseminis comæ explicantur arboreæ, et omnis ramorum plectura diffunditur, vel quæ intra tunicam natura frondium decora solvuntur. Cum avium cantilena comitur sapore modulato, cum vita segetum glebis sepulta hiemalibus quasi algoris repagulo emissa et tepore feta concipitur. Nunc in cano flore spem fructuum metitur agricola, cum mutuis palmitum brachiis vinearum texitur aprica formositas, D et ante maturitatis tempus frugiferum vultum cultura componit, dans venustatem falce domitrice, et luxuriam infecundam ferro fructificante compescens. Cum profundi gurgitis rabies blandum transit in sibilum, et enervata tepore ventorum ferocitas migrat in delicias navigantis. Cum tutum est cym-

bam salo laxare et anchoram in morsus absolvere. Dum fractura procellarum quæ navitas hactenus terrebat, invitat, et per uda æquoris spatia somnum gubernantis admittit. Cum colore distincta gemmato vernis opibus prata ditescunt.

Te ad pontificalem apicem gravitas, pudor, pudicitia, venustas adduxit, statuat ista loco laudes, cui nunc suppetit, quod possit prædicare de moribus. Momentis enim aura popularis impellitur, et nescia examinis turba dum studiis rapitur amat incognitos. Alteri quod pius es ostendit, alteri quod severus, alteri quod bene acquisiti distributor patrimonii, alteri quod scis recte parta servare. Id studii sumit universitas, ut cum de proposita laude unusquisque vinceret, vel collatione, vel collocutione, tamen in præconiis tuis melioris tituli ab altero vinceretur.

A Tu prædonis nescisti timere sævitiam, tu blandimentorum quod in malitiosis nocentius telum est, scuto constantiæ venena respuisti.

[1] VENANTIO ENNODIUS.

Domine, admiror sermonis abstinentiam quia qui exigua condiderit, nihil producit. Credis sub hac occasione profectus tui latere scientiam, et taciturnitas imperitiam prodit, et infabricata confabulatio manifestat infantiam. Interea ante inops gratia non fuisti, sciens quid diligentia, quid amantis sollicitudo flagitaret. Factus es bonarum rerum conscius, postquam te ad obtinenda quæ putantur maxima transmisimus. Quod restat vale, accipiens monitoris verba, et melioratus in te scriptionis assiduitate divulga. B

[1] *Venantio*] Idem fortasse cum Venantio cui Ennodius inscribit epistolam 22 lib. v, ad quem locum vide notam Sirmondi. Venantii quoque meminit idem Ennodius epist. 9 lib. IV, eumque appellat *virum clar.*

ANNO DOMINI DXIV-DXXIII.

* HORMISDAS PAPA.

NOTITIA.

(Ex Libro pontificali.)

[a] Hormisda natione Campanus, ex patre Justo de civitate Frusinona (Frusione), [b] sedit annos (*a*) 8

* Variantes sive notas quæ ad utramque paginæ oram post Labbeum Mansi exscripserat, nos plerumC que intra parentheses in textu posuimus, aliquoties ad calcem paginarum, asterisco præfixo. EDIT.

[a] Symmacho ex hac vita ad sempiternam gloriam perducto, summa totius Romani cleri concordia, schismate sublato, post dies septem ab ejus obitu VII calendas Augusti, anno Christi 514, Anastasii imperatoris 24, et Theodorici regis Italiæ 22. Hormisda S. R. E. diaconus, pontifex est creatus. Quod cum toti orbi innotuisset, Clodoveus * rex Christianissimus cunctorum obsequium prævenit, et officia superavit. Nam suggerente Remigio, coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari solet, B. Petro donavit: qua re a Deo consecutus est mercedem eam, ut Francorum regni corona hactenus perseveret. Hujus temporibus Anastasius imperator Eutychianus multa ad opprimendum Chalcedonense concilium molitus fuit. Bina legatione a pontifice monitus, ut ad uniendam Orientalem cum Occidentali Ecclesiam nomen Acacii curaret expungi; non modo non obtemperavit, sed potius majore cum furore eamdem persequi cœpit; maxime tunc, quando per fidei orthodoxæ simulationem favorem populi Constantinopolitani consecutus esset, Vitalianique præsertim rebellantis metum excussisset. Post multa scelera in Ecclesiam Dei patrata, apparuit ei per visum viri candidi species in hæc verba ipsum compellantis: *Ecce propter perfidiam tuam deleo tibi quatuordecim:* quibus in illo codice expunctis, tertio post die tonitrui fragore exanimatus est. Justinus ex armentario et subulco imperator catholicus, fideique orthodoxæ singularis patronus, Anastasio Acephalorum defensori a senatu simul et exercitu universo subrogatus est: tunc in omnes hæreticos anathema est proclamatum; tunc quatuor œcumenica concilia approbata, eaque omnia gesta fuerunt quæ in actis concilii Constantinopolitani sub Hormisda celebrati infra describuntur. Rogatus Hormisda ut decretum concilii confirmet, prævia synodali consultatione respondit, petitam ab Orientali Ecclesia pacem, et communionem ita esse concedendam, si nomina Acacii, Euphemii et Macedonii, quos sacris tabulis restituerant, penitus delerent et expungerent. Quam ut et citius et facilius obtineret, legationem quamdam ad Justinum et Constantinopolitanum episcopum ablegavit, quæ magna cura et industria singulari efficeret, ut Zenonis et Anastasii hæreticorum imperatorum memoria damnaretur, fidei formula subscriptione episcoporum firmaretur, ac denique ut nomen Acacii aliorumque quos sacris diptychis restituerant plane delerent et omnino exstinguerent. Successit res pro voto sanctissimi pontificis. Ad communionem Occidentalis Ecclesiæ recepti fuerunt hoc tempore Orientales, qui annis plus minus octoginta ab Ecclesiæ unitate per schisma sese diviD serant, idque accidit sanctissimo festo Resurrectionis dominicæ absque ulla seditione et tumultu: tantaque cum admiratione, gratiarum actione et lætitia, quantam vix lingua ulla explicare valet. Hæc ex epistolis Hormisdæ Baronius: ex notis epistolarum et conciliorum infra subsequentium plura rerum sub Hormisda gestarum cognosces.

Restituta fides catholica, nexibusque schismatis liberata, hoc bonum secum attulit, ut Lazorum regem et populum, hactenus veræ religionis divinæque legis expertem, ad Christianam fidem amplectendam induxerit. Auctor Miscell. lib. XV. SEV. BINIUS.

[b] Annis novem, diebus decem, a consulatu Cassiodori ad Maximum sedisse, Marcellinus in Chron. et Vaticani indices attestantur: imo ipse Anastasius

(*a*) Cod. Luc. 490, 9.

** Childebertus Clodoveus rex donat B. Petro coronam auream.*

dies 17. Fuit autem temporibus Theodorici regis et Anastasii Augusti, [a] a consulatu Senatoris usque ad consulatum Symmachi et Boetii. Hic composuit clerum, et psalmis erudivit. Hic fecit basilicam in territorio Albanensi, in possessione (*a*) Mesontis. [b] Eodem tempore ex constituto synodi misit in Græciam, humanitatem ostendens sedis apostolicæ (et reconciliavit Græcos), quia Græci obligati erant sub vinculo anathematis propter Petrum Alexandrinum et Acacium Constantinopolitanum episcopum. Sub Joanne episcopo Constantinopolitano, cum consilio Theodorici regis (Hic papa perrexit ad regem Theodoricum Ravennam, et ex consilio regis), direxit Ennodium episcopum Ticinensem, et Fortunatum episcopum (*b*) Catanensem, et Venantium presbyterum urbis Romæ, et Vitalem diaconum sedis apostolicæ, et (*c*) Hilarium notarium ad Anastasium Augustum : sed nihil egerunt. [c] Item secundo misit Ennodium (*d*) episcopum, et Peregrinum Misenatem episcopum (et Pollionem subdiaconum urbis), portantes epistolas confortatorias fidei, et contestationes secretas numero 19, [d] textum libelli (et libellum per quem redirent ; quod si noluissent epistolas suscipere, contestationes per civitates spargerent). In quo libello noluit assentire Anastasius Augustus, quia et ipse in hæresi Eutychiana communicaverat (erat consentiens). Voluit itaque eos legatos per remunerationem corrumpere (*e*). Legati vero sedis apostolicæ, contempto Anastasio Augusto, nullatenus consenserunt accipere pecunias, nisi satisfactionem sedis apostolicæ operaretur. Tunc imperator repletus furore, ejecit eos per posterulam (locum periculosum), et imposuit eos in navi periculosa (sub periculo mortis) cum militibus, et magistrianis, et præfectis nomine Heliodoro et Demetrio.

A Quibus hoc dedit in mandatis imperator Anastasius, ut nullam civitatem ingrederentur. Legati vero sedis apostolicæ secretius suprascriptas epistolas fidei 19 per manus monachorum et orthodoxorum exposuerunt per omnes civitates. Quas tamen episcopi civitatum, qui erant complices Anastasii Augusti, omnes eas epistolas timore pro crimine Constantinopolim direxerunt. Tunc furore repletus Anastasius Augustus contra papam Hormisdam inter alia sacra sua hoc scripsit, dicens : Nos jubere volumus, non nobis juberi. [e] Eodem tempore nutu divinitatis percussus est fulmine (ictu) divino imperator Anastasius, et obiit. Sumpsit itaque imperium [f] Justinus orthodoxus, et direxit auctoritatem suam ad papam Hormisdam sedis

B apostolicæ per Gratum, Illustrem nomine : (*f*) petens a sede apostolica ut redintegraretur pax ecclesiarum. [g] Tunc Hormisda episcopus cum consilio regis Theodorici direxit a sede apostolica Germanum (*h*) Capuanum episcopum, et Joannem (episcopum) et Blandum presbyteros, et Felicem et Dioscorum diaconos sedis apostolicæ. et Petrum notarium, munitos ex omni parte fide et textu libelli pœnitentiæ (una cum libello quomodo redirent Græci ad communionem sedis apostolicæ), Qui venientes juxta Constantinopolim, tanta gratia fidei (*h*) illis refulsit ; ut multitudo monachorum orthodoxorum et illustrium virorum maxima multitudo occurreret : in quibus et Justinus imperator et Vitalianus consul (magister militum) simul occurrerunt ad castellum rotundum, quod du-

C cit (dicitur) usque in civitatem Constantinopolim, qui ingressi una cum Grato Illustri, suscepti sunt a Justino orthodoxo Augusto cum gloria. Omnis itaque clerus una cum episcopo Joanne Constantinopolitano, (*i*) sensit, quod gratanter suscepti sunt. Sen-

sibi ipsi contrarius hic in fine obitum et sepulturam Hormisdæ, ingressumque Joannis successoris Hormisdæ sub Maximi consulatu collocat. Quare erroneum est quod hoc loco de tempore pontificatus Hormisdæ scribit Anastasius, Sev. Binius.

[a] Errat Anastasius ut ex præcedentibus patet supra. Sev. Binius.

[b] Prima legatio pontificis ad imperatorem, de qua plura vide apud Baron. anno 515, Item notas epistolarum Hormisdæ infra. Sev. Binius.

[c] Secunda legatio, quam anno Christi 517, pontificatus sui 4, misit ad imperatorem. De qua plura in notis epistolarum, Sev. Binius.

[d] Exstat infra inter epistolas Hormisdæ, cujus initium tale est : *Prima salus est*, etc.

Inter alia sacra sua hoc scripsit : *Nos jubere volumus, non nobis juberi.* Exstat epistola hæc inter epistolas Hormisdæ post epist. 22, infra, cujus initium tale est : *Etsi magnum aliquid.* Circa finem hujus epistolæ ait : *Injuriari et annulari sustinere possumus, juberi non possumus.* Hæc imperator hæreticus Pharaoni simillimus, qui ut exertum contra se Vitaliani gladium vitaret, et instantia Dei flagella subterfugeret, astute simulaverat se velle Romano pontifici parere, atque adeo non nisi per speciem ferream cervicem inclinavit : quando vero hæc pericula amota vidit, Moysen cum Deo, pontificem cum Christo obfirmata obstinatione contempsit. Quid post hæc acciderit in Oriente, videre est ex relatione archimandritarum et monachorum secundæ Syriæ, quæ exstat infra inter epistolas Hormisdæ post vigesimam secundam. Sev. Binius.

[e] Anno nimirum Christi 518. Postquam annis 27, mensibus tribus et 29 diebus imperium Orientale tenuisset. Quæ insomnia ante obitum perpessus fuerit, ex Zonara retuli supra. Vide Baron., anno 518, num. 16 et sequentibus. Sev. Binius.

[f] Decreto et concilio synodi Constantinopolitanæ, ut patet ex notis ejusdem synodi, et ex epistolis Justini, Joannis Constantinopolitani et Justiniani ad Hormisdam scriptis. Sev. Binius.

D [g] Hac legatione Orientales ad unionem et communionem Ecclesiæ Romanæ recepti fuerunt, postquam jussu Romani pontificis obtemperantes, nomina Acacii, Euphemii et Macedonii e diptychis sacris expunxissent, fidem catholicam integre professi fuissent, et memoriam Zenonis atque Anastasii hæreticorum e numero imperatorum abstulissent. Horum nomina in codice Justiniano diversis legibus alibi præfixa adhuc inveniuntur, ideo quod Tribonianus homo gentilis et impius eumdem codicem compilarit, ut dicemus infra in notis ad Vitam Felicis IV. Contigit hæc conciliatio Orientalis Ecclesiæ cum Romana sub consulatu Justini anno Domini 519, Hormisdæ pontificatus anno sexto.

(*a*) Idem cod., *Mefontis.*
(*b*) Idem cod., *Catinensem.*
(*c*) Idem cod., ***Hilarum.***
(*d*) Item cod., *ipsum.*
(*e*) In ms. additur *sed non potuit.*
(*f*) Cod. Luc 490, *sperans.*
(*g*) Deest in ms. *Capuanum.*
(*h*) In cod. Luc. 490 deest *illis.*
(*i*) Cod. Luc. 490, *sensiens.*

tientes quoque hoc, qui erant complices Acacii, incluserunt se in ecclesia majori, quæ vocatur Sancta Sophia, et consilio facto, mandaverunt imperatori, dicentes : Nisi nobis reddita fuerit ratio, quare damnatus est episcopus noster (civitatis nostræ) Acacius, nullatenus consentimus sedi apostolicæ. Hic papa Hormisda perrexit ad regem Theodoricum Ravennam, et cum ejus consilio misit auctoritatem ad Justinum, et cum vinculo chirographi, et textum libelli redintegravit ad unitatem sedis apostolicæ, damnans Petrum et Acacium, vel omnes hæreses. Hic invenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum exsilio deportavit. Quorum codices ante fores basilicæ Constantinæ incendio concremavit. [a] Hujus temporibus episcopatus in Africa post annos 74 revocatus est, qui (reordinatur, quod) ab hæreticis fuerat exterminatus. Eodem tempore venit regium donum cum gemmis pretiosis a rege Francorum * Clodoveo Christiano B. Petro apostolo. Sub hujus episcopatu multa vasa aurea vel argentea venerunt de Græcia, et evangelia cum tabulis aureis, cum gemmis pretiosis pensantibus lib. 15; patena aurea cum hyacinthis, quæ pensat libras 20; patenæ argenteæ duæ, pensantes singulæ libras 25 : scyphus aureus cum gemmis, pensans lib. 8 ; scyphus aureus circumdatus regno, pensans libras 8 ; scyphi argentei deaurati 2, pensantes singuli libr. 5 ; gabata (*a*) electrina, pensans lib. 2 : thecæ cereæ aureæ 2, pensantes lib. 6 ; palliolum (*b*) oloforum blateum cum tabulis auro testis de chlamyde vel de stola imperiali, (*c*) succinctorium super confessionem beati Petri apostoli. Hæc omnia a Justino Augusto (*d*) orthodoxa votorum gratia oblata sunt. Eodem tempore Taheodoricus rex obtulit beato Petro apostolo cerostrota argentea duo, pensantia (*e*) libras 70. Eodem tempore fecit papa Hosmisda apud B. Petrum apostolum trabem, quam ex argento cooperuit, pensantem libras (*f*) mille et 40. Hic fecit in basilica Constantiniana arcum argenteum ante altare, qui pensat libras 20 ; canthara argentea 16, quæ pensant singula libras 12. (*g*) Item ad beatum Paulum fecit arcus argenteos duos pensantes singulos libras 20 ; canthara argentea 16, pensantia singula libras 15; amas argenteas 3, pensantes libras 3 ; scyphos argenteos stationales 6 cum ducibus, pensantes singulos libras 6. (*h*) Hic fecit ordinationes in urbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros 21, episcopos per diversa loca numero 55. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri apostoli, VIII idus Augusti, ** consulatu Maximi. Et cessavit episcopatus dies 7 (*i*).

Ex cod. Hardyo. Et facto simul concilio cum Justino agitatum in conspectu omnium illustrium. Tunc legati sedis apostolicæ elegerunt ex suis Dioscorum diaconum ad reddendam rationem, qui tunc exposuit eis culpas Acacii, ut etiam omnes simul cum Justino agitantes acclamarent dicentes, et hic et in ævum damnatur Acacius. Eodem tempore jussit Justinus rex accepta veritate ut sine aliqua dilatione facerent libellos omnes episcopi qui in regno Justini erant, et rediret ad communionem sedis apostolicæ : quod etiam factum est et concordaverunt ab Oriente usque ad Occidentem, et cucurrit pax Ecclesiæ. Qui textus libelli hodie in archivo Ecclesiæ reconditus tenetur.

[a] Auctoritate quorumdam regum Vandalorum constitutum fuerat, ut supra vidimus, ne catholici in Africa in locum defunctorum alios episcopos ordinarent : verum Hildericus Hunerici filius, post obitum Trasamundi regis regno potitus anno nono Hormisdæ pontificis, qui est Christi 522, præcepit (teste Isidoro in Chron.) ut sacerdotes catholici ab exsilio reducerentur, et ecclesiæ aperirentur : idque priusquam regnaret, ne violaret religionem juramenti, quo Trasamundo prædecessori jam morituro promiserat, se catholicis in suo regno nullas ecclesias aperturum, nullaque privilegia restituturum esse. Voluit Deus beatissimum pontificem etiam hac benedictione augere, ut post restitutam Orientalem Ecclesiam catholicæ communioni, Africanam quoque longa persecutione vexatam, atque novissime a Trasamundo rege omnibus ejectis episcopis proculcatam, pristino splendori restitutam videret. His itaque aliisque muneribus a Deo locupletatus, tandem victoriæ coronam accepturus, sequenti anno ad superna est evocatus ; quasi senis Simeonis instar jam responsum a Domino accepisset, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum; nempe dissoluto schismate Orientalem Ecclesiam Occidentali unitam, et Occidentalem in Africa, sublato persecutore tyranno, in integrum restitutam. SEV. BINIUS.

(*a*) Cod. Luc. 490, *ylietina.*
(*b*) Idem cod., *olobyra blattea.*
(*c*) Idem cod., *suffictorium.*
(*d*) Idem cod., *orthodoxo.*
(*e*) In ms. additur *singula.*
(*f*) Cod. Luc. 490, CXXL.
(*g*) In eodem cod., *Item ad B, Paulum..... libras* 6, desunt omnia.
(*h*) Idem cod., *quatuor.*
(*i*) Idem cod., 6.
* *Hoc nomen abest a c. II in quo hæc leguntur* : Eodem et tempore venit corona aurea cum gemmis pretiosissimis donum a rege Francorum, *Recte.*
** Abest a v. c. manusc. v. c. Hardyi, quo hactenus usi sumus in recensendis Vitis pontificum Romanorum.

HORMISDÆ PAPÆ EPISTOLÆ ET DECRETA.

EPISTOLA PRIMA

HORMISDÆ PAPÆ AD S. REMIGIUM REMENSEM EPISCOPUM.

Post acceptas ab eo gratulatorias litteras, eidem, ob præclaram meritorum excellentiam, et nobilissimæ sedis prærogativam, vicariam sedis apostolicæ præfecturam in Gallia delegavit.

Dilectissimo fratri Remigio Hormisda.

Suscipientes plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificavit indicio corporali cum spiritualibus officiis incolumitas subnixa ; congruum esse perspeximus

hanc ipsam, quam mente gerimus, verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta pontificis, dum et prædicanda facis, et ea insinuare non differs. Prærogativam igitur de nostri sumpsimus electione judicii quando id operatum te esse didicimus, quod cæteris agendum obnixius imperamus ; ut in provinciis tanta longinquitate disjunctis, et apostolicæ sedis vigorem, et Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti et spiritalis filii nostri Ludovici (Jam ab anno 511 obierat), quem nuper, adminiculante superna gratia, plurimis et apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prædicationem salutiferam comitantibus, cum gente integra convertisti, et sacri dono baptismatis consecrasti, salvis privilegiis quæ metropolitanis decrevit antiquitas, præsenti auctoritate committimus : augentes studii hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, a quo jam probavimus acutius universe servari ; gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, et laboraturis injuncti operis forma monstratur.

Paternas igitur regulas et decreta sanctissimis definita conciliis ab omnibus servanda mandamus. In iis vigilantiam tuam, in his curam et fraternæ monita exhortationis ostendimus. His ea (quantum dignum est) reverentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ observationis obstaculum; ibi fas nefasque præscriptum est : ibi prohibitum, ad quod nullus audeat aspirare : ibi concessum, quod debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties universale poscit religionis causa concilium, te cuncti frates evocante conveniant : et si quos eorum specialis negotii pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide et veritate constitutum, vel provida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perveniat. Eo fit ut et noster animus officii caritate dati et tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime (anno Domini 514).

[a] EPISTOLA

ANASTASII AD HORMISDAM PONTIFICEM.

Pontificem precatur, ut ad componenda in Scythiæ partibus orta dissidia concilium congregari velit.

Victor Anastasius, pius, felix, inclytus, triumphator, semper Augustus, Hormisdæ sanctissimo ac religiosissimo archiepiscopo et patriarchæ.

Beatitudini vestræ non putamus ignotum, quod pro temporis qualitate loquendum atque tacendum, etiam divinæ Scripturæ provida est admonitione dispositum. Exactum proinde silentii tempus incitamenta nobis loquendi concessit. Atque ideo opportunum esse perspeximus, quæ apud nos sub religionis specie commoventur, auditui vestro committere. Ante hoc siquidem duritia eorum quibus episcopatus, quem nunc geritis, erat sollicitudo commissa, temperare nos a transmittendis faciebat epistolis. Nunc autem currens de vobis suavis opinio, ad memoriam nostram bonitatem paternæ affectionis adduxit, ut illa requiramus quæ Deus et Salvator noster sanctos apostolos divino sermone docuit, ac maxime beatum Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiæ suæ constituit. His igitur præfatis initiis, hortamur ut ad ea quæ de Scythiæ partibus mota sunt, unde et concilium fieri convenire perspeximus, mediatorem se apostolatus vester faciat, ut contentionibus amputatis, unitas sanctæ restituatur Ecclesiæ. Nobis autem omnia optata præstantur, si orationibus vestris et frequenti paginarum allocutione nostri memores fueritis. Data pridie idus Januarii Constantinopoli, et accepta Anthemio et Florentio VV. CC. consulibus v cal. Aprilis per Patricium (Data et accepta anno Domini 515).

EPISTOLA II.

RESPONSORIA AD ANASTASIUM IMPERATOREM.

Laudat eum quod Ecclesiæ paci studeat, et cum causam cur concilium cupiat congregari cognoverit, scribit se illi responsum daturum.

Hormisda episcopus Anastasio Augusto.

Gratias supernæ virtuti, quæ per vestræ pietatis affatus diuturnum dignata est terminare silentium, tale præstans collocutionis exordium, ut et de vestræ clementiæ prosperitate lætemur, et ad unitatem, Deo donante, reverti posse sanctam confidamus Ecclesiam. Hoc opus supernæ clementiæ, hæc et descessorum nostrorum fuit semper oratio ; quos etiam rerum actus paternæ traditionis ministros, et rectæ fidei declarant fuisse custodes. Pax est enim totius bonitatis initium, qua nihil, quantum ad catholicæ fide cultum, validius, nihil æstimari oportet excelsius : pro hac scilicet facere et cuncta sustinere convenit, qui sanctarum Scripturarum probabilis cupit esse discipulus. Hanc omnium bonorum matrem et nutricem Christum Dominum nostrum suis constat prædicasse

[a] Adversus Anastasium imperatorem, exturbatorem orthodoxorum episcoporum, excitavit Deus Vitalianum Scytham magistrum equitum, qui occupatis aliquot provinciis, prædando Constantinopolim usque processit, profitens, teste Marcellino in Chron., se pro orthodoxorum fide et revocando Macedonio episcopo Constantinopolitano (quem relegaverat imperator) omnia agere. Res suas deploratas esse videns Anastasius, pacem petit, jurans cum senatu se legatos revocaturum : Macedonio et Flaviano suos episcopatus redditurum, concilium Heracleæ acturum, et ad illud Romanum pontificem evocaturum. Indicto igitur Heracleæ concilio, 25 Decembris anno Domini 514 ad Romanum pontificem dat epistolam infra post tertiam Hormisdæ exstantem, de futura synodo eum certiorem reddens, ac rogans ut ad conciliandas Ecclesias suum exhiberet adventum. Ut id facilius impetrarent, cum rei præstandæ summam potestatem apud Romanum pontificem esse scirent, Vitalianus et Anastasius Patricium virum clarissimum cum hac epistola legatum miserunt ad Hormisdam papam ; cui Dorotheus Thessalonicensis episcopus suas infra exstantes adjunxit, ejusdem fere argumenti. Quid pontifex responderit, ex tribus sequentibus epistoli constat. Sev. Binius.

discipulis, dicentem : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Quam vos religiosi cura propositi, Domino aspirante, providentes, de orthodoxæ concordia cogitatis Ecclesiæ in beati apostoli Petri reverentia, divina specialiter præcepta servantes. Quæ res majorem superni favoris defensionem vestro procurat imperio. Recte enim oblata Deo veneratio inexpugnabilem devotis mentibus murum defensionis indulget. Proinde omnipotentem Deum fusis precibus exoramus, ut qui vobis studium quærendæ Ecclesiarum pacis indulsit, ipse quoque sub conservatione catholicæ fidei, desiderio vestro super hac parte præstet effectum. Præterea directis ad nos sacris affatibus commemorationem sancti concilii facere pietas vestra dignata est. De qua re tunc plenissimum poterimus præbere responsum, cum causam congregationis nos voluerit evidenter agnoscere. Nunc vero quia, præstante Domino nostro, data est facultas alloquio, congrua veneratione debiti præbebimus sermonis officia. Data pridie nonas Aprilis (anno Domini 515), Florentio viro clarissimo consule.

EPISTOLA

DOROTHEI THESSALONICENSIS EPISCOPI AD HORMISDAM PONTIFICEM.

Pontificem laudat, quod Ecclesiæ curet unitatem, seque cupere ait, ut hæreticis damnatis, Romanæ Ecclesiæ debitus honor præstetur.

Sacro, beatissimo et comministro papæ Hormisdæ Dorotheus episcopus Thessalonicensis in Domino salutem.

Ait quodam loco cuncta beatissimus divinorum præceptorum promens miracula Salomon : *Sicut aqua frigida animæ sitienti suavis est, sic benignum nuntium longinquis ex terris* (*Prov.* XXV). Et sacer David spiritualem pulsans lyram psallit : *Quam speciosi pedes eorum qui evangelizant bona* (*Rom.* X), sic equidem et nos cunctos docens. Quidquid autem est ita animæ hominis suave, aut ita impinguat ossa, quam specioso nuntio cognoscere veræ pacis nuntiatorem ; et rectæ nunquam errantes propugnatores fidei ad Ecclesiarum sanctarum transire gubernacula ; et tanquam ex arce quadam ad consensum Dei congregare dispersa, et continuo quidem ad principatum tuæ sedis festinantes, venerandi fratris supplicationibus annuentes, et membra Ecclesiæ, quæ vobis Christus et Deus noster credidit, contemnentia prius concordiam, ad unitatem venire; et præcedentem (præcidentem) divisionem, atque invidiam vestræ tantum ordinationis perimere calculo (clanculo), et nunc in concordiam atque societatem confluere (conflare, *vel* constare) omnem terminum sanctæ illius Ecclesiæ?

Hæc didicimus, non ante multa spatia temporis : sperabamus autem et antiquam consuetudinem cognoscentes Ecclesiæ, et vestrum audientes socialem et irreprehensibilem morem, ex vestris litteris firmiora atque manifestiora cognoscere. Sed quia tempus hiemis ad hæc vos implenda retinuisse consideratur, et aptum, et debitum fuit, plenam et Dei amatricem caritatem etiam scabra (scrupulosa) transire : scribo et alloquor beatum vestræ sanctitatis caput, significans collætari nos beatæ sedi sacratissimi Petri apostoli, quod tali regitur manu quæ suscepit non qui honorem raperet, sed qui raperetur ab eo, et (sicut sermo multiplex tradit, et nos ita se habere credimus) nutritorem pacis, et rectæ fidei certatorem, et humilitate (humanitate) mentis et caritate quæ circa cunctos est tanquam pretiosis lapidibus coronatum.

Etenim cuncta te volo, venerande pater, agnoscere, quod ex antiquis sanctis et venerandis Patribus suscipiens illius beatæ sedis affectum : (*al. add.* et) ad hanc tanquam paternam sortem custodiens, addere hoc opto atque festino: ut veniat in hoc studio terminus utilis humanitate quidem Domini et Dei nostri Jesu Christi, intercessionibus autem in cunctis beatissimi apostoli Petri, et in omnibus sapientissimi Pauli; ut venerandæ eorum sedi et tuæ beatitudini juste debitus honos custodiatur atque reddatur (addatur), ut nostris temporibus, velut secundum principatum sedis apostolicæ honorem congruentem suscipiat, omnis discordia recedat, et Ecclesiæ omnium vestrum catholica voluntate, Domini etiam et Dei nostri Jesu Christi, et Nestorium et Eutychetem impios, et horum servantes dogmata, et qui istorum fuere sectatores aut exstant, et omnem hæresim anathematizent semper, et rectam atque incontaminabilem fidem inconcussam, tanquam anchoram certam atque firmam teneant, et parent jam pacem, nullo (quod absit) impediente ; præsertim venerando capite vestro (sicut didicimus) homines contentiosos horrente, quibus et vita et esca est sacerdotum Dei inter se altercantium separatio : qui non ab omnibus velociter cogniti, tanquam lupi in vestimentis ovium, facile ab apostolica Ecclesia repellantur.

Ista nunc scripsi beato capiti vestro per Patricium virum spectabilem, commmunem filium, et consuetudinis affectu superans rationem, et circa illam beatam sedem caritate devinctus, et omni die videre desiderans congruentem atque debitam venerationem ei servari. Scribe igitur, in cunctis beate, tanquam unanimi et optanti animam quoque offerre pro fide orthodoxa et Ecclesiarum pace sanctarum, et ut custodiantur venerandæ sedi in omnibus beati Petri convenientia : quod facile fiet, ordinata unitate cunctorum, et omnium ad vos tanquam ad firmum festinantium portum. Divisiones etenim contra contemnere consueverunt, et ordini decentia non servant. Omnem fraternitatem quæ est vestræ sanctitati conjuncta, et ego, et qui mecum sunt, multum in Domino salutamus. *Et alia manu* : Salvari me in Domino orate, sanctissimi et beatissimi Patres. Accepta epistola Dorothei episcopi Thessalonicensis Ecclesiæ missa per Patricium V. C. sub data (die) quinto calendas Aprilis (anno Domini 515), Florentio viro clarissimo consule.

EPISTOLA III.

AD DOROTHEUM THESSALONICENSEM EPISCOPUM

Laudat ejus pietatem et studium in Romanam sedem.

Dilectissimo fratri Dorotheo episcopo Hormisda episcopus.

Ubi caritatis interest servare præcepta, etiamsi aliquid tale eveniat quod cujuslibet possit animos commovere, tamen ut ea quæ concordiæ conversatione prædiximus debeant custodiri, oportet æquanimiter prætermitti, quia utique si quid ignorantia tale proveniat, excusationem potest de ipsa simplicitate recipere. Suam Deus noster Ecclesiam propria ordinatione constituit, quod divinis præceptis noscitur esse dispositum, nullatenus poterit præteriri, cujus notitiam, vel scientiam, te non convenit ignorare. In faciendo namque bona laudamur, et tunc verborum cultus ornatur, quando sibi convenientia rite conjungit. Litteras siquidem per Patricium filium nostrum spectabilem virum tuæ suscepimus caritatis, in quibus speramus opus plenum et probabile reperire, ut nihil esset quod ab integritate unitatis secerneret. Sed quia in his ipsis hunc promittis affectum, qui nos ad hoc quod prædiximus possit specialiter provocare, Domino nostro preces effundimus, ut ipse cujus et causa tractatur, abstersis vel amputatis universis scandalis, et Ecclesia sua sub uno consensu et parili faciat fide connexos : nec in sacerdotibus suis quidquam reperiri patiatur, quod cujuslibet aut odiis propriis, aut inanibus intentionibus, aut hominibus in injuriam Dei, quod nefas est, velle placere ; et non magis universa, secundum beatum apostolum, sæcularia contemnentem a spe non possit exorbitare futura. Hortor propter commune remedium, invito pro salute fidelium, propter generalem suadeo medicinam. Quis namque contentus est hos videre divisos, quorum potest unitate gloriari! Unde opus est labore communi, ut hoc quod a Patribus nostris accepimus, conservantes secunde nisi in illo, possimus divino astare judicio.

EPISTOLA

ANASTASII AUGUSTI AD HORMISDAM PONTIFICEM.

Concilium Heracleæ ad componendas in Scythia de fide ortas quæstiones esse congregandum, ipsumque pontificem, ut ad illud accedat, precatur.

Anastasius Augustus Hormisdæ papæ.

Omnibus negotiis divinæ res præponendæ sunt : Deo etenim omnipotente, propitio, rempublicam et conservandam et meliorandam esse confidimus. Quia igitur dubitationes quædam de orthodoxa religione in Scythiæ partibus videntur esse commotæ, id specialiter clementiæ nostræ placuit, ut venerabilis synodus in Heracleotana civitate provinciæ Europæ celebretur, quatenus concordantibus animis, et omni veritate discussa vera fides nostra omni orbi terrarum manifestius innotescat, ut deinceps nulla possit esse dubitatio, vel discordia. Quapropter sanctitas tua cum quibus sibi placuerit reverendissimis episcopis, quod de Ecclesiis sub sui sacerdotii cura constitutis idoneos et instructos erga orthodoxam religionem esse probaverit, ad præfatam Heracleotanam civitatem intra diem calendarum Juliarum venire dignetur. Data v cal. Januarii Constantinopoli, Senatore V. C. consule. Accepta pridie idus Maii, Florentio V. C. consule (Data anno Domini 514, accepta sequenti).

EPISTOLA IV.

AD ANASTASIUM IMPERATOREM AUGUSTUM.

Imperatoris zelum commendat : quoad concilium, per legatos se responsurum pollicetur.

Hormisda Anastasio Augusto per Severianum.

Bene clementia vestra confidit, sicut datis ad me gloriosis designavit affatibus, quod reipublicæ vestræ specialiter proficit, si negotiis omnibus orthodoxæ fidei causa præponatur. Hæc est enim, venerabilis imperator, de suscepto moderamine rectoris cura salubrior, ut ejus sibi favorem per opera bona conciliet, qui universum et tribuit, et regit imperium. Proinde me quoque et Domino nostro Jesu Christo convenit supplicare, ut qui de Ecclesiæ suæ concordia vestram pietatem cogitare voluit, hunc super hac parte concedere dignetur effectum; quatenus temporibus vestris orthodoxa fide præditus universus terrarum orbis exsultet. De his vero quæ pro synodali congregatione præcepistis, quid fieri oporteat, [a] per fratres et coepiscopos meos, qui propere subsequentur, gloriæ vestræ insinuanda mandavi : quorum suggestione, si divinus favor mea vota prosequitur, competentius poteritis universa cognoscere. Data VII idus Julii (anno Domini 515), Florentio consule.

INDICULUS

QUI DATUS EST ENNODIO ET FORTUNATO EPISCOPIS, VENANTIO PRESBYTERO, VITALI DIACONO, ET HILARO NOTARIO, LEGATIS APOSTOLICÆ SEDIS CONSTANTINOPOLIM, AB HORMISDA PAPA.

Cum Dei adjutorio et orationibus apostolorum venientes in partes Græciarum, si episcopi voluerint occurrere, in qua decet eos veneratione suscipite. Et si voluerint secessionem parare, nolite spernere, ne judicetur a laicis nullam vos cum illis velle habere concordiam. Si vero vos ad convivium rogare voluerint, blanda excusatione eos declinate, dicentes : Orate, ut primum mysticam illam mensam mereamur habere communem, et tunc erit nobis ista jucundior. Victualia vero et quæ alia offerre voluerint, excepta tamen subvectione, si causa poposcit, nolite suscipere : sed taliter excusate, nihil deesse dicentes, sperantes etiam ut animos suos vobis accommodent, ubi sunt dona et divitiæ, et caritas et unitas, et quidquid ad gaudium religiosum certum est pertinere.

Cum ista ordinatione, Deo propitio, Constantinopolim pervenientes, ibi secedite, ubi ordinaverit clementissimus imperator : et antequam ipsum videa-

[a] Quatuor legatos in sequentis indiculi inscriptione nominatos misit, non ad concilium celebrandum, sed tantum ad explorandum qua intentione synodum fieri postulasset; an fidem catholicam, prout promiserat, profiteri, epistolam sancti Leonis recipere, et hæreticos anathematizare paratus esset; ne scilicet majestas sedis apostolicæ eluderetur ab ipso, dum non ad fidem catholicam stabiliendam, sed ad regnum confirmandum, Vitalianumque avertendum pontificia auctoritate abuteretur. Quonam modo apud imperatorem se gerere deberent, sequens indiculus et commonitorium refert. SEV. BINIUS.

tis, nulli detis ad vos veniendi licentiam, præter quos pietas ejus miserit. Postea tamen quam principem videritis, si qui orthodoxi et nostræ communionis, aut zelum habentes unitatis vos videre voluerint, eos sub omni cautela suscipite; per quos forte et quid agitur deprehendere poteritis. Præsentati itaque imperatori litteras porrigite cum tali allocutione: Salutat vos pater vester; Deum quotidie rogans, et intercessionibus sanctorum apostolorum Petri et Pauli vestrum regnum commendans, ut Deus, qui vobis tale desiderium dedit, ut pro causa Ecclesiæ mittit et consulere beatitudinem ipsius eligeretis, ipse et perfectionem tribuat voluntatis.

Et si voluerit, antequam chartas suscipiat, ordinem legationis agnoscere, his verbis utimini: Jubete scripta suscipere. Si dixerit: Quid habent chartæ? Respondete: Salutes ad pietatem vestram continent, et Deo gratias agunt, quod vos sollicitos de unitate cognoscunt Ecclesiæ: legite, et agnoscetis. Et nullius causæ mentionem penitus faciatis, nisi prius acceptæ litteræ relegantur. Et post susceptas litteras et relectas, adjicite: Nam et ad Vitalianum famulum vestrum misit litteras qui accepta a pietate vestra (sicut ipse scripsit) licentia, suos ad patrem vestrum sanctum papam homines destinavit. Sed quia justum erat ut prius ad clementiam vestram dirigeret, hoc fecit, ut vobis jubentibus atque ordinantibus, ad eum scripta, quæ detulimus, Deo propitio perferamus.

Si imperator petierit epistolas a nobis ad Vitalianum directas, sic respondendum est: Non hoc nobis pater vester sanctus papa præcepit: nec sine jussione illius aliquid possumus facere. Tamen ut sciatis simplicitatem litterarum, quia nihil aliud habent nisi preces ad pietatem vestram directas, ut accommodetis animum vestrum pro unitate Ecclesiæ; jungite nobiscum personam, qua præsente traditæ a nobis litteræ relegantur. Si vero dixerit imperator eas se debere legere, respondebitis: jam vos suggessisse, jussum non fuisse a sancto papa. Si dixerit: Hoc tantum est quod in litteris continetur: possunt enim et mandatis alia nuntiari. Tunc respondebitis: Absit a conscientia nostra: Nobis non est consuetudo: Nos pro Dei causa venimus, et in Deum commissuri sumus? Simplex est sancti papæ legatio, et omnibus nota ipsa ejus petitio, ipsæ preces: ut constituta Patrum non corrumpantur: ut hæretici de Ecclesiis removeantur: præter ista, legatio nostra nihil continet.

Si dixerit: Inde et ad synodum invitavi sanctum papam, ut si quid est ambiguum, tollatur de medio. Respondendum est: Agimus Deo gratias, et petitioni (*al.* pietati) vestræ, quia hunc vos affectum et animum habere cognoscimus, ut ea quæ a Patribus constituta sunt generalitas servet: quia tunc vera et sancta unitas potest esse inter Ecclesias Christi, si Deo adjuvante, hoc quod prædecessores vestri Marcianus et Leo custodierunt, elegeritis esse servandum. Si ille dixerit: Quæ sunt ista quæ dicitis? Respondete: Ut synodus Chalcedonensis et epistolæ sancti Leonis papæ quæ scriptæ sunt contra hæreticos Nestorium et Eutychetem et Dioscorum, nullatenus corrumpantur. Si dixerit: Nos synodum Chalcedonensem et epistolas papæ Leonis et recepimus et tenemus. Vos mox gratias agite, et pectus ejus osculamini, dicentes: Modo cognovimus Deum esse vobis propitium, quando facere talia festinatis: quia ista est fides catholica, ista est quam prædicaverunt apostoli, sine qua nullus potest esse orthodoxus: istam debet sacerdotum generalitas tenere, et prædicando servare.

Si dixerit: Orthodoxi sunt episcopi: de constitutis Patrum non recedunt. Respondebitis: Ergo si constituta Patrum servantur, et in nullo corrumpitur quod in sancta Chalcedonensi synodo firmatum est; quæ causa est, tantum inter Ecclesias partium istarum esse discordiæ? Vel quæ causa facit, in uno Orientis episcopos non consentire? Si dixerit: Quieti erant episcopi, nulla inter ipsos discordia versabatur: prædecessor sancti papæ animos eorum missis litteris excitavit, et ad confusionem excitandam perduxit. Respondendum: Litteras quas sanctæ memoriæ Symmachus destinavit, præ manibus habemus. Si extra hæc quæ pietas vestra dixit, hoc est, Chalcedonense concilium sequor, epistolas papæ Leonis admitto, aliud nequidquam continent nisi exhortationem ut ista serventur; quomodo verum est quod per ipsum est generata confusio? At si hoc continetur in litteris, quod et pater vester sperat, et pietas vestra consentit; quid ille fecit? quid enim in eo videatur esse culpabile? His adjicite preces et lacrymas: rogantes: Domine imperator, considerate Deum: ponite ante oculos vestros futurum ejus judicium. Sancti Patres, qui ista constituerunt, beati apostoli fidem secuti sunt, per quam ædificata est Ecclesia Christi.

Si imperator dixerit: Quod me vultis (*a*) per locutionem (prosecutionem, per solutionem) facere, habete: Ecce mihi communicate, qui synodum Chalcedonensem recipio, et epistolas papæ Leonis amplector: Nunc communicate mihi. Respondendum est: Quo ordine pietas vestra communicari sibi desiderat? Nec nos prædicantem ista pietatem vestram vitamus, quod scimus Deum timere, et gaudemus quia gratum vobis est Patrum constituta servare. Fiducialiter ergo rogamus, ut per vos in unitatem revertatur Ecclesia. Sciant omnes episcopi voluntatem vestram, et quia synodum Chalcedonensem et epistolas papæ Leonis servatis, vel apostolica constituta. Si dixerit: Quo ordine facienda sunt hæc ostendere oportere: Iterum preces adhibete cum humilitate, dicentes: Pater vester scripsit episcopis generaliter. Jungite his litteris sacras vestras, significantes hoc vos vindicare (indicare *vel* judicare) quod sedes apostolica prædicat: et tunc qui sunt orthodoxi, de unitate sedis apostolicæ minime separentur, et qui his sunt contrarii cognoscantur. Quibus ordi-

(*a*) Edit. Rom., *persequutionem facere ab eo?*

natis, paratus est pater vester etiam, si opus fuerit, suam accommodare præsentiam, et quidquid expedit, servatis Patrum constitutis, pro integritate Ecclesiæ non negare.

Si dixerit imperator : Bene ista, suscipite interim nostræ civitatis episcopum. Iterum preces jungite, humiliter dicentes : Domine imperator, pacem venimus cum Dei adjutorio, vobis adnitentibus et præstantibus, facere, et contentionem (intentionem) sopire in civitate vestra. De duabus est personis intentio : ista causa proprium cursum habet : Generalitas episcoporum prius ordinetur : fiat una communio catholica : et sequenti loco de istis, vel si qui sunt alii extra Ecclesias suas, tunc diligentius potest causa cognosci. Si dixerit imperator : De Macedonio dicitis : intelligo subtilitatem vestram : hæreticus est : nulla ratione revocari potest. Respondetis : Nos, domine imperator, nullum personaliter indicamus. Et si pietas vestra consideret, magis pro anima vestra et opinione loquimur, ut sit discussio, et si hæreticus est, judicio cognoscatur, ut non sub opinione orthodoxi injuste dicatur oppressus.

Si dixerit imperator : Quid vultis ? modo dicite de synodo Chalcedonensi, dicetis et de epistolis papæ Leonis : Ecce qui ille est istius civitatis episcopus ad ista consentit. Respondendum est : Si ita custodit, in examinatione causæ eum juvare plus poterunt : et quia servo vestro Vitaliano magistro militum talem dedistis licentiam, ut si speraret a beatissimo papa, ut pro causis talibus apud eum discussione causæ his personis, quibus de loco potest esse intentio, integra universa serventur. Si imperator dixerit : Sine episcopo debet esse civitas mea ? Hoc vobis placet, ut ubi ego maneo, episcopus non sit ? Respondendum : Prædiximus duarum personarum intentionem esse in ista civitate. Quod ad canones pertinet, jam ante suggessimus : canones solvere, irreligionem committere est. Multa sunt remedia, multa inventa, per quæ pietas vestra sine communione esse non possit, et integra judiciorum forma servetur. Si dixerit : Quæ sunt ista remedia ? Respondetis : Non a nobis noviter inventa : Suspensa causa de aliis episcopis, persona quæ consentit confessioni pietatis vestræ et constitutis sedis apostolicæ, interim usque ad eventum cognitionis, teneat locum Constantinopolitani sacerdotis, si cum Dei adjutorio episcopi voluerint se accommodare sedi apostolicæ. Habetis textum libelli in scriniis Ecclesiæ editum, juxta quem debeant profiteri.

Si tamen contra alios episcopos catholicos fuerint datæ petitiones, magnopere contra illos, qui sine verecundia Chalcedonensem synodum anathematizant, et epistolas non recipiunt sancti Leonis papæ, petitiones suscipite, causam tamen in sedis apostolicæ reservate judicio ; ut et spem de audientia detis, et tamen nobis debita reservetur auctoritas. Si tamen imperator serenissimus totum se promiserit esse facturum, tantum ut nostram præsentiam accommodemus, modis omnibus prius sacram ipsius per episcopos et per (Ed. Rom. *vel per*) epistolam vestram, uno de vestris perferente per provincias, una cum personis quas imperator deputaverit destinate : ut sic eum servare Chalcedonense concilium et epistolas S. Leonis papæ omnibus innotescat. Quibus ita procedentibus, ad nos in Christi signo, ut adventum procuremus, scripta dirigite.

Præterea est consuetudo per episcopum Constantinopolitanum omnes imperatori episcopos præsentari : si hoc illorum callidus tractatus invenerit, volentium formam legationis agnoscere, ut cum Timotheo, qui modo videtur Constantinopolitanam gubernare Ecclesiam, imperatorem videatis ; sic facite, ut si ante agnoveritis, quam ad imperatorem ingrediamini, ista disponi per aliquos, necdum præsentati, dicite : Mandata talia nobis dedit et præcepta pater pietatis vestræ, ut sine aliquo episcoporum vestram clementiam videamus. Ergo agite, donec se ab hac consuetudine ipse removerit.

Quod si omnino noluerit, aut si captiose contigerit ut ante imperatorem inopinate Timotheum videatis, ita suggerite : Præcipiat pietas vestra nobis dare secretum, ut causas pro quibus missi sumus, exponamus. Si dixerit : Dicite, ecce ante ipsum, respondetis : Non injuriam facimus : sed quod ad causas pertinet, etiam ipsius continet legatio nostra personam, et suggestionibus nostris præsens esse non potest. Et nulla ratione eo præsente aliquid allegetis, sed egresso, delegationis textum exerite. *Hactenus indiculus, sive quod dicunt commonitorium : sequuntur post eum assertiones singularum, in hunc modum.*

Capitula singularum causarum.

Ut synodus Chalcedonensis et epistolæ S. Leonis papæ serventur. Utque clementissimus imperator consentiens debeat pietatis suæ sacra generalia ad univeros episcopos destinare, in quibus significet prædicta se et credere et vindicare.

Consentientes etiam episcopi, in Ecclesia, præsente plebe Christiana, hæc prædicare debeant : Amplecti se sanctam fidem Chalcedonensem, et epistolas S. Leonis papæ, quas scripsit contra hæreticos Nestorium et Eutychetem et Dioscorum, sed et contra sequaces eorum, Timotheum Ælurum, Petrum, vel contra eos qui in ipsa causa tenentur obnoxii, simul etiam et Acacium, qui quondam Constantinopolitanæ Ecclesiæ fuit episcopus, sed et Petrum etiam Antiochenum anathematizantes cum sociis eorum. Hæc manu propria, præsentibus electis venerabilibus viris, scribentes, faciant secundum textum libelli quem per notarium nostrum edidimus.

In exsilium deportatos pro causa ecclesiastica ad audientiam sedis apostolicæ revocandos, ut judicium et vera examinatio de his possit haberi : ita ut causa eorum inquisitione integre reservetnr,

Si qui vero sacræ sedi apostolicæ communicantes, catholicam fidem prædicantes atque sequentes fugati sunt, vel in exsilio detinentur, hos justum est ante omnia revocari.

Præterea quæ legatis inter reliqua injunximus, ut si contigerit libellos porrigi adversus episcopos qui persecuti sunt catholicos, de his judicium sedi apo-

stolicæ reservatur, ut circa eos venerandorum Patrum possint constituta servari, per quæ ædificatio generalitati proveniat.

EPISTOLA V.

AD ANASTASIUM IMPERATOREM AUGUSTUM.

Novum esse Romanum pontificem ab imperatore ad concilium vocari, se tamen iturum, si Chalcedonensis concilii decreta non revocentur in dubium.

Hormisda episcopus Anastasio Augusto.

Bene atque utiliter serenitas vestra curam principalis acuminis, non tantum in administrando reipublicæ exercet officio, sed melioribus eam nobilitat institutis, et per curam redintegrandæ unitatis auctorem venerandi placat imperii. Certi sunt enim de tutela regnante, si ulla iisdem præsidentibus Ecclesiæ castitas importuna diaboli commixtione maculetur. Unde enim potest fieri, ut nitidas pro principibus ad Deum nostrum preces dirigat, si sit lethaliter populus perfidia corruptus? Nam sicut ante bona omnia est perfecta juxta Deum in imperatoribus sapientia, ita de sacrario mundorum pectorum pro his supplicatio debet et fideli animarum ubertate procedere. Nulla vobis, sublimissime domine, triumphorum materia poterit esse jucundior, quam de subjugatione perfidiæ.

Hoc etiam fiducialiter, et pro commissi nobis officii prærogativa suggerimus; quia prope est ut suum splendorem aliena patiatur nube fuscari, qui cum Deo tribuente amovere possit, in subditis tenebras manere permittit errorum. Ergo quia mansuetudo vestra futuram synodum scriptis sacratissimis indixit, cui nos interesse debere iisdem paginis Deo, ut credimus, sibi imperante commonuit, gaudemus, scientes quoniam directarum mentium est, venerabilis Ecclesiæ magistros expetere. Soli enim declinant examen conscientiæ, , qui vitæ sunt non continentis. Nam et feriato ore splendorem bonæ voluntatis enuntiat, qui per apostolicam immaculatamque fidem et per competentes prædicatores aut confirmari se optat, aut corrigi. Verumtamen licet in his nullum sæculi præcedentis existat exemplum, neque senioris facti qualitas aut commissa libris, aut memoriis inserta teneatur; nihil ad nos, quibus dulce est beneficio Dei, pietate vestra invitante, inchoare meliora, et hoc quod non accepimus a parentibus tam clari operis institutum nobis ipsis imponere; quia totum pro redintegratione fidei et Eclesiarum pace facere, libenter amplectimur: si tamen majorum nostrorum diffinitio, et sanctorum Patrum in suis radicibus inconcussa permaneat: si anathematizetur Nestorius cum participibus suis, qui evacuans divinæ sacramenta naturæ, beatam virginem Mariam nudi hominis mentitur esse genitricem; oblitus angelicæ annuntiationis, per quam mundo innotuit, quia quod ex ea nasceretur vocandum esset sanctum, Filius Dei. Facessat impiorum tam contumeliosa in Deo honorificentia: quoniam sic est in utero virginis operata divinitas, ut ex ea unitas ibi procederet carnis, animæque humanæ; increata quidem, sed non confusa connexione substantiæ; et si in utrisque naturis pro nostræ redemptionis dilectione Christi Jesu Domini nostri persona una est, ædificante mysterio...... restitutione mortem subire potuisset naturæ..... fragilitatem cœlestis imperii valuerit virtute reparare, vel ita pro unitate personæ et Dominus majestatis crucifixus, et Filius hominis credatur descendisse de cœlo. Eutychetis quoque ignorantia divinorum bonorum omnium, et ipso cum sociis detestando jam nomine abdicetur hebetudo, qui Deum et Dominum nostrum Jesum Christum figuram tantum carnis habuisse testatus est, et nostræ veritatem non habuisse substantiæ, nesciens de quo promissum sit: quia videbunt persecutores ejus in quem pugnaverunt. Ita enim in una eademque persona persistit utraque natura, ut Deus atque homo unus Dei Filius Jesus Christus fidelium cordibus apparet. Quid enim quadraginta dierum post resurrectionem Domini cum hominibus conviventis et convescentis egit præsentia? Nisi in istis negotiis illorum, qui veritatem carnis negaturi erant, seniorem faceret ætatem curationis esse quam vulneris. Sic enim dixit ad discipulos: *Quid cogitatis in cordibus vestris? Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, *Joan.* XX). Neque fuisset mysterium, quod ostiis ad eos clausis ingressus est, si integritatem humani corporis non habebat. Possumus ex hoc dono verbi præcedentem longius proferre sermonem: sed satis esse credimus per Dominum nostrum eruditæ clementiæ vestræ strictis supplicare suggestionibus, sperantes ut laborem curamque pastoralis officii, venerabilium prædecessorum vestrorum Marciani et Leonis formam secuti, etiam principali potentiæ participatione fulciatis. Habebitis Deo propitio spem de victoriis non jacentem, si pontificali contra diaboli subreptiones congressione pacifica ad decertandum instructionem muniatis. Nunquam in sanctarum Ecclesiarum memoria Dioscori participis Eutychetis, Timothei et Petri, parricidarum commemoratio reviviscat: servetur ab omnibus suscipiendæ Chalcedonensis synodi, Deo per vos operante, diffinitio. Acacius Petri tenebrarum filii communione pollutus habeat participes, quos delegit: qui etiam inter suos excessus, nec de Petro Antiocheno, et complicibus ejus nitidum se esse perpessus est. Cessent maledicta piis sanctæ recordationis papæ Leonis ingesta dogmatibus, quæ solos quidem illo in suis manente puniunt irrogantes. In his quæ præfati sumus, sollicitudinem vestri advocamus imperii: poterit enim pietas vestra, hoc custodiens, apices et sceptra sua post multos annos ad aliud sæculum possidere translata. Suscipite preces nostras per Ennodium atque Fortunatum fratres et coepiscopos nostros, nec non Venantium presbyterum, atque Vitalem diaconum, vel Hilarum notarium, filios nostros, quorum apud nos fides in Dei timore studiumque perclaruit, pro vestro amore transmissas, et placidam vice nostra supplicationibus conscientiam accommodate. Speramus enim, et de Deo habentes fiduciam, pollicemur

studia, quæ a vobis veræ religioni impensa fuerint, sine retributione et præmio non futura. Data III idus Augusti, Florentio V. D. consule.

[a] EPISTOLA

ANASTASII IMPERATORIS AD HORMISDAM PER LEGATOS SEDIS APOSTOLICÆ MISSA.

Catholicam fidem profitetur: Chalcedonensis concilii decreta servanda: Acacium ad tollenda scandala non damnandum, et de pace cogitandum.

Exemplum sacræ Anastasii Augusti Hormisdæ papæ per Ennodium et Fortunatum episcopos, Venantium presbyterum, Vitalem diaconum et Hilarum notarium.

Gratias omnipotenti Deo referimus, quod sanctitas vestra disciplinis cœlestibus instituta, sicut poposcimus, legatos fidei, Ennodium et Fortunatum venerabiles episcopos, sed etiam viros religiosos Venantium presbyterum, Vitalem diaconum, et Hilarum notarium, quales poscebat causæ sublimitas, destinavit; qui negotii magnitudinem implere possent, ecclesiastici luce sermonis, quique operante Deo omnia subtiliter requirentes quæ ad rectam et veram Christianorum pertinent fidem, et ipsi, sicut decuit, declararunt, et a nobis, sicut oportuit, agnoverunt: quia una est Ecclesia Dei, apostolicis ubique firmata doctrinis. Unde quis audeat de Domini nostri Jesu Christi incarnatione aliter quam habet veritas ipsa sentire, nisi ut confiteatur æqualem et consubstantialem Patris Filium, salutis nostræ causa, juxta annuntiationem archangeli, in utero virginis, carnem ex eadem assumendo, hominem factum? et sicut ait Apostolus, in servili forma, ut crucem pro nobis carne susciperet. De quo beatus Petrus apostolus Judæis dicit: *Vos petistis vobis dimitti virum homicidam, auctorem vero vitæ interfecistis.* De quo etiam legitur in Paulo apostolo: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Confitemur enim quod genitrix Dei beata virgo Maria in vera carne et anima rationabili et intelligibili nobis Deum peperit salvatorem, quem homousion Deo Patri et Spiritui sancto, ante sæcula eumdem nobis quoque homousion, propter peccata nostra in fine temporum credimus et probamus fuisse progenitum, sicut propheta David dicit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu* (*Psal.*, XXI). Quæ tamen ita sine defectu vel confusione nostri corporis est assumpta nostra substantia, ut in eadem carne Dei Filius mundum examinaturus adveniat, oculis omnium vulnerum et clavorum indicia repræsentans, sicut scriptum est: *Et videbunt in quem pupugerunt* (*Apoc.* I). Cum omnibus etiam orthodoxis A impiissimos Nestorium atque Eutychetem vitamus pariter et horremus. Eorum condemnantes et anathematizantes et personas et dogmata, detestabilibus sacrilegiis comparanda, qui dispensationem divinam et humanæ remedia infirmitatis, similiter aut nescire voluerunt, aut cognita blasphemare. Tale igitur circa fidem clementiæ nostræ propositum summus Deus ab exordio vitæ sensibus nostris immisit: unde et imperium nostrum credimus custodiri. Miramur autem quamobrem de beatissimis Patribus, qui in Chalcedone convenerunt, aliqua nobis scribere voluistis, dum ea quæ ab his fuerant constituta prædecessorum nostrorum multiplicibus decretis confirmata monstrantur. Et cum nec alia synodus facta fuerit, per B quam quæ ab illa disposita sunt redderentur infirma, nec lex a nobis processerit, cujus novitate statuta præfati episcopalis concilii solverentur, maxime cum ipsa synodus dixerit anathema esse debere, quicunque aliam fidem quam apud Nicæam trecenti decem et octo venerabiles Patres constituerunt docere vel immutare voluerit, ad hoc etiam eos, quos superius comprehendimus, id est Nestorium et Eutychetem damnaverunt, quos nos quoque damnamus. Nam pro hac causa attestantur nobis etiam divinæ litteræ ad Alexandriam, non semel, sed multoties destinatæ. Per quas objurgavimus, cur sibi non arbitrentur posse sufficere directam fidei doctrinam, recedentes ab anathemate Chalcedonensis synodi vel venerandæ memoriæ Leonis episcopi. Unde non parvum studium C apud nos, et intentio in præsenti quoque perdurat, quatenus a superfluo anathemate eosdem possimus abstrahere, et sanctæ Ecclesiæ universali conjungere. De capitulo vero quod solum videtur esse residuum, nostra voluntas petitioni vestræ fortasse propter unitatem Ecclesiarum convenerat, nisi alia venerabilibus Ecclesiis ex hoc removeri scandala crederemus. Nunc universa quæ sint facienda perpendite, quia grave esse clementia nostra judicat de Ecclesia venerabili propter mortuos vivos expelli, nec sine multa effusione humani sanguinis scimus posse ea quæ super hoc scribitis ordinari: omnia tamen a Deo sperantes, per concilium melius agere poteritis, quam ab his hominibus, qui propter errores suos provincias percurrentes, inimicam Evangeliis sanctis et D Ecclesiis volunt esse discordiam. Ergo ut sit placens supernæ majestati Ecclesiarum unitas, providete: quia quid nobis in eis quæ præfati sumus obsistit, ignoramus, si bene nos arguit. Per omnia tamen voluntatis nostræ puritatem legatorum nostrorum poteritis narratione cognoscere. Petimus autem ut

[a] Hæc epistola cum quibusdam sequentibus scripta est ab Anastasio imperatore anno Domini 516, quando edita catholicæ fidei professione se catholicum esse simulavit, ut scilicet hac arte, populi favore captato, metum Vitaliani excuteret. Addidit reverentibus sedis apostolicæ legatis Theopompum et Severianum, homines laicos, quibuscum de rebus ecclesiasticis ageretur. Anastasium his litteris catholicam fidem veteratorie et per summam calliditatem professum esse, eademque fallendi arte Chacedonense concilium approbasse, ex his quæ superius de ipso scripta habentur, et quæ de eodem scribentur infra manifeste demonstratur. Legati quos misit fuerunt alieni a catholica religione, defensoresque hæresis Eutychianæ; ideoque præcipue Romam venerunt, ut (si fieri potuisset) ipsum Hormisdam ad suas ipsorum partes adducerent. At ubi hæc adeo inexspectata Hormisda comperit, legatos re infecta ad imperatorem redire jussit; jam de Anastasii perfidia, diu piorum verborum involucro velata, certior factus. Hæc constant infra ex epistola Hormisdæ ad Avitum. SEV. BINIUS.

pro nobis apostolatus vester orare dignetur: quod vos libenti animo facere, hac poterimus maxime ratione cognoscere, si perfectam nobis unitatem Ecclesiarum dignatus fuerit Deus, vobis disponentibus, condonare: illam enim vox Dei magnam benedictionem diligentibus se mandavit atque donavit, qua declaravit: *Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis* (*Joan.* XIV).

EPISTOLA

ANASTASII IMPERATORIS AD HORMISDAM PAPAM.

Theopompum et Severianum homines laicos, legatos pontifici ad salutationis officium, et pacem conciliandam mittit.

Anastasius Augustus Hormisdæ papæ per Theopompum et Severianum viros clarissimos.

Omnia quæ benignitas conceperit animorum, dulci ambitu et festinatione laudabili propagantur; nec sibi requiem putant posse præstari, donec ad affectum saluberrimum desiderata perduxerint. Et tunc quædam ipsius festinationis fit requies, dum contigerit spes votorum. Quod in præsenti nos certa ratione pertulimus, donec cœlestis favor et nostræ petitioni auditum, et vestræ promissionis serenum donet effectum. Ergo quia vel maxima itineris longitudo, et ultra solitum morem hiemalis asperitas, quod optabamus, nobis fecit incertum, interim intra animos desiderata compressimus, beneficia divina captantes, quæ bonæ exitus rei sua interpositione decidunt. Agnoscentes igitur quod ejus primam nobis gratiam condonavit, ut missa ad nos legatio ad beatitudinem tuam feliciter remearet, ad secundam processimus, ut dirigeretur a nobis promissa legatio, per quam et commemoratio fieret eorum quæ cum sanctissimis viris longa deliberatione contulimus, et inde, Deo auspice, tam nostræ petitionis, quam vestræ gratiæ, ad integrum lux serena resplendeat, et toti orbi gaudia exspectata donentur. Commemorationis itaque loco, et salutationis honorem reddendo, Theopompum virum illustrem, comitem domesticorum, agentem sacri nostri palatii scholam, fidelem nobis vel pro suis moribus, vel pro ipsa affectione genitali nostræ provinciæ, sed et Severianum virum clarissimum comitem sacri nostri consistorii ad vestram dreximus sanctitatem, qui ordinem litterarum propria voce testantes, ad celeritatem exspectata provocent, quæ etiam cœlesti misericordiæ credimus placuisse. Data XVII cal. Augustas Constantinopoli, Petro viro clarissimo consule (anno Domini 516).

EPISTOLA VI.

AD ANASTASIUM AUGUSTUM.

Fraude Anastasii imperatoris nondum detecta, laudat ejus studium de pace consilianda, monetque ut tandem damnatis hæresibus Ecclesiæ unitas sortiatur effectum.

Hormisda Anastasio Augusto per Theopompum et Severianum.

Sollicitari animum tuum, clementissime imperator ambitiosa aviditate commemoras, donec speratæ unitatis redintegratio optata contingat. Bona sunt desideria salutis, et laudabilis quæ se hujusmodi Deo A commendat intentio. Prudentiæ siquidem speciale documentum est, cum id quod sibi utile credit, impatienter inquirit. Nam si in corporum morbis noxia est tarda curatio, quanto magis in salute animæ gravius est ferendus remediorum fidelium serior appetitus? cum moneamur spiritualibus institutis, ne quæ prodesse possunt in diem posterum differantur, clamante sapientissimo Salomone: *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem* (*Eccli.* V): quia sicut in incerto vitæ tempora, ita in tuto animæ convenit esse remedia, ut intret in gaudium domini sui, quem veniens dominus ea quæ sibi placent invenerit operari. Unde et fateor me fuisse miratum, cur tandiu legatio promissa tardaverit, cum facienda ista sint, ut regna cœlestia rapiantur. B Verumtamen instinctus ipse, quem mansuetudinis vestræ declarat alloquium, spem supernæ misericordiæ pollicetur. Desuper est enim et ipsum velle quod bonum est. Confido autem quoniam qui cœpit in vobis opus bonum perficiet usque in finem. Ergo viæ cui cœpistis insistite, et spretis errantium lubricis, nobiscum supra petram solidam tenete vestigia. Tali crevit Ecclesia sancta consensu, quod his verbis apostolicorum actuum testatur historia: *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una* (*Act.* IV) Nam quemadmodum connecti poterunt gratiæ vinculis, quorum distant corda sententiis? Fac, domine imperator, effectum rerum fidem probare verborum. Non enim sermonibus cognoscuntur hominum corda, sed C effectibus. Cum et Abraham pater noster non nuda Deo fide, sed opere fidem commendante placuerit. Unde vel pro dispensatione mihi credita, vel pietatis vestræ circa me benignitate perpensa, domine fili, hortor et supplico, ut studium pacis, quod per scripta præfertis, ad componenda nobiscum, adjutore Deo, ea in his, quibus laborant Ecclesiæ, dirigatis, quia secundum prophetam: *Pax multa diligentibus nomen tuum, et non est illis scandalum* (*Psal.* CXVIII). Non sunt incognita apud mansuetudinem vestram quæ nos ab ea, quam redintegrare cupimus, unitate discernant. Date operam, ut laudando quæ profitemini, compleantur effectu. Et apostoli, cujus communionem creditis expetendam, totis viribus sequimini disciplinam. In totum perdita noxiorum declinate D contagia; scientes non habere cum religiosis impios portionem, nec ullum fidei cum perfidia esse consortium. Consequens est ut qui errorum detestatur principes, oderit sectatores. Exsecrabile habeatur in flore, quod damnatur in semine. Offerte hoc munus Deo, pro vestris, precor, offerte temporibus: jam diu hanc a vobis hostiam pro tantis quæ vobis contulit Christus beneficiis exspectat. Quid opus est apud illum preces adhibere, qui supplicat? Vos senatui urbis Romæ, ut me ad pacem hortaretur, injungitis. Ego non solum cum his ad vos supplicationis verba converto, sed vestigiis vestris pro universali advolvor Ecclesia. Audite me pro Christo legatione fungentem: non patiamini ab improbis canibus Christi membra discerpi: quæ insanabilia videtis, abscin-

A dite, et quæ ægra, curate. Cur quæ sana sunt invalidis conjuncta quatiuntur? Servate ordinem quem unitas ipsa præfinit, et pacem mundo, quam poscitis, reddite. Hæc et sub præsenti occasione deposco, et rursum ac sæpius supplicare curabo, sperans importunitatem hanc meam et Deo esse placituram, et apud vos quoque per assiduas petitiones, quoniam id nos Dominus docuit, vacuam non futuram. Data Romæ (anno Domini 516).

EPISTOLA

ANASTASII AD SENATUM URBIS ROMÆ, PER THEOPOMPUM ET SEVERIANUM VIROS CLARISSIMOS.

Pontificem et regem ad pacem hortandos.

[a] Imperator Cæsar Flavius Anastasius pius, felix, victor, semper augustus, Germanus inclytus, Francicus inclytus, Sarmaticus inclytus, pater patriæ, proconsulibus, consulibus, prætoribus, tribunis plebis, senatuique suo salutem dicit.

Si vos liberique vestri valetis, bene est : ego exercitusque meus valemus. Quotiens utrisque publicis rebus prospera voluntate consulitur, non solum exhortatio, sed postulatio quoque creditur conveniens, ut duabus in unum concurrentibus causis animus incitatus, quod felix et bonum partibus sit, valeat adipisci. Si etenim Christus Deus et Dominus noster, et per mitissimam voluntatem, et quamdam dispensationis petitionem nos revocavit ad se, et redemptos proprio sanguine libertati restituit, ut salutem mortalitati præstaret, non videtur absurdum, tam apud gloriosissimum regem, quam apud beatissimum papam almæ urbis Romæ, patres conscriptos imperiali petitioni conjunctos, ea sperare, quæ et nobis et sibi Deo annuente in commune proficiant; hoc est, ne fugitivorum audiant concinnatos sermones, mendacio solo compositos, sed satisfactione suscepta, quam et veritas et legatorum qui directi sunt inquisitio patefecit, ad desideratam pacem acceptabili Deo voluptate concurrat. Indubitatum siquidem est ex longa annorum serie, multam partem reipublicæ vestram vindicare constantiam. Proinde oportet sanctissimum cœtum vestrum solerti studio ac provido labore contendere; tam apud excelsum regem, cui regendi vos potestas et sollicitudo commissa est, quam apud venerabilem papam, cui intercedendi apud Deum facultas est præstita, ut in ea parte animi sui bonitatem dignentur impendere, in qua utriusque reipublicæ membra sperata sanitate salventur. Implebitis enim veterem consuetudinem, et nimis consilio vestro notissimam, si ea quæ publicæ utilitati conveniunt, tractando, sperando, postulando, effectum adipisci Deo auspice feceritis. Data V calendas Augusti (anno Domini 516), Chalcedone, Petro viro clarissimo consule.

RESCRIPTUM

SENATUS URBIS ROMÆ AD ANASTASIUM AUGUSTUM PER THEOPOMPUM ET SEVERIANUM VIROS CLARISSIMOS.

Pontificem semper pacis fuisse studiosum, quam pendere ab Acacii damnatione fatentur.

Si prima semper est, imperator invicte, a regentibus supplicium spectata devotio, si sola gratia dominorum conciliatur obsequio; indubitanter agnosces sacræ jussionis oracula quanta senatus vestri fuerint gratulatione suscepta, maxime cum ad hos et animus domini nostri invictissimi regis Theodorici filii vestri mandatorum vestrorum obedientiam præcipientis accederet, et sciamus super omnia beneficia vestra tunc magis nos erigi, cum dignos creditis, quibus B debeat imperari. Mox igitur sacræ studio jussionis implendæ, beatissimum papam Hormisdam credidimus deprecandum : de quo parum est dicere, quia vota supplicantium benignitate præcessit; sed et nobiscum suas preces, ut quod hortamini fiat, adjunxit, evangelicis voluntatem suam testimoniis asserendo, ostendens mundum supra multitudinem peccatorum suorum scandalis plus gravatum, dum vox sit ista dominica : *Væ mundo a scandalis* (*Matth.* XVIII). Et idem, oportere homines scandalizantium partes membrorum abscindere, quam ut in ignem, non renuntiando scandalis, mittantur æternum. Sed et post hæc divinæ lectionis exemplis, quam boni sint fructus pacis, ostendit cum diceret : Et apostolum Paulum gratia Dei plenum, nihil tamen quibus C bene cupiebat, quod optaret melius, invenisse; nisi ut pax Dei, quæ est supra omnem excellentiam, in eorum sensibus abundaret; quodque in Evangelio Domini sit vox ista dicentis : *Quoniam pacifici filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V) : et iterum ad ipsum Scripturarum omnium revertendo doctorem, quanto ipsa vel fide, qua et cœlestia regna præsumimus, a peccatorum cruciatibus credendo salvamur, caritas sit major, ostendit, testimonium tale subjiciens : *Spes, fides, caritas, major autem omnium caritas* (*I Cor.* XIII) : id est Spiritus, gratia donante divina, caritatem virtutibus omnibus exaltat. Non habentes ergo, si et propter pœnam scandala declinamus, et pacem propter pacis bona sectamur, et ad caritatem nos qui est caritas Christus hortatur; quid est enim quod retinet D catholico ardore festinos? quid est quod delinquentis Acacii impedit volentes Christum videre persona? quid est quod a suo liberi, alieno graventur errore? Hæc cum venerabilis papæ latius fuerint expedita rescriptis pro nostræ tamen obsequio credidimus devotionis indenda, ne non rogasse putaramur recondendo responsum, quod accepimus deprecantes. Proinde, piissime imperator, hæc suo nomine senatus serenitatis tuæ clementiæ provocatus adjunxit, ut qui animo quambenigno in utraque republica concordanda fuisti, tam esse pio in Ecclesiæ redintegranda unitate noscaris. Nam ut pax illa regnorum tantum scitur prodesse subjectis, sic hæc religionis

[a] In editione Rom. epist. Pontif. Romanorum hi tituli ita enuntiantur: *Imperator Cæsar Flavius Anastasius pontifex inclytus, Germanicus inclytus, Alamanicus inclytus, Francicus inclytus Tribunic. Pot. XXV* cos. III *pius, felix, victor, ac triumphator semper augustus, pater patriæ, consulibus*, etc.

cum populo suo proficit imperanti. Etenim quis non hæresum perfidarum sequaces plus quam ipsos deliquisse putet auctores? Qui non post patibulum crucis dividentes iterum Christi membra condemnet? Utinam hæc jam vobis regnantibus causa cœpisset, ut facilius mala reprimerentur nascentia, quam provecta. Nam quis ambigat non potuisse ejus existere, cujus corrigi temporibus videret errorem? Per Ennodium et Fortunatum episcopos, [a] Venantium presbyterum, Vitalem diaconum et Hilarum notarium.

EPISTOLA

SIVE EXEMPLUM RELATIONIS JOANNIS EPISCOPI NICOPOLITANI, PER RUFINUM DIACONUM EJUSDEM, AD HORMISDAM.

Catholicam fidem profitetur et, quæ vitanda, quæve servanda, moneri cupit.

Domino meo per cuncta sanctissimo ac beatissimo patri patrum, comministro ac principi episcoporum Hormisdæ, Joannes in Domino salutem.

Cura mihi exstitit semper nihil amplius quærere, nisi agere propriam et familiarem conversationem vacuam sollicitudinis et anxietatis mundanæ : sed quia *Dei judicia abyssus multa est* (*Psal.* XXXV), sicut et vestram cognosco docere beatitudinem, patre nostro quondam atque archiepiscopo Alcysone a Christo ad supernas mansiones evocato, ea ratione qua ipse cognoscit, qui est possibilium dominus, in me sancta synodus bonorum actuum, ac clerus pastorum transtulit sortem. Ego autem cuncta referens Deo, qui balbutientium linguas liberas facit, decenter ad vestras orationes concurro; ut juxta consuetudinem apostolicæ sedis vestræ, quæ cunctarum Ecclesiarum curam habet, et Nicopolitanorum habere dignemini, secundum antiquam spiritualem dispositionem vestram. Petenti etenim mihi dari spiritum ad apertionem oris, sicut docuit Apostolus (*Ephes.* VI), atque ipse etiam Dominus præcepit, mecum petite horum datorem, et cum quærente pariter quærite, et pulsantem spirituali manu vestra suscipite. Hoc enim vobis facientibus, potero, sanctissime, et accipere, et invenire, et aperiente Christo recta per verbum veritatis incedere. Quoniam vero quidam dissimulantes nobiscum credere, atque sectari sanctas synodos quæ Nicææ, Constantinopoli atque Ephesi congregatæ sunt, in qua principes exstiterunt sanctissimæ memoriæ episcopi Cœlestinus apostolicæ sedis vestræ, et Cyrillus Alexandrinæ; insuper etiam quæ Chalcedone adversus Eutychetem impium congregata est, quæ omnes prædictas veritates orthodoxa in se ratione firmavit. Tamen audent nos impugnare, tanquam vinculum concordiæ sine ratione vitantes. Votum autem mihi, est vestram sequi doctrinam sicut inter sanctos prædecessor meus Alcyson exstiterat, et anathematizo Dioscorum, Timotheum appellatione Ælurum et Petrum horum successorem; et Petri communione cum his permixtum Acacium, et Petrum qui Antiochenam perturbavit Ecclesiam, sequens in omnibus synodicas et apostolicas epistolas scriptas a vero præsule Romanæ Ecclesiæ Leone. Rogo autem plenius atque perfectius, quæ servari oportet, commonete, et a quibus abstinere debeam, vestris custodibus litteris intimate : ut si fortassis adhuc inexercitatus ordini deputor lectionum, seu dixi, sive egi apostolicis doctrinis vestris incongruum, vestris imbutus sermonibus possim hæreticorum obsistere machinis. Hoc enim faciente, sanctissime, firmiores nostræ sanctæ synodi invenietis episcopos, et bonorum actuum clerum ac populum confirmabitis, tanquam familiarem vobis reddentes sanctam Nicopolitanorum Ecclesiam. Venerabilem vero diaconum Rufinum ad tam necessariam causam directum, pacifice, sicut vos decet, rogati suspicite; et fiduciam tribuentes, celerem ejus recursum ad nos præstare dignemini, portantem spiritualia atque apostolica constituta. Cunctam, sanctissime, omnem in Christo fraternitatem vestræ beatitudinis ego et qui mecum sunt plurimum salutamus in Domino.

EPISTOLA VII.

AD JOANNEM NICOPOLITANUM EPISCOPUM.

Commendat illius religionem : Nestorium et Eutychen damnandum, et quomodo qui ad fidem revertuntur recipiendi sint, per indiculum se significaturum scribit.

Hormisda Joanni episcopo Nicopolitano per Rufinum diaconum.

Gavisi sumus in Domino valde, frater carissime, acceptis litteris tuis, in quibus te profiteris sacerdotium Dei gratia suscepisse. Hæc est fides certa, hæc spes sine ambiguitate secura, qua creditur totius boni causa in superna dispensatione consistere. Cujus rei scientiam habens, frater carissime, beneficiorum quæ a Deo nostro consecutus es, religioso animo gratiam confiteris; licet hoc quoque de eodem clementiæ fonte descendat, ut se auctori suo humana submittat humilitas Ait enim : *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos* (*Num.* XI)? In his ergo, in quibus hujusmodi probaris, clarius elucescet aliis etiam virtutis hujus futurum exemplum; quando ad hoc etiam Deo instituente perductus es, ut et de te catholicorum glorietur Ecclesia. Nam sicut divinis testimoniis eruditus, et juxta Apostolum sacrarum Litterarum institutione formatus, hoc auspicium tuæ ordinations edidisti, ut adversus deviantes cum sedis apostolicæ sententiis convenires. Neque enim remunerare aliter tantorum beneficiorum poteras largitorem, nisi adversus inimicos ejus evidentem zelum apostolicæ confessionis ostenderes.

Notum est enim eos extra religiosa septa consistere, qui et ipsi profitentur conscientiam fidei atque fiduciam, sed infructuosa est apud eos, quamvis cum religiosis congrua sanctæ communionis æqualitas, quia procul dubio qui ea quam meruit libertate non utitur, subjectum se iniquitatibus confitetur. Quid gloriemur his quas non sequimur disciplinis? Falso appellat magistrum, qui se institutionibus ejus non

[a] In edit. Romana est *Hilarianum*.

probat esse discipulum. Sed quia nobis nunc omnia in confessione similia, et libertatis propriæ resumpsistis affectum; paternæ rursus hæreditatis cupientes esse consortes, amplectimini gratiam traditionis antiquæ; et in illius inconvulsi fundamenti stabilitate persistite, non cum temporibus corda mutantes; inconstantis enim mutabilitas ista solet esse propositi: atque ideo bene fundatis oportet inhærere; quando hujusmodi studia clementia scit fovere divini, ut fidei vestræ firmitas vobis de aliorum salute fructificet, et fervore vestri studii aliorum quoque animus ad resumptionem bonorum suorum possit accendi; quatenus et de vobis quoque sanctus apostolus dixisse credatur: *Æmulatio vestra provocavit plurimos* (*II Cor.* IX). Ergo Nestorii et Eutychetis impietatibus juxta synodalia constituta damnatis, sectatores quoque eorum similiter exsecrantes, cum exsultatione dicamus: *Exite de medio eorum, et separamini, et immundum ne tetigeritis, dicit Dominus* (*Levit.* XV). Quemadmodum enim quis malarum inventionum detestabitur principes, si non declinat sequaces? aut quemadmodum odit originem, qui non exsecratur et sobolem? In discipulis prædicatur fama docentium, et donec male jactorum seminum radix per succedentes culta floruerit, tandiu auctorum memoria non peribit. Addatur perdito Eutycheti et Acacius discipulus sub communione Petri, omniumque damnatorum mixtus errori: quos vestra dilectio litteris suis, dum fidem suam asserit, evidenter expressit. Ad instructionem vestræ fidei pleniorem, quo ordine ad communionem nostram suscipi deceat revertentes, indiculum subter adjecimus, sperantes in Deum bonorum omnium largitorem, quod laudabili circa fidem vestræ devotionis instantia, non solum hoc eorum qui vobis vicinitate junguntur saluti prosit, sed eorum quoque, ad quos fidei vestræ et religiosæ voluntatis velox fama pervenerit. Rufinum siquidem diaconum, qui nobis litteras vestras obtulit, in Christi caritate suscepimus, quem apostolorum orationibus commendantes cum pace remittimus, hortantes litteras, a nobis tam ad caritatem tuam quam ad synodum directas populo relegatis, quod et nos pro fidei vestræ commendatione fecisse cognosce. Data XVII calendas Decembris, Petro v. c. consule.

EPISTOLA SYNODICA,

SIVE EXEMPLAR RELATIONIS SYNODI EPIRI VETERIS AD HORMISDAM PAPAM.

Joannis in Nicopolitanum episcopum electi postulant confirmationem, et in fide catholica instrui cupiunt.

Domino nostro per cuncta sanctissimo ac beatissimo patri patrum, comministro ac principi episcoporum Hormisdæ, synodus veteris Epiri, Joannes, Matthæus, Constantinus, Christodorus (Christophorus), Hilarus, Philippus, Julianus et Chrysippus.

Si dignis præmiis uti tentemus, necesse est multis fletibus horum depromptiones efficere. Plurimi namque ex nobis in regnante fuere Constantinopoli; cum vestri sanctissimi vicarii Ennodius et Fortunatus episcopi, Venantius presbyter, Vitalis diaconus, et Hilarus notarius degerent, pietatis agonem susceptum tenentes. Nobiscum autem fuit, inter sanctos factus, pater atque archiepiscopus noster Alcyson, qui cum omni præsumptione supplicibus utens libellis, apud vestram beatitudinem dignus effectus est apostolicæ sedi vestræ communicare nobiscum. Sed quia repente qui cunctorum retinet potestatem hunc ad se evocavit; nos irrefrenabili fletu detenti pervenimus tamen ad patriam, nullo modo errorem propter Dei gratiam sustinentes, sed ubique vestra decreta sectantes.

Flentibus autem nobis atque lamentantibus cum his qui nobiscum relecti sunt in parœcia comministris, quis possit de orthodoxis recte Christi oves transigere; qui consolatur humiles, consolatus est etiam nos per vestras orationes, demonstrans metropolitanæ civitati in cunctis sanctissimum Joannem, qui a pueritia in Ecclesia sine culpa nutritus imo laudabiliter in ea degens; ita ut neque eum in his quisquam temporibus antecellat; zelo autem circa orthodoxa, juxta apostolicas admonitiones vestras, nulli omnino cedens. Hunc ergo Dei providentia ordinavimus præsulem Nicopolitanorum sanctissimæ Ecclesiæ: et rogamus ut juxta antiquam consuetudinem hunc quoque complectamini paternis visceribus vestris, nobisque aut ipsi, Dei gratia, efficiamini arma inexpugnabilia commonitionibus vestris atque doctrinis: et deprecantibus nobis inclinetis aurem, et pietatem concordiæ reperiatis, juxta inspiratam vobis divinitus apostolicam providentiam, ut in pace, quæ est ei amabilis, cunctæ sanctissimæ Ecclesiæ cooptatæ immarcescibilem vobis coronam nectentes, in omni pietate atque humilitate comprehendatur in Christo. Venerabilem vero diaconum Rufinum, propter hanc tam necessariam causam directum, libenter rogati respicite, et ad nos sub velocitate remittite portantem doctrinas vestras apostolicas. *Et alia manu*: Incolumem me ora, sanctissime pater patrum.

[a] Ego Joannes episcopus rursus retuli: Incolumem me ora in Domino, sanctissime ac beatissime pater patrum.

Ego Matthæus episcopus Butroti retuli.

Ego Constantinus episcopus Hacnanopoleos (Hadrianopoleos) retuli: Incolumem in Domino me ora, sanctissime ac beatissime pater patrum.

Ego Christodorus (Christophorus) episcopus Anchiasmi retuli.

Ego Hilarius episcopus Photices retuli.

Ego Philippus episcopus Phœnices retuli.

Ego Julianus episcopus Dodones retuli.

Ego Chrysippus episcopus Congræ retuli.

[a] Eadem hic nomina sedium atque in epistola 59, 3 part. Concil. Chalced., unde nonnulla emendavimus. HARDUINUS.

EPISTOLA VIII.

AD SYNODUM EPIRI VETERIS.

Eutychetis errorum sectatores damnat: episcopos Epiri veteris, ut nominatim hæreticos anathematizent, hortatur.

Hormisda synodo Epiri veteris.

Benedictus Deus Ecclesiæ suæ membra consocians. Benedictus Deus, qui maligno instigante divisos, sub eadem qua olim fuerunt, facit soliditate conjunctos. Etsi enim diu perdicis modo vociferavit inimicus, et eos quos non genuit, sicut asseruit propheta, collegit: tamen abyssina ambiguitate desolabitur. Neque enim oves dominicæ sequuntur alienum, aut alterius vocem pastoris exaudiunt. Unde nec vos ad salutis iter rediisse miramur, cum tarditatem magis in hac B redintegratione culpemus. Debemus, carissimi fratres, domesticis uti ad hanc quam quærimus stabilitatem documentis; siquidem tunc Timotheus Chersonensis gravis cum disceret, gravior cum doceret. Nam Dioscori sectator, et idem Petri nihilominus institutor, adversus beatæ recordationis Proterium sævitiam suæ temeritatis exeruit, et totius finem crudelitatis excessit, religiosi viri cædem inter ipsa operatus altaria, vix faucibus suis ab illo pio cruore suspensis. Tunc excitata universalis Ecclesia, in odium parricidæ, auctorem facinoris tanti non solum communione, verum etiam ipso quoque Christiano nomine spoliavit, et omnium mentes nova quadam admiratione stupuerunt tantæ præsumptionis auda- C ciam. Tunc beatus Eugenius parœciæ vestræ obtinens principatum, cum subjecta sibi sancta synodo, zelum quemdam, quali fide esse, Deo commendatus ostendit. Cujus rei memoriam non solum non potest tempus abscondere, verum etiam de die in diem magna apud orthodoxos fama multiplicat. Horum studia sic probata negligere, et sententias non amare idem est in ipsa Domini nostri confessione delinquere. Et nobis quidem nunc post professionem ac litteras vestras, omnia fidei dogmata, Deo suos conjungente, similia orandum est, ut in ea voluntas vestra, qua nostros animos relevavit, confessione permaneat. Sed opus est citra respectum timoris insectari eorum rabiem qui fide diversa nituntur. Quanto enim infidelium error exæstuat, tanto magis se, si D resistat, securitas nostra commendat. Neque enim hæc sunt per patientiam negligenda; quando malum hoc vitio pravæ consuetudinis animatum apud plures sub quodam colore legis inolevit, dum aut prava studia in unum congruunt, aut recta se subtrahunt. Nam ut eam quæ imminet rem loquamur, Eutyches ut nefandæ hæresis inventor excluditur etiam ab his a quibus ejus dogmata diliguntur, apud eos ipsos ita exosus atque fugiendus, ut nominis quoque ipsius oderint mentionem. Sed perversi religiosarum institutionum ministri, quem sicut verum detestantur hæreticum, hunc alia via tanquam verum amplexantur orthodoxum. Siquidem in sancta Chalcedonensi synodo Dioscorus eadem sentiens pari ratione damnatus est: et cum una persecuta (al. *prosecuta*. HARD.) A sit utrumque sententia, horum alterum si quis sequatur et diligat, dicat aliquis quemadmodum se ea sententia, quæ designatos damnavit, excipiat; cum eos, quos transgressionis aut impietatis connectit æqualitas, sine dubio unum quoque vinculum damnationis astringat. Timotheus et Petrus horum sequaces, homines mente corrupti, et pestis quædam nominis detestanda catholici, quorum communionem in Petro complexus Acacius, similiter (al. *similem*. HARD.) quoque meruit subire sententiam, qui tantum malum quasi parvi æstimans, et propositum nunquam ad meliora convertens, ne ab illis quidem se quæ in Antiochia detestamur abstinuit; ibi quoque transgressori Petro communione connexus in Apameam nihilominus hostiliter versatus, Ecclesiam Tyriam quoque non ea qua decuit integritate disponens. Propter quæ, dilectissimi fratres, ab eorum innodatione solventes, velut religionem quamdam pestiferam relinquentes, servemus apostolicam disciplinam, saluti nostræ omni diligentia et sollicitudine providentes, ea cura nefandi Nestorii declinemus errores, qua Eutychetis impia inventa persequimur.

Maxime enim nunc religiosa fidei dogmata diverso incursu horum qui prædicti sunt incursantur insidiis, scelestis pro ratione temporis sua argumenta nectantibus, quomodo possint innocentium viis fraudem suæ impietatis inserere. Atque ideo sicut docti numularii, et prudenter instructi, ab improbandis laudanda separantes, talenti vobis crediti poteritis multiplicare substantiam. Hæc, dilectissimi fratres, scripsimus plenæ caritatis impulsu, quia spem fidei vestræ primum Dei dono, deinde et fratris nostri Joannis, qui vobis præsidet, professione præsumpsimus; qua nominatim omnes, quos apostolica ac generalis catholicorum condemnat Ecclesia, exsecrabiles sibi esse declaravit; quos vos quoque in litteris vestris oportuit evidenter exprimere, nec arbitrari posse sufficere sibi, tantis præsertim insidiis callidorum, quos viritim et singulos insectari convenit, atque damnare, sub quadam eos generali damnatione concludere. Diligentem quærunt vulnera antiqua medicinam; nec abundans esse creditur quidquid pro integritate fidei et stabilitate religionis adhibetur. Unde libellum cum litteris misimus, cui vos subscriptiones proprias inserite, ut fides vestra, quam directa per Rufinum disconum scripta testantur, apud nos fiat hujus quoque repetitionis adjectione manifestior. Dat. XIII cal. Dec. (anno Domini 516) Petro v. c. consule.

EPISTOLA IX.

AD JOANNEM NICOPOLITANUM EPISCOPUM.

Cum per litteras Epiri veteris episcopi nominatim hæreticos non damnassent, mittitur libellus, cui debeant subscribere.

Hormisda Joanni episcopo Nicopolitano per Pulionem.

Litterarum quas direxisti series, et expositio tuæ fidei conveniens sedis apostolicæ judiciis, nostros

animos relevavit. Tot incitati gaudiis contenti non fuimus, nisi per Pulionem (Polionem), subdiaconum Ecclesiæ Romanæ, quid plenius circa vos ageretur cuperemus agnoscere; magnopere quia in relatione episcoporum sub ordinatione caritatis tuæ degentium, non universa quæ ad ecclesiastica constituta pertinent, sicut in vestra, leguntur evidenter expressa. Unde et pro nostra sollicitudine, et illorum integra nobiscum conjunctione, [a] libellum direximus, in quo eos oportet debere subscribere, quia et omnes sacerdotes vestrarum partium, qui ad sedis apostolicæ communionem reversi sunt, in eadem professione subscripserunt. Ista caritas, ista communis salutis excitavit ambitio, quod credo et fraternitatem vestram gratanter accipere, quia ubi de animarum salute res agitur, studii tui vel intentionis debes operam commodare, ut antecedendo fructum de tali possis laude percipere. Pulionem prædictum cum rescriptis caritatis vestræ ad nos, juvante Deo, sub celeritate remittite, quatenus desideria nostra diu suspensa esse non possint. Data XIII cal. Decemb. (anno Domini 516), Petro viro clarissimo consule.

REGULA FIDEI.

Prima salus est regulam rectæ fidei custodire, et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententie dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc., hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica immaculata est semper servata religio. Ab hac ergo spe et fide separari minime cupientes, et Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreticos, præcipue Nestorium hæreticum, qui quondam Constantinopolitanæ fuit urbis episcopus, damnatus in concilio Ephesino a Cœlestino papa urbis Romæ, et a sancto Cyrillo Alexandrinæ civitatis antistite. Una cum ipso anathematizantes Eutychetem et Dioscorum Alexandrinum, in sancta synodo, quam sequimur et amplectimur, Chalcedonensi damnatos. His Timotheum adjicientes parricidam, Ælurum cognomento, et discipulum quoque ejus atque sequacem Petrum, vel Acacium, qui in eorum communionis societate permansit; quia quorum se communioni miscuit, illorum similem meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnantes cum sequacibus suis, et omnium suprascriptorum.

Quapropter suscipimus et approbamus omnes epistolas Leonis papæ, universas quas de religione Christiana conscripsit. Unde, sicut prædiximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem, et prædicantes ejus omnia constituta, spero ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra et verax Christianæ religionis soliditas. Promittens etiam sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria, Hanc autem professionem meam manu propria subscripsi, et tibi Hormisdæ sancto et venerabili papæ urbis Romæ obtuli. Data XV cal. Aprilis (anno Domini 517), Agapito viro clarissimo consule.

INDICULUS

PER PULIONEM SUBDIACONUM.

Quid in Nicopolitana Ecclesia sit agendum.

Cum Dei adjutorio et orationibus sanctorum apostolorum Petri et Pauli veniens Nicopolim, sic debes agere, ut postquam episcopus Nicopolitanus acceperit litteras nostras, episcopos, quos in sua parœcia habet, colligat, et faciat subscribere libellum quem in epistolis suis habet annexum. Si tamen dixerit prædictus episcopus esse laboriosum episcopos colligere, dirigat tecum personas per singulos episcopos, ut te præsente subscribant prædictum libellum. Sic tamen cum Dei misericordia facere debes, ut epistolæ quæ a nobis missæ sunt publice legantur ; aut si videris præ timore hoc episcopos facere nolle, saltem clericis suis hæc relegant : quæ tamen in ipsorum dimitte potestatem, et scripta episcoporum, et illius episcopi, hoc est Joannis metropolitani, ad nos cum Dei misericordia reporta. Post hac factum nullas moras te volumus ibidem facere, propter insidias et calliditates inimicorum. *Per Joannem diaconum ejus.*

EPISTOLA

AVITI EPISCOPI VIENNENSIS AD HORMISDAM PAPAM.

Gratulatur de conversione provinciarum Dardaniæ et Illyrici, petitque ut certior fiat de successu legationis Constantinopolim missæ.

Domino sanctis meritis præcellentissimo, in Christo gloriosissimo et apostolica sede dignissimo papæ Hormisdæ Avitus.

Dum religionis (Habetur ord. 87 in edit. Sirm. anno 1643) statui et plenis catholicæ fidei regulis perspicitis convenire, ut gregem per tota vobis universalis Ecclesiæ membra commissum pervigil cura vestræ adhortationis informet, etc. (Hanc epistolam legere est tomo LIX, col. 288, nostræ Patrologiæ, inter opera Aviti episcopi Viennensis.)

EPISTOLA X.

AD AVITUM VIENNENSEM EPISCOPUM.

Laudat in eo studium cognoscendi de statu Ecclesiæ Orientalis, a legatis autem ob perfidiam Græcorum nihil perfectum fuisse scribit ; in animo sibi esse alteram ad illos legationem destinare.

Hormisda episcopus Avito episcopo et universis episcopis provinciæ Viennensis, vel sub tua diœcesi consistentibus.

Qui de his quæ ad disciplinam catholicam pertinent maxime sciens instrui cupit, quid studii circa mandata divina habeat evidenter ostendit. Non enim potest esse hujusmodi cura, nisi ubi fides fuerit in-

[a] Hunc libellum qui his litteris jungebatur, eumdem esse putamus quem XV calendas Aprilis datum ex codice Vaticano hic tibi exhibemus. SEV. BINIUS

fucata. Atque ideo exsultamus in Domino de sinceritate propositi tui, dilectissime frater, dum te secundum directas per Alexium presbyterum atque Venantium diaconum litteras intuemur, et de impiis transgressoribus Eutychete atque Nestorio sedis apostolicæ constituta recolere, et si quid adversus eos admonitio nostra promoverit, per quos Orientales Ecclesiæ confunduntur, inquirere. Digna plane sollicitudo fidelibus, ut de miserorum lapsibus ingemiscant, et ipsi ne aliena polluantur contagione provideant. Sed ne nos quidem hoc supersedisse credatis, ut ad notitiam vestram, si quid actum fuisset, competens perferret instructio. Verum breviter silentium nostrum, quod dilectio mordet vestra, purgamus. Nam quod non sæpius nostra admonitio vos frequentet, de conscientia vestra et fidei stabilitate confidimus. Sollicitudo impendenda fortasse sit dubiis; satis est vitanda indicasse perfectis. Legationis vero nostræ, quam semel, non secundo, sicut scribitis, misimus, si votivus contigisset eventus, alacres illico vobiscum fueramus desiderata partituri; scientes hoc rationi, hoc nostro proposito convenire, ut quos participes sollicitudinis fecimus, cum his de integritate unitatis gaudia jungeremus. Sed quantum ad Græcos, ore potius præferunt pacis vota, quam pectore, et loquuntur magis justa, quam faciunt: verbis velle se jactant, quod operibus nolle declarant: quæ fuerint professi, negligunt; et quæ damnaverint, hæc sequuntur. Nam unde est quod, cum per Ennodium fratrem et coepiscopum nostrum sacerdotales viros ad confirmanda ea quæ sedes apostolica poposcerat directuros se esse promisissent, multa quoque quæ ad correctionem pravitatis suæ a nobis quæsita fuerant pollicentes, non solum non religiosos viros, penes quos causæ illius plena esse posset instructio, secundum constituta propria non miserunt; verum etiam, quasi res parva gereretur, laicos et alienos ab ecclesiastico corpore destinantes (Theopompum comitem domesticorum et Severianum comitem sacri consistorii) non se studuerunt de cœno, quo immersi tenentur, evolvere, verum etiam catholicæ fidei claritatem fulgentem sua, quod absit, se posse crediderunt obscuritate fuscare? Hæc fuit nostri causa silentii, quam vos quoque spiritali vobis prudentia revelante vidistis. Quid enim de hac causa poteram directis litteris indicare, quam in statu suo videbam duram pertinaciter custodire perfidiam? Novi exitus sollicitæ diligentiam relationis inquirunt. Qui de rebus cognitis nihil indicat, abunde in statu suo manere priora declarat. Quapropter, dilectissime frater, et vos præsentibus hortamur alloquiis, et per vos quoque, quia occasio data est, alios per Gallias, quos fides eadem nobiscum amplectitur, admonemus, promissam et amabilem Deo fidei servare constantiam, et transgressorum societate declinata, constantiam vestram uni viro virginem castam, sicut spopondistis, exhibere Christo. Et cavete ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita sensu aliquorum corrumpantur a simplicitate et casti- A tate quæ est in Christo Jesu. Perniciosa sunt blandimenta nocentium, atque ideo vigilare vos convenit, quia adversarius salutis humanæ, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide: quia hoc speciale habent patris sui de cœli arce dejecti, qui vestigia ejus sequuntur et diligunt, ut illa veritatis luce privati, et alios gaudeant sua obscuritate fuscari; et cum perversitatis suæ pœnas luituros esse se sciant, exsultent si miseros cum sua damnatione conjungant. Nam unde est quod cum pro magna parte a conterminis suis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognita eorum perversitate deserantur, procul positos ignorantiæ spe, fraudibus et variis artibus nituntur allicere, nisi ut lucem, quam ipsi non habent, in aliis quoque impia B contagione commaculent? Ut autem quæ sint partium earum studia possitis agnoscere; plures Thracum, licet persequentium incursibus atterantur, in nostra tamen communione persistunt, scientes fieri fidem per adversa clariorem. Dardania et Illyricus vicina Pannoniæ a nobis, quod jam fecimus ubi necessarium fuit, ut sibi episcopi ordinarentur expetiit; in tantum se a communione perditorum separare gaudentes, ut remedia quærerent, dummodo commune cum transgressoribus nihil haberent. Epiri metropolitanus, hoc est Nicopolitanus episcopus, cum synodo sua nuper segregatus ab impiis, ad apostolicam communionem deprompta quæ efficeret professione se contulit. Quæ ideo scriptis æstimavimus indenda C præsentibus, ut sicut sortem nos convenit dolere pereuntium, ita lætemur pariter de salute remeantium; et ut fideles constituti ab eis longius instruantur, qua virus eorum sollicitudine debeat effugi, quos et a suis videant tam justa detestatione vitari. Et nos quidem dispensationis nostræ memores, necesse est eos repetitæ legationis officio convenire: quo affectu salvationis suæ, si respectu Dei, si rationis intuitu non moventur, saltem pulsantibus importune et pertinaciter acquiescant; et aut ad rectam viam declinatis erroribus revertantur, aut propter impœnitens cor ab omnibus inexcusabiles judicentur, qui et moniti toties in perfidiæ obstinatione persistunt. Vos orate, et nobiscum ad Deum preces et vota conjungite, ut per opem misericordiæ, ejus nostra actio la- D borans pro catholicæ fidei stabilitate promoveat, immaculatos vos et integros ab omni transgressorum societate servantes; ut aut cum correctis sensus et corda jungamus, aut ab eorum venenis intacti esse mereamur. Nam qui, sicut vos quoque conscientiam vestram non latere testamini, novimus Eutychetem atque Nestorium apostolicæ, id est catholicæ sententiæ auctoritate damnatos; quemadmodum salvi esse poterimus, si eorum sectatoribus ac posteris qualibet parte communionis hæreamus, cum Belial cum Christo nostro portionem habere non possit? Instructionis autem vestræ interesse credimus, ut ea quæ apud nos Nicopolitanis vel Dardanis acta sunt, vel quo in communionem ordine sunt recepti, vobis

nota faceremus ipsarum lectione chartarum. Data xv calendas Martias, Agapito consule.

EPISTOLA XI.

AD ANASTASIUM AUGUSTUM, PER ENNODIUM TICINENSEM, ET PEREGRINUM MISENATIS ECCLESIÆ IN CAMPANIA EPISCOPOS, SECUNDÆ LEGATIONIS AD ANASTASIUM DESTINATÆ MUNERE FUNGENTES, TRANSMISSA.

Pacem Ecclesiæ non nisi damnato Acacio posse restitui.

Hormisda Anastasio Augusto per Ennodium et Peregrinum episcopos.

Dum legatis mansuetudinis vestræ remeantibus, ad litteras vestras et mandata respondi, non quidem universa plene, sicut magnitudo rei postulabat, expediens, et tamen pro tempore certa perstringens. Verum etsi sufficienter me allegare omnia contigisset; nunquid agens apud clementiam vestram causam fidei, poteram repetitis precibus importunitatis incessi? Timeant notam hujus ingratitudinis, quibus cura est studium negotiis navare mundanis. Opus non implet Evangelii, qui a prædicatione ejus venialiter putat posse cessari. Pervigilem pastorum oportet esse custodiam, et lumbos sine relaxatione præcinctos. Bonæ admonitionis sicut constat dulcem fructum, ita ejus non decet esse fastidium. Et alias, cur postulationis meæ molestam masuetudini vestræ quisquam dicat esse frequentiam, cum per ea quæ fiunt ex officio meo, per remedia fidei vestro consulatur imperio? Etenim quæ me onerat, cura, vos relevat : mihi incumbit, sed vobis proficiet; licet ex diverso semine unus fructus amborum est. Nam sicut pœna est nec dicere Deo accepta, nec facere, ita certa remuneratio vel illi qui spiritalia prædicaverit, vel illi qui audita non spreverit. Dedit quidem clementia vestra veluti obsidem propositi sui sub testimonio imperialis alloquii, et se quasi pignore quodam bonæ voluntatis astrinxit? sed opus est cœptis adjicere firmitatem : sumant plenum decorem jacta fundamina : non remittantur propugnantes pro Dei Ecclesiis manus. Toties Israeliticus hostis intercedit, quoties Moyses brachia non remisit. Effectus opera, finis commendat initia. Non prodest cœpisse deserentem, quia sola perseverantia fidei dat salutem. Benedicimus Deum, cujus zelo pietas vestra transgressores impios Nestorium et Eutychetem, vel eos persequitur, qui cum nefandis et sacrilegis dogmatibus profitentur. Probat odisse se vitia, qui condemnat errantes, nec relinquit sibi locum deviandi, qui non pepercerit excedenti. Primus innocentiæ gradus est, odisse culpanda : sed veritatis interest, domine fili, et catholicæ disciplinæ, ut sectatores etiam eorum atque participes oderitis, quorum exsecrandos principes judicatis. Non in damnandis sola, id est certa nomina, sed in his etiam qui damnatos sequuntur, sunt crimina persequenda. Frustra aversari se plures asserit, qui unum de his qui detestatione digni judicantur exceperit : non enim numerus errantium hominum, sed meritum consideratur errorum. Hoc ideo, ne facile putet vestra clementia Acacii prætereundam esse personam. Nonne ille est Acacius, qui cœno Petri, Dioscori et Eutychetis dogmate et communione pollutus, dum copulatur, immersus est? Illius sustinens in condemnatione supplicium, cujus elegit in communione consortium? Qui viritim propter impietates suas horum singulos odit, et in illis Acacium necesse est oderit, et omnes in Acacio non amarit. Ab illo per Orientales Ecclesias fermentum nefandi erroris inolevit. Inde Alexandrinæ perfidiæ eousque nutrita superbia, ut non acquiescat, sicut scripsistis, mandatis salutaribus, cujus famulatur imperiis; et in errore declinando, non sequatur admonitionem, cujus in agendis rebus experitur sibi utilem potestatem. Unde et majore hujusmodi homines convenit detestatione vitari, quia quæ docere debuerunt, nec dum ab aliis instruuntur, assumunt; spernentes in his imperantis monita, in quibus tantum non timeri jubentur imperia; et immemores devotionis contra salutem animæ, quos contumaces esse oportuit pro salute. Hos mentibus perditis ausus nutrivit Acacii cum perfidis juncta communio : atque ideo æstimandus est auctoris loco, cujus gravius peccatur exemplo. Nihil enim vitia magis quam imitatio fovet, dum creduntur non improbanda esse; ad quæ alii quoque videntur accedere. Fragilis est et caduca mortalitas : vix nefariæ cogitationes dum comprimuntur intereunt. Jacet semen noxium sub errore, nec deficit : latum pandit derelinquentibus aditum qui jungit cum improbitate consensum. Utinam, invictissime imperator, inter ipsa apostolicæ districtionis initia Orientales Ecclesiæ Acacii contagia nefanda vitassent : non per multos error ille noxia venena diffunderet; ipsa quoque erecta tunc fortassis Alexandrinæ Ecclesiæ tunc colla cecidissent, dum perculsam perfidiam suam in damnatione imitatoris agnoscerent, et displicere in complicibus se viderent. Sed dum male nutriti foventur errores, et pravorum consensus inutilis æquitate corrigenda dissimulatur, per impunitatem sequacium mala dogmata multiplicavit auctorum. Et vos quidem, si placet, a Deo (adeo) efficaciter impetretis, ut condemnetis vestrum de alieno errore propositum. Sed cogitandum est, clementissime imperator, si ei apud Deum sufficiat errata culpasse, cui dedit posse corrigere : non est differenda curatio : admoveantur medicæ profundis vulneribus manus. Sola ante Acacium Alexandria perfidiæ suæ fœditate sordebat. Respicite quantas jam partes emendatio neglecta polluerit. Quousque peteris, domine fili, Ecclesiam Dei divisionem suorum mœrere membrorum? anticipent beneficia tua ad Deum perventura suspiria : assume fidei curam : et vexillum salutis attollens, ad errores ab Israel removendos velut Ezechias alter exsurge : fas tibi laude novorum operum titulos æquare priscorum. Ille dissipavit excelsa, tu superbiam erectæ impietatis inclina : ille simulacra contrivit, tu dura infidelium corda confringe : ille memoriam serpentis ænei sustulit, tu virus præsentis effunde. Offer Deo recta quæ fecit; et spera dona quæ meruit. *Fidelis est enim Dominus, qui reddit singulis secundum opera eorum* (*Matth.* XVI).

In aperto est quanta sit exspectatio fidelium, quanta trepidatio perfidorum. Illi ambiunt gaudere cum angelis de receptis : isti metuunt, ne ab his quos deceperant destituti, pœnis remaneant præparatis. Pendent anxia corda cunctorum. Ab ultimis ad nos Galliis directa legatio, si quid de unitate redintegrationis sollicitudo nostra promovisset, fama secuta, consuluit. Nec difficile opus clementiæ tuæ. Scit Deus suorum laboribus subvenire. In usu est ad principes suos convertere colla subjectos. Dat specie maximum signum recens religiosæ memoriæ Marciani imperatoris exemplum. Quid egit tunc vulgus, aut populus? Non opus nota revolvere. Adulta est perfidia ista per devios, sopita per justos. Imitare religiosi integritatem propositi, quam studio civilitatis æquasti. Ad hæc nostris lacrymis, nostris precibus alleganda, Ennodium atque Peregrinum fratres et coepiscopos nostros vice nostra pro exhibenda etiam honorifica salutatione direximus; ideo maxime designato viro fasce secundæ legationis imposito, ut qui nobis spei bonæ detulit initium, nunc adjutore Deo plenum reportet effectum. Acquiescite, precamur, fidelibus monitis, cujus vos delectatos dudum legimus institutis. Data III nomas Aprilis, Agapito viro clarissimo consule (anno Domini 517).

EPISTOLA XII.

AD TIMOTHEUM CONSTANTINOPOLITANUM EPISCOPUM HÆRETICUM COMMONITORIA PER SUPRADICTOS LEGATOS.

Pro unitate Ecclesiæ laborandum.

Hormisda Timotheo episcopo Constantinopolitano.

Non mirabitur dilectio tua rationem præteriti silentii mei, si quæ præcesserint universa consideret : non mirabitur præsens alloquium, si quæ sit vis caritatis expendat. Sustinere enim omnia caritatem, magistro gentium docente (*I Cor.* XIII), cognovimus; quæ si sua, sicut continet doctrina ipsa, non quærit, an incongrue abusus privilegio meo, quod tibi potius prodesse possit, exhibeo? Exspectare enim me decuit ab errantium conjunctione te liberum, et sic amare correctum : videre ab improbandis dividi, atque ita litterario sermone complecti. Sed quem optem reducem, cur differam vocare tardantem? Cur non detur locus moderationi, cum nihil detrahitur æquitati? Impendenda sunt quæ laborantibus prosunt, si nos societatis contagione non polluunt. Hæc causa mihi fuit præsentium litterarum, ut horter, ut moneam, ne terram nostram jacere patiamur negligentius infecundam. Non diu infructuosam arborem occupare solum diligens permittit agricola : patienter exspectat; sed nunquid sub continuatione perdurat? Vocatus ad salutaria, non moreris. Prope ab innocentia non recedit, qui ad eam sine tarditate revertit. Movere Patrum monitis, et insistens fidelibus sine lapsu aut errore vestigiis, præcedentia dilue per futura. Adjacet tibi modo ad justa populos incitando, modo pro fide principalibus vestigiis supplicando, dirigere quod devium est, solidare quod dubium : magno te convenit labore providere, ut causas transacti temporis rectæ tegat sedulitas actionis. Præstat quidem animæ suæ, per quem universali aliquid confert Ecclesiæ. Et ita se res habet, ut si studiosus, si indefessus institeris, fiet tibi utilis causa communis. Data ut supra (anno Domini 517).

EPISTOLA XIII.

COMMOMITORIA AD UNIVERSOS HÆRETICOS EPISCOPOS ORIENTIS PER SECUNDAM LEGATIONEM TRANSMISSA.

Unitas catholicæ fidei custodienda.

Hormisda universis episcopis in Orientis partibus constitutis.

Etsi admonitionis meæ cura desideret, vos tamen proprii memores conveniret officii, non negligenter omittere quæ enixe omnes decet pro animæ suæ salute servare, ut mandatorum cœlestium disciplina, non alieno studio, sed ipso vobis clareret inesse proposito. Nam licet laude non careat qui bonis consiliis obsecundat, tanto est tamen potior in honore sapientiæ qui prævenit recta, quam qui sequitur instituta, quanto est illustrius docere quam discere. Recordetur unusquique in qua vocatione a Domino sit vocatus, et quid ab eo exspectetur advertat. Miserum est intra meritum jacere propositi, cum id quod præfertur nomine, non ostenditur actione. Magna meruimus, si quod indulta (indicta) postulant impleamus. Qui se ad pascendas dominici gregis oves gaudet adscitum, cogitet de commissa sibi gubernatione judicium. Pervigil adhibenda tutela est, continuanda custodia : non dandus lupis rapacibus locus, non ullius casibus relinquendus : quia neglectus error ovium, culpa pastorum est. Veniet qui rationes creditæ dispensationis examinet. Omnium quidem constat esse justitiam, nec ulli impunitam licentiam patere peccandi. Sed qui gradus nesciat esse meritorum, et sicut non æque præmia, ita diversa esse supplicia? Multiplicantur scientibus plagæ : pauca flagella leguntur inscitiæ. Quod si ita est, sicuti esse non dubium est, existimandum quid in eo deceat esse propositi, cui alienos quoque errores necesse est imputari. Clamat sanctus Spiritus per prophetam : *O pastores Israel : nunquid semetipsos pascunt pastores* (*Ezech.* XXXIII)? Certum est plus ab eo, cui plus creditur, exigendum; et tanto magis nos obnoxios fieri, quanto effusiore gratia contigerit honorari. Magister bonus, et docens per obscura lucem, per similitudinum ænigmata veritatem, servum talenti a se traditi, præter augmenta, custodem non arguit infidelem, sed condemnavit inutilem (*Matth.* XXV). Unde in aperto est in quo metu esse deceat eum qui dominicum numisma perdiderit, si culpatus est ille qui acceptum sine imminutione servavit (*Luc.* XIX). Nullus contentus sit innocentia sua, quia Deo nostro universa cernenti, per prædicationis assiduitatem, rationem quoque propositi debemus alieni. Largam scientiam decet esse doctorum. Non amat fides Christiana secretum; quam quisquis in aure tantum effundit, abscondit. Per universas gentes verbi prædicatio mandatur apostolis, et quam inexcusabiliter hoc quisquam potest sibi tacere commissum. Quid

prodest cuilibet paternarum reverentiam servare regularum, si concuti hæc ab aliis, si sine honore tractari patienter accipiat? Infirmum ostendit affectum, qui quod diligit non tuetur. Incursantur passim sancta a perfidis constituta, et rediviva subinde de compressis excessibus resurgit improbitas. Quemadmodum, rogo, pietatem in Deum probat, qui nefanda dissimulat? Recordemur qua catholicorum frequentia sacerdotum illa quibus nitimur celebrata didicerimus esse concilia : quantos nec debilitas impedivit, nec senectus onerosa tardavit. Exigua visa sunt spatiosarum intervalla regionum, et labores ipsi pro quadam consolatione jucundi, dum spiritu sanctarum congregationum regente sapientiam, sera ætas quod servaret acciperet. Et hæc insectantibus impiis post damnatam in radice perfidiam, tacet, qui scit sibi esse mandatum : *Exalta vocem tuam qui evangelizas Jerusalem : exalta, noli timere* (*Psal.* XL). Nonne hoc ante oculos habens, discipulum ita gentium doctor instituit, ut opportune evangelizare non cesset? admonens : *Attende tibi et doctrinæ : insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (*II Thesss.* IV). Ergo vel propheticis stimulis excitati, vel normis apostolicæ institutionis instructi, curam salutaris prædicationis assumite. Diligite et vindicate sententias probatas piis, infidelibus inimicas. Et ad petram, supra quam est fundata Ecclesia, revertentes, apud illorum etiam vos Patrum spiritus, quorum veneranda constituta improbe labefactantur, absolvite; æstimantes, cum Dominus ad illud quod exspectatur examen advenerit; qualis apostolis creditus, qualis aliquorum tentantium dubitatione compertus, qualis angelo prænuntiante promissus : utrum ab illis melius sit argui, an cum eorum cohorte conjungi? utrum talis qualis videbitur, aut qualis ab impiis negatur, Dominum confiteri? Nil vos retrahat a salute : velocibus ad viam redite vestigiis. Lapsus ruentem non gravat, si resurgat, Larga est dominicæ doctrina clementiæ : noxia sunt erroris vincula, dum retinent. Odit justitia pertinaces, fovet clementia corrigentes. Data III nonas Aprilis, Agapito V. C. consule (anno Domini 517).

EPISTOLA XIV.

AD EPISCOPOS ORIENTALES ORTHODOXOS EADEM SECUNDA LEGATIONE TRANSMISSA.

Laudat eorum in fide constantiam, et ad pacem conciliandam a se legatos denuo Constantinopolim missos esse scribit.

Hormisda episcopis orthodoxis.

Est quidem fidelium speciale solatium Deus, nec unquam inter quælibet dura deficiunt, qui se ad eum toto mentis studio contulerunt. Verumtamen hoc votum proposito vestro debere me fateor, ut sicut exsulto de sinceritate fidei vestræ, ita de firmitate merear gaudere constantiæ. Unde et aspectu interiore vos intuens, ad desiderium colloquendi vobiscum promptus assurgo, ut et dilectionem circa Deum vestram litterario sermone remuneret. et spem pagi- A nali adhortatione confirmem; atque ita his cum quibus mihi est consortium sanctæ communionis, jucundum reddam testimonium caritatis. Non enim sufficit animo meo de nobis esse securum, nisi ostendero illum quoque, quo vos complector, affectum. Siquidem declarat se non ex judicio odisse a Dei dilectione divisos, qui potest non amare conjunctos. Benedico igitur Deum, dum fervorem fidei vestræ inter procellas varias, tempestatum adversa considero. Vos quoque, ut super his pietatem ejus glorificetis, uberiore exsultatione suadeo; qui electorum suorum mentes quo acceptiores sibi reddat, examinat; et licet cognitos sibi, quibusdam tamen difficultatibus probat, ut justitiam quoque inesse dono quod largitur ostendat. Atque ideo pertinaciter bono vos convenit B imminere proposito, nec in via quæ ducit ad cœli regna deficere. Qui intuetur dominica munera non æstimanda promissa, nullius potest respectum habere periculi. Non enim frangit consideratio præsentium malorum, nisi futurorum bonorum vincat oblivio : quando omnem amaritudinem laboris excludit, qui dulcedinem spei, quæ exspectatur, amiserit. Quæ enim difficultas beatitudini par est? aut quæ condignæ præmiis passiones ad futuram scilicet gloriam, quæ in nobis Apostolo annuntiante revelabitur (*Rom.* VIII)? Absit ne quidquam a Christi caritate nos separet. Quanta est tribulatio, si gloriam parit? Materia prosperorum est quæ putatur adversitas. Dum inclinamur, erigimur. Nemo haberet futu- C ram remunerationem, nisi necessitates præsentium sustineret. Videte quanto opere hominum terrena messis assurgat. Quanto est igitur labore procurandum, ut cœlestia dona non pereant? Quieta est negligentium vita, sed non voti opulenta substantia : *Dignus est operarius, ut fructum mercedis accipiat* (*Luc.* X). Indiscrete passim pietas cum impietate languesceret, si examinatio bonos a malis divisura cessaret. Gratum admodum spectaculum Domino in agone justorum : nec quidquam ita supernam gratiam conciliat homini, sicut adversorum impetus patienter excepti. Quis milites sub pacis securitate miretur (*a*)? Non est arduum in sicco secura fixisse vestigia; nec artem gubernatoris ostendit marina tranquillitas. D Satis est intrepidum inter bella procedere, inter lubrica non labare, fluctus in tempestate contemnere. Sæviat, et motus suos exerceat mundana tentatio, dum manifesti appareant qui probantur. Hæc scientes, carissimi fratres, fidei vestræ tenete constantiam, et ipsa etiam, si inciderint, militantia meritis vestris amate pericula. Annuntiate quæ colitis, et participate etiam per universum orbem mandata evangelica quæ tenetis : supra stipendia vestra, correctio quoque vobis ascribatur aliena : inter cæterorum enumerationem, quibus sibi divinam gratiam plenus spiritu Dei propheta conciliat (*Psal.* L), inter ea quibus misericordiam, qua conservetur, exorat : docere si iniquos vias Domini, et conversionem per se fieri prædicat impiorum. Beati quibus vita innocenter

(*a*) Edit. Rom. habet : *Quis miles sub pacis securitate meretur.*

acta dat præmium. Beati per quos aliis quoque præstatur exemplum. Et nos quidem, quantum in nobis est, nec sollicitudine, nec labore cessamus, ut humilitatem, quam nos Dominus noster docuit, imitati, quæ saluti eorum conveniunt postulemus : ut dispensationis mihi creditæ, dum agnoscitur cura, probentur officia. Nam repetita vice Ennodium atque Peregrinum fratres et coepiscopos nostros, mandata legatione, direximus, rationem, adhortationes, preces, lacrymas ingerentes, ut ab impiorum contagione separati, ad veram fidem iisdem quibus vos modis, et apostolica scit sedes, se conferant, aut certe non nos defuisse prædicationi, sed illos propriæ saluti mundus agnoscat (*a*). Data Agapito viro clarissimo consule (anno Domini 517).

EPISTOLA XV.

[a] AD POSSESSOREM EPISCOPUM.

In fide catholica perseverandum.

Hormisda Possessori episcopo.

Optimam vestræ caritatis audientes instantiam, et cognoscentes rectæ (*b*) vitæ tramitem, quem sine strepitu vindicatis, Deo nostro gratias sine cessatione persolvimus : ut et in ea dispositione persistas, et cæteris quod sequantur tribuere possis exemplum. Ista sunt dona cœlestia : ista sunt divinæ retributionis indicia : ista sunt Dei judicia, quæ te a catholico sacerdotum noluerunt separari consortio. Unde, frater carissime, præsentibus hortamur alloquiis, ut in ea constantia, qua electus es, perseveres, et augmenta probabilibus initiis subministres : quia bonum opus, præcipue quod ad doctrinam fidei pertinet, nisi semper creverit, videtur imminui. Et si tribulatio mundana contigerit, ante oculos vestros, futura præmia ponentes, apostolica vos admonitione consulimus, dicentes : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitnr in nobis II Cor.* x). Meliora tamen speramus, quia Deus, qui per beatum Apostolum dixit : *Qui vos non dimisit tentari super quod potestis* (*Rom.* VIII) ; ipse pro sua pietate, quos suos elegit esse, et de laqueis adversariorum, sicut semper, eripiet. Libellum dilectionis tuæ de confessione rectæ fidei per legatos nostros remeantes accepimus, et in eos sinceritatem tuæ fraternitatis agnovimus : quia quod recte credit, sub attestatione publica prædicare non distulit. Data III nonas Aprilis, Agapito viro clarissimo consule (anno Domini 517).

[b] EPISTOLA XVI.

AD POPULUM ET MONACHOS CONSTANTINOPOLITANOS, PER EOSDEM LEGATOS DIRECTA.

Abstinendum a consortio hæreticorum, et in catholica fide perseverandum.

Hormisda clero, populo et monachis orthodoxis Constantinopoli consistentibus.

Si is qui calicem aquæ frigidæ, mandata evangelica secutus, obtulerit, mercedem boni propositi, ipso Domino, qui hoc docuit, restituente, consequitur ; nonne qui tanto populo fidelium veritatem annuntiare distulerit, juste pœnam damnationis incurrit ? Hinc est quod interminationem mandati cœlestis effugiens, (quod decet loquendum est in his quæ ad Deum pertinent, nec tacendum) habens quoque vestræ salutis affectum, admonitionem eorum quæ præsens necessitas poscit assumpsi ; omnes, quibus curæ est fide integra Christianam religionem servare, contestans, ut eos qui sanctam Chalcedonensem synodum et beati Leonis de fide catholica conscriptas epistolas declinant, quibus possunt viribus aversentur et fugiant ; quando ipsi sunt, qui Eutychetis et Dioscori Alexandrini, vel potius nefanda Manichæorum contagione polluti, verbo quidem adversus constituta Patrum videntur habere certamen, rebus autem contra incarnationem Domini nostri Jesu Christi evidenter insurgunt. Recordamini, carissimi, quæ fuerunt Basilisco palatinæ aulæ incubante tentata ; et temporum illorum acta vel visa vel audita recolite. Quam scelesta tunc fuerit Timothei cognomento Æluri, quam impudens et monstruosa præsumptio : quantus etiam per universum orbem fidei se vestræ fervor ostenderit. Probavit tunc Constantinopolitanus populus, quam pure deceat credentes Christiana servare mysteria. Sed transacta utinam studia fuissent, et non nunc similia tempus expeteret.. Rursum enim iidem hæretici caput improbum de profundo, quo immersi tenebantur, attollunt. Atque ideo rogo, hortor, admoneo dilectionem vestram, ab eorum vos conciliis et communione secernite. Recordamini zeli prioris, et vivere in vobis lucem, scintillam ignis spiritualis ostendite, ne simplicem in vobis veritatis affectum perditorum astutia expugnasse se gaudeat. Et hæc quidem, quantum ad præsentem necessitatem, et assumendam contra impios cautionem, dixisse sufficiat. Spero tamen quod si admonitio ista promoverit, et mihi et vobis utilis erit ; quando et Deus in vestra salute glorificabitur, et fructus nostræ sollicitudinis apparebit. Data III nonas Aprilis, Agapito viro clarissimo consule (anno Domini 517).

EPISTOLA XVII.

AD ENNODIUM ET PEREGRINUM EPISCOPOS.

Joanne Nicopolitano, quæ contra eum Thessalonicensis tentaverit, se cognovisse scribit, novamque causam sedis apostolicæ ingestam, iisdem cognoscendam per litteras hasce commisit.

Hormisda Ennodio et Peregrino episcopis.

Posteaquam profecta est caritas vestra, Nicopolitanus diaconus, qui vobis etiam occurrit in itinere, Romam venit ; quem præter moram vidimus, cogitantes

[a] Possessor episcopus Africanus pro fide catholica Constantinopoli exsulabat, fidei catholicæ professionem ibidem edidit coram prima legatione. Magno cum fructu et commodo omnium catholicorum Constantinopoli hoc tempore morabatur. Baronius anno 517, num. 26. SEV. BINIUS.

[b] His omnibus litteris datis adjecit pontifex libellum confessionis catholicæ, quem supra recitavimus, cui subscribendo, quisque se vere catholicum esse probare, Romanæque Ecclesiæ catholicam communionem consequi posset. SEV. BINIUS.

(*a*) Deest *data* in edit. Rom.

(*b*) Ibid., *fidei.*

ne forte esset quod ad instructionem mandatæ vobis legationis adjicere deberemus : quod et rationabiliter factum ipsa res evidenter ostendit. Obtulit enim nobis epistolam Joannis episcopi sui, et aliam synodi sibi subjacentis Ecclesiæ Nicopolitanæ, qua queruntur ab episcopo Thessalonicensi excitatas adversum se tam principales quam judiciarias potestates : concussionibus et dispendiis se vehementer affligi propter hoc, quia de ordinatione sua ad episcopum relationem secundum prisca exempla non miserit. Pro qua causa speraverunt, ut de remedio cogitare deberemus, consulentes etiam nos, ut daremus eis licentiam relationem ad designatum episcopum secundum consuetudinem destinandi. Unde tractavimus, et episcopum quidem Nicopolitanum admonuimus, ne tale aliquid audere tentaret, si nobiscum velit in communione persistere ; ne per illum, si ab eo qui a communione nostra alienus est, confirmationem petiisset, nostra quoque communio contagium sustineret. Hæc vos, ut omnia sciretis, instruximus. Quid autem propitio Deo vobis de hac (*a*) agendum sit, subjecta declarant. Data pridie idus Aprilis, Agapito consule.

EPISTOLA XVIII.

AD EOSDEM.

Quid in causa Nicopolitana cum Thessalonicensi agendum sit præscribit.

Hormisda Ennodio et Peregrino episcopis.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, intercedentibus et adjuvantibus sanctis, quid agendum sit de causa Nicopolitanæ Ecclesiæ. Primum ubi Thessalonicam, Deo juvante, veneritis, epistolas nostras, quas in hac causa misimus, episcopo Thessalonicensi tradite, illum quidem ordinem in ejus salutatione servantes, quem scitis a nobis esse mandatum circa eos qui cum sede apostolica, hoc est Ecclesia catholica non communicant. Traditis autem epistolis, instanter agere debetis ut se ab ejus Ecclesiæ concussione suspendat : rationem reddentes, quia non potuit reversus ad communionem et ad corpus Ecclesiæ cum illis qui necdum reversi sunt quidquam habere conjunctum, nos non solvere a prædecessoribus nostris concessa privilegia, si ipse ecclesiastica instituta non deserat. Certe redeat ad unitatem, et nos cum eo insistemus, ut omnia privilegia quæcunque consecuta est a sede apostolica Ecclesia ejus, inviolata serventur. Dicite etiam aperte illum ostendere inimicum se esse fidei, si insequitur quos viderit ad catholicam communionem reverti. Quod poteritis causam ibi Deo propitio componere, scriptis ad episcopum Nicopolitanum litteris, quid vestra promoverit opera nuntiate. Si vero obstinatus fuerit, nec ab insecutione ejus cessare voluerit, secundum litteras quas ad clementissimum imperatorem misimus, apud principem causam Ecclesiæ Nicopolitanæ sic agite, ut dicatis : Alcyson episcopus Nicopolitanus satisfecit Ecclesiæ catholicæ, susceptus est, et ad communionem reductus : hujus successor Joannes episcopus et Deum ante oculos habens, et de salute sua cogitans, A et prædecessoris sui bonum exemplum sequens, condemnatis hæreticis vel transgressoribus ad sedem B. Petri apostoli misit, et susceptus est : huic nunc Thessalonicensis episcopus insidiatur, et eum concutit; contraria his quæ fecit ab eo exigere volens. Hinc pater vester, et omnes orthodoxi rogant ut jussionibus vestris removeatur ab eo ista molestia; ne videatur hominibus propter hoc illum persecutionem pati, quia ad communionem sedis apostolicæ rediit; et qui exspectant per vos unitatem fieri, aliud incipiant credere, si pietatem vestram viderint hoc dissimulare, hoc negligenter accipere. Visum est nobis expedire, ut litteras quas ad Thessalonicensem in causa Nicopolitana direximus, quolibet ordine prudentia vestra diversis in locis faciat publicari, B magnopere tamen in civitate Thessalonicensium, quia hoc facto, et a persecutione nostrorum potest cessari, et ad ipsius, si se correxerit, credimus pertinere salutem.

EPISTOLA XIX.

AD ANASTASIUM AUGUSTUM.

Joannem Nicopolitanum ei commendat.

Hormisda Anatasio Augusto, per Ennodium et Peregrinum episcopos.

Dum sapientiæ vestræ, clementissime imperator, profunda considero, providentes saluti propriæ, vobis displicere non æstimo. Neque enim aut divina monita, aut humana continent instituta, ut qui consulit bonæ spei, qualibet debeat reprehensione culpari : cum maxime pietas quoque vestra affectu se unitatis C et pacis flagrare fateatur. Quæ res me quoque vel pro fiducia conscientiæ vestræ, vel pro creditæ quoque mihi dispensationis officio, emergente compulit non supersedere negotio. Joannes frater et coepiscopus meus Nicopolitanæ civitatis antistes, prædecessoris sui sanctæ recordationis Alcysonis secutus exemplum, beati Petri apostoli communionem cum synodo sua, damnatis his quos Ecclesia detestatur, expetiit. Is nunc gravibus fatigatur insidiis. Precor mansuetudinem vestram, iniqua molientibus obviate, et removete molestias, et correctum fovete, cui, ut corrigeretur, debuisset insisti. Scient enim qui tardaverint, se reos futuros, cum a vobis foveri viderint jam reversos. Fateor, clementissime imperator, miror insi- D diantium pertinaciam neque Dei neque vestro intuitu permoveri. Nam qui oderunt in homine studium desiderii boni, quod de se æstimant judicari, insequuntur, ad recta reduces; jure culpandi, si non converterint deviantes. Date fidei vestræ clara documenta, si adfore cunctis ad unitatem reductis et officio omni et adhortatione cogitetis.

EPISTOLA XX.

AD JOANNEM EPISCOPUM NICOPOLITANUM.

Æquo animo ærumnas pro fide sustinendas, et ideo provinciales episcopos ad fidei unitatem ab eo confirmandos.

Hormisda Joanni episcopo Nicopolitano.

Remeante Pulione subdiacono nostro, litteras caritatis vestræ suscepimus, de constantia fidei, vel de

(*a*) Edit Rom. addit, *cuusa.*

intentione, quam circa communionem sedis apostolicæ geritis, gratulantes : sed contristati sumus, quod vos aliquas sustinere molestias perhibetis. Ista tamen diuturnam non possunt habere substantiam ; quia ubi Deus pure colitur, etsi adversa contigerint, in porspera commutantur, secundum Apostolum dicentem : *Spes non decipit* (*Rom.* v). Dubitans apostolorum princeps incedens per pelagus laboravit (*Matth.* xiv) : mox tamen invocato Domino suo, paratum habuit qui eum porrecta manu non pateretur sustinere discrimen. Ergo auctorum nostrorum sequentes exempla, et in ipsorum fide permanentes, illius poscamus auxilium, de quo scriptum est : *Qui nos non dimittit tentari supra quæ possumus* (*I Cor.* x). Igitur salutantes caritatem tuam hortamur ut, quemadmodum prædiximus, in his quæ bene inchoata sunt perseveres : quia *qui perstiterit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Frequenter alloquiis tuis nostram sollicitudinem relevare non desinas. Parœciales quoque sacerdotes tuos competenti adhortatione confirma, quia ista faciendo, talentum tibi creditum poteris multiplicare quotidie. De illa quoque parte, quam dilectio tua postulat, cogitamus, ut ad imperatorem clementissimum pro generalitatis quiete preces nostræ perveniant. Tantum est ut votum studiumque nostrum congruis orationibus juvare non cesses, quia nos in his Deo auctore perficiendis vacare minime potuerimus. Data v nonas Martias, Agapito viro clarissimo consule (anno Domini 517).

EPISTOLA XXI.

AD EUMDEM JOANNEM.

Hormisda Joanni episcopo Nicopolitano cum synodo.

Optaremus, dilectissimi fratres, ab omnibus vos molestiarum fluctibus alienos, vitam sub tranquillitatis serenitate transigere, et Deo nostro, remota mundanarum tempestatum mentis perturbatione..... moverunt : quia quæ fieri nolumus, necesse est, ut facta doleamus. Sed abundat mundus incommodis et tentationibns : sæculum istud, in quo peregrinamur, expositum est passim, veluti magna moles, ventorum procellis. Ita fidelium mentes diabolicis pulsantur insidiis, et, sicut dictum est, *qui volunt pie vivere in Christo, persecutiones patiuntur* (*II Tim.* iii). Sed consolatur spes a justo retributore promissa : *quia beatus est qui non fuerit scandalizatus in Domino* (*Matth.* xi). Non dejiciant milites Dei impetus fragiles et caduci. Qui assistit strenuis, non delectatur ignavis. Facile contemnuntur ista quæ transeunt, si illa quæ sunt mansura cogitentur. Amplectenda est probationis occasio : quia licet sint dura onera laborum, præmia tamen majora virtutum. Quemadmodum par erit ei remuneratio, qui se imparem monstrat examini ?

Non simus segnes ad fortia, si pervenire cupimus ad promissa. Quis super hoc exspectet vocem hominis, cum quotidie nobis insonet sententia veritatis : *Beati qui passiones patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v)? Sed ne me, fratres carissimi, (licet apud fideles magna sint) spiritualia tantum vestræ exhibere credatis confirmationis solatia; providendis enim pro vestra tribulatione remediis, quantum in homine esse potuit, non quievit. Nam per legatos ad Orientis principem destinatos, et Thessalonicensem episcopum, ut ab infestatione vestra cessaret, admonui; et prorogatis paginis, ut imperatori supplicaretur, adjunxi.

Hæc quantum ad præsentia sunt provisa : sed illa quæ ad spem futuram pertinent, hæc sunt potius mentibus intuenda. Sane hoc me fateor fuisse miratum, quod inter allegationes angustarum religiosæ prudentiæ vestræ hæc potuit cura subrepere, ut a me sub consolationis colore dirigendi ad Thessalonicensem episcopum solidas litteras licentia posceretur. Egone hujus rei auctor existerem, quam si inscio me cognoscerem factam esse, culparem ? Absit ista perversitas. Audite apostolicam vocem, sed personæ meæ convenienter aptandam. *Si quæ destruxi hæc iterum reædifico, prævaricatorem me constituo* (*Gal.* ii). Nolite, obsecro, ad evitata vix redire contagia ; nec pedes luto, quo tenebantur, avulsos, patiamini male rursus immergi. Sinite oblitterata esse transacta. *Nemo mittens manum suam in aratrum, et aspiciens retro aptus est regno Dei* (*Luc.* ix). Impediuntur a processu propositi itineris, qui reflexis oculis respiciunt quod relinquunt. Non amant ecclesiasticæ disciplinæ eos in quibus remanet memoria illa perfidiæ : totos ab errantibus oportet abscindi : quia in tantum detestabiles existimantur ad spreta redeuntes, ut B. apostolus Petrus (*II Petr.* ii) melius illis esse prædicaverit, ut non cognoscerent viam justitiæ, quam cognoscentes retrorsum reflecti in tradito sibi sancto mandato. In aperto est qua pertinacia traditæ fidei debeat constantia custodiri, si tolerabilius est in errore persistere, quam coinquinationibus rursum, quas quis fugerit, implicari. Data pridie idus Aprilis, Agapito viro clarissimo consule.

EPISTOLA XXII.

AD DOROTHEUM EPISCOPUM THESSALONICENSEM.

Hormisda episcopus Dorotheo episcopo Thessalonicensi.

Joannes frater et coepiscopus meus Nicopolitanæ urbis antistes cum synodo sua variis se concussionibus atque dispendiis graviter causatur affligi ; quod a transgressorum societate divisus, postquam communionem sedis apostolicæ emeruit, ad Thessalonicensium Ecclesiam ordinationis suæ initia non direxit. Potuisset neglectus esse culpabilis, si unum esset inter omnes mysterium caritatis. At cum multi se a petræ illius, quæ Christus est, soliditate diviserint ; quis non velit ab errantium conjunctione dirimi, u mereatur cum his qui consistunt in veritate conjungi ? Non igitur consuetudo est neglecta, sed vitat contagia. Ergo objicere quis possit errorem, ubi co gitatam salubriter intelligit cautionem ? At nos, quo debueras primus assumere, credebamus te sequi sal tem post aliena exempla potuisse. Non sufficit i lapsibus mora, nisi ad reprehensionis cumulum, circ eos quoque qui ad viam redeunt accedat invidia ? Quid aliud, quam beati Petri (quod sine impietate dici non potest) ipsum quod a Domino datum est nomen

oderunt, qui eos qui ad sedis ipsius altaria confugiunt insequntur?

Quo pudore, rogo, privilegia circa te illorum manere desideras, quorum mandata non servas? et reverentiam quam non exhibes fidei, cupis tibi ecclesiastica potestate deferri? Si in iisdem vestigiis, quibus catholici nituntur, insisteres, insectationem tamen proximi vitare deberes; sciens secundum Domini nostri et Salvatoris, quem colimus, instituta, eum qui scandalizaverit unum de minimis, obnoxium magnis esse peccatis (*Marc.* IX). Ubi est, Domine, humilitas, quam sub occasione discipulorum tuorum certantium de loci qualitate docuisti? Tu ostendis illum esse maximum, qui exhibere studuerit se pusillum, *Respice de cœlo, vide: visita vineam istam te cultore plantatam* (*Psal.* LXXIX): intende circa mandata tua minimos, et circa ambitum honoris elatos.

Cur recentia cupitis, et prisca deseritis, circa summa desides et parva curantes? Nonne hoc est rerum vilia decimare; et legis præcepta contemnere? Serva illa quæ Deo congruunt; et facile ea quæ sunt ab hominibus subsequentur. Quin potius curam salutis assume: et cur te alius prævenerit in veritate, suspira: ne si insectari eos qui ad Ecclesiæ revertuntur membra perstiteris, tu quoque cum his quos nominatim condemnat apostolica sententia, copuleris. Data pridie idus Aprilis, Agapito viro clarissimo consule.

[a] EPISTOLA

ANASTASII AD HORMISDAM.

Suggillat Hormisdæ nimiam duritiam.

Anastasius Augustus Hormisdæ papæ.

Etsi magnum aliquid taciturnitas judicatur, tamen necessarium est admirantes Dei misericordiam assidue frequentare sermonem. Et quia initium fidei, quam nos Dominus et Deus Salvator noster Jesus Christus docuit, inremissione peccatorum præcellit, nulli habetur ignotum. Ipse enim per propriam passionem omnia Adam peccata mundavit: et hæc fuit negotiatio humilitatis ipsius, ut et præfatum et omnes fratres liberaret ex servitute peccati, voluntarie personam servi suscipiens. Nam beatus Paulus apostolus docuit nos scribens ad Romanos: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, et in eos qui non peccaverunt* (*Rom.* V): ex quo est universitati quodammodo declaratum ex generali dispositione, sive mirabilibus, specialia quæque exempla debere (*a*) semel (*b*) tam magnæ legis (*c*) jussiones, et tam pia bonitate (*d*) firmatæ, ut omnis doctrina, quam discipulis suis tradidit, in hoc firmamento consistit. Fugavit ægritudines, sive multifaria genera passionum: nodum peccati propria, sicut dictum est, passione resolvit; et agens, ad implenda similia discipulos factis et sermonibus instruebat. Verum, si sicut aliqui nituntur ostendere, certi ex ipsius apostolis tam piam doctri- A nam per inobedientiam implere dissimulant; ignoramus ubi magisterium misericordis Domini et magni Dei nobis possit occurrere. Nos autem non ea credimus ratione, ut immisericordes esse putemus, qui misericordiam didicerunt: sed postulationem nostram a præsenti tempore taciturnitate comprimimus, irrationabile judicantes illis precum adhibere bonitatem, qui rogari se nolint, contumaciter respuentes: injuriari enim et annullari sustinere possumus, juberi non possumus. Data V idus Julii Constantinopoli, Anastasio Augusto IV et Agapito viro clarissimo consulibus (anno Domini 517)

EXEMPLUM RELATIONIS

MINORUM ARCHIMANDRITARUM ET CÆTERORUM MONACHORUM SECUNDÆ SYRIÆ

B *Scribunt quæ pro fide catholica ab Eutychianistis, quos imperator minime coercendos curaverat, patiantur, et quod ab imperatore non auditi, Romanum pontificem tanquam communem patrem interpellent.*

Sanctissimo et beatissimo universæ orbis terræ patriarchæ Hormisdæ, continenti sedem principis apostolorum Petri, deprecatio et supplicatio minimorum archimandritarum et cæterorum monachorum secundæ Syriæ provinciæ.

Gratia Salvatoris omnium nostrum Christi nos ad vestram beatitudinem refugere velut de hieme et tempestate ad portum tranquillitatis admoniti, minime circumvallantibus (*e*) teneri jam credimus. Nam etsi patimur, gaudentes sustinemus scientes, C *quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Quoniam vero Christus Deus noster principem pastorum et doctorem et medicum animarum constituit vos et vestrum sanctum angelum, dignum est passiones, quæ nobis contigerunt, exponere, et immisericordes ostendere lupos, qui dissipant gregem Christi: ut auctoritatis baculo eos expellat de medio ovium, verbo autem doctrinæ animam sanet, et orationis medicamentis mitiget. Qui autem sint isti, et qui hos adversum nos armaverint, audistis utique, beatissime: Severus ille et Petrus, qui nunquam in Christiano numero reputati sunt, qui per singulos dies sanctam Chalcedonensem synodum, sanctissi- D mum patrem nostrum Leonem publico anathemate impetentes, qui judicium Dei nihil æstimantes, et colendos canones sanctorum Patrum conculcantes, episcopos quidem principali potentia facientes exhiberi, et nos cogentes illudere prædictam sanctam synodum, suppliciis inæstimabilibus affligentes. Unde et quidam eorum injectas plagas minime sustinentes, de hoc sæculo transierunt, et nostrorum vero non exigua multitudo perempta est. Euntibus namque nobis ad mandram domini Simeonis pro causa Ecclesiæ, insidiati sunt nobis in itinere præ-

[a] Hoc tempore contigerunt ea quæ scribit Anastasius Bibliothecarius in Vita Hormisdæ, his verbis: *Item secundo misit Ennodium,* etc. Quibus peractis, quas cædes quasve injurias orthodoxis Severus Antiochenus, cæterique Acephali intulerint in Syria, sequens epistola indicat. SEV. BINIUS.

(*a*) Edit. Rom. addit *suscipere.*

(*b*) Al. *tanta.*

(*c*) Al. *jussione.*

(*d*) Al. *firmata.*

(*e*) Al. ad *nos calamitatibus.*

dicti coinquinati, et supervenientes occiderunt ex A nobis trecentos quinquaginta viros, quosdam autem vulneraverunt; alios vero, qui potuerunt ad colenda altaria confugere, ibidem peremerunt et monasteria incenderunt, per noctem mittentes multitudinem inquietorum hominum redemptorumque omnem paupertatem ecclesiasticam hujusmodi pestiferi homines consumentes. Ad singula autem delatæ ad vestram beatitudinem instruent chartæ a venerabilibus fratribus Joanne et Sergio, quos miseramus Constantinopolim, sperantes vindictam fieri de his quæ commissa sunt. Sed eos nec verbo dignatus est imperator, sed etiam cum grandi contumelia expulit, comminatus eis qui ista porrigerent. Unde hinc est nos vel sero cognoscere, quoniam tanta parvitas et audacia B talium malorum adversus Ecclesias facta, ipsius immissione composita est. Deprecamur ergo, beatissime pater, supplicantes et rogantes, ut exsurgatis, cum fervore et zelo, et condoleatis juste pro corpore laniato (nam caput estis omnium) et vindicetis fidem contemptam, canones conculcatos, Patres blasphematos, et talem synodum anathemate impetitam. Vobis a Deo data est potestas et auctoritas ligare et solvere. *Non opus habent qui sani sunt medicis, sed male habentes* (*Matth* XVI). Exsurgite, Patres sancti, venientes ad salvandos nos; imitatores estote Domini nostri, qui de cœlo super terram advenit quærere errantem ovem: Petrum illum respicite principem apostolorum, cujus sedem ornatis, et Paulum qui est vas electionis, qui circumeuntes, C orbem terrarum illuminaverint: nam magna vulnera majoribus indigent adjumentis. Mercenarii videntes lupos venientes adversus oves dimittunt eas dissipari ab illis: vobis autem veris pastoribus et doctoribus, quibus cura pro salute ovium commissa est, occurrit ipse grex cognoscere suum pastorem, ab immitissimis bestiis liberatus, et vocem sequens pastoris, sicut Dominus ait: *Oves meæ vocem meam audiunt. et ego cognosco eas, et sequuntur me* (*Joan.* X). Non ergo despiciatis nos, sanctissime, qui a bestiis ferocibus quotidie vulneramur. Ad perfectam autem notitiam vestri sancti angeli, anathematizamus in eadem nostra deprecatione virtutem habente libelli omnes projectos et excommunicatos a vestra apostolica sede. Dicimus autem Nestorium, qui fuit Constantinopolitamus D episcopus, Eutychetem, Dioscorum, et Petrum Alexandrinum, qui cognominatus est Balbus, et Petrum, qui dicebatur Fullo, Antiochenum nihilominus et Acacium, qui fuit Constantinopolitanus episcopus, eorum communicatorem, et omnes qui unum illorum hæreticorum defendunt.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Alexander misericordia Dei presbyter et archimandrita sancti Maronis deprecatus sum.

Simeon misericordia Dei presbyter et archimandrita ut supra.

Joannes misericordia Dei diaconus et dispensator ut supra.

Procopius misericordia Dei presbyter et archimandrita ut supra.

Petrus misericordia Dei presbyter ut supra.
Eugenius misericordia Dei presbyter ut supra.
Geladius misericordia Dei presbyter ut supra.
Bassus misericordia Dei presbyter ut supra.
Romulus misericordia Dei presbyter ut supra.
Eusealius misericordia Dei presbyter ut supra.
Malchus misericordia Dei presbyter ut supra.
Leontius misericordia Deidiaconus ut supra.
Stephanus misericordia Dei presbyter ut supra.
Carufas diaconus ut supra.
Thomas presbyter ut supra
Samuel diaconus ut supra.
Theodorus presbyter ut supra.
Joannes misericordia Dei presbyter ut supra.
Joannes presbyter ut supra.
Thomas diaconus ut supra,
Joannes diaconus ut supra.
Simeonius diaconus ut supra.
Salinus archimandrita ut supra.
Eusebius presbyter ut supra.
Mucymus presbyter ut supra.
Simeonius presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Jacobus presbyter ut supra.
Joannes presbyter ut supra.
Paulus presbyter ut supra.
Priscus presbyter ut supra.
Antonius presbyter ut supra.
Joannes presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Julianus presbyter ut supra.
Simeonius presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Simeonius presbyter ut supra.
Zachæus presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Simeonius presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Simeonius presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Sergius presbyter ut supra,
Thomas presbyter ut supra.
Eusebius presbyter ut supra.
Paulus presbyter ut supra,
Joannes presbyter ut supra.
Sergius diaconus ut supra.
Item Sergius diaconus ut supra.
Julianus presbyter ut supra.
Sergius presbyter ut supra.
Ammonius diaconus ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Lucas presbyter ut supra.
Thomas diaconus ut supra.
Simeonius presbyter ut supra.
Flavianus archimandrita ut supra.
Monimus diaconus ut supra.
Joannes diaconus ut supra.
Joannes presbyter ut supra.
Antonius diaconus ut supra.
Thomas diaconus ut supra.

Eliseus presbyter ut supra.
Sergius diaconus ut supra.
Isaacius presbyter ut supra.
Sergius presbyter ut supra.
Thomas diaconus ut supra.
Joannes presbyter ut supra.
Philippus diaconus ut supra.
Jacobus presbyter ut supra.
Zenobius presbyter ut supra.
Moras diaconus ut supra.
Isaacius presbyter ut supra.
Ananias presbyter ut supra.
Sergius presbyter ut supra.
Simeon presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Joannes presbyter ut supra.
Simeon presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Joannes presbyter ut supra.
Simeon presbyter ut supra.
David thos diaconus ut supra.
Thomas diaconus ut supra.
Joannes diaconus ut supra.
Lamneus presbyter ut supra.
Daniel archimandrita ut supra.
Simeon archimandrita ut supra.
Abramius presbyter ut supra.
David presbyter ut supra.
Dorotheus presbyter ut supra.
Antoninus presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Darsumas (Forte *Barsumas*. HARD.) presbyter ut supra.
Sergius presbyter ut supra.
Eusebius presbyter ut supra.
Simeonius presbyter ut supra.
Marcellus presbyter ut supra.
Priscus presbyter ut supra.
Maras presbyter ut supra.
Sergius presbyter ut supra.
Jacobus presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Item Thomas presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Salinus presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Joannes presbyter ut supra.
Varasaldas presbyter ut supra.
Joannes diaconus ut supra.
Marcellus diaconus ut supra.
Simeonius presbyter ut supra.
Gennadius presbyter ut supra.
Thomas presbyter ut supra.
Simeonius presbyter ut supra.
Abramius presbyter ut supra.
Simeonius presbyter ut supra.
Jacobus presbyter ut supra.
Joannes presbyter ut supra.
Isidorus archimandrita.

A Julianus presbyter ut supra.
Joannes et Romanus et Thomas presbyteri ut supra.
Antoninus diaconus ut supra.
Abraham presbyter, Maras diaconus et Abraham presbyter ut supra.
Zenobius et Stephanus presbyteri ut supra.
Simeonius et Demetrius presbyteri ut supra.
Thomas et Domnus presbyteri ut supra.
Simeonius et Elias presbyteri ut supra.
Abramius et Pelagianus presbyteri ut supra.
Romanus et Abram presbyteri ut supra.
Simeonius presbyter et Carufas diaconus ut supra.
Simeonius et Joannes presbyteri ut supra.
Simeonius et Julianus presbyteri ut supra.
Eutychianus et Joannes diaconus ut supra.
B Thomas et item Thomas presbyteri ut supra.
Romanus diaconus et Joannes presbyter ut supra.
Eusebius archimandrita et Eustasius presbyteri ut supra.
Jacobus et Eusebius presbyteri ut supra.
Sergius et Maras presbyteri ut supra.
Joannes et Julianus presbyteri ut supra.
Paulus et Isacius presbyteri ut supra.
Thomas et Dasianus presbyteri ut supra.
Joannes et Daniel presbyteri ut supra.
Jevenas presbyter et Azizos diaconus et archimandrita ut supra.
Antonius diaconus et archimandrita et Cyrillus presbyter ut supra.
C Job presbyter et Stephanus diaconus et archimandrita ut supra.
Bassus diaconus et Basilius presbyter ut supra.
Simeonius et Joannes presbyteri ut supra.
Jacobus presbyter et Julianus diaconus et archimandrita ut supra.
Simeonius et Alpheus presbyteri ut supra.
Joannes presbyter et Petrus diaconus ut supra.
Daniel diaconus et Eunus diaconus archimandrita ut supra.
Alexander et Epiphanius presbyteri ut supra.
Zoilus et Abramius presbyteri ut supra.
Julianus presbyter et Joannes diaconus et archimandrita ut supra.
Carufas et Simeonius presbyteri ut supra.
D Timotheus diaconus et Petrus presbyteri ut supra.
Macedonius presbyter et archimandrita ut supra.
Dionysius archimandrita ut supra.
Joannes archimandrita ut supra.
Simeonius presbyter et archimandrita ut supra.
Menas diaconus et archimandrita et Darabsabas presbyter ut supra.
Sergius presbyter et Theodorus archimandrita ut supra.
Benjamin archimandrita et Isacius presbyteri ut supra.
Daniel presbyter et archimandrita et Abraham archimandrita ut supra.
Simeonius archimandrita ut supra.

EPISTOLA XXIII.

AD ARCHIMANDRITAS SYRIÆ.

Illos solatur hortaturque ut in fide catholica perseverent.

Ὀρμίσδας ἐπίσκοπος, πρεσβυτέροις, καὶ ἀρχιμανδρίταις τοῖς ἐν δευτέρᾳ Συρίᾳ οὖσι, καὶ λοιποῖς ὀρθοδόξοις ἐν οἱῳδήποτε ἀνατολικῷ κλίματι διάγουσι, καὶ ἐν τῇ τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας κοινωνίᾳ διαμένουσιν.

Ἀναγνωσθέντων γραμμάτων τῆς ὑμετέρας ἀγάπης δι' ὧν τῶν ἐχθρῶν τοῦ Θεοῦ ἀφροσύνη ἐφανερώθη, καὶ τῶν ἀπίστων ἡ ἐπίμονος μανία λυπηρῶς δήλη γέγονεν, οἵτινες ἐπειδὴ τῷ κακῶς ζῶντι πνεύματι ἐμίσησαν τὸν Κύριον, τὰ μέλη ἐκείνου ἀσεβῶς διώκουσιν, ὅσον ἀπὸ τῆς ὑμετέρας βεβαιότητός ἐστι γνῶναι, ηὐλόγησα τὸν Κύριον, τὸν τὴν πίστιν τῶν ἑαυτοῦ στρατιωτῶν μεταξὺ τῶν ἐναντίων φυλάττοντα. Καὶ πάλιν τῶν ἐκκλησιων τὸν σάλον, καὶ τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τὰς ἐπαχθείας, καὶ τοὺς κόπους κατανοήσας στενάζων κατὰ τὸν προφήτην, ἐκέκραξα· « Ἀνάστα, Κύριε, δίκασον τὴν δίκην σου, μνήσθητι τῶν ὀνειδισμῶν σου, τῶν ὑπὸ ἄφρονος ὅλην τὴν ἡμέραν. » Ἡδέως καὶ τὰ ἑξῆς ὁμοίως ἐπάγω, « Μὴ ἐπιλάθῃ τῆς φωνῆς τῶν ζητούντων σε, ἡ ὑπερηφάνεια τῶν μισούντων σε ἀνέβη διαπαντὸς πρὸς σέ. » Καί γὰρ ὥσπερ χρὴ ἡμᾶς τὸ ἑδραῖον τῆς πίστεως φυλάττειν, οὕτως οὐχ ἁρμόζει περὶ τῆς δικαιοσύνης τῆς θείας κρίσεως ἀπιστεῖν. Οὐκ ἔστι νέος, ἀδελφοί, τῆς ἐκκλησίας οὗτος ὁ κόπος· ὅμως ἐν αὐτῷ τῷ ταπεινοῦσθαι, ὑψοῦται, καὶ δι' ἐκείνων, δι' ὧν πτωχεύειν δοκεῖ, πλουτίζεται. Ἐν πείρᾳ ἐστὶ τοῖς πιστοῖς τοῦ Θεοῦ τό διὰ τοῦ θανάτου τῶν σωμάτων τὴν ζωὴν κερδαίνειν τῶν ψυχῶν· ἀποβάλλονται μὲν τὰ ῥέοντα, ἀλλ' ἐμπορεύονται τὰ αἰώνια, καὶ ἐν τῷ τὸν διωγμὸν ὁδοποιεῖν τῇ δοκιμῇ, αἰτία γίνεται τῆς ἀξίας ἡ δοκιμή· ἀνόητοι καὶ ἐν τῇ τυφλώσει μαινόμενοι ἀγνοοῦσιν, ὅτι οὓς ἐκ τῆς τῶν ἀνθρώπων ἀναστροφῆς χωρίζειν δύνασθαι νομίζουσι, τούτους εἰς τὴν βασιλείαν ἄγουσι τοῦ Θεοῦ· ἐντεῦθεν ἐν αὐτοῖς τοῖς κινδύνοις αἱ εὐφροσύναι, καὶ ἡ περὶ τὸ πάσχειν σπουδή· ἐκδέχεται γὰρ τοὺς ἀγῶνας τῶν ἰδίων, ὁ τῶν μεγάλων δωρεῶν ἀνταποδότης. Τίς γὰρ οὐκ ἂν ὀκλάσειε ἐν τοῖς κακοῖς, εἰ μή διὰ τῶν ἐπάθλων παραμυθηθείη τὰ ἐναντία; ἐκείνη ἐστὶν ἡ ἐλπίς ἡ μὴ συγχωροῦσα ἐν τῇ ἀνελπιστίᾳ ἡμᾶς ἀτονεῖν· ἀποκλείει τῶν θλίψεων τὸ πικρὸν ἡ γλυκεῖα γεῦσις τῶν ἀρετῶν. Τίς γὰρ ἂν οἰηθείη τὰ παρόντα μεγάλα, ἐννοῶν τὰ μέλλοντα; τίς τὸν θάνατον ἀπαρνεῖται, εἰ τῶν μελλόντων τὴν ἀντίδοσιν κατανοήσειεν; Ἔστητε, ἀγαπητοί μου, καὶ ἀσάλευτον τὴν πίστιν βεβαίῳ λογισμῷ φυλάττοντες, τῆς ὑπομονῆς τὸν ἔπαινον, ἐς ᾧ ἔστιν ἡ σωτηρία, καὶ τῶν ἀγαθῶν ἔργων τὸ βραβεῖον, καρπώσαστε. Μεγάλα εἰσὶν εἰς ἃ καλούμεθα οἱ ἀνάξιοι. Μὴ βραδυνάτω ἡ ἀσθένεια, ὅτι ὁ καλῶν ἀνταποδότης πιστὸς, καὶ δυνατὸς βοηθός ἐστι· μὴ τῇ τῶν καταθυμίων ἐλπίδι ἀπατηθῶμεν, μήτε τῶν ἡδέων, μήτε προκρίνωμεν τὰ εὐχερῆ· οὐ τρυφηλὰ ἡμῖν ὁ Κύριος ἡμῶν, οὐ κολακευτικὰ ἐπηγγείλατο· ἐκεῖνος ἔπαθλα ὑπέσχετο, οὐκ ἀργίας. Οὐ συμβαίνουσιν ἔπαινος καὶ ῥαθυμία. Τίς τῆς ἀνταμείψεως ἔσεται τόπος, εἰ οὐδεμία ἐστὶ φροντὶς τῆς ἀρετῆς; στενὴ ἡ πύλη, ἀλλὰ πλάτεα τὰ βασίλεια· ὀλίγοις ἡ εἴσοδος, ἀλλὰ τοῖς δοκίμοις. Οὐχ οὗτοί εἰσιν οἱ πρῶτοι λόγοι πρὸς ἐκείνους οὓς ἐδίδαξε, « Δεώξουσι, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς

[1] Ex alia Latinitate legitur apud Harduinum.
Ex veteri codice Vaticano, expressa in editione Roman. 1591, epist. 21, ac deinceps in aliis.

A Hormisdas * episcopus presbyteris, diaconis et archimandritis secundæ Syriæ, et reliquis orthodoxis in quocunque Orientali climate degentibus, et in apostolicæ sedis communione permanentibus.

[1] Lectis litteris dilectionis vestræ, quibus inimicorum Dei patefacta vesania est, et infidelium pertinax furor dolenter expositus, qui dum redivivo spiritu oderunt Dominum, membra illius impie persequuntur, quantum ad constantiæ vestræ agnitionem benedixi Deum, fidem militum suorum inter adversa servantem. Sed rursum Ecclesiarum concussionem et servorum Dei molestias, laboresque considerans, propheta gemitus meos adjuvante clamavi : *Exsurge, Domine, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die* (*Psal.* LXXII) : libenter ea quoque quæ sequuntur adjungens : *Ne obliviscaris vocem quærentium te : superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper ad te.* Nam sicut oportet nos stabilitatem fidei custodire, ita non convenit de divini judicii æquitate diffidere. Non novus hic, fratres, Ecclesiæ labor, et tamen dum humiliatur, erigitur, ac per ea quibus atteri creditur, damna vitantur. Ex usu est fidelibus Dei, ut per mortes corporum vitas lucrentur animarum : amittunt quidem caduca, sed mercantur æterna, et dum persecutio viam facit probationi, probatio causa fit meriti : stulti et in cæcitate sævientes nesciunt, quia quos conversationi hominum subtrahere se posse credunt, ad Dei regna perducunt : hinc in ipsis periculis gaudia, et ambitus passionum : exspectat enim agones suorum qui magnorum retributor est munerum. Nam quis non frangeretur malis, nisi consolarentur adversa de præmiis? Spes illa est, quæ non sinit in desperatione deficere : excludit siquidem amaritudinem tribulationum dulcis sapor virtutum. Quis enim magni habeat (magna ducat) præsentia, sciens æstimare ventura? Quis dispendia vitæ renuat, si quæ sunt recipienda considerat? Persistite, carissimi mihi, et inconcussam fidem fixa animi virtute servantes, perseverantiæ laudem, in qua est salus et bonorum hominum palma, præsumite. Magna sunt ad quæ vocamur indigni : non retardet infirmitas, quia qui vocat retributor fidelis, et fortis adjutor est. Non prosperorum spe decipiamur aut mollium : nec facilia proponamus : non deliciosa nobis Dominus noster non est blanda pollicitus : præmia promisit ille, non otia. Non bene laudi convenit et quieti. Quis locus erit remunerationi, si nulla est cura virtutis? Angusta porta, sed regna diffusa : paucis aditus sed probatis. Nonne hæc sunt ad eos prævia verba, quos docuit : *Persequentur, et in synagogis flagellabunt vos* (*Matth.* XV)? Per patientiam, sicut scriptum est, possideamus animas nostras, ne eas per impatientiam dolea-

μαστιγώσουσιν ὑμᾶς; » Διὰ τῆς ὑπομονῆς, καθὼς γέγραπται, κτησώμεθα τὰς ἑαυτῶν ψυχάς, μήποτε ταύτας διὰ τῆς οὐχ' ὑπομονῆς ἀγλήσωμεν ἀπολέσαντες. Πρῶτος εἰς τὸν σταυρὸν ὁ Κύριος ἡμῶν, καὶ τῆς ὑπομονῆς ἑαυτοῦ διδάσκαλος, ἀνῆλθεν ἐν τῷ ἰδίῳ τυπῶν ὑποδείγματι ἐκείνους, οἷς ἔμελλε βοηθεῖν. Αὐτὸς μεταξὺ τῶν ἀρετῶν, καὶ τῶν κόπων, τὸν ζυγὸν κατέχει, ἱστάμενος μετὰ τῶν δηλητηρίων τῶν μεμηνότων, ἵνα κατὰ τὴν ὀργὴν τοῦ διωγμοῦ, αὐτὸς, καὶ τῆς αἰωνίου βασιλείας τοὺς στεφάνους παράσχῃ. Ἀναλογίσασθε, ποία τῶν Μακαβαίων ἡ ἔξοδος, τοῖς καρτερικοῖς ἡ πάλη, ἱστορία τῶν ἐπαίνων ἐφέπεται, ποίᾳ Ἰούδας, κἀκείνη τῶν ἀδελφῶν ἡ φάλαλξ, θανάτου τιμῇ ἀναγορεύεται; ἐν ποίοις ἐστὶ στόμασιν ὁ λαὸς ὁ ἐν τῷ ὄρει ἀναλωθείς· καὶ αὗται πᾶσαι αἱ δυνάμεις ὑπὲρ τῆς τοῦ νόμου φυλακῆς, ὁμοιώματα, καὶ σκιαὶ τῶν μελλόντων οὖσαι, ἠξιώθησαν παραδειγμάτων τοσούτων, ἡμεῖς ἐν τοῖς πατράσιν ἑωράκαμεν, ἐψηλαφήσαμεν, ἐδοκιμάσαμεν ἐν τίνι ἀκολουθήσομεν. Τί οὐκ ἐφαρμόζει τῇ ὑποθέσει; τί ἀπᾴδει τῆς ἀληθείας; τί οὐκ ὀφείλεται τῷ λυτρωτῇ; καταθυμίως κοινωνοῦμεν ἐν τούτοις ὑμῖν τοῖς δόγμασι. Λέγει γάρ που ὁ σοφώτατος Σολομών, « Μακάριος ὁ κηρύσσων λόγον εἰς ἀκοὴν ὑπακούοντος· » εὐφροσύνη μὲν οὖν ἐστι τὸ διαλέγεσθαί τοῖς θέλουσιν, καὶ πρὸς τὴν ὀρθὴν ὁδὸν τοὺς μὴ ἀντιπαλαίοντας προτρέπεσθαι. Κατέχομεν γὰρ ἐνεχυρον τῆς πίστεως τῆς ὑμετέρας, τὴν ἀπὸ τῶν γραμμάτων ὁμολογηθεῖσαν ἔνστασιν, δι' ἧς ἐκ τῆς τῶν παραβατῶν λύμης χωρισθέντες εἰς τὰ τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας δόγματα, καὶ ἐντολὰς ἐπανέρχεστε, ὀψὲ μὲν οὖν ἐπιβάντες τῆς ὁδοῦ τῆς ἀληθείας· ἀλλ' εὐλογητὸς ὁ Θεὸς οὐκ εἰς τέλος ἐπιλανθάνεται, ὃς παιδεύει, καὶ ἰᾶται, καὶ οὐδὲ τῆς ἡνωμένης αὐτοῦ ποίμνης τὰ πρόβατα καρτερεῖ τῶν ἐπιβουλευόντων λύκων τῇ ἁρπαγῇ διασπᾶσθαι, ὃς διὰ τῆς κεκραμένης αὐστηρίας οὐδὲ τῆς ἀσφαλείας τῶν ἰδίων ὑπερορᾷ, οὐδὲ τῆς σωτηρίας. Ἀλλὰ τί θαυμαστὸν, εἰ τὰ πρόβατα καταλειφθέντος ἐκείνου τοῦ ἑνὸς καὶ ἀληθινοῦ ποιμένος διασκορπισθέντα ὁ πανοῦργος, ὁ αἵμασι πεφυρμένος, καὶ ἅρπαξ, ταῖς ἐνέδραις ἐτάραξεν; Οἱ τὴν ἀσφάλειαν τὴν ἰδίαν καταλιμπάνοντες, αὐτοὶ ἑαυτοὺς τοῖς κινδύνοις ὑφ' ὧν σπαράττονται ἐμβάλλουσιν. Ὥστε καὶ νῦν γοῦν στεῤῥοῖς βήμασιν ἐν τῇ ὁδῷ τῶν πατέρων πρὸς ἣν ἀνεδράμετε, ἔνστητε· δύναται γὰρ τὸ τοῦ Θεοῦ ἔλεος καὶ τὴν τῶν ἄλλων ὁμοίως διόρθωσιν τῷ ὑμετέρῳ μισθῷ, εἰ παρ' ὑμῶν πρὸς τὸ εὐθὲς ὁδηγηθεῖν, λογίσασθαι. Ἀλλ' ἑαυτοὺς καθόλου, ἀπὸ τοῦ βορβόρου, ἐν ᾧ οἱ αἱρετικοὶ καταποθέντες κεκράτηνται, ἀποσπάσατε, καὶ ἐκτινάξαντες τὴν ἀκαθαρσίαν τοῦ κονιορτοῦ τοῦ κολληθέντος, γενικῶς ἅπαντας τοὺς ἀπὸ τῶν Ἀποστολικῶν δογμάτων ἀποκλίναντας, εὐσεβεῖ ἀποκηρύξει κατακρίνατε. « Οὐδεμία τῷ σκότει πρὸς τὸ φῶς κοινωνία, » οὔτε οἱ διὰ τῶν εὐθειῶν ὁδῶν βαδίζοντες τὰ ἑαυτῶν ἴχνη μετὰ τῶν ἀποκλινόντων πλάνης συνάπτουσι. Κατασχετέος ἐστὶ τῆς πίστεώς σύνδεσμος, καὶ παραιτητέα ἡ ἐκ τῆς ἀπίστου κοινωνίας λύμη, ὅτι κατὰ τὸν Ἀπόστολον, « ὃν τρόπον ὁ ἑαυτὸν προσκολλῶν τῷ Κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστιν, οὕτως ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν γίνεται σῶμα· » ἀγαπῶσιν αἱ ἀρεταί' τὰς ἀλλήλων κοινωνίας, καὶ τοὺς κολλωμένους αὐτῇ μεθ' ἑαυτῆς ἡ ἀσέβεια ἐν τῷ βυθῷ καταποντίζει. Ἐν ὀφθαλμοῖς, ἐν τῷ στόματι, ἐν αὐταῖς ταῖς χερσίν εἰσι τῶν πατέρων τὰ δόγματα, ἃ φυλάττειν ἐντελλόμεθα· καθ' ἑκάστην πρὸς

A mus amissas. Primus crucem Dominus noster et patientiæ ipsius magister ascendit, suo informaturus exemplo, quos erat adjuturus auxilio. Ipse inter virtutes lancem retinet et labores, stans contra venena furentium, ut secundum persecutionis iras, illis æterni imperii det coronas. Revolvite, quas Machabæorum exitus pertinaces vetus historia laudes persequitur : quo Judas et illa suprema fidelium phalanx mortis honore referatur : in quanto ore sit constans populus in monte consumptus : et hæc omnes pro custodienda lege virtutis species et umbra futurorum tanta exempla meruerunt : nos in Patribus vidimus, palpavimus, probavimus quem sequamur. Quid non referendum est rei, quod denegandum est veritati : quid non debitum Redemptoris ?
B libenter communicavimus dogmata ista vobiscum. Dicit enim sapientissimus Salomon, *Beatus qui prædicat verbum in aurem obedientis* (*Eccli.* XXV) : gaudium est siquidem volentes alloqui, et ad rectam viam eos, qui non reluctentur, hortari. Tenemus enim obsidem fidei vestræ, sub litterarum professione constantiam, qua a transgressorum contagione divisi, ad apostolicæ sedis dogmata et mandata recurritis, sero quidem viam veritatis ingressi; sed benedictus Deus, qui non in finem obliviscitur, qui corripit, et medetur, nec continue gregis sui oves patitur insidiantium luporum rapacitate discerpi, qui per districtionis temperantiam, nec coercitionem suorum negligit, nec salutem. Sed quid mirum si
C oves relicto illi uno, et vero pastore dispersas, callidus, cruentus et rapax turbavit insidiis? Qui tutelam suam deserunt, ipsi se periculis, quibus lanientur, exponunt. Ergo nunc saltim solidis passibus in viam Patrum, ad quam recurristis, insistite : potens erit misericordia Dei, aliorum quoque correctionem mercedi vestræ, si a vobis ad rectum deducantur, ascribere. Sed in totum vos a cœno, quo immersi hæretici tenentur, avellite, et excutientes immunditiam pulveris inhærentis, generaliter universos ab apostolicis dogmatibus declinantes religiosa detestatione damnate. *Nulla tenebris cum luce communio* (*I Cor.* VI) ; nec qui per recta itinera gradiuntur, vestigia sua cum deviantium errore conjungunt. Tenendum est fidei vinculum, et vitandum de per-
D fida societate contagium : quia secundum Apostolum, quemadmodum *qui adhæret Domino unus spiritus est* : *ita qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur* (*Ibid.*) : amant virtutes collegia sua : at adhærentes sibi secum impietas in profunda demergit : in conspectu, in oculis, in ore, in ipsis manibus sunt Patrum dogmata quæ custodienda mandamus : quotidie nos ad conservationem sui concilia veneranda constringunt. Longum est sigillatim universa retexere : Chalcedonensem synodum, in qua omnium reverentia continetur, seu et venerandi Leonis prolata de ipsis apostolorum præcordiis instituta et nosse nos convenit, et tueri : in his vexillum fidei, in his propugnaculum veritatis : in his Christus agnoscitur ; in his redemptionis nostræ spes et causa servatur. Hoc

τὴν φυλακὴν ἑαυτῶν αἱ σεβάσμιαι σύνοδοι περισφίγγουσι. Μακρηγορία ἐστὶ καθ' ἕκαστον πάντα φανεροῦν· τὰ τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, ἐν ᾗ πασων τὸ σέβας περιέχεται, ἀλλὰ, καὶ τὰ παρὰ τοῦ σεβασμιωτάτου Λέοντος προενεχθέντα ἐξ αὐτῆς των Ἀποστόλων τῆς καρδίας ὁρίσματα, καὶ γινώσκειν ἡμᾶς προσήκει, καὶ τηρεῖν. Ἐν τούτοις τὸ σεβάσμιον τῆς πίστεως, ἐν τούτοις οἱ προμαχῶνες τῆς ἀληθείας, ἐν τούτοις ὁ Χριστὸς γινώσκεται, ἐν τούτοις τῆς λυτρώσεως τῆς ἡμετέρας ἡ ἔλπὶς, καὶ ὑπόθεσις φυλάττεται. Οὗτός ἐστιν ἐκεῖνος, ὃν ἐν τῷ Ἀποστόλῳ ἀνέγνωμεν, θεμέλιος, ἐν ᾧ ἑαυτόν τις παραλογίζεται, εἴ τις ξύλα, χόρτον, καλάμην καταναλισκόμενα τῷ πυρὶ ἐποικοδομῆσαι πειρασθῇ· ἐν ταύταις ἀνῃρήθη τὰ Εὐτυχοῦς καὶ Νεστορίου ταῖς συνόδοις δηλητήρια, οἵτινες ἐξ ἐναντίας τῆς δεσποτικῆς τοῦ σωτηριώδους μυστηρίου οἰκονομίας, ἐν ὅσῳ ἐναντίῳ μεταξὺ ἑαυτῶν συλλογισμῷ φιλονεικοῦσιν, ὑπό τινι τῆς ἱεροσυλίας ἰσότητι συμφωνοῦσιν, ἄνισοι ταῖς γνώμαις, καὶ ὁμόψυχοι τῇ ἀσεβείᾳ· ὧν ὁ ἕτερος μὴ θέλων τὴν παρθένον Μαρίαν Θεοῦ εἶναι γεννήτριαν, ἅπερ ἐν τῷ κυρίῳ ἡμῶν εἰσιν ἡνωμένα διαιρεῖ, ὁ δὲ ἕτερος, ἐν ὅσῳ ἴδια τῶν συνελθουσῶν φύσεων, καὶ τὰ ἀληθῆ συγχεῖ, τὸ μυστήριον τῆς ἡμετέρας λυτρώσεως σβέννυσιν· ἄλλος Φωτεινοῦ τὴν θρησκείαν, ἕτερος τοῦ Μάνεντος τὴν ἀφροσύνην ἀσεβεῖ συγγενείᾳ συνάπτων. Κατὰ τούτων, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, προενοήθησαν ἰατρεῖαι, ἐκείνας τῇ τοῦ λογισμοῦ δυνάμει διεκδικήσατε, ἐπειδὴ εἰς ἀνατροπὴν αὐτῶν ὁρᾶτε τοὺς αἱρετικοὺς διὰ τῆς ἀσεβείας μαχομένους. Μὴ ἔστω ἐν ὄκνῳ τῆς διδασκαλίας ἡ ἀλήθεια· ποίᾳ χρὴ σπουδῇ τὴν σωτηρίαν ἀγαπᾶσθαι, ὁπότε ὁρᾶτε τὴν θανατηφόρον ἀπώλειαν οὕτω στεργομένην; Αἰδεσθῶμεν νωχελῶς σαφηνίζεσθαι τῆς ἀληθείας τοὺς νόμους, ὁπότε ἐπιμόνως διεκδικοῦνται αἱ πλάναι. Καὶ τοὺς ἀρχηγοὺς μὲν τῶν κακῶν ἐφευρέσεων, ἃ προείπομεν συνοδικὰ θεσπίσματα, δικαίαις κατακρίσεσι μετέρχονται·ἀλλ' ἡμεῖς καὶ τούτων τοὺς ἀκολούθους ὅπως ἐκκλίνητε, ὁμοίως ὑπομιμνήσκομεν, οὓς ἡ Ἀποστολικὴ καθέδρα, καὶ κατέλαβε παραπλησίους ὄντας τοῖς ἐνυτῶν διδασκάλοις, καὶ τοῖς κατακριθεῖσι συνέζευξε Τιμόθεον τὸν πατραλοίαν, καὶ Διόσκορον, καὶ Πέτρον, τοὺς Ἀλεξανδρεῖς, Ἀκάκιον τὸν Κωνσταντινουπολίτην, πετὰ τῶν ἑαυτοῦ ἀκολούθων, ὡσαύτως Πέτρον τὸν Ἀντιοχείας, τῷ προλεχθέντι ὅμοιον τῇ τε πλάνῃ, καὶ τῷ ὀνόματι, ἀλλὰ καὶ Σευῆρον τοῦ αὐτοῦ τόπου οὐδὲν ἧττον καὶ τοῦ ἰοῦ, Ξενέαν τὸν Ἱεραπολίτην, Κῦρον τὸν Ἐδέσης, Πέτρον τὸν Ἀπαμείας, οὐ μόνον ὑπὲρ τῆς οἰκείας, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῆς τῶν ἄλλων ὁμοίως ἀπωλείας, κἀτακριτέους, οἵτινες ἐν ὅσῳ ἑαυτοὺς τοῖς ῥύποις τῆς ἰδίας δόξης ἀπαύστως ἐγκυλίουσιν, ἄλλους ὁμοίως ἐν τῷ διδάσκειν, τοὺς κακῶς αὐτοῖς ἀκολουθήσαντας ἐμόλυναν, διὰ γενικῆς σωτηριώδους ἐντολῆς ὑμῖν παραινῶ. Πᾶν ὅτι οὖν ἐξεναντίας τῶν πατρικῶν κανόνων, ἐξ οἱωνδήποτε ὑπομνημάτων προενεχθείη, ἀπώσαστε. Μηδεὶς ὑμᾶς ἀπροσφόροις προστάγμασιν, ἢ νεωτέροις ὁρίσμασι καινισάτω. εἰ μὲν γὰρ εἰσι κοσμικοὶ, καὶ οὐ δύνανται τὰς ἐκκλησίας κατέχειν, ἐπειδὴ τούτοις ἁρμόζει τὸ διδάσκεσθαι, μᾶλλον ἢ διδάσκειν· ἀθέμιτον γὰρ τοῖς σεβασμίοις θυσιαστηρίοις ξένας προσφέρειν σπονδὰς, ἐπειδεὶ σαφεῖς εὐσεβέσιν ἐπιστήμαις ὅρους ἐν αὐτοῖς ὁμοίως τῆς ἰδίας τιμῆς τρὶς προοιμίοις

A est illud quod in Apostolo (*I Cor.* v) legimus fundamentum, in quo seipsum decipit, quisquis ligna, fenum, stipulas consumendas ignibus superædificare tentaverit. His interfecta sunt Eutychetis et Nestorii venena conciliis : quia adversum dominicæ dispensationis salubre mysterium, dum contraria inter se disputatione nituntur, sub quadam sacrilegii æqualitate consentiunt, sententiis dispares, et impietate concordes : quorum alter nolens beatam Mariam virginem Dei esse genitricem, in Domino nostro quæ unita sunt, dividit, alter dum convenientium naturarum propria et certa confundit, mysterium nostræ redemptionis exstinguit : alter Photini sectam, alter Manetis insaniam impia contagione contingens. Adversum hos, dilectissimi fratres, provisa remedia
B illa animi virtute defendite, qua in labefactionem eorum videtis hæreticos impietate pugnare. Non sit pigra veritatis assertio. Quo studio oportet salutem diligi, cum videatis perditionem mortiferam sic amari? pudeat segniter asseri veritatis leges : cum tam pertinaciter defendantur errores. Et auctores quidem inventionum malarum, quæ prædiximus synodica constituta justis condemnationibus insequuntur : sed vos etiam sequaces eorum ut declinetis, pariter admonemus, quos apostolica sedes et deprehendit pares auctoribus suis, et conjunxit addictis (damnatis) Timotheum parricidam, et Dioscorum et Petrum Alexandrinos, Acacium Constantinopolitanum, cum sequacibus suis. Antiochenum quoque Pe-
C trum prædicto similem sicut errore sic nomine : sed et Severum ejusdem loci, nihilominus [et veneni, Xenaiam (Xeneam) item Hieropolitem, [1] Cyrum Eladensem (Edessenum), Petrum Apameæ, non jam pro sua tantum, sed pro aliorum quoque damnatione damnandos : qui cum se opinionum suarum sordibus indesinenter involvunt, alios quoque docendo, quæ male assecuti sunt, polluerunt, generalis mandati salubritate vos moneo : Quidquid adversus regulas Patrum de quibuslibet commentariis profertur, abjicite. Nullus vos incongruentibus præceptis, aut novis moveat institutis. Si enim mundani sunt, et Ecclesias tenere non possunt : quia eis convenit magis discere, quam docere. Nefas est enim altaribus piis peregrina inferre libamina : quia certos religiosis
D disciplinis terminos Deus inter ipsa quoque cultus sui præscripsit initia ; inter levitas et populum suum divisit officium. Alia est potestas hominum, alia ministeria sacerdotum (*Luc.* x) : incitavit potius Dominum, quam placavit, qui externum ignem divinis adytis sacrorum temerator invexit. Quis est qui sibi in alienis institutis jubendi auctoritatem possit assumere, cum non sit ambiguum offerentis honorem debitum pro sola officii præsumptione punitum? In regia Ozias reverentia et administratione permansisset (*II Par.* XXVI), si monitus tantæ destructionis exemplo ac religiosis institutis, timendo quam hæc assumendo meliora temperasset (*melius* imperasset) :

[1] Facundus, pag. 105, meminit hujus Cyri, et Nestorianum facit. Meminit et Ennodius distinct. 6 Victor Tun. et Evagr. lib. III, cap. 31.

προέγραψε, μεταξὺ Λευιτῶν, καὶ τοῦ ἰδίου λαοῦ διεῖλε τὴν λειτουργίαν. Ἄλλη ἐστὶν ἡ τῶν ἀνθρώπων ἐξουσία, ἄλλαι αἱ τῶν ἱερέων ὑπηρεσίαι· παρώξυνε μᾶλλον τὸν Κύριον, ἤπερ ἐξιλεώσατο, ὃς ἀλλότριον πῦρ ἐν τοῖς θείοις ἀδύτοις τὰ ἱερὰ μολύνας ἐπεισήνεγκε· Τίς ἐστιν, ὃς ἑαυτῷ ἐν ἀλλοτρίοις θεσπίσμασι τοῦ κελεύειν τὴν αὐθεντίαν δύναται προσλαβεῖν; καὶ γὰρ οὐκ ἔστιν ἀμφίβολόν τι προσφέροντα τιμὴν κεχρεωστημένην ὑπὲρ μόνης τῆς ἐγχειρήσεως τῆς λειτουργίας τετιμωρῆσθαι ἐν τῷ ναῷ. Ὀζίας ἐν τῇ εὐλαβείᾳ, καὶ τῇ ὑπηρεσίᾳ διέμεινεν, εἰ δὲ νουθετηθεὶς τῷ ὑποδείγματι τῆς τοσαύτης ἐπιπλήξεως ἀπὸ τῶν ἱερῶν διατάξεων ἐφοβήθη μᾶλλον ἢ κατετόλμησε τούτων, ἄμεινον ἂν ἐβασίλευσεν· ἀλλ' ἐπειδὴ μηδὲ κωλυόντων τῶν ἐπιμελητῶν τοῦ ναοῦ ὁ ἐπίμονος παραβάτης ἀπέστη. Ἐν αὐτοῖς βδελύγματι λέπρας πληγεὶς τοῖς θυσιαστηρίοις τὴν λειτουργίαν τῆς βασιλείας ἀπολέσας, τῇ ὑπηρεσίᾳ τοῦ ἱερέως ἐπελθών· Γινωσκέτωσαν τοιγαροῦν μὴ εἶναι Θεῷ φροσδεκτά, ἅπερ ἐκ τῶν αὐτοῦ ἐντολῶν παρὰ τῶν τολμηρῶν ὑφαρπάζεται, ὁπότε ἕνα πρὸς ἐπίδειξιν τῆς ἀποφάσεως τῇ τῆς μεγάλης ἀκοσμίας τιμωρίᾳ ἐφύλαξεν, ἄλλους ταχινὴ φλὸξ κατηνάλωσε. Διὸ δὴ ἥπερ τινὰ εἰσί τινι σχήματι θρησκείας δεδεγμένα, ἰσχὺν ἔχειν οὐ δύναται τοσαύταις αὐθεντίαις καταπαλαιόμενα. Βοᾷ Παῦλος ὁ Ἀπόστολος· « κἂν ἡμεῖς, ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμᾶς, παρ' ὃ εὐαγγελισάμεθα, ἀνάθεμα ἔστω· » οὐχ ἅπαξ εἰρηκὼς τοῦτο ἠρκέσθη· ἐπανέλαβε δὲ τὴν ὑγιαίνουσαν ἐντολήν, « ὡς προείπομεν, καὶ ἄρτι πάλιν λέγω, εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίσεται, παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω. » Φυλάττει γὰρ τὴν προενεχθεῖσαν ὑπὸ τῆς φυλακῆς τῆς πίστεως ἀπίφασιν, εἴ τις τῇ Ἀποστολικῇ ἀκολουθεῖ διδασκαλίᾳ· καὶ ἡμῖν μὲν

A sed dum nec prohibentibus cultoribus templi pertinax temerator absistit, inter ipsam lepræ abominationem percussus, altaria et officia regni perdidit, dum ministeria sacerdotis invadit. Sciant ergo non esse accepta a Deo, quæ de mandatis ejus a præsumptoribus assumuntur, quando unum ad ostensionem sententiæ vivacis dedecoris (magnæ deformitatis) pœna servavit, alios velox flamma consumpsit. Quod si sunt, quæ religionis aliquo colore contecta sint, vires habere nequeunt, quæ tantis auctoribus reluctantur. Clamat Paulus apostolus, *Licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (*Gal.* I). Nec semel hoc dixisse sufficit, repetit salubre mandatum :
B *Sicut prædiximus et nunc iterum dico, Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Servet ergo latam pro fidei conservatione sententiam, quisquis apostolicam sequitur disciplinam : et quidem nobis cura non defuit ; nam gemino legationis officio quidquid in precibus humile, quidquid in allegationibus rationabile, quidquid in mandatis salubre detulimus. Sed nunquid ideo negligenda est justitiæ via? Qui errores suos diligit (quoniam infidelitas suos errores amat, etc.) cum obstinatione perfidiæ, non sunt jungendi cum cadentibus lapsus. Sine nostra contagione pereant, qui ab impietatibus suis nec castigato errore declinant. Et alia manu : *Deus vos sanos custodiat, filii dilectissimi.* Data IV idus Feb. (anno Christi 518) post consulatum Aga-
C peti V. C.

οὖν φροντὶς ἐνέλειψε. Καὶ γὰρ τῇ τῆς δὲ διπλῆς ὑπηρεσίᾳ πρεσβείας, εἴ τι ἐν ταῖς δεήσεσι ταπεινόν, εἴ τι ἐν ταῖς δικαιολογίαις εὔλογον, εἴ τι ἐν ταῖς ἐντολαῖς ὑπηνέγκαμεν. Ἀλλὰ μὴ διὰ τοῦτο ἀμελητέα ἐστὶν ἡ ὁδὸς τῆς δικαιοσύνης; ἐπειδὴ τὰς ἰδίας πλάνας ἀγαπᾷ μετὰ ἀπονοίας ἡ ἀπιστία, οὐκ ἔστι συνάπτεσθαι μετὰ τοῦ τῶν πιπτόντων ὀλισθήματος, ἄνευ τῆς ἡμετέρας λύμης ἀπολλύσθωσαν οἱ ἀπὸ τῶν οἰκείων ἀσεβειῶν μηδὲ μαστιγουμένης τῆς πλάνης ἐκκλίνοντες. Καὶ ἑτέρᾳ χειρί· Ὁ Θεὸς ὑμᾶς ὑγιαίνοντας διαφυλάξῃ, τέκνα ἀγαπητά.

Ἐδόθη πρὸ τεσσάρων εἰδῶν Φευρουαρίων μετὰ τὴν ὑπατείαν Ἀγαπητοῦ τοῦ λαμπροτάτου.

[a] EPISTOLA XXIV.

AD JOANNEM TARRACONENSEM EPISCOPUM.

Libenter de ejus in Italiam adventu audivisse, litteras ad Hispanienses de ecclesiasticis institutis ab eo datas probat, eique vices suas committit.

Dilectissimo fratri Joanni Hormisda.

Fecit dilectio tua rem caritati et fidei congruentem, ut adventum tuum ad Italiam nobis directis litteris indicaret, et quæ in te sit summa religiosæ voluntatis ostenderet. Atque utinam ad plenioris affectus satietatem præsentiæ tuæ nobis gaudia contigissent, ut gratulemur nos et colloquio et præsentia frui, quam sumus ante per scripta complexi. Verumtamen probasti, dilectissime frater, quo Christianam fidem venereris affectu, dum ea quæ ad regulas Patrum pertinent, et ad mandata catholica, sine alia cupis transgressione servare ; sperans, ut prorogatis generalibus ad Hispanienses Ecclesias constitutis, quæ aut negligentius aut irreligiosius fiunt, ecclesiasticis disciplinis congruentia * sanciamus : quod amplexi sumus, captata istius desiderii facultate. Quid enim aut vobis dulcius, quam cum fidelibus loqui ? aut Deo aptius (beatius), quam deviantes ab errore revocare ?
D Salutantes igitur caritatem qua jungimur, per Cassianum diaconum tuum significamus, nos direxisse generalia constituta, quibus vel ea quæ juxta canones servari debeant competenter ediximus, vel circa eos qui ex clero Græcorum veniunt, quam habere oporteat cautionem, sufficienter instruximus. Sen et causæ ipsius ordinem instructionemque

[a] Has sequentes epistolas collector decretalium epistolarum, Surium imitatus, retulit ad consulatum Agapiti secundum, et ad annum Domini 541. Quod si verum esset, oporteret Hormisdam viginti et pluribus annis pontificatum administrasse, qui communi omnium scriptorum sententia, non ultra novem annos sedem apostolicam tenuit. Quamobrem lectori pergratum me facturum judicavi, si hasce epistolas Hormisdæ, consulatu Agapiti consignatas, præcedentibus eadem nota consulari insignitis subjungerem. SEV. BINIUS.

Erravit Binius cum errasse credidit collectorem decretalium, qui hasce epistolas ad annum 521 *referre voluit, quod nempe consulatum ordinarium gerebant Valerius et Justinianus, extraordinarium vero Agapitus, ut ipsemet collector annotat. Mendum itaque fuit in editione, cum, pro anno* 521, 541 *in margine positus est* inquit R. C.

* Sentiamus. Amplexi sumus *cupitam istius desiderii* facultatem.

abunde decretis ecclesiasticis vos docebunt, ut agnoscentes et impiorum transgressionem, et apostolicæ sedis curam, pro Patrum regulis excubantem, ostendatis vos perosos (perosa habere) damnatorum consortia, et amare fidelium. Et quia per insinuationem dilectionis tuæ hujus nobis est viæ patefacta providentia (*al.* prudentia. HARD.), remuneramus sollicitudinem tuam, et servatis privilegiis metropolitanorum vices vobis apostolicæ sedis eatenus delegamus, ut inspectis istis, sive ea quæ ad canones pertinent, sive ea quæ a nobis sunt nuper mandata, serventur, sive ea quæ de ecclesiasticis causis tuæ revelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pendantur. Erit hoc studii ac sollicitudinis tuæ, ut talem te in his quæ injunguntur exhibeas, ut fidem integritatemque ejus, cujus curam suscipis, imiteris. Data IV nonas Aprilis, Agapito V. C. consule (Æra DLV. Anno Chr. 517 in ms. codice).

EPISTOLA XXV.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS HISPANIÆ.

I. De sacerdotibus juxta statuta canonum ordinandis.
II. Ut pro episcopatu præmium non accipiatur.
III. De concilio per annos singulos celebrando.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Hispaniam constitutis Hormisda.

Benedicta Trinitas Deus noster, qui per misericordiam suam Romanæ reipublicæ per universas partes suæ pacis tranquillitate diffusa, nobis quoque viam demonstrandæ circa nos invicem caritatis indulsit, ut qui cohæremus firmitate fidei, jungamur quoque votiva jucunditate colloquii, quo facilius, dum per litterarum ministeria ad vos usque pertendimus, etiam corda vestra ad religiosum cultum apostolicis admonitionibus incitemus : et dum dilectionis nostræ pignus reddimus velut quoddam debitum, plenum circa Deum monstremus affectum. Jungamus igitur, dilectissimi fratres, continuas et humiles preces, et Dominum nostrum oris et cordis lacrymis supplicantes jugi deprecatione poscamus, et institutione et opere illi cujus esse membra cupimus hæreamus : nec unquam ab illa via quæ Christus est devio tramite declinemus, ne ab eo juste quem nos impie relinquimus deseramur. Quod cum superni favoris auxilio ea nobis potest ratione contingere, si apostolica dogmata, si Patrum mandata servemus. Dicit enim Dominus noster : *Qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum, faciemus* (*Joan.* XIV). Et licet hæc possint generaliter dicta sufficere ut vel declinemus errata, vel custodiamus catholica constituta, tamen quia Joannis fratris et coepiscopi nostri nobis insinuatione vulgatum est, contra canonum reverentiam nonnulla præsumi, periculum, quod doctoribus imminet de taciturnitate declinans, et prophetica voce compunctus, qua dicitur : *Loquere ne taceas* (*Isai.* XVIII), generalibus edicendum credidi constitutis.

I.

Ut in sacerdotibus ordinandis, quæ sunt a Patribus præscripta et definita cogitetis : quia sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem vicarii sacerdotes, sic et in eligendis his curam oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis : nec quidquid illi deesse personæ, penes quam est religioni summa et substantia disciplinæ. Æstimet quis pretium dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse pastoris. Hoc ita fiet, si non sacerdotii gradus saltu quodam passim laicis transferantur. Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. Non negamus esse in laicis Deo placitos mores, sed milites suos probatos sibi quærunt instituta fidelia. Discere prius quisque debet antequam doceat; et exemplum religiosæ conversationis de se potius aliis præstare, quam sumere. Emendationem esse convenit populo, quam necesse est orare pro populo. Longa observatione religiosus cultus tradatur, ut luceat, et clericalibus obsequiis erudiendus inserviat, ut ad venerandi gradus summa perductus, qui sit fructus humilitatis ostendat. Nec leve nec vacuum fuit, quod nec apud veteres quidem, nisi Levitici generis viri, ad sancta admittebantur altaria, ne pessime, meritis contemptis, aut pretio, aut præsumptione ad sacros cultus impar accederet. Tunc migrabant per illam prærogativam familiarum ad instituta cultorum : nunc est doctrina pro genere. Quod illis fuit nasci, hoc nobis imbui. Illos tabernaculo dabat natura, nos altaribus parturit disciplina. Nec tantum de laicis consecrari inhibemus, sed nec de pœnitentibus quidem quisquam ad hujusmodi gradum profanus temerator aspiret. Satis illi postulanti sit venia. Qua conscientia absolvat reum, qui se peccata sua populo scit teste confessum? Quis (cum) enim, quem paulo ante vidit jacentem, veneretur antistitem? Præferens (perferens) miserandi criminis labem, non habet lucidam sacerdotii dignitatem.

II.

Hoc quoque ad præmissa adjungimus, ne benedictionem, quæ divina esse creditur per impositionem manus, quis pretio comparet : quoniam ante oculos esse convenit, quod Simon Spiritum sanctum volens redemptione mercari, apostoli fuerit detestatione percussus (*Act.* VIII). Tunc deinde quis non vile putat esse quod venditur? Istam sacerdotibus ordinandis reverentiam servet electio, ut in gravi murmure populorum divinum credatur esse judicium. Ibi enim Deus, ubi simplex sine pravitate consensus. Verum nec hanc quidem partem sollicitudinis et admonitionis omittimus, ne vel ille se a culpa æstimet alienum, qui, etsi ipse quidem a redemptione liber, initiaverit benedictione mystica sacerdotem, et tamen ad alterius redempti voluntatem vel sponte in hoc vel necessitate consenserit. Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? Procul dubio contra mandata committit et qui habet peccatum proprium, et qui peccatum sequitur alienum. Incassum animus resistit cupiditati, si non resistit et timori. Adversus hæc facilius, Deo adjuvante, providebitur, si circa metropolitanos privilegia a

sanctis Patribus constituta permaneant: si metropolitani circa parochias suas ordinem suum ea qua decet veneratione custodiant, ut nec electio præsulis empta detur pretiis, et nec obsequentis sit quæsita operibus, sed ita fixa habeantur in cordibus, quemadmodum releguntur in Scripturis. Si nulla sint in templis emptionum semina, nulla erunt fomenta discordiæ; sed, regnante caritate, sub illa quam nobis promisit Deus et retribuit pace vivatur.

III.

Ob hoc Patres Providentia qua Spiritus sanctus cultores suos compungere dignatus est incitati, bis in anno per parochias singulas concilia haberi debere docuerunt, ut in unum juxta salubris institutionis dogmata congregati, pro ecclesiasticis causis tractandis libere convenirent, ut si juxta votum universa consistunt, Deum junctis vocibus, qui præstat desiderata, collaudent. Difficile est enim ut cujusquam cor pravis sic cogitationibus induretur, ut a se patiantur culpanda fieri, cum noverat (sibi subeundum) se judicium subiturum esse concilii. Præcinctos ad hanc viam semper lumbos habeant, scientes rationem actuum suorum esse reddendam. Suspendantur ab illicitis per formidinem, et qui nequiverint per pudorem. De conveniendo bis in anno notum est canones sanctos constituisse; et præfinitum quidem, si possibile est, inviolabiliter convenit custodiri. Sed si aut temporum necessitates, aut emergentes causæ hoc non patiuntur impleri, semel saltem (quamvis non licuerit) sine ulla excusatione præcipimus convenire. Hæc, fratres carissimi, et alia quæ Patrum regulis continentur, in labiis et in cordibus nostris invisa retractatione meditemur; et, sicut scriptum est, *narremus ea filiis nostris, ut ea meditentur in cordibus suis, sedentes in domo, ambulantes in itinere, dormientes atque surgentes* (*Deut.* VI): *quia beatus in Domino, qui in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I). Hoc et magister gentium, discipulum suum secutus instituit, admonens: *Hæc meditare, in his esto* (*I Thess.* III): et subjiciens plenitudinem, *Attende tibi et doctrinæ*, inquit, quia si fidelibus sine intermissione incumbimus institutis, separamur a vitiis dum impensa cura divino operi humano locum non relinquit errori. Dat IV nonas Aprilis, Agapito viro clarissimo consule (anno Domini 517).

EPISTOLA XXVI.

AD SALLUSTIUM *.

Sallustius apostolicæ sedis vicarius constituitur per Bæticam et Lusitaniam (provincias).

Carissimo (Dilectissimo) fratri Sallustio Hormisda.

Suscipientes plena fraternitatis tuæ votiva gratulatione colloquia, quæ nos geminæ salutis tuæ lætificaverunt indicio (siquidem retulerunt te corporali cum spiritualibus officiis incolumitate subnixum), congruum esse perspeximus hanc ipsam quam mente gerimus (*a*) expedire (aperire) lætitiam. Edidisti enim boni documenta pontificis, dum et prædicanda facis, et ea suadere non differs. Prærogativam de nostri sumpsimus electione judicii, quando id te sponte amplecti (operari) didicimus quod cæteris imperamus. Oramus siquidem divinam clementiam (divina beneficia), cunctos et hæc ad studia ecclesiasticæ pacis instrumenta transmisimus. Tu vota nostra et fideli intelligentia percepisti, et officii protinus devotione complesti, cunctis fratribus innotescens quæ per cœlestem gratiam cunctis profutura cognoveras. Suffragantibus igitur tibi tot meritis piæ sollicitudinis et laboris, certe jam delectat injungere quæ ad nostri curam constat officii pertinere, ut provinciis tanta longinquitate disjunctis, et nostram possis exhibere personam, et Patrum regulis adhibere custodiam. Vices itaque nostras per Bæticam Lusitaniamque provincias, salvis privilegiis quæ metropolitanis episcopis decrevit antiquitas, præsenti tibi auctoritate committimus, augentes tuam hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, quem jam probavimus cautius universa servare, gratius tamen esse solet, si iterum trames ostendatur, et laboris injunctio superius formata monstretur. Paternas igitur regulas et decreta a sanctis definita conciliis omnibus servanda mandamus. In hic viligantiam tuam, in his curam fraternæ monitu exhortationis extendimus. Hic ea qua dignum est reverentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum, nec sanctæ observationis obstaculum. Ibi fas nefasque præscriptum est, ibi prohibitum ad quod nullus audeat aspirare, ibi concessum quid debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties universalis poscit religionis causa, ad concilium te cuncti fratres evocante conveniant: et si quos eorum specialis negotii pulsat contentio (intentio), jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacris legibus determinando certamina. Quidquid autem illis pro fide et veteribus constitutis vel provida dispositione præcipies, vel personæ nostræ auctoritate formabis (firmabis), totum ad scientiam nostram instructæ relationis attestatione perveniat, ut ** noster animus officii caritate dati, et tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

EPISTOLA

JUSTINI IMPERATORIS AD HORMISDAM.

Se imperatorem electum esse significat.

Justinus Augustus Hormisdæ papæ.

Dei beneficia licet multis, maxime tamen summis pontificibus convenit indicari. Proinde sanctitati vestræ per has (*b*) declaramus epistolas quod primum quidem, inseparabilis Trinitatis favore, deinde amplissimorum procerum sacri nostri palatii et sanctissimi senatus, nec non electione firmissimi exercitus, ad imperium nos, licet nolentes ac recusantes, ele-

(*a*) Edit. Romana, *verbis expedire.*
(*b*) Edit. Rom. addit *sacras.*
* Spalensem episc.: ita ms. c. Just.

** Voluntarie tuus animus officiis caritate datis et ex hujus decreti securitate perfruatur acceptis.

ctos fuisse atque firmatos. Precamur proinde ut sanctis orationibus vestris divinæ potentiæ supplicetis, quatenus initia nostri roborentur imperii. Hoc enim et nos sperare, et vos decet implere. Data calend. Augusti, Constantinopoli, Magno viro clarissimo consule (anno Domini 518).

EPISTOLA XXVII.

AD JUSTINUM.

Illo imperante sperat fore ut Ecclesiæ pax restituatur.

Hormisda Justino Augusto.

Venerabilis regni vestri primitiis, fili gloriosissime, loco muneris gratulationem suam catholica transmittit Ecclesia, per quas se post tantam discordiæ fatigationem requiem pacis invenire confidit. Nec est dubium ideo ad rerum summam cœlesti vos providentia pervenisse, ut vestris temporibus impacta religioni in Orientis partibus aboleatur injuria. [a] Debitas beato Petro apostolo imperii vestri primitias reddidistis, quas hac ratione devoti suscepimus, quia Ecclesiarum per vos proxime futuram credimus sine dubitatione concordiam. Deus qui pietatis vestræ sensibus alloquendi nos vota concessit, ipse circa sincerum religionis suæ cultum præstabit, sicut optamus, effectum. Significastis nolentibus et recusantibus vobis imperii pondus impositum, qua ratione electos vos cœlesti constat esse judicio, secundum Apostolum dicentem : *Non est potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt* (*Rom.* XIII). Superest ut a Deo electi, sicut et credimus, Ecclesiæ, quam laborare cernitis, manus vestræ solatia porrigatis. Cessent qui paci ejus obsistunt, obmutescant qui in forma pastorum conantur gregem Christi disperdere. Istorum correctio vires vestri firmat imperii ; quia ubi Deus recolitur, adversitas non habet effectum. Hanc gratulationis paginam per Alexandrum virum clarissimum non omisimus destinare, sperantes cum Dei nostri adjutorio per (Ed. Rom. *ad Gratum*) virum clarissimum filium nostrum de singulis quæ ad unitatem Ecclesiæ pertinent nos clementiæ vestræ præbituros esse responsum (anno Domini 518).

EPISTOLA

JUSTINI AD HORMISDAM.

Ad petitionem concilii Constantinopolitani Justinus per Gratum comitem petit, ut pontifex ad pacem Orientali Ecclesiæ reconciliandam, et ad lapsos recipiendos legatos Constantinopolim mittere dignetur.

Justinus Augustus Hormisdæ papæ.

Joannes vir beatissimus, hujus regiæ urbis antistes, et cæteri viri religiosi episcopi de diversis locis et civitatibus hic reperti, nostram serenitatem docuerunt pro concordia veram et orthodoxam fidem A colentium, proque unitate venerabilium ejus Ecclesiarum litteras tuæ sanctitati offerendas confecisse, ac magnopere postularunt, nostras etiam epistolares paginas super hoc ad eam emanare. Quorum petitiones, utpote semper unitatis amatores, libenter amplexi, hos divinos apices ad tuam beatitudinem censuimus prorogandos. Quibus scriptis, desideriis supradictorum reverendissimorum antistitum subvenire, proque nobis et republica, cujus gubernatio nostræ pietati cœlitus credita est, supernam majestatem suis orationibus placare dignetur. Ut autem tuæ sanctitatis pacis et unitatis atque concordiæ jura plenius patefiant, quosdam religiosissimos sacerdotes pacem amplectentes et desiderantes ad sacratissimum nostrum pervenire disponat comitatum. Ob B hanc enim causam Gratum virum clarissimum sacri nostri consistorii comitem, et magistrum scrinii et memoriæ direximus, cujus præclaram opinionem multis antea notam habemus temporibus. Data VII idus Septembris, Constantinopoli, Magno viro clarissimo consule (anno Domini 518).

EPISTOLA XXVIII.

AD JUSTINUM AUGUSTUM RESPONSORIA.

Commendat ejus de concilianda pace sollicitudinem, et cœptis monet insistendum, nomenque Acacii abolendum esse.

Hormisda Justino Augusto.

Sumptam de imperii vestri ortu lætitiam, quamvis apud nos pollentem merito præcedenti, quoque geC minastis alloquio, reciproca devotione testati. Jam tunc secutura prævidimus, quæ nunc de ecclesiasticæ unitatis affectu cœlestis gratiæ inspiratione significastis. Habes ergo, clementissime imperator, præsentem de tali voto jam gloriam, sed exspectatur de perfectione perpetua. Hæ sunt validissima imperii vestri fundamenta, quæ in ipso nascentis regni principio divinam universis præferunt sancta dispositione culturam. Tenete itaque hanc piæ sollicitudinis curam, et pro catholicorum pace, sicut cœpistis, insistite ; quia Deus noster, qui vobis hunc tribuit animum, elegit etiam per quos præstet effectum. Nam et episcoporum vota precesque nobis effusas gratanter amplectimur : qui tamen loci sui consideratione D commoniti, ea desiderant quæ dudum ut sequi vellent sedis apostolicæ exhortatio crebra non defuit. Et quoniam clementiam vestram id cupere, illos etiam hæc didicimus postulare, quæ res hactenus Ecclesiarum pacem sub contentiosa obstinatione diviserit, nec pietatis vestræ, nec illorum refugit, velut latenti causa, notitiam. Quid igitur facere debeant, et litteris nostris, et libelli, quem direximus, serie continetur. Hæc si, Deo nostro et clementia vestra adjuvante, suscipiunt et sequuntur, poterit ad eam quam maxi-

[a] Postquam præcedente epistola Justinus imperator, antiquum morem orthodoxorum imperatorum imitatus, de sui electione ad Romanum pontificem, quem ut parentem venerabatur, litteras dedisset, ea intentione, ut aperte profiteretur nulla fortiore potentia, quam communione cum totius Ecclesiæ primario antistite, populorum fidelium voluntatem conciliari posse, respondit illi Hormisda pontifex præstitum esse id ad quod omnes orthodoxi imperatores jure sunt obligati. Unde vides antiquitus observatum fuisse ut de electo imperatore Romanus pontifex certior reddatur, electique consecratio et confirmatio petatur. SEV. BINIUS.

mo desideramus ardore perveniri concordiam. Filius præterea noster vir clarissimus Gratus sacri consistorii comes et magister scrinii memoriæ ostendit in se vestrum allegationis suæ maturitate judicium: cujus mora sensibus vestris, eo referente, melius asseretur (anno Domini 518).

EXEMPLUM RELATIONIS

JOANNIS EPISCOPI CONSTANTINOPOLI PER GRATUM MISSÆ.

Ut communionem Romanæ Ecclesiæ impetret mittit libellum quo fidem catholicam profitetur; et ipsius pontificis a se nomen in diptychis descriptum esse; legatos per quos pax constituatur destinandos.

Domino et per omnia Dei amatori sanctissimo fratri et comministro Hormisdæ Joannes in Domino salutem.

B Saluto vestram sanctitatem, carissime in Christo frater, et salutans prædico, quoniam recta fides salva est, caritas fraternitatis firmata est. Hoc Deus solus potens per studium Christianorum et piissimorum imperatorum fieri voluit. Scribere igitur apostolice et rescripta suscipere fraterne Dei amore dignemini. Ego enim inquisibili ratione doctrinam sanctissimorum apostolorum secundum traditionem sanctorum Patrum tenens, similiter honorem consubstantiali et per omnia sanctæ Trinitati offero, sicut in Nicæa CCCXVIII cœtus promulgavit, et in Constantinopoli CL conventus firmavit, et in Ephesina CC firmavit, et in Chalcedone conventus DCXXX Patrum firmavit. Hanc ergo fidem usque ad ultimum anhelitum per gratiam Dei custodiens, spiritualibus amplexibus, tam vestram sanctitatem quam etiam orthodoxas Ecclesias ex animo amplector, una tecum in veritate sentiens, et una tecum sperans illo die per hanc fidem salvari bona voluntate Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Consubstantiali enim Trinitati omnis gloria debetur nunc et in sæcula sæculorum. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, ego et qui mecum plurimum in Domino salutamus. Tantum ad satisfaciendum scripsimus, ut et venerabile nomen sanctæ recordationis Leonis, quondam urbis Romæ archiepiscopi, in sacris diptychis tempore consecrationis propter concordiam affigeretur, et vestrum benedictum nomen similiter in diptychis prædicetur. Ut de omnibus autem satisfiat vestræ sanctitati (quoniam pacem vestram amplectimur, et de unitate sanctarum Dei Ecclesiarum curamus), rogamus vos pacificos viros destinare, et vestræ dignos apostolicæ sedis, qui debeant satisfacere, et satisfactionem nostram suscipere, ut et in hac parte Christus Deus noster glorificetur, qui per vos pacem hanc mundo servavit. Accepta XIII calendas Januarii (anno Domini 518), post consulatum Agapiti.

EPISTOLA XXIX.

AD JOANNEM CONSTANTINOPOLITANUM EPISCOPUM RESPONSORIA.

Commendat Joannem episcopum, et gaudet concilium Chalcedonense et divi Leonis epistolas ab eo complexas. Ad Ecclesiæ communionem admittendum pol- A *licetur, si nomen Acacii e diptychis sacris expunxerit.*

Hormisda Joanni episcopo Constantinopolitano.

Spirituale gaudium directis caritas tua significavit affatibus, docendo ut catholicæ religionis disciplinam ordine suo vestri pastores, Deo nostro juvante, receperint. Hæc esse beneficia misericordiæ supernæ quis dubitet? Hæc quis dubitet venerabilis principis tropæis adjungi? Qui ambigat quia major ei de hac pace quam de quibuslibet præliis triumphus acquiritur? Istius laboris gloria nescit occasum: quia ubi Deus recte colitur, nunquam adversariorum crescit iniquitas. Dilectionis tuæ confessionem gratanter accepimus, per quam sanctæ synodi comprobantur, inter quas instauratione constitutorum omnium Chalcedonense concilium prædicastis, et catholicorum numero adjungi desiderans sancti papæ Leonis in diptychis nomen asseveras scriptum. Ista laudanda sunt, si perfectionis subsequatur effectus: qui recipere Chalcedonense concilium, et sequi sancti Leonis epistolas, et adhuc nomen Acacii defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare. Quis Dioscorum et Eutychetem condemnans, innocentem ostendere possit Acacium? Quis Timotheum et Petrum Alexandrinum, et alium Petrum Antiochenum, et sequaces eorum declinans, sicut diximus, non abominetur Acacium, qui eorum communionem secutus est? De caritate siquidem tua meliora Dei omnipotentis exspectamus auxilio, habentes optimæ promissionis spem, sicut ad nos quæ direxisti tua scripta ostendunt, tecum in veritate sentiens, et ipsa defendens, sperans in illo judicio per ipsa te posse C salvari. Post hæc quid restat, nisi ut sedis apostolicæ, cujus fidem te dicis amplecti, sequaris etiam sine trepidatione judicia? Igitur partibus Orientalibus ostende per te quod sequantur exemplum, ut omnium laus, qui correcti fuerint, tuis laboribus applicetur. Ergo cum magna denunties, et fidem beati apostoli Petri te amplecti significes, recte credens in ea salutem nostram posse subsistere, libellum, cujus continentia subter annexa est, a caritate tua subscriptum ad nos dirige, ut sine conscientiæ formidine unam communionem, sicut oramus, habere possimus. Pro persona quoque filii nostri Grati viri clarissimi Deo nostro gratias sine cessatione persol- D vimus, cujus fides et recta credulitas nostrum circa se excitavit affectum; dignus re vera qui tantæ curam susciperet actionis, et maximi principis ad nos mandata perferret.

EPISTOLA

JUSTINIANI AD HORMISDAM MISSA PER EUMDEM GRATUM IMPERATORIS LEGATUM.

Pro pace et unitate Orientalis Ecclesiæ pontificem rogat, ut si minus se Constantinopolim velit conferre, legatos mittat.

Justinianus comes Hormisdæ papæ.

Desiderabile tempus, quod summis votis optavimus, divina clementia, dolores generis humani respiciens, largiri dignata est, quo omnes catholici et Deo perfecti fideles majestati ejus se valent commendare. Idcirco has ad apostolatum vestrum, libera licentia jam mihi

beneficio cœlesti indulta, direxi. Dominus etenim noster invictissimus imperator orthodoxam religionem semper amplectens ardentissima fide, cupiensque sacrosanctas Ecclesias ad concordiam revocare; mox ut adeptus est cœlesti judicio infulas principales, sacerdotibus hic positis denuntiavit ut pro regulis apostolicis unirentur Ecclesiæ : et magna quidem pars fidei est composita Deo auctore. De nomine tantummodo Acacii vestræ beatitudinis convenit audire consensum. Quam ob causam dominus noster serenissimus princeps Gratum virum sublimem, unanimem mihi amicum, cum paginis Augustis ad sanctitatem tuam transmisit, ut modis omnibus dignetur Constantinopolim ad reliqua concordiæ componenda venire : sed absque quadam dilatione vestrum exspectamus adventum, quem si qua tarditas, quod fieri non debet, forsitan retinuerit, interim vel sacerdotes idoneos destinare festinet; quia totus mundus partium nostrarum conversus ad unitatem moras non patitur. Accelerate ergo, domine sanctissime, ne vobis absentibus, quæ debent præsidentibus, ordinari... Scimus etenim litteras vestræ beatitudinis et antecessorum vestrorum ad Orientem directas quid super hac eadem causa contineant. Ut autem nihil prætermittatur, propter causam sæpius memoratam, ab invictissimo rege religionis quoque negotium filio vestro viro sublimi Grato est injunctum, favente Domino nostro Jesu Christo.

EPISTOLA XXX.

AD CÆSARIUM ARELATENSEM.

Docet Dardaniæ et Illyrici episcopos ad sedis apostolicæ communionem, Eutychiana hæresi damnata, rediisse, et de legatione in Orientem missa.

Dilectissimo fratri Cæsario, vel his qui sub dilectionis tuæ ordinatione consistunt, Hormisda.

Justum est ut qui catholica communione lætamini, nobiscum de Ecclesiæ, si qua provenit, concordia gaudeatis; ut quemadmodum unus nobis consensus est fidei, ita sit individua gratulatio prosperorum. Nostis qualiter detestabilis Eutychiana hæresis per Orientales serpat Ecclesias, et quoties præfatæ superstitionis virus synodus generalis exstinxerit, vel quoties ejus sequaces salubria monita apostolicæ sedis spreverint, et, quasi erubescentes manus dare veritati, aut apostolicæ sedis prædicationibus obedire, in hac tamen obstinatione perstiterunt. Elatio enim semper affert saluti periculum, per quam ipsius inventor diabolus angelica potestate privatus est. Pro his nobiscum sæpissime fraternitas vestra condoluit, apostolicæ non immemor lectionis, qua monstratur : *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (*I Cor.* XII). Sed Dominus, qui vult omnes homines salvos fieri et ad cognitionem veritatis venire, nunc multorum sensus illuminans, eis desiderium apostolicæ communionis infundit, ut quod dudum intentione prædicabant, hoc nunc correctionis professione condemnent. Quorum reditum ideo absque suspicionis morsu recipimus, quia dum peccatum sine aliquo excusationis velamine confitentur,

A manifestum desiderium correctionis ostendunt. Ergo episcopi tam Dardani, quam Illyrici pene omnes, ne sint errore condemnandi præterito, petentes beati Petri apostolorum principis communionem, et scriptis et legationibus destinatis se apostolicæ sedis regulis obedire confirmant. Pro quibus quantum nos oporteat gratulari, soli quorum fides fervet intelligunt. Sciendum vobis est igitur anathematizari nunc ab ipsis quoque Nestorium, qui dividit incarnationem Domini nostri Jesu Christi, et per hoc duos filios conatur asserere. Eutyches, carnis negans veritatem, et duas naturas in una persona non prædicans, ut Manichæam phantasiam Ecclesiis Christi quemadmodum putavit insereret, simili ratione damnatur.
B His adjungitur Dioscorus Alexandrinus, qui malitiæ præfatæ consentiens, in sancto Chalcedonensi concilio particeps damnationis effectus, et malorum seminum æquales fructus inveniens, in eam cecidit foveam quam fidelibus parabat. Facti sunt istorum successores Timotheus Ælurus et Petrus : quorum sibi ubique consensit iniquitas, et mentientes magistros in nullo deserunt, sed in omnibus pravitatibus antecedunt. Hi approbati sunt generalis materia læsionis, quorum et manus sacerdotalis sanguinis maculavit effusio, et vitam innocentium peremit interitus. Habent per universum mundum a catholicis infixa æternæ damnationis stigmata, quos orthodoxi non solum fecerunt communionis expertes, verum etiam eos Christianorum spoliavere vocabulo. Petrum Antiochenum cum suis, sicuti ab his de qui-
C bus ne sermonum polixitas nasceretur hoc tantum dixisse sufficiat, Petrum et ejus socios in nullo ab eorum qui damnati sunt dogmate discrepere. Quos Acacius aliquando condemnans, in laudes suas omnium Christianorum ora converterat, et eos impugnans qui Eutychianam hæresim vindicabant, fidem colentibus gratissimus apparuerat. Sed huic solitis insidiator fraudibus quod fraudabatur invidit. Nam postea hos suos complices habere desiderans, et in catholicos arma convertens, cum ipsis invenit sortem quos optavit habere participes. Longum est epistolæ brevitate per universa discurrere. Unde ex totius summa negotii partem aliquam pro instructione
D direximus, judicantes quod tanta res vestram non possit latere notitiam; præcipue cum hoc per prædecessorum nostrorum litteras vestrls fuerit regionibus nuntiatum. Quod et nos pro his quæ nuper acciderunt fraternitatem vestram curavimus instruendam, ne alicubi per ignorantiam fidelium locum invenire possit subreptio prædictorum (perditorum); sed qui nituntur talia vindicare sacræ consortio communionis arcendi evidentius innotescant. Igitur ubi interest fidei, quidquid ad gratiam hujus pertinet sæculi respuatur : cum nec naturalis affectio rebus debeat cœlestibus anteponi, ut illud præceptum Domini compleatur : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* X). De cæteris quæ in religionis causa, confidentes divinis beneficiis, præsenti tempore iterum de Orientis partibus

speramus, et legatos direximus Domino Jesu Christo A supplicate [*F.* supplicato], ut ipse qui pro pietate sua prosperum donavit initium, similem concedere dignetur effectum. Urbanum sedis apostolicæ defensorem, etiam huic aptum negotio, ad caritatem tuam direximus; per quem de universarum effectuum causarum responso congruo cupimus quæ sunt votiva cognoscere. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Data VI idus Septembres, Florentio viro clarissimo consule.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI AD ANNUM CHRISTI 515, N. 3.

Ad annum Christi 515 revocandæ litteræ Hormisdæ ad Cæsarium Arelatensem episcopum scriptæ, in quibus docet Hormisda Dardaniæ et Illyrici episcopos ad sedis apostolicæ communionem rediisse, significatque se legatos in Orientem misisse. Ea enim epistola dicitur *data* VI *idus Septembres, Florentio V. C. cos.* B Baronius et collectores conciliorum autumantes annum Christi 518 Magni et Florentii consulatu notatum fuisse, easdem retulere ad eum Christi annum. Verum eo anno Magnus solus consul processit, ideoque eæ litteræ, cum quibus aliquæ annis sequentibus datæ connexionem habent, ad annum 515 omnino retrahendæ, et in nova Conciliorum editione in suum ordinem restituendæ erunt.

[a] EPISTOLA XXXI.

AD JUSTINIANUM AUGUSTUM.

Ad pacem assequendam Acacium, damnandum, legatos mitti significat.

Hormisda episcopus Justiniano Augusto.

Litterarum vestrarum serie religionis ope pollente, devotionis optatissima gratulatione suscepta, gratias divinitati retulimus, quia dedistis indicium facile a B vobis fieri quod potuissemus hortari. Hinc est quod quia sponte laudabilia cupitis, digne ad principatus apicem generis vestri stemmata pervenerunt. Quapropter insistite et religiosæ vivacitatis animis imminete, ut quemadmodum pro bonæ voluntatis initio genus vestrum meruit culmen imperii, in æterna vobis de perfectione gloria sint triumphi. Videte quo desiderio ad pacis gaudia ludificatus diu mundus exhortet (exsultet). Respicite generalitatis animos, vestri præsumptione beneficii, certa spe quietis attolli; non est quod se dubietas inserat, non est quod aliquid ambiguitatis accedat, cum testamini, quod et nos quidem bene novimus, accedere ad Ecclesiarum concordiam religionis (religiosi) principis vota. Quapropter tantæ magnanimitati gratias agentes, quanta C possumus petitione deprecamur ut Acacii nomen cum sequacibus suis, quod plene unitatis Ecclesiarum impedit gaudium, damnationis ordine sit remotum. Nos enim convenientes causæ qualitati direximus legatos, quibus præsentibus initium quod dedisti gaudii possit secundum quæ mandatis continentur impleri (anno Domini 517).

INDICULUS

QUEM ACCEPERUNT LEGATI APOSTOLICÆ SEDIS.

Legatos instruit.

Cum Deo propitio partes Orientales fueritis ingressi, si qui episcopi vobis occurrerint, et libellum, cujus continentiam percepistis, a se subscriptum offerre voluerint, suscipite, eisque præbete sanctæ communionis consortium. Si vero occurrentes ipsi eo quo superius diximus ordine profiteri noluerint, a vobis equidem sub sacerdotali affectione tractentur: sed neque vobis sit cum his mensa communis, neque ab his vel victualia præsumatis accipere, nisi tantum subvectionem, si causa poposcerit, et hospitalitatem, ne credant se omnino fastidiose despectos. Cum autem Constantinopolim Deo adjuvante veneritis, in eam secedite quam imperator præbuerit mansionem; et nullum ad salutationem vestram prius permittatis accedere, exceptis his quos ipse miserit imperator, aut quos nostræ communionis esse cognoscitis, donec ipsum principem videatis; cui præsentati, salutantes, litteras nostras offerte, suggerentes magnum nos de ejus imperio gaudium percepisse, et nimium gratulari quod eum Deus omnipotens ad hoc evexit, juxta ejus sacras litteras, ut secundum ea quæ sunt ab apostolicæ sedis constituta præsulibus, Deo auctore et regno ejus adnitente, Ecclesiarum et pax et unitas his temporibus desiderata proveniat. Qui si vos hortatus fuerit ut Constantinopolitanum videatis episcopum, intimate vos præfinita habere, quæ etiam ab eis sæpe sunt cognita, quæ ab universis episcopis catholicam communionem amplectentibus professio debeat celebrari. Hæc si episcopus Constantinopolitanus implere paratus est, ei gratanter occurrimus; si vero sedis apostolicæ adhortationem sequi contemnit, quid necesse est ut ad occasionem contentionis salutatio nostra proficiat, quibus non est disputationis aut certaminis causa in mandatis? Si vero imperator sibi aperiri voluerit quid sit quod ab episcopo fieri postuletis, formam libelli quam portatis ostendite. Quod si de anathemate Acacii consentiens, successores ejus dixerit recitandos, ob hoc quod propter defensionem Chalcedonensis synodi aliqui eorum (nempe Euphemius et Macedonius) fuerint exsilio denortati, insinuabitis nihil vos de libelli posse forma decerpere, in qua sequaces damnatorum pariter continentur. Sed si eos ab hac non potueritis intentione deflectere; saltem hoc acquiescite, ut anathematizato specialiter per libellum, quem vobis dedimus, Acacio, de prædecessorum ejus nominibus taceatur, abrasis eorum de diptychorum inscriptione vocabulis. Quo facto episcopum Constantinopolitanum in vestram communionem accipite. Libellum vero vel episcopi Constantinopolitani, vel aliorum, quos vos suscipere Deo volente contigerit, primo agite, ut præsente populo recitetur. Quod si hoc fieri non potuerit, saltem in secretario præsentibus clericis et archimandritis relegatur. Hæc omnia si Deo fuerint volente completa, imperatorem rogatu [*F.* imperator rogetur], ut destinatis sacris per metropolitanos episcopos, adjunctis ipsius episcopi Constantinopolitani litteris, in-

[a] Hanc epistolam cum novem sequentibus de pace et unitate Orientalis Ecclesiæ scripsit Hormisda pontifex anno Domini 519. Curavit eas deferri per legationem sedi apostolicæ, qua Germanus et Joannes episcopi, Blandus presbyter, Felix et Dioscorus diaconi fungebantur, quique sequentem indiculum rerum agendarum a pontifice acceperunt. SEV. BINIUS.

notescat episcopum Constantinopolitanum, suo quoque consensu celebrata professione quam sedes apostolica destinavit, in unitatem communionis fuisse susceptum, quibus litteris etiam ipsos hortetur similia profiteri, Quod si in hac parte imperator aliquid difficultatis attulerit, episcopus Constantinopolitanus, directis præceptionibus episcopis suis parœcialibus, vel cæteris metropolitanis, eis præsentibus qui a vobis pariter directi fuerint, quid ipse fecerit, innotescat : quod ab eo modis omnibus vos oportet exigere, ut facti hujus testimonio peragrante, etiam universos, vel qui longe sunt positi, latere non possit.

EPISTOLA XXXII.

AD JUSTINUM AUGUSTUM.

Ab iis qui, admissis Chalcedonensis concilii decretis Acacium damnare recusabunt, cavendum; legatosque ob pacem et unionem Orientalis Ecclesiæ missos commendat.

Hormisda Justino Augusto.

In tantum pro gratia Divinitatis gloriæ vestræ famam constat extensam, et ita vos suffragante vitæ merito laudabiliter mundo contigit innotescere, probatissimorum hominum opinione vulgante, ut super vos potius credatur delatum culmen imperii, quam per imperium vos aliquis dicat agnosci. Certum est quidem hujusmodi provectione vestra pristino splendori accessisse decoris cumulum ; sed sicut tenuistis olim moribus principatum, sic cum vos per ora gentium impatiens secreti magnitudo detulerit, ad C nos quoque, sicut mystice loquuntur Scripturæ, testimoniis suavitatis vestræ odor advenit. Et certe cum late prudentium hominum sententia religiosæ vitæ vestræ fuerint instituta dispersa, habere non potuimus incognitum quidquid de vobis fuerat mundi attestatione vulgatum : quia sicut mediocri laude digna in immensum sibi nequeunt vindicare præconia, ita sine fine prædicandum rapitur in populum quidquid bono fuerit admirationis ornatum. Vindicat enim sibi quantitatis suæ jure magnitudo famæ testimonia, quia nesciunt latere miranda. Hinc est quod principatus vobis ac honores (*Ed. Rom.* adoreas) publica jura commiserunt : nam quod meritorum insignia generalitatis facta sunt vota, nemo ita rerum arbiter iniquus exstitit, qui passim vos æstimet arches inclytæ accepisse titulos, cum negari nequeat digne vos meruisse imperii culmen, quorum probitatem mundus agnovit. Sed parum est, quamvis judicio universitatis, suscipere loco præmii jura regnandi. Illud magis est admirabile quod ita vos hominum laudabilitate firmatos suscipiunt imperia, ut judicia sint divina. Non est dubium electos suos venerabili prædestinatione Divinitatis ad tantæ potestatis ornamenta venire, quos sinceræ fidei documenta circumvallant. Vere vobis prophetici spiritus convenire verba dixerimus : *Priusquam te formarem in utero, novi te* (*Jer.* I). Ad hanc vos gloriam incomprehensibili supernæ majestatis dispositione procurante, obsequium naturæ mundo protulit, sub custodia fidei transactæ vitæ probitas instituit, atque ad imperia

A clementia divina provexit; ob hoc scilicet ut tandem aliquando divisores dominici corporis fidei vestræ exsecutione compressi, Ecclesiarum concordia diabolica impedimenta succideret, et universitas de adunatione gauderet. Hoc religioni, hoc fidei, hoc serenitati vestræ specialiter cœlitus mandatur officium, quibus et posse omnia, et perficere videmus indultum. Itaque sicut instituistis facere, navate suscepti operis munus quod superna vobis Providentia videtis injunctum. Et vere sic decuit ut per principem pax debeat fieri, quam reverentia Divinitatis exposcit. Date has assumpti Deo nostro vestri oblationes imperii, ut per vos possit pacis fructus impleri. Sine dubio quidquid tali facto animæ vestræ fuerit B præstitum, a vobis mundo judicatur impensum. Magnum et inæstimabile est, venerabilie imperator, propter quod adsciti estis judicio Divinitatis : extenduntur ecce vota pacem desiderantium; diuturni temporis tractu mœret Ecclesiarum indivisibilis discissa communio; est in gemitu discerpta fraternitas, cum circa Patrum dogmata varia sit voluntas. Accingite ergo lumbos viribus fidei, videte cui vos regi Divinitas velit obsequi, quantum sit quod per vos procurat impleri. Ecclesiæ venerandæ corpus, quod propria Christus noster passione fundavit, gloriæ vestræ adunare factis instituit. Non est quo magis circa vos gratia supernæ majestatis eluceat, quam si Ecclesiæ corpus per vestrum reparetur officium, sanguinis Domini redemptione formatum. Est quidem causæ hujus vetustissima calmitas, sed pro immanitate sui recentissimus dolor, et tanto Christianis animis fortior gemitus, quanto temporibus est dilatus. Videndum vobis est in quantum quotidie antiqui hostis fervescat insania, et, cum olim causa sit decisa fine sententiæ, pacis faciat tarditatem : et cum Chalcedonensis synodus, et B. papæ Leonis constituta placeant, quo ad caritatem reverti volumus a certamine non desistas. Sequuntur quæ dogmatibus prædictis ascripta sunt, et eorum sequacibus, quos prædicta auctoritate damnatos intelligunt, non recedunt. Tenent adhuc in complexibus nomen Acacii, quem vident judicio sedis apostolicæ merito pœnam subjecisse damnari. Quis non intelligat simulate dici : Sanctorum Patrum sequimur dogmata, sed non diligimus facta? Quæ a sancta synodo Chalcedonensi constituta D sunt, et quæ beati Leonis epistola continet, fovemus, veneramur, amplectimur, sed Acacio, qui damnatorum communionem secutus est, impendimus vota. Sed quid opus est de judicatis rebus verba facere, cum nos hortari tantummodo deceat ut, expressa superius simulatione submota, sub omni puritate pacem debeant a quibus hæc dicuntur optare. Apud vos mihi est omnis deprecationis causa, imperator egregie : vos hic ac talibus religiosi operis resistite viva caritate; vobis imminet, ut qui ecclesiasticæ concordiæ habuistis sub privata vita desiderium, sub principatu detis effectum. Non fuit quo magis gratiæ vestræ cumulus accederet, quam quod vobis divinitus datum est, ut quod semper voluistis fieri, per vos ad terminum possit adduci. Nec breve specimen circa

vos gratiæ Divinitatis effulsit, quibus datur posse facere quod semper optastis. Quapropter quoniam vobis tantæ causæ titulum videtis esse servatum, removete quidquid anbiguum remansisse creditur ad plenitudinem gaudiorum. Nos enim qua decuit affectione per Gratum virum clarissimum, cui pro moderatione sui congrue sensimus officium legationis injunctum, litteris vestri principatus acceptis, causæ magnitudini convenientes, [a] destinavimus viros Germanum et Joannem episcopos, et Blandum presbyterum, nec non et Felicem diaconum, per quos si, quemadmodum præsumimus, serenitatis vestræ favor arriserit, secundum quæ mandata sunt, Ecclesiarum adunatione generalitatis possit vota firmari (anno Domini 519).

EPISTOLA XXXIII.

[b] AD EUPHEMIAM AUGUSTAM.

Augustum ad pacem Ecclesiæ restituendam cohortandum.

Hormisda Euphemiæ Augustæ.

Ecclesiarum pax jam cœlesti ordinatione componitur, cum vos ad imperium Deus elegit, apud quos esse integrum semper religionis suæ cognovit affectum. Nam sicut in privata vita Deum semper recto dogmate coluistis, ut de religionis concordia cogitaretis, et multa quidem inter ipsa imperii vestri primordia facta sunt, quæ spem nobis correctionis integræ pollicentur. Unde quia in vobis amorem fervere fidei gratulamur, agentes Deo gratias, quotidie pro vobis beato Petro apostolo supplicamus, ut votis vestris apud Dominum suffragetur, et cursum bonæ voluntatis adimpleat. Nec dubium est divinis vos auxiliis adjuvari, quia tanto religionis studio mandatis cœlestibus obeditis. Hinc est quod quia sanctum conjugii vestri constat esse propositum, has fiducialiter ad vestram clementiam litteras destinamus, ut per vos ad perficiendam Ecclesiæ pacem mariti vestri pietas amplius incitetur. Magnum opus arripuistis, magna vobis causa commissa est. Per vos etiam populos Christus vult ad Ecclesiæ fœdera revocare, quos per se voluit a morte redimere. Magna etiam vestro sexui parata est laudis occasio, si vobis instantibus Ecclesiæ suæ Christus quæ divisa fuerant membra conjungat. Nec ejus major est gloria, quæ humanæ salutis lignum scrutata est, et solam crucem quam omnis veneratur mundus invenit *. Superabitis quinimo illius merita, quia Ecclesiæ unitas per illam suum invenit signum, per vos est habitura remedium. Agat igitur jugalis vestri religiosa clementia, ut fratres et coepiscopi nostri sub eo libelli tenore, quem dudum misimus, fidem suam dignentur asserere; quatenus perfecta possit esse quæ est inchoata cor-A rectio: quia irrita est quælibet in cultura Dei confessio, cui deest fidei plenitudo. Hoc enim quod a reliquis fieri poposcimus, a multis jam sacerdotibus constat effectum: et unitas esse justa in communione non poterit, si non fuerit in reversione servata (anno Domini 519).

EPISTOLA XXXIV.

AD JOANNEM CONSTANTINOPOLITANUM EPISCOPUM.

Acacium damnandum, et in legatorum manibus fidei professionem emittendam.

Hormisda Joanni episcopo Constantinopolitano.

Reddidimus quidem, frater, congruum litteris tuis sub ecclesiastica libertate responsum; et quid in his congratulati fuerimus insertum, qui taciturnitate B præteritum, evidenter expressimus. Ac licet cuncta sensibus tuis nunc crebra legatio, nunc usu in Ecclesia diuturnæ conversationis tuæ vetustas infuderit, juvat tamen adhuc latius aperire nostrum repetita ratione consilium: quia tunc bene de fidei firmitate disseritur, quando simplicibus verbis conciliandæ pacis cupiditas explicatur. Desideria quippe tua, quibus te ad ecclesiasticam testaris festinare concordiam, ut haberent partes illæ semper optavimus; nec sola votorum ambitione contenti, usi etiam precibus sumus. Vestro sunt hæc et mundi testimonio roborata quæ loquimur: quia ut catholicæ unitatis reparatio fit, auctoritatem nostram integritate submittimus. Inclinet orationibus nostris aurem suam divina miseratio, ut quod creditis postulandum, sequamini, et C ametis oblatum. Nobis una causæ sollicitudo, una custodia est, ita pacem cupere, ut sic religionis, sic venerabilium Patrum constituta serventur: quoniam quæ inter se consona credulitate non discrepant, æquum est ut simili observatione subsistant. Sed cur diutius immoramur? Scis ipse unitatis causa quid exigat, scis ipse qua via ad beati Petri apostoli debeas venire consortium. Habes itineris tui ducem, quem te jam sequi asseris, Chalcedone habitum pro religione conventum. Jam te quoque, quod idem amplecti testatus es, beati Leonis redeuntem dogma comitabitur. Hæc si placent, Acacii defensio damnati non placeat: hoc est quod boni studii a perfectione vota suspendit. Si sunt enim illa adversum Dei et legis ejus inimicos venerabilium Patrum congrega-D tione disposita, ut quisquis eos in communione sequeretur, jam tunc latam subiret in sua damnatione sententiam; non sunt igitur nova quæ constanter exsequimur, sed temporibus illis facta judicia justa Patrum constitutione servamus. Hortamur itaque, frater, mentem tuam Dei nostri misericordia adjuvante pulsamus, ut ab omni te hæreticorum contagione, Acacium cum sequacibus suis condemnando,

[a] Hoc loco desideratur nomen Dioscori diaconi, quod in epistolis sequentibus expressum invenitur, licet non hoc ordine. Nam in ipsis post nomina episcoporum legatorum mox nominati reperiuntur ambo legati diaconi et novissime Blandus presbyter. Sed hujus epistolæ auctoritate dici potest errore librariorum accidisse quod ibi series nominum sit inversa, et diaconi ante presbyterum positi reperiantur. SEV. BINIUS.

[b] Euphemia, conjux Justini imperatoris, insignis pietate femina, antea Lupicina nominata fuit. Quando vero Justinus imperator factus est, nomine Euphemiæ illustris martyris, in cujus basilica Chalcedonense concilium celebratum fuerat, conjugem suam pietatis ergo appellari voluit, antequam illam Augustæ titulo decoraret. Zonaras et Cedrenus in Justino. SEV. BINIUS.

* Helena, Constantini mater, Christi crucem invenit.

disjungens, una nobiscum dominici corporis participatione pascaris. Si nobiscum universa prædicas, cur nobiscum non universa condemnas? Tunc enim nobiscum quæ veneramur amplecteris, si nobiscum quæ detestamur horrueris. Pax integra nescit aliquam habere distantiam, et unius Dei vera esse non potest nisi in confessionis unitate cultura. Quapropter salutantes te fraternæ caritatis affectu, petitionem tuam, missis, sicut sperasti, religiosissimis viris Germano ac Joanne episcopis, [a] Felice diacono, Dioscoro diacono, atque Blando presbytero, significamus esse completam. Hi vero quibus fuerint mandatis instructi ante allegationes eorum, si cogites, evidenter agnosces. Hi pacem tuam sub ea qua sæpe scripsimus professione suscipient. Imple ergo, frater carissime, gaudium nostrum, et tuum ad nos per eos rectæ fidei tuæ remitte præconium, ut per te universis detur exemplum (anno Domini 519).

EPISTOLA XXXV.

AD EUMDEM.

Cum jam fidem catholicam profiteatur illi potissimum de stabilienda pace cogitandum, pro qua ipse legatos destinavit.

Hormisda Joanni episcopo Constantinopolitano.

Ea quæ caritas tua destinatis litteris significavit agnovimus, et gratulamur ad conscientiam nostram fidei tuæ indicia pervenisse : optantes ut intentioni tuæ, quam rectam esse cupimus, plenum Deus noster circa ecclesiasticam pacem concedere dignetur effectum, cujus spem animo supernæ majestatis assumpsimus : quia imperatorem serenissimum ad hoc providentia divina judicamus electum, ut per eum Ecclesiarum redintegratio tantis temporibus desiderata proveniat. Quapropter licet quæ pro fidei unitate facienda sunt tuæ caritatis notitiam latere non possit, legatos tamen direximus, quos ratio causæ poscebat : quibus hortantibus, et quæ jam pridem a nobis significata, et quæ nuper iterata sunt, ad effectum, Domino nostro auctore, perveniant.

EPISTOLA XXXVI.

AD ARCHIDIACONUM ET CLERUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Catholicis hæreticorum molestia liberatis legati ad pacem confirmandam mittuntur.

Hormisda Theodosio archidiacono Constantinopolitano, et universis catholicis a pari.

Gratias misericordiæ divinæ competenter exsolvimus, quæ fidem vestram diu laborare non passa est : et nam tempus oblatum est, quo fidos militis suos catholica recuperare possit Ecclesia. Quæ enim major animum vestræ potest obtinere jucunditas, quam malorum commemorata depulsio? Gaudiis præsentibus compensate afflictionis incommoda : quia Deus noster, qui remedio fuit, adversis opprimi caritatem vestram noluit, sed probari. Nam si transacti temporis mala cum præsenti, quæ divina esse non ambigitur, retributione compensetis, quis dubitat ampliora vos præmia consecuturos quam nocere potuisset adversitas? Et quamvis pro statu fidei catholicæ nunquam sollicitudo nostra cessaverit, tam serenissimi principis sacris affatibus incitati, legatos destinare curavimus, quorum officio, Deo auctore, in his quæ sæpe mandavimus subsequi non dubitamus effectum. Et ideo competenter enitere, ut Ecclesiæ catholicæ hos præcipuum vestræ liberationis munus possitis offerre, quatenus, repulsis omnibus quæ hactenus nocuerunt, in una quam semper optavimus communione gratulantes, Deo nostro laudes referre sine cessatione possimus.

EPISTOLA XXXVII.

AD JUSTINIANUM DOMESTICORUM COMITEM POSTEA JUSTINI SUCCESSOREM.

Sperat fore ut ejus opera pacem Ecclesia adipiscatur, et missa ab eo munera se accepisse nuntiat.

Hormisda Justiniano viro illustri.

Magnitudinis vestræ litteras sanctæ fidei plenas amore suscepimus, quibus, ad exercendam apud vos prædicationis apostolicæ firmitatem, opportunitatem nobis provenisse divinitus nuntiastis. Unde indesinenter Domino nostro agimus gratias, qui ad tam præclara remedia et tempus vobis et animum dedit. Et nos quidem desuper ista agnovimus ordinari, postquam ei detulit divina majestas imperium, qui se ad componendam Ecclesiarum pacem indicat ordinatum. Ergo restat ut universi episcopi partis Orientalis, juxta libelli seriem, ad correctionis pervenisse se testentur effectum. Patet venerandæ via concordiæ : nota (notata) sunt optatæ remedia sanitatis. Sacerdotes qui catholicam pacem desiderant, professionem catholicam non recusent; non enim opus est partibus errorem corrigi, sed radicitus amputari. Insistite igitur, sicut cœpistis, ut merces apud Deum vestra, quæ de boni operis inchoatione habet initium, de perfectione consequatur effectum. Animum quidem vestrum talem missa ad nos testantur alloquia, ut ad plenitudinem boni propositi non multum indigeatis hortatu : nostri tamen desiderii ea quæ spem dedit ratio (oratio) amplius accendit ardorem ; et avidius gaudia impleri cupimus, quæ instare jam divinitus arbitramur. Hinc est quod beatum Petrum apostolum quotidie suppliciter obsecramus, ut vobis, per quos integrari membra sua sancta jam sperat Ecclesia, et effectum Deus celerem, et salutem tribuat longiorem. Nos quidem vestris animis obsequentes viros direximus, ad solidandam sub apostolicæ dispositionis ordinatione concordiam. Vestrum est, ut sicut nos bonæ intentioni deesse noluimus, ita eos apud nos optatum referre faciatis effectum. Munus vestrur veneranda sacraria susceperunt; quod amplius beato Petro apostolo facietis acceptius, si per vos optatam Ecclesiæ receperint unitatem (anno Domini 519).

EPISTOLA XXXVIII.

AD CELEREM ET PATRICIUM CLARISSIMOS AULICOS.

Legatos in causa pacis coadjuvandos.

Hormisda Celeri et Patricio a pari.

Quamvis pro loci nostri consideratione de causa

[a] Ex epistola trigesima secunda præcedente patet quod hoc loco nomina legatorum diaconorum ante presbyteri nomen posita reperiantur, ut dixi supra in notis ejusdem epistolæ. SEV. BINIUS.

fidei catholicæ minime tacere possimus, tamen ad hanc partem serenissimus princeps magnopere directis affatibus nostrum incitavit studium, pro cujus legatos voluntate direximus. Et quia hujusmodi causa filiorum Ecclesiæ sublevari debeat auxilio, salutantes vos cultu atque honorificentia competenti, poscimus ut pro ecclesiastica pace allegationes eorum qui dicti sunt apud animos serenissimimi principis adjuvetis: siquidem vestræ celsitudinis laborem non parva retributio subsequitur, cum omnipotenti Deo nos gratias persolvere de vestris operibus feceritis (anno Domini 519).

EPISTOLA XXXIX.

AD PRÆCEPTUM PRÆTORIO THESSALONICENSEM.

Eadem quæ in superiori.

Hormisda præfecto prætorio Thessalonicensi et cæteris illustribus a pari.

Licet pro causa ecclesiastica nunquam sollicitudo nostra cessaverit, tamen imperatoris serenissimi sacris affatibus promptius incitati, legatos cum cœlestis misericordiæ favore direximus; quorum officio bona, quæ de principis mente præsumimus, impleantur. Et ideo salutantes amplitudinem vestram, cultu et honore quo dignum est, poscimus ut pro redintegratione fidei vestrum commodetis studium, nec tantis fidelium tardari vota temporibus permittatis: quia non est dubium celsitudinem vestram fructum tantæ laudis acquirere, si per eam quæ ab omnibus bonis optantur, Dei nostri misericordia operante, proveniant (anno Domini 519).

EPISTOLA XL.

AD ANASTASIUM ET PALMATIAM CLARISSIMAS FEMINAS SENATORIAS, QUÆ TEMPORE PERSECUTIONIS ANASTASII PRO FIDE CATHOLICA INCONCUSSÆ STETERANT.

Eadem quæ in superiori.

Hormisda Anastasiæ et Palmatiæ a pari.

Bonæ voluntatis studium divinæ semper comitatur prosperitatis effectus. Dei nostri providentia temporis facultas oblata est, in qua pro fidei vestræ præmio debeatis anniti. De superna primitus misericordia, deinceps de conscientia clementissimi principis præsumentes, legatos pro religionis catholicæ causa direximus, per quos amplitudinem vestram debitæ venerationis salutamus officio; postulantes ut pro ecclesiasticæ redintegratione concordiæ vestrum laborem atque operam non negetis, quatenus cum, repulsis remotisque iis quos apostolicæ sedis damnavit auctoritas, ad unam, quæ recta est, communionem plebs Christiana redierit, beatum Petrum apostolum, pro cujus fide nitimur, in vestris possitis habere actibus adjutorem (anno Domini 519).

EXEMPLUM SUGGESTIONIS SECUNDÆ

GERMANI ET JOANNIS, EPISCOPI, FELICIS ET DIOSCORI DIACONORUM, ET BLANDI PRESBYTERI.

Quanto cum honore Scampi fuerint accepti.

In civitate Aulonitana quo ordine cum Dei adjutorio pervenimus, et quomodo sumus suscepti ab episcopo civitatis ipsius, et quid est actum, vel quale responsum dederunt, et quia hæc promisit, ut cum metropolitano suo faceret libellum, in alia epistola

A beatitudini vestræ significavimus: quod in Scampina civitate factum est vestris orationibus tacere non permisimus. Antequam nos ingrederemur in civitatem ipsam, venerabilis Trojus (Troilus) episcopus cum suo clero vel plebe in occursum nobis egressus est. Et quomodo Deus in ipsa die benedictus est, et quæ festivitas per ipsius pietatem est subsecuta, ad notitiam apostolatus vestri referimus. Nobis præsentibus, vel suo clero et nobilibus viris ipsius civitatis, libellum subscripsit, porrexit: suscepimus, et præsente omni clero vel plebe, in gradu suo a servo vestro Petro notario sanctæ Ecclesiæ Romanæ est relectus. Erat conventus in basilica Sancti Petri. Confitemur beatitudini vestræ, tantam devotionem, tantas Deo laudes, tantas lacrymas, tanta gaudia dif- B ficile in alio populo vidimus. Prope omnes cum cereis, viri cum mulieribus, milites cum crucibus in civitate nos susceperunt. Celebratæ sunt missæ, nullius nomen obnoxium religionis est recitatum, nisi tantum beatitudinis vestræ. Noster episcopus venerabilis Germanus missam celebravit. Et promiserunt nec postea recitari, nisi quos sedes apostolica suscepit. Quanta a nobis operata sunt, Deus propitius in vobis conservet. Istam epistolam ante triginta milliaria a Lignido fecimus, sperantes ipsa die in eadem civitate cum Dei adjutorio pervenire. Et quomodo ad nos pervenit Scampinus episcopus, speramus et ipsius civitatis Lignidi episcopum similia facere. Quod si factum fuerit, data occasione rescribemus. Scampis C nobis positis, post missas, hora cœnatoria, Stephanus et Leontius vv. cc. ab imperatore missi in occursum nobis venerunt, adhuc nescientes nos in partibus Græciarum positos, quia talia mandata fuerunt comiti Stephano data, ut ad partes Italiæ transirent in occursum nostrum. Est Stephanus iste, qui modo dicitur, de parentela filii vestri magistri militum Vitaliani. Hi nobis nuntiaverunt Patricium senatorem proscriptum et in exsilium missum. Pro qua tamen causa, nisi quomodo ad nos pervenerit, non possumus dicere, quia non est de talibus rebus facile deliberare. Dicitur tamen et apocrisiarios Thessalonicensis Ecclesiæ teneri, apud quos dicunt epistolas inventas; pro qua causa, nescimus: cum ipsis et Philumenum, Demetrium, Magistrianum, et alias D personas, quarum nomina ignoramus. Ista sunt, quomodo prædiximus, quæ audivimus. De causa tamen ecclesiastica cum Dei misericordia prospera nuntiantur. Cosmatem tamen medicum pro qua causa in Italia venit, penitus intelligere non potuimus, nisi hoc, quia fortiter quæritur, de quo debetis esse solliciti, ut sciatis, pro qua causa ibidem venit.

ITEM TERTIA SUGGESTIO

LEGATORUM SUPRANOMINATORUM.

Lignidum pervenisse, et juxta ejus mandata omnia peracta.

In alia epistola significavimus beatitudini vestræ de Scampina civitate de venerabili Trojo episcopo, quo ordine libellum dedit, et qualis festivitas est celebrata in ipsa civitate. Cum Dei misericordia venimus Li-

gnidum, Theodoritus episcopus venerabilis vir ipsius civitatis similiter libellum dedit, qui libellus in Ecclesia est relectus, et omnia secundum constitutionem vestram sunt facta. Rogate Deum; sperate ab apostolis ejus beatissimo Petro et Paulo, ut Deus, qui initia talia donavit orationibus vestris, similiter sequantur [*sic*] et prospera, ut tempora coronæ vestræ in correctione Ecclesiarum semper prædicentur. Quam epistolam ad apostolatum vestrum direximus die nonarum Martiarum.

EXEMPLUM RELATIONIS

ANDREÆ EPISCOPI PRÆVALITANI.

Continet simulationem episcoporum in synodo Epiri novi, et quæ Scampis et Lignidi in adventu legatorum acta sunt.

Domino semper meo beatissimo, et apostolica sede intima veneratione præferendo, atque angelicis meritis coæquando patri patrum papæ Hormisdæ Andreas.

Commendans me humillime vestigiis vestris piissimis, indico propter synodum Epiri novi, quoniam finxerunt anathematizare intra semetipsos aliquas personas. Hoc tantummodo ingenio usi sunt, ut os in sua malitia caperent : quibus restitit divina Trinitas per vestras sanctas preces; et cum deprehensi fuissent in sua malitia, nunquam potuimus archiepiscopo suadere ut ad viam veritatis et ad vestra præcepta verteretur. Sed modo cum advenerunt beatissimi atque sanctissimi domini episcopi vel diaconi directi a sancta corona vestras, occurrerunt illa Scampinus C episcopus vir beatissimus Trojus cum omni gaudio et luminaribus : et, porrecto libello secundum vestram præceptionem, statim recepti sunt in pace Christi, et missas celebravere cum episcopo in Scampina civitate. Et videntes Lignidonenses quod fecit Scampinus, simili modo et ipsi secuti sunt. Nunc dum istas litteras ordinaremus, supervenit Magistrianus de urbe Constantinopolitana, qui nuntiavit quia Deo propitio precibus sanctis vestris et Constantinopolitani miserunt anathema Acacio, et cum pace Pascha celebraverunt. Jam quod sequatur, vestra intercessio apud Deum laboret, ut ad perfectum servi sedis apostolicæ inveniamur. Epistolas vero quas destinaverunt ad meam humilitatem supra memorati viri beatissimi episcopi pietati vestræ junctas transmisi. Accepta D die quo supra.

* EXEMPLUM LIBELLI

JOANNIS EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

Catholicam fidem profitetur. Hæreticos omnes et præcipue Acacium detestatur.

Domino meo per omnia sanctissimo et beatissimo fratri et comministro Hormisdæ Joannes episcopus in Domino salutem.

Redditis mihi litteris vestræ sanctitatis, in Christo frater carissime, per Gratum clarissimum comitem, et nunc per Germanum et Joannem reverendissimos episcopos, Felicem et Dioscorum sanctissimos diaconos, et Blandum presbyterum, lætatus sum de spi- A rituali caritate vestræ sanctitatis, quod unitatem sanctissimarum Dei Ecclesiarum secundum veterem Patrum requiris traditionem, et laceratores rationabilis gregis Christi animo repulsare (amore pulsare) festinas. Certus igitur scito, per omnia sanctissime, quia, secundum quod vobis scripsi, una tecum cum veritate sentiens, omnes a te repudiatos hæreticos renuo et ego, pacem diligens. Sanctissimas enim Dei Ecclesias, id est superioris vestræ et novellæ istius Romæ unam esse accipio illam sedem apostoli Petri, et istius Augustæ civitatis unam esse definio. Omnibus actis a sanctis illis quatuor synodis, id est Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, et Chalcedonensi, et de confirmatione fidei et statu Ecclesiæ assentior, et nihil titubare de bene judicatis patior : B sed et conantes aut ** enixos (scissos) usque ad unum apicem placitorum perturbare, lapsos esse a sancta Dei generali et apostolica Ecclesia scio, et tuis verbis recte dictis evidenter utens, per præsentia scripta hæc dico : Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare; quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XXVI). Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus : quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, et Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses, præcipue vero Nestorium hæreticum, qui, quondam Constantinopolitanæ urbis episcopus, damnatus in concilio Ephesino a beato Cœlestino papa urbis Romæ, et a venerabili viro Cyrillo episcopo Alexandrinæ civitatis : et una cum illo anathematizamus Eutychetem et Dioscorum Alexandrinæ civitatis episcopum, damnatos in sancta synodo Chalcedonensi, quam venerantes sequimur et amplectimur, quæ sequens sanctam synodum Nicænam, apostolicam fidem prædicavit : his conjungentes Timotheum parricidam, Ælurum cognominatum, anathematizamus, et hujus discipulum et sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnantes. Anathematizamus similiter Acacium quondam Constantinopolitanæ urbis episcopum complicem eorum, et sequacem factum, nec non et perseverantes eorum communioni et participationi : quorum enim quis communionem complectitur, eorum et similem adjudicationem in condemnatione consequitur. Simili modo et Petrum Antiochenum condemnantes, anathematizamus cum sequacibus suis, et in omnibus suis (omnibus supradictis). Unde probamus et amplectimur epistolas omnes B. Leonis papæ urbis Romæ, quas conscripsit de recta fide. Quapropter, sicut prædiximus, sequentes in omnibus sedem apostolicam, et prædicamus omnia quæ ab ipsa decreta sunt, et propterea spero in una communione vobiscum, quam apostolica sedes prædicat, me futurum, in qua est integra Christianæ religionis et perfecta soliditas. Promittentes in sequenti tempore se-

* Epistola sive libellus.

** Al. *nisos* HARD.

questratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est in omnibus non consentientes sedis apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo a professione mea dubitare tentavero, his quos condemnavi, per condemnationem propriam consortem me esse profiteor. Huic vero professioni subscripsi mea manu, et direxi per scripta tibi Hormisdæ sancto et beatissimo fratri et papæ magnæ Romæ, per suprascriptos Germanum et Joannem venerabiles episcopos, et Felicem et Dioscorum diaconos, et Blandum presbyterum. *Et alia manu* : Joannes misericordia Dei episcopus Constantinopolitanæ novellæ Romæ hac mea professione consentiens, omnibus supradictis subscripsi sanus in Domino, Data mense Martio die 27 (28), indictione duodecima, (consulibus domino Justino imperatore Augusto B et Eraclio [Eutharico] v. c. æra DLVII), consensu domini Justini imperatoris Augusti, Eutharico viro clarisssimo consule (anno Domini 519).

ITEM SUGGESTIO

GERMANI ET JOANNIS EPISCOPORUM, FELICIS ET DIOSCORI, DIACONORUM, ET BLANDI PRESBYTERI.

Quanto cum honore ab imperatore sint accepti : a Joanne episcopo fidei (Ed. Rom. addit *libellum*) *subscriptum, et Acacio cæterisque sectatoribus damnatis pacem Ecclesiæ redditam.*

Non miramur apostolatus vestri precibus cuncta nobis prospera successisse, scientes quod amplius nostro ministerio vestra pro nobis elaboret oratio. Ita enim totus se ecclesiastici negotii tulit eventus, C ut dubitari non possit beati Petri per singula provenisse miraculum ; primum quod tantum in ipsis qui dignitate funguntur invenimus religionis ardorem, ut Vitalianus, Pompeius et Justinianus nobis occurrerent in decem millibus, et de adventu nostro cum vestra gratiarum actione gloriari non arbitrarentur indignum. Deinde quod tanta fuit etiam in plebe devotio, ut pars maxima populorum cum cereis simul et laudibus vestris nostrum præstolaretur adventum. Sub hac itaque celebritate secunda feria hebdomadæ majoris Constantinopolim sospites hilaresque convenimus : posteroque die pissimo principi præsentati, tanto ejus relevati sumus affectu, ut si alia minime præcederent, sola nobis ad solatium piissimi principis gratia suffecisset : sed orationibus vestris majora D secuta sunt. Nam eo die sub senatus cuncti præsentia episcopi quoque quatuor adfuerunt, quos Joannes Constantinopolitanus antistes pro partis suæ defensione transmiserat, quibus apostolicæ sedis libellum ostendimus, omniaque in eo recta canonicaque esse probavimus. Postremo quinta feria, hoc est, in cœna Domimi ad palatium in generali conventu venit episcopus, et perlecto libello consentiens, cum summa devotione subscripsit. Quis explicet quanta illic principis pariter ac senatus lætitia fuerit, quas ibi lacrymas gaudia pepererint, quas voces vel in laudem principis, vel in sedis vestræ, totius cœtus et cleri favor emisit? Explicari hæc relatione non possunt, sed

A considerationi vestræ portitorique relinquimus quod eloqui non valemus. A palatio in ecclesiam summa cum celebritate pervenimus, ut fidei animorumque concordiam (*a*) solemnis quoque celebritas roboraret. Vix credi potest quis fletus lætantium, quæ immensitas fuerit exundatioque populorum : ipsa suam lætitiam turba mirabitur : nec dubitari poterat manum adfuisse cœlestem, quæ talem mundo contulit unitatem. Acacii prævaricatoris anathematizati nomen de diptychis ecclesiasticis, sed et cæterorum episcoporum, qui eum in communione secuti sunt, sub nostro conspectu significamus erasos. Anastasii quoque ac Zenonis nomina similiter ab altaris recitatione submota : pax est orationibus vestris Christianorum mentibus reddita : una totius et Ecclesiæ anima, una lætitia : solus luget humani generis inimicus, vestræ precis expugnatione collisus. Orate ut Antiochenam quoque similis felicitas illustret Ecclesiam, de cujus antistite adhuc tractatus nutare conspicitur ; quoniam inter diversa vota populorum de personæ electione non constat. Credimus tamen quod precibus beatitudinis vestræ de ipsa quoque velociter ordinatio digna proveniat, ut cœpta pax temporibus vestris per omnem mundum pariter dirigatur, et cunctis in apostolicam partibus communionem fidemque convenientibus perfecte, sicut pridem [fuerat, omnibus membris capiti suo connectatur Ecclesia.

SUGGESTIO.

DIOSCORI DIACONI PER PULIONEM (Pollianem) SUBDIACONUM.

Nuntiat quæ Thessalonicæ et Constantinopoli acta fuerant.

Ineffabilis Dei omnipotentis misericordia, et pietas ejus, quam super humanum genus clementer effundit, humanis viribus æstimari non potest, nec sermonibus explicari ; sed sufficit ejus tantum consilia devotis sensibus admirari, et scire omnia bona de ejus tantum gratiæ pendere remediis. Est ista quotidiana probatio : audacter tamen præsumo dicere, domine meus beatissime papa, quia præsens causa præterita cuncta transcendit, quam Deus vestris temporibus et meritis reservavit. Quid in Aulone sit actum, quid Scampis, quid Lignidi fuerit subsecutum, anteriore significatione suggessi. Ad Thessalonicam pervenimus ; quas intentiones (contentiones) habuerimus cum episcopo Thessalonicensi, et quæ dicta fuerint vel etiam constituta, harum portitoris viva insinuatione discetis. Quod tamen non oportet præterire silentio, insinuare non differo. Post multa certamina præfatus episcopus ratione convictus libellum subscribere voluit : sed quia episcopi qui sub ejus sunt ordinatione constituti omnes non aderant, in præsenti hoc convenit, hoc promisit, ut post dies sanctos, uno ex nobis a sede Constantinopolitanæ urbis directo, episcopis congregatis, qui in ejus sunt diœcesi constituti, libellum subscriberent : quod cum Dei adjutorio credimus esse complendum. Hæc sunt Thessalonicæ constituta. Vestris orationibus commendati ad Constantinopolitanam pervenimus civitatem feria secunda hebdomadis authenticæ. Decimo ab urbe prædicta

(*a*) Edit. Rom. addit *communionis*.

milliario sublimes et magnifici viri nobis occurrerunt, inter quos sunt magister militum Vitalianus, Pompeius et Justinianus, et alii senatores, cunctique (multique) catholicæ fidei ardore ac desiderio redintegrandæ pacis ardebant. Quid plura? Cum summis pene omnium gaudiis ingredimur civitatem. Alia die, quæ est tertia feria, piissimi principis præsentamur aspectibus: cunctus illic aderat senatus, in quo conventu erant et episcopi quatuor, quos episcopus Constantinopolitanus pro sua persona direxerat. Obtulimus beatitudinis vestræ litteras, quas clementissimus princeps cum grandi reverentia suscepit. Dicta sunt quæ ante examinationem causæ oportuit intimare: mox causa cœpta est. Hortabatur nos clementissimus imperator, hoc dicens: Videte civitatis hujus episcopum, et invicem vobis pacifico ordine reddite rationem. Nos e contra respondimus: Quid imus ad episcopum certamina facere? dominus noster beatissimus papa Hormisda, qui nos direxit, non nobis præcepit certare: sed præ manibus habemus libellum quem omnes episcopi volentes sedi apostolicæ reconciliari fecerunt; si præcipit pietas vestra, legatur; et si est in ipso quod ignoretur, aut verum esse non credatur, dicant, et tunc ostendemus nihil extra judicium ecclesiasticum in eidem libello esse conscriptum; aut si illi possunt docere quia non convenit religioni catholicæ, tunc nobis incumbit probare. Relectus est libellus sub conspectu principis et senatus. Nos statim subjunximus: Dicant præsentes quatuor episcopi qui adsunt pro persona Constantinopolitani episcopi si hæc quæ in libello leguntur gestis ecclesiasticis minime continentur? Responderunt omnia vera esse. Post quæ nos subjunximus: Domine imperator, et nobis grandem laborem episcopi abstulerunt, et sibi convenientem rem fecerunt dicere veritatem. Mox clementissimus imperator his qui aderant dixit episcopis: Et si vera sunt, quare non facitis? Similiter et aliquanti de ordine senatorio dixerunt: Nos laici sumus; dicitis hæc vera esse: facite, et nos sequemur. Intermissa quarta feria episcopus Constantinopolitanus in palatio suscepit a nobis libellum, et imprimis quasi tentavit epistolam potius facere quam libellum. Sed non post multa certamina hoc convenit, procemium modicum facere, et subjungere mox libellum, quemadmodum vestra beatitudo dictavit. Subscriptio ab eodem facta est, libello conveniens, similiter et datarum, cujus exemplaria et Græce et Latine apostolatui vestro direximus. Post factum libellum nomen Acacii de diptychis est deletum, similiter et Phravitæ, Euphemii, Macedonii et Timothei: et non solum hoc in ipsa sola ecclesia, in qua episcopus manet, verum etiam per omnes ecclesias cum grandi diligentia, Deo adjutore, suggerimus fuisse factum. Similiter deleta sunt de diptychis Zenonis et Anastasii nomina. Episcopi diversarum civitatum, quanti inventi sunt, libellum similiter obtulerunt: et cum grandi cautela suggerimus custoditum, ne quis nobiscum communicaret episcopus, qui libellum primitus non dedissent. Pari modo et omnes archimandritæ fecerunt: apud quos archimandritas et certamina nos habuisse suggerimus, dicentibus illis: Sufficit quia archiepiscopus noster fecit; nos factum ejus sequimur. Quid amplius? Post multa certamina, ipsi quoque ratione convicti, libellos modis omnibus obtulerunt. Post hæc omnia, Deo juvante, in ecclesiam processimus: et qualia gaudia facta sint unitatis, et quemadmodum Deus benedictus sit, quæ laudes quoque beato Petro apostolo, et vobis relatæ sunt, ipsius actionis consideratione perspicitis, quod mea lingua non valet explicare. Nihil est subsecutum secundum vota inimicorum, non seditio, non effusio sanguinis, non tumultus, quod veluti terrentes inimici antea prædicebant. Ipsi quoque ecclesiastici Constantinopolitani admirantes, et Deo gratias referentes, dicunt nunquam se meminisse ullis temporibus tantam populi multitudinem communicasse. His adimpletis etiam clementissimus imperator ad beatitudinem vestram sua scripta subjunxit, ordinem rei gestæ significans, similiter et vir reverendissimus Joannes Constantinopolitanæ civitatis antistes. Noveris etiam et sacra generalia esse edita, atque credimus Deo propitio et vestris sanctis orationibus per universas provincias quantocius destinari. Hæc Constantinopoli gesta sunt, et nunc de Antiochena Ecclesia tractatur; et ideo adhuc laboratur, quia nondum persona congrua est electa. Oret ergo beatitudo vestra intentius, ut Deus, qui vestris precibus exoratus Constantinopolitanam Ecclesiam apostolicæ sedi restituit, ipse et dignam personam donet in Antiochia ordinandam, et assiduas adunet Ecclesias. Rescribite episcopo Constantinopolitano. Si videtur beatitudini vestræ facite mentionem damnationum Severi et illorum quos nominastis in epistola illa quam scripsistis ad secundam Syriam per Joannem et Sergium monachos, hoc ipsum det ad imperatorem rescribentes. Si feceritis, videtur mihi necessarium esse.

* EPISTOLA
JUSTINI AD HORMISDAM.

Joannem episcopum catholicam fidem amplexum hæreticos anathematizasse, atque nomen Acacii, cum aliorum schismaticorum nominibus, e sacris tabulis expunctum esse.

Victor Justinus, pius, felix, inclytus, triumphator semper Augustus, Hormisdæ sanctissimo (sacratissimo) ac beatissimo archiepiscopo et patriarchæ (almæ urbis Romæ).

Scias effectum nobis, pater religiosissime, et quod diu summis studiis quærebatur, noveris, patefactum, et antequam advenerint qui a vobis destinati sunt: quod Joannes vir beatissimus antistes novæ vestræ (nostræ) Romæ una cum clero ejus vobiscum sentiunt, nullis variantes ambiguitatibus, nullis divisi discordiis; scias libellum ab eo subscriptum, quem offerendum indicaveras, sanctissimorum Patrum concilio congruentem. Omnes concurrunt alacri opere ad suscipienda vota tam vestra quam Constantino-

* Sacra imperatoris.

politanæ sedis, quos veritatis coruscus fulgor illuminat; omnes accelerant libentissime, quos oblectat via dilucida; sequuntur scita Patrum sanctissima, leges probatissimas: et conciliis quorumdam firmatis qui rectum tenebant tramitem, aliorum correctis qui vagabantur incerti, in eo res colligitur, ut unitatem individuæ Trinitatis ipsi quoque unitate colant mentium. Negatum est inter divina mysteria memoriam in posterum fieri (pro tenore libelli quem diximus) Acacii prævaricatoris quondam hujus (regiæ) urbis episcopi, nec non aliorum sacerdotum, qui vel primi contra constituta venerunt apostolica, vel successores erroris facti sunt, nulla usque ad ultimum diem suum pœnitentia correcti. Et quoniam omnes nostræ regiones admonendæ (religionis admonendi) sunt, ut exemplum imitentur civitatis regiæ, destinanda ubique principalia præcepta duximus, tanto flagramus religionis officio, tanto affectamus studio pacem catholicæ fidei pro remuneranda cœlitus pace nostræ reipublicæ, pro conciliando subjectis meis superno præsidio. Quid autem (enim) gratius reperiri potest? quid justius? quid illustrius? quam quos idem regnum continet, ejusdemque fidei cultus irradiat, eos non diversa contendere, sed collectis in eodem sensibus, instituta venerari non humana mente lata, sed divini prudentia Spiritus? Oret igitur vestræ religionis sanctitas, ut quod pervigili studio pro concordia Ecclesiarum catholicæ fidei procuratur divini muneris opitulatio, jugi perpetuitate servari annuat.

Datum x cal. Maii Constantinopoli *.

EXEMPLUM RELATIONIS

EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI AD HORMISDAM.

Ecclesiæ pacem initam esse nuntiat, ideoque plurimum eum gaudere monet.

Domino meo per omnia sancto et Deo amabili fratri et comministro Hormisdæ Joannes in Domino salutem.

Quando Deus propria mirabilia in suis operatur, tunc oportet ea quæ divinis litteris continentur ipsius Scripturæ vocibus fiducialiter exclamare: *Quis loquetur potentias Domini aut auditas faciet omnes laudes ejus in omni tempore* (*Psal.* cv)? Ecce enim talem pium principem Romanæ reipublicæ suscitavit, quali mundo ante et catholica indigebat Ecclesia, et omne genus hominum videre cupiebat. Ideoque ita etiam cornu (coronam) gratiæ super eum cœlitus declinavit, ut affluenter in sacrum ejus caput misericordia funderetur: omnique annuntiationis ejus tempore cum magna voce Deum omnium principem glorificaverunt, quoniam talem verticem meis manibus tali corona decoravit. Is vero maximus imperator primam suorum certaminum palmam, devicto inimico, evidenter ostendit; secundum virtutis ejus meritum, adunationem sanctissimis Ecclesiis sapientissime comparavit: regnum ejus tertium bonum, dissipata conjunxit, et pacem mundi sapientissime

A procuravit. Idcirco in omnibus Deo magno gratias referens cuncta sapientissime gubernanti, annuntiare tibi pacem pacis filio nuntiavi, in omnibus Deo amantissime; ut illud gaudium salias, quo David quidem secundum legem in arcæ Dei revocatione figuraliter exsultabat (*II Reg.* VIII), apostoli vero per gratiam veraciter lætabantur. Gaude itaque in Domino gaudium tuæ conveniens sanctitati, et scribe ea quæ vestrum benignum animum decent, homo Dei: nam quæ fuerant divisa conjuncta sunt, et dispersa collecta sunt; et quæ longe erant sibi invicem adunata sunt; et, sicut oportet dicere et olim scripsi, utrasque Ecclesias, tam senioris quam novæ Romæ, unam esse evidenter intelligens, et utriusque earum

B unam sedem recte esse diffiniens, indivisibilem adunationem, et utriusque nostrorum consonam confirmationem cum judicii integritate cognosco. Unde rogo Deum semper eam inseparabilem permanere orationibus sanctorum apostolorum et tuæ precibus sanctitatis, per quas donari nobis et universo mundo clementissimum et Christianissimum principem Justinum, et piissimam ejus conjugem, nostram autem filiam Euphemiam, in pace multis temporibus comprecatur, per omnia beatissime frater. Gavisi igitur de præsentia reverendissimorum episcoporum, nec non et clericorum vestrorum, gratias agimus, quoniam secundum petitionem nostram tales pacificos viros et vestræ dignos sedis apostolicæ destinastis, regulam Patrum sine confusione servantes, fidemque

C indivisam custodientes. Quorum amplectentes in omnibus mentem, cuncta per eos ad satisfactionem vestræ egimus sanctitatis. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, ego quoque et mei plurimum salutamus **.

EXEMPLUM EPISTOLÆ

JUSTINIANI AD HORMISDAM, CUI DE PROSTRATA PERFIDIA ET INITA PACE CONGRATULATUR.

Cum jam Ecclesia pace fruatur, pro imperatore ad Deum preces fundendæ.

Domino meo sanctissimo Hormisdæ primo archipontifici et papæ urbis Romæ Justinianus comes salutem.

Venerandæ sanctitatis vestræ prædicatio regula-

D rum, quæ Christo Deo pro Ecclesiarum pace et pro plebis concordia jugiter supplicat, quidquid nunc per beatissimos suos sacerdotes annuit peragendum, propitia divinitate cuncta effectui sociata sunt, nulla prorsus quorumdam valente discordia. Igitur vestris sacris orationibus ac præceptionibus orthodoxorum fide muniti, supplices petimus ut hic pro sanctissimo Augusto nostro, totius fidei fautore, proque ejus republica, pro nobis quoque mandatorum vestrorum custodibus, æterno Regi consueti impetrabiles preces offerre dignemini, nosque vobis fideliter supplices vestris salutiferis rescriptionibus visitare (anno Domini 519).

* Anno Domini 519, cum legati essent adhuc Constantinopoli.

** Anno Domini 519. Huc refer relationem Joannis supra recensitam.

EXEMPLUM EPISTOLÆ

POMPEII AD HORMISDAM.

De prostrata perfidia, et pace Orientalis Ecclesiæ inita, pontifici congratulatur.

Domino meo beatissimo et apostolico patri Hormisdæ archiepiscopo universalis Ecclesiæ Pompeius.

Sanctis beatitudinis vestræ precibus omnipotentis Dei pietas exorata tantæ nobis fidei principem condonare dignata est, ut religiosissimis clementiæ ejus meritis redintegratio pacis ecclesiasticæ, quæ votis omnium fidelium poscebatur, jure videatur esse collata; in cujus regis proventu solidissima principatus sui fundamenta sancti Spiritus operatione constituit, quæ tantum robur obtinent stabilitatis invictæ, quantum actionis excellentia unica et admirabilis æstimatur. Et ideo reverendam vestri pontificatus beatitudinem cultu reciprocantis alloquii salutantes, quæsumus ut magis magisque pro clementissimi atque invictissimi domini nostri principis prosperitate orare dignemini, quatenus ineffabilis omnipotentis Dei pietas sua dona, in quibus etiam fructus vestræ agricolationis exuberat, justis gratiæ opitulatione custodiat : nobis quoque filiis vestris spirituali vobis conglutinatis affectu, quos hujus operis maxime semper sollicitudo perstrinxit, suffragatrix intercessio sanctimoniæ pontificalis assistat (anno Domini 519).

EXEMPLUM EPISTOLÆ

JULIANÆ ANICIÆ HORMISDAM.

Præsentia legatorum omnes Ecclesiæ dissensiones compositas esse nuntiat; hos non nisi firmata pace discedere permittendum.

Domino beatissimo patri Hormisdæ Juliana Anicia.

Precibus vestræ beatitudinis, adventu legatorum principalis sedis apostolicæ elisis erroribus hæreticorum, in unitatem fidei catholicæ convenimus congregati simul ad ubera materna Ecclesiæ in die sanctæ resurrectionis. Quapropter stylo venerationis alloquentes sanctitatem vestram, admonemus ut intimetis, destinatis a vobis reverendissimis viris, nullo modo abscedere, antequam sicut prævideritis, ut oportet, firmentur ea quæ bene disposita sunt ab eis : ut, amputatis omnibus reliquiis transacti erroris, impendiis vestræ beatitudinis roborata unitas ad effectum perpetuum deducatur (anno Domini 519).

EXEMPLUM EPISTOLÆ

ANSTASIÆ AD HORMISDAM

Ut pro piissimi imperatoris salute preces ad Deum fundat, precatur.

Domino sancto et beatissimo patri patrum Hormisdæ archiepiscopo universalis Ecclesiæ Anastasia.

Divini luminis illuxisse nobis gratiam merito profitemur, apostolatus vestri reverentiam in sancto corde nostri tenere memoriam paginali assertione noscentes; veraci namque spe confidimus supernæ misericordiæ propitiationem de pontificali intercessione subsistere, domine beatissime et apostolico honore suscipiende pater. Pervigiles vestrarum orationum excubiæ, et miranda victoriosissimi principis fides splendore catholico semper irradians, diu A exspectatam sacrosanctis Ecclesiis concordiam pacis restituit, quam omnibus triumphis suis solidissime firmatis invictum jure exsultat præcoluisse vexillum. Ideoque illibata vestræ paternitatis sanctimonia pro incolumitate atque prosperitate prædicti domini nostri Augusti vota precesque omnipotenti Deo offerre indesinenti continuatione persistat, ut ineffabilem tantorum bonorum gratiam, quam ipse piis ejus sensibus inspiravit, ad futuræ quoque beatitudinis profectum conservare dignetur. Domino etiam jugali filio vestro, et mihi peculiari cultrici vestræ, cum sobole, quam nobis Dominus donare dignatus est, a vestro pontificatu oratio benigniter impendatur, cujus suffragio divini favoris protectio nobis clementer aspiret (anno Domini 519).

B EXEMPLUM EPISTOLÆ

THEODORITI EIPSCOPI LIGNIDENSIS AD HORMISDAM PAPAM.

Gratulatur pontifici de unione Ecclesiarum.

Domino sancto beato prædicabili et adorando apotolico patri Hormisdæ papæ urbis Romæ humilis famulus tuus Theodoritus.

Meæ quidem exiguitatis non esse tam magna præsumere, et ad vestrum pium sanctum apostolatum pusilli sermone præsentes parvulas destinare paginas. Sed quia, pro insita vobis humanitate, pio propitiationis animo omnia nutu Divinitatis protegere consuevistis, lucidum diem et totius festivitatis repletum omni reddidistis mundo, et vestris prædicandis precibus ad pristinum veritatis (unitatis) revocastis C statum, et in unum concordare vel subjugare vestris prædicabilibus et adorandis meritis annuistis. Ideoque etsi meis obrutus iniquitatibus, et ab eis undique oppressus, ex ipsius [*F.* ipsis] recreatus infernis, recurrente ad religiosa vestigia vestra famulo tuo viro religioso Pulione (Pollione), usurpavi me tam per eum, quam etiam his parvulis et exiguis chartis vestris prædicandis et adorandis præsentare vestigiis, divinum omnibus viribus exhortans favorem, et clara voce cum omnibus omnino canens : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II), qui pro sua incomprehensibili pietate vestris mirificis operibus omnia illuminavit et liberavit, et lucidum et totius festivitatis repletum diem in toto orbe vestris Deo dignis precibus præstitit, et ab D omni iniquitate eripuit, et omnem nodum colligationis absolvit, et omnem semitam aperuit. Hanc itaque gratulationis repletam pio vestro pronius offerens apostolatui, deprecor uti pro meæ flebilitatis exiguitate vestris piis precibus memores esse dignemini, domine sancte beate apostolice pater. Accepta XIII calendas Julii, domino Eutharico viro clarissimo consule (anno Domini 519).

EPISTOLA XLI.

AD GERMANUM CÆTEROSQUE LEGATOS.

De eorum incolumitate et rebus gestis certior fieri cupit.

Hormisda Germano et (*ad.* Joanni) episcopis, Felici et Dioscoro diaconis, et Blando presbytero.

Opinionum diversitas diu nos facit de prosperitate vestra vel de susceptæ actionis qualitate sollicitos :

præcipue cum nihil certum tam diuturno tempore vestræ dilectionis potuissemus rescriptione cognoscere. Nos tamen reperta latoris occasione hæc ipsa significare maluimus. Quapropter salutantes cum Dei omnipotentis auxilio incolumes nos esse cognoscite, quod et de vobis audire desideramus. Sed ut de omnibus quæ gesta sunt nostram plenius possitis instruere notionem, a quibus personis, vel in quibus locis bene, sicut credimus, suscepti fueritis, vel ubi, aut sub qua festivitate resurrectionis dominicæ caritas vestra tenuerit diem. Et quid deinceps egeritis, per omnia rescriptis currentibus declarate, quatenus vestram [*F.* nostram] cogitationem de vestra et actuum prosperitate relevare possitis, et si quid instructioni quam suscepistis causæ defuerit, subjungere cum Dei nostri solatio valeamus. Data VII calendas Maias Eutharico viro clarissimo consule (anno Domini 519).

EPISTOLA XLII.

AD EOSDEM LEGATOS.

Dolet illos non scribere : se Paulinum ad imperatorem misisse ait.

Hormisda quibus supra.

Animus noster diuturna redditur exspectatione sollicitus : præcipue ad tantum principem destinati, sub celeritate nos certiores debuissetis efficere. Nam ante diem Ascensionis dominicæ litteras vestras credebamus nos posse suscipere. Idcirco tam vestræ sospitatis indicia, quam profectum causæ, quam peragendam cum Dei nostri juvamine suscepistis, desideramus agnoscere. Paulinum Ecclesiæ Romanæ defensorem cum scriptis præsentibus destinare curavimus, tam principi litteras, quam singulis, quibus oportuit, dirigentes. Quapropter Deum nostrum congruis precibus oramus, ut ipse salutem vestram sua propitiatione custodiat, et causæ qualem desideramus concedere dignetur effectum. Qui [*F.* quia] nihil majus inter titulos optimi imperatoris ascribitur, quam si eum Ecclesia Græca, præsens et futura, prædicare mereatur pacis auctorem. Data III calendas Maias, Eutharico viro clarissimo consule (anno Domini 519).

EPISTOLA XLIII.

AD EOSDEM LEGATOS

De his quæ agant vult se moneri : Stephanum commendat.

Hormisda legatis nostris quibus supra.

Necesse est ut vel de injunctæ actionis statu vel de vestræ dilectionis cogitemus absentia, et pro his rebus sollicitudo nostra non patitur scribendi quaslibet occasiones omittere. Antehac per Magistrianum, qui in Symmachi patricii remeavit obsequium, litteras caritati vestræ direximus, hortantes ut nos de universis quæ in causa ecclesiastica gesta sunt vel geruntur non omitteretis instruere, quod et facere pro nostræ cogitationis revelatione debetis. Nostri enim voti est ut labori vestro Deus omnipotens desideratum concedere dignetur effectum. Stephanum negotiatorem per quem vobis nostra contradentur

A alloquia, in quo ratio poposcerit, competentibus solatiis adjuvate, quia hunc semper nostrum fuisse recolitis. Data eodem die (anno Domini 519).

* EPISTOLA XLIV.

AD JUSTINUM AUGUSTUM.

Gratulatur cum ejus opera Constantinopoli pax vigeat, hoc ipsum Antiochiæ et Alexandriæ faciendum curet.

Hormisda episcopus Justino Augusto.

Lectis clementiæ vestræ paginis, quæ restitutam fidei concordiam nuntiabant, in divinæ laudis canticum mens totius Ecclesiæ læta prorupit, quo canitur : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Hujus igitur fiducia hymni
B dignam fidelibus meritis gloriam felicitatemque præsumite. Neque enim te ita Deo placitum principem ad imperii verticem humanus tantum consensus evexit, te sibi divinus favor ante formaverat. Tradidit enim tibi Orientis imperium ut ejus operum fieres instrumentum ; atque ideo ut hoc in te propheticum dictum jure conveniat efficiatis : *Constitues eos principes super omnem terram; memores erunt nominis tui, Domine, in omni progenie et generatione* (*Psal.* XLIV). Etenim cum tibi sit Christianam pacem servare propositum, quis te dubitet a Christo esse dilectum (delectum) ? Hæc prima sunt vestri fundamenta principatus, Deum placasse justitia, et ascivisse vobis excellentissimæ majestatis auxilia, dum adversarios ejus velut proprios compri-
C mitis inimicos. Hæc nimirum maxima reipublicæ fundamenta sunt, hoc solidum invictumque robur. Neque enim humanis ictibus potest esse pervium quod est divinæ gratiæ firmitate vallatum. Testis est huic prophetica Scriptura ; ait enim : *Elegi David servum meum, oleo sancto meo unxi eum* : *manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum* (*Psal.* LXXXVIII). Contra autem frustra arma, frustra sibi copias quærit, quem gratia superna destituit. Etenim veraciter scriptum est : *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam* (*Psal.* CXXVI). Bellabis tu quidem divino tutus auxilio, excellentissime princeps, et tuæ reipublicæ jugo ferocissimarum gentium colla submittes ; sed nulla
D victoria potest esse præstantior, quam quod humani generis hostem post quæsita tam longi temporis firmamenta subvertis. Enimvero cæterorum natura præliorum distincta gentibus, regionibus terminata, cruore polluta ; hæc omne genus humanum palma complectitur, hunc omnibus regionibus imputabis (importabis) triumphum ; et quod divinæ proximum pietati est, qui paulo ante ductu diaboli grassabantur, nunc ad propriæ salutis effectum sine sanguinis effusione vincuntur. Durabit igitur hujus Christianæ victoriæ per ævum triumphus. Neque enim poterunt labe temporis aboleri, quæ in sempiterna fidei stabilitate fundata sunt. Permanebit longe lateque vestrorum fama factorum, et sicut divinis designatur eloquiis, *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines*

* Hæc epistola cum quinque sequentibus scripta est post pacem nuntiatam, anno Domini 519.

terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). Et cæteris quidem bellis agros, urbes, oppida et, quod supremum est, subjectorum libertatem tueris, quæ, mortalium usibus comparata, simili quadam mortalitate solvenda sunt. In hoc certamine vita ipsa defenditur, et quodammodo pro sempiternæ beatitudinis arce pugnatur. Quocirca continuam tanti operis apparatus clementiæ vestræ intentionem requirit. Facite ut nullum prorsus receptaculum eo quo rursus immanissimus hostis emergat inveniat; cunctis eum nudate præsidiis, et si quid usquam vestigiorum ejus reliquum est, id omne elementi remedio purgate: omne nequitiæ germen funditus eruatur: adversa Deo stirps ad vivum usque resecetur, ne minus compressa (quod absit) iniquitatis radix venenata latius iterum virgulta diffundat. Quorsum hæc? Quia superest adhuc vobis Alexandrinæ atque Antiochenæ et aliarum Ecclesiarum nullo modo negligenda correctio, in qua si suam curam clementia vestra immiserit, spes est quo auctore bona cuncta credimus incipi, eodem celeriter auxiliatore compleri. Commendamus præterea legatos ab apostolica sede directos, et apud vestram fidem religionemque deponimus; quos ita perfectis omnibus pietas vestra dimittat, ut divinis vestrisque beneficiis ad apostolicam sedem plenam referant de Ecclesiarum omnium pace lætitiam. Quæ scripta per Paulinum Romanæ Ecclesiæ defensorem famulum vestræ pietatis ingerenda transmisimus. Data VII idus Julii, Eutharico viro clarissimo consule (anno Domini 519).

EPISTOLA XLV.

AD JOANNEM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Laudat Joannem ad unitatem Ecclesiæ rediisse; hortatur ut Alexandrinæ et Antiochenæ Ecclesiæ unionem procuret, legatosque ei commendat.

Hormisda Jonnni episcopo Constantinopolitano.

Consideranti mihi tuæ scripta caritatis, in quibus cum sede beati apostoli Petri unam tibi esse fidem professus es; prophetica libet exclamare licentia: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* XXXII). Neque enim refert quam longinquis locorum spatiis dividamur, quando jam Deo auctore una fidei cohabitatione conjungimur; nunc enim misericordia procurante divina in unius corporis vultum dissipata olim Christi membra conveniunt, et ab iniquissimis direpta latronibus annuntiata a propheticis vocibus Domini nostri redintegratur hæreditas, et vere in hujus petræ fide, id est apostolorum principis firmitate, Orientalis Ecclesiæ fundamenta solidantur, quæ, cum facta tuis litteris indicentur, tempestiva exsultatione dicendum est: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (*Rom.* X). Gratias igitur excellentissimæ Trinitati, quæ consentientis in Christum Ecclesiæ ac reipublicæ dedit esse rectores: enimvero rerum salus est, quotiens in fidei catholicæ veritate sacerdotes ac principes mens una connectit. Hoc firmum pacis vinculum est, hæc cœlitus dimissa societas; neque fas est enim in quo vident concordari præpositos, aliud sentire subjectos. An dubium est

A cuncta hæc providentiam disposuisse divinam? Primum eum principem esse delectum, qui cum se hominum suscepisse videret imperium, non se oblitus est Deo esse subjectum. Dehinc quod talem fraternitatem tuam Ecclesiæ suæ præsulem dedit, quem non esset ambiguum cum sede nostra, id est apostolica, certam mansuramque fidei subiturum esse concordiam. Etenim libello a nobis fidei libenter accepto, cum redintegrationis in Christo fueris avidus, nunquam in prædestinatione divina fuisse a nobis cognosceris alienus. Itaque, dilectissime frater, Dei nostri sponte currentibus instate beneficiis, sparsi olim gregis plenius membra colligite, et custodite collecta. Memento nunc clementer assignatæ a Christo navis
B esse te rectorem: fac cogites diabolicæ contumaciæ spiritus, quietem itineris et curam turbantes; nec te latent fluctus tempestatis incertæ, quos evigili mente prospicias, et erecta in Deum ratione compenses. Nulla tibi commissi negotii negligentia clavum dominicæ retis extorqueat. Illud unicum recti itineris signum fixis semper obtutibus intuere, quo certius perflantis diaboli turbata contemnas, et ad promissi portus tranquilla pervenias. Hæc est Christiani palæstra certaminis, tali Christi militiæ sempiternæ vitæ palma proponitur. Hæc tibi rectissime cogitanti non deerit suo militi præsidium ducis; et quanto hostium multiplicantur insidiæ, tanto summi gratia rectoris adversantis venena misericordiæ suæ facit esse materiam, sicut sermo apostolicæ veritatis
C asseruit, dicens: *Ubi abundavit iniquitas, superabundavit et gratia* (*Rom.* V). Tu tantum divinis rectissimisque inhærens institutis, ecclesiasticam fovendo concordiam, veluti quodam pacificæ voluntatis signatus indicio, illius esse discipulus approberis qui ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Hortare etiam, quanquam sponte ad recta tendentem, filium nostrum clementissimum principem Justinum, Christiano sæculo divinitus comparatum, ea perficere quæ regalibus litteris dignatus est polliceri, ut missis ad eos edictis quos ab Ecclesiæ matris uberibus etiam nunc devius error abducit, diabolicam fraudem et auctoritate religionis et moderata potestate compescat imperii, eamque sibi contra communem totius humanitatis hostem maximam ducat esse victoriam, si supernæ auxilio Divi-
D nitatis vetusti serpentis venena compresserit. De Antiochenæ quoque atque Alexandrinæ Ecclesiarum statu non supersedeas esse sollicitus, et clementissimo subinde supplicato ut in his quoque pacem religiosa ordinatione restituat, quatenus bonis cœptis plenæ cumulum perfectionis adjungat. Frustra enim bonum opus incipitur, si non in totum perfectio subsequatur. Commendamus præterea legatos a sede apostolica destinatos, quos ita faciat ad nos tua dilectio remeare, ut nobis plenam referre queant de restituta universis Ecclesiis pace lætitiam. Data VII idus Judii (anno Domini 519), Euthayrico v. c. consule.

EPISTOLA XLVI.

AD JUSTINIANUM.

Commendat eum, quod Justino adjumento fuerit in pace Ecclesiæ reddenda ad quam perfecte ineundam hortatur.

Hormisda illustri viro Justiniano.

Benedicimus ineffabile Divinitatis auxilium, quia de Ecclesiarum pace universitatis desiderium sub tranquillitate agnovimus fuisse completum. Quod quidem non præter opinionem nostram contigit fieri : quia religiosissimi Augusti præsumpti genere spem semper gessimus de quiete, et quod credidimus faciendum sub principe Christiano de adunatione, erat in votum. Quare habebit gloriosus imperator de hac causa triumphorum titulos, non quibus se oblivio mortalitatis interserat, sed quos Divinitatis gratia super perpetuitate confirmet : et vobis quoque cœlestis remunerationis non deerit præmium, qui adjuvistis boni principis institutum, atque obsequio convenienti desiderio horrorem segregationis fecistis excludi. *Benedictus Dominus Deus noster, qui visitavit et fecit redemptionem plebis suæ* (*Luc.* I). Superest nunc ut, quia vobis hujusmodi officium certum est providentia Divinitatis injunctum, accingatis, ut ait, lumbos, et pacificæ adhortationis viribus persequamini, a quibus pacem non videtis agnosci, maxime quia gratiæ gloriæ vestræ detrahitur, si quid in hac causa fuerit minus impletum. Circumspicite omnia fide qua vivitis, et diligentia qua vigetis occurrite omnibus incursibus quibus religionis Christianæ reverentiam videtis esse vexatam, ut instantiæ vestræ bene possimus cum exsultatione dicere : *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum omnes fines terræ* (*Psal.* XXI). Quæ cum ita sint, vos qui Ecclesiæ catholicæ tranquillitati fecistis initium, procurare decet effectum : non deerit Salvatoris nostri favor in perfectione, qui vobis hoc opus inspiravit incipere. Data consule suprascripto (anno Domini 519.)

(Post hanc epistolam in collectione Avellana altera hæc succedit quam ex eadem collectionne vulgarunt Ballerini oper. S. Leonis, tom. III, pag. 166).

Hormisda.

Cum necesse fuerit scripta domino filio nostro clementissimo principi destinari, amplitudinem vestram silentio præterire nequivimus. Et ideo salutationis honorificentiam præloquentes eos qui in rem destinati sunt commendamus, postulantes ut domino nostro auctore sub vestra dispositione celeriter ut (*leg.* ad) destinata perveniant, ut sacratissimus et religiosissimus imperator meritorum suorum gloriam possit sine dilatione cognoscere.

EPISTOLA XLVII.

AD POMPEIUM.

Laudat Pompeium quod se pacis studiosum ostenderit : hortatur ad operam navandam, ut perfecta Ecclesiæ tranquillitas reddatur.

Hormisda Pompeio.

Ita devotionis nostræ animum gaudio concordiæ fatemur impletum, ut nulla credamus verba sufficere quibus fidei vestræ puritatem valeamus explere. A Magna profecto memoria felicitatis transibitis ad posteros, quia vos in facienda pace sollicitudine certum est fuisse constrictos. Habetis apud Divinitatem meritum, cujus religioni persolvitis affectum. Operati quidem estis generalitatis desideria, sed et vestra pariter completa sunt vota; et cum animæ vestræ paraveritis præmium, universitas sibi gaudet beneficium impensum. Quapropter debita honorificentia salutantes hortamur, et petimus, ut vivacitate qua quietis ecclesiasticæ cœpistis initium, procuretis effectum; et quocunque contentionis alicujus videritis remansisse vestigia, curetis modis omnibus insequenda. Adeste Ecclesiarum Dei plenissimæ tranquillitati, insistite labori, quem fidei vestræ munere Domino curastis offerre. Facitis enim, ut majore a B vobis fiducia exigamus plenitudinem, quos gratulamur desideratæ dulcissimæ adunationis initia votiva fundasse. Data consule suprascripto (anno Domini 519).

EPISTOLA XLVIII.

AD JULIANAM ANICIAM.

Eadem quæ in superiori.

Hormisda Julianæ Aniciæ.

Litteris amplitudinis vestræ perceptis, gratias Deo nostro de catholicæ fidei redintegratione persolvimus; optantes ut ipse vestris sensibus, pro religione sua, quod concessit longa ætate conservare dignetur studium : ut sicut personam vestram imperialis sangui- C nis vena nobilitat, ita conscientiæ bonorum meritorum luce præfulgeat. Unde salutantes cultu atque honorificentia competenti, poscimus ut in eo quo cœpistis permanere proposito debeatis, et dare operam, ut ad effectum conatus tantæ causæ perveniat, ne aliquod in posterum semen hujus mali remaneat, unde posthac sub qualibet occasione inimicus quilibet fidei revirescat (anno Domini 519).

EPISTOLA XLIX.

AD ANASTASIAM.

Eadem quæ in superiori.

Hormisda Anastasiæ.

D Postquam Deus noster Ecclesiæ suæ membra in pacem pristinam redeuntis solidavit, diu vos desiderasse certamina... Quod provenisse gaudentes, et nos quidem indesinenter divinam clementiam deprecamur ut, sicut has regni primitias gratanter accepit, ita fidem boni principis omni semper adjuvet prosperitatis affectu, et tam ipsum quam vos omnes in sacrosancto religionis amore custodiat, ut quorum fides errorem pessimæ dissensionis abjecit, et tu ita in terris floreas, ut æternæ salutis remuneratio subsequatur. Nunc igitur vos quoque vota nobis conjungite, et omnibus a Deo viribus implorate : ut hujus correctionis exemplum omnes sequantur Ecclesiæ, ut nihil sibi diabolus remansisse gaudeat, quem in totum pene nostra concordia gratulatur exclusum (anno Domini 519).

EPISTOLA L.

AD GRATUM.

Gratum salutat, ab eoque certior fieri de ejus salute postulat.

(*a*) Hormisda Grato viro sublimi.

Contristavit nos amplitudinis vestræ silentium, quia inter quaslibet occupationes nostri esse non debuistis immemores. Et ideo ne quod in vobis reprehendimus incurrere videamur, necesse fuit operam styli præsentis assumere, per quam nobilitatem tuam honorifice salutamus, postulantes ut sollicitudinem nostram de bono vestræ prosperitatis non desinatis efficere certiorem, quia incolumitatis vestræ bona quibuslibet indiciis Deo nostro cupimus propitiante cognoscere.

EPISTOLA LI.

AD OMNES HISPANIÆ EPISCOPOS.

Joannis Constantinopolitani episcopi professionem dirigit, propter orientales episcopos (clericos), qui eorum communionem poposcerint.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Hispaniam constitutis Hormisda.

Inter ea quæ notitiæ nostræ Joannes frater et coepiscopus noster studio ecclesiasticæ utilitatis ingessit, hoc quoque pro affectu catholicæ fidei et apostolicæ sedis veneratione consuluit, quo ordine ex clero Græcorum venientibus tribui deberet sancta communio, propter causam scilicet Acacii, a prædecessoribus nostris pro hæreticorum communione damnati, in qua, qui se ab ejus contagione non dividunt, a nostra communione habeantur excepti. Laudo propositum viri hoc zelo circa fidem et apostolica instituta ferventis, ut nec per ignorantiam quidem quemquam cœno erroris alieni pateretur immergi. Digna hæc cura fidelibus, ut sollicito studio semper invigilet, et inculpatos se ab omni perversitate conservent. Ipsa est enim fidei innocentia, ut prævideat, ne vel casu possit errare (prævidere vel cavere possit errores). Satisfacientes igitur et laudabilibus desideriis memorati viri, et memores nostri (sicut oportet) officii, documenta quæque de Ecclesiæ scriniis assumentes, ad concilium vestrum pro generalitatis instructione direximus, ut ex illis plenius quæ sunt acta discentes, ab omni vos errantium communione (contagione) separetis. Neque enim est personalis odii causa in impios transgressores dicta (Deo inspirante) sententia, in qua quidem causa nequaquam (neque) a prædicatione cessavimus, et principi supplicando, et sacerdotes et populos admonendo, ut transgressores absoluti, ad rectam se fidem et affectu Dei et judicii timore converterent. Sed obstinatio miseranda eo perduxerat illos, ut nullis modis mortifera venena vincantur, sed mala semina fixis in deterius pullulent radicibus. Ergo, dilectissimi fratres, ad omnia competenter instructi, servate vos et Ecclesiam Dei apostoli exhortatione compuncti (*Act.* xx). Nos autem libellum misimus, sub quo si quis communionem vestram de Orientalibus clericis po-

A poscerit, ad eam possit admitti, secundum quam et de Thraciæ et Scythiæ, Illyricique partibus, vel Epiri veteris, sed et secundum quod (quam) de Syria multos jam constat esse susceptos, gaudentes ad recta confluere, et devia declinasse. Unde pro subreptione mandamus, ut omnis cura et sollicitudo omnis invigilet, et ut jam nullus sit ignorantiæ locus, nullus utatur simplicitatis excusatione præterita (præteritis). Scienti peccare necessaria confessio est. Necesse (Et necesse) est ut errorem sibi scribat, qui monstratur institisse pravo itineri. Bonifacius notarius sanctæ Ecclesiæ Romanæ ex scrinio editi exemplaria libelli exsequitur.

Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire et a B constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* xvi), etc., hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica extra maculam semper est catholica servata religio. De qua spe et fide minime separari cupientes, et Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes hæreses, et præcipue Nestorium hæreticum, qui quondam Constantinopolitanæ fuit urbis episcopus, damnatus in concilio Ephesino a beato Cœlestino papa urbis Romæ, et a venerabili viro Cyrillo Alexandrinæ civitatis antistite. Similiter et anathematizamus Eutychen et Dioscorum Alexandrinum in sancta synodo, quam sequimur et amplectimur, C Chalcedonensi damnatos, quæ secuta sanctum concilium Nicænum fidem apostolicam prædicavit. Detestamur et Timotheum parricidam, Ælurum cognomento, discipulum quoque ipsius, et sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum condemnamus. Et etiam anathematizamus Acacium Constantinopolitanum quondam episcopum ab apostolica sede damnatum, eorum complicem et sequacem, vel qui in eorum communione aut societate permanserint. Qui Acacius quorum se communioni miscuit, ipsorum similem habere meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnamus cum sequacibus suis et omnibus suprascriptis. Suscipimus autem et probamus epistolas beati Leonis papæ universas, quas de religione Christiana conscripsit, D sicut prædiximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem, et prædicantes ejus omnia constituta. Et per omnia spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra et vera Christianæ religionis et perfecta soliditas : promittens in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est non consentientes sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo a mea professione deviare tentavero, his quos damnavi complicem me mea (hac) sententia esse profiteor. Hanc autem professionem meam ego manu mea subscripsi, et tibi Hormisdæ sancto ac venerabili papæ urbis Romæ direxi.

(*a*) In Collectione Avellana Cod. Vatic. 4061 iste titulus sic enuntiatur : *a Grato in l. Hormisda.*

EPISTOLA LII.

AD GERMANUM CÆTEROSQUE LEGATOS.

Monet ut cum imperatore ejusque conjuge agant, ut omnes Ecclesiæ, præcipue vero Alexandrina et Antiochena, ad apostolicæ sedis communionem revocentur.

Hormisda Germano et Joanni episcopis, Felici et Dioscoro diaconis, et Blando presbytero.

De his quæ acta caritatis vestræ relatio comprehendit, gratias Deo nostro referimus, qui laborem vestrum juvare dignatus est, et hortamus ut clementissimo principi et piissimæ Augustæ conjugi ejus officiis imminere competentibus debeatis, et agere, auxiliante Christo nostro universis sub ecclesiastica observatione dispositis, ut omnes Ecclesiæ, quæ in qualibet mundi parte sunt positæ, ad communionem sedis apostolicæ revocentur. De Alexandrina vero atque Antiochena Ecclesiis laborate ut nostræ fidei sub observatione rationabili connectantur, quia tantæ rei perfectio, tam clementissimo principi, quam vobis, gratiam divinæ propitiationis acquirit. Data Eutharico viro clarissimo consule (anno Domini 519).

EPISTOLA LIII.

AD DIOSCORUM DIACONUM.

Ut cogitet quomodo ii qui Chalcedonense concilium scripto damnaverunt, et ad Ecclesiam redire cupiebant, recipiendi sint. Thomam, Nicostratum et Joannem episcopos ei commendat.

Hormisda Dioscoro diacono.

De laboris tui, quem cum Dei omnipotentis juvamine suscepisti, pro ea parte quæ acta est, gratulamur effectu; et indicamus ut quemadmodum revocandi sunt hi qui ex scripto Chalcedonensis concilii constituta damnaverunt debeas cogitare. Forsitan tales non schismatici, sed magis hæretici videantur. An certe una sit causa tam eorum qui sermonibus quam eorum qui convincuntur scripto damnasse, quia per hanc distantiam filius noster vir illustris Albinus religiosus videtur facere quæstionem, et cogita utrum et scribentes contra Chalcedonense concilium, per illum generalem libellum tantum suscipi debeant, an certe aliquid amplius addicere. De Alexandrina et Antiochena Ecclesiis solatio Dei nostri adjutus enitere, ut omnibus recte dispositis communioni catholicæ socientur. Thomæ quoque et Nicostrati fratrum et coepiscoporum nostrorum observatio nos longa contristat; et miramur cur apud catholicum principem rectæ fidei laborare videantur episcopi, quorum desideria tua debebit caritas sublevare, agendo quatenus optata consequendo mœror converti possit in gaudium. Joannes Nicopolitanus episcopus per Ammonium diaconum nobis scripsit, quod ei aliqui malevoli apud principem nituntur generare calumniam: quem dilectioni tuæ commendamus, hortantes, ut elabores ne ejus quieti inimicorum possit nocere subreptio. Quem Ammonium diaconum ad nos venientem in sedis apostolicæ noluimus communione suscipere, tandiu donec, habito cum Sergio diacono tractatu, quid ordinari debuerit A quæreremus, et hoc deliberatio nostra de supradicto diacono probabilis invenit, ut per testimonium libelli communioni catholicæ jungeretur; quem libellum solemniter oblatum, et nostræ offerentem communioni significamus adjunctum. Data consule suprascripto (anno Domini 519).

EPISTOLA LIV.

AD EUMDEM.

Laudat ejus de firmanda pace sollicitudinem. Ad imperatorem se litteras daturum, ut eum Alexandrinæ Ecclesiæ præficiendum curet. Thomam et alios ei commendat, et hortatur ne pro reditus festinatione quidquam indispositum relinquat.

Hormisda Dioscoro diacono.

De laboris tui quidem, quem Dei omnipotentis ju- B vamine suscepisti, pro ea parte quæ acta est, gratulamur effectu; indicantes omnibus Italiæ populis quæ auctore Deo * (per te acta sunt placuisse; et gratias Deo) nostro sine cessatione persolvimus, qui te fecit agnoscere, quia non pro odio, sed pro causæ magis fueris amplitudine destinatus. Unde quoniam supplicem et puram cogitationem nostram per te misericordia divinæ propitiationis adjuvit, necesse est ut de industriæ vel fatigationis tuæ præmio et vicissitudine cogitemus. Nam sequenti tempore scribere domino et filio nostro imperatori disponimus ut te Alexandrinum episcopum debeat ordinare. Justum est enim ut ea doctrina et moderatione tua corrigatur Ecclesia, in qua præcipue ab ipsis ætatis tuæ prin- C cipiis militasti; nam displicuit nobis quod caritatem tuam amplissimus imperator Antiochenæ præponere nitebatur Ecclesiæ. Melius enim in solo patriæ tanti accipies sacerdotii dignitatem, ut Ægyptios populos doceas, quam inter Syros, novos et incognitos homines, in alia orbis parte progenitos errare videaris. Thomæ quoque et Nicostrati fratrum et coepiscoporum nostrorum observatio longa nos contristat, et miramur cur apud catholicum principem rectæ fidei laborare videantur episcopi, quorum desideria tua debebit caritas sublevare, agendo quatenus optata consequendo mœror converti possit in gaudium. Joannes Nicopolitanus episcopus per Ammonium diaconum nobis scripsit, quod ei aliqui malevoli apud principem nituntur generare calumniam: D quem dilectioni tuæ commendamus, hortantes, ut elabores ne ejus quieti inimicorum possit nocere subreptio. Quem Ammonium diaconum ad nos venientem in sedis apostolicæ noluimus communione suscipere, tandiu donec, habito cum Sergio diacono tractatu, quid ordinari debuerit quæreremus; et hoc deliberatio nostra de supradicto diacono probabilis invenit, ut per testimonium libelli communioni catholicæ jungeretur; quo libello solemniter oblato nostræ offerentem communioni significamus adjunctum. Paulinum Ecclesiæ Romanæ defensorem commendamus et hortamur, ut nihil indispositum pro festinatione vestri reditus relinquatis: quia melius cuncta sub prolixitate temporis cum Dei nostri juvamine disponuntur, et gratius est, ut sub mora omnium Ecclesia-

* Ansulis inclusa supplevimus ex editione Romana per incuriam in Labbeo omissa.

rum ordinetur status, quam cum per festinationem aliquid imperfectum remaneat, unde iterum et labor nobis generetur et nostris afferatur ordinationibus difficultas. Data supradicto consule (anno Domini 519).

EPISTOLA LV.

AD THOMAM ET NICOSTRATUM.

Se de eorum salute esse sollicitum. Joanni et Dioscoro per litteras eos commendasse.

Hormisda Thomæ et Nicostrato episcopis.

Animum nostrum pro negotio vestro otiosum aut desidem non putetis, nam non aliter de vestra fatigatione quam de propria cogitamus. Mena siquidem Ecclesiæ nostræ notario insinuante, cognovimus caritatem vestram adhuc observationum molestias sustinere : et ideo in istis adversitatibus Deus omnipotens dignetur præstare remedium, tam ad Joannem fratrem et coepiscopum nostrum scripta direximus, quam dilectissimo filio nostro Dioscoro diacono per litteras nostras injunximus, ut domino et filio nostro Justino principi necessitatem et causam nostræ dilectionis insinuet, et instanter agat, quatenus desideriis vestris dominus noster congruum dignetur præstare effectum : cum quo Dioscoro diacono debet loqui vestra fraternitas, quia necesse est ut intentioni vestræ, vel intuitu catholicæ communionis vel consideratione nostræ adhortationis, studeat. Data quo supra consule (anno Domini 519.)

EPISTOLA LVI.

AD JOANNEM ET DIOSCORUM LEGATOS.

Thomam et Nicostratum Constantinopoli congruo honore dolet non fuisse receptos.

Hormisda Joanni episcopo et Dioscoro diacono.

Reperimus Thomatem et Nicostratum fratres et coepiscopos nostros Constantinopolim non ita susceptos sicuti nostra fuere desideria, et ipsi semper optabant : non solum enim loca eis debita dicuntur ablata, sed a communione quoque eos cognovimus fuisse suspensos. Quod quam acerbe ferat animus noster, etiam fraternitatem et dilectionem tuam credimus æstimare : et ideo quantam diligentiam causæ videtis magnitudinem poscere, tantum vos efficaciam debetis sine mora præstare; et agere, ne nos magis, apud quos fuerunt, videamur esse contempti, cum illis, contra quam desiderium commune habuit, sollicitudinis molestia fuerit indecenter injecta, in tantum ut nec de facultatibus eorum (quæ eis dicuntur invasæ a fratre et coepiscopo nostro Joanne) dicatur aliquod ordinatum, nec litteras nostras, quas per eos misimus, fuisse susceptas. De quibus omnibus ita vos agere desideramus instanter, ut ad nos caritas vestra de effectu hujus causæ valeat sub celeritate rescribere. Data quo supra consule. (anno Domini 519).

EPISTOLA LVII.

AD JUSTINUM AUGUSTUM.

Ut suis sedibus Heliam, Thomatem et Nicostratum restituendos curet.

Hormisda Justo Augusto.

A Gloriosis clementiæ vestræ laboribus ecclesiasticæ palma concordiæ et orbis pacati votiva tranquillitas generali prædicatione respondent. Quæ res nostrum parcum reddit ac retinet ad agendas gratias sermonis officium. Illud tamen, quod pro vobis indesinenter Domino nostro preces effundimus, non taceamus, quia in votis infinitus affectus est, finitum esse potest in prædicatione judicium. Verum inter hæc pietatis vestræ beneficia, uno [*F.* una] nos quæ etiam vehementer afficit, cura non deserit, quod Heliam, Thomatem, atque Nicostratum fratres et coepiscopos meos, qui primi ecclesiasticam festina secuti sunt devotione concordiam, non solum magni frustratur palma principii, verum etiam mali miseria comitatur B exempli. Quare clementiam vestram, mixto etiam precibus fletu, deposcimus, ne gaudia nostra, quæ de hæreticorum quotidie conversione præstatis, præfatorum abjectio intoleranda conturbet, quia non sola personarum nos causa sollicitat, quibus et boni facti simul sufficere gloria posset et meriti : sed quod venerabilium constituta canonum contemnuntur, et quod non parvam eorum abjectio apostolicæ sedis tangit injuriam, nec Christianitatis vestræ sinceritas, quia et magnum patrocinium veteribus constitutis impenditis, et sedis apostolicæ principatum acta noviter veneratione sancitis, uno inexpugnabilem relinquat posteris negotio quæstionem.

EPISTOLA LVIII.

C

AD EUPHEMIAM AUGUSTAM

Perpetuas pro Euphemiæ et ejus viri salute ad Deum se preces effundere. Thomam et alios commendat.

Hormisda Euphemiæ Augustæ.

Orare nos et pro vestra incolumitate Deo nostro vota persolvere, cum catholicorum etiam cœtu sine cessatione pontificum, non vestræ studium exorationis invitat, sed devotum atque persistens in ecclesiastica stimulat reconciliatione propositum. Quis enim ab hæretica segregatus conspiratione se teneat, quis aliis in sua utatur deprecatione principiis, nisi ut vobis serenissimoque principi jugali vestro et vita sit longior, et ad prosperitatis augmentum gratia divina proximior, qui initia felicis imperii plectendi exsecrationibus consecrastis erroris, et amicam diabolo pacifica expulistis intentione discordiam? Unde nunc D decet vos laudabilibus cœptis insistere, et per totum orbem perfectam spargere medicinam; quia Christo major numerus gregis oblatus mercedem confidenter exigit largiorem; inter quæ curæ vestræ sit ut nullum Satanas jamdudum prostratus vulnus efficiat, sed communionis unitas magnum sit justitiæ impetrandæ suffragium. Quæsumus namque ut tandem de venerabilibus fratribus et coepiscopis nostris, Helia, Thomate atque Nicostrato, quod sacratissimorum canonum dictat autoritas vobis decernentibus impleatur, ne videantur, ut auctores alicujus mali, quod primi ad unitatem sedis apostolicæ festinarunt, in communi omnium gaudio soli meruisse percelli, et in facto laudabili victam personali odio cessisse justitiam. Nostris ergo precibus apud clementissi-

mum Augustum vestras adjungite, ut fructum, quem illis Patrum regulæ tribui et conservari præcipiunt, inimica tergiversatio auferre non possit.

EPISTOLA LIX.

AD JUSTINIANUM.

Justiniani studium erga ecclesiasticam pacem laudat, eique Heliam, Thomatem et Nicostratum episcopos commendat.

Hormisda Justiniano viro illustri.

Studium vestrum erga ecclesiasticam pacem et damnatos hæreticæ contentionis errores, ipsis rerum effectibus approbamus; cujus vos operis magna immensaque sine dubio merces exspectat. Hinc est quod quidquid pro canonum firmitate et pro apostolicæ sedis reverentia necessarium duxerimus, magnitudini vestræ secura peragendum protinus præsumptione mandamus, quia cum magno vos gaudio pro causis talibus sperata suscipere, multiplicia hujusmodi exempla testantur. Quare omissis in longa circuitione principiis, ad rem ipsam præsentis paginæ verba convertimus. Mœret Ecclesia, et magno votivæ unitatis exordio frui præstita non potest pro unius causæ afflictione lætitia : hanc ut nobis sollicitudinem beneficia vestra submoveant, non parvis precibus exoramus. Angit nos enim et præsens dolor, et futurorum occasio procurata certaminum, per quam et venerabilium Patrum regulæ negliguntur, et apostolicæ sedis putatur auctoritas posse contemni. Nam cum divino clementissimique principis beneficio, sed et vestro simul adnixu hi soli credantur esse pontifices, et jure Ecclesias continere, qui ad communionem nostram damnatis erroribus redire consentiunt; Heliæ, Thomati atque Nicostratro fratribus et coepiscopis nostris, qui bonum causæ etiam sub adverso imperatore dedere principium non solum nihil ad provectum bona studia profuerunt, verum etiam collatæ sibi a domino obtinere nequeunt officia dignitatis, et extorres a commissis sibi gregibus subire coguntur miserias damnatorum. Quapropter quæsumus et per divinam vos misericordiam obtestamur ut eorum causæ (quæ justa est) summum patrocinium et probatæ vivacitatis, impendatis affectum, piissimi principis hærendo vestigiis, quatenus eos tandem suis Ecclesiis et pietatis intuitu et justitiæ contemplatione restituat; quia in illorum contumeliam ab inimicis asseritur optatum nostræ communionis displicuisse consortium.

EPISTOLA LX.

AD GERMANUM VIRUM ILLUSTREM.

Eadem quæ in superiori.

Hormisda Germano viro illustrissimo.

Excubantibus vobis probabili pro ecclesiastica pace proposito, et tanto fidei calore ferventibus gratiarum actio sola non sufficit; quia nec vos humanæ laudis prærogativa sollicitat, sed divinæ exspectatio retributionis inflammat. Quod igitur maxime debemus exsolvimus, et Deum nostrum, cujus vos causis impenditis, pro incolumitate vestra quotidie deprecamur, rogantes ut studium vestrum in omni pro ec-

A clesiasticæ unitatis affectu parte sic ferveat, ut nullus boni relinquatur locus officii, ubi non paternis regulis vestræ patrocinium defensionis assistat. Præcipue tamen Heliæ, Thomæ atque Nicostrati fratrum et coepiscoporum nostrorum causa nos commovet, qui primo mundo [sic] necessariam secuti concordiam, Ecclesiarum suarum privatione perculsi, cum venerabilium quoque canonum contumelia deprimuntur, fitque illis propriæ reconciliationis gloria causa difficilis, quasi ipsi magis pertinaci mente restiterint, et aliis ad sedis apostolicæ redeuntibus unitatem ipsi Ecclesiæ magis membra discerpserint; quod quam nobis durum sit, quamque clementissimi temporibus imperatoris indignum, prudentiam vestram convenit
B æstimare, et tandem præstare remedium, quo et illorum labores, et nostram grato possit solamine auferre mœstitiam.

(In collectione Avellana post hanc epistolam subditur et alia primo vulgata a Ballerinis oper. S. Leonis, tom. III, pag. 167).

Justinus Augustus Hormisdæ.

Illustrem virum episcopum R. grato suscepimus animo non pro honore tantum qui debetur sacerdotibus, verum etiam pro affectu vestræ sanctitudinis. Nam quicunque tuo comprobatus judicio fuerit est apud nos etiam judicatus probatissimus. De opera tamen et favore qui sacrosanctis inferendus est Ecclesiis tunc demum opportunius statuetur cum legati quos nuper ad regem magnificum Trasamundum de-
C stinasse noscimur reversi propitia Divinitate responsum nobis detulerint. Vestra autem beatitudo supremum nobis præsidium indefessis orationibus postulare dignetur. Data xv cal. Decembris Constantinopoli domino Justino perpetuo Augusto. Accepta xi cal. Junii Rustico cos.

EPISTOLA LXI.

AD HELIAM, THOMAM ET NICOSTRATUM.

Ad imperatorem et alios se pro illorum causa scripsisse significat.

Hormisda Heliæ, Thomæ et Nicostrato episcopis.

Quanto mens nostra doloris vestri participatione fatigetur supervacuum est apud probantes mutuam caritatem verbis astruere : sed ille qui et nostrum animum et vestros labores scrutator præscius intue-
D tur, mœrorem nostrum vestra in gaudium prosperitate convertat. Verum ne unquam pro vestro negotio sub allegatione justissima et blanda intercessione cessemus, noveritis nos tam ad clementissimum principem, quam ad præcellentissimam Augustam, nec non ad illustres et magnificos viros Justinianum atque Germanum filios nostros litteras destinasse, vestrum specialiter negotium continentes, quas viros sublimi Eulogio ita tradidimus, ut in vestro primum ponat arbitrio utrum per vos eas eligatis offerre, an per ipsum potius perlatorem tam principi porrigantur quam cæteris, quas designavimus supra, personis.

EPISTOLA LXII.

AD LEGATOS.

De iis quæ Thessalonicæ ab Eutychianis gesta per fa-

mam audiverat, Dorotheum et Aristidem Romam venire compellendos.

Hormisda Germano et Joanni episcopis, Felici et Dioscoro diaconis, et Blando presbytero.

Cum nos ecclesiasticæ prosperitatis gaudia sublevarent, et prope plenum laboris vestri fructum quotidie carperemus, repente nos inimica universi, quæ repente successerat, fama confundit: cujus opinionis ordinem, etsi vobis necdum referentibus suspicamur incertum, pro ipsius rei tamen magnitudine credimus non tacendum. Itaque perlatum est fratrem et coepiscopum nostrum Joannem, dum ad Thessalonicam pro suscipiendis tantum libellis qui promittebantur accederet, ita plebis irrationabili seditione concussum, ut exstincto primum eo qui hospitium venienti præbuerat, ipse quoque non dissimili cæde mactatus, et vix sacrosancti fontis reverentia vindicatus evaserit : cujus seditionis initium, sub interrogationis dolosæ commento ab Aristide presbytero narratur exortum. Verum nos, si hæc manifesta sunt, adeo de plebe non querimur. Erit in potestate venerandi principis, temporis sui et catholici sacerdotis injuriam, qua jubeat resecare censura. Sed quod ad nos attinet, cura pervigili per vos (Deo propitio) desideramus impleri, quia nullum volumus, aut non reddita ratione converti, aut sic rectam viam fidei profiteri, ut sibi a principe aliquid sine doctrinæ remedio causetur imponi. Hæc igitur suggestione vestræ supplicationis peragite, ut Thessalonicensis episcopus, qui sub interrogationis obtentu ecclesiasticam pacem protracto in longum nititur dissipare negotio, quoniam a vobis suscipere noluit a principe ad urbem directus, ab apostolica percipiat sede doctrinam, et quidquid sibi dubium putet, huc veniens præsenti a nobis inquisitione condiscat : sic enim probare potest se catholicæ professionis servare cautelam, non malitiose concepta vindicare certamina. Sciat nos paratos esse, et bene inquirentes instruere, et errantes ad fidei rectum tramitem scientia duce revocare : quia si dubitans paratam non vult experiri doctrinam, nec rursus in simplicitate cordis quæ pacis et religionis causa jubentur admittere, in aperto est qua mente vel Dei nostri præceptis obsistat, vel orthodoxi principis exempla contemnat. In hac ergo parte totus suggestionis vestræ actus immineat, quia nec illi alia possunt ratione salvari, et incitatæ plebis sub hoc melius moderamine causa sedatur; cum quo etiam Aristidem presbyterum clementissimus princeps ad nos venire præcipiat, quia, sicuti præfati sumus, omnes quorum pax ecclesiastica ambiguitate dividitur, simul ad communionem nostram, depulsa mali erroris ægritudine, catholicæ scientiæ cupimus sentire medicinam. Præterea mox ut præsentia vos contigerit scripta suscipere, debebitis ad nos de vestris aliquem destinare cum relatione quæ universa contineat, unde his quæ gesta sunt vel geruntur sollicitudinem nostram relevare debeatis. Datarium quoque litteris vestris adjungite, ne vobis portitoris tarditas possit ascribi. Data III idus Octobris, Eutharico viro clarissimo consule (anno Domini 519).

SUGGESTIO

GERMANI EPISCOPI, FELICIS ET DIOSCORI DIACONORUM, ET BLANDI PRESBYTERI.

Quæ Thessalonicæ a Dorotheo contra Joannem episcopum acta fuerint.

Magna misericordia Dei est, et inæstimabilia ejus judicia, qui nihil occultum dimittit, ut probetur uniuscujusque conscientia. Dorotheus Thessalonicensis episcopus non novus apparuit, nec ad præsens factus, sed se demonstravit quem olim vera prædicabat opinio. Iste semper in malis desideriis suis involutus, data occasione exercuit quod contra fidem catholicam semper parturiebat scelus. In aliis litteris significavimus beatitudini vestræ quo ordine transeuntes Thessalonica libellos non potuimus suscipere. Erat tamen constitutum post ordinationem sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ unum ex nobis ad ipsum dirigere, quia hoc sperabat prædictus, ut unus ex nobis post susceptos libellos cum ipso missas celebraret, quasi testimonio habens in generalitate se ad unitatem sedis apostolicæ esse conjunctum. Etsi tarde, factum est tamen : et venerabilem Joannem episcopum ad ipsum dirigentes, directus est cum ipso ex communi electione Epiphanius presbyter. Germanus venerabilis, et illustris episcopus erat cum eis, et Licinius comes scholæ ex ordinatione clementissimi imperatoris. Qui Licinius tamen cum prius pro alia causa esset Thessalonicam directus, congregata synodo de parœcia Ecclesiæ Thessalonicensis, ibi est inventus, exspectans secundum promissionem unum ex nobis. Voluerunt ipso præsente libellos facere et subscribere : quod factum est; signavit ipsos libellos prædictus vir, et veniens Constantinopolim, factum nuntiavit. Dicebatur nobis ab apocrisiario Dorothei : Jubete dirigere qui libellos suscipiat. Deliberatum est, sicut prædiximus, venerabilem Joannem episcopum ambulare, ut haberet testimonium subscriptionis illorum. Rogavimus pissimum imperatorem ut comes Licinius ambularet cum eo : quod et factum est. Et quia pervenerunt in civitatem, nuntiatum est Dorotheo per comitem Licinium præsentiam adesse nostrorum. Qui direxit Aristidem presbyterum cum aliis duobus episcopis, quos solos sciebat adversarios esse negotii, ut nostros videret : cum quibus voluerunt facere primum certamen de libellis, dicentes : Sunt capitula quæ debent emendari. Dixerunt nostri non esse in potestate ipsorum hoc facere, venimus, salutavimus vos, perambulavimus. Discesserunt post ista verba. Ad aliam diem convenerunt, iterum ista loquentes ; et antequam propositionem verborum fecissent, ibi non est intentio generata, non injuria secuta est : subito populus insanus irruit super ipsum, et duos pueros occiderunt episcopi, caput etiam fregerunt episcopo in duabus partibus, et renes ejus dissipaverunt, et nisi misericordia Dei, et defensio Sancti Marci basilicæ eruisset

eos de manibus eorum, ibi perierant: liberati sunt A tamen, quomodo dicitur, quia manus publica supervenit, quæ eos eruere potuit. Ista et istorum concinnamenta Dorothei malitia fabricavit, qui ante biduum quam pervenirent nostri Thessalonicam super duo millia baptizavit: * sacramenta tanta erogavit in populo, quæ possint ipsis ad tempora sufficere, significans plebi quia fides recta mutatur. Ista quomodo non habuerant excitare populum? Ista quem non invitabant ad seditionem? Post hoc ipsum libellum quem fecerat cum episcopis ante populum scidit, dicens: Ego istud usque ad mortem meam nunquam facio, nec facientibus consentio. Occiderunt et hominem (Joannem) venerabilem catholicum, qui nos venientes susceperat in domo sua, qui semper separatus fuit a communione Dorothei propter synodum B Chalcedonensem: in quo talem mortem exercuerunt, qualem illi qui sanctum Proterium occiderunt. Ista ad clementissimum imperatorem pervenerunt, et prope in tota civitate catholicus luctus est propter talia quæ contigerunt scelera. Promittit sancta clementia vindicare et citare Dorotheum, quia nos contestati sumus pietatem ejus, dicentes: Nulla ratione Dorotheum inter episcopos aut in communione sedis apostolicæ potest beatissimus papa recipere, et contra qui voluerint eum in sua communione recipere, scire se esse reos auctoritate ecclesiastica. Ista ad notitiam beatitudinis vestræ festinavimus referre, ut nihil vos lateat, quod in istis partibus agitur. Accepta IV calendas Decembris, Eutharico consule C (anno Domini 519).

EPISTOLA LXIII.

AD LEGATOS,

Dolet Joannem occisum: et Dorotheo ab episcopatu remoto, alium, Aristide excepto, in ejus locum substitui præcipit. Thomam et Nicostratum suis Ecclesiis restituendos. Monachos Scythas Romæ usque ad legatorum adventum detineri.

Hormisda Germano et Joanni episcopis et Blando presbytero.

Graviter nos Joannis catholici afflixit interitus, quem hæretici Dorothei vesania perhibetis exstinctum. Nam eumdem Dorotheum Constantinopolim jussu principis didicimus evocatum. Adversus quem domino et filio nostro clementissimo principi debetis D insistere, ne in eamdem civitatem denuo revertatur: sed, episcopatus, quem nunquam bene gessit, honore deposito, ab eodem loco ac Ecclesia longius relegetur, vel certe huc ad urbem sub prosecutione congrua dirigatur. Ad hanc etiam partem evigilare debetis, ne in locum ejus Aristides totius mali incentor et conscius quibuslibet subreptionibus ordinetur: nam nulli prodest mutari personam, si ejusdem forma nequitiæ perseveret: sed talem virum debetis eligere, ut de judicio vestro cuncta catholicorum congregatio gratuletur. Iis igitur observatis, pro Thomæ et Nicostrati fratrum et coepiscoporum nostrorum personis intentio dilectionis vestræ vehementer debet incumbere, Nam quid prodest Ecclesiam redintegrasse, si ab ejus corpore sacerdotes videamus extraneos, quos in nostram communionem vos caute aut rationabiliter non ignorastis esse susceptos? Unde non leviter nos res ista contristat, si ab his qui sedis apostolicæ prædicationem sequuntur, negligantur qui in ejus fide et consensu recepti sunt. Idcirco, sicut hortati sumus, pro eorum communione atque loco, serenissimo principi vehementer insistere: nam in eadem causa domino et filio nostro clementissimo principi et viro illustri Justiniano filio nostro scripta direximus, hortantes eum ut cum vestra, quantum ad Ecclesiarum suarum receptionem pertinet, debeant caritate tractare. De eo vos articulo nostræ admonitionis suspicamur non immemores. Diximus enim quemadmodum, exclusis occupatoribus, hi, de quibus loquimur, ad proprias revertantur Ecclesias, ut illi alibi (si tamen rectæ sunt fidei) ordinentur. De personis Scytharum monachorum Justinianus vir illustris nobis scripsit, quarum exemplaria litterarum fraternitati vestræ direximus, qui cum nollent sustinere vestræ dilectionis adventum, et observationum moras se dicerent ferre non posse, tentaverunt clam de urbe discedere; quos tum nos faciemus sollicitius custodiri, ea quæ de vobis contraria dixerunt volentes agnoscere, ut cum reversi, Deo propitio, fueritis, eorum error rationabilibus adhortationibus corrigatur. Data III nonas Decembris, Eutharico viro clarissimo consule (anno Domini 519).

EPISTOLA LXIV.

AD JOANNEM MELICITANUM (MILITANÆ ECCLESIÆ) EPISCOPUM.

** *Constantinopolitanam Ecclesiam ad sedis apostolicæ communionem rediisse.*

Hormisda Joanni episcopo Melicitano [1] (Nilecopolitano).

Vota nostra caritatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit sollicitudinis, gaudiorum fructu reddatur extorris. Et ideo Constantinopolitanam Ecclesiam ad communionem nostram rediisse, Domino propitiante, tradentibus significamus alloquiis; et mandatorum, quæ legatis nostris dedimus, in omnibus seriem fuisse completam. De qua parte, ut ad dilectionem tuam plenius perfectum gaudium perveniret, libelli Joannis fratris et consacerdotis nostri episcopi Constantinopolitani, et Justini clementissimi principis Orientis sacrarum litterarum exemplaria pariter credidimus destinanda; indicantes nihilominus per Orientis partes plurimos episcopos sic fecisse. Superest ut a nobis competentibus precibus Divinitas exorata concedat quatenus de aliarum quoque Ecclesiarum redintegratione gratulemur. Ea vero quæ significare curavimus in eorum sacerdotum qui fraternitati tuæ vicini sunt curabis perferre notitiam, ut et ipsi de effectu tantæ rei gratias nobiscum cœlestis

[1] Forte *Malacitano*, in Hispania. Nam et sequens epistola est ad Hispanos episcopos. HARDUINUS.

* *Frumenta*, minus bene, ut ex seq. indiculo patebit.

** *Ubi communioni Constantinopolitanæ Ecclesiæ subscribens ei gratulatur.*

misericordiæ beneficiis referre non cessent. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

EPISTOLA LXV.

AD EPISCOPOS HISPANIÆ (BÆTICÆ PROVINCIÆ).

Gratulatur de pace Orientalis Ecclesiæ.

Fratribus dilectissimis universis episcopis per Bæticam provinciam constitutis Hormisda episcopus.

* Quid tam dulce sollicito quam quod (quum) mihi de vobis innotescunt illa quæ cupio? Quid tam religiosis conveniens institutis quam ut inter sacerdotes pacem, quam eos necesse est aliis pro officio annuntiare, conservent? Plena, fateor, gratulatione suscepi, quod votiva mihi caritate (quæ inter vos est) Ecclesiarum et pace litteris indicastis. Sponte mihi, quidquid hortari poteram, quidquid monere, delatum est. *Confirmet hoc Deus, quod operatus est in nobis* (*Psal.* LXVII): et quæ præcepit pro animarum salute facienda, hæc ipse qui præcepit, pro ea qua nos redemit pietate faciat. Et his tam bonis nuntiis nos quoque religiosorum vicem reddimus nuntiorum. Quidquid cum Orientalibus, quos ad Ecclesiæ corpus unitatemque revocatos dudum Dei nostri ope litteris significavimus destinatis, denuo, cum aptum fuerit, repetitis vobiscum participabimus indiciis. Mox post nostrorum reditum (pro nostro edicto) ab Orientalibus missa legatio est. Certa speravit, certa consuluit. Sed facimus de his quæ fuerant dicenda conpendium, ipsi potius, ad instruendam notitiam vestram, quæ a nobis sunt responsa dirigentes, ne quid sibi sub spatio prolixiore terrarum aut opinio vindicet, aut error assumat, cum ad rerum fidem ipsam teneri sufficit veritatem. Quod autem ad continentiam vestrarum pertinet litterarum, oportuit quidem desideria plenius expedire, ut æstimatis omnibus responsum rationi congruum redderetur. Sed quia privilegiorum veterum et statutorum paternorum indidistis iisdem litteris mentionem, ad Sallustium fratrem et coepiscopum nostrum sub hac parte rescripsimus, vobis quoque strictim quæ dicta sunt illis latius indicantes, ne privilegia nobis (a nobis) indulta convellerent, et nihil tam conveniens fidei judicare, quam ut in honore suo a Patribus decreta serventur. Deus autem vos incolumes custodiat, fratres carissimi (anno Domini 519).

SUGGESTIO

DIOSCORI DIACONI.

Paulum Antiochiæ episcopum ordinatum. Scythas monachos tumultus excitasse, dicentes unum de Trinitate fuisse crucifixum.

Verum est nulla esse gaudia magnopere spiritualia, quibus ex toto tribulatio possit esse separata. Gaudemus de unitate Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quæ facta est cum sede apostolica: lætamur quotidie diversorum episcoporum libellos nobis satisfactionis offerri. Modicum in Ephesina civitate contigit scandalum, ubi contempta est et injuriata synodus Chalcedonensis. Est invocatus clementissimus imperator hoc corrigere, quod et sperat cum Dei adjutorio

A fieri. Nunc, etsi post labores, etsi post intentiones plures, Antiochena Ecclesia ordinata est: electus est quidam Paulus nomine presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quem huic honori aptissimum imperatoris testimonio comprobatum voluerunt et tentaverunt hic ordinare. Ego jussionis vestræ non immemor contradixi, dicens: Jussit dominus noster beatissimus papa, secundum antiquam consuetedinem, ibi eum episcopum ordinari. Hoc obtinuit quod præcepistis. Orate ut Deus precibus apostoli Petri et ipsam civitatem cum pace faciat electum suscipere sacerdotem. Et quia ista aguntur, et in his quotidie proficit Ecclesia, insidiator antiquus suscitavit monachos de Scythia, qui de domo magistri militum Vitaliani sunt, omnium Christianorum votis adversarii, quorum in-

B quietudo non parvas moras generavit unitati Ecclesiarum, et magnopere de prædictæ Ecclesiæ Antiochenæ ordinatione. Isti monachi, inter quos est Leontius, qui se dicit esse parentem magistri militum, Romam festinant, sperantes aliqua capitula a beatitudine vestra confirmari. Est in ipsis inter cætera ubi volunt dicere unum de Trinitate crucifixum: quod est nec in sanctis synodis dictum, nec in epistolis sancti papæ Leonis, nec in consuetudine ecclesiastica. Quod si permittuntur fieri, mihi videtur dissensiones et scandala non mediocria nasci inter Ecclesias. Istud Anastasius imperator magnopere catholicis imponere festinavit: istud et Eutychetis discipuli in synodo Chalcedonensi proposuerunt. Quia

C quotiescunque Patres de Dei Filio Domino nostro Jesu Christo disputaverunt, Filium Dei Verbum, consubstantialem Patris, homousion Patri dixerunt. Iste autem sermo ideo nunquam est in synodis a Patribus introductus, quia procul dubio catholicæ fidei minime poterat convenire. Cujus sermonis si subtiliter attendatur intentio, ad quantas hæreses pateat, et quæ mala per eum possint disputationibus ecclesiasticis introducit, quoniam longum est per præsentes insinuare, præterimus. Unde sanum mihi videtur et utile, et ad pacem Ecclesiarum conveniens, nihil aliud responsum dari, nisi: Sufficit sanctum Chalcedonense concilium, in quo et aliæ synodi continentur: sufficiunt epistolæ papæ Leonis, quas synodus confirmavit: novitatem in Ecclesia introducere nec volumus, nec debemus. Est in propositione eorum callida

D et hæc dicere. Nos synodum Chalcedonensem suscepimus: hoc speramus, ut jubeatis nobis eam exponere, quia non sufficit sic quomodo est exposita contra hæresim Nestorianam: non quasi non intelligentes, nisi conantes per subtilitatem ad hoc nos adducere, ut disputetur de synodo Chalcedonensi. Quod si factum fuerit, dubia et infirma ostenditur, et hæreticorum omnium patuit errori. Inter alia si post synodum Chalcedonensem, si post epistolas papæ Leonis, si post libellos quos dederunt et dant episcopi, et per ipsos satisfecerunt sedi apostolicæ, iterum aliquid novum addatur, sic mihi videtur, quia quidquid factum est destruitur. Data III calendas Junias, Constantinopoli.

* Eadem fere est Marcellini papæ epistola.

SUGGESTIO

GERMANI ET JOANNIS EPISCOPORUM, FELICIS ET DIOSCORI DIACONORUM, ET BLANDI PRESBYTERI.

Eadem quæ in superiori.

Cum Dei misericordia, quo ordine et qua cautela communicavimus in Ecclesia Constantinopolitana, jam aliis litteris per servum vestrum Pollionem directis vestra beatitudo cognovit. Et similiter in aliis litteris non semel, sed secundo, qualia æmuli homines religionis tentant significare curavimus : ut nihil sit actum, aut cogitatum faciendum, quod lateat beatitudinem vestram. Stat nobiscum cum Dei adjutorio quidquid in Constantinopolitana Ecclesia est ordinatum. Non titubant gaudia spiritualia, quæ celebrarunt et celebrant catholici. Causa Antiochenæ Ecclesiæ ordinationis non solum nobis labores fecit, sed grandes tribulationes : quia homines festinantes impedimentum facere generali unitati, diversis modis diversa impedimenta fecerunt. Nostra erat propositio de his qui se suspenderant de anathemate in prædicta Ecclesia ordinare sacerdotem. Non proposuerunt ante oculos suos futurum judicium palam dicentes : Omnes qui sedi apostolicæ communicabant Nestoriani sunt : et magis illis non debere credere, qui modo videntur ad communionem sedis apostolicæ revocati. Post multas afflictiones, et pene in tres menses a Patribus protracta certamina, piissimus imperator sua auctoritate Paulum nomine presbyterum de Ecclesia Constantinopolitana elegit episcopum fieri in Ecclesia Antiochena, dicens inter alia et hoc testimonium de ipso, quia duobus annis in Antiochia positus non mediocriter resistebat Severo hæretico : similia et omnes catholici consonabant. Et omnia ista de persona prædicti imperator se promisit ad vestram beatitudinem relaturum. Harum tamen tribulationum provisores et socii et unitati Ecclesiarum impedimento monachi de Scythia fuerunt, qui postea hic defecerunt (hinc discesserunt), assignati ab omnibus nihil pacificum cogitare, ad beatitudinem vestram cucurrerunt, sperantes subrepere, et per litteras vestræ sedis suas intentiones confirmare. Isti de sua provincia episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitanæ civitatis antistes. Petitiones obtulerunt, et coacti piissimi principis et domini Vitaliani magistri militum jussione, frequenter ad audientiam causæ convenimus, non quasi volentes nos in his negotiis occupare : quia nobis sunt ante oculos beatitudinis vestræ præcepta, quibus præcepistis ut causæ tantum cui veneramus intenti nullis aliis negotiis misceremur, sed sperantes posse intentione eorum pacari, ad hoc descendimus. Et quia nobis diu laborantibus, et illis nullam suscipientibus rationem, nihil proficiebat in eo quo tenebamus, clementissimus imperator in conventu publico, ubi et nos interfuimus, Paternum, prædictum episcopum, et magnificum virum Vitalianum reduxit ad gratiam : accusatores quoque ejus suo præcepit episcopo supplicare. Monachi vero cum similiter ad concordiam quærerentur, fuga lapsi maluerunt de civitate discedere, A quam ad concordiam pervenire. Prædicti monachi ad Italiam venientes, aliquanta capitula proponere habent, inter quæ et unum de Trinitate crucifixum continetur, sperantes ita confirmari ex auctoritate beatitudinis vestræ, sicut et in aliis litteris significavimus, et modo hoc dicimus, ut nulla novitas a sede apostolica scribatur : quia et nos ante imperatorem, et ante senatum hæc indicavimus, dicentes : Extra synodos quatuor, extra epistolas papæ Leonis, nec dicimus nec admittimus quidquid non continetur in prædictis synodis, aut quod non est scriptum a papa Leone non suscipimus : quia si voluerit dominus noster qualemvis novitatem scribere, pejus erit istud initium (vitium) quam illud quod factum est per Eutychetem. Sufficere debet B Ecclesiæ quod per sexaginta annos ab Eutychete usque modo sustinuit. Nobis quod visum est scripsimus : in vestra potestate est deliberare quod vobis Deus imperaverit : quoniam hæc illi nituntur asserere, eo modo sibi satisfacere cupientes, ita ut profiteamur et dicamus unum de Trinitate passum esse; quod nec Patres nec synodi dixerunt. Ista ideo per singula exposuimus, ne illorum subtilitas glorietur in nostra simplicitate propter istas novas suas intentiones. Vitaliano magnifico viro subrepserunt, ut et talia vindicare pro talibus rebus, et contra nos quæcunque potuit impedimenta afferret : cujus immutationem omnis nobiscum deflet Ecclesia. Quapropter rogamus, ut consueta cautela, et qua solet dominus noster C vigilantia, cogitetis, et quomodo suspendendi sunt, qui a nobis taliter recesserunt, et a nostra communione fuerunt sejuncti; et quid eis respondeatur, vel quomodo eorum capitula repellantur; quia eos omnes Constantinopolitana catholica exhorret Ecclesia. Data III calendas Julias, Constantinopoli.

SUGGESTIO

LEGATORUM AD HORMISDAM PAPAM.

Reliquias S. Laurentii et sanctuaria apostolorum Justiniano concedi petunt, qui illa in basilica Apostolorum collocare cupiebat.

Filius vester magnificus vir Justinianus, res convenientes fidei suæ faciens, basilicam sanctorum Apostolorum, in qua desiderat et beati Laurentii martyris reliquias esse, constituit, sperat per parvi- D tatem nostram, ut prædictorum sanctorum reliquias celeriter concedatis. Habuit quidem petitio prædicti viri secundum morem Græcorum, et nos contra consuetudinem sedis apostolicæ exposuimus. Accepit rationem. Et quia talis est fervor fidei ejus, qui meretur quidquid de apostolica sede depoposcerit, et talis est qui sperat unde et salus animæ et fidei effectus accrescat, talibus desideriis postulata competit non negare. Unde si et beatitudini vestræ videretur, sanctuaria beatorum apostolorum Petri et Pauli, secundum morem, ei largiri præcipite; et si fieri potest, ad secundam cataractam ipsa sanctuaria deponere, vestrum est deliberare. Petit et de catenis sanctorum apostolorum, si possibile est, et de craticula beati Laurentii martyris. Ista sunt desideria

prædicti viri: in hoc fides ipsius est incitata. Propter hoc in urbem vestram virum spectabilem Eulogium magistrianum direxit, hoc sibi satisfacere judicans, si de ipso fonte, quo per omnem terram sanctuaria apostolorum sunt data, inde et ipse reliquias suscipere mereatur. Et bene facitis cousam ecclesiasticam magnopere in contestatione Dei tali homini commendare, cujus sinceritas et integritas circa religionem catholicam nota est omnibus hominibus. Hic voluerunt capsellas argenteas facere et dirigere; sed postea cogitaverunt ut et hoc quoque a vestra sede pro benedictione suscipiat. Singulas tamen capsellas per singulorum apostolorum reliquias fieri debere suggerimus. Data III calendas Julias, Constantinopoli.

EXEMPLUM EPISTOLÆ

JUSTINIANI AD HORMISDAM.

Dissensiones a monachis Scythis excitatas ab eo compescendas. Apostolorum reliquias se cupere.

Domino sancto meritis beatissimo et apostolico domino patri papæ Hormisdæ Justinianus vir clarissimus.

Propitia Divinitate, quæ semper Ecclesiam catholicam per incrementa fidei instituit, unitas sanctarum Ecclesiarum per doctrinam et auctoritatem apostolatus vestri provenit. Sed quoniam comperimus quosdam nomine monachos, quibus magis discordia in studio est quam caritas et pax Dei, cupientes quædam perturbare, ad angelum vestrum hinc discedentes iter arripuisse: quos beatitudo vestra, præsentibus scriptis causam livoris eorum cognoscens, ita ut merentur, suscipere et a se longe pellere dignetur: quoniam vaniloquia ipsorum festinantium novitates introducere in Ecclesia, quod neque quatuor synodi venerabiles, neque sancti Leonis papæ epistolæ continere noscuntur, in omni loco turbas excitare videntur. Quamobrem etiam et a viris reverendissimis episcopis et diaconibus directis ab apostolatu vestro ad nos angelus vester destinare dignetur, et ipsos digna correctione perculsos, ut superius dictum est, pellere jubeat. Ergo hæc petimus ut (sicut supradictum est) ipsas hujusmodi litteras per eumdem portitorem ad nos dirigere magnopere festinet. Sunt autem nomina eorum, Achilles, Joannes, Leontius et Mauritius (Maxentius). Hæc nostra est maxims sollicitudinis causa, ne unitas, quam vester labor orationeque perfecit, per inquietos homines dissipetur, sperantes in Domino Deo, quia si quid est quod adhuc a totius orbis pace dissentiat, hoc quoque orationibus vestris apostolicæ sedis communioni societur. Præsumentes autem de beatitudinis vestræ benevolentia, paternam dilectionem nimium petimus, quatenus reliquiis sanctorum apostolorum tam nos quam basilicam eorum hic in domo nostra sub nomine prædictorum venerabilium constructam illustrare et illuminare large dignemini; cognoscentes quod nullum nobis majus beneficium nec munus præstare potestis, domine beatissime pater, quam si hanc nostram petitionem adimpleveritis. Subito autem iter arripiente A prædicto agente in rebus, etiam duo pallia serica ad ornamentum altaris sanctorum apostolorum direximus, quæ suscipientes, efficacissimis precibus vestris, nostri jubete jugiter facere memoriam.

EXEMPLUM EPISTOLÆ

JUSTINIANI PER FRATREM PROEMPTORIS AD HORMISDAM PAPAM.

Petit ut expedito monachorum negotio Joannem et Leontium ad se remittat.

Quidquid est cautius, quidquid firmius, ut pro sancta fide et concordia sacrarum Ecclesiarum geratur, optamus. Unde ad beatitudinem vestram et frater noster gloriosissimus Vitalianus per Paulinum virum sublimem defensorem vestræ Ecclesiæ rescri- B psit, et nos per eumdem significare curavimus illa debere beatitudinem vestram perficere, quæ pacem et concordiam sanctis concedant Ecclesiis. Subinde tamen, qui certius responsum ad sanctitatem vestram referat, cum litteris piissimi nostri imperatoris destinavimus. Nam quanta quæstio in partibus nostris orta est, potest etiam antelatus vir religiosus defensor sanctitatem vestram instruere. Unde petimus ut, si est possibile, celerrimo dato responso et satisfactis religiosis monachis, Joannem et Leontium ad nos remittatis: nisi enim precibus et diligentia vestra ista quæstio soluta fuerit, veremur ne non possit Ecclesiarum sanctarum pax provenire. Ergo cognoscentes quia et merces et periculum hujus rei vobis servatur, diligenter tractate, et firmissimum respon- C sum per antelatos religiosos monachos, si est possibile, antequam legatus noster ad beatitudinem vestram perveniat, nobis remittite; in hoc enim solo omnis pendet intentio.

EXEMPLUM EPISTOLÆ

JUSTINIANI AD HORMISDAM.

Ad dicendum sit unum de Trinitate fuisse crucifixum.

Ut plenissima fidei perfectio doctrina beatitudinis vestræ nobis proveniat, iterum Eulogium virum strenuum agentem in rebus juxta alias causas, etiam hanc propter direximus, per quem valde petimus ut per omnia responso apostolatus vestri circumspecto et cautissimo in confessione catholicæ fidei confirmetur. Post semel enim divina misericordia donatam D Ecclesiæ catholicæ unitatem, quidam asserunt Christum Filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum unum de Trinitate debere prædicari: quod si suscipiendum sit, paterna provisione reverentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi, quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur: quoniam verba videntur facere dissensionem: nam sensus inter catholicos omnes unus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte ac venerabilis Pater, etiam in hoc prædecessores vestros sequentes, quorum memoriam et amplectimini, et consortio pontificatus ornatis, et de hac intentione liberos nos properate reddere et securos. Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum. Quia vero dictum est Scythicos monachos hac ratione

ad sedem vestram accessisse pro traditione Patrum et ordine regularum, præbito eis responso, nihil formidante, ad nos cum vestris litteris jubete remittere. Quarum etiam exemplaria consignata prædicto viro strenuo Eulogio dari præcipite. Hæc enim omnia ideo petimus vos disponere cautius, ut ne locus mendacio vel insidiis detur : quoniam summo cum desiderio fidem catholicam amplectentes, vestra doctrina unitatem universo orbi petimus condonare.

EPISTOLA LXVI.

AD JUSTINIANUM.

Monachos Scythas ante legatorum adventum Roma non discessuros. Apostolorum sanctuaria transmittit.

Hormisda Justiniano viro illustri.

Ita magnificentiæ vestræ animum vigere novimus religionis affectu, ut beneficium a vobis in perfectione pacis Ecclesiæ velitis magis exigi quam rogari, judicantes meritis excellentiæ vestræ proficere, quod vos generalitatis desiderio contingit offerre. Unde et nos a vobis præsumpte quærimus tanquam debitum quod meritis vestris novimus esse profuturum : et ideo, domine fili, sub omni caritate salutante, speramus ut immineatis operi quod Domino adjuvante fundastis, memores divini testimonii : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Præterea monachos, quos venisse Romam significastis litteris vestris, ad propria mox voluimus reverti. Sed quia sub testificatione potentiæ divinæ dicebant per insidias in itinere paratas vitæ sustinere se posse discrimen, volentes redire Constantinopolim, passi non sumus violenter expelli. Quapropter necesse habuimus venientibus legatis nostris inquirere qua revera faciente causa inter eos fuerit commota discordia. Beatissimorum vero apostolorum Petri et Pauli sanctuaria, sicut religiosissimo quæsistis affectu, per harum portitorem sub omni veneratione transmisimus; optantes orationibus eorum ut mentis vestræ oblatio et desideria gratiæ sint Divinitatis accepta. Petimus itaque ut tam de his quæ geruntur pro concordia quam etiam de incolumitatis vestræ bono nuntietis sollicitudini nostræ gaudium, currente pagina litterarum. Data IV nonas Septembris, Eutharico viro clarissimo (anno Domini 120).

EPISLOLA LXVII.

AD EUMDEM.

Scythas monachos ante legatorum adventum Roma non discessuros.

Hormisda Justiniano illustri.

Eulogio viro clarissimo filio nostro deferente, litteras celsitudinis vestræ suscepimus, eoque remeante, debitum persolventes salutationis officium, significamus Scythas monachos allegasse plurima quæ nos relinquere indiscussa non possumus : sed legatorum nostrorum Deo juvante festinemus adventum : pro qua re eos in Urbe credimus retinendos, a qua nec ipsi ordinatione dissentiunt. Amplitudinem vestram tamen retinere confidimus, quod de ipsis nobis præterito tempore litteris destinatis scripserint. In quorum allegationibus cum legatis remeantibus competenter fuerimus instructi, si quid reprehensione dignum cognitio nostra repererit, necesse est ut circa eos teneamus ecclesiasticam disciplinam. Victorem præterea, qui diaconi habere perhibetur officium, cujus fidem hi ipsi monachi vehementer accusant, vel alios qui perversas forsitan objiciunt quæstiones, ordinatione domini filii nostri clementissimi imperatoris ad urbem vobis suggerentibus dirigantur [*sic*], ut universas allegationes de quibus contendunt nos possimus agnoscere.

SUGGESTIO

DIOSCORI DIACONI AD HORMISDAM PAPAM.

Ab hæreticorum se consortio cavere. Victorem diaconum catholicam fidem professum. Scythas monachos Chalcedonense concilium damnasse. Suam fidem exponit, quam pontificis judicio submittit.

Per Eulogium (*a*) virum sublimem litteras beatitudinis vestræ suscepimus, in quibus significastis intentionem monachorum Scytharum, et quomodo visum fuerit apostolatui vestro episcopo Constantinopolitano causam delegare, ut ipse inter eos, et qui ab eis impetuntur audiret : mihi quidem non displicuerat, quia ubi conscientia cum Dei adjutorio nulla formidine terretur, a nullo debet declinare; imo magis festinare, ut per examen quod verum est omnibus manifestetur. Significastis mihi ab illis contestationem datam, ut non mihi hæretici jungerentur. Quos dicunt hæreticos ego ignoro, nisi illos forte qui synodum Chalcedonensem suscipiunt, quos ego catholicos dico. Victor diaconus dicitur : quidam cum isto, antequam nos Constantinopolim ingrederemur, habuerunt intentionem (contentionem) de uno de Trinitate crucifixo, et de Christo composito, et de aliis capitulis (*b*) nobis hic positis : obtulerunt contra ipsum libellum tam nobis quam episcopo Constantinopolitano. Convenimus in domum episcopi, ut inter eos intentionem, quæ vertebatur, agnosceremus. Prædictus episcopus synodum Chalcedonensem protulit : legit ante omnes omnia quæ sunt in eodem concilio constituta, dicens : Præter ista nihil mihi aliud dicatur. Qui sequitur ista potest inter catholicos esse. Victor respondit : Suscipio similiter et epistolas papæ Leonis, et sancti Cyrilli epistolas synodales, quæ sunt in Chalcedonensi concilio allegatæ : et manu subscribo, et sacramentis confirmo ista me suscipere, et præter ista nihil aliud prædicare : etsi inventus fuero aliquando extra ista aliud prædicans, nullam circa me peto misericordiam. Scythæ e contra inchoaverunt dicere : Addatur et unus de Trinitate. Nos e contra diximus : Quod non est in quatuor conciliis definitum, nec in epistolis beati papæ Leonis, nos nec dicere possumus nec addere. Displicuit hoc dictum. Victor autem utrum sincero animo hæc diceret an dolose, quis nosse potest nisi qui corda cognoscit? Verba ista nos audivimus; Dei est animum judicare. Postea sine nobis magnificus vir Vitalianus magister militum inter se et episcopum Constantino-

(*a*) *V. C.* Ita legit Collectio Avellana ms.

(*b*) Edit. Rom., *nobis hinc positis.*

politanum vocaverunt prædictum Victorem, locuti sunt cum eo: quid definierint inter se, nescimus. Postea nec Victor ad nos venit, nec est causa dicta. Isti tamen Scythæ (sciat beatitudo vestra) omnes qui accipiunt synodum Chalcedonensem Nestorianos dicunt, dicentes : Non sufficit synodus contra Nestorium, et sic debere synodum suscipere quo modo ipsi exposuerint : qui homines quales sunt, et quales intentiones habent, et quid volunt in fide catholica introducere, cum Dei adjutorio manifestatum est omnibus catholicis : nec indiget causa meo labore, quam pro sua misericordia Deus produxit ad lucem. Ego quod a Patribus didici, quod semper Ecclesia catholica servavit, non tacui, non abscondi. Unus est Deus, de quo Moyses loquitur, dicens : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI); et in alio loco ait : *Dominus solus docebat eos*. Unius substantiæ credimus Trinitatem, quomodo prædixi unam deitatem; tres personas, quia nec plures deos dicimus, credentes unum Deum esse, id est Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, nec tres personas negamus, ne Sabellii dogma videamur sequi. Verum est personam Filii, id est Verbi Dei, consubstantialem Patri, et ipsa caro facta est; ipsa in utero Mariæ habitavit; ipsa naturam humanam suscepit sine peccato; ipse Filius Dei homo factus natus est de virgine Maria: propter quod eam Dei genitricem dicimus et credimus, quia unitas divinitatis et humanitatis, quæ fieri cœpta est ex quo Mariæ angelus Gabriel annuntiavit dicens: *Ave, Maria, gratia plena, Spiritus sanctus superveniet in te* (*Luc* I), etc., non tantum in utero non est divisa, sed nec in partu, nec in nutrimentis, nec in passione, nec in sepulcro, nec in resurrectione, nec in cœlo separata est : quia unus est Filius Dei Dominus noster Jesus Christus, non in personis divisus, non in naturis separatus, neque in potentia diversus. Idem est namque et sustinens passionem, quia omnes homines, aut dividens quemadmodum Nestorius, aut negans quomodo Eutyches, aut minus incarnationem credens quomodo Apollinaris, aut phantasiam introducens quomodo Manes, a fide catholica sunt incisi, homines opererarii iniquitatis, et hostes doctrinæ apostolorum. Ista didici, ista audivi a majoribus nostris : et si forte extra ista quid debeamus sequi ignoro, exponente beatitudine vestra necesse est me sequi. Maxentius tamen, qui sub abbatis vocabulo dixit se congregationem habere, si interrogetur, aut cum quibus monachis vixit, aut in quo monasterio, aut sub quo abbate monachus factus est, dicere non potest. Similiter et si de Achille dicere voluero, rem facio supervacuam : cui sufficit semper latere propter conscientiam suam ab omnibus catholicis damnatam. Data idibus Octobris Euthario consule (anno Domini 519). Accepta XV calendas Decembris, Rustico viro clarissimo consule (anno Domini 520).

EPISTOLA

JUSTINI AD HORMISDAM.

Preces de fide quæstiones continentes sibi oblatas, eas

A *Dioscorum non probasse. Se aliquem ad pontificem destinaturum ut quæstiones terminet.*

Justinus Augustus Hormisdæ papæ.

Quanto flagramus studio pro colligendis concordia sacratissimis Ecclesiis, jamdudum nos palam fecisse dignoscitur : qui et ineunte nostro imperio sanctitudinem vestram admonendam duximus, quo certos dirigeret, ut interventu eorum remedium aliquod his rebus inveniri possit. Et antequam advenerint qui destinati sunt, cuncta præparavimus, quo facilius transigerentur quæ per hanc florentissimam urbem disponenda fuerant. Verum quoniam preces nostro numini porrectæ sunt ex diversis Eois provinciis, certa quædam disserentibus pro fide catholica, secretaque suæ mentis declarantibus, quæ apud se pro
B individua Trinitate constituta testantur, quæque firmiter sese recepturos ostenditur (ostendunt) : hisque relectis, Dioscorus aliqua asseruit non convenienti ordine inserta fuisse : merito duximus aperienda vobis ea quæ sumus edocti. Non multo itaque post a nobis quidam destinabitur ad certiorem faciendam beatitudinem tuam super omnibus, et insinuandas vobis supplicationes quæ nobis oblatæ sunt, et responsum pietatis vestræ referendum, quo possint resecari tandem dubitationes incongruæ. Securi igitur de nostro concilio, sollicitis orationibus placare nobis Divinitatem summam dignemini. Data XIV calendas Februarii, Constantinopoli, Vitaliano et Rustico consulibus (anno Domini 520).

C

RELATIO

JOANNIS EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

Instantem dominicæ passionis diem recte celebrari XIII calendas Maias.

Domini per omnia amabili Deo, sanctissimoque fratri comministratori Hormisdæ, in Domino salutem.

Quemadmodum puro corde et caritate spirituali apud nosmetipsos habemus te, frater carissime, et quemadmodum te per omnia ducimus venerandum, ex operibus his satisfactum esse vestræ reverentiæ judicamus, dominicæ obsequentes voci manifeste clamanti : *Quæ vultis ut faciant vobis homines : sic et vos facite eis* (*Matth.* VII), et apostolicam doctrinam amplectentes docentem : *Vos invicem honore prævenientes*
D (*Rom.* XII). Hæc operibus ostendere festinamus, vinculum insolubile spirituali caritate ad unitionem (adunationem) sanctarum Ecclesiarum continentes, quo nec contratriorum spirituum ictibus, nec fluctuationibus malorum principis, vel veritatis inimici titubare possimus, auxiliante nobis sancta et consubstantiali Trinitate, intercessione gloriosæ et veræ Dei genitricis Mariæ : per quæ præcipue nobis, domine atque sanctissime, immobilem permanere oramus nostrarum vestrarumque sanctarum Ecclesiarum statum, nihilominus et inseparabilem custodire fidei unitionem : potens est enim Deus victoriæ palmam sperantibus in eum sine certamine condonare. Instantis autem dominicæ passionis numerum, qui vestris continetur litteris, ex repositis apud nos diei pascha-

lis annalibus recte habere significamus * (et ante quidem scientes), et tunc scrupulosius requirentes, sine dubitatione mundi festivitatem incolumes nos celebrare XIII calendarum Maiarum die optamus : qui est proprie nonus decimus dies futuri mensis Aprilis. Orate igitur, et circa nostram memoriam nullam oblivionem vester animus, sanctissime, habere dignetur. Omnem quæ cum vestra est sanctitate in Christo fraternitatem ego quoque et mei plurimum salutamus. *Alia manu* : Incolumis in Domino ora pro nobis, amabilis Dei et sanctissime frater. Data Constantinopoli, XIV calendas Februarii, Vitaliano et Rustico vv. cc. consulibus (anno Domini 520).

SUGGESTIO

GERMANI EPISCOPI, FELICIS ET DIOSCORI DIACONORUM, ET BLANDI PRESBYTERI.

Dorotheum Heracleam fuisse perductum, nec imperatorem permisisse ut Romam duceretur : inde autem a quibus fuerit dimissus ignorari. De paschali die Orientalem Ecclesiam cum Romana convenire.

Reverenda vestri apostolatus alloquia per filios vestros Leonem atque Eulogium desiderabili hilaritate suscepimus; quorum prius præceptum, cur quæ Thessalonicæ contigerunt non insinuavimus, arguebat. Sed longe ante ejus adventum, occasione comparata, curavimus significare quæcunque rumore venientium, vel eorum qui pertulerant scriptis, quorum exempla subter adjunximus, vel piissimi principis narratione comperimus. Secuta est vindictæ promissio : adeo ut Dorotheus Thessalonicensis episcopus ad Heracleam deduceretur civitatem, donec causa terminum reperiret. Inter hæc, secundum ea quæ præcepistis, auctoritatem apostolatus vestri principi insinuare curavimus, ut ad percipiendam doctrinam catholicæ puritatis Romam præfatus Dorotheus una cum Aristide mitteretur. Qui respondit causam non esse pro qua Romam delegarentur audiendi, ubi sine accusatorum controversia se possent liberius excusare. Sed repente, dum hæc geruntur, ab Heracliensi, quantum agnovimus, in qua tenebatur, dimissus est civitate : quam ob causam, vel qua ratione, aut conditione, vel quibus agentibus ignoramus. De paschali die vestra beatitudo cognoscat concordare Orientalium cum apostolica sede sententiam, ut XIII calendarum Maiarum die festivitas celebranda speretur, sicut Joannis quoque Constantinopolitani antistitis relatione clarebit. Superest ut orationis beatitudinis vestræ adminiculo celeriter sicut cupimus, vestris mereamur præsentari vestigiis.

INDICULUS

QUI DIRECTUS EST A JOANNE, EPISCOPO, VEL AB EPIPHANIO PRESBYTERO DE THESSALONICA.

Thessalonicensium crimina narrantur.

Si pro peccatis nostris isti qui hinc adducti sunt episcopi Constantinopolim fuerint ingressi, non dicamus quod imperatorem visuri sunt modis omnibus, sed quod et suis locis restituentur. Tantas enim pecunias secum detulerunt, ut non homines, sed possint angelos excæcare. Si ergo (quod absit) ingressi A fuerint, tanta falsa per nostram absentiam dicturi sunt, quanta potest diabolus invenire. Nam si hic in conspectu nostro plura tentaverunt, et domino nobiscum stante confusi sunt, quanta facient per absentiam nostri? Ut ergo eorum possit dispari malignitas, jubete nobis præsentibus, si ad audientiam pro peccatis ventum fuerit, ut constet apud homines nos immerito mortuos esse, et illos patrocinio pecuniæ laborare. Nos enim eos in omnibus in conspectu senatus convincere possumus, quod hæretici perfecti sunt; tunc demum eorum potest monstrari fallacia. Item dicendum : Si hæretici non sunt, quomodo ante duas hebdomadas quam nos venissemus statuerunt omnes in unum episcopi ne quis missas foras civitatem teneret. Sed hinc omnes, ut et multi- B tudo esset futuræ seditioni congregata, et doceri possit secundum errores eorum. Qui postquam senserunt nos venisse publicaverunt, festinandum esse cum parvulis, ne persecutione veniente pagani morerentur infantes : et tunc velut ad alterum Pascha tantos baptizaverunt, ut consuetam festivitatem superarent. Item dicendum : Si hæretici non sunt, quomodo tanta sacramenta confecerunt, ut canistra plena omnibus erogarent, ne imminente (sicut dicebant) persecutione communicare non possent? Item si hæretici non sunt, postea quare accusati sunt gestis a Candido, viro sublimi, vicario magistri militum prætorianorum in judicio præfectorum? Et si maturum periculum cognoscent adfuturum, quare denuo, C tanquam damnandi, velint subvenire iterum parvulis cupientes; tanta rursum et confutati exercuerunt baptismata, ut vere cunctis se hæreticos ostendissent : ad quam rem satis et magnifica potestas præfectorum gravissime indignata est. Item si hæretici non sunt, quomodo cum in baptisterio absconditi essemus, consilium inter se habitum per noctem, veluti de periculo liberare nos volentes, in navi mittere voluerunt, ut hac occasione mari præcipites darentur? Cumque nos repondissemus per Demetrium et Andream diaconos : Omnes nos apud vos esse cognoscunt; quomodo per noctem navigare possumus; sed si vos vere pro nostra salute consuluistis, crastina die secrete quinque vel sex senatores, qui periculum substantiæ vel salutis suæ metuunt, una cum D magistris militum et vicario Candido comite jubete advocare; cognoscant et ipsi ubi transferimur, et facimus quod jubent; sin autem soli secretim, hoc non facimus; tunc illi non invenientes effectum, ad horam tacuerunt, et alia die iterum seditionem populi commoverunt : unde vix, Deo volente evasimus.

SUGGESTIO

DIOSCORI DIACONI AD HORMISDAE PAPAM.

Epiphanium in locum Joannis Constantinopolitani suffectum.

Erat optabile et voto nostro conveniens consonantia præteritis annuntiare, scilicet pontificem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Joannem esse superstitem, et confessionem libello editam; cujus merita non est dubium Deo placere, qui inter catholicos et

* Ansulis inclusa in Labbeo omissa supplevimus ex edit. Rom.

communicatores sedis apostolicæ meruit ad aliam ex hac vita discedere. In cujus locum Epiphanius quidam presbyter quondam syncellus ejus successit, cujus initia bona videntur : nam rationabilia loquitur, et promittit Patrum se regulas servaturum, pacem unitatemque ordinatam non dissipare, sed magis augere. Ista sunt quæ promittit. Quid tamen opere possit implere, adhuc ignoramus. Has siquidem litteras, quarta post ordinationem ejusdem die, reperta occasione transmisimus : necdum cum eo communicavimus; non quasi resistentes, sed quia adhuc ab eo non sumus invitati. Superest ut beatitudinis vestræ insistat oratio, quatenus divinæ gratiæ adjutorio talis erumpat, per quem de perfecta possimus unitate gaudere. Accepta VII idus Aprilis, Rustico viro clarissimo consule (anno Domini 520).

RELATIO

SYNODI CONSTANTINOPOLITANÆ DE ORDINATIONE EPIPHANII EPISCOPI.

Epiphanium episcopum electum significat.

Domino nostro sancto ac beatissimo patri patrum archiepiscopo et patriarchæ Hormisdæ Theophilus, Basiliscus, Isaias, Anastasius, Paternus, Martianus et cætera, sancta synodus quæ in Constantinopolitana est civitate congregata.

Innumerabilem et ininvestigatam magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi sapientiam, quantum hominibus datur intelligi, considerantes, caritatem ejus immensam juste miramur, et cum magna clamamus voce : *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus* (*Psal.* CV)? Ecce enim per bonam voluntatem sanctæ et unius essentiæ Trinitatis, et intercessione gloriosæ Mariæ virginis, studio quoque et vigilantia Christianissimi et fidelissimi imperatoris et piissimæ reginæ, olim quæ fuerant membra divisa, per Spiritus sancti gratiam ad unitatem et caritatem perfectam sunt redacta : et sicut Moyses et Aaron duces Dei vere culturæ Israeliticæ nominati, nunc ita et nos gaudentes clamamus : *Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est. Adjutor et protector factus est mihi in salutem* (*Exod.* XV). Et hæc sentire et prædicare cum fiducia sumus edocti. Considerantes autem caritatem et Deo amabilem vestræ beatitudinis vitam etiam ex his qui a vobis sunt destinati reverendissimi legati, similiter et pacem sanctarum Dei Ecclesiarum tam senioris quam novellæ Romæ, cui nos ipsi participes fuisse monstramur, bono pastori et principi omnium Christo Deo nostro consuete gratias referimus. Nam post obitum sanctæ recordationis quondam archiepiscopi et patriarchæ Joannis Constantinopolitanæ civitatis, Deus, qui propriam sanctam Ecclesiam in petra rectæ fidei incorrupta fundavit, et portas inferni non prævalere ei decrevit (*Matth.* XVI), dedit nobis sanctum pastorem et patriarcham Epiphanium, virtutibus, et correctionibus, et meditatione divinarum florentem Scripturarum, rectam quoque tenentem fidem, et orbatorum paternam regentem sollicitudinem : et, quid amplius A dicam? omnem præconiorum fontem transcendentem. His ergo virtutibus pollens, non immerito proprias et creditas sibimet maximas Ecclesiæ curas sapienter et honorifice gessisse dignoscitur, habens in mente illud quod a sacri cantici auctore relatum est : *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam* (*Psal.* LXXXVIII). Unde secundum rectam et probabilem fidelissimi et Christianissimi nostri principis, et piissimæ reginæ, et gloriosissimorum communis reipublicæ procerum sententiam, nostra quoque etiam omnium in hac urbe habitantium testificatione, judicium Pauli mirabilis communis Ecclesiæ doctoris non est in eo fraudatum, qui irreprehensibilem debere esse episcopum denuntiat (*I Tim.* III) : ita et nostrum pontificem virtutibus B undique coronatum esse videmus. Igitur ecclesiasticam legem implentes, apostolatui vestro salutationis debitum persolventes officium, speramus ut amplius caritatis vinculum et paternum affectum circa nos caritas vestra custodire dignetur, et sapienti gubernatione et humilitate, quæ Christianum decet, et mansuetudine, quæ ad rationabilis traditi vobis ovilis salutem pertinet, peragatis, commune lucrum existimantes, quo per vos et vestrum germanum et comministratorem, nostrum autem dominum et patiarcham, pacem totius orbis Ecclesiarum esse provisam. *Frater enim a fratre adjuvari spiritualiter, murus est inexpugnabilis, et civitas munita*, ex divinis est accipere Scripturis. Nam (*a*) in intercessionibus vestræ C beatitudinis generalis tranquillitas Ecclesiis orthodoxorum fuerit redonata, gloria quidem in excelsis Deo omnium Salvatori per angelos cum lætitia referetur, pax vero in terra confirmabitur : bona autem voluntas fidelibus (in fidelibus) communis Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi servis fundetur. Adjicient igitur nostris supplicationibus, quod minus dictum est Joannes, sanctissimus episcopus Claudiopolitanæ civitatis noster comministrator; et Heraclianus reverendissimus presbyter Sanctæ Majoris ecclesiæ et cohabitator prædicti sanctissimi archiepiscopi et patriarchæ Epiphanii, et Constantinus vir reverendissimus diaconus ejusdem sanctæ ecclesiæ, qui probationem suæ rectæ fidei, et bonæ voluntatis olim his, qui a vestra apostolica sede fuerant D directi, dedisse cognoscuntur : digni autem et vestræ sanctitatis, et administratione [*F.* administrationis pacis, et gratiæ Domini nostri Jesu Christi Dei nostri, et unitionis sanctarum Ecclesiarum monstrabuntur. Quos speramus lætantes in Domino, et pacem desideratam nuntiantes, ad nos citius vestris Deo amabilibus correctionibus edoctos remeare dignemini. Omnem in Christo fraternitatem nos quoque et qui nobiscum sunt plurimum salutamus (anno Domini 519).

SUBSCRIPTIONIS.

Theophilus misericardia Dei episcopus Heracliensis civitatis, metropolitanus subscribens in synodalibus, saluto vos in Domino, domine.

(*a*) Edit. Rom., *si quæ intercess.*

Basiliscus misericordia Dei episcopus, qui [1] Zicinentium metropolitanus ut supra.

Stephanus misericordia Dei episcopus Nicomediensium metropolitanus ut supra.

Isaias misericordia Dei episcopus Rhodiæ civitatis metropolitanus ut supra.

Anastasius misericordia Dei episcopus Nicæensius metropolitanus ut supra.

Joannes misericordia Dei episcopus Claudiopolitanæ civitatis provinciæ Isauriæ ut supra.

Paternus misericordia Dei episcopus provinciæ Scythiæ metropolitanus ut supra.

Martianus misericordia Dei episcopus Chalcedonensis civitatis metropolitanus ut supra.

Patricius misericordia Dei episcopus Eudoxiopolitanæ civitatis metropolitanus ut supra.

Polydeucius misericordia Dei episcopus Antiochenæ civitatis metropolitanus ut supra.

Eulogius misericordia Dei episcopus Melitenæ civitatis metropolitanus ut supra.

Stephanus misericordia Dei episcopus (a) Philomediensis civitatis provinciæ Pisidiæ ut supra.

Christodorus misericordia Dei episcopus Methymnensis civitatis ut supra.

Palmantius minimus episcopus Oenandæ civitatis provinciæ Lyciæ ut supra.

Joannes misericordia Dei episcopus Attaliensis civitatis ut supra.

Joannes misericordia Dei episcopus Olympinæ civitatis provinciæ Lyciæ ut supra.

Martianus minimus episcopus Martianæ civitatis provinciæ Lyciæ ut supra.

Phocas minimus episcopus Dardanæ civitatis provinciæ Hellesponti ut supra.

Zoticus misericordia Dei episcopus Carpatiensis civitatis provinciæ Insularum ut supra.

Sabbatius misericordia Dei episcopus Stratoniciæ civitatis provinciæ Lyciæ ut supra.

EPISTOLA

JUSTINI AD HORMISDAM.

Eliam Ecclesiæ suæ non posse restitui vivente eo qui in illius locum suffectus fuerat. Thomam et Nicostratum pace firmata suis sedibus se restituturum.

Justinianus Augustus Hormisdæ papæ.

Cum in animo nobis sit, pater religiosissime, ut in omni re nostra inter se concurrant consilia, tum et in Elia viro reverendissimo episcopo id constituendum credimus, legatis admonentibus vestris, quod inter varias utrasque rationes expeditius esse perspectum est. Nam et in præsenti pontificem Cæsariensium urbis favor tutatur omnium, quem ob instituta pulcherrima non solum incolæ validissime retinendum arbitrantur, sed prope cunctus Oriens sine dubio venerantur, et qui prior in eodem fuit sacerdotio, injuria esse remotum queritur. Visum est itaque convenire ut nec faciamus impetum contra infinitarum voto multitudinum, aut homo integritate nobilis A sede dejiciatur, qua se dignum exhibet, nec anteriori spem prorsus adimi patiamur, repetendi locum denuo, quo se spoliatum sine causa confirmat; sed in re dubia temperantius versemur, ita ut interim quidem hic idem Elias vir reverendissimus episcopus in quiete permaneat; verum postquam successor ejus vitam deposuerit, tum demum ad sedem revertatur, quia destitit adhibendis prius omnibus quæ ad impetrandam reditionis licentiam sacratissimarum regularum postulant definita, interponendo etiam consensu tam tuæ sedis apostolicæ, quam florentissimæ hujus urbis, nec non aliarum quarum hoc interest. De Thoma etiam et Nicostrato viris religiosissimis episcopis omnia mancipabuntur effectui. Postquam B cæteræ etiam vobis copulatæ fuerint; sed et ad unitatem venerabiles Ecclesiæ, quæ præcedente superno præsidio statuenda duxerimus pro sacratissimarum regularum itidem ordine. Quoniam itaque vestræ quoque sanctitudini deliberationem nostram oportuerat declarare, ut ex hac etiam patefiat desiderium in quo omnem operam intendimus ad compescendas atque temperandas controversias, et optatam inter omnes concordiam prorogandam, præsentes quoque litteras duximus destinandas, moventes præcipue ut pro incolumi statu reipublicæ numen supernum vestris exoretur precibus. Data VII idus Junias, Constantinopoli, Vitaliano et Rustico consulibus (anno Domini 519).

EPISTOLA

C JUSTINI AD HORMISDAM.

Diligentia legatorum Constantinopoli et aliis civitatibus pacem restitutam. In damnandis episcoporum nominibus mitius agendum.

Justinus Augustus Hormisdæ papæ per legatos Germanum et Joannem episcopos, Felicem et Dioscorum diaconos, et Blandum presbyterum.

Summa quidem habenda vobis est gratia, quod alacrem operam non dubitatis impendere ad colligendas adunandasque venerabiles ecclesias, verum in ea prælucet maxime perfecta solertia, quod homines adoptatis qui voto benevolo tuæ sanctitudinis sincero et integro possint animo deservire. Germanus siquidem reverendissimus episcopus, nec non Felix, et Dioscorus, et Blandus viri religiosissimi tanta semet D præbuerunt attentos industria, ac in tanta sapientia versati sunt, ut quantum ad officium eorum pertinet, transactis in plenum et elaboratis omnibus, nihil altercationis superesset ulterius; sed cum ea conditione sit mortalis fragilitas, ut remissius circa se agi desideret, et interrogationibus suis planum præberi responsum, maxime cum aliqua causa in immensa hominum fuerit multitudine devoluta, factum est ut in hac quidem urbe florentissima quidquid ordinatum est de causa religionis, deque unitate celebranda cum apostolica sede sub temporibus Joannis religiosissimæ memoriæ, cum in sacerdotio regiæ esset hujus urbis, id favente Deo servetur immobile; quin et in aliis compluribus civitatibus probata sit vestra

[1] Lege *Cizicensium.* Sic in mss. sæpe *Quiriacus* pro *Cyriacus.* HARD.

(a) Al. *Philomelensis*

ordinatio atque suscepta. Cætera vero clementiore quodam indigeant moderamine in nominibus antistitum, non eorum qui specialiter numerati sunt in epistola quam sanctitudo tua nobis destinasse noscitur, sed aliorum quorum memoriam maximæ civitates diligunt, in quibus floruisse noscuntur superstites. Quapropter legatis quidem tuæ sanctitudinis nulla fuit licentia mandati tenorem egrediendi, cum quo directi sunt. Omnis autem finis negotii vestro jam tantum pendet arbitrio, ut solus pacem concludere debeat qui prima rei commovit exordia : sed ea quidem, nec non quædam, commemorabuntur apertius per legatum nostrum, qui paulo post destinabitur. In præsenti vero redeuntibus viris religiosissimis, tam appellandam vestram reverentiam credidimus, quam commonendam, ut suis orationibus pro nostro utatur imperio, proque incolumi statu reipublicæ. Data VII idus Julii, Constantinopoli, Vitaliano et Rustico viris clarissimis consulibus (anno Domini 519).

EPISTOLA

EUPHEMIÆ AUGUSTÆ AD HORMISDAM.

Sanctissimi pontificis orationibus se et virum suum commendat.

Euphemia Augusta Hormisdæ papæ.

Beatitudinis vestræ litteras grato jucundoque suscepimus animo : quem etenim non solum apostolicæ sedis auctoritas celebrat, sed vitæ quoque commendat integritas, et studiosa rectæ fidei solertia, hujus verba quis non libentissimis suscipiet auribus ? Igitur poscimus ac monemus ut orationibus vestris nunquam excedat nomen meum, ac præcipue serenissimi conjugis nostri, sed tam utrique nostrorum, quam reipublicæ supernum precibus vestris placetur præsidium.

EPISTOLA

CELERIS AD HORMISDAM.

Legatorum opera Constantinopoli omnes pacifice vivere, quod et in aliis civitatibus brevi futurum sperat.

Domino beatissimo et apostolico patri Hormisdæ Celer vir illustris.

Maxima nobis gratulationis causa præstatur, quotiens ad apostolatum vestrum scribendi tempus emerserit. Nunc igitur remeante beatissimo Germano episcopo, vel reverendissimis viris, qui a vobis pro conjungendis sanctis Ecclesiis fuerunt destinati, necessarium duximus sanctitatem vestram debere venerari, indicantes antedictos habuisse quidem studium ut voluntatem vestram plenus sequeretur effectus ; sed quia totum corpus erat infirmum, interim caput, quod prius necessarium judicatur, adhibito medicamine vestro sanatum est, et dissensio quæ erat inter venerabiles Ecclesias Romanam et Constantinopolitanam unitate interveniente sepulta est, et alia non parva membra similis Divinitatis gratia purgata atque conjuncta. Hanc etiam spem gerimus universi, quod gratia Dei, quæ semper sedi vestræ permansit et permanet, hujusmodi vobis inspirationem bonitatis præbeat, et mansuetudine et dispensatione vestra reliquum adhuc corpus, quod habetur infirmum (sicut superius a nobis dictum), vestro medicamine

A unitate recepta jungatur. Specialiter autem deprecamur pontificium vestrum ut pro nobis benigno patris animo orare jubeatis.

EPISTOLA

JULIANÆ AD HORMISDAM.

Pontificem salutat.

Domino beatissimo atque apostolicæ sedis probatissimo pontifici Hormisdæ papæ patri Juliana Anicia.

Quæ prima sunt tuæ beatitudinis salutatione obsequia persolvimus, optantes ut hanc paginam tuis venerandis obtutibus Divinitas faciat recenseri, et pro suæ Ecclesiæ vigore augmenta salutaria vestræ vitæ suffragari dignetur, quatenus te pervigili possit

B contra adversos et rabidos canes status Ecclesiæ vindicari. Etenim, venerabilis pater, quod de nostræ fidei integritate curam geris, vicariis gloriosi Petri apostoli ista conveniunt, cui Dominus pascendarum ovium injunxit officium. Cognoscat ergo tua pro nobis sancta sollicitudo, nos firmius tenere rectæ fidei firmitatem immobilem : pro qua ne ejus violaretur sanctimonia hactenus repugnavimus. Quod vero tuus apostolatus pro tantæ pietatis causa curam ferre præcepit, in quantum potuimus pro nostris viribus non desivimus spiritu lenitatis adversos admonere, et Dei nobis gratia cooperante..... *deest reliquum.*

EPISTOLA LXVIII.

AD LEGATOS SUOS.

De eorum salute et rebus gestis certior fieri cupit.

C Hormisda legatis suis.

Ita nos incolumitatis et actuum vestrorum cura sollicitat, ut quamvis frequentibus occasionibus non prætermittamus hortari, certiores nos de his quæ circa vos aguntur fieri litteris destinatis. Nam et cum per hominem illustris viri atque magnifici patricii filii nostri Agapiti desideriis vestris congruos miserimus affatus, et nunc quoque anxietatis vestræ credidimus solatium, si ad vos præsentia scripta mitteremus : tantum est ut de actibus atque sospitate vestra, nec non et de mora per quam vos detineri plurimum dolemus, relevetis nos alloquiis sub occasione idonea portitoris. Data IV idus Julias, Rustico viro clarissimo consule (anno Domini 520).

D EPISTOLA LXIX.

AD EOSDEM.

Cum eorum litteras non acceperit, monet ut scribant.

Hormisda Germano episcopo, Felici et Dioscoro diaconis, et Blando presbytero.

Animos nostros tam diuturnum dilectionis vestræ silentium, ut tantorum temporum contristat absentia, præcipue cum vir magnificus patricius Symmachus, et vir illustris Romanus magister militum filii nostri reditum apud nos caritatis vestræ sine dilatione promiserint, et ignoramus utrum illic causarum qualitas, an certe fraus aliqua simulata sub necessitate detineat; quia nobis sollicitudinem sine cessatione gerentibus, et pene universos homines illarum partium percunctantibus, diversa et dissimilia nuntiantur : et ideo, quoniam vos causas tantæ tarditatis

melius deprehendere et intelligere potestis atque cognoscere, significare nobis ista, de quibus noster cruciatur animus, debuistis; vel si est causa dilationis idonea, sicut constitutum est, aliquem de vestris ad nos oportuerat destinari, unde ne forsitan per versutias, aut aliquam concinnationem vobis dilatio et impedimenta generentur, sub celeritate nobis scribite, ut sub rationabili ordinatione pro vestra repetitione ad filium nostrum clementissimum imperatorem dirigamus. Ergo tam circa personas quam de causa fidei, pro qua diu moramini, quid geratur instruite, atque plenissime nobis universa rescribite, ut omnibus cognitis, Deo nostro favente, tractemus quemadmodum personis vestris et causæ ipsius cujus res agitur possit misericordia subvenire. Data idibus Julii, Rustico viro clarissimo consule (anno Domini 520).

RELATIO

POSSESSORIS EPISCOPI AFRI PER JUSTINUM DIACNOUM EJUS.

Consulit pontificem de Fausti episcopi libro.

Domino beatissimo et ineffabiliter mirabili, et in Christi gratia præferendo papæ Hormisdæ Possessor episcopus in Domino æternam salutem.

Decet et expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Qui enim majorem circa subjectos sollicitudinem gerit, aut a quo magis est nutantis fidei stabilitas exspectanda, quam ab ejus sedis præside, cujus primus a Christo rector audivit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI)? Arbitror vestram beatitudinem non latere quantis in Constantinopolitana urbe Ecclesia laboret insidiis, et ad morem veteris morbi in saniem vulnus iterum quærat erumpere, quod obductum creditur cicatrice. Unde cum quorumdam fratrum animus de codice Fausti cujusdam natione* Galli** Reginæ civitatis episcopi, qui de diversis rebus et frequentius de gratia Dei diserte visus est disputare, in scandalum moveretur,

A aliis (ut se habent humana studia) in contrarium remittentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea quæ a tractatoribus pro captu proprii ingenii disputantur, non ut canonica recipi, aut ad synodalium vicem pro lege servari; sed habere nos certa scilicet, quæ veteri lege vel nova conscripta, et generalibus Patrum sunt decreta judiciis ad fundamentum fidei, ac religionis integram firmitatem; hæc autem, quæ antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui sine præjudicio fidei solere censeri. Sed cum hæc (quantum in eorum frequenti postulatione persensimus) magis eis excusatio videretur: vel pro eorum prece, vel pro obsequii occasione reddendi apostolatui vestro, per Justinum diaconum meum præsumpsi apices parvitatis meæ
B ingerere; quibus principaliter orationum vestrarum munimen exposcens, quæso ut consulentes quid de præfati auctoris dictis videatur, auctoritate apostolicæ responsionis agnoscant: maxime quod filii quoque vestri magistri militum Vitalianus et Justinianus præcipue super hac re rescripto beatitudinis vestræ similiter informari desiderant. Codicem quoque tractandum (tractatuum) antehac direxisse memini, continentem beati Pauli apostoli epistolarum explanationes; pro quo rescripto gratulari non merui. Unde simili prece deposco ut prærogativam benedictionis vestræ competenti responsione merear adipisci. Accepta XV calendas Augusti, Rustico viro clarissimo consule.

[a] EPISTOLA LXX.

C AD POSSESSOREM EPISCOPUM.

Scythas monachos, suos errores damnare nolentes, ut hæreticos ab urbe expulsos. Fausti librum a Romana Ecclesia non recipi.

Hormisda Possessori episcopo.

Sicut rationi congruit ut consulant ambigentes, ita par est respondere consultos, quia ipse impellit in errorem qui non instruit ignorantem; nec quidquam

[a] Joannes Maxentius hæreticus et mendax scriptor primus est qui hanc epistolam Hormisdæ esse negavit; quam ipsa tamen connexio rerum gestarum, sententiarum atque verborum proprietas, ipse denique stylus Hormisdæ manifeste adjudicant. Joannem Cochlæum, virum fama celebrem, et hæreticorum nostri temporis acerrimum impugnatorem, idem cum Maxentio sensisse fatemur, sed errore et boni opinione lapsus fuit. Apologiam enim Maxentii in quam inciderat, a catholico scriptam esse putavit, quam hæreticus pestilentissimus ediderat. Caruit vir doctus harum epistolarum Hormisdæ nunc recens editarum subsidio. Quo si instructus fuisset, fraudem et dolum hæretici animadvertere potuisset. Vide Baronium anno 520, numero vigesimo secundo et sequentibus; Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Joannes Maxentius*. SEV. BINIUS. — Vaferrimi hujusce hæretici, atque ut minimum loquar, Eutychiana fuligine tincti, patrocinium nuper susceperunt procaces quidam atque infruniti novatores Jansenii asseclæ, sed infelici plane atque irrito successu, ut pluribus alias docebimus. Neque enim in quæstionem vocatur, utrum tolerari possit hæc assertio, *Unus de Trinitate passus est*, sed quo sensu, quibusve adblandientis vulpeculæ subdolis artibus subtiliorum hæreticorum more eam protulerit defenderitque cum suis Scythis monachis Joannes Maxentius, hoc uno patrocinium Janseniano-rum rite promeritus, quod, in apostolicam sedem injurius, et in Hormisdam Romanum pontificem impudentissimus calumniator, illorum in eamdem sedem conviciis et in summos Ecclesiæ antistites calumniis præluserit. Hæremus en calumniis Joannis Maxentii ac ne evagemur latius, unam ex omnibus seligamus: Dixerat Hormisdas: *Proficiemus inter adversantes propriis bonis, si erroribus non involvamur alienis*: quo
D nihil sanius, nihil verius dici potuit. Quid ad hæc perditissimus sycophanta? *Callide*, inquit, *tuam niteris occultare perfidiam*, etc. *Pelagianæ perfidiæ involutum erroribus cunctorum oculis anteponit, qui inter adversantes non Dei munere, sed propriis bonis proficere te posse tumida elatione confidis*, etc. Calumniaris, impudens nebulo, dum Christi vicarium hæreticum et inimicum veritatis blasphemo ore deblateras, et egregiis defensoribus tuis magnifice præluces. Propria bona, non Dei donis, sanctissimus pontifex Hormisdas, sed bonis opponit alienis. Cætera non patiuntur hujus observationis angustiæ: recte enim monuit vir eruditus, suspenso pede et acri judicio hæretici hujus, eo perniciosioris quo cultioris, legenda esse tironibus scripta, ne impingant. PHILIP. LABBE, S. J.

* Errat: commoratione quidem Gallus, at natione Britannus fuit, ut vel ipsemet testatur pluribus locis.

** Reiensi in Narbonensi II.

aptius est studioso religionis, quam imposito (*Edit. Rom.*, inquisitio) veritatis; quando facilius devium vitat, qui iter per quod graditur rogat. Sed priusquam respondendi curam de his quæ dilectio tua percunctatur aggrediar, libenter in litteris tuis fidei tuæ me fateor invenisse fervorem, cujus calore succensus, redivivam in illis partibus infidelium perversitatem vigere suspiras. Dignissimus dolor, qui dedita Deo corda contristet: nec enim est apud eos lapsus inlamentabilis, quibus est igniculus caritatis; quia unum spiritualium votum est salus inconcussa cunctorum. Sed non est ignota Ecclesiæ Dei de hujusmodi procellis aut insueta tempestas: et quamvis rectoris sui gubernaculo inconcussa persistat, variis tamen insurgentium fluctuum laborat vexata turbinibus. Nam unde est psalmidici vox prophetæ, qui ipsius Ecclesiæ personam spiritu quo impellebatur assumens: *Sæpe,* inquit, *expugnavernnt me a juventute mea: etenim non potuerunt mihi?* Concutiunt, sed in nihilo prævalebunt: adhuc in area sumus, mixta sunt frumenta cum paleis, gemunt boni consortia malorum, sed superest flamma non necessariis, et parata sunt horrea jam probatis. Ubi terrarum non est ista permixtio? Nos fixis decet instare (insistere) vestigiis: proficiemus inter adversantes* propriis bonis, si erroribus non involvamur alienis. Probat enim virtutis suæ validum robur, qui cum impellitur non movetur.

Ubi non variæ tentationis aculei? Quales per hunc fere jugem annum quorumdam Scytharum, qui monachos præ se ferebant specie, non veritate; professione, non opere, subtili tectas calliditate versutias, et sub religionis obtentu famulantia odiis suis venena pertulimus, studentes eos ab interno vulnere medicabilis patientiæ moderamine sanare, beati Pauli monita non tacentes: *Noli verbis contendere*; *ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium* (*II*) *Tim.* II). Sed quando virus quod viscera penetravit evellitur? Quando corda male sibi credula veritatis obtemperant institutis? Quando induit obedientiæ humilitatem opinionibus suis vallata superbia? Quando acquiescunt paci contentionum studiis assueti, sola certamina amantes de religione captare, et mandata negligere? Nunquam apud eos caritas novo commendata præcepto, nunquam pax dominico relicta discessu; una pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere; contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidi quæstionum; solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet concepta facilitate sententiam: eousque tumoris elati, ut arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium: nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ: docti crimina serere, obtrectationum venena componere, integrum Ecclesiæ corpus odisse, seditiones instruere, invidiam concitare, et pro obedientia, quæ in cœnobiis principatum regularis obtinet

A disciplinæ, obstinationem pertinacis amare superbiæ.

Non illos potuimus monitis, non mansuetudine, non auctoritate comprimere. In publicum usque prodiere conventum, ad concursionem quietis circa regum etiam statuas inclamantes: et nisi fidelis populi constantia restitisset, per diabolicæ semina nefanda zizaniæ apud illos dissensionem et discordiam commovissent (*I Tim.* III), per quos adjutorio Dei de religione eorum est pulsa dissensio. De eis sero probavimus prophetica apostolum voce dixisse, in novissimis diebus instare tempora periculosa, et fore homines sui tantum amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; itaque esse vitandos. Hæc ideo dilectionis vestræ indicanda sub occasione credidimus, ne, si illuc fuerint forte delati, B ignorantes quemadmodum se in urbe Romana tractaverint, sub aliqua verborum simulatione deciperent.

Hi vero, quos vos de Fausti cujusdam** Galli antistitis, dictis consuluisse, litteris indicastis, id sibi responsum habeant. Neque illum (*a*) recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen catholicæ fidei, aut ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare. Fixa sunt a Patribus quæ fideles sectari debeant instituta: sive interpretatio, sive prædicatio, seu verbum populi ædificatione compositum, si cum fide recta et doctrina sana concordat, admittitur, si discordat, aboletur.

C Unum est fundamentum extra quod quælibet fabrica si consurgit, infirma est, super illud quisquis ædificat, sive vilia, sive pretiosa, consideret. Errat autem a via, qui ab eo quod Patrum electio monstravit exorbitat, nec tamen improbatur diligentia per multa discurrens, sed animus a veritate declinans. Sæpe de his necessaria providetur, de quibus ipsi æmuli convincantur, instructio. Nec vitio dari potest nosse quod fugias, atque ideo non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quod si ita non esset, nunquam doctor ille gentium acquievisset nuntiare fidelibus: *Omnia probate; quod bonum est tenete* (*I Thess.* V). Non abs re est, et si mundanum, non tamen a ratione discretum miscere sermonem. Fertur quidam nobilis arte pingendi, cum D equum penicillo vellet explicare perfectum, asellum sibi (*b*) proposuisse pingenti, asserens non ut jumentum imitaretur informe, sed ne in alicujus informis lineamenti similitudinem lapsus incideret.

Non improvide veneranda Patrum sapientia fideli potestati quæ essent catholica dogmata definiit; certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, sancto Spiritu instruente, præfigens: ne opinioni suæ lector indulgens, non quod ædificationi ecclesiasticæ conveniret, sed quod voluptas sua concepisset, assereret. Quid ergo calumniantibus opus erat extra constitutos Ecclesiæ terminos porrigere quæstiones, et

(*a*) Deest *recipi* in edit. Rom.
(*b*) Al. *profuisse*.
* Super hæc verba calumniam struxit Hormisdæ Joan. Maxentius.
** In Gallia Reiensis episc.

de his quæ habentur dicta, quasi dicta non sint, movere certamina, cum Christiana fides canonicis libris, et synodalibus præceptis, et Patrum regularibus constitutis stabili et inconcusso termino (tramite) limitetur?

De arbitrio tamen libero, et gratia Dei, quod Romana (hoc est catholica) sequatur et asseveret Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, possit cognosci, tamen in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ si tibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus, quanquam qui diligenter apostoli dicta considerat, quid sequi debeat evidenter cognoscat. Data idibus Augusti.

EPISTOLA LXXI.

AD EPIPHANIUM CONSTANTINOPOLITANUM EPISCOPUM.

Epiphanium episcopum ordinatum nec scripsisse nec legatos misisse nuntiat.

Hormisda Epiphanio Constantinopolitano episcopo.

Diu nos non nuntiata tuæ primordia dignitatis tenuere suspensos, et in ipsa communis gratulatione lætitiæ, mirati admodum sumus morem pristinum fuisse neglectum; quia reparata Ecclesiarum, Deo annuente, concordia, plenum fraternæ pacis id flagitabat officium : præsertim quod illud sibi non arrogantia personalis, sed regularum observantia vindicabat. Decuerat siquidem, frater carissime, te legatos ad apostolicam sedem inter ipsa tui pontificatus initia destinasse *, ut et quem tibi debeamus affectum bene cognosceres, et vetustæ consuetudinis formam rite compleres. Sed licet his omissis, paginalia tantum sufficere judicasses ex occasione colloquia : nos tamen gratia stipulante (stimulante) compulsi, interim juste constantiam expectationis abrupimus, reciproca mutuæ caritatis verba reddentes; quia et noster animus amoris impatiens, et legatorum nostrorum votiva relatio exclusum quod imperabat causa silentium ad officia benigna traxerunt, quibus ad præsens gaudii nostri signa monstramus, et privatæ quodammodo amicitiæ votiva persolvimus. Legationem autem tuam et ea qua dudum gratia sustinemus, et fulti veteribus constitutis exigimus, ut quantum gaudii fructum, vel de tui pontificatus honore capiamus, vel quas tibi gratias referri conveniat pro impensis in negotio propagandæ unitatis officiis (sicut nostrorum multipliciter astruxit legatorum narratio) evidentius exprimamus.

EPISTOLA LXXII.

AD EUMDEM.

Queritur Eliam, Thomam et Nicostratum suis sedibus non restitutos : ad Epiphanium spectare ut hæc exsecutioni mandentur.

Hormisda Epiphanio episcopo Constantinopolitano.

Oportuerat quidem fraternitatem tuam divini contemplatione judicii, atque caritatis nostræ respectu, Eliam, Thomam atque Nicostratum fratres et coepiscopos nostros, postquam in consortium communionis A nostræ recepimus, ad divina (*a*) mysteria incunctanter admittere, atque ad Ecclesias suas, a quibus eos discordiæ error excluserat, pro pacis nostræ plenitudine revocare; ut unitas, quam post annorum multa curricula per totum orbem suis Deus restauravit Ecclesiis, nulla voluntatum nostrarum distantia læderetur. Sed quia rem tam gratam, et Patrum statutis venerabilibus congruentem quibusdam tarditatibus contigit nunc usque differri, unde etiam ad decessorem fraternitatis tuæ nos scripsisse meminimus; hortamur ut lætitiam, quam de damnato præteritæ dissensionis errore percipimus : in nullo iterum discrepantium animorum causa contristet. Etenim nulli videtur vos nobiscum pleno communicare mentis affectu, si eos qui nobiscum communicant a vestro B consortio segregatis. Incassum certe videntur pacem recipere qui pacis differunt præcepta complere. Quidquid enim in illorum suscipienda communione moramini, quodammodo de nostra reconciliatione detrahitis. Et providendum est, frater carissime, ne si Ecclesiarum nostrarum tandem desuper indulta concordia ab his exordium sumat exemplis, et religionis veneranda regula, et apostolicæ sedis auctoritas imminuta (quod absit) per Orientem potius (*b*) divulgata quam restituta videatur.

RELATIO

EPIPHANII EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

De sua electione. Fidem catholicam profitetur, et de omnibus cum Ecclesia Romana sentit.

C Sanctissimo ac beatissimo domino fratri et comministratori Hormisdæ Epiphanius episcopus in Domino salutem.

Deus qui in alto habitat, et humilia respicit (*Psal.* CXII), et omnia pro salute hominum affluenter providet, pro sua bonitate et misericordia meam respexit parvitatem, et post obitum sanctæ memoriæ quondam archiepiscopi et patriarchæ Joannis sedem sacerdotalem sanctæ Ecclesiæ catholicæ regiæ urbis mihi conferre dignatus est, sententia, et electione Christianissimi et justissimi principis nostri Justini, et piissimæ reginæ, quæ ei ad omne studium communicat divinum, sequentiumque eorum his quibus est bona conversatio, et qui regiis honoribus sunt subli- D miores, simul et sacerdotum, et monachorum, et fidelissimæ plebis consensus accessit. Quapropter necessarium duxi hoc primum indicium meis (*c*) inferre litteris, ut ostendam quam circa vestram apostolicam sedem habeo voluntatem. Est mihi oratio (ratio) magnopere, beatissime, uniri me vobis, et divina amplecti dogmata quæ ex beatis et sanctis discipulis et apostolis Dei præcipue summi Petri apostolorum sedi sanctæ vestræ sunt tradita, et nihil eis pretiosius existimare. Neque enim extra aliunde veniens sanctæ Ecclesiæ constituta ignoro, sed nutritus per Dei voluntatem ex teneris unguibus in sancta catholica Ecclesia, parui per tempora sanctissimis sacer-

(*a*) Edit. Rom. addit *tecum*.
(*b*) Al. deest *divulgata*.
(*c*) Al. *inserere*.

* Episcopus Constantinopolitanus initio sui episcopatus legatos Romam mittebat.

dotibus et patriarchis. Nam sæpius præpositus his qui per sacratissimum et ineffabile baptisma sua exuunt peccata, et veram unius essentiæ Trinitatis docui fidem, quam (sicut præfatus sum) ex discipulis Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi procedentem omnium sacerdotum et omnium laicorum amplectitur cœtus. Divinum enim revera sanctum et a Deo datum symbolum trecentorum decem et octo sanctorum Patrum in Nicæa congregatorum adoro et prædico, et Christiani splendoris manifestum judicium esse annuntio : et quinquaginta et centum sanctorum sacerdotum in hac urbe regia factam venerabilem synodum : similiter et ducentorum Dei amatorum Patrum conventum in Ephesina factum : triginta et sexcentorum reverendissimorum Patrum et sacerdotum synodum factam Chalcedone unam (veram) esse et convenientem, et compaginatam prædictis sanctis conciliis, ipse ego didici, aliosque docere cognovi. In his ergo quatuor synodis sanctis et sacris magnum pietatis prædicatum mysterium, et omnium hominum est reposita salus. Eos enim qui fuerunt vel sunt ejusdem sententiæ et suscipio et amplector, et unire me eis diligo. E contra autem eos qui præter istas quid sentiunt aut prædicant, præterito tempore aliquid conati sunt, a cœtu orthodoxorum extorres esse existimo. Similiter rectas et revera religiosissimas epistolas venerabilis papæ Leonis pro recta fide conscriptas circumamplector et suscipio. Habeat igitur hanc sententiam circa me vestræ beatitudinis sancta fraternitas. Vobis enim manifestum feci, et sub me Ecclesiis hæc prædico, festinans per omnia eas mihique et vestræ beatitudini vinculo caritatis adunari, quas omnino oportet esse unitas et inviolabiles, et corpus unum communis apostolicæ Ecclesiæ idemque perpetuo custodire. Quantus enim circa vestram venerabilem fraternitatem in omnibus sit amor jubete perpendere; quia quos vestra apostolica sedes condemnans in sacris diptychis non recitare jussit, eos nec ego inter sacra facio nominari mysteria. Hoc autem et his notum est qui a nobis sunt directi viri reverendissimi , id est Germano sanctissimo et (*a*) Joanni episcopis, Felici et Dioscoro diaconibus, et Blando presbytero, qui efficaciter secuti sunt ea quæ eis sunt a vobis injuncta. Oret igitur vestra sanctitas tam pro me quam pro subjectis meis sacerdotibus ut perpetue custodiamur, rectam Dei tenentes confessionem; similiter et pro serenissimo principe nostro, et pro Christianissima Augusta, quia eorum salus communis sanctarum ubique est Ecclesiarum profuturum firmamentum. Istam igitur vobis habentibus intentionem nullo modo jam licebit sanctam Dei dilacerari Ecclesiam, per gratiam sancti Spiritus, et intercessiones sanctæ gloriosæ Dei genitricis virginis Mariæ. Omnem quamcunque vestram fraternitatem ego quoque et mei plurimum salutamus. *Alia manu* : Incolumis in Domino ora pro nobis, Dei amator sanctissime frater. Accepta XV calendas Octobris, Rustico viro clarissimo consule (anno Domini 520).

(*a*) In edit. Rom. deest *Joanni*, et pro *episcopis* est *episcopo*.

EXEMPLUM EPISTOLÆ

JUSTINIANI VIRI ILLUSTRIS AD HORMISDAM PAPAM.

Acacio damnato Constantinopoli pacem vigere : cum Orientalibus pacem quoquo modo ineundam : et de sanctissima Trinitate.

Domino N. Jesu Christo favente regnat in sæculo qui sacra religione suum fundat imperium; quoniam bene gubernat humana, cui prius divina placuerint : quod præsentibus evenisse temporibus gratulamur. Filius etenim vester clementissimus imperator æternitatis beneficio sceptra sortitus, fidei causas arripuit explicandas, et ad tuam sanctitatem missa legatione sedis apostolicæ promeruimus sacerdotes, quorum adventu non mediocriter adolevit Ecclesiarum concordia sacrosanctarum, vobis instantibus, ut decebat. Acacii namque, quod dissidium gerebat, nomine stirpitus amputato, pro tenore libellorum quos direxistis, in hac urbe regia multisque civitatibus unitas optata provenit, quam summis inventam laboribus venerari convenit : in perpetuumque custodiri necesse est. Hæc quibuslibet argumentis retractari quispiam patietur, quæ sempiterna majestas rite composuit? Sed quia prosperos cursus frequenter impedire festinat humani generis inimicus, pars Orientalium non (*b*) exilis, nec ferro flammisque compelli potest, ut episcoporum nomina post Acacium defunctorum condemnet : quæ difficultas generali concordiæ moras nectit. Sanctitas itaque vestra cœlitus inspirata, temporum rerumque qualitatem consideret, et condemnatis hujus erroris auctoribus, id est Acacio Constantinopolitano, Petro, et Timotheo Æluro, et Dioscoro Alexandrinis, Petroque Antiocheno, finire dignetur inveteratum certamen, de cæterorum nominibus quæstione sopita : ut redimatis plebem de sanguine, quam Deus noster regendam commisit, ac non persecutionibus ac cruore, sed patientia sacerdotali populum Domino nostro concilietis : nec, dum volumus animas lucrari, et corpora multorum perdamus et animas. Errores etenim diuturnos lenitate clementiaque convenit emendari, præcipue quia vestræ beatitudinis prædecessores sæpissime voluerunt reipublicæ nostræ antistites ad suam revocare communionem, si tantummodo taceretur Acacius cæterique prædicti. Non est ergo grave quod suasit vestra sedes ut præstet : illud etiam magis magisque deposcimus, ut tua sanctitas concepta gratia cœlesti quæ prætendunt Orientales episcopi tractare dignetur, eorumque fidei competentem præbere consensum. Nobis etenim videtur, quoniam Filius Dei vivi Dominus noster Jesus Christus ex virgine Maria natus, quem prædicat summus apostolorum carne passum, recte dicitur unus in Trinitate cum Patre Spirituque sancto regnare : sicut enim videtur ambiguum dicere simpliciter unum de Trinitate, non præmisso nomine Domini nostri Jesu Christi; sic ejus personam in Trinitate cum Patris Spiritusque sancti personis non dubitamus esse : sine Christi namque persona nec

(*b*) Al. *exiliis*.

credi Trinitas religiose potest, nec adorari fideliter, quemadmodum S. Augustinus ait : An aliqua ex Trinitate persona ; et alio loco : Solus in Trinitate corpus accepit : et iterum : Unus trium. Rogamus igitur, reverendissime salutantes, ut futuri judicii memores, causam taliter ordinetis, ne quid dubitationis relinquatur in posterum, quatenus omni scrupulo discordiarum sublato, pacis desideratæ per orbem totum vincula renoventur, et venerandarum floreat Ecclesiarum concordia, corporisque unius in pristinum statum membra recolligantur. Ille namque medicus jure laudatur, qui veteres ægritudines ita sanare deproperat, ut ex his nova vulnera non nascantur. Specialiter ergo cognoscat vester apostolatus, compositis eisdem duobus capitulis, universos sacerdotes istius reipublicæ libenter amplecti vestram communionem. Accepta XV calendas Octobris, Rustico viro clarissimo consule (anno Domini 520).

RELATIO

EPIPHANII EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

Imperatoris ejusque conjugis, suamque de Ecclesiarum unione animi alacritatem demonstrat. Ponti et Asiæ, et maxime Orientis sacerdotes suorum episcoporum nomina damnare volentes in unionem admittendos. Calicem et alia pontifici munera mittit.

Domino per omnia sancto ac beatissimo fratri et comministratori Hormisdæ Epiphanius episcopus in Domino salutem.

Quantam habuimus alacritatem nos quoque et piissimus et Christianissimus imperator una cum fidelissima et in omnibus bonis florente conjuge sua circa rectam et puram sanctarum Ecclesiarum unitionem, et quemadmodum cum caritate Dei qua nos decebat destinatos a vobis sanctos episcopos et religiosos suscepimus, et venerandos habuimus clericos, existimamus quidem et ante ex his quæ acta sunt satisfactum vestræ beatitudini : credidimus tamen quod si Dominus Salvator Jesus Christus Deus noster idem ipsos reverendissimos comministratores nostro incolumes vestris obtutibus præsentavit, omnia quæ excitata sunt vobis sanctissimis manifesta fieri, et laborem, quem potuimus sustinere, per hos ipsos manifestius cognoscetis. Quemadmodum per Dei gratiam et fidelissimorum principum nostrorum, Constantinopolitanæ civitatis nostra Ecclesia pacifice est gubernata : et nomina eorum inter sacra non sunt recitata mysteria, quæ sedi vestræ profana cognovimus, sed quatuor conciliorum pro recta fide consonantia prædicatur et hoc ipsum omnibus sacrorum diptychorum recitatione manifestum est. Annuntient igitur vobis quia non pauci nobis subjecti sacerdotes, nec rursus sub eorum ordinatione episcoporum parva est subdita multitudo, quæ bonum hujus cœptæ unitionis amplectitur : vestra etiam sanctitas cognoscat istius se generalis boni et principem et inceptorem nihilominus constitutum. Unde fortiter ad vigilandum beatitudo vestra laudum est stimulis excitanda, ne id quod divina in honorem vestri cœperat ordinare misericordia, non ad plenum ita ut condecet

A communis unitas pervenire videatur. Diligentius autem de his fidelissimi et piissimi nostri principes de sanctarum Dei Ecclesiarum unitate et concordia gaudentes, ad vestram mandaverunt beatitudinem supplicationes a plurimis sanctis sacerdotibus suscipientes, tam Ponti quam Asiæ provinciæ, et maxime Orientis, apud quos nomina quondam sacerdotum suorum tacere difficile et impossibile esse videtur, tantaque eorum obstinatio est, ut omnes periculum pro tali facto parati sint sustinere. Igitur præcedentes omnes circa pacis studium necessarium causas considerantes, quia per solam istam humilitatis viam communem omnibus unitionem et salutem invenimus interrogantes sicut dictum est, et satisfacientes

B vobis ab illis qui a nobis in hoc negotio sunt destinati, causam cum pacifica, qua vos decet, gubernatione dispensetis : nam dum una utraque sit Ecclesia, procul dubio et bona, quæ per vigilantiam eveniunt, communis exinde laudis gloria utriusque patriarchalibus sedibus rimatur, ut consuete omnium Dominus et conditor Christus verus Deus noster magnificetur. De his autem omnibus summo vobis supplicentur affectu Joannes sanctissimus episcopus, multos nobiscum sudores in præsenti deponens certamine, et Heraclianus reverendissimus presbyter sanctæ nostræ majoris ecclesiæ, et cohabitator noster, et Constantinus reverendissimus diaconus ejusdem majoris ecclesiæ, per quos et nostra synodalia secundum ecclesiasticas vestræ beatitudinis destina-

C vimus leges. Nunc igitur piissimi nostri imperatoris studium circa sanctarum Ecclesiarum unitionem ostendentis, pacificis ad vestram beatitudinem de his causis utendo litteris, et oblatas sibimet ab Hierosolymitanis et Orientalibus petitiones destinavit. Nos ergo occasionem salutationis invenire volentes, hanc ad vos fecimus epistolam, per quam supplicamus, proponentes vobis sanctissimis hanc vocem divinam : *Ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI). Ecce credidit nobis omnium Dominus talentum, quod augmentatum possit restitui boni operis fructu, et salvari per laudabilem vestram dispensationem tantas quidem sanctas Ecclesias, tantosque eorum sacerdotes, et multitudinem innumerabilem, nunc

D quidem unitam sanctæ Ecclesiæ, periclitantem autem et errantem : si vestræ beatitudinis gubernaculum commoretur (commemoretur), et maxime his, qui in sanctis locis habitant Christi Dei nostri, ita ubique sanctis adhærentes ecclesiis, ut eorum respui non debeat multitudo. Nam omnes per suggestionem eorum ita in obstinationis suæ malo perdurant, ut velint ante e vita recedere, quam excogitata relinquere : ut si Deus hos, per vestram beatitudinem adunari præceperit, vestræ laudis meritum, et præsentibus, et futuris ascribatur temporibus. Oret igitur vestra sanctitas tam pro piissimis et Christianissimis principibus, quam pro nostra parvitate et universali unione, ut gratia sanctæ et unius essentiæ Trinitatis, et intercessionibus dominæ nostræ sanctæ et gloriosæ virginis et Dei genitricis Mariæ, omnia

ad unitatem indivisam conveniat, et fundamentum inconcussum catholicæ fidei confirmetur, per omnia, sanctissime frater. Indicia autem nostræ secundum Christum Dominum nostrum caritatis per viros reverendissimos destinavimus, ad administrationem divinæ culturæ, et sanctæ apostolicæ vestræ Ecclesiæ, calicem autem gemmis circumdatum, patenam auream, et alium calicem argenteum, vela serica duo; quæ suscipere vestram beatitudinem supplicamus cum illa caritate quam vos habere secundum Deum non dubitamus. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate nos quoque et qui nobiscum sunt plurimum salutamus. Accepta pridie calendas Decembris, Rustico viro clarissimo consule (anno Domini 520).

SACRA

JUSTINI AUGUSTI.

Joannem episcopum ad tractandam Ecclesiæ pacem destinatum, quamprimum convaluerit, profecturum.

Justinus Augustus Hormisdæ papæ.

Dum beatissimum Germanum episcopum, vel eos qui cum eo a vobis fuerant destinati, de hac dimitteremus regia civitate, hujusmodi illis mandata tradidimus, quod capitula quæ ad perfectam unitatem Ecclesiarum pertinebant apostolatui vestro per reverendissimum Joannem episcopum sequenter manifesta faceremus; quæ tamen ipsis hic præsentibus fuerant declarata. Sed evenit præfatum Joannem antistitem longa ægritudine detineri. Ne qua igitur vestram reverentiam ingrediatur adversa sententia, quasi vobis promissa nostra desidia quadam ultronea minus ad effectum perducentibus, necessarium esse perspeximus dilationis causam vobis exponere per Eulogium V. S, tribunum et notarium, quem ad præcelsum regem Theodoricum super negotiis quibusdam transmisimus: hoc quoque adjicientes quod dum propitia Domini et Dei nostri majestas eumdem virum religiosissimum Joannem pristinæ voluerit reddere sanitati, sicut semel promiseramus, statim illum ad tuam sanctitatem transmittemus. Superest ut sanctitudo tua divinum nobis præsidium orationibus suis dignetur acquirere. Data pridie calendas Septembris, Constantinopoli. Accepta Romæ calendis Octobris, Rustico viro clarissimo consule (anno Domini 520).

RELATIO

DOROTHEI EPISCOPI THESSALONICENSIS.

Objectum sibi crimen refellit.

Sanctissimo ac beatissimo patri ac comministratori Hormisdæ Dorotheus in Domino salutem.

Propositi nostri et orationis est summum studium, per omnia beatissime et ter beate Pater, et scribere frequenter ad vos sanctissimos, et mutua mereri colloquia: et nullo tempore extorrem me ab hujusmodi lætitia esse condecet. Quoniam igitur manifeste cognovi quosdam sanctas aures vestras perturbare, et scio procul dubio vos in omnibus esse perfectos, et quia nihil sine judicio audire possitis, nec ulli penitus vestrum animum commodare, et ut non amplius A per taciturnitatem largiri tempus videar illis qui nihil quidem a nobis læsi sunt, sed sine causa et superflue adversus nos armati sunt: Deo tamen et vestræ satisfacio sanctitati, quia pro Joanne viro reverendissimo episcopo, qui paulo ante a vestra venerabili corona directus est, prædestinavi me periculis, et mortem sustinui, et meam pro ejus scio me objecisse animam: et hoc ostenditur gestis: et ex his, qui quanquam per meam absentiam acerrime videantur esse discussi. Et quid longo sermone opus est uti? cum vobis omnia Dominus Deus noster Jesus Christus patefacere et satisfacere possit; quia et quando cognovi vos ad apostolicæ sedis præsulatum advocari, commune gaudium totius mundi esse judicavi. Ab illo enim tempore, hoc ipsum scribens B ad vos, quantum ad me, quidquid ad honorem et satisfactionem vobis et apostolicæ sedi pertinet, nihil prætermisi, sed nec prætermitto. Paulo post autem scietis per venerabiles, annuente Domino Jesu Christo, quia hæc ab exordio mihi sunt excogitata, et quando Dominus Deus tempus dedit ad effectum hæc sunt perducta. Omnem cum vestra sanctitate in Christo fraternitatem ego quoque et mei plurimum salutamus.

EPISTOLA LXXIII.

AD DOROTHEUM THESSALONICENSEM EPISCOPUM

Romam ei veniendum, ut catholicam doctrinam percipiat, et objectum crimen punget.

Hormisda Dorotheo episcopo Thessalonicensi.

C Considerantes tuæ fraternitatis Ecclesiam ante prætereuntis mala discordiæ olim cum sede apostolica præcipua fuisse caritate conjunctam, te nuper pacis redditæ esse credebamus auctorem, sed quia quos prævenire debueras, sequi etiam remoraris, non leviter pro fraternitatis tuæ dilatæ correctionis ingemiscimus tarditate; scribis enim aures nostras cujusdam sceleris atrocitate turbatas. Utinam usque ad nos tantum detestabilis fama percurreret, et non toto orbe Christianis mentibus tam dolendum, tam exsecrabile facinus nuntiaret? ut qui te innocentem nesciunt, a Christianitatis simul credant tramite deviasse. In qua enim mundi parte immanitatis hujus invidia non et catholicas contristat Ecclesias, et hæreticorum prava vota lætificat? quæ nos a dilectionis tuæ conscientia, sicut litteris intimas, ostendi D cupimus, aliena: quid enim votis nostris magis convenit, nisi ut redire ad pacem catholicam volentes episcopos, a crudelite et criminibus contingat semper innoxios comprobari. Exspectamus igitur, si non desunt fraternitati tuæ veritatis Deo nota præsidia, ut et tanti sceleris a te repellas invidiam, et in reconciliatione fidei tandem eorum qui reversi sunt sequaris exempla. Data IV calendas Novembris, Rustico viro clarissimo consule (anno Domini 520).

EPISTOLA LXXIV.

AD JUSTINUM AUGUSTUM.

Accepisse ejus litteras, et de ejus fide et pietate nunquam dubitatum.

Hormisda Justino Augusto.

Benedicta Trinitas Deus noster, qui vobis guber-

nacula commisit mundani imperii, quibus non solum pro jure regni veneratio deberetur, verum etiam pro gloriosi modestia et integritate propositi. Vere enim glorificamus Deum, lectis vestræ pietatis epistolis, quibus promissæ legationis moram pro infirmitate ejus, qui dirigendum fuerat excusando, luce clarius reddidisti quam curam fidei et pudoris haberetis, ostendentes rerum summam regentibus non sufficere ad dominationis apicem quam obtinent potestatem, nisi ornamenta morum pretiosiorem faciant principatum. Servet circa vos, clementissime imperator, Deus noster beneficia sua, et respiciens bona vestra, largiatur æterna. Nec nos tamen momordit ulla suspicio aut implendi tarditatem promissi ; nec mutatione credimus evenisse consilii. Nefas enim erat de ejus verbis qualibet sollicitudine dubitari ; cujus fidem in magnis rebus datum est tam evidenter agnosci. Redeunte igitur filio nostro spectabili viro Eulogio tribuno et notario cultum debitæ salutationis exsolvimus, Deo magno continuis precibus supplicantes, ut qui vestro studio per infideles vulnera impacta curavit, ævo vobis per longiora tempora propagato, unitatem Ecclesiæ redditam ex omni quoque faciat parte securam. Data IV calendas Novembris, Rustico viro clarissimo consule (anno Domini 520).

EPISTOLA

JUSTINI AD HORMISDAM.

Gratum ad pontificem mittit, suadetque ut Asianis et præcipue Orientalibus suorum episcoporum nomina damnare nolentibus Anastasii exemplo indulgeat : ab iisdem preces pro Ecclesiarum unione oblatas transmittit.

Justinus Augustus Hormisdæ papæ (*a*).

Quo fuimus semper, et quo sumus studio pro conciliandis sententiis catholicam fidem colentium, ut eodem animo cuncti venerentur numen individuum Trinitatis, palam fecisse dignoscimur : nunc legatum ad vestram beatitudinem ultro ob hoc ipsum dirigentes Gratum virum (*b*) sublimem magistrum scrinii, quo remedium tandem reperiatur discordiis varia (*c*) cunctantium, nunc prono libentique suscipientes affectu viros religiosissimos, quos interventores unitatis vestra sedes apostolica credidit destinandos. Profecto enim tanquam ipsam pacem, et jucundis eos oculis aspeximus, et extensis manibus duximus amplectendos. Quin etiam omni intentione ordinavimus, ut venerabilis Ecclesia Constantinopolitana, nec non complures aliæ vota suscipiant, vestra, non solum in cæteris, sed in auferendis etiam nominibus ex sacris diptychis, quæ removenda maxime postulastis. Verum nonnullæ fuerunt urbes et Ecclesiæ tum Ponticæ, tum Asianæ, præcipuæ Orientales, quarum clerici vel populi omnibus pertentati minis A et persuasionibus, tamen nequaquam flexi sunt ut tollant antistitum et repellant nomina quorum apud eos opinio floruit, sed morte vitam duriorem æstimant, si mortuos condemnaverint, quorum gloriabantur vita superstitum. Quid igitur faciamus hujusmodi pertinaciæ, quæ nec dicto audiens existit, et tormenta in tantum despicit, ut amplum sibi ac festivum judicet, si corpore prius quam religioso desistat consilio ? Nobis quidem videtur opus esse mollius agendi et clementius : quæ si uno in tua (*d*) sanctitate, jam nec in alio poterunt inveniri, nam neque sanguinis et suppliciorum cupidi (quod dictum etiam grave est) libellum suscepimus, neque ut pravo discrimine remaneant imperfecta concordiæ desideria, sed ad propagandam quo possumus ordine conjunctionem membrorum Ecclesiæ. B Utrum itaque præstantius erit minorum gratia in totum esse nobis (*e*) adjectas tantas multitudines, an, concessis exiguis et remissis, majora et omni ratione quærenda corrigi, ut quæ non licuit (*f*) per omnia, saltem ex necessariis partibus allegentur ? Veniam itaque nominum postulamus, non Acacii, non utriusque Petri, non Dioscori, vel Timothei, quorum vocabula ad nos datæ tuæ sanctitatis epistolæ continebant, sed quos in aliis celebravit civitatibus episcopalis reverentia, et hoc exceptis urbibus, ubi vestræ beatitudinis libellus jam in plenum admissus est, nisi hanc quoque partem benevolentia statuerit vestra mitius corrigendam. Verum nec judicio (*g*) caret sedis apostolicæ, ut non magis venia dicenda sit C quam deliberata jam ac perspecta diffinitio. Anastasius quidem religiosissimæ memoriæ vestræ culmen Ecclesiæ palam aperteque constituit, cum hoc idem scriberet negotium prædecessori nostro, satis esse pacem affectantibus, si nomen tantum reticeatur Acacii. Ergo priora vestræ sedis constituta sequitur qui non omnes memorias mortuorum judicat contemnendas, ut indigunm habeatur et incongruum, si non placidior omnibus non solum defunctis, sed etiam superstitibus vestra divulgetur in omni fine terrarum lenitas. Et hoc quidem non dubitaverimus ita gratiosum vobis futurum, ut pacifico statim responso lætior mundus reddatur. Retinet autem vestra sanctitas, quod dudum scripsimus, ex D Oriente supplicationes nobis esse destinatas, voluntatem ipsorum continentes et arbitrium, in quo sese duraturos ostendunt firmiter, et quo nulla ratione desistendum existimant. Hanc itaque chartulam secundum nostra promissa per Joannem virum reverendissimum episcopum dirigendam vobis in præsenti merito credidimus, ut a vestra sede etiam tenor ejus admissus ad colligendas proficiat et adunandas ubique venerabiles Ecclesias, et Hierosolymitanam

(*a*) Cod. Luc. 125, *Sacratissimo ac beatissimo archiepiscopo almæ urbis Romæ ac patriarchæ Hormisdæ.* Hæc tamen inscriptio apposita est ab altera manu fere ejusdem antiquitatis, cum prius esset ut hic in textu.
(*b*) Idem cod., *exspectabilem.*
(*c*) Idem cod., *certantium.*
(*d*) Idem cod., *sanctitudine.*
(*e*) Idem cod., *abseptas.*
(*f*) In eodem cod. ita primæva manus ; sed altera fere ejusdem antiquitatis ita emendat : *ut quæ non licuit missis, majora per omnia saltem,* etc.
(*g*) Idem cod., *res caret et sedis,* etc.

præcipue; cui tamen omnes favorem impendunt A quasi matri Christiani nominis, ut nemo audeat ab ea sese discernere: consensum itaque propitium tuam sanctitudinem epistolari quoque pagina convenit declarare; ut, cognito omnibus atque patefacto, tenorem ejusdem chartulæ a vobis etiam laudari, et tenaciter custodiri lætior mundus existat. Data (*a*) idibus Sept. Chalcedone, Rustico viro clarissimo consule. Accepta pridie calendas Decembris, consule suprascripto (anno Domini 520).

EXEMPLUM PRECUM.

Ejus opera ad Ecclesiæ unitatem admitti rogant. Catholicam fidem profitentur.

Deo amabili ac piissimo imperatori ex Deo Augusto et principi Justino Christianissimo deprecatio B et supplicatio ab Hierosolymitanis, et Antiochenis, et secundæ Syriæ clericis et abbatibus et possessoribus Syriæ provinciæ.

Haurite *aquam cum lætitia ex fontibus salutis* (*Isai.* XII), vociferator (*b*) Isaias propheta exclamat, fontes salutis (*c*) evangelicæ veritatis prædicationes manifeste ostendens, ex quibus beati Apostoli et eorum qui per ordinem fuerunt discipuli et sapientes Ec- C lesiæ doctores, salutarem aquam fidei haurientes, omnem sanctam Dei Ecclesiam irrigaverunt, quæ in petra summi apostolorum subnixa rectam et inflexibilem confessionem custodiens, fiducialiter cum eo ad unigenitum Filium Dei exclamat omni tempore, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI). Hanc salutarem confessionem (*d*) a sanctis quatuor synodis, quæ evangelicis præceptis sunt honoratæ, suscipientes, nunquam per Christi gratiam a traditis nobis rectis dogmatibus deviavimus, sicut rerum testatur probatio, et tempore necessitatis fidei constantia demonstrat. Si igitur ut Christiani rationis fidei sumus participes, domine piissime, et ad communem pacem et unitatem festinamus, nostram fidem, quam ab initio suscepimus, per hanc satisfactionem nostram manifestam vestræ facimus pietati; ut notum sit quia et paci concurrimus, et a recta cum Dei juvamine non divertimus fide, sed omnem ex æquo hæresim exsecramur, non solum Eutychianistas et Acephalos, sed et Nestorianos, et hominem colentes toto animo (*e*) audentes anathematizamus. Nos autem, domine (*f*) carissime imperator, sicut D supra dictum est, in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ab initio baptizati quoque et credentes (*g*) essentiam Dei in tribus (*h*) subsistentiis, adoramus: secundum sanctorum Patrum symbolum credentes in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum (*i*) Deum Verbum, similiter et in unum Spiritum sanctum; et secundum hoc divinum * mathema, definitionem a sancta Chalcedonensi synodo promulgatam intelligimus quoque et suscipimus, confidentes et credentes, quia unam substantiam vel personam, quod idem est, ipsa sancta synodus in duabus naturis, id est in deitate et humanitate indivise et inconfuse prædicavit Deum Verbum. Dominus noster Jesus Christus unus est ex sancta et unius essentiæ Trinitate; si enim unum Deum in tribus subsistentiis, sicut dictum est, accipimus, Pater autem non est incarnatus, nec Spiritus sanctus; Deus Verbum incarnatus est, et homo factus est unus ex sancta et unius essentiæ Trinitate, secundum filiationis proprietatem. Sic ita secundum prædictas quatuor synodos credentes, (*j*) et secundam Dei Verbi nativitatem secundum carnem confiteri non renuimus. Unde proprie Dei (*k*) virgo genitrix esse creditur, tanquam quæ natura et veritate unius essentiæ Patri Filium Deum Verbum, natura immutabilem, ex ipsa factum hominem, enixa est, et duas naturas in Christo per essentiam vel substantiam unitas confitentes sicut in unius persona, vel substantia. Neque harum diversitatem vel proprietatem post unitionem auferimus, nec eas dividere in duabus personis et substantiis per unitionem sumus edocti; eumque scimus unigenitum Filium Dei, et ante incarnationem ejus, et post: eumdem Deum quidem simul et hominem; passibilem carne, impassibilem deitate; circumscriptum corpore, non circumscriptum spiritu, eumdem terrenum et cœlestem, quem mundus ut hominem cepit, et ut Deum continere non potuit, mortalem et immortalem, nusquam naturarum diversitate ejus ablata, neque dividentes per essentiam unionem. Hoc enim veræ magnum pietatis mysterium, quia unus ex sancta unius essentia Trinitatis incarnatus, et homo factus Deus Verbum in utraque natura deitatis et humanitatis indivise et inconfuse cognoscitur et adoratur, non conversionem vel mutationem sustinens, sed proprietatem utriusque naturæ in una persona in semetipso conservans. Ob hanc igitur fidem prædictas sanctas synodos suscipientes et custodientes anathematizamus omnes qui adversus eas quocunque tempore vel modo aliquid conscripserunt, præcipue Joannem Ægeotam, qui adversus memoratam sanctam Chalcedonensem synodum multas ut Nestorianus blasphemias evomuit; similiter et condemnantes Timotheum, Ælurum cognominatum, sicut Eutychianistam, adversus eam cum suis latrantem sequacibus. Ita ergo cum Dei juvamine semper sensimus, et jam nunc sentimus. Quapropter hanc satisfactionem vestræ obtulimus pietati: et ut jubere dignata est, nos proprium intellectum, et quemadmodum de sana fide sentimus exponere: quia quidam hæretici, dum suam malam

(*a*) Idem cod., *quinto iduum.*
(*b*) Idem cod., *Isaiæ prophetæ.*
(*c*) Idem cod., *evangelicas veritates.*
(*d*) Idem cod., inserit *custodiens fiducialiter.*
(*e*) Idem cod., *odientes.*
(*f*) Idem cod., *christianissime.*
(*g*) Idem cod., *unam essentiam.*
(*h*) In eodem cod. ita emendat manus antiqua; sed prior posuerat *substantiis.*
(*i*) Idem cod., *Dei.*
(*j*) In eodem cod. deest *et secundam.*
(*k*) Idem cod., *genitrix sancta Virgo,* etc.
* Hoc est symbolum, vel doctrinam. HARD.

fidem occultare festinant, nostram in Christo libertatem et rectam fidem detrectare conantur. Supplicamus igitur vestram clementiam, sollicitudinem perfectam in Ecclesiarum unitione sanctarum habere debere; ut unitas quæ cum Dei fuerit juvamine, nec ullo deinceps rationabili aut irrationabili occasionis fomite inquietari pax possit. Deus autem omnium vestrum pium adimpleat desiderium in gloriam sui et reipubliæ disciplinam.

EPISTOLA LXXV.

AD SYNODUM CONSTANTINOPOLITANAM.

Gratulatur Epiphanium pontificem electum.

Hormisda synodo Constantinopolitanæ.

Fratrem et coepiscopum nostrum Epiphanium, apud felicissimam (Deo favente) Constantinopolim ad officium muneris sacerdotalis assumptum pervenisse ad nos, fraternitate vestra referente, gaudemus, quia gratius quodammodo suscipiuntur indicia, quæ significaverit amata persona, et tanto majus pro auctoritate nuntii nascitur gaudium, quanto non est quod de testimonio disputetur. Sic erat congruum, carissimi nobis, sic se circa proximun patefacere decebat affectum, ut per vos sedi apostolicæ innotescat quod moribus et sanctitate fulgeret; quod usque adeo se omnium bonis (sicut et vos asseritis) imbuit institutis, ut non sit fortius meritis testimonium, quam in honorem sacerdotis adscitum. Quid est enim quod de eo habeatur ambiguum, in quo de bonis moribus sub probatione factæ concordiæ præsuscepta sunt divina. Quapropter facitis sancte, facitis religiose, facitis pie, quod veritati testimonium libenter impenditis, quod præmium bene meritis non negatis. Quia idem error est tacere veritatem, qui est falsis assistere; et eadem injustitia est si negetur honor moribus placitis, quæ est si concedatur indignis. Certum est, amantissimi, participari vos cum sacerdotis laudibus intimatis, quia omni fraternitatis vestræ ordini transcribitur, quod in uno, quem ex vobis elegistis, esse laudatur. Deus omnipotens fidei suæ pacem sub perpetuitate conservans electionem ordinationemque vestram, quam insinuandam sedi apostolicæ per Joannem fratrem et coepiscopum nostrum, nec non et Heraclianum presbyterum, atque Constantinum diaconum filios nostros religiose credidistis, tanta firmitate corfortet, ita et omnium discordantium luctamina disjiciat, ita dissidentium corda compescat; et quemadmodum sub fratre et coepiscopo nostro Epiphanio pacificationis datum est indicium, gratulemur effectum. Data VII calendas Aprilis, Valerio viro clarissimo consule (anno Domini 521).

Gesta in causa Abundantii episcopi Trajanopolitani in scrinio habemus.

EPISTOLA LXXVI

AD EPIPHANIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Quod qua decuit via ad sacerdotium pervenerit. In unione Ecclesiæ perseverandum. Et de acceptis muneribus.

Hormisda Epiphanio episcopo Constantinopolitano.

Benedicimus Dominum fraternæ caritatis affectu, quia non solum synodica relatione ad sacerdotium digne pervenisse cognovimus, sed factis atque moribus comprobamus: et ita se meriti tui gradus patefecit affectibus, ut ante fratrum et coepiscoporum nostrorum testimonium cuncta crederemus. Quod enim illi te promittunt posse omnia agere, nos videmus implesse; et tanquam fidei tuæ servata pacis fuerit gratia, sic unitatis hactenus dilata sunt vota divina. Eorum prædestinationi caritatis tuæ vocabulum quo nuncuparis accessit, sub quo spiritu apparente concordia, factum est ut dicamus: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (Psal. CXXXI). Quapropter in Christo Domino nostro reddentes officia salutationis, hortamur ut boni operis initium laudabile continuet institutum, secundum sanctum Evangelium, quo monemur: *Qui perseveraverit in fine, hic salvus erit* (*Matth.* X). Adhortamini igitur reliquos, invitate monitis, colligite blandimentis: quia talenti crediti multiplicata compendia sacrificia sunt divina. Præterea gratissime tulimus quod Joanni fratri et coepiscopo nostro, necnon Heracliano presbytero, atque Constantino filiis nostris internuntiis promotionem caritatis tuæ cognovimus, qua esse aliquid dulcius non putamus. Et cum te prædicti viri, etsi pro obsequio suscepto facerent, non tamtan ratione laudarent, beati omnium sumus, quod dignæ rei nuntius relator dignus exstabat, ut tibi absolutissime de legatorum meritis probatio sit honoris. *Manu papæ*: Suscepimus calicem aureum gemmatum, patenam argenteam, et alium calicem argenteum, et vela duo ministerio basilicæ beati Petri apostoli profutura, a caritate tua directa. Data VIII calendas Aprilis, Valerio viro clarissimo consule (anno Domini 521).

EPISTOLA

EPIPHANII AD HORMISDAM.

Ab Orientalibus imperatori preces oblatas se ad eum misisse.

Domino meo per omnia amabili Deo sanctissimoque fratri et comministratori Hormisdæ Epiphanius episcopus in Domino salutem.

Quantam alacritatem aut quale desiderium piissimus et Christianissimus imperator caram perfectam unionem universarum Ecclesiarum habeat, non voluntate tantum, sed operibus ipsis habitantibus, in hac regia urbe, et antequam ad regnum a Deo sibi datum perveniret, ostendit. Sanctitati autem vestræ ex correctis ab initio regni ejus, et usque nunc laboribus maxime manifestavit, per quos omnia catholicæ Ecclesiæ membra in unum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi corpus cum prompto nititur animo conjungere: et quid opus est verbis uti prolixis, qui rebus ipsis, quanquam nos veri testes, existere valeamus. Habet tamen et vestra sanctitas experimentum quod et per scripta cognovit: confirmat quidem hæc quod nunc additur. Nam quidam qui sub potentissima ejus manu sunt, religiosissimorum sacerdotum ex Orientalium partium regionibus, preces porrexerunt, docentes de his quæ voluerunt. Nec hoc

latere vestram volens sanctitatem, bene deliberavit ut quod jam factum est in præsenti nuntiaret vestræ sanctitati. Paulo post de ea his manifestius significare; ut, communi concilio præcedente omnium, Domino et Salvatori nostro Jesu Christo ea quæ ad utilitatem communem conveniunt, et undique sunt irreprehensibilia, catholicæ fidei correctionibus, clarescant. Opportune igitur existimantes fraternis litteris vestram sanctitatem et carissimis alloquiis rogamus ut majus et instantius pro piissimo principe nostro omnium Dominum Deum orare dignemini. Omnem in Christo fraternitatem quæ cum vestra est sanctitate ego quoque et mei plurimum salutamus *Alia manu.* Incolumis in Domino ora pro nobis, amabilis Deo et sanctissime pater.

RELATIO

EPIPHANII EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

Paulini sollicitudinem laudat.

Domino meo per omnia amabili Deo sanctissimoque fratri et comministratori Hormisdæ Epiphanius in Domino salutem.

Paulinus vestræ sedis defensor, qui vestram retulit epistolam, vestræque sanctitatis virtutem in se ostendens, cum gaudio nobiscum conversatus, suam sollicitudinem communibus consiliis actibusque contulit. Sed quoniam ad vos festinantem non oportebat eum prolixiore tempore remorari, ideoque reciprocis alloquentes vestram sanctitatem, protegi præfatum virum et nostri dignum amoris fidelem servum subsistentem commendamus. Erit autem de his quæ a nobis gesta sunt pro vestro animo, et circa sanctas Ecclesias sollicitudinem quam gerimus, vigilare nobis dignus fide enarrator. Nam nos orationibus vestræ sanctitatis, ut naturalem bonitatem hujus rei respicientes, vigilantissimum habemus studium, et Deo cooperante in plurimis verbum gratiæ decurrens sine aliqua obsistentia ad effectum nostrum ducit et intentionem. Sed quia difficultates aliquæ accesserunt, gubernatione utique et inniti dispositione ea quæ hic movetur oportet, et competenter exponi, sicut et vestra cognoscit super omnia sanctitas. Et quemadmodum oportet eos qui Dei greges pascere sortiti sunt universa ad gloriam Dei et agere et moliri, spem salutis in eum habentes: et sicut scriptum est: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII). Ea enim quæ vobis placeant, sicut dictum est, sentire quoque et agere nitimur, sanctissime. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, ego quoque et mei plurimum salutamus.

EXEMPLUM EPISTOLÆ

JUSTINIANI VIRI CLARISSIMI AD HORMISDAM.

Petit ut pro Ecclesiarum unione laboret, et sibi ad ea respondeat quæ per legatos scripserat.

Domino beatissimo atque apostolico patri Hormisdæ papæ urbis Romæ Justinianus.

Quanta reverentia vestram beatitudinem veneremur, multis epistolis, ex quo serenissimus imperator filius vester regnavit, cognoscitis. In præsenti quoque debito pudore salutantes tuam sanctitatem, postulamus enixius ut assiduis precibus et frequentissimis orationibus pro concordia laboretis Ecclesiarum (*a*) vestrarum, nobisque (sicut per legatos etiam vestros post omnia scripsimus) tam de sermone de quo vertitur controversia, quam de nominibus episcoporum sub Acacio defunctorum, per Eulogium virum sublimem tribunum et notarium dignetur apostolatus vester integrum indubitatumque destinare responsum; omnibus videlicet quæ præsentibus legatis vestris ordinata sunt in perpetuo firmiter duraturis. Vir namque religiosus Joannes episcopus, qui venturus est Romam, detinetur ægritudine corporali: nihil enim prohibet ante ejus quoque adventum concordiam prævenire, sublata dubitatione religionis, et eum tamen mox dimittemus favente divinitate, quia jam melius habet: quoniam nec difficilia sunt quæ ceciderunt in ambiguitatem; nec expedit diutius causam vitæ protrahi sempiternæ, ne dilatis temporibus aliquid nascatur incertius. Eternitatis igitur supernæ tremendique judicii non immemor sanctitas vestra, quæ sibi commissa sunt efficaciæ tradi deproperet, (*b*) ut intelligant cuncti recte vos apostolicæ sedis esse primatum sortitos. Hæc igitur quæ scribuntur a nobis affectu paterno jubete quantocius adimpleri. Scitis namque quam sit admirabilis gloriæ tantorum errores annorum vestri pontificatus tempore stirpitus aboleri.

EXEMPLUM EPISTOLÆ

JUSTINIANI COS. AD HORMISDAM

Confitemur Christum Dominum recte unum in Trinitate dici, secus unum ex Trinitate. In nominibus episcoporum damnandis non ita severe agendum.

Domino viro beatissimo sanctoque patri Hormisdæ urbis Romæ pontifici Justinianus* cos.

Quantam venerationem religionis habeamus, quamque solliciti semper fuerimus propter uniendas sanctas Ecclesias, testis est quoque vestra beatitudo. Postquam regnavit enim dominus noster inclytus imperator per omnes ad Italiam venientes direximus litteras, apostolatum tuum rogantes sicut decebat. Nunc etiam ne quid eorum quæ fieri convenit prætermittatur, Joannes vir reverendissimus antistes, Heraclianus presbyter, et Constantius diaconus sacrosanctæ Ecclesiæ hujus inclytæ civitatis destinati sunt ad urbem feliciter, ut super omnibus quæ scripsit filius vester serenissimus imperator integrum responsum accipiant. Dignetur ergo sanctitas tua suscipere memoratos viros religiosissimos libenter, et habitis orationibus, placataque Divinitate, sic omnia debeat ordinare venerabiliter, ut nihil ultra remaneat in ambiguum. Nobis etenim videtur quoniam Filius Dei vivi Dominus noster Jesus Christus ex virgine Maria natus, quem prædicat summus apostolorum carne passum, recte dicitur unus in Trinitate cum Patre Spirituque sancto regnare, majestatisque ejus personam in Trinitate, et ex Trinitate non infideliter credimus.

(*a*) Edit. Rom., *venerandarum*.
(*b*) Al. *filiis*.

* Ita legitur in collect. Avellana, cum antea in editis haberetur, *vir clarissimus*.

De nominibus autem defunctorum episcoporum clementer, et ut decet pacificum patrem disponite: quia vester quoque prædecessor beatæ recordationis ad memoriæ principalis Anastasium scripsit, ut si nomen Acacii tantummodo tolleretur, una nobis esset communio. Nonne igitur suasit vestra sedes, ut præstet imitari beatissimum et sanctissimum Leonem Romanum pontificem, ac sicut ille scripsit Leoni, ita et vos omnibus amputatis dubitationibus perfectas pacificasque paginas ad invictissimum principem filium vestrum rescribere Ecclesiæ, ut ante tribunal venturi judicis participes eorum sitis quorum sedem jure sacerdotali tenetis. Ostendat ergo tuus apostolatus quod Petro successit apostolo; quoniam Dominus a vobis utpote summis pastoribus exacturus est universorum salutem, qui poterunt esse salvi firmata concordia. Nos etenim finitis capitulis, de quibus scripta suscepistis, ultra non patiemur a quoquam controversiam religionis in republica nostra moveri, nec vestram sanctitatem convenit audire superflua concertantes.

EPISTOLA LXXVII.

AD JUSTINIANUM.

CommendatJustinianum de reverentia sibi exhibita. Promissam legationem se exspectare. Sanctissimæ Trinitatis mysteria explicat.

Hormisda Justiniano viro illustri.

Quod celsitudo vestra animi circa me sui benevolentia dignatur ostendere, facitis rem Deo placitam, et rectæ conscientiæ congruentem; sed non parva sunt nobis hujus emolumenta propositi. Major in vos fructus de tali bonitate revertitur, neque enim vacua honorificentia est quæ defertur antistiti. Indubitatum siquidem est quia honor ministri cultus est domini, et qui personam sacerdotis magni habet, majorem remunerationem ab eo cui sacerdos famulatur accipiet, dicente Domino Jesu iis qui prophetas in honore suscipiunt, suam mercedem esse reddendam: et apud me quidem magni est gratia vestra momenti, eo tamen pretiosior, quia quidquid mihi gratiæ dignanter impenditis, in Ecclesiarum defensione monstratis. Sed ut ad id quod celsitudo vestra desiderat noster sermo dirigatur, quanquam et clementissimus imperator, et vos promittatis legationem esse venturam, et id cum ratione convenerit, ut eorum qui dirigendi sunt super omnibus nos decuerit exspectare præsentiam; tamen quia gratum nobis est studium quod circa religionem vos habere declarastis, non gravat prælibare, dicendo non opus ut stabilitatem fidei vestræ intentionis (contentionis) potius quam rationis sequaces procaci verborum novitate confundant. Sancta Trinitas Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unus est Deus; hanc Israel jussus adorare, cujus inseparabilis et indiscreta substantia non potest dividi, non potest sacrilega distinctione separari, servata tamen proprietate sua unicuique personæ. Hæc interim commendanda fidei vestræ, epistolaris styli terminum cogitantes, congrua credimus brevitate sufficere, plenius disserenda cum florente imperio clementissimi principis, si promissam legationem et nos suscipere Deo propitiante, contigerit, et cognitis omnibus cum adjutorio Dei nostri responso reddito pro universitatis informatione remittere.

EPISTOLA

JUSTINIANI VIRI ILLUSTRIS AD HORMISDAM.

Petit ut legatos rebus bene gestis redire quamprimum curet (a).

Diligenter apostolatus vester cognovit quanto fidei calore filius vester serenissimus imperator nosque fuimus ab initio. Nunquam cessavimus agere quæ pertinebant ad firmamentum religionis divinæ. Pro qua re nuper etiam reverendissimos sacerdotes Romam dreximus, ut integrum componeretur de capitulis, quibus ad ea dubietas vertebatur. Sed ignoramus quæ difficultas provenerit ut minime sopirentur hactenus ea quæ videntur esse levissima. Salutantes ergo vestram reverentiam petimus ut nulla præbeatur occasio, qua de tua quisquam possit ambigere voluntate; sed habentes præ oculis judicium majestatis supernæ, modis omnibus festinare dignemini.

EPISTOLA LXXVIII.

AD JUSTINUM AUGUSTUM.

Ad evitandam discordiam nihil innovandum: et de his qui ad communionem admitti possunt Epiphanio scriptum.

Hormisda Justino Augusto.

Scio quidem, venerabilis imperator, clementiam tuam conscientia boni operis tantum esse contentam; nec in his quæ pro catholicæ Ecclesiæ unitate disponitis, humanis laudibus indigere, et (ne) magni studii gloria non digna remuneratione vilescat. Quanta est enim circa eum humani summa præconii, cui contigit terrarum regna committi? Cum eo noxia sint blandimenta adulationis suspicioni, quæ humilitas detulerit imperanti. Et alias secundum evangelicam traditionem necesse est ut fructu supernæ remunerationis careat, qui retributionis laudem exspectat. Hinc mansuetudinem vestram omni bonitatis perfectione pollentem, ad Deum universa quæ memorabiliter facitis referre non ambigo, nec caduca cogitantes, ab illo exspectatis pro actuum vestrorum retributione mercedem, quam bonorum omnium constat auctorem. Et tamen ego divinis, quibus obsecundo, convenio institutis, ne religiosæ conscientiæ vestræ beneficia conferta dissimulem, ne taciturnitas mea, quæ vobis crescit ad gloriam, mihi, quod absit, vertatur in culpam. Novi enim de illis decem Domini et Salvatoris nostri pietate mundatis, quia et novem sunt nota ingratitudinis improbati, et unus testimonium fidei et merita receptæ salutis retulit, qui gratiarum actionem sanatus exsolvit. Exsequor exempla quæ didici, et quod per officii mihi crediti materiam prædico, sub occasione litterarii sermonis exhibeo. Ago gratias quanto (a) amplius possum, et si quantas debeo non possum: sed solatium mihi est quod de

(a) Hoc epistolæ argumentum ex editione Romana desumptum eidem epistolæ plane non respondet; ego istud substituerem: *Quod capitulis propositis non dum congruo responso satisfecerit, modeste queritur.*

beneficiis mecum vestris mundus exsultat, et laceratæ hactenus Ecclesiæ membra ad compagem suam revocata gloriantur. Reduxisti populis fidem, persecutus errorem, inclinata est superbia inimicorum Ecclesiæ Dei, et humilitas erecta fidelium. Magna res tibi contigit, imperator: magna in te emolumenta cum potestate coierunt, quæ merearis intellige. Non exiguam in te partem boni operis illius quod vadens ad cœlos Dominus noster Jesus Christus contulit transtulisti: nam pacem quam ille discipulis dedit per te mundus invenit: non dubium congratulari tibi angelos cœli: nam si juxta assertionem evangecam lætitia est eis super uno peccatore salvato, quæ potest esse populo? Salve Ezechias præsentis ætatis. Nam etsi fuerunt ante eum reges Juda (*b*) bonum qui facerent, nullus tamen eorum dissipavit excelsa; tu quoque schismatum et superbiæ dissipator, et cultus veteris restitutor, præsume tibi similitudine illius annorum augenda curricula, qui operum ejus imitaris exempla. Hæc omnia, quæ ad majus gloriæ tuæ spectant augmentum, non stimulo adhortationis alienæ, non ullis precibus excitatus aggrederis: solus tibi in consilio Deus: non est qui se ad participationem tanti operis tentet inserere: tibi debes actionis hujus studium, tibi bonæ actionis effectum. Tu me venerabilis imperator, Ecclesiæ vulnera tam longa mœrentem ad spem reddendæ salutis animasti. Tu me post tam continuos turbines jam pene desperatione cessantem ad novam tranquillitatem directis ultro piis litteris excitasti: hoc quoque procul dubio divina intelligentia conferente, ut inter ipsa tui principatus exordia fidei ejus dicares obsequium, cui acceptum debebas imperium, sed qui te ad incipienda hæc non potui primus impellere; nunc majore fiducia tantis beneficiis compellor provocatus orare, ne patiaris in re tam boni operis esse defectum; ne manus, quas ad Deum erigis, accepti operis perfectione suspendas. Negare non possum pro domini nostri hæc me affectu et unitatis exposcere: sed fateor et saluti tuæ pro tanta mansuetudinis gratia hæc studia me debere. Scriptum est enim *quia qui perseveraverit usque ad finem salvus erit* (*Matth.* x). Nec vos aliquorum obstinatio reddat a proposito pigriores. Durum est, ut efficacior sit eorum pertinacia qui dividunt pacem, quam eorum qui asserunt unitatem. Amentur vulnera cum provideantur pro salute remedia, et præoptabile.... putetur se.... mortuis quam inhærere cum vivis. An non æquum est, ut religiosi principis subdantur imperio qui non moventur exemplo? Non omnis æger remediis salubribus acquiescit, et medendi studium sæpe ipsis quibus adhibetur ingratum est: et tamen grata est pro salute necessitas, nec ipsi post respirationem non sunt beneficiis obnoxii qui curantur inviti. Cavenda est subtilium magna circumspectione calliditas, qui ingerunt difficilia, dum nituntur labefactare composita. Et quis

(*a*) Al. *humilius.*
(*b*) Al. deest *bonum.*

A hoc possit admittere, ut ad illa per pacem credamur adduci, ad quæ non potuimus discordiæ necessitate compelli? Et putetur æquum, ut contra salutem princeps subjectorum voluntatem sequatur, quam pro sua salute subjecti, principis non famulentur imperio? Ipsam tibi mecum, venerabilis fili, crede Ecclesiam Dei supplicare, ut eam sine macula et ruga, sicut scis Domino placere, custodias; nec in eam oculus ille qui pervigilat nævum aliquem quem aversetur aspiciat. Ama quod a Deo compunctus elegisti, et intemeratum serva illud cujus pars esse voluisti. Fuerit ante sollicitudo tantum mea, nunc unam nobis causam tua fecit esse clementia. Nec austeriorem me quisquam dicat esse prioribus, nec adhortatio alicujus pro sententiæ auctoritate teneatur. Diligentiorem B me non pertinaciæ studium, sed scandala secuta fecerunt. Forte inter initia locus esse potuit lenitati: male (sicut notum est) per accessus præcedentium temporum errorum augmenta creverunt. Non parvi habeas, fili sanctissime, quod curasti, ubi sancta Chalcedonensis synodus, et inter sanctos venerandi papæ Leonis religiosissima constituta locum alicujus honoris habuerunt? Ubi non adversum tanta fidei fundamenta quasi quodam bellicum hostium Dei insonuit exercitus? Quanto acrioribus hæc impetita sunt jaculis, tanto validioribus sunt munienda subsidiis. Rogo, clementissime imperator, ne me aut ad delenda (*Edit. Rom.* deserenda) hæc quæ dudum beneplacita sunt, aut mutanda compellas. Vox enim illa C auribus meis indesinenter immurmurat: Quia *nemo manum ad aratrum mittens, et post se respiciens aptus est regno* (*Dei Luc.* IX), cum in evidenti sit, quia pœnitentia malorum est operum, non bonorum. Sed quanquam his urgemur angustiis, tamen propter mansuetudinis tuæ considerationem, et venerabilium legatorum Joannis episcopi, Heracliani presbyteri, et Constantini diaconi allegatio nos non inhumana permovit, qui innocentibus aut ignaris causæ remedia credidit esse poscenda: ad fratrem et coepiscopum nostrum Epiphanium scripta transmisimus, ut memor fidei, memor religionis, quos dignos susceptione esse crediderit, et alienos a communione quam respuimus, sicut asseritur, innocentes eos ad societatem suæ communionis admittat, libelli tamen qui a nobis inD terpositus est tenore servato. Melius est enim et magis Deo placitum, si salva fide ecclesiastico corpori jungantur abscissi, quam in abscissos transeant, qui in beati Petri immaculata communione manserunt. Data septimo calendas Aprilis, Valerio viro clarissimo consule (anno Domini 521).

EPISTOLA LXXIX.

AD JUSTINUM AUGUSTINUM.

Divinitatis et incarnationis mysterium exponitur.

(*c*) Hormisda Justino Augusto.

Inter ea quæ ad unitatem Ecclesiæ pertinentia (pertinent), propter quam Deus clementiæ vestræ

(*c*) Cod. Luc. 125, *Gloriosissimo atque clementissimo filio Justino Augusto.*

elegit imperium, in litteras contulistis : hæc quoque, venerabilis imperator, cura fidei, cui multipliciter vos studere declaratis, adjecit, ut aliquorum preces perferendæ ad humilitatis (*a*) notitiam jungerentur, quibus vel quid quæstionis oriretur agnoscerem; vel ad submovendum propositæ consultationis ambiguum responsum a me religiosæ (*b*) scientiæ conveniens redderetur. Legi omnia sollicitudine qua decebat : et licet ad responsi plenitudinem sufficere potuisset si illa tantum quæ a veteribus (ab auctoribus) sunt diffinita rescriberem, tamen ut religiosi propositi vestri remunerarem affectum, non subtrahendum credidi mei quoque sermonis obsequium. Quid enim est quod emergentibus Nestorii et Eutychetis venenis paterna omisit instructio? Pene omnes impietates cum inventoribus tam nefandorum dogmatum convenientia in unum synodica decreta presserunt : nec ulterius remansit locus ullus tam diris perfidiæ seminibus amputatis, aut Christum Dominum nostrum credere sine carnis fuisse veritate, aut eumdem non Deum et hominem de materni uteri intemerata fecunditate prodiisse, cum alter eorum dispensationem, qua salvati sumus negando, quantum in se est, irritam faceret; alter opinione contraria, sed impietate consimili, in eodem Domino nostro Jesu Christo potestatem divinam a vera humanitate secluderet : neque ille recordatus quia palpandam carnem suam Christus ostendit nec ille Evangelii memor Verbum carnem factum esse dicentis (*Joan.*) cui vox Domini indeficienter insonare debuerat, qua dixit et docuit : *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III). Sæpe hæc et multis præcedentium sunt comprehensa sententiis; sed nec clementia vestra (licet jam dicta sint, fastidiose poterit repetita cognoscere: nec nobis pudor est ea quæ sunt a decessoribus nostris prædicta prædicata) revolvere. Neque enim possibile est ut sit diversitas prædicationis, ubi una est forma veritatis; nec abire judicabitur alienum, si cum his, cum quibus conveniemus fide, congruamus et dogmate. Revolvantur piis mansuetudinis vestræ auribus decreta synodica, et beati papæ Leonis convenientia sacræ fidei constituta : eadem invenietis in illis quæ recensueritis (inveneritis) in nostris. Quid ergo est post illum fontem fidelium statutorum (statutum)? quid amplius (si tamen fidei terminum servat) quamlibet curiosus scrutator inquirat, (c) aut opere aut institutione perfectius (non opus aut adjectione plenius aut institutione perfectius)? nisi forte mavult quisquam dubitare quam credere, certare quam nosse, sequi dubia quam servare decreta. Nam si Trinitas Deus, hoc est Pater et Filius et Spiritus sanctus, Deus autem unus specialiter legislatore dicente : *Audi, Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI), qui aliter habet, necesse est aut divinitatem in multa dividen (dividat), aut specialiter passionem ipsi essentiæ Trinitatis impingat, et (quod absit a fidelium mentibus) hoc est, aut plures deos more profano gentilitatis inducere, aut sensibilem pœnam ad eam naturam quæ aliena est ab omni passione transferre. Unum est, sancta Trinitas non multiplicatur numero, non crescit augmento; nec potest aut intelligentia comprehendi, aut hoc quod Deus est discretione sejungi. Quis ergo illi secreto æternæ impenetrabilisque substantiæ, quod nulla vel (neque ulla visibilium, vel) invisibilium naturarum potuit investigare natura, profanam divisionem tentet ingerere, et divini arcana mysterii (arcani ministerium) revocare ad calculum moris humani? Adoremus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, indistinctam (indivisam) distincte (Dionys. *indistincta.* HARD.), incomprehensibilem et inenarrabilem substantiam Trinitatis, ubi etsi admittit numerum ratio personarum, unitas tamen non admittit essentiæ separationem, ita tamen ut servemus divinæ propria naturæ, servemus propria unicuique personæ, nec personis divinitatis singularitas denegetur nec ad essentiam hoc quod est proprium nominum transferatur. Magnum est sanctæ et incomprehensibile mysterium Trinitatis, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, Trinitas indivisa : et tamen notum est quia proprium est Patris ut generaret Filium, proprium Filii Dei ut ex Patre Patri nasceretur æqualis, (*d*) proprium Spiritus sancti ut de Patre et Filio procederet sub una substantia Deitatis. Proprium quoque Filii Dei, ut juxta id quod scriptum est : *In novissimis temporibus Verbum caro fieret, et habitaret in nobis* (*Joan.* I) : ita intra viscera sanctæ Mariæ Virginis genitricis Dei unitis utriusque sine aliqua confusione naturis, ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis; et nasceretur ex (in) tempore hominis more, matris vulvam natus non aperiens, et virginitatem matris deitatis virtute non solvens. Dignum plane Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine, servans quod ex Patre erat, et repræsentans quod ex matre suscepit. Nam jacens in præsepio videbatur in cœlo, involutus pannis adorabatur a magis, inter animalia editus ab angelis (*e*) nuntiabatur, vix egressus infantiam, et annuntians mysticam sine instituente doctrinam, inter rudimenta annorum puerilium edens cœlestia signa virtutum. Idem enim Deus et homo, non (ut ab infidelibus dicitur) sub quartæ introductione personæ : sed ipse Dei Filius Deus et homo, (*f*) id est virtus et infirmitas, humilitas et majestas, redimens et venditus, in cruce positus et cœli regna largitus; ita nostræ infirmitatis particeps, ut posset interimi, ita ingenitæ potentiæ dominus, ne posset morte consumi : sepultus est juxta id quod homo voluit nasci, et juxta id

(*a*) Idem cod., *meæ*.

(*b*) Idem cod., *sententiæ*.

(*c*) Idem cod., *Non opus aut adjectione plebis, aut institutione perfectis nisi*, etc.

(*d*) In eodem cod. primigenia manus ita hunc textum ferebat : *Notum etiam quod sit proprium Spiritus S. proprium autem Filii Dei ut juxta id*, etc.; quam lectionem ita reformat manus antiqua et fere æqualis : *notum etiam quod sit proprium Spiritus S. ut de Patre et Filio procederet sub una substantia Deitatis. Proprium quoque Filii*, etc.

(*e*) Idem cod., *nuntiatus*.

(*f*) Idem cod., *idem*.

quod Patri erat similis resurrexit, patiens vulnerum, et salvator ægrorum, unus defunctorum, et vivificator, obeuntium; ad inferna descendens et a Patris gremio non recedens : unde et animam, quam pro communi conditione posuit, pro singulari virtute et admirabili (*a*) patientia mox resumpsit. Hæc ita esse, nec ullam dubitationem oportere recipere, (*b*) idem Dominus noster Jesus Christus ne inter corporis passiones Deus non esse crederetur, aut ne Deus tantum, et non homo inter opera mirabilium stupenda virtutum, proposito nos duorum apostolorum informavit exemplo, Deum esse Christum Dominum nostrum Petri fide; hominem Thomæ dubitatione declarans. Quid enim intererat, ut quem se homines dicerent, discipulos suos vellet inquirere, nisi ut respondente Petro : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI), notum faceret hoc non de carne et sanguine proditum, sed a Patre Deo inspirante revelatum, et per testimonium laudatæ responsionis fides patefactæ fieret veritatis? Quid interérat, ut apparente post resurrectionem Domino, Thomas tamen aut desset cæteris aut solus ambigeret, nisi ut mundus crederet, quod ambigens discipulus exploraret (explorasset), ut dum unius manibus se pateretur tangi, ad universitatem (ab universitate) fidelium quid esset, possit (posset) agnosci? Non ergo ad (*c*) improbandum discipulum interposita est dubitatio, sed quasita posteritatis instructio. Anne ad aliud spectat (aliud exspectat), quod se idem Dominus Cleophæ cum alio discipulo, cum ad Emmaus tendentes de se loquerentur, inseruit; et quanquam de resurrectione Domini per mulieres, quæ primæ ad monumentum convenerant, agnovissent; tamen ut per eorum dubitationem daret credenti futuris sæculis firmitatem, incipiens a Moyse et omnibus prophetis, oportuisse pati Christum, et ita intrare in gloriam suam, interpretatus Scripturas ostendit, et per passionem humanam naturam, et divinam in eo esse per gloriam, (*d*) multipliciter hæc sanctarum Scripturarum testificatus exemplis. Hæ apud religiosam conscientiam tuam, venerabilis imperator, tanquam ignota dicntur. Fides enim ipsa, quæ a te constanter asseritur, tibi reddit hoc muneris, ut sensibus tuis et affectum sui (*e*) miserat, et scientiam, per quam diligentius asseratur, infundat. Et tamtum interest dispensationis mihi creditæ, ut ego quoque vel apud scientes nota non taceam; ut succedente sibi per vices temporum catholicorum prædicatione sensuum quod indeficienter asseritur sine fide credatur. Latius hæc quæ ad deitatem humanitatemque Domini nostri Jesu Christi pertinent, et in eo unitas duas sine confusione naturas potui secundum veterum definita disserere, si esset adversum eos qui his dissentiunt disputandum; sed cum in manibus omnium sint et synodica constituta et beati papæ Leonis dogmata, perstrinxisse potius pauca quam evolvere credidi convenientius universa. Nunc vero agnoscere satis est, et cavere proprietatem, et essentiam cogitandam, ut sciatur quid personæ, quid nos oporteat deferre substantiæ : quæ qui indecenter (indigenter) ignorant, aut callida impietate dissimulant; dum omittunt quid sit proprium filii, trinæ (*al.* in Trinitate. HARD.) tendunt insidias unitati (divinitati). Sed si quæ prædicta sunt, validis teneantur fixa radicibus, nec a paterna traditione receditur, et constanter quæstionibus obviatur. Data (*f*) VII calendas Aprilis, Valerio viro clarissimo consule (anno Domini 521).

EPISTOLA LXXX.

HORMISDÆ AD EPIPHANIUM.

Ipsi vicariam sedis apostolicæ præfecturam in recipiendis lapsis delegat.

Hormisda Epiphanio episcopo Constantinopolitano.

Multo gaudio sum repletus, quod circa Ecclesiæ pacem, et sanctissimi imperatoris, et dilectionis tuæ tale studium, quale litteris indicasti, legatorum quoque meorum assertione cognovi. Manifesta enim hinc supernæ misericordiæ documenta produntur, quando et humani principes causam fidei cum reipublicæ ordinatione conjungunt, Ecclesiarum præsules, quod ad dispensationem suam pertinet, officii memores exsequuntur. Talibus indigebat post discordiæ procellas religio Christiana rectoribus, qui compressis provida dispensatione turbinibus, diu peregrinatam pacem, depulsa tempestate reducerent, et in futura sæcula propositi sui exempla tendentes, sibi ascribendum indubitanter ostenderent, quidquid Deo

ΕΠΙΣΤΟΛΗ Π΄.

Ὁρμίσδου πρὸς Ἐπιφάνιον

Ὁρμίσδας Ἐπιφανίῳ ἐπισκόπῳ Κωνσταντινουπόλεως.

Πολλῆς ἐπλήσθην χαρᾶς, ὅτι περὶ τὴν εἰρήνην τῆς ἐκκλησίας, καὶ τοῦ ἁγιωτάτου βασιλέως, καὶ τῆς σῆς ἀγάπης τοιαύτη σπουδὴ, οἵαν διὰ τῶν γραμμάτων ἐμήνυσας, καὶ διὰ τῆς τῶν ἐμῶν πρεσβέων καταθέσεως ἔγνων. Σαφὴς γὰρ ἐντεῦθεν τῆς οὐρανίου εὐσπλαγχνίας ἀπόδειξις πρόεισιν, ὅταν καὶ οἱ τοῦ κόσμου βασιλεῖς τὰς ὑποθέσεις τὰς περὶ τῆς πίστεως μετὰ τῆς διοικήσεως τῆς πολιτείας συζευγνύωσι, καὶ οἱ τῶν ἐκκλησιῶν ἡγούμενοι τὰ συντείνοντα εἰς τὴν ἰδίαν οἰκονομίαν μεμνημένοι τοῦ καθήκοντος ἐκτελῶσι. Τοιούτων ἔχρησε μετὰ τὰς τῆς διχονοίας καταιγίδας ἡ Χριστιανικὴ θρησκεία ἰθυντήρων, οἵ τινες κατευνασθεισῶν προνοητικωτάτῃ διατυπώσει τῶν θυελλῶν, τὴν ἐπιπολὺ ξενωθεῖσαν εἰρήνην, ἐξωσθέντος τοῦ χειμῶνος ἐπανάξωσι, καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας μετὰ ταῦτα αἰῶνας τῆς ἰδίας προθέσεως τὰ ὑποδείγματα ἐπεκτείνοντες, ἑαυτοῖς ἐπιγεγράφθαι ἀναμφιβόλως ἐπιδείξουσιν, εἴ τι τῷ Θεῷ ἀρέσκον οἱ μεταγενέστεροι ἀπὸ τῆς αὐτῶν μιμήσεως

(*a*) Idem cod., *potentia*.
(*d*) Idem cod., *id est ne Dominus noster Jesus Christus aut inter*, etc.
(*c*) Idem cod., *explorandum*.
(*b*) Idem cod., *Multiplicibus hæc sanctarum Scripturarum insinuantur*, etc. *Nec*...
(*e*) Idem cod., *inferat*.
(*f*) Idem cod., VIII.
Ex vet. cod. Vatic. in editione Rom. an. 1491, epist. 77.

placitum posteri pro sua imitatione fecissent. Benedicamus Deum, frater carissime, nostris hoc diebus fuisse concessum, et totis orationum et curarum viribus annitamur, ut quæ per Dei nostri opem bene correcta sunt, ipso adjuvante per omnia compleantur. Sperandum enim est ut ad compagem corporis sui reliqua quoque quæ adhuc divisa sunt membra festinent, et a potioribus minora non discrepent : ad quod cum dilectio tua Christianæ studio caritatis hortetur, debet id ad quod incitat sequi, et quod amandum suadet amplecti. Similem enim jam fidei curam gerentes, per religiosam patientiam, par etiam præmium de boni operis speramus effectu : neque enim difficultatibus est cedendum. Non fatigatur asperis fides : nec ad cœlorum ardua per proclive contenditur : nec remunerationem circa laboris exercitia quis meretur. Unde ne facientes bona, deficiamus, specialiter admonemur : *Beati* etiam, teste Psalmista, *qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore* (*Psal.* CV) : quia non initium laboris remunerationem præmii consuevit invenire, sed terminus. Ergo par studium sollicitudinis assumentes, quibus est una in communione et credulitate societas, quemadmodum de adunata sedi apostolicæ Constantinopolitana Ecclesia pariter exsultamus in Domino : ita de reliquarum quoque (sicut affectuose admones) reintegratione curemus primum, ut fidem integritatemque nostram immaculatam ab omni contagione servemus. Nosti enim, frater sanctissime, quæ ecclesiasticam servent vincula concordiam, quæ nos ab hæreticorum tueantur insidiis, per quæ etiam canonum custodiatur auctoritas. His in robore suo omni circumspectione servatis, remedia sperantibus conferentur. Habet enim et ecclesiasticarum ordo regularum, et ipsius forma justitiæ, ut medicina rationabilis benigne et fideliter sperantibus non negetur : nec quisquam ita est ab humanitate discretus, quem non a rigore discretionis inclinet incauta simplicitas. Sed ut caute hoc citra querelam, aut erroris alicujus nævum valeat expediri, dilectissime frater, personam meam te in hoc oportet induere, scientem in hujusmodi causis, sicut prædictum est, quid faciendum sit, quid cavendum : ita omnia providenda, ut non ambigas rationem dispensationis hujus Deo esse reddendam : ita tamen ut eos qui vobis fuerunt communione sociati, vel per vos sedi apostolicæ vestra nobis scripta declarent, quibus etiam continentia libellorum, quos obtulerint, inseratur. Sic enim et Severi, [1] et complicum ejus, aut similium absolvemus errores, nec eorum qui sanari potuerint, dispendia patiemur. Quod ideo vobis specialiter credimus imponendum, ad diligentiam vestram nostra onera transferentes, quia non prava jam documenta resistentes hæreticis edidistis, nec debet de eo ambigi quem bene contigerit explorari. Simul assume remedia medicinæ, simul accingere auctoritate justitiæ, et sic circa supplices

A ποιήσουσιν. Εὐλογήσωμεν τὸν Θεὸν, ἀδελφοὶ, ταῖς ἡμῶν τοῦτο ἡμέραις συγκεχωρημένον γεγονέναι, καὶ πάσαις εὐχῶν καὶ μεριμνῶν δυνάμεσιν ἐπερεισθῶμεν, ἵνα ἅπερ διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ ἡμῶν συνεργίας καλῶς ἤρχθη, αὐτοῦ βοηθοῦντος ἐν πᾶσι πληρωθῶσιν. Ἐλπὶς γάρ ἐστιν, ὅτι περ εἰς τὴν ἁρμονίαν τοῦ οἰκείου σώματος καὶ τὰ λοιπὰ καὶ ἔτι νῦν διῃρημένα μέλη σπουδάσουσι, καὶ ἀπὸ τῶν κρεισσόνων τὰ ἥττονα οὐ διαφωνήσουσιν· εἰς ὃ ἐπείπερ με ἡ σὴ διάθεσις τῇ σπουδῇ τῆς Χριστιανικῆς ἀγάπης προτρέπεται, ὀφείλεις εἰς ὃ διεγείρει ἀκολουθῆσαι, καὶ ὅπερ ἀγαπᾶσθαι συμβουλεύει, περιπτύξασθαι. Ὁμοίαν γὰρ λοιπὸν τῆς πιστέως φροντίδα χειρίζοντες, διὰ τῆς εὐσεβοῦς ὑπομονῆς, ἴσον καὶ τὸ ἔπαθλον τοῦ ἀθαςοῦ ἔργου ἐκβάσει ἐλπίζομεν. Οὔτε γὰρ ταῖς δυσχερείαις ἐστὶ πα-
B ραχωρητέον· οὐ καταπονεῖται τοῖς τραχέσιν ἡ πίστις, οὐδὲ εἰς τὰ τῶν οὐρανῶν ὑψώματα διὰ κατωφεροῦς τις ἐπεκτείνεται, οὔτε τῆς ἀνταμείψεως, ἄνευ τῆς τοῦ καμάτου γυμνασίας τις ἀξιοῦται. Διὸ ἵνα μὴ ἐκκακῶμεν τὸ ἀγαθὸν ποιοῦντες, ἰδικῶς ὑπομιμνησκώμεθα. Καὶ γὰρ μακάριοι, ὡς μαρτυρεῖ ὁ ψαλμῳδὸς, οἱ φυλάσσοντες κρίσιν καὶ ποιοῦντες δικαιοσύνην ἐν παντὶ καιρῷ, ὅτι οὐχὶ ἀρχὴ τοῦ καμάτου τὴν ἀντάμειψιν τοῦ ἐπάθλου εἴωθεν εὑρίσκειν, ἀλλὰ τὸ τέλος. Τοιγαροῦν ἴσην σπουδὴν τῆς μερίμνης ἀναλαβόμενοι, οἷς ἐστι μία ἐν τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ πίστει ἡ εταιρία· ὃν τρόπον περὶ τῆς ἑνωθείσης περὶ τῷ Ἀποστολικῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίας, ἐπίσης ἀγαλλιῶμεν ἐν κυρίῳ· οὕτω καὶ περὶ τῆς τῶν λοιπῶν, καθὼς ἐνδιαθέτως παραινεῖς, ἀποκαταστάσεως φροντίσωμεν πρῶτον, ἵνα τὴν πίστιν καὶ τὴν τελειότητα ἡμῶν,
C ἄσπιλον ἀπὸ παντὸς μιάσματος φυλάζωμεν. Καὶ γὰρ οἶσθα, ἀδελφὲ τιμιώτατε, ποῖοι τὴν ἐκκλησιαστικὴν ὁμόνοιαν φυλάττουσι σύνδεσμοι, τίνα ἡμᾶς ἀπὸ τῶν αἱρετικῶν φυλάττουσιν ἐπιβουλῶν, καὶ διὰ ποίων ἡ τῶν κανόνων φυλάττεται αὐθεντία. Τούτων ἐν τῇ ἰδίᾳ ἰσχύι πάσῃ προσοχῇ φυλαττομένων, ἴασις τοῖς ἐλπίζουσι προσενεχθήσεται· Ἔχει γὰρ τῶν ἐκκλησιαστικῶν κανόνων ἡ τάξις, καὶ αὐτῆς τῆς δικαιοσύνης ὁ τύπος, ὅπως εὔλογος θεραπεία τοῖσ καλοθελῶς καὶ πιστῶς ἐλπίζουσι, μὴ ἀρνηθείη. Οὐδέ τίς ἐστιν οὕτως ἀπὸ τῆς φιλανθρωπίας διῃρημένος, ὃν οὐχὶ ἀπὸ τῆς σκληρότητος τοῦ δεσμοῦ ἐπικάμψει ἡ ἀπάνουργος, ἁπλότης, ἀλλ' ἵνα ἀσφαλῶς τοῦτο καὶ χωρὶς μέμψεως, ἢ τινὸς νεφώδους πλάνης ἰσχύσειε προελθεῖν, ἀγαπητὲ ἀδελφὲ, τὸ ἐμὸν πρόσωπόν σε ἐν τούτῳ
D χρὴ ὑπελθεῖν ἐπιστάμενον ἐν ταῖς τοιαύταις ὑποθέσεσι, καθὼς προείρηται, τί ποιητέον εἴη, τί φυλακτέον, οὕτω πάντων προνοούμενον, ὡς μὴ ἀμφιβάλλοντα λόγον ταύτης τῆς διατυπώσεως τῷ Θεῷ ἀποδώσοντα, οὕτω μέντοι, ἵνα τούτους οἵ τινες ὑμῖν τῇ κοινωνίᾳ συναφθεῖεν, καὶ δι' ὑμῶν τῷ Ἀποστολικῷ θρόνῳ, τὰ ὑμέτερα γράμματα ἡμῖν δηλώσουσιν, οἷς καὶ τὰ περιεχόμενα τοῖς λιβέλλοις, οὓς ἂν προσενέγκοιεν, ἐμφερέσθω. Οὕτω γὰρ τοῦ Σευήρου, καὶ τῶν τούτῳ συμπλεκομένων, καὶ τῶν ὁμοίων ἀπολυθήσονται πλάνης, καὶ οὐδὲ τούτων, οἵ τινες ἰαθῆναι δυνήσονται τὴν ζημίαν ὑπομείνωμεν. Ὅπερ διὰ τοῦτο ὑμῖν ἰδικῶς ᾠήθημεν ἐπιθεῖναι πρὸς τὴν ὑμετέραν ἐπιμέλειαν, τὰ ἡμέτερα μεταφέροντες βάρη, ἐπείπερ οὐ μικρὰς ἤδη ἀποδείξεις τοῖς αἱρετικοῖς ἀνθιστάμενοι δεδώκατε, καὶ οὐ χρὴ περὶ τούτου διστάζειν, ὃν καλῶς συνέβη δόκιμον

[1]Hic ms. addit *vel Supplicii* pro *Sulpicii* Sorensis : sed utrumlibet ridiculo errore. HARD.

humanitate mollire, ut in hæreticorum contagione perdurantes, aut eos qui innocentiam simulant, et cum nostris sola voce consentiunt, ab his quibus pro Ecclesiæ redintegratione consulitur et providetur, excludas : nec enim expedit circa hos ecclesiasticam temperare censuram. Non enim erunt miserationis bona pro eorum, quibus consuli oportet, necessitate collata, si indiscrete fuerint bonis malisque communia. Et quia Hierosolymitanorum quoque faciebat in tuis litteris tua dilectio mentionem, quorum etiam ad nos quædam delata professio, necessarium duximus vel recensere quæ scripta sunt, vel respondere quæ congrua. Qui si sanctorum Patrum constituta custodiunt, si illa fidei fundamenta venerantur ab his quæ per eos sancto Spiritu compungente definita sunt, non recedent. Aut enim perfecta sunt, ita ut sunt, et adjectione non indigent : aut bene valida, et ideo non mutanda : quando per ea omnia hæreticorum venena compressa sunt. Nec quidquam Chalcedonensis synodus, quod utile quælibet diligentia potuisset excogitare præteriit : quæ præcedentium quoque dogmata vel clarius manifestavit, vel repetita auctoritate firmavit, speciale quoddam adversus Nestorium et Eutychem aggressa certamen, alterum deitatem Dei nostri Jesu Christi a carne separantem, et ideo sanctam Mariam Dei genitricem pronuntiare vitantem : alterum veritatem carnis in Domino renuentem. Quando Dominus noster Jesus Christus idem Filius Dei, idem filius hominis, una in duabus persona naturis divinitatis et humanitatis carnis, nec naturis adunatione confusis, non velut quarta persona addita Trinitati, sed ipse Filius Dei *exinaniens semetipsum, et formam servi accipiens* (*Philip.* I). propter quod et unam nec divisibilem profitemur essentiam Trinitatis, et proprietatem tamen suam scimus inesse personis, unam Filii Dei cum assumpta carne, unam Spiritus sancti : et personas proprietatibus designantes, et per unitatem essentiæ inseparabile Trinitatis mysterium confirmantes. Neque enim ambigi potest Verbum Dei intra matris viscera per carnem, humanam assumpsisse naturam, nec post a se factam intra vulvam naturarum unitionem divisum. Nam ut humanitas sine Deo non est edita, sic in cruce non est impassibilis divinitas a carnis passione divisa : quod virginis partus et intemerata fecunditas, et singularis a mortuis resurrectio, et ad cœlos declarat ascensio. Hæc si quemadmodum a Patribus constituta sunt servant, credant, nec definita transcendant : a quo tramite qui declinant, ipsi sibi nebulam dubitationis offundunt. Nobis autem illud apostolicum contentiosis respondere necesse est, *nos hanc consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei* (*I Cor.* II). Hæc ideo breviter, quia nec ambigi convenit de rebus juxta fidem sæpius definitis : et pene supervacua est allegatio, quæ adhibetur instructis, cum super hac re et ad clementissimum principem filium nostrum non pauca perstrinxerim. Et quia de Hierosolymitanorum propositione respondimus, hoc quoque æstimavimus,

A ἀποδειχθῆναι. Ἅμα προσλαβέσθαι τὰς θεραπείας τῆς ἰάσεως, ἀναζώσασθαι τὴν αὐθεντίαν τῆς δικαιοσύνης, καὶ οὕτω περὶ τοὺς ἱκέτας τῇ φιλανθρωπίᾳ ἀπαλύνεσθαι, ἵνα τοὺς ἐν τῷ τῶν αἱρετικῶν μιάσματι ἐπιμένοντας, ἢ τούτους, οἳ τὸ ἀνεύθυνον ἀποκρίνονται, καὶ μετὰ τῶν ἡμετέρων μόνῃ τῇ φωνῇ συμφωνοῦσιν ἀπὸ τούτων, ὧν ὑπὲρ τῆς ἀποκαταστάσεως τῆς ἐκκλησίας φροντὶς καὶ πρόνοιά ἐστιν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. Οὐδὲ γὰρ συντελεῖ περὶ τούτους ἐκκλησιαστικὴν κεράσαι αὐστηρίαν. Οὐ γὰρ ἔσται λοιπὸν τοῦ ἐλέους τὰ ἀγαθὰ διὰ τὴν τῶν προνοηθῆναι ὀφειλόντων ἀνάγκην συναχθέντα, ἐὰν διακρίτως ἔσονται κοινὰ καλοῖς καὶ κακοῖς. Καὶ ἐπειδὴ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν ὁμοίως ποιήσασθαι ᾠήθη ἐν τοῖς οἰκείοις γράμμασι μνήμην ἡ σὴ ἀγάπη, ὧν καὶ πρὸς ἡμᾶς ἠνέχθη τὶς ὁμολογία, ἀναγκαῖον ἡγησάμεθα καὶ ἀναγνῶναι τὰ γραφέντα, καὶ ἀποκρίνασθαι
B τὰ πρόσφορα. Οἵ τινες εἰ τὰς τῶν ἁγίων πατέρων διατυπώσεις φυλάττουσιν, οἱ ἐκείνης τῆς πίστεως τοὺς θεμελίους σέβονται, καὶ ἀπὸ τούτων τῶν δι' αὐτῶν τοῦ ἁγίου πνεύματος κατανύσσοντος ὁρισθέντων, οὐκ ἀναχωρήσουσιν. Εἰ γάρ εἰσι τέλεια, ὥσπερ εἰσὶ, καὶ προσθήκης οὐ δέονται, ἢ καλῶς βέβαια, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἀνταμειπτέα, ὁπότε δι' αὐτῶν πάντα τὰ τῶν αἱρετικῶν δηλητήρια καταπιεσθῇ, οὐδέ τι ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος, ὅπερ χρήσιμον, οἱαδήποτε ἐπιμέλεια ἠδύνατο ἐπινοῆσαι, παρέδραμεν, ἥ τις τῶν προλαβουσῶν ὁμοίως τὰ δόγματα, ἢ τηλαυγέστερον ἐφανέρωσεν, ἢ ἐπαναληφθεῖσα τῇ αὐθεντίᾳ ἐβεβαίωσεν ἰδικόν τινα κατὰ Νεστορίου, καὶ Εὐτυχοῦς ἀνοδεξαμένη ἀγῶνα, τοῦ μὲν ἑτέρου τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ θεότητα ἀπὸ τῆς σαρκὸς χωρίζοντος, καὶ διὰ
C τοῦτο τὴν ἁγίαν Μαρίαν Θεοτόκον ἐξαγγέλλειν ἐκκλίνοντος, τοῦ δὲ ἑτέρου τὴν ἀλήθειαν τῆς σαρκὸς ἐν τῷ κυρίῳ ἀπαναινομένου, ὁπότε ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς οὗτος υἱὸς Θεοῦ, ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος, ἓν πρόσωπον ἐν δύο φύσεσι, καὶ θεότητος καὶ σαρκὸς, οὐδὲ τῶν φύσεων ἐν τῇ ἑνώσει συγχυσθεισῶν, οὐχ ὡς τετάρτου προσώπου προστεθέντος τῇ τριάδι, ἀλλ' αὐτὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐκένωσεν ἑαυτὸν καὶ μορφὴν δούλου ἔλαβε. Διὸ καὶ μίαν καὶ οὐδὲ διαιρετὴν ὁμολογοῦμεν οὐσίαν τῆς τριάδος, καὶ τὴν ἰδίαν ὁμοίως ἰδιότητα ἴσμεν ἐν εἶναι τοῖς προσώποις. Ἓν γὰρ τοῦ πατρὸς ὁμολογοῦμεν εἶναι πρόσωπον, ἓν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, μετὰ τῆς προσληφθείσης σαρκὸς, ἓν τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, καὶ τὰ πρόσωπα ταῖς ἰδιότησι σημαίνοντες, καὶ διὰ τῆς ἑνότητος τῆς οὐσίας, τὸ ἀχώριστον τῆς τριάδος μυστήριον ὁμολογοῦντες. Οὔτε γὰρ δυνατὸν ἀμφιβάλ-
D λεσθαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἐν τοῖς τῆς μητρὸς σπλάγχνοις διὰ τῆς σαρκὸς, τὴν ἀνθρωπίαν προσειληφέναι φύσιν. Καὶ μὴ μετὰ τὴν παρ' αὐτοῦ γενομένην ἐν τῇ μήτρᾳ τῶν φύσεων ἕνωσιν διῃρημένον. Καθάπερ γὰρ οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ ἀνθρωπότης ἄνευ Θεοῦ γεννηθεῖσα, οὕτως ἐν τῷ σταυρῷ ἡ ἀπαθὴς θεότης, οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ τῆς σαρκὸς πάθους διῃρημένη, ὅπερ ὁ τῆς παρθένου τόκος, καὶ ἡ ἄχραντος γονιμότης, καὶ ἡ ἐξαίρετος ἐκ νεκρῶν ἀνάστασις, καὶ ἡ εἰς οὐρανοὺς δείκνυσιν ἄνοδος, ταῦτα εἰ καθὼς παρὰ τῶν πατέρων ὡρίσθη, φυλάττουσι, πιστευέτωσαν, καὶ μηδὲ τὰ ὡρισμένα παραβαινέτωσαν, ἀφ' ἧς τρίβου οἱ ἐκκλίνοντες, αὐτοὶ ἑαυτοῖς νέφος ἀμφιβολίας περιχέουσιν. Ἡμῖν δὲ ἐκεῖνο τὸ Ἀποστολικὸν, τοῖς φιλονείκοις, ἀποκρίνασθαι ἀνάγκη ἐστίν· « Ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν, οὐδὲ ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ. » Ταῦτα διὰ τοῦτο διὰ βραχέων, ἐπειδὴ οὔτε ἀμφιβάλλεσθαι προσήκει περὶ πραγμάτων

salutis eorum causa competenter addendum, ut si communionis apostolicæ desiderant unitatem, professionem suam scripto inditam, quam legatis nostris apud Constantinopolim positis obtulerunt, aut per suos ad nos dirigant, aut fraternitati vestræ tradant, eodem tamen, sicut diximus, tenore conscriptam, quæ ad nos modis omnibus sub vestra ordinatione deferatur. Nam de Thessalonicensibus quorum ad nos legati sub clementissimi et fidelissimi principis filii nostri ordinatione venerunt, ne quid omisisse credamur, nosse vos volumus, secundum hoc quod Domino nostro inspirante placuerit, causam omnem nostri (vestra) dispositione tractandam, et si quod oportet impleverint, ordinanda hæc per fratrem nostrum et coepiscopum venerabilem virum Joannem, sed et filios nostros Heraclianum presbyterum et Constantium diaconum, ecclesiastico honore dignissimos; ad causam pertinentia conscripsisse contenti, gratulati sumus in viro ordinis nostri par meritum et religiosum nos invenisse propositum, et cum legatione mandata sapientiæ et moribus congruentia. Votiva enim res et plena gaudii est, ut sint justa æstimatione probabiles, quos communionis et officii contigerit esse consortes. *Et alia manu* : Deus te sanum custodiat, frater venerabilis. (Data septimo calendas Aprilis, Valerio viro clarissimo consule [anno Christi 521].)

Sanctissimus archiepiscopus dixit : Nunc venerabilissimi notarii sanctissimæ Ecclesiæ nostræ, si quæ sunt chartæ apud eos præsentem causam concernentes, ipsas nobis manifestas faciant. Et productis chartis per venerabilem Cosmam diaconun, notarium et chartophylacem, Macarius venerabilis diaconus et notarius, libellum ex persona clericorum Theopolis, et relationem synodi ibidem in regia urbe congregatæ, utrumque ad Joannem inter sanctos archiepiscopum ipsius regiæ urbis, legit, Et Calonymus, venerabilis diaconus et notarius, ex codice epistolam ad Joannem sanctæ memoriæ archiepiscopum Hierosolymorum, et ad Epiphanium piæ memoriæ Tyriorum episcopum, legit. Insuper etiam epistolam missam ab ipso Joanne Hierosolymorum episcopo et synodo sua ad sanctum Joannem legit. Et Stephanus, venerabilis notarius et diaconus, relationem missam ab Epiphanio Tyrio et synodo sub eo congregata legit. Et paulus venerabilis notarius et diaconus relationem cum gestis destinatam ab episcopis secundæ Syriæ ad sanctissimum Joannem archiepiscopum regiæ urbis ; quæ omnia inserta fuere.

A τῶν περὶ τῆς πίστεως πολλάκις ὁρισθέντων, καὶ παντελῶς περιττή ἐστιν ἡ δικαιολογία ἡ προσφερομένη τοῖς παρασκευασμένοις, ὁπότε περὶ τούτου τοῦ πράγματος, καὶ πρὸς τὸν ἐνδοξότατον, καὶ φιλανθρωπότατον βασιλέα τὸν ἡμέτερον υἱὸν, οὐκ ὀλίγα ἐσημάναμεν. Καὶ ἐπειδὴ περὶ τῆς Ἱεροσολυμιτῶν ὁμολογίας ἀπεκρινάμεθα, καὶ τοῦτο ὑπελάβομεν τῆς τούτων σωτηρίας χάριν ἁρμοδίως προσθεῖναι, ἵνα ἐὰν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπιποθῶσι τὴν ἕνωσιν, τῆς ἰδίας ὁμολογίας τὸ ὕφος ἐγγάφως μηνυθεῖσαν, ἣν τοῖς ἡμετέροις πρεσβευταῖς ἐν Κωνσταντινουπόλει διάγουσι προσήνεγκαν, διὰ τῶν ἰδίων πρὸς ἡμᾶς ἀποστείλωσιν, ἢ τῇ ὑμετέρᾳ ἀδελφότητι δώσουσι, τῇ αὐτῇ μέντοι, καθῶς εἶπον, δυνάμει συγγραμμένην, ἥ τις πρὸς ἡμᾶς πᾶσι τοῖς τρόποις δι' ὑμετέρας διατυπώσεως, κομισθήσεται. B Περὶ γὰρ Θεσσαλονικέων, ὧν πρὸς ἡμᾶς οἱ πρέσβεις διὰ τῆς τοῦ πιστοτάτου, καὶ ἐνδοξοτάτου βασιλέως τοῦ ἡμετέρου υἱοῦ διατυπώσεως ἦλθον, ἵνα μήτι παραλελοιπέναι δόξωμεν, γινώσκειν ὑμᾶς βουλόμεθα κατὰ ταῦτα, ἅπερ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐμπνέοντος ἤρεσαν, τὴν ὑπόθεσιν πᾶσαν τῇ ὑμετέρᾳ διασκέψει ψηλαφητέαν, καὶ εἰ ὅπερ χρὴ πληρώσουσι διατυπωτέαν. Ταῦτα διὰ τοῦ ἀδελφοῦ, καὶ συνεπισκόπου ἡμῶν τοῦ σεβασμιωτάτου ἀνδρὸς Ἰωάννου, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν υἱῶν ἡμῶν, Ἡρακλειανοῦ του πρεσβυτέρου, καὶ Κωνσταντίνου τοῦ διακόνου, τῆς ἐκκλησιαστικῆς τιμῆς ἀξίων, τὰ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ἀνήκοντα ἀρκεσθέντες ἀντιγράψαι, ἥσθημεν ἐν ἀνδρὶ τῆς ἡμετέρας τάξεως ἴσην ἀξίαν καὶ εὐλαβῆ πρόθεσιν ἡμᾶς εὑρηκέναι, καὶ μετὰ τῶν τῆς πρεσβείας ἐντολῶν, τῇ φρονήσει καὶ τοῖς τρόποις συνᾴδοντα. Εὐκταῖον γὰρ πρᾶγμα, καὶ πλῆρες χαρᾶς, ἵνα ὦσι κεκριμένως δόκιμοι, οὓς τῆς κοι- C νωνίας καὶ τῆς τάξεως συνέβη εἶναι συγκλήρους. Καὶ ἄλλῃ χειρὶ, « Ὁ Θεό σε ὑγιῆ διαφυλάττῃ, ἀδελφὲ τιμιώτατε. »

Ὁ ἁγιώτατος ἀρχιεπίσκοπος εἶπε· Νῦν καὶ οἱ θεοσεβέστατοι νοτάριοι τῆς ἁγιωτάτης ἡμῶν ἐκκλησίας, εἴ τινές εἰσι παρ' αὐτοῖς χάρται τὴν παροῦσαν ὁρῶντες ὑπόθεσιν, δήλους ἡμῖν τούτους ποιείτωσαν. » Καὶ προκομισθέντων τῶν χαρτῶν διὰ Κοσμᾶ τοῦ θεοσεβεστάτου διακόνου νοταρίου, καὶ χαρτοφύλακος, Μακάριος, ὁ θεοσεβέστατος διάκονος καὶ νοτάριος τὸν ἐκ προσώπου τῶν Θεουπόλεως κληρικῶν λίβελλον, καὶ τὴν ἀναφορὰν τῆς ἐνδημούσης τηνικαῦτα τῇ βασιλίδι πόλει συνόδου ἀμφότερα πρὸς τὸν ἐν ἁγίοις Ἰωάννην ἀρχιεπίσκοπον γενόμενον τῆς αὐτῆς βασιλίδος πόλεως ἀνέγνω, καὶ Καλώνυμος ὁ θεοσεβέστατος διάκονος καὶ νοτάριος ἀπὸ κώδικος τὴν πρὸς Ἰωάννην τὸν τῆς ὁσίας μνήμης ἀρχιεπίσκοπον γενόμενον Ἱεροσολύμων ἐπιστολὴν, D καὶ τὴν πρὸς Ἐπιφάνιον τὸν τῆς θεοφιλοῦς μνήμης, τῆς Τυρίων γενόμενον ἐπίσκοπον ἀνέγνω, ἔτι μὴν καὶ τὴν πεμφθεῖσαν ὑπό τε αὐτοῦ Ἰωάννου τοῦ τῆς Ἱεροσολυμιτῶν ἐπισκόπου, καὶ τῆς ὑπ' αὐτον συνόδου, πρὸς τὸν ἁγίοις Ἰωάννην ἐπιστολὴν ἀνέγνω, καὶ Στέφανος ὁ θεοσεβέστατος νοτάριος, καὶ διάκονος, τὴν σταλεῖσαν ἀναφορὰν παρὰ Ἐπιφανίου ἐπισκόπου γενομένου Τύρου, καὶ τῆς ὑπ' αὐτὸν συνόδου ἀνέγνω, καὶ Παῦλος ὁ θεοσεβέστατος νοτάριος καὶ διάκονος, τὴν σταλεῖσαν ἀναφορὰν σὺν τοῖς πεπραγμένοις ἀπὸ τῶν ἐπισκόπων Συρίας δευτέρας, πρὸς τὸν ἐν ἁγίοις Ἰωάννην γενόμενον ἀρχιεπίσκοπον τῆς βασιλίδος πολεως, ἅ τινα σύμπαντα καὶ ἐντέτακται.

EPISTOLA
JUSTINI IMPERATORIS AD HORMISDAM.

Paulum Antiochenum de quibusdam accusatum episcopatu se abdicasse significat .

Justinus Augustinus Hormisdæ papæ.

Ut quod in Paulo viro reverendissimo contigit apostolatui vestro patefiat; qui sacerdotio præditus Antiochenæ civitatis, ita versatus esse dicitur in multis causis quæ religiosis alienæ sunt episcopis, ut clericorum suorum proditione, habitatorum etiam

dictæ civitatis, aliorum insuper frequentium incusaretur, non tantum legatis vestræ sanctitudinis in hac regia positis urbe (ut ipsos quoque retinere censemus), verum post eorum recessum; qui malæ conscientiæ suæ testimonio veritus insuper ne, quæstione habita, graviorem formam exitus rei posceret recusatores libellos obtulit, ut liceret ei secedere a suscepto (sicut dictum est) episcopatus officio; quoniam igitur cordi nobis est et fuit ut semper civitatum antistites in amore sint omnium communi, quorum regendas acceperunt animas, Paulus autem reverendissimus ultro se de suo (prout memoravimus) abdicavit sacerdotio, præsentem epistolam duximus dirigendam, ut vobis aperiatur, et orationibus propriis cœleste nobis præsidium dignetur acquirere Data calendis Maiis, Constantinopoli, Justiniano et Valerio viris clarissimis consulibus (anno Domini 521).

RELATIO

EPIPHANII EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

Eadem quæ in superiori epistola..

Per omnia sanctissimo ac beatissimo domino fratri et comministratori Hormisdæ Epiphanius episcopus.

Frequentiores quidem litteras facere ad vestram beatitudinem et frui affectu fraternæ caritatis optamus. Nunc autem ea quæ evenerunt cupientes vestram sanctimoniam non latere, præsentibus usi sumus scriptis. Multis enim et non parvo spatio temporis perturbationibus Antiochiæ maximam civitatem, quæ est in diœcesi Orientali prima, circumstantibus, sub occasione quia Paulus amabilis Deo episcopatum memoratæ habuit civitatis, et multis urbis ipsius habitatoribus, sicut dixerunt aliqui, a catholica sese separantibus, et assiduas interpellationes tranquillissimo et fidelissimo principi nostro ingerentibus, et eorum quæ in accusationem ducebantur inquisitionem supplicantibus fieri manifestam. Quæ quidem initium olim sumpserunt, sicut nec directos a vestra sanctitate Deo amabiles legatos latuit, cum in regia degerent civitate, agnoscentes super his omnia, Memoratus ergo amabilis Deo Paulus prodesse sibi hoc existimans,per libellos proprios designatæ civitatis desertionem et episcopatus Elegit, et universalem quietem, et a causis alienationem se præferre monstravit. Quæ omnia et amabilem Christo principem nostrum manifesta reverentiæ vestræ fecisse novimus : sed nunc omnibus nosbis pretiosius, et de quo maxime noctibus et diebus bonum nuntium de his qui ab amantissimo principe et a nobis directi sunt ad vestram beatitudinem Deo amabiles legati, amicam Deo pacem nuntiantes, et omnia pulchritudine, decora unitatem sanctarum Ecclesiarum annuntiantes, quam cito ad nos destinare dignemini, ut præsentis causæ (sicut sæpe scripsimus) sit cœleste lucrum his qui in celeritate sunt bonæ correctionis auctores, beatissime et sanctissime frater. Omnem quæ est cum tua beatitudine in Christo fraternitatem nos et qui nobiscum sunt multis salutamus annis.

* EPISTOLA LXXXI.

AD [a] REMIGIUM REMORUM EPISCOPUM.

Vices suas illi deputat in regno Clodovei Francorum regis nuper ad fidem conversi

Dilectissimo fratri Remigio, Hormisda.

Suscipientes plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificavit indicio, corporali cum spiritualibus officiis incolumitate subnixa, congruum esse perspeximus hanc ipsam quam mente gerimus verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta pontificis, dum et prædicanda facis, et ea insinuare non differs. Prærogativam igitur de nostri sumpsimus electione judicii, quando id operatum te esse didicimus, quod cæteris agendum obnixius imperamus, ut in provinciis tanta longinquitate disjunctis, et apostolicæ sedis vigorem, et Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per regnum dilecti et spiritualis filii nostri Clodovei, quem nuper, adminiculante superna gratia, plurimis et apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prædicationem salutiferam concomitantibus, ad fidem cum gente integra convertisti, et sacri dono baptismatis consecrasti, salvis privilegiis quæ metropolitanis decrevit antiquitas, præsenti auctoritate committimus : augentes studii hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, a quo jam probavimus acutius universa servari, gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, et laboraturis injuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas et decreta sanctissimis diffinita concilis ab omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam et fraternæ monita exhortationis ostendimus. His ea quanta dignum est reverentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ observationis obstaculum. Ibi fas nefasque præscriptum est, ibi prohibitum ad quod nullus audeat aspirare, ibi concessum quod debeat Deo placitura præsumere. Quotiens universæ poscit religionis causa concilium, te cuncti fratres evocante, conveniant, et si quos eorum specialis negotii pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide et veritate constitutum, vel provida dispensatione præceptum, vel personæ

[a] OBSERVATIO P. ANTONII PAGI AD ANN. CHRISTI 514, NUM. 5.

Hincmarus in Vita sancti Remigii episcopi Remensis, postquam bellum Visigothicum, missamque ab Anastasio Augusto legationem in Franciam enarravit, agit de vicariatu seu de Primatu hujus præsulis per universum regnum Clodovei Francorum regis, quem ipsemet primus ex archivis Ecclesiæ suæ eruit, illiusque originem Hormisdæ, qui hoc anno pontificatum Romanum suscepit, acceptam refert. At cum certum sit *Clodoveum* ad Hormisdæ tempora non pervenisse, sumpta inde ab aliquibus viris doctis ansa existimandi eam historiam commentitiam esse, indeque varia scripta hinc inde prodiere. Sirmondus epistolam illam Hormisdæ ad Remigium a concilis Gallicanis rejecit, nullamque ejus rationem habuit.

Ex Labbei Append., tom. IV.

nostræ auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perveniat. Eo fiet ut et noster animus officii caritate dati, et tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

(Geminas sequentes epistolas nondum editas in collectione Avellana quæ continetur in codice Vaticano 4961 nacti Ballerini eas dederunt in dissertatione præmissa tom. III operum sancti Leonis Magni, pag. CLXVI, etc. Ex his ergo huc transferuntur.)

Hormisda.

Cum necesse fuerit scripta domino filio clementissimo principi destinari, amplitudinem vestram silentio præterire nequimus. Et ideo salutationis honorificentiam præloquentes eos qui in rem destinati sunt, commendamus, postulantes ut, domino nostro auctore, sub vestra dispositione celeriter ut (*leg.* ad) destinata perveniant, ut sacratissimus et religiosissimus imperator meritorum suorum gloriam possit sine dilatione cognoscere.

Justinus Augustus Hormisdæ.

Illustrem virum episcopum R. grato suscepimus animo non pro honore tantum qui debetur sacerdotibus, verum etiam pro affectu vestræ sanctitudinis. Nam quicunque tuo comprobatus judicio fuerit, est apud nos etiam judicatus probatissimus. De opera tamen et favore, qui sacrosanctis inferendus est ecclesiis, tunc demum opportunius statuetur, cum legati, quos nuper ad regem magnificum Trasamundum destinasse noscimur, reversi propitia Divinitate responsum nobis detulerint. Vestra autem beatitudo supernum nobis præsidium indefessis orationibus postulare dignetur. Data XV cal. Decembris, Constantinopoli, domino Justino perpetuo Augusto (*supple* cos., id est anno 219), accepta XI cal. Junii Rustica cos., id est an. 520.

DECRETA HORMISDÆ PAPÆ

EX GRATIANO DESUMPTA.

DECRETUM PRIMUM

Qui ad pœnitentiam agendam in monasterio recluditur, presbyter non ordinetur.

Si ille qui ultro petit pœnitentiam, quamvis eam perfecte agat, non potest episcopus aut presbyter ordinari, ita ut etiamsi per ignorantiam ordinatus fuerit, et postea convincitur pœnitentiam accepisse, dejiciatur : ille ergo qui invitus ad pœnitentiam agendam mittitur in monasterium (qui utique nihil aliud quam pœnitens dicendus est), qua conscientia ad sacerdotium pervenire permittitur? Nemo mihi talia quælibet contra auctoritatem sedis apostolicæ, vel contra trecentorum decem et octo episcoporum et reliquorum canonum constituta objiciat : quia quidquid contra illorum definitionem, in quibus Spiritum sanctum credimus locutum, dictum fuerit, recipere, non solum temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito (*Dist.* 50, *Si ille qui*).

DECRETUM II.

Nuptias occultas celebrare non licet.

Nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a sacerdote, publice nubat in Domino (30, *quæst* 5, *Nullus fidelis*).

DECRETUM III.

Palea. Idem Eusebio episcopo.

Tua sanctitas requisivit a nobis, frater venerande, de filio adultero [*F.* adulto] quem pater matrimonium contrahere vult, si sine voluntate filii adulti facere potest; ad quod dicimus : Si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse. Potest autem de filio nondum adulto, voluntas cujus nondum discerni potest, pater eum cui vult in matrimonium tradere, et postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino observare et adimplere debet. Hoc ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus, sancitum a nobis, tenendum mandamus (31, *quæst.* 2, *Tua sanctitas*).

DECRETUM IV.

Absque episcopi permissu in ecclesia consecrata non erigatur altare.

Nullus presbyter in ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab episcopo loci fuerit sanctificatum (*a*) vel permissum, ut sit discretio inter sacrum et non sacrum; nec dedicationem fingat, nisi sit. Quod si fecerit, degradetur, si clericus est; si vero laicus, anathematizetur.

EX DOCTRINA HORMISDÆ PAPÆ

CAP. IV.

Burch. lib. IV, cap. 57.

Si quis baptizat, aut aliquod divinum officium exercuerit per temeritatem, non ordinatur [*F.* ordinatus], abjiciatur ab Ecclesia, et nunquam ordinetur.

OBSERVATIO PHILIPI LABBE, S. J.

Certo certius visum semper fuit viris hactenus eruditis a Gelasio summo pontifice in synodo Romana 70 episcoporum scriptum fuisse decretum sive notitiam de libris sacris et apocryphis : cujus, ut omittam innumerabiles codices manuscriptos vetustissimos ac præcipuæ dignationis, et ipse Nicolaus I papa meminit epistola 42 ad omnes Galliæ episcopos missa, his verbis : *Consonat autem huic beatissimo papæ Leoni sanctus et facundissimus in decretis suis papa Gelasius ita inquiens* : *Decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus de urbe Roma pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus*, etc. Multisque post illum annis Gratianus retulit in suam discordantium canonum Concordiam parte prima, distinctione 15, cap. *Sancta Romana Ecclesia.* Verum non defuerunt qui ex codicibus aliquot manuscriptis : præsertim Jurensi ex monasterio S. Eugendi, sive, ut cum vulgo loquar, S. Claudii et antiquissimo optimæ notæ Urgellensi, ut qui vidit Stephanus Baluzius mihi testis est, tribuere voluerint Hormisdæ papæ, qui a Gelasio tertius Romanam rexit Ecclesiam. Vide quæ

(*a*) Burchardus, lib. III, cap. 18, in meo cod. ms. sic legit, et quantum arbitror, melius : *vel illius permissu sanctificatum est.* MANSI.

Chiffletius noster (cum sub prelo properaret ad metam tomus hic noster quartus) Divione emisit in lucem, pag. 149 notarum in Vigilium Tapsensem episcopum, hoc initio :

Incipit decretale in urbe Roma ab Hormisda papa editum.

De Scripturis divinis quid universaliter catholica recipiat Ecclesia, vel post hæc quid vitare debeat.

TITULI.

I. De ordine librorum canonicorum Veteris et Novi Testamenti.

II. De numero apostolicarum sedium.

III. De constitutionibus sanctorum conciliorum.

IV. De opusculis sanctorum Patrum quæ recipiuntur.

V. De opusculis apocryphorum quæ recipienda non sunt.

I. Ordo de Veteri Testamento quem sancta, etc. Quæ non est opus hoc loco iterare, cum supra edita sint. Si quæ occurrant alicujus momenti variantes lectiones a nostris distinctæ, in notis ad Gelasii decretum non omittentur. (Vide nostræ Patrologiæ tom. LIX, col. 166.)

APPENDIX
AD EPISTOLAS HORMISDÆ.

ADMONITIO COLLECTORIS.

Cum laudabili consilio ad genuinas pontificum epistolas spurias etiam illis affictas vir cl. Labbeus in sua collectione adjiciendas censuerit, ego pariter ejus exemplo spurias, si quas forte offendi pontificum litteras dandas proposui. Æqui igitur bonique facient lectores, si hoc loco epistolam Hormisdæ papæ legerint, quam suppositionis suæ expressos characteres præferre constat, cum Joannem papam laudet, qui sane pontifex Hormisdæ posterior fuit. Desumpta est ex Pœnitentiali Halitgarii episcopi Cameracensis ante annos 900 collecto, vulgatoque a Canisio Veter. Lect. tom. II, part. 2, pag. 143 edit. Basnag. (a).

INCIPIT EPISTOLA

HORMISDÆ PAPÆ PER UNIVERSAS PROVINCIAS.

Ecce manifestissime constat, quia secundum titulos antiquorum Patrum a sancto Joanne papa transmissos, et trecentorum decem et octo episcoporum sententias, sed et canones Gallicani concilii continere videntur.

Clerici in adulterio deprehensi, et aut ipsi confessi, aut ab iis convicti, ad honorem redire non possunt. Et quia forte non desunt, quibus vel pro nimia pietate suprascripta sanctorum Patrum severitas minime placet, sciant se trecentorum decem et octo episcoporum, et qui reliquos canones statuerunt, sententias reprehendere vel damnare. Sed forte major est in illis pietas, quam in supradictis 318 episcopis, major in illis misericordia quam in sancto Joanne apostolico papa, major caritas quam in reliquis sacerdotibus, qui hoc per exempla vel remedia Ecclesiarum suis diffinitionibus deliberaverunt. Et ideo aut per promptam voluntatem præceptis illorum consentiant; aut si non fecerint, omnibus contrarios se, et inimicos esse cognoscant. Quæ est ista inimica benignitas, palpare criminosos, et vulnera eorum usque ad diem judicii incurata servare? Quod si etiam eos durissima pœnitentia per plures annos agere viderint, sic idipsum et saluti eorum consulere, et canonum debemus statuta servare. Cum vero in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi vel plangendi appareat, nec beatum David imitentur, qui dixit : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI) ; et illud : *Cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebo* (*Ps.* X), nec eos jejuniis vel lectioni vacare videmus, possimus agnoscere si ad honorem pristinum redirent, cum quanta negligentia, et cum quanto tepore, et inimica animæ securitate permaneant, credentes quod sic eis non acta pœnitentia digna dimiserit Deus, quomodo sacerdotes indulsisse vident. Vero dico, quia illi ipsi, quibus cum periculosa et falsa misericordia indulgere videmur, cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenerint, contra nos ipsas causas dicturi sunt, dicentes : quod dum aut asperitatem linguæ eorum expavimus, aut falsa blandimenta et periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, nos eos dum illis inutilitatem indulgemus in peccatis permanere, aut ipsa peccata etiam augere permiserimus : nec recordantes illud quod in Veteri Testamento scriptum est : Quia per unum peccantem contra omnes ira Dei desæviit. O pietas! O misericordia! Uni parcere, et omnes per exemplum malum in discrimen adducere! Non ita suadet sanctus et beatissimus Cyprianus martyr dicens : Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat. Nec perimit delicta illi, sed fovet iterum, imperitus medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat; et absconditum in profundis secessibus virus, dum servat, exaggerat. Unde et sanctus Joannes Constantinopolitanus episcopus arguit dicens : *Imperitus medicus est qui indigesta putredine superducit vulneri cicatricem.*

Et ideo diligenter perpendite, si aut potest, aut debet fieri, aut tantorum, aut talium, quod supra memoravimus, sacerdotum canones contemnentes, aliter quod illa statuerunt observare vel agere præsumanus : præcipue tum illorum trecentorum decem et octo episcoporum, qui per omnes Ecclesias concilia fieri præceperunt, tam sancta decreta negleximus, non illos solos despicimus, sed et, sicut supra dictum est, et Africanos, et omnes reliquos qui ipsis ordinantibus per totum mundum per ecclesiasticam disciplinam aliquid statuerunt, cum peccato animæ nostræ contemnimus. Ego me in hoc periculo immittere non audeo, quia nec talia sunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere præsumam. Nec tantam eloquentiam habeo, ut ante tribunal Christi contra tantos ac tales sanctos sacerdotes, qui canones statuerunt, causas dicere possim. Videat unusquisque qualiter sentire vel observare disponit, qualiter possit in die judicii reddere rationem. Ego in quantum vires Deus dignatur dare, studere volo eorum

(a) Hanc ipsam epistolam iisdem fere verbis descriptam, si pauculas quasdam variantes exceperis, vulgavit Jacobus Petit in tom. I Pœnitential. Theodori Cantuar. inter excerpta canonum ex antiqua collectione cod. Herovalliani desumpta. Ibi vero inscriptionem hanc ferre testatur Petit : *Epistola Hormisdæ papæ in universas provincias*, quam tamen inscriptionem posteriore manu additam idem Petit fatetur. Animadvertisse etiam juvat Gratianeos canones 29 et 59, dist. 50, ex hac apocrypha epistola desumptos fuisse. Porro epistola apud Petit legenda nonnulla in exordio præfert, quæ in Canisiana desiderantur; incipit enim : *Si quis diaconus vel presbyter post acceptam benedictionem leviticam cum uxore sua incontinens invenitur, incontinens abjiciatur. Ecce manifestissime*, etc.

præceptionibus et obaudire: quia cum talibus non rixas, sed pacem ex qualicunque parte habere desidero. Et hoc diligenter attendendum est. Quod si secundum quod scriptum est, illi clerici qui ad uxores proprias redeunt, ab integro ab officio suspendantur. Quod si etiam dicam et internuptiarum mariti; qui utique rem licitam faciunt, clerici tamen ordinari non possunt: aut si ordinati fuerint, dejiciantur. De quibus sanctus Faustus episcopus in epistola sua dixit: *Perdit gratiam consecrati, qui ad officium vult exercitari mariti.* Cum hæc ita sint, qua conscientia quisque dicere poterit quod ille qui adulterium commiserit iterum ad honorem venire poterit? Hoc loco, si aliquis fuerit qui dicat: Ergo negas misericordiam Dei, qui dixit: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat;* et illud: *Nunquid qui cadit, non adjiciet ut resurgat;* et illud: *Peccator in quacunque die conversus fuerit, omnes iniquitates ejus oblivioni tradentur*? Sed ad hæc voce libera respondere, et possumus, et debemus. Absit nobis ut de istis sententiis videamur vel leviter dubitare. Diffinitissime enim credimus quod quisque ad finem vitæ suæ pœnitentiam egerit, non solum indulgentiam accipiet, sed etiam ad præmia æterna perveniet. Propter regulam tamen ecclesiasticam et propter antiquorum Patrum instituta, quod absit a nobis, aut reprehendere, aut discutere audiamus. Cumque credimus ad vitam æternam post beatam pœnitentiam venire, ad honorem clericatus secundum tantorum Patrum præcepta novimus non debere reverti, in tantum, ut in canonibus scriptum est, ne ullus unquam pœnitens clericus ordinetur. Et si ille qui ultro petit pœnitentiam, quamvis eam perfecte egit, non potest episcopus aut presbyter ordinari, ita ut etiamsi per ignorantiam ordinatus fuerit, et postea convincitur pœnitentiam accepisse, dejiciatur ille: qui invitus ad pœnitentiam agendam in monasterium mittitur, et utique quid aliud quam pœnitens dicendus est, qua conscientia ad sacerdotium pervenire permittitur? Nemo mihi alia quamlibet contra auctoritatem sedis apostolicæ, vel contra trecentorum decem et octo episcoporum præcepta, vel reliquorum canonum statuta objiciat: quia quidquid contra illorum diffinitionem in quibus Spiritum sanctum locutum esse credimus, dictum fuerit, recipere non solum temerarium, sed etiam periculosum esse, non dubito. Valde enim metuo et contremisco illam damnationem quam ille sacerdos propter stultam indulgentiam accipere meruit, qui pro eo quod filios suos nec negligenter castigavit, et eos nec cedere [F. cædere], excommunicare voluerit, ipsi filii una die occisi sunt, et xxx millia de populo interfecti sunt, et arca testamenti capta est, et ipse retro cadens fractis cervicibus mortuus est, et nomen ipsius de libro vitæ deletum est, etc. Contra Phinees, qui, pro eo quod, zelo Dei commotus, duos adulteros pariter interfecit, totum populum de Dei iracundia liberavit. Nec hoc ideo dico, ut, sicut ille fecit, etiam nunc per mortem corporum sacerdotes Domini debeant vindicare; sed quia melius est unusquisque parvo tempore, donec vivit in hoc mundo, verecundiam vel confusionem sustineat, quam postea ad supplicia æterna perveniat. Et multum ei utilius est propter aliorum exemplum, quandiu vivit, remotus ab honore pœnitentiam agat, et remedium sibi in die necessitatis acquirat. Quicunque parvitati meæ in hac causa voluerit onerosus existere, aliud responsum dare non delibero, nisi quod supradicti canones continere videntur.

* EPISTOLA PRIMA

JOANNIS PAPÆ I AD ZACHARIAM ARCHIEPISCOPUM.

De non accusandis episcopis.

Joannes urbis Romæ episcopus, Zachariæ archiepiscopo salutem.

Exigit dilectio tua, frater carissime, præceptum (*Zachar. epist.* 1) apostolicæ sedis, in quo Patrum decreta consentiunt, quod nec tibi, nec ulli recte viventium et credentium sacerdotum, negare fas esse credimus. Et licet tibi pro merito (*Innoc. epist.* 2) et honore sacerdotii, quo plurimum polles, vivendi et docendi ecclesiasticæ regulæ nota sint omnia (notæ sint per omnia), tamen quia Romanæ Ecclesiæ normam atque auctoritatem magnopere postulasti, scriptis tuis breviter respondere curavimus (non denegavimus). De occultis (*Prosperi sent.* 21) enim cordis alieni temere judicare iniquum est, et cum, cujus non videntur opera nisi bona, peccatum est ex suspicione reprehendere. Oves ergo, quæ pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi a recta fide exorbitaverit, debent, et nullatenus accusare possunt: quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt, quanquam recte reprehendenda videantur. Ideo ista dicimus, quia in scriptis vestris reperimus quosdam episcopos vestris in partibus a propriis ovibus accusatos, aliquos videlicet ex suspicione, et aliquos ex certa ratione, et idcirco quosdam suis esse rebus exspoliatos, quosdam vero a propria sede pulsos. Quos scias nec ad synodum comprovincialem, nec ad generalem, posse convocari, nec in aliquo dijudicari, antequam cuncta quæ eis ablata sunt legibus potestati eorum redintegrentur. Prius ergo oportet omnia illis legibus redintegrari, et Ecclesias quæ eis sublatæ sunt cum omni privilegio suo restitui, et postmodum non sub angusti (angusto) temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum exspoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad synodum convocentur, et ab omnibus quisque suæ provinciæ episcopis audiatur.

Nam nec convocari ad causam, nec dijudicari potest exspoliatus vel expulsus (*In decr. Ivo. lib.* IV), quia non est privilegium quo exspoliari possit jam nudatus. Unde et antiquitus decretum est: Omnes possessiones, et omnia sibi sublata, atque fructus cunctos ante litem contestatam (constitutam), ** perceptor vel primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur: Ille qui violentiam pertulit, universa in statu quo fuerant recipiat, et quæ possidet (possedit), securus teneat. Et alibi in synodalibus Patrum decretis, et regum edictis legitur statutum: Redintegranda sunt omnia exspoliatis vel ejectis episcopis præsentialiter ordinatione pontificum, et in eorum, unde abscesserunt, potestatem (dominium) funditus revocanda, quacunque conditione temporis, aut dolo, aut captivitate, aut virtute majorum, aut per quascunque injustas causas, res Ecclesiæ vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur ante accusationem, aut regularem ad synodum vocationem (convocationem) eorum, et reliqua. Est etiam in antiquis Ecclesiæ statutis decretum (*In decr. Ivo, lib.* IV); ut qui aliena invadit non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Unde et in Evangelio scriptum est: *Quod si aliquid defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc.* XIX). Et in legibus sæculi cautum habetur: Qui rem subripit alienam, illi cujus res direpta est in undecuplum quæ sublata sunt restituat. Et in lege divina legitur: *Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus, Amen* (*Deut.* XXVII).

Talia ergo non præsumantur absque ultione, nec exerceantur absque sua damnatione. Tu vero, frater carissime, hæc vide ne transgrediaris, et reliquos episcopos tam tuæ curæ commissos quam et alios firmiter tenere doceto, quia transgredi apostolica statuta absque transgressoris gradus periculo nullatenus possunt. Inimicis vero (*Verba concil.* V *sub Symmacho*) accusatoribus, vel de inimici dono [F. domo] prodeuntibus, seu qui cum inimicis morantur, non credatur:

* Hanc cum sequenti supposititiam multa evincunt.

** *Perceptos* legendum arbitror, non vero, ut habet c. Just., *præceptor*.

nec irati nocere cupiant, ne læsi se velint ulcisci. Hi quoque rejiciendi sunt, non approbandi. Hæc, carissime, tene, et prohibita semper cave. Illud adimplere stude, quod bene ad Jesum filium Sirach dictum est: *Usque ad mortem certa pro veritate, et semper Dominus Deus tuus pugnabit pro te* (*Eccl.* IV). Hujus ergo rei gratia vobis et nobis sancta commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboribus (laboremus) et cunctis opem ferre non negligamus: quoniam *dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet* (*Luc.* X). Ideoque tanta urgente necessitate, summopere vestra apostolicaque auctoritate, et reliquos episcopos oportet reprimere, infestos, relevare oppressos, ut absque gravi (Domino auxiliante) difficultate ipsi gratanter omni tempore sacrificare mereamur (mereantur) illæsi. Ad vos (*Ennodius in apol. pro eodem Symmacho*) quoque me reverti cogit propositi operis amica conditio, qui melioribus hactenus operam volui navare (opera volui narrare) sermonibus, dum talem rationem exigit toxicata necessitas. Mandati cœlestis habitatio nos aut miscet, aut separat. Nec interest quæ intervalla nos segregent, si una in supernæ mansionis (superna mansione) clave retinentur. Nec vobis tales nocere valebunt, si invicem adjutorium ferre non distuleritis. Inauditum autem genus sacrilegii est, quod mentitæ religionis honorem (honore) præfixi æmuli colorat. Dehonestat enim venerandi reverentiam nominis, qui adjutorem se in his quæ in Deum jactat commissa pollicetur. Contumeliæ genus est, quasi in solatio adesse sublimi (sublimis), juxta Apostolum: *Tu qui es, qui judicas alienum servum* (*Rom.* XIV)? Quid auribus imperitis illudunt, et graviorem vindictæ speciem faciunt esse quam culpæ? Si odium habent, excessibus emendent (emundent). Cur ergo liberius condemnant scelera quam vitant? Sui profecto impugnator est omnis qui Patres insequitur, aut detrahere non formidat. Nihil est enim in quo inimicorum tela, Domino opem ferente, superare non valeatis, si juxta veritatis vocem, *talem qualem Dominus præcepit habueritis dilectionem ad invicem* (*Joan.* XIII). Data XV calendas Novembris,[a] Maximo (anno Domini 523) et Olybrio (526) viris clarissimis consulibus.

[b] EPISTOLA II.

AD EPISCOPOS ITALIÆ.

De Theodorico rege, atque de fide catholica adversus Arianos defendenda, deque ecclesiis eorum sacro ritu consecrandis, et divino cultui reconciliandis.

Joannes episcopus omnibus per provincias Italiæ constitutis episcopis in Domino salutem.

Sæpissime multo (S. Leo, epist. 70) jam experimento didici sanctum pietatis vestræ studium circa religionem Christianam gloriosis crescere et dilatari augmentis, et fides recta, quæ non solum me, sed omnes Domini sacerdotes consolatur et roborat, vestris in mentibus et operibus per sacerdotale agnoscitur opus et dilatatur.

Quapropter, fratres, hortor vos et moneo, contra Arianam perfidiam, quæ olim non semel, sed sæpe damnata est, et modo in quibusdam reviviscit, armari gladio Spiritus sancti, ut eam ita (adminiculante divina gratia) opprimere et exstirpare valeamus, ut nec radix ejus in posterum inveniatur. Ecclesias vero Arianorum ubicunque inveneritis, catholicas eas divinis precibus et operibus absque ulla mora consecrate: quia et nos, quando fuimus Constantinopoli, tam pro religione catholica, quam et pro regis Theodorici causa et negotiis, suadente atque hortante, Arianosque exstirpante piissimo atque Christianissimo Justino orthodoxo imperatore, quascunque illis in partibus eorum * Ecclesias reperire potuimus catholicas eas Domino opem ferente consecravimus. Et quanquam prædictus Theodoricus rex, eorum peste tactus intrinsecus, et obvolutus extrinsecus, nos et omnem regionem nostram (vestrum) perdere, et gladio et igne consumere minetur, nolite tamen propterea deficere, sed viriliter in agro dominico elaborare studete, et (juxta Veritatis vocem) *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete, qui potest et animam et corpus mittere in gehennam* (*Matth.* X, 28). Et egregius gentium apostolus inquit: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum: quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex vobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, et non derelinquimur: dejicimur, et* (*sed*) *non perimus: semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum; et nos credimus, propter quod et loquimur: scientes quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit et constituet vobiscum. Omnia enim propter vos, ut gratia abundans per multas gratiarum actiones* (*multos in gratiarum actione*), *abundet in gloriam Dei. Propter quod non deficimus. Sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ videntur enim, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt* (*II Cor.* IV, 5-18). *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ex Deo ædificationem habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes, si tamen vestiti, et non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. Audentes igitur semper, et scientes quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino* (*per fidem enim ambulamus, et non per speciem*)*: audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Deum: et ideo contendimus, sive absentes, sive præsentes, placere ei. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus, spero autem et conscientiis vestris manifestos nos esse. Non iterum nos commendamus vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, et non in corde. Sive enim mente excidimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis. Caritas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omni-*

[a] Hæc consularis nota mendosa est, ut patebit ex iis quæ infra dicemus. Puto hanc referendam esse ad consulatum Maximi sine collega, qui incidit in annum Domini 523. SEV. BINIUS.

[b] Hanc epistolam Joannes pontifex, jussu Theodorici ab Urbe relegatus, scripsit ex carcere illo, in quo non multo post hæc tempora pædore fameque consumptus exspiravit. Hortatur episcopos Italiæ ut fidem catholicam contra Arianos defendant, ecclesiasque ab iis usurpatas sacro ritu catholicas reddant.

* Gregor. Turonensis eadem ferme habet c. 40 libri de Gloria martyrum.

bus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem jam novimus secundum carnem : et si agnovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis, verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso (*II Cor.* v, 1-21). *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam* A *offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti : quasi morientes, et ecce vivimus : ut castigati et non mortificati : quasi tristes, semper autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes : tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (*II Cor.* vi, 1-10). *De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, pacem habete, ut Deus pacis et dilectionis sit semper vobiscum. Amen* (*II Cor* xiii, 11, 13).

[a] Data iii idus Junii, [b] Maximo * et Olybrio viris cla- B rissimis consulibus.

[a] Erroneum est hoc et mendosum. Si enim vigesima septima Maii, ut habet Martyrol. Romanum, idem Joannes anno Domini 526, sub consulatu Olybrii mortuus esse ponitur, nequaquam sustineri potest, eumdem tertio idus Junii, eodem anno et sub eodem consulatu Olybrii, hanc epistolam scripsisse.

[b] Consulatus Maximi hoc loco superadditus est, adeoque expungendus : uterque enim diversis annis consulatum gesserunt : ille anno Christi 523, hic 526. Accedit quod neque iii idus Junii sub consulatu Maximi hanc epistolam datam esse concedi possit. Nam eo tempore Joannes nondum erat pontifex, qui mense Augusti ejusdem anni sedere cœpit. Dicendum ergo hanc epistolam scriptam esse tempore consulatus Olybrii absque collega anno Domini 526. Hinc patet cur supra dixerim epistolam præcedentem referendam esse ad consulatum Maximi sine collega.

Mendosa hæc quoque temporis annotatio, cum anno 526 die 27 Maii obierit Joannes.

EODEM TEMPORE.

TRIFOLIUS PRESBYTER.

NOTITIA.

(Ex Cave.)

Trifolius, dignitate presbyter, cujusnam vero loci quis nobis divinabit? Claruit anno 520. Quæsiverat ab eo Faustus, senator Romanus et prætorio præfectus, si quid in scriptis Patrum de doctrina Scytharum monachorum reperiri posset. Fausto respondit per epistolam Trifolius, qua ex quatuor concilio- C rum generalium decretis contra Joannem Scytham, ejusque monachos qui Romam nuper advenerant, agit. Hanc epistolam in fine quidem mutilam, ex schedis Sirmondianis eruit Labbeus, et in lucem emisit Concil. tom. IV, pag. 1540.

TRIFOLII PRESBYTERI
EPISTOLA
AD BEATUM FAUSTUM * SENATOREM
CONTRA JOHANNEM SCYTHAM MONACHUM.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Qui Dioscori diaconi missam ad Romanum papam Hormisdam ab urbe CP. relationem de monachis Scythis, qui unum de Trinitate passum et crucifixum affirmabant, itemque Germani et Joannis episcoporum sequentes suggestionem, tum Horsmisdæ papæ 66 aliasque multas deinceps ejusdem eam in rem epistolas attente perpenderit, is haud dubie non invitus leget ineditam hactenus Trifolii presbyteri de eodem argumento epistolam ad Faustum senatorem, quam inter schedas Sirmondi nostri delitescentem D reperi, tibique nunc, lector, repræsento, ut de tota hac controversia certius judicium feras.

Mandare mihi dignatus es monachos Scythas a Constantinopoli advenisse, qui unum de Trinitate prædicant crucifixum, sperans a parvitate mea, si tale aliquid in doctrina Patrum repererim. Ista doctrina de fonte Arii prodivit, et est conveniens omnibus hæresibus. Vita quidquid quatuor synodi in definitione fidei non posuerunt, id est Nicæna, Con-

* Is videtur Faustus ad quem præf. prætorio exstant plures epistolæ apud Cassiodorum, lib. vi Variarum.

stantinopolitana, Ephesina prima, et Chalcedonensis et quod in epistolis sanctorum Patrum, quas quatuor sanctæ synodi in auctoritate fidei esse voluerunt, id est Athanasii episcopi Alexandrini ad Epictetum episcopum, Cyrilli ad Nestorium una, et ad Joannem Antiochenum altera, et epistolis papæ Leonis. Si quis addere, aut minuere, aut aliter interpretari voluerit, quam Patres in supra scriptis, aut in definitione sua non posuerunt synodi, quivis ille sit qui superponit, hæreticus est. Nam Pater et Filius et Spiritus sanctus tres personæ, unus Deus, vox et verbum et flatus. Vox Pater est, verbum Filius, flatus est Spiritus sanctus. Persona Patris et persona sancti Spiritus sine carne : persona vero Filii, quæ semper cum Patre et Spiritu sancto fuit, in Trinitate est, id est Verbum Dei. Deus ingressus in utero Virginis Mariæ assumpsit de ea naturam carnis, non personam. Ideo quod Dominus noster Jesus Christus duæ naturæ, una persona Verbum, id est Filius Dei Deus immortalis, invisibilis, impassibilis. Caro istius verbi mortalis, visibilis, passibilis. Pater non est Pater Trinitatis, sed Filii, et Filius non est Trinitatis, sed Patris, et Spiritus sanctus non procedit de Trinitate, sed de Patre et Filio. Non sunt tres Dii, neque tres Patres, neque tres Filii, neque tres Spiritus sancti. Qui unum de Trinitate dicunt passum, si Ariani non sunt, dicant de quibus tribus unus passus est. De tribus Patribus, aut de tribus Filiis, aut de tribus Spiritibus sanctis, aut certe de tribus Diis, sicut dicit Arius. Unus Deus creator, impassibilis, immortalis. Alter vero Deus creatus, passibilis, et mortalis, aut sicut Sabellius dicit, quia tres personas esse negat, sed tantum dici putat. Ideo unum de Trinitate Patrem dixit incarnatum et passum. Apollinaris vero negat Christum animam et intellectum habuisse et pro anima et intellectu, inquit, Deus ei fuit. Ideo dicit unum de Trinitate passum in carne, Si unus de Trinitate passus est in carne, caro mansit impassibilis : qui unum de Trinitate Filium dicunt passum, duos aut tres Filios colunt, ex quibus unus passus est, duo manent impassibiles. Si vero de Trinitate est Filius, non est de Patre secundum deitatem, neque de matre secundum carnem, sed de Trinitate Trinitas, et unus de Trinitate quatuor fiunt, sicut dicit Nestorius, Filius Mariæ associatus est Filio Dei, et factus est communis Trinitati, et passus est unus de Trinitate. Arius unum Deum dividit in duos Deos. Nestorius addendo alterum Filium secundum carnem Trinitati, facit quatuor personas. Eutyches duas naturas unici Filii Dei commiscet, sicut pistor farinam et aquam; jam nec farinam nec aquam, sed tertium id est panem. Sicut et Eutyches commiscet naturas Dei et hominis, et jam nec Deus, nec homo, nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus est, sed est ille unus de Trinitate. Quomodo isti synodum Chalcedonensem se dicunt sequi, et prædicant quæ illi non receperunt! Nam in quarto secretario synodi Chalcedonensis ad finem requisiti sunt a judicibus Carosus et Dorotheus archimandritæ taliter : *Eutyches corpus Domini nostri Jesu Christi dixit non esse nostræ substantiæ, vos de hoc quomodo confitemini? Dorotheus archimandrita dixit, in nomine Patris et Spiritus sancti baptizati sumus, confitentes Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui descendit et incarnatus est a sancta Virgine Maria et hominem indutus est, et crucifixus, unum de Trinitate esse passum.* Talia dicentes suprascripti archimandritæ acceperunt damnationem cum Eutychete, et omnes hæretici. In epistola, inquiunt, Procli scriptum est, unus de Trinitate passus est. Si epistolas Patrum Athanasii, Cyrilli, et Leonis, quæ per universales sanctas synodos relectæ et confirmatæ sunt, hæretici fraudaverunt, quanto magis epistolas Procli quæ nec in unius synodi definitione posita est? Semper hæretici male interpretando dicta Patrum hæreses suas confirmare conantur, sicut dicit S. Cyrillus episcopus Alexandrinus ad Joannem Antiochenum inter alia : *Quando autem quidam eorum qui recta pervertere solent, meas voces in sibimet placitum mutant, non admiretur hoc tua sanctitas, sciens quoniam omnes hæretici de Scripturis divinitus inspiratis sui colligant erroris occasiones.* Et post pauca : *Quoniam vero adjicimus quod epistolam opinabilis patris nostri Athanasii, ad beatissimum Epictetum destinatam, recte habentem corrumpentes quidam ediderunt, ut per hoc plurimi nocerentur.* Item papa Leo ad Marcianum imperatorem (*Epist*, 75), inter alia : *Quia vero quorumdam hæreticorum versuta nequitia, ad conturbandam nostrorum simplicitatem, epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum dedi, falsasse perhibetur, ut commutatis quibusdam verbis vel syllabis, receptorem me Nestoriani erroris assereret.* Si quid tale in dictis sanctorum Patrum invenitur, quod non convenit sanctis epistolis, aut definitioni synodi Chalcedonensis, apparet illud ab hæreticis fraudatum esse. Iniquitas semper dicitur, et nunquam cedit. Quid est dicere unum de Trinitate passum, nisi ostendere et alterum de Trinitate impassibilem, sicut Arius ? aut quid est dicere unum de Trinitate passum carne, nisi ostendere et alterum impassibilem, sicut Nestorius? Sedes vero apostolica Romana super fidem synodi Chalcedonensis nunquam permisit unam syllabam aut unum apicem addi aut minui. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam. Suprascripta fides synodi ipsa est quæ convenit Evangelio et apostolis, dicente Salvatore : *Sic oportebat Christum pati et resurgere secundum Scripturas* (*Luc.* XXIV, 46). Ait Petrus apostolus : *Christo igitur passo carne, et vos igitur eadem cogitatione armamini* (*I Pet.* IV, 1). Paulus apostolus dicit : *Nos Christum prædicamus et hunc crucifixum* (*I Cor.* I, 19). Et iterum dicit : *Quicunque vobis aliud prædicaverit præter quod a nobis prædicatum est, anathema sit......* Cætera videntur in ms. desiderari.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI

AD ANN. CHRISTI 533, NUM. 4.

Cum propositio hæc, *Unus de Trinitate passus carne*, in varios sensus distrahi possit, de quibus agit Lupus in notis ad synodum Ephesinam, inde ob eamdem tot tragœdiæ excitatæ. Trifolius presbyter in epistola ad Faustum senatorem, eam sinistro prorsus interpretamento [illegible], aitque : *Ista doctrina de fonte Arii prodivit, et est conveniens omnibus hæresibus*, etc. Verum is error presbytero isti condonan-

dus, qui a Fausto senatore de hac propositione interrogatus per epistolam, nec certior factus de fide et doctrina Scytharum monachorum : sed de turbis duntaxat ab ipsis Constantinopoli et Romæ excitatis, facile sibi persuasit eos propositionem illam hæretico sensu asserere, maxime cum et legatos Hormisdæ pontificis Romani adversarios haberent, et ipsummet pontificem. Præterea nec ipsa propositio Scytharum A fideliter ad Trifolium relata est, ut liquet ex epistolæ ejus initio. Quæsivit enim ab eo Faustus senator, quid de illa propositione sentiret : *Unus de Trinitate crucifixus est* : et tamen propositio monachorum Scytharum hæc erat : *Unus de Trinitate crucifixus est carne.* Omnia Trifolii dubia resolvit Natalis Alex. in Diss. sæculi sexti Ecclesiæ, diss. 1.

ANNO DOMINI DXXV.

ELPIS UXOR BOETII.

HYMNI
IN HONOREM SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI

HYMNUS I.

Decora lux æternitatis auream
Diem beatis irrigavit ignibus,
Apostolorum quæ coronat Principes,
Reisque in astra liberam pandit viam.
Mundi magister, atque cœli Janitor,
Romæ Parentes, Arbitrique Gentium,
Per ensis Ille, Hic per Crucis victor necem
Vitæ Senatum laureati possident.
O Roma felix, quæ duorum Principum
Es consecrata glorioso sanguine :
Horum cruore purpurata, ceteras
Excellis orbis una pulchritudines.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate, quæ gubernat omnia,
Per universa sæculorum sæcula. Amen.

HYMNUS II.

Beate Pastor Petre, clemens accipe
Voces precantum, criminumque vincula
Verbo resolve, cui potestas tradita
Aperire terris cœlum, apertum claudere.
Egregie doctor, Paule, mores instrue,
Et nostra tecum pectora in cœlum trahe :
Velata dum meridiem cernat Fides,
Et solis instar sola regnet Charitas.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate, quæ gubernat omnia
Per universa æternitatis sæcula. Amen.

ANNIS DOMINI CCCCLXXV-DXXV.

A. M. SEV. BOETIUS
SENATOR.

PROLEGOMENA GENERALIA.

IN DIVI ANICII MANLII SEVERINI BOETII OPERA,

AD MAGNIFICUM VIRUM D. ANTONIUM FUGGERUM,

INVICTISSIMORUM IMP. CAROLI ET CÆSAR. FERDINANDI FRATRUM A CONSILIO,

HENRICI LORITI GLAREANI.

PRÆFATIO.

Cum in celeberrimum ac eruditissimum hunc auctorem præfari vellem, generose D. Antoni, multa sane mihi vel antequam in manus ipsum desumpsissem, perpendenda, ac lynceis (ut dicitur) oculis conspicienda occurrebant, quippe quem sciam ab aliquot jam annis a multis male audire, nec dignum qui inter classicos numeretur scriptores. Aliis scilicet dictio non placet, phrasin aiunt duram, stylum diversum. Alii eruditionem nimis proletariam culpant, quædam etiam ambigua, ac vix doctis auribus digna. Quibus omnibus respondere, certe difficile videtur. Porro quoties a doctissimis nonnunquam de eo judicium inquireremus, dii boni quam sæpe in mentem venit illud Flacci ;

Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.

Laurentius Valla, argutissimus linguæ Latinæ judex, Boetium eruditorum ultimum nominare non dubitavit, nimis, quantum ego judico, propensus in ejus viri reprehensionem. Vallam quidem exagitatum eo quo vixit tempore existimo ab iniquis tum judicibus, qui Boetium nulla alia ratione magnum judicabant, quam quod proxime

ad sophisticen, qua illi excellebant, accedebat. Ut verum sit, quod vulgo dicitur, Tantum quisque probat, quantum se assequi putat. Accedit etiam hoc cur magis hic auctor, aliis eximiis auctoribus prope exsulantibus, in barbarorum manibus hæserit, quod tanta docet diligentia, ut nimia ejus in docendo sedulitas propemodum lectori, paululum fastidioso, sit tædio. Idque in philosophicis potissimum, et in mathematicis. Eam tamen sedulitatem in musicis rei difficultas ita vicit, ut ibi intactus multis annis fuerit, donec veniret nunquam satis laudatus vir Franchinus Lauden., qui in eo illustrando magnum operæ pretium fecit. Fuit hercle ante annos aliquot ut multi, qui Musicen profiterentur, non dubitarent palam dicere impossibile esse quemquam Boetii Musicen intelligere, quod insignis quidam Phonascus Coloniæ Agrippinæ ante annos 30, cum ibi philosophiæ operam navarem, mihi objecit. Quod ei ita visum, quoniam præter cantuum usum, nihil alioqui, quod ad ejus disciplinæ majestatem attinet, habebat. Et qui tales sunt, majore per Jovem supercilio nonnunquam de auctoribus judicant, quam qui sunt eximie docti, quod proh dolor! non in hac tantum contingit scientia, sed passim in aliis, maxime hac nostra tempestate. Sed ad auctorem ipsum redeo. Scripsit multa hic quorum copiose meminit Trithemius abbas. Quæ hodie quidem exstant logica et mathematica, ea præcipua puto, nec phrasi diversa, nec stylo dissidentia, ut liceat haud obscure videre ea omnia ex una exisse officina, utraque docta, erudita, ac doctrinæ fidelissimæ. De quibus logica, quod multi de iis varia prodiderint, indicta ac intacta relinquimus. Mathematica vero, quæ ille nobis reliquit, omni encomio celebranda videntur, sunt enim multo dignissima. E quibus duo illi eruditissimi de Arithmetica libri principem locum merito tenent, absolutum omnino opus, quantum ad theoricen attinet, cui nihil demi, nihil addi potest, omni parte teres ac rotundum. Quamquam Georgius Valla in portentoso illo volumine de rebus fugiendis et expetendis, ex Martiano Capella, memorabile quiddam (si diis placet) adjicere visus sit. Sed ille idem Georgius cum reconditiora omnia in arithmeticis ex hoc auctore habuisset, ne semel quidem eum cum dignitate nominare voluit. De musicis idem dico. Ibi enimvero habuit Guillielmos, Bryennios, et nescio quas alios auctores, non admodum celebres, Boetius in merita nomenclatura locum apud eum non habuit, cum quidquid solidæ eruditionis in musicis Geor. Valla prodit, acceptum Boetio debuit, reliqua collectanea sunt inania, nec cœlum, nec terram attingentia, in utroque tamen quæsita, jucunda magis quam necessaria subtilitate, ut Plinius de siderum musica prodidit. Quidquid hic noster auctor in arithmeticis ac musicis protulit, id in totum solidum est, ac discussum, fundatumque ex intimis matheseos principiis, inconcussumque in sæcula manebit,

Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Quintus tamen liber de Musicis mihi quidem non videtur absolutus, tametsi scio aliter visum eximio viro Julio Martiano Rotæ, qui nuper in hunc auctorem præfatus est. Quicum mihi pleraque de hoc auctore conveniunt. De duobus tantummodo voluminibus magna dubitatio videtur, nec adhuc plane apud me discussa, quantumvis mecum lucter, omnem moveam lapidem, rationes omnes mecum mutem, versem, volvam, ignorans

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo.

Ut est apud eumdem Flaccum. Nam si id opus de duabus Christi Servatoris nostri naturis, ac idem de sanctissima Trinitate ejus sunt, ut titulus præfert, nec stylus repugnat, qui factum est ut in opere illo de philosophiæ Consolatione, quod ultimum ejus existimant, cum toties occasio esset, ne semel quidem Christi mentio fiat? Erat in carcere optimus ille vir, dubius de vita. Tyrannus truculentus imminebat, tractabat de divina providentia negotium arduum. Ibi de hujus sæculi malitia, de fortunæ instabilitate, de malorum hominum in hoc mundo imperio, per totum opus conquestus. Et scilicet, non erat in his Christus, homini tam docto, viro tam honorato ac pio vel semel nominandus? Christus, inquam, omnis patientiæ exemplum, longe majores injurias ab inimicis passus. Deus, Dominus, Creator a creatura cruci affixus, non erat ille, inquam, in hoc tam splendido, ut videri volunt, opere nominandus? Ego igitur, ut ingenue fatear id quod res est (etsi scio quam magnam mihi moveam hac opinione invidiam, et plus quam Camarinam, dicendum tamen est, quod animo sedet meo), mihi quidem magis philosophicum opus videtur quam Christianum, nec tamen indignum quod a Christiano homine legatur, sed indignum ut ab eo scriptum credatur, qui ipsi Christo dato in sacro baptismate nomine, ipsum antescriptis professus. Nec ob ipsius professionem (non aliæ numerantur captivitatis causæ) in carcerem detrusus, ne semel quidem Christi faciat mentionem. Non exaggerabo pro dignitate negotium, satis est lectori indicasse quid me potissimum moveat. Sed enim de stylo, quam is quadret cum aliis Boetii præfationibus, judicium aliorum esto. Multis sane (e quorum numero me facile dixero) prosa illa cum carmine non unius hominis esse videntur, longe majorem gratiam habet carmen quam jejuna illa prosa. Quod simul atque quis secum diligentius perpenderit, videbit me non temere opinatum esse. At quid dicemus de tot ante nos doctorum virorum judicio? Quis unquam ea de re dubitavit? omnesne cæcutierunt? Non aio. Quid tum? Non cogitarunt, inquam. Si cogitassent, si judicassent, si discussissent, melius nobis ea æstimare potuissent: sed non venit in mentem, aliis occupatis cogitatibus. Quemadmodum et nostra ætate, nemo paulo eruditioris judicii homo, eruditissimos absolutissimosque illos Rhetorices ad Herennium libros Ciceronis existimabit, sed alterius cujuspiam docti viri ea tempestate, quæ maxime tunc magnis ingeniis floruit. Atqui Laurentius Valla, Angelusque Politianus, eloquentiæ Romanæ lumina, ac exactissimi judicii duo viri ubique, ut Ciceronis, allegant. Non erat, inquis, illis nasus? erat utique, sed non cogitarunt, alioqui ex styli diversitate, ac ex multis aliis argumentis colligere facile poterant non esse ea Ciceronis, quamvis et docta et pura et elaborata, quamvis inveterata hominum opinio reclamet, denique quantumvis et Georgius Valla et Antonius Mancinellus et quidam alii luctati sint, ut id hominibus persuaderent, omnes id lucrati, ut apud eruditiores vel stupidi vel per-

tinaces dici mereantur. Sed ad philosophiæ consolationem illam redeundum. Si Musas recte meretriculas vocat philosophia, ut sophistæ garriunt, quod nihil solidæ consolationis, nihil medicinæ afflicto afferant animo, sed ipsa sit vera ejus medela, quidni et nos, quibus Christus veram fidem fecit, ridebimus vicissim jejunam illam philosophiam, καὶ εἰς Κόρακας hinc facere jubebimus, quæ in hoc mundo felicitatem tot philosophis mentita, tanto fortius deceptis hominibus, quanto matrona adultera fortius meretricula fallit, infirmo Boetio adesse ab nescio quo ficta initio hujus operis. Nihil enim plus firmatatis habet philosophia, quam Musæ, ut criticis placet, meretriculæ, gentili homini elegans, Christiano ridiculum inventum. Atqui si quæras quem auctorem ejus operis putem, haud facile dixerim ; conjectura tamen haud exigua colligimus, fuisse aliquem non indoctum, aut aliquos potius doctos, qui in gratiam optimi viri hujusmodi lamentationem instituerint, velut funebre solatium injuste cæso. Nam Boetium haudquaquam tam stupidum fuisse putandum est, cum in carcere detineretur, ut tyrannicæ injuriæ meminisse tam inportune voluerit. Verum de hoc opere plus qaam satis. Egregie vero impudens fuisse videtur, quisquis de disciplina scholastica sub hujus auctoris titulo librum emisit, stultiores autem qui Boetii opus credidere. Geometriam inceperitne cum juvenis esset, ut quibusdam visum est, ac omiserit, alio detentus studio, an senex post Arithmetices ac Musicos libros non perfecerit, haud equidem scire possum. Certum est eam ad nos absolutam non pervenisse. Sed nunc de typographo ac operis castigatione dicendum.

Joannes Waldner Tigurinus, vir de optimis auctoribus cum Latinis, tum Græcis, cum rei etiam familiaris factura summe meritus. Boetii opera ante aliquot annos excudere prelo suo orsus, morte præventus tam pium opus perficere nequivit, idem tamen occasionem dedit Henrico Petri, summo amico nostro, et de bonis litteris non minus merito, ac quotidie bene merenti : qui omissum, Parcarum invidia, opus feliciter perficit, adjutores nactus tum vivos doctores, tum mutos, hoc est et eximii judicii viros, et veteres codices. Adfuit enim huic editioni D. Seb. Munsterus ad hujusmodi honesta negotia natus, infatigabili cura ac diligentia. Codex etiam pervetustus ex Dei Opt. Max. munere obtigit nobis, quem habuit reverendus in Christo pater ac dominus D. Joannes Kern abbas cœnobii Divi Georgii in Hercynia sylva. Qui pro suo in sacras litteras et optimos auctores amore, hunc codicem mittere per multa milliaria non dubitavit. Ex quo codice multa in Musicis restituta sunt. Adfuit et D. D. Bonifacii Amorbachii codex ex bibliotheca ipsius, qua vix est in tota Germania instructior altera. Nec defuit meus codex, multis notatus locis. Hoc lectorem scire volui, ne temere præcipitatum opus crederet, quemadmodum nostra ætate fieri solet ab pecuniæ potius aucupibus quam solidæ gloriæ petitoribus. Hocce igitur opus, magnifice D. Antoni, sub nominis tui patrocinio in lucem ire voluimus, quem constat de honestis disciplinis, nec minus de disciplinarum professoribus ita meritum, ut vix alium hac ætate liceat justius, et suo merito, sæculi hujus Mecænatem vocare. Quod testimonium præter cæteros multos eximios viros locupletissimum duo mihi eruditissimi ac nobis amicissimi viri dedere, D. Otmarus Luceinius, jam fato feliciter functus, et D. Christophorus Seld. reip. Augustanæ advocatus, uterque a te amatus, adjutus, evectus. Tua benignitas audaciam meam boni consulat. Friburgi Brisgoæ anno a Jesu Christi natali 1546 calendis Martiis.

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Jul. Martianus Rota Georgio Cornelio pontifici Tarvisino designato, salutem.

Primum rebus in omnibus semper fuit novi aliquid promere, secundum, ubi consequi illud nequeas, ab aliis deprompta meliora reddere, utrumque tibi præstare, pontifex Corneli, cum vellem, diversas bibliothecas excutere cœpi, sperans me et hoc et illud effecturum. Sed alterum quidem assequi nimine potui, libros enim quos in physicas auscultationes Severius emisit, quamvis eos exstare non pauci sciant, deprendere tamen adhuc non valui. Alterum autem abunde, puto, consecutus sum, nam meliora quam fuerant hactenus impressa multo reddidimus ejus commentaria, quæ partim varia transcriptione labefacta stabiliri, partim longa vestutate collapsa reparari multis in locis desiderabant. Neque vero quisquam a nobis hanc provinciam frustra susceptam opinetur, fuit enim Boetius non solum magna facundia vir et eruditione singulari, verum etiam juvandi plurimos incredibili studio tenebatur, atque ideo cum Barbaros armis ab Italia prohibere consul non posset, barbariem ab Europa disciplinis ejicere doctus non dubitavit. Aristotelem enim dialecticæ et utriusque philosophiæ, hoc est humanæ felicitatis, magistrum, primus et Latinitate donavit et exposuit, id quod Lucii Syllæ dignitatem non æquavit modo, sed plurimum etiam excelluit, opibus enim et potentia fretus Cornelius Sylla, inventos Athenis Aristotelis libros Romam portavit. Eloquentiæ et eruditioni fidens Manlius Severinus eosdem e Græco sermone in Romanam linguam transtulit, et ex obscuris adeo ut vix a paucis intelligerentur, cuivis mediocriter erudito pervios luculentis expositionibus effecit. Quæ utilitas non tantum illius ætatis homines plurimum juvit, sed ad posteros quoque redundans in nos usque pervenit. Hanc ejus egregiam animi voluntatem cum inter legendum animadvertissem, libuit mihi quædam ad ipsius cognitionem pertinentia in unum colligere, ut et illi quamvis mortuo gratiam, si possem, aliquam referrem, et tibi sapientiæ callem acrius insistenti, multis e floribus coronam darem, neque enim arbitror ingratum tibi fuerit eum tanquam de facie noscere, per quem in dies magis ac magis proficis, et ejus opera legendo mirum in modum delectaris. Quod tamen dum facio, me velim nullus existimet complures nostri temporis homines imitaturum, qui partim omnia in majus tollunt, partim quædam, ac si redargui nequeant, comminiscuntur : horum neutrum in præsentia facturum me recipio, quamvis probe intelligam non esse facile suæ quoque tempestatis facta

describere, nedum ullius qui mille abhinc annis vita decesserit, in tanto præsertim scriptorum illius et succedentis ævi silentio, qui ne publica quidem litteris commiserunt. Quamobrem a nobis plura nullus exspectet quam ex ejus aliorumve libris cognosci potuerunt, aut evidenti conjectura saltem comprendi. Ex tu, Georgi nobilissime, qualiacunque in unum opus redacta, libenti, sicut omnia mea soles, animo percurre, et quam pridem nondum satis expolitam asportaras, nunc denique perfectam Boetii historiam accipe.

Anicius Severinus Boetius, Romanus, et nobilitate majorum et animi dotibus clarus, in ea tempora incidit quibus Italia a barbaris oppressa tenebatur. Natus est enim non ita multis post annis quam ab Alarico Roma caperetur. Floruitque Theodorici regis tempestate. Theodoricus hic a Zenone cum ingentibus copiis missus, ereptam Odavacri Italiam sibi vindicaverat, Ravennæque regni sede locata, cuncta pro libidine administrabat; quod videns Boetius honestis disciplinis animum applicuit, id sibi tantum superesse intelligens quod homine libero dignum foret. Eruditus itaque Græcis et Latinis litteris ab adolescentia cum esset, quædam primum ex Euclide transtulit, atque ita transtulit, ut et dimitiendi rationes, et alia quædam de suo adjungeret, ac quod nondum Aristotelis ætate repertum fuerat æquale circulo quadratum astruere docuerit. Arithmeticam postea, Nicomachum, non ut interpres, secutus, sed suo usus judicio, Latinis verbis reddidit. Et inde musicam perplexam et involutam disciplinam ex optimis quibusque collegit, qua in re Aristoxenis copiam, et Pythagoræ judicium expressit. Exstat Theodorici regis ad Boetium epistola, quæ et Ptolemei Syntaxin, et Archimedis Mechanicen ab eo Latinitate donatam affirmat. Verum præludia hæc fuisse crediderim eorum quæ vir tantus mente agitabat. Philosophiam enim Latinis litteris illustrare constituerat, non ut Varro stoicam, nec ut Tullius academicam, sed eam quæ cæteras obscuravit ab Aristotele invectam, et a tot præstantibus ingenio viris, ætate tam longra celebratam. Id ipse his verbis significat: Ego omne Aristotelis opus quodcunque in manus venerit, in Romanum stylum vertens, eorum omnium commenta Latina oratione prescribam, ut si quid ex logicæ artis subtilitate, et ex moralis gravitate peritiæ, et ex naturalis acumine veritatis ab Aristotele perscriptum est, ad omne ordinatum transferam, atque id quodam lumine commentationis illustrem. Igitur Porphyrium, quem Victorinus Afer compendio transtulerat, explanavit, et eumdem a se mox interpretatum novis rursum expositionibus illustravit. Prædicamentis manum admoverat, cum ecce consul Romæ creatur, hoc ipse suis verbis significat: Etsi nos curæ officii consularis impediunt, quo minus in his studiis omne otium plenamque operam consumimus pertinere tamen videtur ad aliquam reipublicæ curam, elucubratæ rei doctrina cives instruere. Nec male de civibus meis merear, si, cum prisca hominum virtus urbium cæterarum ad hanc unam rempublicam imperium transtulerit, ego. ad id saltem quod reliquum est, Græcæ sapientiæ artibus mores nostræ civitatis instruxero. Quare ne hoc quidem ipsum consulis vocat officio, cum Romani moris semper fuerit, quod ubicunque gentium pulcherrimum esset atque laudabile, id magis ac magis imitatione honestare. Hæc ille : ex quibus illud etiam falsum esse convincitur quod aliqui memoriæ prodiderunt, Boetium omnia, non pleraque, relegatum scripsisse. Ad consulatum autem juvenis pervenit favore principum civitatis. Puerum enim a patre relictum curandum susceperant, quod et antiqua Manlii Torquati familia prognatum scirent, et novam Anicii proavi indolem perspectam in ipso haberent. Primo ejus consulatu rex Hunnorum et Italiæ Odovacer Phæba, Rugorum duce victo captoque, potitus est, sicuti Cassiodorus tradit, qui bis solum, cum Symmacho semel, ipsum in consulibus nominat. Non solum autem dignitatem hanc ipse adeptus est, sed duos etiam filios suos, quod nunquam antea contigerat, consules eodem tempore vidit, Patricium et Hypatium. Anno illo Boetius in curia Theodoricum tum primum Romam accersitum, S. P. Q. R. nomine, magna facundia laudavit et in circo duorum consulum medius triumphale convivium multitudini exhibuit. Collegam in ultimo consulatu Symmachum socerum habuit, cum quo magistratum ita gessit, ut commune bonum privatis amicitiis præferret. Accidit ut Paulini consularis opes regii satellites appeterent. Hominem ingenue tutatus est. Albinum falso Cyprianus accusavit, innocentem consularem virum ostendit. Acerba fames Campaniam urgebat, et acerbiorem coemptionem tyranni procuratores indixerant, eam exigi consul non sustinuit. Triguillam quoque regiæ domus præpositum multoties ab injuria dejecit, et Conigastum fortunas optimi cujusque insectantem compescuit. Hisce rebus factum est ut regis indignationem incurrerat, perditorumque delationibus in exsilium pelleretur. Accusationis summa hæc fuit; quod senatum læsæ majestatis accusaturum prohibuerit; quod ad Anastasium imperatorem litteras miserit de recuperanda libertate. Delatores perditis moribus homines tres exstiterunt, Gaudentius et Opilio tunc ob innumeras fraudes exsilio damnati, Basiliusque pridem a procuratione domus regiæ dejectus obæratusque plurimum. Purgasset facile Severinus objecta crimina, si coram delatores arguendi facultas sibi a Theodorico data fuisset. Sed vel iratus oblatam sibi ultionis occasionem amittere, vel improbus a se excitatam calumniam dissolvere noluit. Absens itaque vir et innocens et grandis natu Boetius malorum conspiratione relegatus est, nec a bonis in patria retentus, Ticinum secessit, urbem in Insubribus positam, et sibi a tyranno præscriptam, in quam simul atque venit, quo posteris etiam innocentiam suam cognitam faceret, pulcherrimum illud de Consolatione volumen, Ciceronem imitatus, conscripsit. Nam sicut ille quo filiæ desiderium levaret, de animorum immortalitate disceptans Tulliam supervivere monstrat, ita Severinus de falso et vero bono, deque providentia disputat, et omnia voluntate divina mortalibus evenire declarat. Verum in eo opere Cicero carmen non attigit. Boetius utramque orationem admiscet atque ita admiscet ut facile unicuique ostendat ingenium sibi quidquid tentasset nunquam defuisse. Sed quid naturali philosophia difficilius? quid dialectica spinosius? At utrumque disciplinam sic oratione sua pervagatus est, ut abdi-

tissima quæque cuivis prompta reddiderit. Neque vero selectum unum aliquod argumentum oratione consectatus est, sed philosophiæ penetralia ingressus, ea Latinis hominibus primus reseravit, quæ princeps Aristoteles de industria pluribus occultaverat. Qua in re optimos quosque consuluit, Theophrastum dico, Eudemum, Andronicum, Aspasium, Herminum, Alexandrum, Syrianum, Porphyrium, Themistium, de quorum sententiis, tanquam honorarius arbiter, dijudicat. Attestatur hoc expositio in librum Aristotelis de Enuntiatione tam prima duobus quam secunda sex libris absoluta, in quorum tertio cum de tribus contingentium modis se melius scripsisse dicat in libris physicis, suspicandum reliquit se naturalem quoque philosophiam enucleasse, verum hactenus tam hi desiderantur commentarii, licet fuerint Tarvisium hinc nuper asportati, quam illi quos in Analyticen et Topicen emisit. Siquidem et hos ipse citat, et in topicam Ciceronis septem libros a se confectos profitetur, opus varium, difficile, eruditum, nec a quoquam antea quam a Victorino frustra tentatum. Platonis dialogos ipse Latinos facturum se recepit, factos Cassiodorus asseverat, mirarer quomodo tanta præstare potuerit, nisi divina illa in librum Aristotelis de Interpretatione commentaria biennio scirem ab eo confecta, quod tempus vix evolvendis tot expositoribus satis fuisse videtur, nedum eorum sententiis plerumque controversis et dijudicandis, et eligendis, et accommodandis. Inter Peripateticos enim celebris est ferme nullus qui in hunc librum non scripserit, quod et magnopere quidem necessarius sit, et multa doctrina refertus, sed acumine sententiarum et verborum brevitate perobscurus; commentabatur autem hæc quo tempore Theodoricus superatis Alpibus Clodoveium socerum Francorum regem ingenti prælio profligavit. Cæterum Severinus non tantum in interpretando et exponendo Aristotele versatus est, sed pleraque etiam ipse veluti procreavit, horum in numero, sunt pulcherrimi illi quatuor de Differentiis topicis libri quibus dialecticos locos a rhetoricis dirimit, et totidem alii de utroque syllogismo, item de divisione et definitione singuli. Nam qui ad syllogismos categoricos introductorius inscribitur, titulum subornatum habet, cum libri Aristotelis de Enuntiatione, vel breviarium sit, ut ipse appellat, vel certe idem quod primus de categoricis syllogismis. Opus quoque de scholastica disciplina, non titulum modo, sed et elocutionem et inventionem mentitur, aliter enim Boetius scripsisset, si ea de re scribere voluisset. Sed ipsum mittamus, ac de hebdomadibus aliquid potius in medium afferamus. Sunt autem hebdomades opera septem partibus distributa, sicuti decem libris decades, et novem enneades. Hebdomadas Varro primus inscripsit, deinde hic ipse, ex quibus libellus de substantiæ bono, et alius de unitate et uno sumptus est, reliqua aut edita non sunt, quod ea sibi, ut significare videtur, commentatus esset, aut ad nos usque non pervenerunt. Hebdomades juvenis composuit, velut et de duabus naturis et una persona Christi, hoc ut ita existimem ejus verba faciunt. Episcopus, inquit scriptor epistolæ, tanquam valde necessarium cum præterire noluisset, e duabus naturis Christum consistere, et in duabus æqualiter catholicos credere, novitate dicti perculsus. meditabar omnes animo quæstiones. Decretum hoc fuerat concilio Chalcedone celebrato, illucque Leo Romanus episcopus venerat, cujus epistola Romam missa cum postea, nitentibus Acephalis condemnatum jam dogma revocare, pluribus convocatis Romæ legerent, nec satis jam quid decerneret intelligerent, ansam Boetio dedit eum librum componendi contra Nestorium, qui duabus naturis personas totidem adjungebat, et Eutychen, qui unicam naturam et personam tuebatur. Ergo si quis ab imperatore Leone, qui rejectam sub Martiano Nestorii et Eutyches opinionem fovebat, ad Justinum usque supputet annos, paulo minus quinquaginta deprendet, quibus de Boetii vita detractis, prima juventutis tempora relinquentur. Verum hæc ut libuerit quisque accipiat, illud certo non admittendum contenderim, Boetium morte præventum Musicam non absolvisse. Nam quod objiciunt aliqui titulos eorum quæ desunt adhuc superesse, id nos in contrariam sententiam potius trahit, absurdum esse existimantes nondum conscriptis rebus velle nomen imponere. Quod si quid imperfectum Severinum reliquit, id ipse theologiam fuisse censuerim. Satis enim superque Philosophiam illustraverat, itaque divina restabant, et jam multum processerat Augustinum secutus, ut ipse de Trinitate ad Symmachum scribens affirmat: Vobis, inquit, inspiciendum est an ex beati Augustini scriptis semina rationum in nos venientia fructus aliquos intulerint. Ex quibus illud etiam conjicere possumus, cur nono demum anno Theodoricus Severinum et Symmachum necarit, an quia senex in opinionem Arii defecit, et inimicus adeo catholicis evasit, ut eorum templa diruere in Italia voluerit, si Justinus Arianos in Asia non restitueret. Propugnatores autem sani dogmatis cum alias semper, tum præcipue eo tempore Boetius et Symmachus exstiterunt. Quamobrem tyrannus conjectos in carcerem obtruncari jussit. Ticini incolæ semper a majoribus traditum constanter asseverant, Severinum, cum regius spiculator lethale vulnus intulisset, utraque manu divulsum caput sustinuisse, interrogatumque a quonam se percussum existimaret, ab impiis respondisse, atque ita cum in vicinum templum venisset, et flexis genibus ante altare sacra percepisset, post paulum exspirasse. Exstinctus divinos honores a nostris consecutus est, quod pro catholicis contra perfidiam Arii mortem sustinuerit. Sunt qui scribant ipsum antea Ravennam accersitum, prætorioque regis præpositum, mox cum aliquot senatoribus occisum, quod Symmacho potius convenire videtur. Turris enim lateritio lapide fabrefacta etiamnum Ticini monstratur, Boetii carcer sepulcrumque ejus in æde beati Augustini visitur, qua parte in adytum templi ascensus incipit, hoc epitaphio incisum :

Mæonia et in Latia lingua clarissimus, et qui
Consul eram hic, perii missus in exsilium.
Et quia mors rapuit, probitas me vexit ad auras,
En nunc fama viget maxima, vivit opus.

Circumfertur et aliud elogium quo sepulcrum ejus exornabatur anteaquam illic a Luithprando Longobardorum lege collocaretur. Ipsum quia paucis multa continet ad ejus vitam facientia subjunximus :

Ecce Boethus adest in cœlo magnus, et omni
Perspectus mundo, mirus habendus homo.
Qui Theodorico regi delatus iniquo
Ticini senium duxit in exsilio.
In qua se mœstum solans dedit urbe libellum,
Post ictus gladio, exiit e medio.

Hic finis viri clarissimi fuit qui facundia, probitate, doctrina, plurimum excelluit, ultimus omnium qui ex antiquis Romanis aliquid litterarum monumentis consecrarint, primus omnium qui Aristotelicam disciplinam Latinis litteris illustrare cœperint, tantæ apud posteros auctoritatis, ut ab ejus sententiis nulla ferme sit provocatio. Hujus morte magnam rem amisimus, et frustra a multis postea tentatum, Platonis et Aristotelis concordiam, quam utriusque philosophiæ peritissimus et pollicitus fuerat, et nisi vitam eripuissent improbi, præstare solus potuisset. Ultio tamen paulo post insecuta est divinitus : cœnanti Theodorico cum piscis caput illatum esset, visus est sibi rex in eo videre Symmachi faciem inferius labrum mordicus apprehendentem, torvisque oculis subinde minitantem, eo spectaculo consternatus tyrannus in morbum incidit, et simul atque quod viderat id se vidisse confessus est, exspiravit. Ictu sanguinis mortuum sui divulgarunt, verum Amalasiunta rei conscia cum in regno successisset, patris acta contra jus et fas decreta rescidit, et Severini ac Symmachi bona in fiscum redacta eorum liberis restituit, paucis annis antea quam Belisarius a Justiniano missus Italia Gothos omnes expulit. Porro Boetii multi fuerunt : primus Stoicus, de quo mentionem facit Diogenes in Zenonis Vita ; secundus Epicureus, quem Plutarchus in Conviviis introducit ; tertius Cretensis Aristotelis studiosus et vir consularis a Galeno celebratus. Præter hos alii fuerunt et philosophi ambo et Peripatetici, unus hic ipse de quo satis jam dictum est, Patricius Romanus, alter Græcus et antiquior, quem et hic ipse in Porphyrio et Ammonius atque Simplicius ut Aristotelis interpretem agnoscunt. Fuerunt itidem et duo Symmachi magnæ in litteris existimationis uterque : primus Gratiani et Valentiniani temporibus ; secundus Zenonis et Anastasii : illius epistolæ circumferuntur crebraque de eo in Macrobii Saturnalibus mentio habetur. Hujus nihil quidem exstat ; sed, ut Boetii testimonium prætereoam, Priscianus Cæsariensis de ponderibus scribens, sic eum laudat, ut omnes omnium disciplinarum apices consecutus videretur.

OPERUM PARS PRIMA.

OPERA PHILOSOPHICA.

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ LIBRI V.

(Ex editione ad usum Delphini.)

PROLEGOMENA.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Serenissimo Delphino Petrus Callyus.

Quidquid Ludovicus Magnus, augustus parens tuus molitur, SERENISSIME DELPHINE, *id omne magnum est ; seu populos regit ; seu hostes expugnat ; seu utrisque concessa pace gratificatur. Sed indoles et institutio tua regiorum operum opera sunt maxima. Tu quidem, velut nobile speculum, regales cum animi, tum corporis dotes ab ipso acceptas sic reddis, nihil ut in te desideretur quod imperatoriæ majestatis esse possit : tuam vero institutionem, quam rex ille sapientissimis suis consiliis exorsus est, selectissimisque viris corroboravit, magnificentissimo librorum apparatu ita perficit, ut ineffabili quadam necessitudine, quantum filius parente, tantum parens filio regum omnium præstantiam vincat. Ecce, continuato illius jussu, inter antiquos auctores emicat* SEVERINUS BOETIUS, *seque tibi sistit, ut meliori quodam jure, sic majori spe fructuum uberrimorum.*

Omnium certe ejusmodi auctorum meritissimo BOETIUS *tibi se sistit. Illi enim advenæ Gallicorumque institutorum penitus ignari, præcone indigebant, qui, prædicata eorum dignitate, aliquam in aula iisdem compararet existimationem : hic pridem a Philippo Pulchro Galliarum rege, litterarum litteratorumque amantissimo principe, honorificentissime exceptus, prope*

domesticus est, aulicorumque morum tam gnarus, quam ab aulicis notus. Illi profani, nulla, nisi quam forte a novis interpretibus acceperunt, pietate commendantur; hic sacer, Christiana martyris splendidius quam Romana patricii micat purpura. Illi in uno duntaxat dicendi genere versati, aut solutam sine stricta, aut strictam sine soluta orationem habent : hic utriusque sermonis scientissimus, ut persuadet orator eloquens, sic poeta suavis delectat. Illi Musis mollioribus inspirati, suis sententiis si non lædunt, læsam ostendunt mentem, quam sanare nequeunt; hic, docente severiori philosophia, perturbationes, errorum vitiorumque causas, ita detegit, ut ad mentis salutem multum conferre posse videatur.

Si vero auctor ille faciles ad te habuerit aditus, Serenissime Delphine, *majorem doctrinæ virtutisque accessionem se sperabit facturum, non solum in te; sed in omnibus etiam adolescentibus, ad quos, velut a capite ad membra, regiæ tuæ institutionis forma derivatur.*

Magnum quidem est, te geographiam, chronologiam, historiam tam profanam quam sacram, eximia Latinitate cumulatus, perfectissime callere; sed longe majus, illius, quam insitam habes cum de te, tum de Deo, notitiæ philosophicum, quod Boetius *hic suggerit, accipere incrementum : illæ etenim priores disciplinæ huic posteriori, non secus ac mancipia dominæ, famulantur. Hac informatione princeps tanto altius populos supereminet, quanto sui conscius. Conditorisque intelligens, divitiis, honoribus, voluptatumque illecebris, quibus regale solium circumfundi solet, contemptis, et humiliores de semetipso et sublimiores de divina majestate concipit sensus. Non omittendæ erant eæ quæ animo tuo vere regio impressæ sunt, artes ingenuæ; sed illa quam* Boetius *inspirat, humanæ divinæque naturæ notitia tibi omnino necessaria videtur; suis etiam sceptra non carent miseriis, quibus philosophicum illud consulis Romani remedium utiliter potest adhiberi.*

Quamvis autem augustum tuum genus et præstantissima tua eruditio te adeo evexissent, ut aureus hic liber magno tibi deinceps usui esse non posset, grande tamen tuum Delphini *decus id a te videtur postulare, illum ut librum tibi legi cures, cum alias ob causas, tum maxime ut* Boetius *Gallicis academiis, a quibus pari qua olim a Romanis mœnibus injustitia dudum exsulavit, tuo regali exemplo restituatur; turpe nimirum regno Christianissimo sacrum hunc doctorem Virgilio, Ciceroni, Aristoteli, cæterisque religionis Christianæ hostibus post poni, eoque magis quod, ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister nostras Christianorum scholas affluentibus doctrinarum omnium copiis ditaverit, Grammaticam, fugata barbarie, sanctos fabularum usus docuit; rhetoricam lectissimis verbis verissimisque sententiis ornavit, philosophiam obscuritate liberatam ita excoluit, ut quicunque huic parere voluerit, is omne ætatis tempus possit sine molestia transigere.*

Patere ergo, Serenissime Delphine, *virum pariter nobilem, doctum et sanctum, regiam ingredi, cæteris auctoribus tuis annumerari, et inter illas, quas in litteris feliciter consumis, operas tibi audiendum proponi; sanctitatem hic cum doctrina, utramque cum nobilitate sic animadvertes conjunctam, ut quidquid ibidem erit obvium, id augusta tua haud indignum origine, et ad tuam scientiam augendam et ad coronam æternam, cui reges omnes studere debent, consequendam conducere plurimum possit. Cadomi cal. Novemb. anno Domini 1679.*

PRÆFATIO.

Inter plurima Boetii nostri opera, præstantissimum celeberrimumque est illud quod inscribitur *Consolatio philosophiæ*. Sed quæ hactenus edita sunt hujus operis commentaria, hæc tam imperfecta fuerunt, ut non immerito ad usum Serenissimi Delphini nova institui mandentur. De antiquis novisque pauca præloquar.

I.

Antiqua, inquam, consolationis philosophicæ, aut potius minus recentia commentaria sunt imperfecta : quæ enim commendes ? eane quæ S. Thomæ tribuuntur? an ea quæ sunt Raymundi Palasini Albiensis dicti Valderici? an quæ Jodoci Badii Ascensii? an quæ Joannis Bernartii Belgæ ? an quæ Theodori Sitzmani Thuringi ? an quæ Renati Vallini Nannetensis? Plura, etiam diligentissime conquisita, videre non potui. Sed hæc omnia aut ridicula sunt, aut ad patefaciendas Boetii cogitationes minime idonea.

Primum enim quæ S. Thomæ tribuuntur in hanc Consolationem philosophiæ commentaria, hæc ridicula sunt : nam, ut infinita omittam, quis temperet a risu, legendo hæc lib. I, pros. 1 : *Eleys*, inquit, *est civitas Græciæ, in qua studuit Aristoteles* : *unde studia sua dicuntur Eleatica. Academia autem fuit civitas vel villa, in qua studuit Plato ; unde studia sua dicuntur Academica ;* aut hæc lib. II, met. 5, ad ista verba, Tyrio miscere veneno*: Thirus*, ait, *est vermis venenosus, in cujus sanguine intingitur purpura* ; aut hæc

lib. III, pros. 8: *Alcibiades*, inquit, *mulier fuit pulcherrima, quam videntes quidam discipuli Aristotelis duxerunt eam ad Aristotelem, ut ipsam videret; qua visa dixit: Si homines lynceos oculos haberent, ut quæque obstantia penetrarent, introspectis visceribus, corpus quod apparet pulcherrimum, turpissimum videretur*; aut hæc ejusdem lib., met. 8. ad hæc, Asperis echinis: *echinus*, inquit, *est piscis parvus semipedalis, qui adhærendo videtur retinere navem*: ubi ἐχενηΐς, Latinis remora, cum echinis confunditur. Infinitus sim, si omnes hujus commenti potius quam commentarii in grammaticam, poesim, historiam, et mentem ipsius Boetii errores contendam enumerare. Quare hoc opus non crediderim esse S. Thomæ.

Videtur autem hoc opus esse Thomæ cujusdam, natione Angli, patria Walensis, ordine Dominicani cui etiam tribuitur Summa logicæ, quæ vulgo S. Thomæ Aquinatis nomine impressa legitur: quod enim Thomas ille diceretur *Anglicus*, et Dominicanus esset, propter eumdem ordinem et quamdam appellationis similitudinem, errore typographorum dici potuit primum *Angelicus*, postea S. Thomas. Hinc ab isto commentore lib. II, met. 1, citatur Alanus, qui non floruit nisi sæculo decimo quarto, cum tamen S. Thomas vixerit anno 1274. Hinc puto hunc Thomam Anglice locutum lib, I, pros. 5, ubi, *Coemptio*, inquit, *est institutio super aliqua portione danda de re emenda vel vendenda, et vocatur vulgariter* UNGELT, quanquam forte, errante typographo, sermo fuit depravatus. Gallice dicimus *monopole*. Nescio etiam quomodo a S. Thoma dici potuisset ad finem 2 metri lib. I, *hæc Marquardus*.

Ac ne putes me hæc temere fingere, consulere poteris cum Vallinum, tum etiam Ascensium, qui pariter negant S. Thomam esse horum commentariorum auctorem. *Non tamen continuo sancti Thomæ crediderim*, inquit Ascensius præfatione in hos Boetii libros, *cum neque phrasim ejus redoleant, neque fecunditatem illam mirabilem, quæ in cæteris doctrinis ejus est, assequantur, neque tempori congruant; nam Alani opuscula, quem plusculos annos post ipsum sanctum Thomam obiisse tradunt earum rerum periti, nonnunquam allegant.*

Deinde commentaria Raymundi Palasmi Albiensis dicti Valderici in tribus præsertim versantur: 1° in brevissimis quibusdam nominum aliquot obscuriorum interpretationibus, margine libri inscriptis: 2° in longiori quadam lectione astronomica, ad exponendas vices Hesperi occidentem modo sequentis, modo orientem præeuntis solem: *Pro quorum intellectu*, inquit ad metr. 5 lib. I, *est opus archimedare, id est conficere figuras, quarum inventor Archimedes fuit. Notetur quid circulus, quid centrum, quid area, quid circunferentia?* Egregiæ adnotationes! 3° in quæstionibus, quas vocat *Cratonicas* circa quintum librum: *Quarum*, inquit, *hæc principalis volitat quæstio, videlicet utrum, divina providentia existente, liberum arbitrium sit hominibus*. Ubi interpres ille videtur sententias Boetii animo non comprehendisse.

Quamobrem ex his tribus primum nobis videtur non sufficere, secundum redundare, tertium impedimento esse ad mentem Boetii hic percipiendam.

Postea Ascensius, ut ipse jactitat prædicta præfatione, *docuit carminum leges, et veritates; fabellas quoque et historias diligentius recitavit; et Latinitatis aut servatæ aut neglectæ virtutem aperuit, dolens quod Græca verba subinde incerta reperire nusquam potuit.*

At interpres iste, quanquam sibi magnopere placeat, apud alios tamen male audit: *Ascensius Badius*, inquit Theodorus Sitzmanus, de quo statim dicetur, *hunc aliosque optimos auctores quisquiliis merisque affaniis inquinare, impudenter dicam, an imprudenter, non abstinuit.* Quod Ascensii vitium quamvis non constaret, idem nihilominus Ascensius ipsos non excessit grammaticæ limites, ultra quos ad accuratam horum librorum intelligentiam aliquid majus desideratur.

Subit Joannes Bernartius, qui, paucis in solutam, paucioribusque in strictam hanc Boetii orationem notatis, seipsum videtur illustrandum ornandumque ita suscepisse, ut ubi primum vel minimam nanciscitur occasionem eorum quorum recordatur dicendorum, hæc sive ad institutum conducant, sive non, congerat, suam potius eruditionem quam auctoris mentem expositurus. Hic, inquit prædictus Sitzmanus, *librum hunc nobis tradidisset multo tersiorem, si licuisset: sed immatura morte sublatus in rationem Libitinæ venit, telamque, quam erat exorsus, imperfectam reliquit.*

Succedit ipse Theodorus Sitzmanus, qui totus est in componendis variis lectionibus, ut quam melius exponere sensa Boetii existimaverit, hanc expunctis cæteris moneat retinendam. « Quibus tamen, ut ipse de semetipso ait, non raro inspergit alia quædam, vel ex philologia, cui unice hactenus fuerat addictus: vel ex jurisprudentiæ politicesve penu; vel ex orbe illo disciplinarum, quæ studio sapientiæ famulantur, petita. *Quod profecto*, addit, *non aliam ob causam feci, quam ut grata vice nunc prodessem, nunc delectarem, hoc est, utile dulce miscerem.* »

Fidemne liberaverit suam hic interpres, æquus lector judicet. Ego vero existimo, primum quidem ipsum orationis Boetianæ contextum, quem recensuit, aliis perspicacioribus oculis indiguisse; deinde hunc interpretem alios veterum librorum interpretes imitatum, non tam aliorum quam sui gratia scripsisse: unde ita citavit alios sive oratores sive poetas, qui more Boetii locuti fuerant, ut cum unum auctorem suscepisset explicandum, plures, nullo exposito, nobis proponat interpretandos, homo felicis memoriæ.

Denique Vallinus, nostro judicio, omnium optime de Boetio meritus est: contextum enim sæpissime corruptum emendavit: quamobrem, ut ipse de se ait, *optimos quosque codices consulimus contextumque ex eorum plerumque consensu recensuimus. Ii autem fuere duo manu exarati Sancti Victoris; duo ex bibliotheca Thuana iidemque vetustissimi; ex regia unus; itemque duo mei, sed recentiores. Græcus quoque eorumdem*

librorum codex, quos Græce interpretatus est Maximus Planudes ex eadem bibliotheca regia. Ex editis vero Florentinus anni 1513 *et alius quivis optimus.* Quinetiam idem Vallinus quosdam hujus opusculi locos, quos obscuriores putavit, suis notis illustrare conatus est. Propterea quæ Lugduni Batavorum, novem abhinc annis, typis mandata sunt ,Variorum in hanc philosophiæ Consolationem commentaria, hæc Joannis Bernartii, Theodori Sitzmani, et Renati Vallini notis, velut cæmentum sine calce, constant.

Ipse tamen Vallinus, omissa omni verborum interpretatione, tacitaque Beotiana disputandi ratione, notas adhibuit tam raras tamque breves, ejus ut labor, alioqui utilis, ad perfectam hujus operis cognitionem habendam sufficere non possit. Et hæc antiqua sunt, sive potius minus recentia Consolationis philosophicæ commentaria.

II.

Prædicta commentariorum .in Consolationem philosophicam vitia optime animadvertit vir ut gente, sic doctrina omnique virtutum genere præstantissimus, Carolus Sancta-Mauræus, Montauserii dux, Serenissimi Delphini moderator, et pro singulari sua in rebus principum consulendis prudentia, ægre tulit, facta prudentissimi illius Aulici, cujus consiliis quandiu usus est rex Theodericus, tandiu vitam optimo imperatore dignam egit, obscurioribus verbis velata latere. Idipsum etiam novit illustrissimus Ecclesiæ princeps Jacobus Benignus Bossuetius, Condomensis episcopus, ejusdem Serenissimi Delphini præceptor, et pro eximia sua in divinis mysteriis sapientia doluit, cogitata sapientissimi illius theologi, quo docente humana libertas cum divina providentia conciliatur, compressiori quodam disserendi modo occultata ignorari. Id quoque vidit clarissimus vir Petrus Daniel Huetius, nostræ quondam Cadomensis academiæ alumnus ; cujus etiam opera idem *Serenissimus princeps* ad litterarum et sapientiæ studia utitur, et pro incredibili sua in omnibus disciplinis eruditione ingemuit, elegantia excellentissimi hujus cum oratoris, tum poetæ, in quo tanquam in ultimo Romanorum hærede dites purioris Latinitatis reliquiæ servabantur reconditæ, dicta inter obscuros barbari sui sæculi auctores permista contemni. Illa, inquam, præclara Galliæ nostræ lumina improbam hanc querebantur Boetii, hujusque Consolationis philosophicæ sortem, cum jussi sumus hos Boetii libros ad usum Serenissimi Delphini interpretatione et notis adornare. Meliorne, an deterior præteritis videbitur noster hic labor non possumus divinare : sed præscriptas nobis has, quæ sequuntur, leges ea qua potuimus diligentia observare studuimus, ad perpetuum singularis in Deum pietatis ; in regem observantiæ ; et in litteras amoris monumentum.

1. Usi sumus lectione quam, consultis sanioribus libris, recensuit Renatus Vallinus, exceptis paucis vocibus quas, ut ibidem monuimus, validissimis conjecturis convicti mutandas existimavimus. Quoniam vero parum interest, lectorem veterum errores A nosse, ideo proposita nova lectione vera, arbitrati sumus omitti posse veterem falsam, et quidem eo lubentius, quod cum nullus fere fuerit hujus operis locus, qui aliquando non fuerit corruptus, ad fastidium usque repetendæ fuissent variæ lectiones. Quanquam ne huic etiam officio deessemus, ad finem nostri operis varias lectiones Vallini retulimus ad numeros hujus libri accommodatas.

2. Proposuimus duplex genus argumentorum, ut una veluti cogitatione lector animadvertere possit, quid in toto illo opere et qualibet ejus parte contineatur. Primum est idea totius operis : ubi formatis quibusdam argumentationibus, mentem lectoris efficacius commovendo, Boetii sensa magis demonstrare sumus conati. Alterum est summarium uniuscujus- B que capitis ; in quo non solum dicenda, sed dicendorum ordinem breviter complexi sumus.

3. Quamvis hi tituli, *Metrum, Prosa*, a recentioribus horum librorum interpolatoribus fuerint invecti, et juvandæ duntaxat memoriæ causa adpositi, iisque omnes veteres libri, et optima editio Florentina careant, ut advertit prædictus Vallinus, hos tamen non omittendos esse duximus : quoniam nunc ita in usu sunt, ut quoties laudatur Boetius de Consolatione philosophiæ (laudatur autem sæpissime), toties hi tituli nominentur. Quid vero has notas neglexisse noceat, expertus est ipse Vallinus : cum hujus editione non sine magno temporis dispendio, ad fidem auctoris Boetium appellantis probandam uti valea- C mus : unde contemnitur.

4. Genera versuum, quibus hic usus est Boetius, propositis eorum legibus, ante nominavimus, quam eorumdem interpretationem et notas aggrederemur : quod ex his plura sint minus usitata, tyronibus præsentim, quorum gratia Græcas quoque dictiones, quibus hi versus significari solent utpote obscuriores, vitavimus. Versus hi multiplicis sunt generis, nec interest numerari ; sed carmina, quæ ex his versibus constant, ad sex et viginti genera revocantur.

5. Subjecimus interpretationem, strictæ quidem orationis continuatam, solutæ vero interruptam ; eorum more, qui ante nos jussu Ludovici Magni, ad usum Serenissimi Delphini in poetas scripserunt, D aut oratores Latinos ; ut qui adolescentes litteris operam navant, his nihil desideretur eorum, quæ ad majorem in artibus ingenuis profectum possint conferre.

6. Notas nostras addidimus ; non illas quidem longiores, ne inanem eruditionem viderentur ostentare ; neque etiam breviores, ne nostrorum commentariorum alia quærenda essent commentaria : sed ad juventutis usum aptatas : id quippe unum optarunt viri sapientissimi, quorum curis commissa fuit regia Serenissimi Delphini institutio. Sic principi instituendo studentes, reliquæ juventuti informandæ laboraverunt, ad summum reipublicæ litterariæ commodum, regnique Gallici decus.

7. Operæ pretium existimavimus, integrum hoc

opus interpretatione et notis illustratum duobus hinc inde interponi indicibus; quorum prior est rerum præcipuarum, quæ in toto hoc opere explicato occurrunt; posterior vocabulorum, quæ in his quinque Consolationis philosophicæ libris leguntur: ubi curavimus vocabula quæ nobis visa sunt barbara, aut saltem minus Latina, diversis characteribus formari: ut lector id Latinitatis vitium moneretur, nec nostra tamen commentaria frequentioribus ejusmodi notis turgerent. Si nostrum hoc ausum doctiores excitaverit ad absolvendum, prolata auctoritate, aliquod ex ejusmodi vocabulis, id non ingratum erit nostræ te- A meritatis præmium. Non omnia novimus, doceri semper paratissimi.

Nihil denique istorum omnium prius attingendum arbitrati sumus, quam instar aliorum Serenissimi Delphini scriptorum proposuerimus, 1° Vitam Boetii; 2° testimonia variorum cum de Boetio tum de ejusdem scriptis; 3° generalem librorum Consolationis philosophicæ ideam; 4° aliquam ejusmodi librorum censuram: hæc enim quilibet horum scriptorum de suo auctore præfari consuevit; si exceperis generalem operis ideam, cujus exemplum etsi non habeamus, ex ipsa tamen, uti speramus, non mediocris utilitas erit.

AN. MANL. SEVERINI BOETII VITA.

I.

Boetius natus est Romæ (*a*), circa annum Domini quadringestesimum septuagesimum quintum, æquævus Joanni summo pontifici; Justino imperatori; Fulgentio, Ennodio et Cassiodoro doctoribus ecclesiasticis. Nomen genusque matris non scimus; sed pater ejus fuit Anicius Manlius Flavius Boetius, vir ipse consularis, filius Boetii illius, qui (*b*) præfecturam prætorii gerens, imperante Valentiniano tum interemptus fuit, cum Aetius patricius, dux fortissimus, cujus ut laborum sic victoriarum ille semper fuerat particeps, ejusdem imperatoris manu interfectus est.

II.

Hic autem, de quo nunc agimus, auctor vocatur (*c*) *Anicius Manlius Severinus Boetius*, prænomine scilicet nomini cognominique postposito. Nimirum hoc erat in usu apud antiquiores Romanos, ut idem homo tribus aliquando donaretur appellationum generibus, quæ dicebantur (*d*) prænomen, nomen et cognomen. Prænomen, ut vox ipsa sonat, est appellatio, quæ appellationi gentis præponi solet: qualia sunt nomina quæ apud nos vocantur propria, ut *Ludovicus;* nomen, appellatio gentis, ut *Hectorides*; cognomen, appellatio familiæ ejusdem gentis, ut *Borbonides*. Ut autem sæpe prænomen nomini, et nomen cognomini olim anteponebatur, sic non raro, (*e*) inverso ordine, ut nunc positis nomine et cognomine, prænomen subjiciebatur. Sic ergo auctor noster nomine gentis dicitur *Anicius;* quod ex (*f*) antiquissima nobilissimaque Aniciorum gente esset prognatus. Sic nomine familiæ dicitur *Manlius Severinus*, quia ex Manliis Severinis ortus erat: sive fuerint duæ fami- B liæ, quarum alteram, nimirum Manliorum per patrem, alteram videlicet Severinorum per matrem attigerit: sive eadem fuerit familia cognomine altero dicta Severinorum, propter illam severitatem, qua T. Manlius, qui ob detractum Gallorum duci a se occiso *torquem*, inde *Torquati* cognomen in familiam intulit, filius (*g*) securi cædi jussit, quod contra edictum, ductorem Tusculanorum singulari certamine provocantem interfecerit. Sic proprio nomine dicitur *Boetius*, sive ut quibusdam scribitur *Boethius*, aut aliis *Boethus*, ab auxilio, quod primus, cui istud prænomen fuit impositum, tulit: βοηθὸς quippe Græcis est *adjutor*: propterea plures olim, ut apud (*h*) Laertium, Plutarchum (*i*), ipsum nostrum (*j*) auctorem hoc prænomine donati sunt.

C III.

Cum vero noster Boetius (*k*) duodecim saltem annis natus amisisset patrem, hic (*l*) amicorum propinquorumque curis commissus, Romæ primum, postea (*m*) Athenis studuit: ubi in grammatica, philosophia, mathematicisque disciplinis tantum profecit, ut plura non solum Euclidis, Nicomachi, Pythagoræ, Ptolemæi et Archimedis, verum etiam ipsius Aristotelis (*n*) Græca opera Latine reddiderit, reliqua ejusdem philosophi opera similiter redditurus, ipsumque cum magistro suo Platone conciliaturus, si fata tulissent.

Neque vero vir ille doctissimus in exponendis modo auctorum operibus versatus est, sed plura ipse excogitavit, excogitataque ad felicem exitum per- D duxit. Testis est admirabile hoc philosophiæ Consolationis opus: ubi Ciceronem de animorum immortalitate, quo filiæ desiderium levaret, disputantem imitatus, in hoc Ciceronem superavit, quod, cum Cicero

(*a*) Consolat. Philos. l. I, p. 5: *Tuæ civitatis antiquissimam legem.*

(*b*) Cassiodorus in Chronico ad consulatum Aetii et Studii anno Christi 454.

(*c*) Sic inscribuntur libri Consolationis Philosophiæ.

(*d*) Valerius Maximus sive probus libello de prænomine.

(*e*) Ut Flavius Vespasianus, et Flavius Sabinus fratres, apud Suetonium.

(*f*) S. Hieron. ep. ad Demetriadem: *Illustris sanguinis, genus, in quo aut nullus aut rarus est qui non meruerit consulatum.*

(*g*) Virgil. VI Æneidos, v. 824: *Sævumque securi Aspice Torquatum.*

(*h*) In Vita Zenonis.

(*i*) In Symposiacis.

(*j*) Comment. in Porphyr.

(*k*) Elapso, scilicet anno Christi 487; siquidem ejus pater consul fuit hoc ipso anno.

(*l*) Consol. philos. l. II, Pros. 3: *Desolatum parente summorum te virorum cura suscepit.*

(*m*) Cassiodor. l. I. Var., ep. 45: *Atheniensium scholas longe positus introisti.*

(*n*) S. Antoninus citans Sigebertum, 2 part. Hit. tit. 11, cap. 15.

carmine tunc non utatur, Boetius utramque oratio- A nem ita permiscet, ut quidquid eruditionis, aut a grammatica, aut a rhetorica exspectari potest, illud ibidem mirum in modum eluceat. Testis illa Boetii Logica, ubi præter antiquas Porphyrii, Aristotelisque opiniones, suam ipse proposuit de *Categoriis*, *divisione*, *definitione* et *syllogismis* doctrinam, qua ratio bene disserendi plurimum promoveri potest. Testis opus illud in septem partes distributum, quod propterea, Varronis exemplo, *Hebdomades* inscribitur, in quo, quoad superest, mathematicorum more propositis quibusdam effatis, multa docet de eo quod *bonum* est, et *unum*. Testes libri quinque de Musica, cujus ita peritus fuit, ut instrumenti musici, vulgo (*a*) *chiterini* inventor habeatur. Testis singulare illud (*b*) externis etiam regibus notum expeti- B tumque inventum duorum horologiorum; quorum alterum (*c*) *aquis sub modulo fluentibus temperabatur*; alterum *solis immensi comprehensa illuminatione distinguebatur*.

Quin etiam Boetius de theologis optime meritus, scripsit cum de mysterio sanctissimæ *Trinitatis* ad Symmachum, et ad Joannem Ecclesiæ Romanæ diaconum; tum de *Incarnatione*. De (*d*) *Trinitate* quidem, ne suspectus foret Christianis, quod ex synodo contra hæreticos congregata sese subduxisset, veritus ne sibi propter suam eloquentiam causa committeretur agenda : de (*e*) *Incarnatione* vero, ut *extremi sibique contrarii Nestorii atque Eutychis submoverentur errores*.

IV.

Sed quanto doctior Boetius, tanto majori studio coluit virtutem, suo erga Deum et homines officio diligentissime functus. Quales fuerint illius in divinam majestatem cogitationes vel ex eis patet, quæ inspirante philosophia in aureo illo philosophicæ Consolationis opusculo (*f*) protulit : nihil enim tum docuit, nisi quod ipse (*g*) fecerit, nec tanta facilitate tunc præstare potuit, nisi quod a teneris annis continuata pietate exercuerit. At singularis benevolentia Boetii in omnes homines, miseros præsertim, ex hoc etiam est manifesta, quod cum (*h*) ingenti salutis suæ periculo senatum populosque omnes cum gravissima oratione, tum etiam objecta periculis auctoritate protexerit : quodque (*i*) fuerit in pauperes liberalis.

V.

Atque propter has præclaras animi dotes factum, ut Festus (*j*) senatus princeps filiam suam Helpen Siciliæ alumnam Boetio propriam dicaverit, stabilique junxerit connubio. *Ea autem Helpes*, inquit Vallinus (*k*), *dotibus animi longe corporis fortunæque bona superavit : scripsit enim versus emendatissimos, scribentique marito suavissimus genius adsedit. Desideravit autem ex ea liberos* : quanquam nonnulli dicant, Boetium ex ea duos filios Patritium et Hypatium suscepisse. Addunt eumdem Boetium amatam hanc suam uxorem hoc ultimo carmine prosecutum fuisse :

Helpes dicta fui, Siculæ regionis alumna,
  Quam procul a patria conjugis egit amor :
Quo sine mœsta dies, nox anxia, flebilis hora,
  Nec solum caro, sed spiritus unus erat.
Lux mea non clausa est, tali remanente marito,
  Majorique animæ parte superstes ero.
Porticibus sacris jam nunc peregrina quiesco
  Judicis æterni testificata thronum.
Ne qua manus bustum violet, nisi forte jugalis
  Hæc iterum cupiat jungere membra suis,
Ut thalami tumulique comes nec morte revellar,
  Et socios vitæ nectat uterque cinis.

Sed hæc venustam Boetii poesim non redolent : saltem maximam partem.

Propter eadem doctrinæ virtutisque ornamenta (*l*) Symmachus, princeps quoque senatus, defuncta Helpe, Rusticianam filiam suam eidem Boetio dedit uxorem, ex qua, inter alios liberos, duos suscepit filios, quorum alter avito nomine Symmachus, alter paterno Boetius dictus fuit; quique adhuc pueri (*m*)
C consules facti sunt : ideo enim hi filii a suo patre dicuntur (*n*) *viri consulares, quorum jam ut in id ætatis pueris vel paterni vel aviti specimen elucet ingenii.*

VI.

At vero singulari cum doctrinæ, tum etiam virtuti Boetii referri debet acceptum, quod ille vel ab adolescentia summis dignitatibus ornatus fuerit. Primum quidem adhuc juvenis (*o*) in patrum senatorumque ordine positus, patricius fuit. Deinde anno suæ ætatis circiter trigesimo quinto fuit (*p*) consul. Postremo ætate provectior magister fuit (*q*) officiorum : quas quidem dignitates ut non suscepit, sic non gessit, nisi (*r*) communi bonorum omnium studio : hinc iniquis improborum omnium consiliis sese semper opposuit : hinc (*s*) Conigastum exactorem, misero-
D rum civium fortunas invadentem, sæpius repressit :

(*a*) In supplem. Chronic.
(*b*) Cassiodor, l. I Var., ep. 45.
(*c*) Ibid.
(*d*) Madgdeburgenses centuria 6, c. 10, et ante hos S. Antoninus 2 part. Hist., tit. 11, cap 15, ex Vincentio.
(*e*) Sic loquitur ipse Boetius l. de Duab. Natur. et una persona Christi.
(*f*) Præsertim ab initio libri tertii.
(*g*) Ennodius episcop. Ticinensis, l. VII, ep. 13, Boetio.
(*h*) Consol. Phil. l. I, pros. 4 : *Inde cum improbis graves*, etc.
(*i*) Magdeburgenses ex Procopio l. I de Bello Goth., etc., cent. 6, c. 10.
(*j*) Consol. philos. lib. II, pros. 3 : *Cum tanto splendore socerorum.*
(*k*) In Vita Boetii. Eadem dicit Lilius Gregorius Gyraldus de Poetar. Hist. dial. 5.
(*l*) Consol. phil. I. I, pro. 4 : *Socer etiam Symmachus sanctus.*
(*m*) Ibid., lib. II, pros. 3 : *Duos pariter consules liberos tuos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti.*
(*n*) Ibid., pros. 4.
(*o*) Consol. philos. l. II, pros. 3 : *Prætereo sumptas in adolescentia negatas senibus dignitates.*
(*p*) Ennodius I. VIII, epist. 1.
(*q*) Consol. philos. l. III, pros. 4 : *Cum Decorato gerere magistratum.*
(*r*) Ibid., lib. I, pros. 4 : *Nullum me ad magistratum, nisi commune bonorum omnium studium, detulisse.*
(*s*) Ibid.

hinc (*a*) Triguillam regiæ domus præfectum, ab incepta jamque perpetrata prorsus injuria revocavit: hinc pro (*b*) Campania contendens, ne injusta coemptio exigeretur, effecit : hinc (*c*) Paulinum consularem virum, Albinum, pluresque alios cum plebeios, tum etiam patricios viros non sine magno sui periculo protexit.

VII.

Quamobrem Boetius tantas, improborum præcipue, in se concitavit inimicitias, ut, unde laudandus erat, inde accusatus fuerit apud Theodericum, qui immoderato tam supremæ auctoritatis, quam Arianæ religionis amore Boetium perdere statuit.

Boetius quidem propter (*d*) prædictas animi dotes, gravissimas in se concitavit, improborum præsertim, inimicitias : quidam enim (*e*) Aulici, qui quo majori pollerent auctoritate, eo majori sese credebant injuria lædi a Boetio, quem (*f*) sibi injusta molientibus semper experiebantur adversari, summo eumdem Boetium odio prosequebantur : hinc tres improbi delatores (*g*) Gaudentius, Opilio, et Basilius, quorum duo priores (*h*) ob fraudes innumeras exsilio destinati; tertius regio ministerio depulsus, obæratusque plurimum, sive suo sive perditorum pariter hominum consilio (*i*), Boetium apud regem Theodericum accusarunt.

Verum idem Boetius, unde laudandus erat, inde accusatur : quod enim non plebeios solum, sed patricios quoque viros tueri studuisset, hinc inferebant ipsum læsæ majestatis reum, (*j*) pro senatu contra regem stetisse. Sed quod idem in omni doctrinarum omnium, mathematicarum præcipue genere præstaret, inde (quæ sæculorum ignarorum sors fuit) (*k*) magicis artibus sive, ut nostri loquuntur, *sortilegio* mentem polluisse mentiebantur.

Denique Theodericus sua partim, partim religionis Arianæ causa, ex prædictis delatoribus oblatam perdendi Boetii occasionem ultro accepit. Audivit nimirum ille Arianus princeps, Justinum imperatorem optimum non solum (*l*) subjectos sibi populos paterno amore prosequi; sed hæreticos omnes Ariana lue pollutos, exceptis saltem Gothis, Constantinopoli totoque Oriente egredi jussisse. Hic veritus ne, asserta reli-

A gione catholica, Romani Justino addictiores cum populum tum semetipsum Arianum expellerent, ad reliquorum terrorem, Boetium sibi suspectum puniri curavit. Propterea (*m*) quo die ipse rex Theodericus edixerat, ut Opilio, et Gaudentius, ni intra præscriptum diem Ravenna urbe decederent, notas insigniti frontibus pellerentur ni exsilium ; hoc ipso iidem improbi delatores, in gratiam regiam revocati, Romam ab ipso rege missi sunt, absentem Boetium delaturi. Delationi injustæ acquievit senatus, suoque (*n*) decreto innocentem, nescientem, indefensumque suum patronum (*o*) et morti damnavit et proscriptioni, quas Theodericus, sibi metuens ab imperatore Justino, bonisque omnibus, exsilio, saltem per aliquod tempus, permutandas putavit.

B

VIII.

Boetius ergo, anno reparatæ salutis circiter quingentesimo vigesimo secundo, adeoque ætatis suæ circiter quadragesimo septimo, (*p*) imperante Theodierco, in exsilium missus, in agrum Mediolanensem, sive, ut alii volunt, Ticinum relegatus est : quod quidem exsilii tempus videtur posse colligi ex primo Consolationis philosophicæ carmine (*q*) : ibi enim ipse Boetius ait suam senectutem, quam vocat inopinam, venisse molis properatam, canitiemque intempestivam suo capite diffundi : sed inopina senectus canitiesque intempestiva homini non accidunt, nisi ante annum ætatis suæ quinquagesimum. Quocunque tandem, et quando exsulaverit Boetius, hujus C exsilium non profugium portusque supplicii, sed supplicium (*r*) fuit : huic etenim circumscriptus fuit brevis (*s*) habitandi locus : ubi nefas illi erat, propinquos, amicos, familiares (*t*), libros ipsos videre. Hic autem Boetius suam vitæ morumque integritatem posteris demonstraturus (*u*), tristemque suam cogitationem grata cum suæ mentis, tum etiam ipsius Dei cogitatione fugaturus, admirabile hoc philosophicæ consolationis opus cogitavit, cogitatumque scriptis mandavit. Sed dum sanctissima illa distinetur occupatione vir illustrissimus, alterum prodit Justini imperatoris edictum, quo Arianos omnes, ne exceptis qnidem Gothis, aggressus, jubet episcopos omnes hæreticos a suis sedibus dimoveri, eorumque Eccle-

(*a*) Consol, philos. l. I, pros. 4.
(*b*) Ibid.
(*c*) Ibid.
(*d*) Ibid. : *Inde cum improbis graves inexorabilesque discordiæ.*
(*e*) Ibid. : *Palatini canes.*
(*f*) Ibid. : *Nihil apud aulicos reservari.*
(*g*) Ibid.
(*h*) Ibid.
(*i*) Ibid. : *Quibus deferentibus perculsi sumus.*
(*j*) Ibid. : *Senatum dicimur alvum esse voluisse.*
(*k*) Ibid. : *Sacrilegio me conscientiam polluisse mentiti sunt.*
(*l*) Sabellicus, lib. II, ennead. 8.
(*m*) Consol. phil., lib. I, pros. 4. : *Opilionem atque Gaudentium cum ob innumeras multiplicesque fraudes in exsilium regia censura decrevisset, cumque illi parere nolentes sacrarum sese ædium defensione tuerentur, compertumque id regi foret, edixit ut ni intra præscriptum diem Ravenna urbe decederent, notas insigniti* D *frontibus pellerentur..... Atqui eodem die deferentibus eisdem, nominis nostri delatio suscepta est.*
(*n*) Ibid. : *An optasse illius ordinis salutem nefas vocabo? Ille quidem suis de me decretis, uti hoc nefas esset, effecerat.*
(*o*) Ibid. : *Ob studium propensius in senatum morti proscriptionique damnamur.*
(*p*) Id inferri potest ex veteri Boetii statua marmorea, de qua infra.
(*q*) Consol. philos. l. I, metro. 1, v. 9 :

Venit enim properata malis inopina senectus,
Et dolor ætatem jussit inesse suam :
Intempestivi funduntur vertice cani.

(*r*) Ibid., pros. 4 : *Per se satis eminet fortunæ in nos sævientis asperitas.*
(*s*) Ibid. : *Nihil ne te ipsa loci facies movet.*
(*t*) Ibid. : *Hæccine est bibliotheca.*
(*u*) Ibid. : *Cujus rei seriem atque veritatem, ne latere posteros queat stylo etiam memoriæque mandavi.*

sias Romanæ religionis ritu consecrari. Theodericus Arianis ad se confugientibus id novit: quare missis Constantinopolim (*a*) legatis, Joanne nempe Thusco episcopo Romano, et episcopo Ravennatensi; Agapeto et Patricio consulibus Romanis; atque Theodoro et Importuno senatoribus, viris præstantissimis, postulare ab Justino jussit, ut Ariani episcopi et sacerdotes loco suo moti restituerentur: quod ni fieret, fore ut brevi Roma et tota Italia cædibus et incendiis quoque adversum orthodoxos repleatur. (*b*) Cum autem legati in itinere opinione diutius morarentur, Theodericus rabie iniquitatis suæ stimulatus, Symmachum et Boetium exconsules, viros catholicos gladio trucidavit. (*c*) Deinde Joannem papam ex legatione reversum, eo quod honorifice ab orthodoxo imperatore exceptus, et muneribus donatus fuisset, cum sociis, Ravennæ in vincula conjectum pœdore. siti et inedia necavit: sed (*d*) rex impius dignum quoque factis suis invenit vitæ exitum: nam ex eo tempore, quo Symmachum, Boetium, Joannem Thuscum episcopum Romanum, et alios injuste interfecit, in summum animi mœrorem incidit, ita ut oblatos in mensa pisces imaginaretur interfectorum capita esse. Tandem vero nonagesimo die a morte Joannis papæ subitanea morte periit.

IX.

Modus porro quo Boetius interfectus est non ita constat: sed (*e*) Ticini monstratur turris lateritia, Boetii carcer, quo Ticini incolæ a majoribus suis docti asserunt missos a Theoderico tribunum et satellitem; illum, ad monendum Boetium, ut, si salvus esse vellet, quidquid erat conjurationis aperiret; hunc ad interficiendum, si renueret aperire. Addunt satellitem, ubi Boetius se nullius in regem facti conscium esse dixisset, ejusdem Boetii cervicem ita detruncasse, hanc ut ipse Boetius utraque manu divulsam sustinuerit; deinde interrogatus a quonam se percussum existimaret, responderit ab impiis; tum profectus in vicinum templum, flexis ad aras genibus, sacra perceperit; tandemque æternam gloriam consecuturus exspiraverit.

Hinc Boetius (*f*) in numero sanctorum martyrum habitus, ejusque memoria Ticini decimo calendas Novembris quotannis celebratur: non secus ac Ravennæ memoria Symmachi quinto calendas Junii; quod uterque pro fide contra Arianos mortem oppetierit.

Hinc etiam (*g*) ejusdem Boetii sepulchrum, quod Ticini in æde S. Augustino sacra, etiamnum visitur, pluribus elogiis decoratum fuit: olim quidem sic:

Ecce Boethus adest in cœlo magnus, et omni
 Perspectus mundo, mirus habendus homo.
Qui Theodorico regi delatus iniquo
 Ticini senium duxit in exsilio.
In qua se mœstum solans dedit urbe libellum;
 Post ictus gladio, exiit e medio.

Nunc vero sic:

Mæonia et Latia lingua clarissimus, et qui
 Consul eram, hic perii missus in exsilium,
Et quia mors rapuit, probitas me vexit ad auras,
 En nunc fama viget maxima, vivit opus.

Suis igitur Boetius notabilis est majoribus, eruditione, virtutibus, uxoribus, liberis, dignitatibus, inimicis et morte. 1° Majores ejus, Anitii fuerunt, et Manlii, viri inter antiquos nobilesque Romanos tanti, paucos ut habuerint pares, superiores certe nullos. 2° Eruditio ejusdem singularis, qua ut ultimus omnium ex antiquis Romanis aliquid litterarum monumentis consecravit, sic primus omnium Aristotelicam disciplinam Latinis litteris illustrare cœpit: tantæ cæterum apud posteros auctoritatis, ut ab ejusdem sententia nulla ferme sit provocatio. 3° Virtus illius *in tempestate quieta fuit*: *luxit in tenebris; pulsa loco mansit tamen atque hæsit in patria*; *splenduit per sese semper, nec alienis unquam sordibus obsolevit.* 4° Uxores, soceris Festo et Symmacho, patriciis omni laude majoribus, similes; quarum altera versificando imitata est; altera pulchra prole parentem fecit maritum. 5° Duo filii, paternæ avitæque virtutis hæredes, frequente senatu, populisque lætantibus, provecti sunt pariter consules ex ædibus paternis in curiam, ubi pater, iisdem curules insidentibus, regiæ laudis orator, ingenii gloriam facundiæque meruit. 6° Dignitates huic familiæ credideris innatas: has quippe, etiam senibus negatas, Boetius ipse habuit ab adolescentia. 7° Nec inimici fuerunt nisi improbi, magnum eximiæ virtutis argumentum. 8° Denique Boetius Deum unice diligens, pro avita religione sanguinem fudit; circa annum Christi 525, ætatis suæ 50.

(*a*) Sabellicus, l. II, enneade 8.
(*b*) Sabellicus, ibid. Paulus Diaconus, l. XV, c. 5.
(*c*) Vetus Boetii statua marmorea, quæ Romæ servatur in ædibus Justiniani v. c. indicat Boetium sublatum fuisse circa annum vitæ suæ quinquagesimum.
(*d*) Paulus diaconus l. XV; Procopius lib. I de Bello Gothico; Pomponius Lætus, etc.
(*e*) Julius Martianus Rota, in Vita Boetii.
(*f*) Ibid.
(*g*) Ibid.

TESTIMONIA VARIORUM

DE BOETIO ET EJUS SCRIPTIS

AB IPSA BOETII ÆTATE AD NOSTRA USQUE TEMPORA, NON INTERRUPTA SÆCULORUM SERIE, CONTINUATA.

Quamvis non idem fuerit sæculorum, quæ a Boetio ad nos usque fluxerunt, in litteras amor, sæpiusque idcirco interrupta fuerit virorum litteratorum memoria, singulari tamen Dei privilegio factum, ut sua sint quibuslibet his sæculis de meritis Boetii testimonia. Præcipua seligemus.

QUINTUM SÆCULUM,

NIMIRUM A NATO NOTOQUE BOETIO AD ANNUM CHRISTI 500.

Priscianus Grammaticus, patria Cæsariensis, vir non solum in grammaticis et rhetoricis, verum etiam in philosophicis mathematicisque versatissimus, libro de Ponderibus et Mensuris, *Boetius*, inquit, *probitatis et omnium scientiarum verticem attigit.*

SEXTUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 500 AD AN. 600.

Ennodius, sive ut quibusdam legitur, Evodius, episcopus Ticinensis, vir cum stricta tum etiam soluta oratione sua clarissimus, libro septimo epistolarum, epistola decima tertia Boetio. *Tu*, inquit, *in me emendatissime hominum, dignaris prædicare virtutes, quem in annis puerilibus sine ætatis præjudicio, industria fecit antiquum: qui per diligentiam imples omne quod cogitur; cui inter vitæ exordia ludus est lectionis assiduitas, et deliciæ sudor alienus. In cujus manibus duplicato igné rutilat, qua veteres face fulserunt. Nam quod vix majoribus circa extremitatem vitæ contigit, hoc tibi abundat in limine.*

Ejusdem episcopi, libro octavo epistolarum, epistola prima eidem Boetio consuli facto. *Optimæ spei plenus*, inquit, *cui fautum cupio, ad curam officii epistolaris aspiro. Decet enim vestris fascibus hac præfatione delibari*; *et inter purpuras possessoris luce crescentes, qualicunque non abstinere colloquio. Nunquid solius doctrinæ beneficiis amor agnoscitur, nec fas esse credendum est, prodire in medium desideria rusticantis? Simplicius innotescunt vota nullo peritiæ velata præstigio. Ergo nos hoc sumus ore, quod pectore. Non amara præcordiorum delenificis possumus mutare sermonibus. Pudens laudator est, cui in concinnatione blandimenti dicenda mens suggerit. Deo ergo omnipotenti gratias, cui in vobis, dum vetera familiæ vestræ bona custodit, nova multiplicat; et quod plus est apice dignitatis, dignos facit esse culminibus. Redditur quidem vestræ gloria ista origini, sed quod est clarius, merito impetrante personæ. Fuerit in morem veteribus, curulium celsitudinem campi sudore mercari, et contemptu lucis honorum luce fulgere: sed aliud genus virtutis quæritur, postquam præmium facta est Roma victorum. Noster candidatus post manifestam decertationem, debitum triumphum, dum nunquam viderit bella, sortitur. Judicio exigit laureas, et congredi non necessarium duxit armatis. Inter Ciceronis gladios et Demosthenis enituit, et utriusque propositi acumina, quasi natus in ipsa artium pace, collegit. Nemo dissonantiam Atticæ perfectionis metuat et Romanæ; nec præcipua gentium bona in societatem dubitet convenire. Unus es qui utrumque complecteris, et quidquid viritim distributum poterat satis esse, avidus maximarum rerum possessor includis. Eloquentiam veterum, dum imitaris, exsuperas. Dicendi formam doctissimis tribuis, dum requiris. Est apud me epistolæ vestræ, quæ hujus rei fidem faciat, veneranda compositio. Utinam quæ a vobis diriguntur, tam essent crebra quam suavia! Dicaris forsitan, Par fuit propinquum laudare, in commune augmentum laborantem: quia non est proprium, quod* A *quasi singulariter videtur palmata conferre. Venit ad me equidem portio de curuli; sed si mihi conceditis, plus erigor de genio et studiis sublimati. Interdum accesserunt ista de casibus, soli contigerunt illa virtuti. Prope inops ad scipionem adducitur suffragii consularis, qui tantum de parentibus gloriatur. Tibi utrumque in peculio est, Latiaris scientia, et vena purpurarum.*

II.

Cassiodorus, qui intelligentiam sacrorum cum notione profanorum, utramque cum summa sanctitate conjunxit, nomine regis Theoderici, cujus *cancellarius* erat, plures ad Boetium misit epistolas. Una est quadragesima quinta libri primi epistolarum Cassiodori, sicque effertur:

B *Boetio viro illustri Patricio Theodericus rex*:

Spernenda non sunt, quæ a vicinis regibus præsumptionis gratia postulantur: dum plerumque res parvæ plus prævalent præstare, quam magnæ possunt obtinere divitiæ. Frequenter enim quod arma explere nequeunt, oblectamina suavitatis imponunt. Sit ergo pro republica et cum ludere videmur. Nam ideo voluptuosa quærimus, ut per ipsa, seria compleamus. Burgundiorum itaque dominus a nobis magnopere postulavit, ut horologium, quod aquis sub modulo fluentibus temperatur, et quod solis immensi comprehensa illuminatione distinguitur, cum magistris rerum, ei transmittere deberemus. Quatenus impetratis delectationibus perfruendo, quod nobis est quotidianum, illis videatur esse miraculum. Merito si quidem respicere cupiunt, quod C *legatorum suorum relationibus obstupescunt. Hoc te, multa eruditione saginatum, ita nosse didicimus. ut artes, quas exercent vulgariter nescientes, in ipso disciplinarum fonte potaveris. Sic enim Atheniensium scholas longe positus introisti; sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Græcorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam. Didicisti enim, qua profunditate cum suis partibus speculativa cogitetur: qua ratione activa cum sua divisione discatur; deducens ad Romuleos senatores, quicquid Cecropidæ mundo fecerant singulare. Translationibus enim tuis Pythagores musicus, Ptolomæus astronomus leguntur Italis. Nicomachus arithmeticus, geometricus Euclides audiuntur Ausoniis. Plato theologus, Aristoteles logicus Quirinali voce disceptant: mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddi-* D *disti. Et quoscunque disciplinas vel artes fecunda Græcia per singulos viros edidit, te uno auctore patrio sermone Roma suscepit. Quos tanta verborum luculentia reddidisti claros, tanta linguæ proprietate conspicuos, ut potuissent et illi opus tuum præferre, si utrumque didicissent. Tu artem prædictam, ex disciplinis nobilibus natam, per quadrifarias Mathesis januas introisti. Tu illam in naturæ penetralibus considentem, auctorum libris invitantibus cordis lumine cognovisti: cui ardua nosse usus miracula, monstrare propositum est, molitur ostendere, quod obstupescant homines evenisse: miroque modo naturis conversis facti detrahit fidem, cum ostentet ex oculis visionem. Facit aquas ex imo surgentes, præcipites cadere, ignem ponderibus currere, organa ex raneis vocibus insonare; et peregrinis flatibus*

calamos complet, ut musica possint arte cantare. Videmus per eam defensiones jam nutantium civitatum, subita tali firmitate consurgere, ut machinamentorum auxiliis superior reddatur, qui desperatus viribus invenitur. Madentes fabricæ in aqua marina siccantur : dura cum fuerint ingeniosa dispositione solvuntur; metalla mugiunt : Diomedis in ære grues buccinant : æneus anguis insibilat : aves simulate fritiniunt; et quæ propriam vocem nesciunt, ab ære dulcedinem probantur emittere cantilenæ. Parva de illa referimus, cui cœlum imitari fas est : hæc enim fecit secundum solem in Archimedis sphæra decurrere : hæc alterum zodiacum circulum humano consilio fabricavit. Hæc lunam defectu suo reparabilem artis illuminatione monstravit : parvamque machinam, gravidam mundo, cœlum gestabile, compendium rerum, speculum naturæ, ad speciem ætheris incomprehensibili mobilitate volutavit. Sic astra, quorum licet cursum sciamus, fallentibus tamen oculis, prodire non cernemus. Stans quidam in illis transitus est : et quæ velociter currere vera ratione cognoscis, se movere non respicis. Quale est, hoc homini etiam facere, quod vel intellexisse potest esse mirabile? Quare cum vos ornet talium rerum prædicanda notitia, horologia nobis, publicis expensis, sine vestro dispendio, destinate. Primum sit, ubi stylus diei index per umbram exiguam horas consuevit ostendere. Radius itaque immobilis et parvus, peragens quod tam miranda magnitudo solis discurrit, et fugam solis æquiparat, quod motum semper ignorat. Inviderent talibus si astra sentirent, et meatum suum fortasse deflecterent, ne tali ludibrio subjacerent. Ubi est illud horarum de lumine venientium, singulare miraculum, si has et umbra demonstrat? Ubi prædicabilis indefecta rotatio, si hoc et metalla peragunt, quæ situ perpetua continentur? O artis inæstimabilis virtus, quæ dum se dicit ludere, naturæ prævalet secreta vulgare. Secundum sit, ubi præter solis radios hora dignoscitur, noctes in partes dividens : quod ut nihil deberet astris, rationem cœli ad aquarum potius fluenta convertit : quorum motibus ostendit, quod cœlo volvitur : et audaci præsumptione concepta ars elementis confert, quod originis conditio denegavit, universæ disciplinæ cunctus prudentium labor naturæ potentiam, ut tantum possint nosse, perquirit. Mechanisma solum est, quod illum ex contrariis appetit imitari : et si fas est dicere in quibusdam etiam nititur velle superare. Hoc enim fecisse dignoscitur Dædalum volare. Hoc ferreum Cupidinem in Dianæ templo sine aliqua alligatione pendere. Hoc hodie facit muta cantare, insensata vivere, immobilia moveri. Mechanicus, si fas est dicere, pene socius est naturæ : occulta reserans, manifesta convertens, miraculis ludens; ita pulchre simulans, ut quod compositum non ambigitur, veritas æstimetur. Hæc quia studiosius te legisse comperimus, prædicta nobis horologia quantocius transmittere maturabis. Ut te notum in illa parte mundi facias, ubi aliter pervenire non poteras. Agnoscant per te exteræ gentes; tales nos habere nobiles, quales leguntur auctores. Quoties non sunt credituri qui viderint? quoties hanc veritatem lusoria somnia putabunt? et quando fuerint a stupore conversi, non audebunt se æquales nobis dicere, apud quos sciunt sapientes talia cogitasse.

A

Altera epistola ejusdem Cassiodori est quadragesimo libri secundi, quæ sic se habet :

Boetio patricio Theodericus rex.

Cum rex Francorum, convivii nostri fama pellectus, a nobis citharædum magnis precibus expetisset, sola ratione complendum esse promisimus, quod te eruditionis musicæ peritum esse noveramus. Adjacet enim vobis doctum eligere, qui disciplinam ipsam in arduo collocatam, potuistis attingere. Quid enim illa præstantius, quæ cœli machinam sonora dulcedine modulatur, et naturæ convenientiam ubique dispersam virtutis suæ gratia comprehendit. Et paulo post : *Sed quoniam nobis facta est voluptuosa digressio (quia semper gratum est de doctrina colloqui cum peritis) citharædum, quem a nobis diximus postulatum sapientia vestra eligat præsenti tempore meliorem, facturus aliquid Orphei, cum dulci sono gentilium fera corda domuerit. Et quantæ nobis gratiæ fuerint actæ, tantæ vobis ex nostra æquabili compensatione referentur, qui et imperio nostro paretis, et quod vos clarificare possit, efficitis.*

B

Idem Cassiodocus ad finem libri Dialecticæ de eodem Bœtio ita loquitur : *Illud*, inquit, *competens judicavimus recapitulare breviter, quorum labore in Latium eloquium res istæ pervenerint : ut nec auctoribus gloria sua pereat : nobis plenissime rei veritas innotescat. Isagogen transtulit patricius Boetius, commentaque ejus gemina derelinquens. Categorias idem transtulit patricius Boetius, cujus commenta tribus libris ipse quoque formavit : Perihermenias supra memoratus patricius Boetius transtulit in Latinum, cujus commenta ipse duplicia minutissima disputatione tractavit... Supra memoratus patricius Boetius de syllogismis hypotheticis lucidissime pertractavit*, etc.

C

III.

Procopius, Cæsariensis ex Palæstina, rhetor et sophista inter varias suas historias scripsit de Bello Gothorum libros tres, in quorum primo quod Græce dixit de Boetio, sic Latine redditur :

Symmachus et ejus gener Boetius patricii, alto majorum sanguine, principes vero senatus Romani, et consules fuere, philosophiæ et æquitati supra cæteros mortales studuerant, multisque egenis tum Romanorum, tum externorum opibus suis subvenere. Hi ad ingentem gloriam evecti, deterrimos quosque in sui invidiam concitarunt : quibus delatoribus Theodericus rex persuasus, viros clarissimos perinde ac res novas molientes occidit, eorumque bona omnia publicavit. Sed paucis post diebus cœnanti illi cum ingentis piscis caput ministri apposuissent, illud Theoderico visum est caput esse Symmachi nuper occisi, dentibus quidem in inferius labrum impactis, oculis vero torve et furibunde intuentibus minari sibi plurimum videbatur. Unde prodigii novitate perterritus, membrisque præter modum tremebundus et horrens, in lectum citato gradu se recepit identidemque sibi togarum vim magnam ingeri jubendo paulum quievit. Elpedio deinde medico omnibus, quem-

D

admodum accidissent, explicatis, in Symmachum Boetiumque patratum a se scelus deflebat : quo denique deplorato ex accepta calamitate dolore ingenti affectus, haud longe post moritur : cum primum hoc et ultimum injuriæ exemplum in sibi subjectos idcirco exercuisset, quia non, uti consueverat, diligenter pervestigata causa, in tantos viros animadverterat.

Idem auctor libro tertio prædictæ historiæ de uxore Boetii superstite locutus hæc ait. *Unde vel Rusticianæ Boetii quondam uxori et Symmachi filiæ, id reliquum fuit ad vitam et ad miseriarum cumulum ut servili et rustico habitu induta, quæ egentibus facultates suas erogaverat, panem cæteraque ad victum necessaria ab hostibus mendicaret : domos enim circumeundo foresque oppulsando, cibum dari sibi suppliciter precabatur nil prorsus huic ignominiæ ea re afferente. Et certe Gothi in Rusticianæ mortem conspiraverant, illi objicientes quod exercitus Romani ducibus pecunias largiens, Theoderici statuas disturbasset, cædem Symmachi patris Boetiique mariti ulta. Totilas tamen nulla hanc affici injuria permisit, sed eam aliasque omnes ab contumelia immunes conservavit.*

SEPTIMUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 600 AD AN. 700.

Beda, venerabilis dictus propter vitæ sanctitatem morumque gravitatem, tanti fecit Boetium ejusque doctrinam, ut commentarios scripserit in Boetii librum de Trinitate. De eodem Boetio honorate et honorifice multa passim hic auctor prædicat.

OCTAVUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 700 AD AN. 800

Paulus diaconus, qui rogatu Adelburgæ filiæ Desiderii regis multa ad Eutropii historiam addidit, libro septimo hujus appendicis, postquam dixisset Joannem papam, Theodorum, Importunum et Agapitum consulares viros, aliumque Agapitum patricium ad Justinum legatos in itinere demoratos fuisse, addit : *Theodericus rabie suæ iniquitatis stimulatus, Symmachum exconsulem ac patricium, et Boetium seniorem et exconsulem catholicos viros gladio trucidavit.*

NONUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 800 AD AN. 900.

I.

Ado, Viennensis archiepiscopus, qui breviarium chronicorum ab origine mundi ad sua usque tempora productum composuit, loquens de Joanne summo pontifice ait : *Cum rediens Ravennam venisset, Theodericus eum cum comitibus cæteris carceris afflictione peremit, invidia ductus, quia catholicæ pietatis defensor Justinus eum honorifice suscepisset. Quo tempore Symmachum atque Boetium consulares viros pro catholica pietate idem Theodoricus occidit.*

II.

Anastasius apostolicæ bibliothecæ custos et instaurator, qui propterea dicitur Bibliothecarius, in sua pontificum Historia ad Joannem I hæc de Boetio scribit : *Eodem*, inquit, *tempore, cum hi suprascripti, id est papa Joannes cum senatoribus Theodoro exconsule, Importuno exconsule, Agapito exconsule (Agapito patricio defuncto Thessalonicæ) positi essent Constantinopoli, Theodoricus rex hæreticus tenuit duos senatores præclaros et exconsules, Symmachum et Boetium, et occidit interficiens gladio.*

DECIMUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 900 ad AN. 1000.

Cum ossa Boetii multis abhinc sæculis jacerent neglectu temporum minus honorata, Otho tertius imperator eadem marmore includi jussit : inscripto elogio, quod composuit Gerbertus Ravennas archiepiscopus, magister olim Augusti, is qui summus pontifex creatus, Sylvester secundus dictus est, quique non secus ac Boetius ob exquisitam reconditarum rerum scientiam magus falso est habitus ab imperitis. Elogium autem illud his versibus expressit :

Roma potens dum jura suo declarat in orbe,
Tu pater et patriæ lumen, Severine Boeti,
Consulis officio rerum disponis habenas,
Infundis lumen studiis et cedere nescis
Græcorum ingeniis, sed mens divina coercet
Imperium mundi. Gladio bacchante Gothorum
Libertas Romana perit : tu consul et exsul
Insignes titulos præclara morte relinquis.
Nunc decus imperii, summas qui prægravat artes
Tertius Otto sua dignum te judicat aula;
Æternumque tui statuit monimenta laboris,
Et bene promeritum meritis exornat honestis.

UNDECIMUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 1000 AD AN 1100.

Sigebertus monachus Gemblacencis, ordinis S. Benedicti, qui inter historicos non ultimum locum habet in suo de scriptoribus illustribus opere, dubitat num Boetius conferendus, an præferendus philosophis et sæcularibus et ecclesiasticis. *Boetius*, inquit cap. 37, *vir consularis conferendus, vel præferendus philosophis et sæcularibus et ecclesiasticis; quia nos ambiguos esse facit, an inter sæculares, an inter ecclesiasticos scriptores fuerit illustrior? Laudent eum sæculares, quod Isagogas, quod Perihermenias, quod Categorias transtulerit de Græco in Latinum, et exposuerit; quod Topica Ciceronis exposuerit, quod Anteprædicamenta, quod libro de Topicis Differentiis, de Cognitione dialecticæ et rhetoricæ, et Distinctione rhetoricorum locorum, de Communi Prædicatione potestatis et possibilitatis, de Categoricis et Hypotheticis Syllogismis libros et alia multa scripserit, quod Arithmeticam et Musicam Latinis scripserit. Nos ecclesiastici laudamus eum quod librum de Sancta Trinitate scripserit, quod exsiliatus a Theodorico Gothorum et Italorum rege, pro eo quod tueri volebat libertatem Romanæ urbis, scripsit librum de Consolatione philosophiæ. Hic ab eodem rege Theodorico occisus est.*

II.

Honorius Augustodunensis Ecclesiæ presbyter in Chron. : *Boetius*, ait, *patricius vel consul scripsit librum de Sancta Trinitate, et alium de Consolatione, et quadrivium de Græco transtulit, id est Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astronomiam. Dialecticam vero explanavit. A Theodorico Gothorum rege Mediolani interficitur.*

DUODECIMUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 1100 AD AN. 1200.

I.

Joannes Saresberiensis natione Anglus, episcopus Carnotensis, qui inter alia opera scripsit Policraticum sive de Nugis curialium et Vestigiis philosophorum, in hoc eodem opere, libro septimo, capite decimo quinto, hunc Boetii librum de Consolatione philosophiæ plurimum commendat. *Si* inquit, *mihi non credis, liber de Consolatione philosophiæ revolvatur attentius, et planum erit hæc in contrarium cedere. Et licet liber ille Verbum non exprimat incarnatum, tamen apud eos qui ratione nituntur, non mediocris auctoritatis est; cum ad reprimendum quemlibet exulceratæ mentis dolorem, congrua cuique medicamenta conficiat. Nec Judæus quidem nec Græcus sub prætextu religionis medicinæ declinet usum, cum sapientibus in fide et in perfidia desipientibus sic vividæ rationis confectio proficiat artificiosa, ut nulla religio quod miscet abominari audeat, nisi quis rationis expers est. Sine difficultate profundus est in sententiis, in verbis sine levitate conspicuus, orator vehemens, efficax demonstrator. Ad id quod sequendum est, nunc prolabitur suadens, nunc quasi stimulo necessitatis impellens.*

II.

Huic addi potest auctor libri de Spiritu et Anima, qui inter opera S. Augustini refertur : si tamen vera est conjectura Vincentii in Speculo historiali, et abbatis Trithemii, qui asserunt hunc auctorem esse Hugonem a sancto Victore, quippe qui florebat anno Christi 1130 : hic enim auctor, quisquis sit, non solum ducit honori referre cogitationes et verba Boetii capite undecimo dicens : *Mens nunc caput summis inserit, nunc desidit in infima,* et cætera quæ habentur metro 4 libri quinti Consolationis philosophiæ; sed capite trigesimo septimo ejusdem Boetii auctoritate utitur : *Boetius,* inquit *dicit intelligentam solius Dei esse admodum paucorum hominum.*

DECIMUM TERTIUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 1200 AD AN. 1300.

Sanctus Thomas omni nostra prædicatione major, mirum in modum commendat merita Boetii, non quidem suis in libros de Consolatione philosophica commentariis : siquidem hæc, ut probavimus, germana non sunt sancti Thomæ opera, sed sua potius frequenti hujus auctoris laudatione, qua Boetium æquans summis Ecclesiæ doctoribus, ejusdem auctoritate utitur ad faciendam fidem. Sic 1 p. q. 10, a. 1, æternitatis definitionem, quam ipse dicit a Boetio positam, cæteris posthabitis, particulatim explicat : *Æternitas,* inquit, *est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio, ut habetur* v *de Consol., prosa* 2, *circa principium.* Sic q. 29 ejusdem partis in argumento *Sed contra,* affert personæ definitionem quam dicit esse Boetii lib. de Duab. Nat., hancque particulatim exponit : *Persona,* inquit, *est rationalis naturæ individua substantia.* Et sic de cæteris.

DECIMUM QUARTUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 1300 AD AN. 1400.

I.

Philippus Pulcher, Francorum rex, ut refert Petrus Bertius præfatione in libros Boetii de Consol., tanti fecit hos Consolationis philosophicæ libros, ut quamvis ipse Latine intelligeret, tamen pro beneficio habuerit, quod ipsi Joannes Magdunensis, poeta, ut tunc ferebant tempora, eruditus eos Gallice a se redditos inscripsisset : asservatur ejus operis exemplar adhuc hodie Lutetiæ in bibliotheca Augustinianorum.

II.

Maximus Planudes, monachus Constantinopolitanus, nihil moratus superbam Græcorum consuetudinem, qui Latinos libros Græce reddere non solent, tanti habuit libros Boetii de Consolatione philosophiæ, illos ut Græco sermone fuerit interpretatus. Et hoc exemplar servatur in bibliotheca regis.

DECIMUM QUINTUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 1400 AD AN. 1500.

I.

Laurentius Valla, patricius Romanus, vir ipse eruditissimus, non modo ait Boetium Latine loqui, quemadmodum refert Julius Scaliger, verum eumdem Boetium vocat eruditorum ultimum, præfatione in libros suos Dialecticos. *Nec,* inquit, *aliter sentit eruditorum ultimus Boetius, magis, ut mihi videtur, Platonicus quam Aristotelicus : quos auctores parum inter se distare docturum se quodam loco promisit.*

II.

Sanctus Antonius archiepiscopus Florentinus, ordinis Prædicatorum 2 parte Histor., titul. 11, cap. 2, § 4, de Boetio honorificentissime scripsit. *Cum,* inquit, *Theodoricus rex Gothorum rempublicam in Italia opprimeret temporibus prioribus, Boetius senator clarissimus, ut infra dicetur de sapientia ejus, amator reipublicæ in multis regi se pro justitia opponebat, cumque et propter generis nobilitatem et eloquentiam apud omnes de eo magna esset opinio, etiam ab ipso rege timebatur : quare ut creditur subornatis quibusdam ut ipsum crimine læsæ majestatis accusarent, dixerunt quod ipse prodita civitate Romana Anastasium principem in Italiam evocaverat, ut rempublicam de manu Theodorici liberaret : quamobrem sumpta occasione ipsum cum quibusdam aliis Romanis nobilibus apud Papiam exsilio relegavit, ubi in carcere positus librum de philosophiæ Consolatione scripsit : ubi demum ab eo interficitur.*

Et capite 15, citans Sigebertum : *Eo tempore,* inquit, *Symmachus patricius rempublicam Romanam illustravit, et cum eo gener ejus Boetius vir consularis, conspicuus in utraque lingua, eruditione omnium artium liberalium, quas pene omnes e Græco in Latinum transtulit eloquium.*

III.

Jacobus Philippus Bergomensis ordinis Eremitarum S. Augustini in supplem. Chronic. ad ann. Christi 500. *Boetius,* inquit, *Anitius Manilius Severinus Christianissimus vir et consulari dignitate insignitus, poetaque ac philosophus celeberrimus, Symmachique*

patricii gener iisdem temporibus Romæ clarissimus fuit. Hunc quidam Manilium vocant, eo quod a Manilio Torquato originem duxisse tradant. Qui cum vere catholicus esset, nec Arianis etiam persæpe rogatus obtemperare vellet, et ipse a Theoderico rege sub velamento affectatæ libertatis post socerum suum Ticini exsulare jubetur, et postmodum instigantibus hæreticis perpetuo carceri damnatur : in qua quidem calamitate constitutus ad recreandum animum suum, cum in mathematicis doctissimus esset, chiterinum e nervo primus excogitavit et excidit, quod quidem modernis temporibus, musicis celebre instrumentum habetur. Ibidem quoque constitutus ad multorum utilitatem præclarissima atque innumerabilia quasi edidit opuscula, et quæ ad manus devenere hæc ipsa sunt. Et postea : *Hunc denique virum optimum et sanctum Theodoricus rex cum in sententiam suam omnino flecti non posset, Arianorum rabie concitatus, post longum carceris squalorem, imperante Justino seniore Augusto, anno scilicet Domini nostri* 520 *apud Papiam pro catholica fide occidi jussit : cujus corpus ibidem in divi Augustini templo adhuc habetur conditum. Et sunt qui dicant eum in catalogo sanctorum eam ob rem fuisse relatum, et sanctum Severinum vocitatum.*

IV.

Hermolaus Barbarus, patricius Venetus, archiepiscopus et patriarcha Aquilegiensis, in sua præfatione quam habuit, cum libros Aristotelis domi cœpit prælegere. *Qui*, inquit, *putant, hunc aditum patere nemini qui scholas illas philosophiæ nunquam intraverit, in magno versantur errore* : *quandoquidem tales scholas nec Marcus Varro, nec Brutus, nec Plantius, nec Chalcidius, nec Boetius ingressi* : *non Alexander, non Themistius, non Porphyrius, non Jamblichus, non Simplicius, philosophi tamen eminentissimi, et Aristotelis interpretes juratissimi fuere.*

V.

Angelus Politianus, qui excellens cum poeta, tum orator, multa tam Græce quam Latine edidit opera, in suis Miscellaneis, cap. 1, de Boetio sic loquitur : *Quis Boetio vel in dialecticis acutior? vel subtilior in mathematicis? vel in philosophia locupletior? vel in theologia sublimior? Quam tanti juniores etiam philosophi longe (arbitror) omnium perspicassimi fecerunt, ut Aquinatem Thomam, divum hominem, magnumque illum Thomæ præceptorem (Deus bone, quos viros!) habere meruerit enarratores* : nimirum in his, inquit Vallinus, quæ sanctus Thomas in Boetii libros de Trinitate et de Hebdomadibus scripsit; quod commentaria in libros Boetii de Consolatione philosophiæ, quæ vulgo sancto Thomæ tribuuntur, hujus sanctissimi doctoris non sint.

DECIMUM SEXTUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 1500 AD AN. 1600.

I.

Joannes Tritenhemius abbas Spanheimensis in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum. *Boetius*, inquit, *Manlius Severinus, consul ordinarius Romæ, philosophus, orator, et poeta insignis, in divinis Scripturis* A *doctus, et in sæcularibus litteris omnium suo tempore eruditissimus, gener Symmachi patricii fuit. Vir Græco et Latino copiosissime imbutus eloquio, quippe qui multa volumina tam Aristotelis quam aliorum philosophorum de Attica lingua transtulerit in Latinam : ingenio subtilis, sensu promptus, atque catholicus; sermone nec Tullio inferior, quem sancti Benedicti constat amicitiam habuisse, et in monte Cassino cum Tertullio Placidi monachi patre senatore in ejus mensa comedisse. Scripsit multa præclara volumina, de quibus ego reperi subjecta.*

Ad Symmachum socerum suum Romanæ urbis patricium de Sancta Trinitate lib. I, *incipit* : Investigatam diutiss., *etc*,

A *De Unitate Trinitatis lib.* I, *incipit* : Quæro an Pater et Filius, *etc.*

De Duabus Naturis in Christo lib, I, Anxie te quidem, *etc.*

De Fide ad Joan. diaconum lib. I, Christianam fidem novi.

De Unitate et Uno lib. I, Unitas est qua, *etc.*

De Eisagogis Porphyrii lib. II, Hiemantis anni temp.

In secundam ejusdem editionem lib. I, Secundus hic.

In Categorias Aristotelis lib. II, Expeditis his, *etc.*

In Perihermenias ejusdem lib. I, Magna quidem libri.

In editionem ejusdem secundam lib. VI, Alexander in.

De Divisionibus lib. I, Quam magnos studiosos.

C *De Definitionibus lib.* I, Dicendi ac disputandi.

Ad Categoricos Syllogismos introduct. lib. I, Multa veteres philosophi.

In Topica Ciceronis lib. VI, Exhortatione tua, *etc.*

De Differentiis topicis lib. IV, Omnis ratio disserendi.

De Syllogismo categorico lib. II, Multa Græci veteres.

De Syllogismo hypothetico lib. II, Cum in omnibus.

De Hebdomadibus lib. I, Postulas ex hebdom.

De Arithmetica lib. II, Inter omnes priscæ.

De Musica lib. V, Omnium quidem perceptio.

De Philosophica Consolatione lib. V, Carmina qui quondam.

D *In Geometricam Euclidis lib.* III, Qui vero, mi Patriti.

De disciplina scholarium, ut aliqui volunt, lib, I. Vestra. *Indignus est ille liber, qui tanto viro tribuatur, nec etiam docti hunc Boetio tribuunt.*

De Locis rhetoricis lib. I.

De Prædicatione potestatis lib. I.

Epistolarum ad diversos lib. I.

Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur : sed ad notitiam meam non venerunt. Moritur eodem anno quo Symmachus patricius, et Joannes papa sub Anastasio imperatore, jussu Theodorici regis ad Ravennam post diuturnum exsilium in carcere jugulatus, anno Domini 524, *indict.* 2, *et sub nomine Severini catalogo sanctorum insertus dicitur.*

II.

Julius Cæsar Scaliger, vir in republica litteraria celeberrimus, Boetium sæpissime laudat : ut in Hypercritico. *Boetii Severini*, inquit *ingenium*, *eruditio*, *ars*, *sapientia facile provocat omnes auctores*, *sive illi Græci sint*, *sive Latini*. *Sæculi barbarie ejus oratio soluta deterior invenitur : at quæ libuit ludere in poesi*, *divina sane sunt*, *nihil illis cultius*, *nihil gravius : neque densitas sententiarum venerem*, *neque acumen abstulit candorem*. Equidem censeo paucos cum illo comparari posse. Valla docet illum Latine loqui : at Vallam Boetius bene sapere. Hinc idem Scaliger de eodem Boetio canit in Divis :

Divinæ enumeres ingentia semina mentis :
Dotibus accedant Curia, lingua, lares.
Haut satis est : adpone polum, pars esse Boeti
Cœperit : at nondum munera tota capis.

III.

Lilius Gregorius Gyraldus etiam inter doctos notissimus Boetium pariter summis laudibus extollit, de Poetar. Histor. dial. 5. *Sed*, inquit, *hujus ætatis alios afferamus*, *quos inter Boetius Anicius Manlius Severinus*, *Romanus patricius et exconsul*, *qui a nostris plerisque in martyrum catalogo ascribitur*. *Hic cum Symmacho et ipso patricio*, *Boetii*, *ut plerique omnes tradunt*, *socero a Theodorico Gothorum rege primum Ticinum relegati*, *deinde necati sunt*, *quod in libertatem populum Romanum viderentur velle vindicare*. *Fuit Boetius*, *ut scitis*, *in omni disciplina egregie doctus*, *quod vobis liquido ex ejus monumentis constare potest*. *Sed quod ad præsentem materiam attinet*, *in pangendis versibus mira usus est facilitate*. *De illo plura colligere. supervacaneum*, *quando ejus volumina nota sunt omnibus*. *Ejus certe ingenium ad eas artes*, *quæ supra litteras sunt*, *mirum in modum celebratur ab ejus occisore Theodorico rege*.

IV.

Magdeburgenses, centuria 6, cap. 10 de Episcopis et Doctoribus, *Boetius*, inquiunt, *Anius Manilius Severinus*, *patricius et consul*, *vir Græce et Latine doctissimus fuit*, *et multo in philosophia aliisque disciplinis*, *tum soluta tum ligata oratione conscriptos libros posteris reliquit*.

V.

Justus Lipsius, qui cum ob eximiam suam doctrinam, tum maxime ob ingenuum animi candorem doctis pariter ac probis omnibus colitur, non solum laudat Boetium in civili sua doctrina aliisque suis operibus, sed scribens ad Janum Bernartium cognatum suum, de Consolatione ab hoc illustrata et emendata, hos protulit Phaleucos :

En Boetius ille, qui sophorum
In primis sophus esse gloriatur :
Qui doctum nimis, et satis disertum
Scriptum hoc edidit, omnium bonorum
Bonum judicio. Sed id tenebras
Ævo aut ingenio suopte, habebat;
Quas Bernartius ille, flos meorum
Belgarum pepulit, facemque claram
A se prætulit : hanc sequere, quisquis
Doctrinæ sapientiæque cultor
Non audire, sed esse, concupiscis.

DECIMUM SEPTIMUM SÆCULUM,

NIMIRUM AB ANNO 1600 AD HANC NOSTRAM ÆTATEM 1779.

Infinitior sim, si quæ hoc nostro sæculo in laudem Boetii dicta sunt, hæc omnia recensendo enumerare velim ; nullus enim est aut historiographus, aut theologus, qui de illustrissimo illo auctore non fuerit ornate et honorifice locutus. Consule si placet Baronium, Annal. ecclesiast. tom. VII, ad an. 522 ; D. Petrum a Sancto Romualdo in Thesauro chronologico, tom. II, ad an. 510 ; aliosque omnes historiographos ; vide reverendum Patrem Caussinum in libro quem inscripsit *la Cour sainte*, ubi proponendo ideam viri quem vocat *homme d'Etat*, pluribus agit de nobilitate, de doctrina, de consiliis, de morte Boetii. Lege etiam, si lubet, Gerardum Joannem Vossium de Poetis Latinis cap. 5 : *Quibus*, inquit, *temporibus in Oriente Zeno posteaque Anastasius*, *in Italia Odoacer*, *et exinde Theodericus rexit*, *claruit Anitius Manlius Boetius Severinus*, *vir Latine et Græce doctissimus*, *in omni disciplinarum genere excellens quoque Roma a Varronis temporibus non habuerit undecunque doctiorem*. *Quantum idem carmine valuerit*, *ostendunt libri quinque de Consolatione philosophiæ*, *quos exsul Ticini scripsit*. *Omnino nihil in poesi venustius habuit illud ævum*, *vel etiam quod proxime antecessit*.

IDEA LIBRORUM BOETII
DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ.

Opus hoc, mole parvum, doctrina maximum, est series argumentorum naturali lumine cognitorum, quibus mens humana adversis casibus suscitata, ad primam causam ultimumque finem attentione sic erigitur, ut hæc exutis præjudiciis veritati assequendæ virtutique colendæ aptior efficiatur. Propterea hoc opus incribitur Consolatio philosophiæ, distribuiturque in tres partes, quarum prima complectitur afflictionem Boetii : secunda Consolationem philosophiæ ; tertia contraria, quæ illius consolationis vim minuere videntur, argumenta cum responsionibus.

AFFLICTIO BOETII.

LIB. I. — Boetius suarum miseriarum (*Metro* 1) ut conscius, sic impatiens, contrarias undique exquirit cogitationes, quibus mœror possit si non fugari, saltem minui : hinc animum convertit (*Prosa* 1) ad præsides carminum musas sibi quondam familiares : sed harum remedia, ceu nova tristitiæ irritamenta, excipit fugatque cogitatio philosophica ; cujus ope Boetius animadvertit se in summa rerum omnium, non (*Metro* 2) ignoratione modo, sed etiam (*Prosa* 2) inertia versari. Tum aucto sensim Philosophiæ (*Me-

tro 3) lumine, recognoscit primum quidem ipsam (*Prosa* 3) Philosophiam; deinde cum antiquos, tum recentiores philosophos similibus miseriis impugnatos quidem, sed non (*Metro* 4) expugnatos : ita ut tamen veteri præjudicio ductus, non desistat cum Philosophia (*Prosa* 4) de suo exsilio conqueri, causatus solum (*Metro* 5) hominem videri divinis legibus solutum, et præpostero veluti ordine pœnas præmiaque accipere.

CONSOLATIO PHILOSOPHIÆ

Postquam Philosophia præmonuit, 1° (*Prosa* 5) exsilium adversamque fortunam Boetii male sic vocari; 2° (*Metro* 6) mentem Boetii nondum posse validioribus remediis curari; 3° (*Prosa* 6) se deinceps usuram illa, quæ est in Boetio, cum sui tum Dei notione, quanquam (*Metro* 7) perturbationibus obscurata; eadem Philosophia tria proponit, ad consolandum Boetium, argumentorum genera; quorum primum minoris; secundum majoris; tertium maximi dicit esse ponderis.

Primo, inquit, qui sese commisit arbitrio dominæ, quam novit tam inconstentem, quam allicientem, et mali non rarius quam boni parentem, is cum ea non debet conqueri de malo sibi illato, præsertim si plus boni quam mali ab eadem acceperit : dominus enim et domina absque ulla mancipii injuria suo jure uti possunt : nec mancipium, quod male excipi poterat, conqueri tum potest, cum bene excipitur.

Lib. ii. — Atqui tu, o Boeti, te commisisti arbitrio (*Prosa* 1) fortunæ quam nosti (*Metro* 1) naturaliter tam (*Prosa* 2) inconstantem, quam (*Metro* 2) allicientem boni malique dominam, et a qua plus boni (*Prosa* 3 *et Metro* 3) accepisti quam mali : cum, eadem fortuna duce, acceperis, puer optiman educationem, adolescens summos honores, vir optimum socerum, optimam uxorem, optimos liberos, et, quod præstantissimum est, optimum semper animum, quibus discere potuisti, pari prudentia et summas et infimas conditiones homini esse fugiendas.

Secundo, inquit, nec est justa conquerendi ratio de amissis iis, quæ tantum abest, ut bona sint, ut potius sint mala humanæ mentis : bonum quippe est, adeoque gratiæ potius, quam querelæ causa, privari malis.

Atqui quæ amisisti, o Severine, divitias nimirum, et cætera id genus quæ vocas bona, hæc (*Prosa* 5) mala potius sunt animi, quam bona ; miseriæ potius quam felicitatis causæ : propterea enim (*Metro* 5) ætas majorum nostra fuit felicior; quod illi minori, quam nos, horum cupiditate tenerentur : propterea (*Prosa* 6) potentia in improbo magistratu sedem nacta plurimas edit strages quod nimis patet exemplo (*Metro* 6) Neronis : propterea (*Prosa* 7) fama ipsa, qua optimus quisque videtur duci, tanquam altera vita, (*Metro* 7) mortem geminat tandem aliquando fatiscens : propterea (*Prosa* 8) fortuna, quæ vulgo dicitur prospera, mentem involvens tenebris, eamdem inducit cum in errorem, tum in vitium, a quibus fortuna, quæ vulgo habetur adversa, sic liberat, hæc ut ad veritatem et virtutem, adeoque (*Metro* 8) amorem divinum excitet.

Lib. iii. — At nisi hæc concesseris esse mala, fatearis necesse est, in his non esse nisi falsam felicitatem (*Prosa* 1 *et Metro* 1), quæ ante pellenda est, quam vera felicitate fruaris : unde.

Tertio, inquit, non etiam juste conqueritur ille, qui amissis iis duntaxat, in quibus falsa assumptione felicitas versari creditur, tanto aptior est ad assequendam veram felicitatem : hic enim tanto liberior est a miseriis, quæ unica conquestionis causa.

Atqui tu, o Manli, amissis iis duntaxat, in quibus falsa assumptione felicitas versari creditur, tanto aptior es ad assequendam veram felicitatem.

Primum quidem ea duntaxat amisisti, in quibus falsa assumptione creditur esse felicitas : tale enim est generatim (*Prosa* 2) omne bonum creatum, ad quod male applicatur (*Metro* 2) ingenita nobis summi boni cogitatio. Tales sunt (*Prosa et Metro* 3) divitiæ. Tales (*Prosa* 4 *et Metro* 4) magistratus. Talis (*Prosa* 5 *et Metro* 5) potestas. Talis (*Prosa* 6 *et Metro* 6) gloria. Talis (*Prosa* 7 *et Metro* 7) voluptas corporis. Talia (*Prosa* 8 *et Metro* 8) omnia bona caduca.

Deinde aptior (*Prosa* 9) es propterea ad assequendam veram felicitatem, nimirum veram summi boni cogitationem, aspirante tamen Deo, qui idcirco (*Metro* 9) invocandus est : aliquod enim est (*Prosa* 10) summum bonum, videlicet Deus, cui cogitando omnis homo (*Metro* 10) vacare debet, tanquam (*Prosa* 11) ultimo rerum omnium fini : quod ut doceatur homo (*Metro* 11), suam mentem attentius meditetur : hac (*Prosa* 12) quippe meditatione discet, omnia esse facta a Deo regi, et ad Deum esse referenda : hac cogitatione (*Metro* 12) felices sumus, nec infelices, nisi inspectis rebus caducis eadem cogitatio aut deleatur, aut saltem obscuretur.

ARGUMENTA CONSOLATIONI PHILOSOPHICÆ

CONTRARIA CUM RESPONSIONIBUS.

Quo antiquiora sunt præjudicia, eo difficilius hæc exuuntur; propterea Boetio prædictis commoto plura suppetunt, quæ adversus illam philosophiæ doctrinam opponat; sed suæ non desunt Philosophiæ responsiones.

Lib. iv. — I. Si (*Prosa* 1) Deus, *inquit Boetius*, mundum regeret, nec virtus præmio, nec vitium sua careret pœna : cum tamen contrarium experiamur.

Nec (*Ibid.*) virtus præmiis, *inquit Philosophia*, nec suis caret vitium suppliciis. 1° Enim (*Metro* 1) probi Deo adhærentes cogitatione, humana sunt in patria, a qua improbi exsulant. 2° (*Prosa* 2) Probi sunt potentes, improbi impotentes, ex eo (*Metro* 2) præsertim, quod illi moderentur, hi suis obsequantur perturbationibus. 3° (*Prosa* 3) Probi in deos, improbi in (*Metro* 3) bestias mente convertuntur : hinc improbi (*Prosa* 4) miserrimi sunt, quorum idcirco (*Metro* 4) præstat misereri.

II. Sua sit probis felicitas, sua improbis miseria, *dicit Boetius*, cur præterea, Deo mundum regente

(*Prosa* 5), et probi incommodis, et commodis impro-bi afficiantur?

Plura, *dicit Philosophia*, responderi possunt. Primum enim quamvis (*Ibid.*) germana tantæ dispositionis causa ab homine ignoraretur, eidem tamen homini non propterea dubitandum, quin omnia recte fierent (*Metro* 5) : admirari id homo potest, ut vulgus miratur effecta cœlestia. Deinde hæ (*Prosa* 6) vices non minus providentiæ divinæ sunt, quam fati; quare ut (*Metro* 6) cætera in quodam circuitu versantur : sic (*Prosa* 7) fortuna, etiam adversa, utpote quæ a Deo oritur, ad Deum referenda, ut (*Metro* 7) homo non nisi post susceptos labores fruatur optatis.

Lib. .v — III. Quod (*Prosa* 1) omnia providenti, *inquit Boetius*, nihil possit esse inopinatum, nullus, Deo mundum regente, in mundo erit casus : quidquid in contrarium doceat experientia.

Nullus, *reponit Philosophia* (*Ibid.*), erit casus Deo : sed casus erit hominibus : sicut duæ (*Metro* 1) naves constanti duorum fluminum cursu abreptæ, suo quælibet casu sibi invicem occurrere possunt.

IV. Posita (*Prosa* 2) divina providentia, *instat Boetius*, non stabit humana libertas, cujus tamen unusquisque homo conscius est.

Ut sua (*Ibid.*) cuilibet menti stat libertas, *respondet Philosophia*, sic sua humanæ stabit : saltemque (*Me*- A *tro* 2) Deus, cujus est omnia cernere, novit modum, quo humana libertas cum divina providentia possit conciliari.

V. (*Prosa* 3) Quomodo, *quærit Boetius*, providentia divina, utpote certissima, conciliari poterit cum humana libertate, quippe quæ est expers necessitatis? (*Metro* 3) an quia ut in cœteris, sic in hoc mens humana nec omnia nescit, nec omnia novit, ut a notis progredi nitatur ad ignota?

Hæc (*Prosa* 4) concordia, *Philosophia refert*, idcirco videtur difficilis, quia divina prænotio humanam infinite superans, mente humana non capitur. Sic quidquid Stoici (*Metro* 4) putent, plures sunt in eodem homine cognoscendi modi, quorum alii alios B ita transcendunt, ut quod intelligere possumus, illud non propterea possimus imaginari. Sicut (*Prosa* 5) ergo ex imbecillitate nostræ imaginationis non debet negari nostra intelligentia, sic ex imbecilitate intelligentiæ humanæ, divina futurorum liberorum prænotio neganda non est. Non, inquam, propterea negari, debet intelligentia humana, quæ idcirco data videtur homini, (*Metro* 5) præ cæteris animantibus, hic ut ad cœli conspectum excitetur. (*Prosa* 6) Deus igitur utpote æternus, futura libera, ceu præsentia, illæsa hominis libertate, novit.

CENSURA LIBROSUM BOETII

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ.

Suos hi libri habuerunt adversarios, quorum alii adjuncta esse, alii omissa hoc in opere quædam conqueruntur. Utrisque respondere jam conabimur.

I.

Henricus Glareanus, cui nonnulli astipulantur, existimat, *Præfatione in opera Boetii*, solutam hujus operis orationem, quod hæc barbarior sit, a Boetio non fuisse scriptam : ex quo non solum dubitat, sed inficiatur, quidquam hujus operis germanum esse Boetii fetum.

Ad quod respondeo, primum solutam strictamque hujus operis orationem ejusdem esse auctoris; deinde auctorem hunc esse Boetium; postremo Boetium non abs re gemino philosophici oratoris, et poetæ officio functum, modo barbare, modo Latine locutum fuisse.

Primum quidem stricta solutaque Consolationis philosophicæ oratio ejusdem auctoris est : quandoquidem, dempta alterutra hac oratione, nullus est superstitis nexus : vide enim (ne plura hic describamus) quomodo sine prosa primi carminis ultimus hic versus,

> Qui cecidit, stabili non erat ille gradu

cohæreat cum hoc secundi carminis primo versu,

> Heu quam præcipiti mersa profundo
> Mens hebet!

Vide etaim quantum disjungantur sine versibus interjectis postrema primæ, et prima secundæ *prosæ* hæc verba : Philosophia *his versibus de nostræ mentis* C *perturbatione conquesta est* : *sed medicinæ*, *inquit*, *tempus est*, *non querelæ*, etc.

Deinde auctor ille est Boetius : cum omnes scriptores, quorum supra mentionem fecimus, quinque libros Consolationis philosophiæ inter germana Boetii opera recenseant : nullo enim alio argumento convinceris, Æneida legitimum esse Virgilii opus.

Postremo non abs re Boetius in toto hoc opere barbara verba miscuit Latinis. Voluit quippe philosophici oratoris officio functus, verbis ad sensum vulgi tunc barbari accomodatis uti, ut philosophica ejus cogitatio facilius auditorum animis comprehenderetur : in philosophia enim, quod optime notat Tullius, *res spectantur non verba penduntur*. Voluit D vero poetæ personam sustinens lingua, ut aiunt, deorum loqui : non solum ut eorumdem auditorum animi gravioribus sententiis lassati recrearentur : hanc etenim ob causam idem Boetius, Platonem pluresque alios veteres imitatus, suos libros in disputatione et dialogo scripsit : verum etiam ut Latinitatem rudiori suo sæculo jam senescentem et ad interitum properantem veluti e faucibus mortis eriperet; ut cum barbaros armis ab Italia prohibere consul non posset, barbariem ab Europa suis saltem versibus doctor ejicere conaretur. Propterea in aliis ejus operibus cum philosophicis, tum etiam theologicis prædicta barbaries aliquando occurrit : at ejusdem versus tersi sunt, elegantes et prope divini ut fatetur ipse Glareanus.

II.

Petrus Bertius, cui etiam video plures assentiri, arbitratur, *Præfatione in hos Boetii libros*, Boetium totum hoc Consolationis philosophicæ opus, prout instituerat, non absolvisse, eidemque fuisse propositum ex doctrina quoque Christiana, ea superioribus addere, quibus ad considerationem æternæ vitæ animus humanus attolli possit : tum quia *Non est verisimile*, inquit *partem illam a Christiano homine mortem ob oculos habente fuisse præteritam eumque, qui de sancta Trinitate in carcere scripsit, consolationem in adversis non petiisse ex disciplina Christi et doctrina rerum credendarum ac sperandarum Libris sacris explicata. Tum etiam quia idem Boetius passim promisit, incœpit, festinavit absolvere majora, viamque qua mens in patriam evehatur, aperire.*

At tanta quidem fuit Boetii pietas, ut nemini dubium esse possit, quin vir ille sanctissimus, sicut in prosperis, sic in adversis Christum cogitaverit. Sed quicunque animo complexus fuerit eam, quam proposuimus, hujus operis ideam, hic certe opus hoc absolutum esse fatebitur : huc enim deductum est, quo lumen naturale sive philosophia, quæ, ut cum Tertulliano loquar, mens est *naturaliter Christiana*, poterat tendere. Propterea quamvis in toto opere multiplex sese obtulerit sacri textus citandi occasio, id non fecit Boetius nisi semel, usus his sapientiæ verbis : *Disponit omnia suaviter.*

Potuisset ergo Boetius de sua Consolatione philosophica locutus dicere, quod Justus Lipsius postmodum de sua *Constantia* dixit. *Si mihi,* inquit, *Theologum agere propositum, aberravi ; si philosophum, cur culpant ? Haurimus enim e lacunis, inquiunt, quæ licet e purissimo divinarum Litterarnm fonte. Hucne me vocant? At ego ex animo testor et respondeo non aliam me viam salutis nosse, quam hanc, quæ per unum illum et directum limitem ducat : ad quem tamen percurrendum humanas etiam litteras laxamenti aliquid afferre censeam, imo adjumenti. Augustini consilium esse scio quæ a philosophis scripta sunt, colligere, et in usum nostrum vindicare, possessoribus illis injustis erepta » Hoc sequi volui, et peccavi. Peccassem, fateor, si purum hunc et mysticum religionis nostræ liquorem corrupissem veteri aliqua et olenti fæce. At contra institi : et sordentem per se parumque mundam doctrinam depurgare atque illustrare aggressus sum novo isto sole. Cui bono autem id non bonum sit? In pugna, equitum aut statarii militis præcipuam operam esse scimus :* A *spernis ideo sagittarios et funditores ? In domo extruenda architecti maximam laudem et usum : tollesne operas igitur et administros ? Idem hic cense. Divinæ illæ Litteræ veri roboris, veræ virtutis et constantiæ solidæ effectrices : nec temen humanum prorsus sapientiam sperne. Eam dico, quæ non se effert, sed servit placide et ancillatur. Lapidei, cœmenta, calcem ex veteri et diu lapso ædificio illo philosophiæ comportamus : ne invide lucellum hoc architecto, et patiare materiam hanc substerni saltem in fundamentis. At enim sacra illa meliora, nec verbis abstinendum fuit? Meliora fateor : sed adde etiam graviora. Lacertos meos expendo et artus artesque libro : cur onus mihi imponi patiar, cui non sim ferendo ? Theologis, id est magnis altisque viris (et eximios multos hæc ætas tulit) magna ista et alta relin-* B *quo : mea cymba leget littus. Philosophum ego agam, sed Christianum.*

Quidquid vero Lipsius intenderit, noster Boetius hac sua philosophiæ Consolatione, suis non solum, sed alienis etiam cæterorum hominum morbis, perturbationibus nimirum, apta quærit remedia. Quæ autem duci potuissent argumenta ex sacra doctrina, et exemplis cum Christi, tum sanctorum Patrum, hæc Christianis quidem, aut forte etiam Judæis, nequaquam vero paganis prodesse potuissent : cum philosophica quibus utitur, argumenta utpote naturali lumine omnibus hominibus insito fundata, omnibus omnino hominibns ad curandos perturbationum morbos maximo usui esse possint.

C Neminem porro movere debet, quod Boetius *passim promiserit, incœperit, festinaverit absolvere majora* : cum enim prædictum lumen naturale nihil aliud sit quam notio menti humanæ divinitus impressa, sive cogitatio, qua Deus utpote magister non minus quam principium et finis humanæ mentis, eamdem mentem docet viam salutis æternæ ; cumque ipsa ejusdem mentis attentio, quædam sit interrogatio sive precatio, qua ipsa mens Dei discipula majorem eruditionem poscit rogatque suum præceptorem Deum, magis illustrare paratissimum; propterea aucta nostra ad hanc primam veritatem attentione, prædictum lumen ita crescere potest, ut viam qua mens in patriam revehatur, aliquo modo possit aperire : quanquam, ut religio christiana docet, hanc D viam feliciter obire non possimus, nisi, monstrante, præeunte et adjuvante Christo, qui est *via, veritas, et vita.*

A. M. SEV. BOETII
DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ
LIBER PRIMUS.

I METRUM * PRIMUM.

ARGUMENTUM. — *Boetius observato discrimine,* 1° *inter priores et præsentes suos versus ;* 2° *inter prosperam et adversam suam fortunam*; 3° *inter florentem et*

* Quod vocatur *elegiacum*. Est autem elegia carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quo-

caducam suam ætatem : 4° inter accessum et recessum suæ mortis ; ex inconstantia suis amicis probat non fuisse felicem rerum suarum statum.

2 Carmina qui quondam studio florente peregi,
Flebilis, heu ! mœstos cogor inire modos.
Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camenæ,
3 Et veris elegi fletibus ora rigant.
Has saltem nullus potuit pervincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

INTERPRETATIO.

Ego, *qui olim perfeci poemata, dum studia* mea *florerent. Heu* ipse *afflictus compellor aggredi versus tristes. En Musæ laceratæ suggerunt mihi, quæ oportet scribere ; versusque flebiles aspergunt vultum* meum

NOTÆ.

rum prior hexameter heroicus, sexto loco spondeum, quinto dactylum, quatuor reliquis indiscriminatim spondeum vel dactylum habet ; posterior pentameter elegiacus quinto quartoque loco anapæstos ; tertio spondeum ; duobus primis promiscue spondeum aut dactylum obtinet.

1. *Carmina.*] Carmen a canendo dictum, ut sicut, auctore Vossio, a *genimen* est *germen ;* sic a *canimen* sit *carmen, n* in *r* converso, quemadmodum in pluribus aliis. Hinc carmen est stricta oratio, ex pluribus versibus composita, quam poetæ canere dicuntur : sicut Virgilius Æneida incipiens ait, *Arma virumque cano :* carmen enim vocatur longius quoddam vatis opus : ut epigramma ; sic Catulli epigrammata inscribuntur *carmina* ; ut ode ; sic odæ Horatii appellantur *carminum libri* : quodlibet poema ; sic liber primus Lucretii ab eodem dicitur *carmen*, l. VI :

Commemorate quod in primo quoque carmine claret.

At unicus versus non solet appellari *carmen* : nisi forte hoc, sententia inclusa. poemati non impar videatur : sicut Virgilius, III Æn., v. 287, canit :

Postibus adversis figo et rem carmine signo :
Æneas hæc de Danais victoribus arma.

2. *Modos.*] Versus. Modus enim generatim est mediocritas, quam ultra citraque non est rectum : quemadmodum docet Horatius, lib. I serm., sat. 1 :

Est modus in rebus : sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Hinc *moderatus* idem quod *temperatus* ; *modestus*, quasi *modum servans* ; *commodum*, quasi *cum modo*. Si autem alicubi, maxime in sensu, mediocritas servanda, præsertim vero in eo qui fit auribus, quarum judicium, auctore Tullio, est superbissimum : ex quo fit, ut musica et poesis, quæ in hoc saltem cognatæ dicuntur, quod eodem auditu percipiantur, in quibusdam *modis* versentur : *In Musicis*, inquit Tullius Ide Or., *numeri, et voces, et modi ;* Horatius vero carm, l. II, od. 1, v. ult. : *Quere modos leviore plectro :* od. 12, v. 4 : *Aptari citharæ modis ;* l. III, od. 3. v. ult. : *Magna modis tenuare parvis :* od. 9, v. 10 : *Dulces docta modos et citharæ sciens* : et de Arte poet.

Accessit numerisque modisque licentia major.

Propterea qui versus conponit, hic Virgilio, Ovidio, Horatio, et cæteris dicitur *modulari ;* sicut Ciceroni II de Nat., *Tibiæ* dicuntur *modulate canentes et fidiculæ numerose sonantes*.

Sicut autem carmen non dicitur, nisi in integro quodam poemate, ita *modus* non videtur dici nisi de versibus, hujus operis partibus : unde Boetius, qui verba hæc inter se opposuerat in duobus his primis versibus : *peregi*, et *cogor inire ; studio florente*, et *flebilis*, ἀντίθετα continuans nunc opponit etiam *carmina* et *modos mœstos ;* sicque lectorem docet, qualis erat afflictus, quantumque mutatus a Boetio sive seipso florente.

3. *Camenæ.*] *Musæ*, quæ dicuntur *Carmenæ*, non a cantu amœno, ut quidam aiunt, sed non secus ac carmen, a canendo, ita ut prius dicerentur *Cameeæ* : quod nimirum, Musis veluti inspirantibus, fiant carmina sive cantus ; aut quod, inquit Festus, canant Musæ antiquorum laudes : quamobrem scribendum *Camenæ*, non *Camænæ*. Hæ autem Musæ nunc perhibentur *laceræ*, quod sortis Boetianæ participes, illo florente florere, eodemque afflicto affligi, pannosæ et laceris similes viderentur : antiquus enim erat afflictorum mos, vestes scindere : unde lib. Job. cap. I, v. 20, *Tunc surrexit Job et scidit vestimenta sua ;* et lib. I Reg., cap. IV, v. 12, *Vir de Benjamin ex acie venit in Silo in die illa, scissa veste et conspersus pulvere caput.* Ipse Virgil. Æn. XII, v. 609 :

Demittunt mentes : it scissa veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis urbisque ruina.

Hæc tandem Musæ *dictare* dicuntur Boetio *scribenda ;* quod poetæ fingant, nihil a se sive ore sive scriptura amitti, nisi quod sibi fuerit, inspirantibus Musis, cognitum : quare hi magnum quoddam carmen non solent aggredi, nisi iisdem Musis invocatis : sic Homerus ἰλ β : *Dicite nunc*, inquit, *mihi, Musæ, quæ domos cœlestes incolitis* : *vos enim Deæ estis, et adestis, et omnia novistis. Nos autem famam duntaxat accepimus ; neque quidquam scimus ;* sic Horatius, l. I, sat. 5, *Musa velim memores* ; sic Virg. Æn. VII, v. 641 :

Pandite nunc Helicona, deæ, cantusque movete...
Et meministis enim, divæ, et memorare potestis :
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

4. *Elegi.*] *Versus flebiles* sive *miserabiles* : elegus enim, unde elegia, est carmen versuum hexametrorum pentametrorumque alternis dispositorum ad tristitiam præsertim significandam : hinc Horatius, l. de Arte poet. :

Versibus impariter junctis querimonia primum ;
Post etiam inclusa est voti sententia compos
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor
Grammatici certant et adhuc sub judice lis est·

Idem carm. l. I, od. 33 :

Albi ne doleas plus nimio memor
Immitis Glyceræ, neu miserabiles
Decantes elegos.

Unde Ovidius l. II Fast., in initio ;

Nunc primum velis elegi majoribus itis :
Exiguum, memini, nuper eratis opus.

Scilicet versus illi idcirco vocantur elegi, quod iidem in funeribus præsertim adhiberentur : ἔλεγος enim *fletus* dicitur ἀπὸ τοῦ ἒ ἒ λέγειν, quæ flentium vox est apud Aristophanem : quamobrem Ovidius III de Arte, eleg. 1, ait,

Flebilis indignos elegeia solve capillos,
Heu nimis ex vero nunc tibi nomen inest.

Quemadmodum fletus elegorum nunc a Boetio vocantur *veri ;* quod nimirum ex tristitia, quæ solita est elegorum materia, oriantur, hisque *elegi* dicuntur *ora rigare*, sicut a Virgilio VI, Æneid., v. 699 :

Sic memorans, largo fletu simul ora rigabat.

5. *Has saltem.*] *Musas* : nam ex omnibus bonis, quibus homo affici potest, quæque sunt vel exteriora, ut divitiæ, honor, amici, liberi et parentes ; vel interiora, sive corporis, ut robur, pulchritudo et sanitas ; sive mentis, ut scientia, et virtus ; sola mentis bona hostium incursibus non sunt obnoxia : quare Ovid III Trist., el. 7 :

Nempe dat et quodcunque libet fortuna rapitque,
Irus et est subito, qui modo Crœsus erat.
Singula quid referam ? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniique bonis.
En ego cum patria caream, vobisque domoque
Raptaque sint, adimi quæ potuere mihi :
Ingenio tamen ipsa meo comitorque fruorque :
Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.

4 Gloria felicis olim viridisque juventæ, A
Solantur mœsti nunc mea fata senis.
5 Venit enim properata malis inopina senectus,
Et dolor ætatem jussit inesse suam.
Intempestivi funduntur vertice cani,
Et tremit effeto corpore laxa cutis.

INTERPRETATIO.

lacrymis sinceris. Nullus metus potuit adducere has saltem musas, *ut non comitarentur meam viam.* Eædem Musæ, quæ fuerunt *gloria* meæ *juventæ quondam fortunatæ et vividæ, consolantur nunc* adversam *fortunam senis tristis. Nam senectus festinata ærumnis accessit* mihi *improvisa, et mœror effecit, ut ætas sua esset in me. Canities præmatura spargitur per* meum *caput, et* mea *pellis, confectis membris, rugosa contremiscit.* Illa *mors hominum* est *fortunata, quæ non sese immittit florentibus temporibus, et adest, afflictis frequenter implorata. Heu quantum inexorabilis* mors *recedit ab* hominibus *calamitosis, et* quantum *crudelis recusat*

NOTÆ.

Id expertus est Boetius, qui agente Theodorico, non solum opes, dignitates, bonamque valetudinem amisit, sed a suis etiam desertus amicis, quippe qui terrore imperatoris, qui Romam quoque non dubitavit evertere, victi fugerunt : quamobrem Boetius solis animi bonis in suo exsilio comitatus est, scientia B videlicet et virtute, sed cum de sua virtute aperte loqui non ita deceret virum modestissimum, nominatis Musis, scientiæ saltem comitis meminit. Sic Ovid. IV Trist., el. 1 :

Me quoque Musa levat, Ponti loca jussa petentem :
Sola comes nostræ perstitit illa fugæ.
Sola nec insidias inter nec militis ensem,
Nec mare nec ventos, barbariamque timet.

Non omittam quod grammatici docent, *saltem* natum esse a captivis, qui nihil aliud præter *salutem* a victore petunt.

7. *Gloria.*] Honos, bona fama et gloria ita inter se differunt, ut honos quoddam sit genus, cui subjiciatur primum quidem bona fama ; deinde gloria : quare sicut honos, sic gloria generatim est bona virtutis alienæ existimatio, signo aliquo manifestata : sed honos potest esse unius ; bona fama, non nisi multitudinis ; et gloria, etiam optimatum bene de te existimantium : hinc, auctore Scaligero, gloria dicitur C quasi *glosia:* quomodo ara, lares, arena, quasi *asa, lases, asena : glosia* autem oritur ex *γλῶσσα*, id est lingua, quod gloria sit fama ingens de alicujus virtute ac meritis. Hinc de se Ennius,

Volito vivu' per ora virum.

Quod imitatur Virgil. Æneid. XII, v. 235 :

Succedet fama, vivusque per ora feretur.

Fama autem non alia de causa habetur ingens, nisi quod hæc per mentes et per ora quoque optimatum vagatur : huc respiciens Tullius pro Mar. : *Gloria,* inquit, *est illustris et pervagata multorum et magnorum vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.* At quæritur hic scientiæne, an virtutis fuerit ingens illa Boetii fama ? qui pro virtute Boetii sentiunt, hi legendum putant *solatur,* quod syntaxis alioqui non staret : quasi Boetius laudator temporis acti se puero, dixerat se senem ea D consolatione sustentari, quod per juventam, et virtute et gloria virtutis præmio, affectus fuerit. Nos autem, pro scientia pugnantes arbitramur gloriam hanc fuisse Musarum, de quibus in versu ultimo agitur : unde legendum putamus, sicut in omnibus antiquis codicibus legitur *solantur* : quasi ab eodem Boetio dicatur : *Musæ ob quas dum juvenis florerem, gloriam consecutus sum, nunc afflictum senem me consolantur.* Et certe cum mens humana pluribus simul cogitationibus vehementer affici nequeat, propterea dum in jucundam cogitationem sedulo incumbit, sæpius tristi cogitatione, veluti hujus immemor, non videtur affici : sic qui perfecto scelere conscientiæ stimulis vexantur, iidem ludo, colloquiis aut qualibet alia exercitatione, tanquam consolatione tristem hanc cogitationem permulcent : sic pater inopinata filii dilectissimi morte afflictus, diligenti venationis labore tanquam consolatione luctum ita abstergit, ut hujus immemor videatur. Ovidius IV Trist., el. 1, canit :

Exsul eram, requiesque mi i, non fama petita est :
Mens intenta suis ne foret usque malis,
Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor,
Indocili numero cum grave mollit opus.
Cantat et innitens limosæ pronus arenæ,
Adverso tardam qui trahit amne ratem.
Quique refert pariter lentos ad pectora remos
In numerum pulsa brachia versat aqua.
Fessus ut incubuit baculo saxoque resedit
. Pastor, arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis.
Fallitur ancillæ decipiturque labor.
Fertru et abducta Lyrnesside tristis Achilles
Hæmonia curas attenuasse lyra.
Cum traheret silvas Orpheus et dura canendo
Saxa bis amissa conjuge mœstus erat.

Sic ergo Musa levat Boetium : Verum tria hic supersunt observanda. Primum quidem observanda vis cæsuræ in his verbis, *felicis olim* : cæsura enim, quæ nihil aliud est in versu, quam residua prioris *scansionis* syllaba, qua posterior *scansio* incipitur, syllabam alias brevem producere potest ; quod nimirum, veluti initium sequentis vocabuli, ita elevari debet pronuntiando, ut reliquas ejusdem vocabuli syllabas sustinere possit : exempla sunt cuique obvia : Virg. Æn. IV, v. 64 :

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Deinde observandum discrimen, quod nonnulli ponunt inter *juventus, juventas,* et *juventa*: nam *juventus,* inquiunt, est multitudo juvenum, *juventas* est dea, et *juventa* ætas : sed hæc non constant : nam Sallustius juventutem vocavit ætatem. Postremo observanda ætas Boetii, qui quamvis hic seipsum dicat senem, tum tamen, cum hæc scriberet, nondum attigerat quinquagesimum ætatis suæ annum : propterea addit se non tam annorum, quam ærumnarum serie senuisse sic.

9. *Venit.... senectus.*] Rationem affert Boetius cur se dixerit senem. Senectus quippe, quæ, auctore Tullio, definiri potest *occasus vitæ*, ex eo contingit quod fibris, ex quibus solidæ corporis animati partes constant, retardatis, eædem partes solidæ ad tantam duritiem perveniant, ut non modo non crescant, sed nec nutriri possint. Hinc canities, rugæ et tremor oriuntur. Canities quidem a senectute oritur quod succus ex quo fiunt capilli, minus actus corpusculorum rotundorum figuram induit : propterea enim albescunt nix, ova, charta, ipsum etiam atramentum in spumam conversum : propterea candescunt lintea rori solique exposita : hinc si eadem capillorum materia, recuperato suo pristino motu, hanc figuram mutet, canities exuitur : ut in iis aliquando contigit qui valetudinis vitio canuerant. Rugæ etiam a senectute oriuntur : quod fibræ cutis, quæ antea motu distendebatur, moratæ aliæ aliis sic incumbant, ut sulcum mentitæ, vultum arare videantur. Denique senes tremere solent, propter inopiam spirituum a cerebro per nervos diffusorum.

Duplex autem est senectus, nempe naturalis et violenta : prior annorum, posterior ærumnarum longa serie accidit : unde Ovid. l. I de Pont., el. 5 :

Jam mihi deterior canis aspergitur ætas,
Jamque meos vultus ruga senilis arat...
Confiteor facere hoc annos : sed et altera causa est,
Anxietas animi continuusque labor...
Me quoque debilitat series immensa laborum :
Ante meum tempus cogor et esse senex.

Atqui Boetius non de annosa sua senectute conque-

6 Mors hominum felix, quæ se nec dulcibus annis A
Inserit, et mœstis sæpe vocata venit.
7 Eheu! quam surda miseros avertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæva negat!
Dum levibus malefida bonis fortuna faveret,
Pene caput tristis merserat hora meum.
Nunc quia fallacem mutavit nubila vultum,
Protrahit ingratas impia vita moras.
8 Quid me felicem toties jactastis, amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

INTERPRETATIO.

obstruere oculos lacrymantes! *Cum fortuna ob inconstantem gratiam temere credita, mihi aspiraret, non multum abfuit, quin dies mœsta terminaverit meam vitam: jam vero, quoniam* fortuna *adversa convertit aspectum mendacem, anima* mea *improba producit* meos *dies injucundos. O amici, quare dixistis tam sæpe, me* esse *beatum? qui lapsus est, ille non stabat vestigio firmo.*

NOTÆ.

ritur: si quidem hæc non incipit ante annum vitæ quinquagesimum, quem nondum attigerat Boetius, quando hæc scripsit; sed de ærumnosa solum sua senectute hic loquitur, quam idcirco dicit, 1° *properatam malis,* quod ærumnæ fuerint illius senectutis causæ; 2° *inopinam,* quod hæc ante tempus adfuerit; 3° *ætatem doloris,* quod cum ætas senilis dolorem afferre soleat, dolor Boetio attulerit ætatem senilem: hinc canities Boetii vocatur *intempestiva,* quod exsilio carcere, cæterisque calamitatibus acciderit: quemadmodum Scaliger, Exercit. 312 in Cardan., narrat quemdam subito mortis terrore correptum unius noctis spatio canuisse.

Cum porro canities, rugæ et tremor senectutis non minus ærumnosæ quam annosæ sint comites, propterea horum fit mentio versibus 11 et 12 quasi fuerint effeti corporis effecta. Nempe effeta vocatur primum quidem parens quæcunque, quæ fetum edidit, deinde parens, quæ frequenti partu lassata parere tandem desiit, denique res quævis, quæ exhaustis viribus ita languet, nihil ut possit producere. Sic Virgil. I Geor., v. 81:

> Effetos cinerem immundum jactare per agros.

13. *Mors hominum felix.*] Cum locutio sit cogitationis interpres, qualis est cogitatio, talis esse debet hominis locutio: vere enim Christus Matth. XII, 34, ait: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Sic Dido, Æneid. IV, pro diversis, quibus in Aneans afficitur, cogitationibus diversa loquitur, ut hunc modo a diis, modo a feris genitum dicit:

> Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum...
> Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor
> Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
> Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Cum igitur Boetius nondum consuluerit Philosophiam non intelligentia sed præjudicio ductus loquitur. Non, inquam, loquitur duce intelligentia: diceret enim in prospera fortuna cum Tullio mortem propter incertos casus quotidie imminere, et propter vitæ brevitatem nunquam longe abesse: in adversa vero eamdem mortem moras compensare æternitate melioris vitæ, in quam introducit. At idem Boetius loquitur suadente præjudicio, voluptate nimirum et ægritudine, quibus mens humana in prospera adversaque fortuna afficitur: qui enim voluptate afficitur, huic mors illa videtur *felix, quæ se dulcibus annis non inserit*: qui vero ægritudine animi laborat, eidem *mors,* quæ *sæpe vocata venit,* ita felix videtur, ut eo crudelior sit, quo veluti surda, vitam sinit duci longiorem. Atque inde Boetius colligit, ne quidem his legibus mortem sibi fuisse felicem: cum mors in prospera præceps voluerit, in adversa autem fortuna tarda noluerit vitam auferre: quod satis manifestum erit observatis quibusdam quæ sequuntur vocabulis.

15. *Surda aure.*] Surdus dicitur homo, qui aure impedita non audit: quare cum auris insitis præsertim sordibus impediatur, propterea *surdus* sive, ut veteres loquebantur, *sordus* videtur dici per contractionem quasi *sordidus.* Sed, nomine hinc ad solam mentem translato, ille etiam dicitur mente surdus, qui quodam affectu contrario impeditus orantem non exaudit: unde: Stat. II. Silv.:

> Odistique chelyn surdaque averteris aure.

Mors autem a poetis fingitur veluti quædam persona, quæ, pro diversis suis affectibus, invocantes possit exaudire, vel non exaudire.

B 16. *Claudere oculos.*] Tantum est oculorum in vita hominis servanda momentum, ut vita in motu, mors in quiete oculorum versari vulgo dicatur: propterea is censetur vivere qui fruitur, mori vero qui caret luce, quæ oculis percipitur. Hinc Æneid. IV, vers. 450:

> Tum vero infelix, fatis exterrita Dido
> Mortem orat: tædet cœli convexa tueri:
> Quo magis inceptum peragat lucemque relinquat...

17. *Fortuna malefida.*] *Cui male credatur*: cum enim fortuna insana sit, cæca, bruta, globosique saxi instar volubilis, sicut perhibent philosophi, propterea quos attollit, eosdem statim deprimit. Unde Horatio, Carm. l. I, od 35, fortuna est

> Præsens vel ima tollere de gradu
> Mortale corpus, vel superbos
> Vertere funeribus triumphos.

C 18. *Hora merserat caput.*] Tempus poetis dicitur causa rerum: unde aliud prosperum quod favet, aliud adversum quod nocet. Hora autem quædam est temporis pars, quæ quod fere *mergat* Boetium, idcirco vocatur *tristis.*

20. *Impia vita.*] Impius est, qui de Deo, parentibus aut iis qui parentum vices gerunt, male meretur: unde herba quædam, quæ quod nata parentes surculos suffocet, *impia* appellatur. Vita autem, quam hactenus Boetius instar cujusdam parentis, fovere studuerat, de eodem videtur male mereri in hoc, quod recessum suum procrastinans, ejusdem Boetii ærumnas producat. Sic Quintilianus in Procem. l. VI Instit., *impiam* vocat *vivacitatem.*

21. *Amici.*] Boetius alloquitur suos amicos, utpote qui cum antea Boetium felicem dixissent, ipso exitu nunc sui erroris convinci possunt. Scilicet hominum animis insita est felicitatis et miseriæ notio: unde D miseriam fugimus, felicitatem prosequimur naturaliter. Cum autem ut illa notio, sic hæc propensio sit Dei illustrantis moventisque munus, propterea utraque illa cogitatio ratione sui ita recta est et uniusmodi in omnibus hominibus, ut non nisi propter perversam hominis male applicantis voluntatem iniqua sit et multiplex. Hinc, pro vario perturbationum impetu, alius divites, alius potentes, alius aliis bonis creatis affectos putat esse felices. Sic ergo ex amicis Boetii, dum hic floreret, nonnulli ipsum dixerant beatum, quod opibus abundaret; cæteri, quod magistratum gereret; sed omnes nunc exitu convincuntur, Boetium non propterea dici debuisse felicem: lapsus quippe certum est instabilitatis argumentum, et miseria præsens probat nullam fuisse præteritam felicitatem: si quidem cum metus amittendæ prosperitatis quædam sit miseria, idcirco nulla hominis prosperitas haberi potest felicitas, nisi hæc fuerit particeps constantiæ, cujus ille sit conscius; jactata autem illa Boetii prosperitas constans non fuit: quandoquidem ille de gradu dejectus est: hincque manifestum est aliquem potuisse cadere, quod idem ceciderit.

PROSA PRIMA.

ARGUMENTUM. — *Describitur Philosophia, quæ fugatis poeticis Musis, ad Boetium in lectulo jacentem accedit, magnam mentis ejus perturbationem deploratura.*

Hæc dum tacitus mecum ipse [a] reputarem, querimoniamque lacrymabilem [1] [b] styli officio designarem, [2] astitisse mihi supra [c] verticem visa est mulier reverendi admodum vultus, [3] oculis ardentibus, et ultra [d] communem hominum valentiam perspicacibus, colore vivido, atque inexhausti vigoris, quamvis ita [e] ævi plena foret, ut nullo modo nostræ crederetur ætatis. [4] [f] Statura discretionis ambiguæ. Nam nunc quidem ad communem sese * (5) hominum mensuram [g] cohibebat; nunc vero pulsare cœlum summi verticis acumine videbatur: quæ cum caput altius extulisset, ipsum etiam cœlum penetrabat, respicientiumque hominum [h] frustrabatur intuitum. [5] Vestes erant tenuissimis filis, subtili artificio, [i] indisso-

INTERPRETATIO.

a *Recogitarem.*
b *Calami ope notarem.*
c *Caput* meum.
d *Communes hominum vires videndi.*
e *Antiqua.*
f *Altitudo* ejus erat *variæ differentiæ.*
g *Continebatur.*
h *Fugiebat aspectum.*
i *Individua.*

NOTÆ.

[1] *Styli officio.*] Stylus est graphium quo veteres in cera exarabant: hoc autem veluti calamo se usum dicit Boetius ad scribendos versus prædictos, quos vocat *querimoniam lacrymabilem*, quod sint elegi: elegi enim sunt versus miserabiles.

[2] *Astitisse.*] Est hoc in more positum, non modo apud poetas, verum etiam apud oratores, ut quod sensu percipi non potest, id objecta quadam re sensili, sibi primum, deinde auditoribus suis cogitandum proponant: ut quæ veritas primum hic latere videtur, hæc difficultate inveniendi magis arrideat inventa. Hinc *familiare est Syris et maxime Palæstinis*, inquit S. Hieron. in cap. XVIII Matth.. *ad omnem sermonem suum parabolas jungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur.* Hinc vulgata apud auctores *symbola* quæ vel rebus, vel verbis, vel picturis sive rerum imaginibus fiunt. Qua de re doctius nihil dici potest quam quod a nobilissimo Huetio, conquisitis undique exemplis, dicitur in opusculo *de Origine Romanensium*, quod, si placet, consules. Atqui philosophia, utpote quæ in quadam mentis cogitatione versatur, sensu-percipi non potest: quamobrem hanc, objecta quadam re sensili, Boetius arbitratus est sibi primum, deinde nobis esse proponendam. Philosophiæ autem hic proponuntur, 1° origo, 2° natura, 3° subjecta materies, 4° voces, 5° species, 6° usus.

I. Igitur origo philosophiæ in hoc proponitur, quod *mulier visa* sit Boetio *astitisse supra verticem*: cum enim philosophia nihil aliud sit quam lumen naturale paulo longius diffusum, hæc a Deo, a quo lumen naturale est, oritur: unde Tullius I Tuscul.: *Philosophia*, inquit, *omnium mater artium, donum et inventum deorum.* Quare hæc philosophia nonnisi in sublimi loco et supra caput videri debuit, tanquam de cœlo lapsa. Hinc autem philosophia videtur *reverendi admodum vultus* sive honorandi: id quippe reverendum sive honorandum putamus, quod aut origine, aut ætate, aut sapientia, aut virtute, aut quacunque dignitate cæteris præstare judicamus. *Philosophia*, inquit Cicero, *virtutis continet, et officii, et bene vivendi disciplinam, quam qui profitetur, gravissimam sustinere personam videtur.*

[3] *Oculis ardentibus.*] II. Natura philosophiæ hic proponitur: nam in eo versatur ipsa philosophiæ natura, quod sit cognitio clara et distincta, qua mens humana, vitatis præcipitatione et præjudicio, quibus homines vulgo falluntur, veram certamque de rebus subjectis ferat sententiam: *omnis enim*, inquit Tullius III de Or., *optimarum rerum cognitio atque in iis exercitatio philosophia nominatur.* Atqui quod philosophia nunc dicatur *oculis ardentibus et perspicacibus*, inde intelligitur cognitio esse clara et distincta: quod dicatur *ultra communem hominum valentiam*, intelligitur hæc vitari præcipitatio et præjudicium, quibus homines in errorem induci consueverunt; quod dicatur *colore vivido et inexhausti vigoris*, intelligitur philosophia esse veri certique judicii procreatrix et quasi parens; sed quod, quamvis *ævi plena, inexhausti vigoris* dicatur esse, intelligitur eadem philosophia continuata meditatione ita firmari, vires ut acquirat eundo.

Quædam hic observare poterit grammaticus: primum quidem hanc verborum constructionem, *reverendi vultus, oculis ardentibus*: quamvis enim Valla dicat rarum esse in una locutione utrumque hunc *casum* reperiri, id tamen vitiosum non est: quandoquidem Plinius, teste eodem Valla, ita loquitur: et Cicero dicit *Lentulum eximia spe, summæ virtutis adolescentem.* Vid. Nov. Meth. Deinde nomen hoc *valentiam*, quo Boetius utitur quoque l. III, pros. 9, et l, IV, pros. 2, non videri ita usitatum apud Latinos. Idem valet quod potentia Ῥώμη: hinc Romanæ urbis interpretatione nonnulli inferunt, auctore Sotino, c. 2: *Sunt*, inquit, *qui videri velint Romæ vocabulum ab Evandro primum natum, cum oppidum ibi offendisset quod exstructum antea Valentiam dixerat juventus Latina: servataque significatione impositi prius nominis* Ῥώμην *Græce, Valentiam Latine nominatam.*

[4] *Statura discretionis ambiguæ.*] III. Proponitur subjecta philosophiæ materies: philosophia enim primum versatur circa ipsum hominem, considerando mentem et corpus, ex quibus homo constat: notio quippe hominis omnium videtur prima: propterea prædicta mulier *nunc ad communem sese hominum mensuram cohibebat.* Deinde philosophia, cognito humano corpore, versatur circa reliqua corpora, etiam circa cœlum: quatenus horum corporum cognitio ad vitam hominis conservandam conducere potest: unde eadem mulier *nunc pulsare cœlum summi verticis cacumine videbatur.* Postremo philosophia, cognita præsertim mente humana, versatur circa mentem omnium perfectissimam Deum: a quo ita docemur intrinsecus, ut quandiu non cognoscitur summe verax, tandiu ignoretur prima veritatis regula: hinc ista mulier, *cum caput altius extulisset, ipsum etiam cœlum penetrabat.* Verum quod Deus percipi nequeat sensu quo homines vulgo percipere dicuntur, idcirco eadem mulier cogitando Deum *respicientium hominum frustrabatur intuitum.*

[5] *Vestes erant.*] IV. Voces philosophiæ mira hic arte proponuntur: nam 1° voces philosophicæ sunt ipsius philosophiæ *vestes*: quia voces sunt integumenta et involucra cogitationum: philosophia autem, utpote cognitio, quoddam est cogitationis genus. 2° Voces philosophicæ sunt *tenuissimis filis, subtili artificio, indissolubilique materia perfectæ*: quoniam hæ dictiones sunt humiles, ad intelligentiam potius, quam ad pompam accommodatæ, et individua inter se necessitudine conjunctæ; quas cum philosophi ipsi

* Numeri intra parentheses inclusi lineas editionis ad usum Delphini repræsentant, quo facilius utiliusque index alphabeticus consulatur. EDIT.

lubilique materia perfectæ; quas, uti post eadem prodente, cognovi, suis manibus ipsa texuerat. Quarum[a] speciem, veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetustatis obduxerat.[1] Harum in extremo margine Π, in supremo vero Θ legebatur in extum. Atque inter utrasque litteras, in scalarum modum, gratus quidam [b] insigniti videbantur, quibus [c] ab inferiore ad superius elementum esset ascensus. Eamdem tamen vestem violentorum quorumdam sciderant manus, et particulas, quas quisque potuit, abstulerant. [2] Et dextera quidem ejus libellos, sceptrum vero sinistra gestabat.. [3] Quæ ubi [d] poeticas Musas vidit, nostro assistentes [e] toro, fletibusque meis verba dictantes, commota paulisper, ac torvis inflammata[f] luminibus : Quis, inquit, has [g] scenicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere? quæ dolores ejus non modo nullis remediis foverent, verum dulcibus insuper alerent venenis? Hæ sunt enim quæ [h] infructuosis affectuum spinis, [i] uberem fructibus rationis segetem necant, hominumque men-

INTERPRETATIO.

[a] *Formam.*
[b] *Inscripti.*
[c] *Ab ima ad summam litteram.*
[d] *Præsides carminum.*
[e] *Lecto.*
[f] *Oculis.*
[g] *Theatrales.*
[h] *Sterilibus.*
[i] *Fecundam.*

NOTÆ.

maximam partem invenerint, ideo philosophia has *suis manibus texuisse ipsa* perhibetur, earumque propterea *speciem veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetutatis obduxisse.* Quo fit ut Boetius, cujus eximia Latinitas in versibus emicat, barbaras quasdam dictiones, nonnisi apud philosophos usitatas, in soluta sua oratione usurpare non dubitaverit.

[1] *Harum in extremo margine.*] V. Species philosophiæ nunc proponuntur. *Est enim*, inquit noster Boetius præfat in Porphyr., *philosophia genus : species vero ejus duæ una, quæ θεωρητική dicitur : altera, quæ πρακτική, id est speculativa et activa.* Prior illa species, quæ littera Θ significatur, in mera veritatis contemplatione ; posterior autem, quæ littera Π, in exercitatione virtutis versatur, ut docet S. Aug. l. VIII de Civ. Dei, cap. 4 ubi *Socrates*, inquit, *in activa excelluisse memoratur. Pythagoras vero magis contemplativæ quibus potuit intelligentiæ viribus institisse. Proinde Plato utrumque jungendo philosophiam perfecisse laudatur.*

Theoria quidem *in supremo, praxis in extremo margine legebatur*, quod judice ipso Aristotele, contemplativa præstet actuosæ : *gradus* tamen sunt, quibus ab una ad alteram ascensus fiat et descensus : quia nec exercitatio virtutis sine veritatis contemplatione potest, nec contemplatio veritatis sine exercitatione virtutis debet esse. Tandem *manus* hominum *violentorum*, qui scilicet præcipitatione aut præjudicio philosophati, neque veritati considerandæ, neque virtuti exercendæ studuerunt, voces philosophicas partitæ sunt, et *particulas, quas quisque potuit, abstulerunt.* Rom. I : *Qui, cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.*

[2] *Dextera... libellos... sceptrum sinistra gestabat.*] VI. Denique philosophiæ usus proponitur : nam philosophia utilis est ad cæteras disciplinas capessendas et ad regendos animos, quod libellis sceptroque significatur. Primum quidem philosophia utilis est ad cæteras disciplinas capessendas : quatenus hinc erroris vitandi, inde vero veritatis inveniendæ leges præscribit : unde Tullius sæpe, *Philosophia*, inquit, *omnium mater artium : laudandarum omnium artium procreatrix et quasi parens : nec vero sine philosophorum disciplina genus ut speciem cujusque rei cernere, neque eam definiendo explicare nec tribuere in partes possumus, nec judicare quæ vera quæ falsa sunt, neque cernere consequentia repugnantia videre, ambigua distinguere* : quod philosophiæ officium *libellis* significatur : *libellus* enim dicitur a *liber* : *liber* autem, auctore Isidoro, lib. VI, c. 12, *est interior tunica corticis, quæ ligno cohæret in qua antiqui scribebant* ; unde Plin. l. XIII, c. 11, *In palmarum*, inquit, *foliis primo scriptitatum, deinde quorumdam arborum libris* ; quod et Cassiodorus indicat l. XI, Var., ep. 38, ubi de charta : ex quo factum est ut liber et libellus ea significarent quæ in iis scripta continerentur. Deinde eadem philosophia utilis est ad regendos animos : animi quippe reguntur, cum sedatis perturbationibus, tum veritate detecta, quibus philosophia vacat : hinc, ut postea dicetur, Plato docuit tum beatas fore respublicas cum aut philosophi regerent, aut reges philosopharentur : quod alterum philosophiæ officium *sceptro* significatur : sceptrum enim imperii signum est; unde Lucretius l. V :

Ergo regibus occisis subversa jacebat
Pristina majestas soliorum, et sceptra superba.

Quod porro dextra sit sinistra agilior, ut philosophia ad docendum paratior quam ad regendum, propterea *dextra quidem ejus libellos, sceptrum vero sinistra gestabat.*

[3] *Quæ ubi poeticas Musas.*] Musæ feruntur esse virgines quædam, quæ, Phœbo præside, carminibus operantur. Hæ Boetio sunt duplicis generis nempe *poeticæ*, et *philosophicæ* ; illæ perturbatione, hæ notione clara et distincta ductæ judicant.

Poeticæ musæ dicuntur, quæ perturbationibus obcæcatæ quidquid perturbationis est, illud probant et loquuntur : unde pro diverso genere aut perturbationum aut eorum quibus perturbationes excitari possunt, hæ Musæ vulgo novem numerantur. Hinc eas Plato, l. X de Rep., putat e sua civitate esse expellendas. *Recte*, inquit Tullius II Tusc., *a Platone educuntur poetæ ex ea civitate quam finxit ille cum mores optimos et optimum reipublicæ statum exquireret* : cui consentiens S. Aug. l. II de Civ. Dei, c. 14, *Platoni*, inquit, *potius palma danda est, qui cum ratione formaret qualis esse civitas debeat, tanquam adversarios civitatis poetas censuit urbe pellendos.* Homo quippe seu veritati seu virtuti studeat, exuere potius debet veteres quam novas induere perturbationes. Hinc Musæ istæ nunc dicuntur *assistentes toro* Boetii, illiusque *fletibus verba dictantes* : quia nunc Boetius videtur perturbatione obrui, nihilque aliud quam quod perturbatio dictat, proferre. Hinc eædem Musæ *torvis* philosophiæ *luminibus* aspici feruntur : quoniam veritas, cui inveniendæ philosophia studet, perturbationibus, quibus hæ indulgent Musæ impeditur. *Vetus est*, ait Plato l. X de Repub., *philosophiæ et poetices dissensio.* Hinc ipsæ Musæ nunc vocantur *meretriculæ scenicæ et Seirenes usque in exitium dulces*, quod blanditiis, rebus fictis et cantibus suis in errorem vitiumque inducant : Seirenes enim quibusdam sunt meretrices, quæ deceptos navigantes ad summam egestatem redigant : aliis sunt monstra marina mulieribus partim similia, quæ vocis suavitate prætereuntes nautas sopiant, sopitosque devorent : unde Ovid. III de Art. :

Monstra maris Seirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuere rates.

Propterea eædem Musæ dicuntur *dolores* Boetii

tes assuefaciunt morbo, non liberant. **13** [1] At si quem profanum, [a] uti vulgo solitum vobis, blanditiæ vestræ detraherent, minus moleste ferendum putarem, nihil quippe in eo nostræ [b] operæ læderentur. **14** [2] Hunc vero [c] Eleaticis atque Academicis studiis innutritum? Sed abite potius [3] Seirenes usque in exitium dulces, meisque cum Musis curandum sanandumque relinquite. His ille [d] chorus increpitus, dejecit humi mœstior vultum, confessusque rubore verecundiam, limen (5) tristis excessit. At ego, cujus acies lacrymis mersa caligarat, ne dignoscere possem quænam hæc

A esset mulier tam imperiosæ auctoritatis, obstupui, visuque in terram defixo, quidnam deinceps esset actura, exspectare tacitus cœpi. Tum illa propius accedens, in extrema lectuli mei parte consedit, meumque intuens vultum luctu gravem, (10) atque in humum mœrore dejectum, his versibus de nostræ mentis perturbatione conquesta est.

16 METRUM* II.

ARGUMENTUM. — *Philosophia mentis Boetianæ perturbationem descriptura, veterem ejus de cœlo, et de omni natura scientiam cum ea confert, quæ nunc videtur ejusdem de rebus omnibus ignoratione.*

INTERPRETATIO.

[a] *Extraneum et vulgarem.*
[b] *Labores.*
[c] *Dialecticis et Platonicis.*
[d] *Turba objurgata.*

NOTÆ.

dulcibus insuper alere venenis; affectuum spinis rationis segetem necare; mentes assuefacere morbo, non liberare.

Philosophicæ autem Musæ dicuntur, quæ perturbationibus exutæ, ut clare distincteque cognoscunt, sic judicant : unde nunquam falluntur : has Plato, l. x de Rep., laudans vocat *divinum genus*, easque in sua civitate admittit. Hæ, fugatis Musis poeticis, Boetium deinceps ducebunt.

[1] *At si quem profanum.*] Profanus dicitur et locus et homo; 1° locus profanus is vocatur qui quasi procul a fano positus, sacer non est : quo modo Æn. XII, v. 778 :

Tuque optima ferrum
Terra tene : colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.

2° Homo profanus ille habetur qui quasi etiam a fano procul, sacris non est initiatus : quemadmodum Eneid. VI, v. 258 :

Procul, o procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.

Philosophia ergo nunc eum hominem vocat profanum, qui præceptis philosophicis non imbutus, ab ipsa philosophia alienus est : sic Horatius imperitos homines et a Musis alienos, a suis carminibus, tanquam profanos a sacris, arcens, canit l. III Carm. od. 1 :

Odi profanum vulgus, et arceo :
Favete linguis : carmina non prius.
Audita, Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Quare philosophia, quæ nunc utitur hac loquendi forma, quæ Græcis ἀποσιώπησις, Ciceroni reticentia dicitur, qua videlicet oratio sic contrahitur, ut vix appareat quid dicturus fuerit orator, ita videtur loqui : Si, o Musæ poeticæ, aliquem philosophiæ ignarum, ut vester mos est, a ratione ad perturbationis obsequium detraheretis, id minus molestum mihi videretur : sed Boetium in omni philosophiæ genere versatissimum... cætera reticentur. Sic Juvenalis :

Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit aut illud quod dicere nolo.

Sic Virgilius versu notissimo :

Quos ego... sed motos præstat componere fluctus.

[2] *Hunc vero Eleaticis atque Academicis.*] *Dialecticis et Platonicis* : studia enim dialectica vocantur *Eleatica*: quia dialectica fertur inventa a Zenone, qui, quod ortus sit ex Elea, vocatur Eleates. Est vero Elea, auctore Strabone l. VI, civitas Lucaniæ a Phocensibus condita, Parmenidis et Zenonis Pythagoricorum patria. Studia autem Platonica appellantur *Academica*, quod Plato primus in Academia philosophiam professus sit. Est vero Academia nemorosus extra et prope Athenas locus, qui prius dictus fuit

B ἑκαδημία ab *Ecademo* Heroe : unde Horat. Epist. l. II, epist. 2 :

Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter silvas Ecademi quærere verum.

Atqui Boetius in *dialecticis et Platonicis* doctrinis exercitatissimus fuit : in *dialecticis* quidem : quia dialecticos libros Aristotelis (qui, judicio Ciceronis, l. I de Orat., de ratione disserendi multo plura quam omnes magistri multoque meliora dixit) transtulit et commentariis illustravit. In *Platonicis* vero : progressu enim patebit Boetium Platonicorum opiniones recte intellexisse, iisque fuisse addictissimum.

[3] *Seirenes usque in exitium dulces.*] Seirenes, Græce, Σειρῆνες unde et per *ei* et per *i* longum scribitur, duplicis sunt generis, nempe terrestres, et marinæ. Terrestres, fucorum genus, nostris physicis dicuntur ἀπὸ τοῦ σείρεσθαι, quod bestiolæ illæ contracta membrana curvatæ jaceant : de his loquitur Plinius l. VI, cap. 16; sed de his nunc non agitur. Marinæ sic dictæ vel ἀπὸ τῆς σειρᾶς, a vinculo, vel ἀπὸ τοῦ σύρειν, a decipiendo, quod cantu suo imprudentes advenas devinciant decipiantque, feruntur Acheloi fluvii et Calliopes filiæ; superne virginibus, inferne piscibus similes. Tres numerantur, Parthenope, Leucosia, Ligea, quarum una voce, altera tibiis, tertia lyra canat, omnes tanta cantus dulcedine, ut nautas sopitos naufragio perdant. Ovid. III de Art. :

Monstra maris Seirenes erant, quæ voce canora
15 Quaslibet admissas detinuere rates.

Ex quo factum est ut quidquid animos hominum corrumpit, illud *Siren* vocetur, sicut Horatio, Serm. l. II, sat. 3, *vitanda est improba Siren desidia.* Sic igitur Musæ poeticæ perturbationum parentes, aut saltem nutrices nunc vocantur *Seirenes ad exitium* sive ad perniciem *usque dulces* : hinc eædem Musæ jubentur abire subeuntibusque Musis philosophicis locum cedere, non ante tamen quam ab ipsa philosophia pergraviter reprehensæ, suamque tristitiam testatæ : unde *chorus ille* dicitur *increpitus* (increpari idem quod verbis aliisve signis gravibus reprehendi) et *dejecisse humi mœstior vultum.* Abiit tandem chorus ille et *limen tristis excessit*; optimis enim philosophiæ institutis non prius imbui possumus, quam Musas illas, similesque perturbationum veritati inveniendæ contrariarum causas valere jusserimus. Quanquam illæ perturbationes sæpe remotis his causis adhuc perseverant : unde philosophia de mentis Boetianæ *perturbatione sic conquesta est.*

* Quod generatim *lyricum* a lyra, utpote lyræ sive fidibus aptatum, speciatim *Alcmanium* ab inventore dicitur. Est autem carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet componitur ex quatuor ultimis versus heroici pedibus, ita ut post secundum pedem syllaba supersit.

Heu, quam præcipiti mersa profundo
Mens hebet, et, propria luce relicta,
17 Tendit in externas ire tenebras;
Terreris quoties flatibus aucta,
Crescit in immensum noxia cura!

A Hic quondam cœlo liber aperto
18 Suetus in ætherios ire meatus,
Cernebat rosei lumina solis,
Visebat gelidæ sidera lunæ,
Et quæcunque vagos stella recursus.

INTERPRETATIO.

Heu quantum mens humana *immersa* perturbationum *mari rapido* altoque *obtunditur, suoque lumine posthabito, nititur ruere in caliginem exteriorem, cum sollicitudo nocens, aspirationibus terrestribus* turgida, *augetur summo incremento! Hic* Boetius *olim non impeditus cœlo patente, solitus* sua cogitatione *ascendere ad regiones cœlestes, aspiciebat radios solis purpurei, intuebatur formam lunæ frigidæ, et quotquot stellæ habent reversiones errantes*

NOTÆ.

1. *Præcipiti mersa profundo mens.*] Quæ mens suis perturbationibus, præsertim vero nimia rerum caducarum sollicitudine afficitur, hæc ab iis immergitur, veluti quodam mari, quod sit et profundum et præceps. Profundum quidem; quod illa affectio menti sit altissimis radicibus infixa: præceps vero, quod eadem affectio, instar cujusdam furiæ concitata, præcipitem mentem in errorem vitiumque abripiat.

2. *Hebet.*] Hebere proprie dicitur gladius, cujus acies retusa est, translatione vero illud omne, cujus motus languet. Sic Virgil. Æn. v, vers. 395:

Sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effetæ in corpore vires.

Sic Tullius I, Tuscul., *Quemadmodum* inquit, *qui acutis oculis deficientem solem intuentur, aspectum omnino amittunt, sic mentis acies seipsam intuens nonnunquam hebescit.* Atqui mens humana quanto magis perturbationibus obruitur, tanto minus veritatem contemplari potest: adeoque hebet. Hinc S. Gregor., prol. 2, part. in Ezechielem, *mens*, inquit, *quanto circa terrena plus satagit, tanto in his quæ sunt cœlestia minus videt.*

2. *Propria luce relicta.*] Menti nostræ insitum est ab ipso nostræ mentis auctore Deo quoddam lumen, quo ipsa se mens erroribus vitiisque exutam cognoscere conjunctamque cum divina mente sentire possit: sed hoc lumine frui nolunt ii qui suis obsequuntur perturbationibus.

3. *In externas ire tenebras.*] Licet quædam menti nostræ insita vel potius innata sit cognitio, quod tamens mens eadem finita sit suisque perturbationibus obnoxia, propterea duplici subjacet tenebrarum generi, domestico videlicet et externo. Domesticæ tenebræ versantur in ignoratione eorum quæ nec possumus nec debemus cognoscere: de his tenebris vulgo dicitur,

Nescire quædam magna pars sapientiæ.

Externæ vero tenebræ sunt ignorantia eorum quæ cum possimus debeamusque cognoscere, perturbationibus obcæcati nescimus: sic quidam in summa sui Deique ignoratione versantes, quas cogitationes in solum Deum conferre deberent, has in res creatas conferunt. Ut autem cæteris perturbationibus, sic nimia præsertim rerum caducarum sollicitudine obcæcamur: unde nunc mens humana dicitur *in externas ire tenebras, quoties in immensum ejusmodi cura crescit.* Cum porro eadem mens humana ex ignoratione illa in errorem, ex errore in vitium, ex vitio in pœnas æternas lapsa cadat, propterea auctor noster hæc scribens posuit ea cogitare quæ referuntur Matthæi XXII. *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores*: ubi S. Gregor., *Interiores tenebræ*, ait, *sunt cæcitas cordis; exteriores tenebræ æternæ damnationis nox.*

4. *Aucta terrenis flatibus.*] Voluptate nimirum et hominum, quibuscum vivimus, existimatione, quibus, ut ignis flatibus, nostra perturbatio alitur. Nimirum cum mens humana conjungatur primum quidem cum corpore, deinde cum illis sive rebus, sive personis, quibus prima illa conjunctio videtur servari, propterea hæc rerum caducarum cura, agente corpore, nascitur, agentibusque cum rebus tum personis corroborata crescit: res quidem agunt suo contactu: personæ vero suade rebus istis existimatione, quam exemplo demonstrant: sed hac crescente cura minuitur virtus mentis: unde divinus præceptor Christus, Matth. VI hanc, sollicitudinem pluribus confuta argumentis, summam Dei providentiam commendaturus unde S. Paul. ad Philip. IV, *Nihil*, inquit, *solliciti sitis*; unde S. Petrus ep. I. c. V, *Omnem*, ait, *sollicitudinem vestram projicientes in Deum: quoniam ipsi cura est*
B *de vobis*; quibus positis, nihil mirum si hæc *cura* hic dicatur *noxia*.

6. *Hic quondam.*] *Boetius.* Nimirum a quæstione infinita, quam Græci θεσιν appellant, ad definitam controversiam, quam iidem dicunt ὑπόθεσιν, progressa philosophia, commendat eam, quæ quondam fuit in Boetio, rerum naturalium notitiam, præsentem ejusdem ignorationem statim dictura. Præterita autem Boetii notitia, ut nunc dicitur, magna fuit tam de cœlo quam de terra. Primum enim Boetius cœli sciens, cognovit, 1° solem, lunam et stellas; 2° ventos, qui a sideribus velut affectus a causis oriuntur; 3° Spiritum Universi, a quo, velut a causa ipsa sidera moventur. Deinde vero idem Boetius terræ sciens, cognovit varias anni tempestates, 1° vernam, 2° autumnalem variasque naturæ causas. Hinc idem Boetius nunc dicitur *liber cœlo aperto*; quatenus ejus mens, veluti excusso corporis jugo factoque sibi per abditas ipsius ætheris plagas itinere, cogitatione non
C modo attingit, sed etiam pervadit cœlum: quare additur, *Suetus in ætherios ire meatus.* Quæ omnia seorsum exponenda.

8. *Cernebat rosei lumina solis.*] I. Boetius cognovit solem; cujus doctrinæ, ut et sequentium melior testis esse non potest, quam ipse Boetius de se sub persona philosophiæ locutus. *Sol* autem, inquit Tullius, I de Nat. deor., *dictus est, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus: vel quia cum exortus est obscuratis cæteris sideribus solus apparet:* quare qui hujus sideris naturam perspectam habuerit, hic in cogitatione rerum cœlestium versatissimus haberi potest.

9. *Visebat gelidæ sidera lunæ.*] II. Boetius cognovit lunam: sicut ipse etiam testatur. *Luna* autem, inquit Tullius II de Nat. deor., *a lucendo nominata: ea est enim Lucina: itaque ut apud Græcos Dianam eamque Luciferam, sic apud nostros Lucinam in pariendo invocant, quæ eadem Diana.* Scilicet ut sol per diem
D solus, sic luna per noctem sola lucere videtur, unde vocatur noctiluca: unde etiam ejus notitia magnam astrologiæ Boetii affert accessionem. Sed cur Philosophia hic vocat *sidera lunæ?* cum luna unica sit, sidus autem videatur signum ex pluribus stellis compositum, ut Aries, Andromeda, etc., quia, inquam, sidus dicitur corpus omne, quod splendida sua forma a communi cæterorum turba distinguitur: sic enim eleganter dicitur: *et habet sua sidera tellus*: sidus quippe dicitur ab εἶδος, *forma* sive *species*, Spiritu, in ς mutato, quod rarum non est. Cur vero *luna* vocatur *gelida*? nisi quod luna præest nocti, quæ, absente sole, vicino die est frigidior.

10. *Et quæcunque vagos stella recursus.*] III. Boetius se etiam teste, cognovit pariter stellas: non solum quod spectat earum qualitatem, quod magnum esset verum etiam, quod majus est quod attinet ad earumdem quantitatem. Stellæ autem duplicis sunt generis, nempe inerrantes et vagæ. Stellæ inerrantes,

Exercet, varios flexa per orbes, A
Comprensam in numeris victor habebat.
19 Quin etiam causas, unde sonora
Flamina sollicitent æquora ponti;
Quis volvat stabilem spiritus orbem,
20 Vel cur Hesperias sidus in undas
Casurum, rutilo surgat ab ortu :
Quid veris placidas temperet horas,

INTERPRETATIO.

conversæ per circuitus diversos, has *summa collectas peritus tenebat. Præterea* consueverat inquirere *causas quibus venti frementes turbent planitiem maris æquatam*, easque reddere : non secus ac *quisnam spiritus convertat cœlum constans, aut quare astrum in aquas vespertinas lapsurum emineat ab oriente purpureo; quid moderetur dies tranquillos veris, ut decoret terras floribus purpureis : quid fecit, ut autumnus abun-*

NOTÆ.

quæ vulgo dicuntur *fixæ*, sunt sidera lucida, quæ eamdem inter se distantiam, sensu arbitro, semper servare videntur : hæ autem stellæ innumerabiles sunt : unde Genes. XV, *Numera stellas, si potes* : et S. Aug. XVI de Civ. Dei, c. 23, *Nec* ,inquit, *omnes eas videri posse credendum est*: *nam quanto quisque acutius intuetur, tanto plures videt* : quin omnes philosophi fatentur in lactea via innumeram esse ejusmodi stellarum multitudinem : quare hanc multitudinem perspectam habere non potuit Boetius. Stellæ autem B vagæ, quæ vulgo dicuntur *planetæ*, sunt sidera opaca, quæ invicem modo accedunt, modo recedunt: quare inter illa sol, ut pote sidus lucidum, a recentioribus philosophis non recensetur. Illi vero planetæ alii sunt majores, qui palam ante oculos omnium versantur, nempe Saturnus, Jupiter, Mars, Venus, Mercurius, Luna: et hos *numero comprehendere* potuit Boetius : alii sunt minores, qui non nisi summo cum labore animadvertuntur : quales sunt prope Saturnum, Jovem et Martem, qui propterea dicuntur satellites Saturni, Jovis et Martis. Imo, ut cum Seneca loquar, multi præter hos per secretum eunt, nunquam humanis oculis euntes : neque enim omnia Deus humanis oculis nota fecit. Quod tandem Philosophia hic non loquatur nisi de planetis, iisque majoribus vel ex eo patet quod dicat has *stellas vagos recursus exercere*; quatenus recurrendo ab eo quod primum tenuerunt iter, recedunt, et *varios per orbes flecti,* quatenus C sui sunt singulis, quos animadvertimus, planetis circuitus. Denique *victor* idem est quod voti compos: sic enim, auctore Servio, intelligendus est Virgil. III Georg., v. 8 :

Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.

13. *Unde sonora flamina.*] IV. Boetius se quoque fatetur cognovisse ventorum causas. Ventus enim generatim est motus aeris huc et illuc effluentis : hinc *ventus* Scaligero de Caus. l. I., c. 67, pluribusque aliis dicitur a *veniendo ;* quod *venire* sit *moveri*, *ventus* autem aeris motus. At ventus duplicis est generis pro duplici modo, quo aer huc illucque effluere potest. Alter ventus fit nube corruente, non secus ac videmus casu arboris, turris, aut cujusdam alterius ingentis corporis ventum excitari, nimirum, propter illum corporum motorum circuitum, sine quo nullus in mundo fieri potest motus. Hoc modo oriuntur tem- D pestates sæpe quidem in terris, sed sæpius in mari. Alter ventus fit vaporibus a sole per aera rarescentibus, quemadmodum videmus ventum fieri in pomo, ligno viridi et vulgato vase, quod *Æolipilam* vocant, dum hæc igni admoventur. Atqui Boetius cognitis sideribus præsertim vero sole, ejusmodi ventorum causas cognovit : quandoquidem sole movente aliquando fit, ut aut nubes corruat, aut vapor rarescat per aera, quod cum frequentius contingat in mari quam in terris propter majorem aut nubium imminentium aut vaporum exsurgentium copiam, idcirco *sonora flamina* nunc perhibentur *æquora ponti sollicitare :* mare enim appellatur et *æquor* et *pontus* : *æquor* quidem, quod aquæ superficies æquatis undique ponderibus, planissima sit : unde Tullius, II Acad qq., *Quid tam planum videtur*, inquit, *quam mare? ex quo etiam æquor illud poetæ vocant. Pontus* vero, si quibusdam credamus, ab Euxino : nisi tamen ipse Euxinus dicatur Pontus, ex eo quod mare omne nominatur pontus, forte a πόνος, *labor*, quoniam plenum est laboris. Virgil., ecl. IX, v. 57 :

Et nunc omne tibi stratum silet æquor, et omnes,
Aspice, ventosi ceciderunt murmuris auræ.

Et ecl. 6, v. 35 :

Tum durare solum et discludere Nerea ponto.

Ex quibus patet quam ingeniose venti dicantur *sollicitare* sive turbare *æquora ponti* : cum æquor proprie non tam mare notet, quam ejus planitiem, quæ flantibus ventis turbatur.

15. *Quis volvat stabilem spiritus orbem.*] V. Boetius addit se cognovisse illum Universi spiritum, quem Plato, Aristoteles, Cicero, Virgilius pluresque ex antiquis auctoribus agnoverunt : qui quidem spiritus nihil est aliud quam corpus quoddam subtilius, quod per cætera corpora diffusum hæc juxta leges motus a Deo ipso statutas movet. Virgil. Æn. VI, v. 724 :

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit : totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor, et cœlestis origo
Seminibus : quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque : nec [auras
Respiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco.

Hinc Philosophia nunc docet spiritum illum *volvere stabilem orbem* et causam esse non solum cur sidera oriantur et occidant, verum etiam cur *rutilus* sit eorumdem ortus. Primum quidem *volvit stabilem orbem* : quia convertit cœlum, quod cum eadem semper magnitudine, figura, et motione, sensu judice, afficiatur, idcirco dicitur *stabile*: propterea enim terra ipsa, mare et aer, in quibus tamen magna est formarum vicissitudo, *stabilia* corpora vocantur. Deinde causa est cur sidera oriantur et occidant : sicut enim navis ab ea qua circumfunditur aqua abripitur, ita sidera, præsertim opaca, cujusmodi sunt planetæ, et cometæ ab eo quo circumfunduntur, spiritu converti possunt. Poetæ autem ortum obitumque astrorum describentes, hæc et ab aquis emergere, et in aquas peracto cursu reverti fingunt : sic aiunt : *Eois qua sol exsurgit ab undis. Sese alto qua gurgite tollunt solis equi. Croceum linquens Aurora cubile. Ruit Oceano nox. Sol quoque et exoriens et cum se condet in undas*, etc., iidemque aquas illas in quas sidera se condunt, vocat *Hesperias* ab ea stella quæ vocatur *Hesperus* : *Infima* enim, inquit Tull. II de Nat. deorum, *quinque errantium terræque proxima stella Veneris quæ* Φωσφόρος *Græce, Lucifer Latine dicitur*, *cum antegraditur solem* : *cum subsequitur autem, Hesperus*. Unde Virgil., ecl. X, v. 77 :

Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

Denique idem spiritus efficere potest cur *ortus* siderum sit *rutilus*, densando scilicet vel relaxando nubes, quibus, lumine varie modificato, varii exhiberi possunt colores.

18. *Quid veris.*] VI. Boetius subjungit se tempestatem vernam cognovisse. Ver, ut ait Varro, l. IV de l. l., sic dicitur, *quod tum virere incipiunt virgulta ac*

Ut terram roseis floribus ornet :
21 Quid dedit ut pleno fertilis anno
Autumnus gravidis influat uvis,
Rimari solitus, atque latentis
Naturæ varias reddere causas.
22 Nunc jacet effeto lumine mentis,
Et pressus gravibus colla catenis,
Declivemque gerens pondere vultum,
A Cogitur, heu, stolidam cernere terram.

23 PROSA II.

ARGUMENTUM. — *Philosophia medici personam suscipiens, Boetio attentius considerato, eumdem interrogat; sed eodem tacente, conjicit ipsum laborare lethargo, quem ut curet, illius oculos mortalium rerum nube caligantes sua veste detergit.*

Sed [1] medicinæ, inquit [a], [b] tempus est, non querelæ. [2] Tum vero totis in me intenta [c] luminibus :

INTERPRETATIO.

danter fecundus instillet vinum *racemis tumidis, suetus scrutari et occultæ naturæ causas diversas referre.* Ille, inquam, Boetius cœli quondam terrarumque peritus, *Nunc luce mentis debilitata jacet* stupidus, *et* veluti *constrictus vinculis ponderosis circa collum, habensque faciem depressam propter gravitatem* vinculorum *proh dolor! cogitur spectare terram parentem* tanti *stuporis.*

[a] Philosophia.

[b] *Tempus est sanandi, non invehendi.*

[c] *Oculis.*

NOTÆ.

vertere se tempus anni, nisi quod Iones dicunt βῆρ Tempus omnibus notum, quod hic commendatur cum a propria ratione, tum ab affectibus suis. A propria quidem ratione, quæ in hoc versatur quod ver sit placida tempestas, sole nimirum tunc dies noctibus æquante : unde dicitur : *Quid veris placidas temperet horas* : ab effectibus vero nempe a floribus, quibus moderata illa anni tempestas *terram ornat*, quique, quod rosarum colores referant, vocantur *rosei* ut eleganter explicat Virgil. II Georg., v. 123:

Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis :
Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt.

20. *Quid dedit ut... autumnus.* VII. Boetius concludit se pariter cognovisse autumnum. *Autumnus* autem sive, ut nonnulli scribere malunt, *Auctumnus*, quibusdam, referente Festo, sic appellatur, quod tunc maxime augeantur hominum opes, coactis agrorum fructibus : unde Virgil. II Georg., v. 520 :

Glande sues læti redeunt : dant arbuta silvæ
Et varios ponit fetus autumnus : et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

Unde etiam *autumnus* nunc a Philosophia dicitur *pleno fertilis anno gravidis influere uvis : plenus* enim hic idem quod *refertus* : sicut Virgil. II Georg., v. 4 :

Huc pater, o Lenæe : tuis hic omnia plena
Muneribus, tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager, spumat plenis vindemia labris.

Influere vero idem quod *abundare* : sicut Seneca ait *fortunæ influentis dona.*

22. *Rimari.*] *Perscrutari, penitus inquirere* : qui enim naturæ causas penitus inquirit, is instar canis venatici omnia debet lustrare : unde *Physicus*, inquit Orator. I de Nat. deorum, est *speculator venatorque naturæ.*

23. *Naturæ varias reddere causas.*] Natura a *na cor* dicitur, ut φύσις a φύω : quare natura, in genere causæ efficientis, est causa, a qua res, præsertim sensilis, nascitur : in genere vero formæ, natura dicitur insita cujuslibet corporis forma, qua illud a cæteris distinguatur. Sic conciliari possunt discrepantes philosophorum opiniones : *Namque*, inquit Tullius II de Nat. deorum, *alii naturam censent esse vim quamdam sine ratione cientem motus in corporibus necessarios : alii autem vim participem rationis atque ordinis... Sunt autem qui omnia naturæ nomine appellent, ut Epicurus, qui ita dividit omnium, quæ sint, naturam esse corpora et inane, quæque his accidant.* Scilicet natura in genere causæ, duplex est, nimirum prima, nempe Deus, *cujus solertiam*, inquit idem orator ibid., *nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando* : et secunda, videlicet quoddam corpus divinitus motum : hoc enim *vis est sine ratione ciens motus in reliquis corporibus necessarios.* At natura in genere formæ est unumquodque corpus, et si ita placet Epicuro, atomi et inane. Quidquid sit, non agitur hic nisi de natura, in genere formæ. Hæc autem natura obscura quidem est, sed suas habet causas,

B quibus ut physici student inquirendis, sic inquisivit eas, invenitque Boetius. Hæc, inquam, natura obscura est : quia non generali duntaxat, sed singulari debet percipi cogitatione, quæ utpote ab infinitis propemodum adjunctis pendens, difficillime obtineri potest. Suas tamen natura, hæc habet causas : nihil enim fit sine sua causa. His causis inquirendis student physici, ut quamdam, qua a cæteris hominibus secernantur, felicitatem sibi possint comparare : nam

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Has denique causas perspectas habuit Boetius, quippe qui *rimari solitus* cœlum terramque, consueverat *latentis naturæ varias reddere causas.* Sed heu !

24. *Nunc jacet.*] Mens humana sic media est inter Deum, a quo condita conservatur, et corpus, cujus est forma, ut quo magis Deo, aut corpori moventi obsequitur, eo magis gnara fit, aut ignara : *Corpus* C *enim*, ut dicitur Sap. IX, *quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Deus vero, Joan. I, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hinc perturbatio recte nunc perhibetur reddere *effetum lumen mentis* et instar *gravium catenarum vultum ad terram deprimere* : sed Boetius dicitur *catenis pressus colla*, supple *secundum* : Sicut Virgil. *Os humerosque Deo similis.*

[1] *Medicinæ tempus est.*] Ut corporis sic mentis suæ sunt ægritudines, quamobrem sua est utriusque medicina : unde Cic. III Tusc. qq., *Medicina animi*, inquit, *cur non tam desiderata, tam culta, tam grata, et probata quam corporis?* Philosophia autem, utpote quæ in cogitatione versatur, mentis exercet medicinam ; observatis tamen iis quæ a medicis corporum observari solent : hi enim, 1° ægros attentius considerant : nam *medico diligenti*, inquit Tullius II de Or., *priusquam conetur ægro adhibere medicinam, non solum morbus ejus, cui mederi voluit, sed etiam consuetudo* D *valentis et natura corporis cognoscenda est* ; 2° ægros alloquuntur, ut quod sua meditatione cognoscere non potuerunt tam de morbo quam de consuetudine valentis et natura corporis, id percunctando et interrogando eliciant : 3° ægris præsertim silentibus manum admovent, ut tactu judice, prædicta evidentius cognoscantur : inventa enim morbi causa curationem esse inventam medici putant ; 4° ægros consolantur, causati aut nullum esse morbum, aut curationem ejus esse facilem : *Medici* enim inquit Orator. II de Div., *quanquam sæpe intelligunt, tamen nunquam ægris dicunt, eo morbo eos esse morituros.* Atqui ita Philosophia nunc se gerit erga Boetium.

[2] *Tum vero totis in me intenta luminibus.*] I. Philosophia Boetium attentius considerat : ut facta attentione non solum morbum Boetii, cui mederi vult, sed etiam consuetudinem valentis, et naturam mentis cognoscat : attentio quippe animi ita propria est philosophiæ, ut hac præcipitatio et præjudicium, infensissimi veritatis inveniendæ hostes, vitentur :

24 [1] Tune ille es, ait, qui nostro quondam lacte [a] nutritus, nostris educatus alimentis, in virilis animi robur evaseras? Atqui talia [b] contuleramus arma quæ nisi prius abjecisses, invicta te firmate tuerentur. Agnoscisne me? Quid taces? pudore, an stupore siluisti? (5) Mallem pudore; sed te, ut video, stupor oppressit. Cumque me non modo tacitum, sed elinguem prorsus mutumque vidisset, [2] admovit A pectori meo leniter manum, et, **25** [3] nihil, inquit, periculi est, [c] lethargum patitur, communem illusarum mentium morbum. Sui paulisper oblitus est, recordabitur facile, [d] si quidem nos ante cognoverit. [4] Quod ut possit, paulisper [e] lumina ejus, [f] mortalium rerum nube caligantia, tergamus. Hæc dixit, oculosque meos fletibus undantes, contracta in rugam veste siccavit.

INTERPRETATIO.

[a] *Puer primum*; *deinde adolescens; postea vir philosophus.*
[b] Tibi *dederamus.*
[c] *Lethargia sopitus est.*
[d] *Dummodo.*
[e] *Oculos.*
[f] *Caducarum.*

NOTÆ.

Mens porro dicitur *totis in* aliquid *intenta luminibus*, cum aliquid ita cogitat, nihil ut ei supersit virium ad aliud cogitandum. Sic Virg. IV Æn., v 100:

Habes tota quod mente petisti.

[1] *Tune ille es*] II. Philosophia Boetium alloquitur, ut quod attenta meditatione de statu mentis Boetii videtur non potuisse cognoscere, illud ab eodem Boetio percunctando et interrogando eliciat. Ac primum quidem philosophia Boetium interrogat de præterito mentis Philosophiam doctæ statu, cujus initium, progressum et perfectionem optime comparat cum homine, qui virilem ætatem adepturus lacte primum, postea cibo graviore alitur: *Nostro quondam lacte nutritus, nostris educatus alimentis, in virilis animi robur evaseras*, Sic S. Paulus similes Christianæ vitæ periodos describens, 1 Cor. III ait: *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam: nondum enim poteratis*; et Hebr. v: *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo*; ad quod respiciens S. Petrus ep. I, cap. II: *Sicut modo geniti infantes*, inquit, *rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Lac autem Philosophiæ sunt principia, quæ sola animi attentione innotescunt: cibus autem gravior, sunt conclusiones, quæ ex ejusmodi principiis majori quodam labore inferuntur. Deinde eadem Philosophia Boetium interrogat de præsenti statu illius mentis, quæ non ob aliam causam dicitur cecidisse, perturbationibus victa, quam quod *abjectis armis philosophicis*, his noluerit uti. *Arma* autem illa sunt præcepta philosophica.

Sed Philosophiæ interroganti non respondet Boetius, non *pudore* quidem, qui teste Horatio aliquando *infans prohibet profari* sed *stupore*, qui quod sit veluti durities mentis, quæ etiam sollicitata non sentit, propterea et cogitationem et locutionem, cogitationis signum, impedit: hinc Boetius *stupore oppressus* dicitur non modo *tacitus, sed elinguis prorsus, et mutus*: quasi *tacitus* intelligatur qui linguam habens lingua non utitur; *elinguis*, qui lingua captus saltem balbutire potest; *mutus* denique qui nullatenus potest loqui. Sic Tullius dixit *mutum forum, elinguem curiam et tacitam civitatem.* De stupore locutus Virgilius, III Georg., v. 520, canit de tauris:

Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum, non qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera atque oculos stupor urget inertes.

[2] *Admovit pectori meo manum.*] III. Philosophia Boetio admovet manum, ut evidentius percipiat morbi illius causam. Sicut autem medici cognito corde, bonam vel malam corporis valetudinem cognoscunt, quod cordis motus causa sit reliquarum corporis affectionum: ita Philosophia, cognita hominis voluntate, rectam aut pravam mentis cogitationem percipit, quod voluntas causa sit reliquarum cogitationum tam laudabilium quam vituperabilium, ita ut non ante in errorem aut vitium labi possimus, quam voluerimus: propterea Philosophia nunc *manum* dicitur *admovre pectori*: pectus enim significat voluntatem: quemadmodum apud Ciceronem: *Amicus* B *per se amatur toto pectore.*

[3] *Nihil periculi est.*] IV. Philosophia consolatur Boetium, ut ipse Boetius, spe salutis concepta, quæ illi deinceps proponentur remedia, his utatur lubentius: propterea Philosophia ait 1° *nihil esse periculi:* quia cum mens nostra sit immortalis, hæc nullis nisi errorum vitiorumque est obnoxia periculis: hic autem nihil advertitur nisi oblivio quædam, quæ imminentis erroris aut vitii nota non est; 2° mentem Boetii generatim *pati lethargum*: nam lethargus est violenta cerebri compressio, unde torpor et inexpugnabilis fere somni necessitas, rerum omnium oblivio, et mentis defectio nascitur: hinc qui hoc morbo afficiuntur, hos medici tandiu curant percuti, pungi, uri, aliisque modis cruciari, donec, relaxato cerebro, vigilia, attentio et memoria in iisdem renovata nascatur: mens igitur propter quamdam similitudinem tum dicitur pati lethargum, cum rerum ante cognitarum immemor hebere videtur: quod *communis* dicitur *illusarum mentium morbus*, quatenus C mentes nunquam errant, nisi immemores primorum veritatis principiorum, præcipitatione et præjudicio judicent; 3° mentem Boetii speciatim esse *oblitam sui*: est enim *vel maximum*, inquit Tullius I Tusc., *animo ipso animum videre*: *et nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet ut se quisque noscat*: *non enim credo id præcipit, ut membra nostra aut staturam figuramve noscamus*, *neque nos corpora sumus*, *neque ego tibi dicens hoc corpori tuo dico*: *cum igitur, nosce te, dicit, hoc dicit, nosce animum tuum*: *nam corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi receptaculum*: *ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te*: *hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi præceptum, sic, ut tributum Deo sit, hoc est seipsum posse cognoscere.* Ex quibus sequitur mentem humanam non prius posse philosophari quam seipsam noscat, ut quæ oblita sui est, hæc speciatim lethargo laborare merito dicatur; 4° mentem Boetii *paulisper* tantum *esse oblitam sui*, quod antecepta animo notio sui sit innata: unde ad pri- D mam Philosophiæ admonitionem eadem mens recordabitur sui.

[4] *Quod ut possit.*] Denique Philosophia Boetium deinceps curatura, ejusdem *oculos*, *mortalium rerum nube caligantes*, *fletibusque undantes contractu in rugam veste abstersit, et siccavit*: quæ continuato prædicto Philosophiæ symbolo, non tam de corpore, quam de mente intelligenda sunt.

Primum igitur *oculi* Boetii *mortalium rerum nube caligabant*, quod ejus mens caducarum rerum perturbationibus, amore, v. g., aut desiderio obscurata videbatur.

Deinde iidem oculi *fletibus undabant*; quod ejusdem mens propter amissas res caducas afficeretur tristitia, cujus signa sunt *fletus.*

Præterea Philosophia *oculos* Boetii *contracta in rugam veste abstersit, siccavitque. Abstersit* quidem et *siccavit*, quia mentem exuit perturbationibus præcipuis, unde prædictæ tenebræ et tristitiæ: *contracta*

26 METRUM * III.

ARGUMENTUM. — *Boetius canit se, aspirante Philosophia, sic illustratum fuisse sicut nubibus vento fugatis, terra pristinam recuperat lucem.*

A
Tuuc me discussa liquerant nocte tenebræ,
Luminibusque prior rediit vigor :
Ut cum præcipiti glomerantur sidera Coro,
27 Nimbosisque polus stetit imbribus,
Sol latet, ac nondum cœlo venientibus astris,
Desuper in terram nox funditur.
Hanc si Threicio Boreas emissus ab antro
Verberet, et clausum reseret diem,

INTERPRETATIO.

Tunc, inquit Boetius *tenebræ discesserunt a me, caligine dissipata et lux pristina revertit oculis* meis : *quemadmodum quando stellæ involvuntur a Coro rapido* vento occiduo, *et cœlum velatur nubibus pluviarum fecundis, sol absconditur, et nox irruit ex sublimi in humum. Si Boreas ventus ex spelunca Thracia or-*

NOTÆ.

vero *in rugam veste*, hoc est, verbis philosophicis oratione conjunctis : usu quippe cogitationes cum verbis, quibus significari solent, ita conjunctæ sunt, ut sæpissime has cogitationes, non, nisi verbis in memoriam revocatis, recordemur : supra autem dictum est vestes Philosophiæ esse voces philosophicas.

* Carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quorum prior hexameter heroicus; posterior tetrameter, cujus quatuor pedes imitantur quatuor primos heroici versus pedes, frequentiore tamen dactylo.

1. *Tunc me.*] Mens Boetii perturbationibus obscurata suum prius lumen amiserat : non secus ac oculi corporis, accedente nocte, tenebris involvuntur. Sed vix Philosophia, ceu novum sidus, emicuit, cum ejusdem Boetii mens, perturbationibus sedatis, suo priori lumine recreata cœpit, ut ante consueverat, videre.

3. *Ut cum.*] Eximia similitudo, sive oratio traducens ad mentem ex corpore dispari simile : hic autem terra refert mentem ; sol, philosophiam ; nubes, perturbationes ; venti, spiritus perturbationum parentes; nox et dies alterni alternas ignorationem et intelligentiam referunt.

3. *Glomerantur sidera.*] *Glomero* dicitur a *glomus*, *un peloton de fil*, quare cum glomus ex eo fiat, quod filum filo circumacto involvatur, *sidera* nunc dicuntur *glomerari*, quod hæc nubibus circumfundentibus involvantur : neque enim putandum est, Boetium existimasse stellas posse ventis ita moveri, ut iisdem ad se invicem accedentibus quoddam fiat stellarum agmen. Hoc fere modo Virgil. Georg., v, 323, canit :

Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes.

3. *Coro.*] *Corus* sive *Caurus* ventus est flans ab occasu æstivo : unde hic ventus sic contrarius est motui, quo aer ab ortu in occasum cietur, ut nubes contrariis hinc et inde motibus compressæ cogantur copiosum imbrem, nisi aliter dissolvantur, emissuræ. Virg. v. En., v. 125 :

Quo tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hyberni condunt ubi sidera Cori.

4. *Nimbosisque imbribus.*] Imbres nimbosi dicuntur, quod hi nube tanquam sua materia inclusi contineantur : nimbus enim non secus ac nubes generatim illud dicitur quod nubit sive operit : unde *nimbus*, inquit Isidorus l. XIX, c. 31, *est fasciola transversa ex auro assuta linteo, quod est in fronte feminarum.* Ex quo Plautus *nimbatam* meretricem dixit. Scilicet nubes, quæ nihil est aliud quam vapor caliginosus, in sublimi aeris circumfundentis pondere libratus, deorsum ferri potest duobus modis, et pro diverso descensus sui modo, diversos habere effectus : vel enim nubes integra descendit, vel frustatim ; si integra descendat, fulguris, fulminis, tonitrui, præsertim vero tempestatis parens esse potest. Si autem frustatim descendat, hujus tres esse solent formæ : nimirum nix, pluvia, et grando ; nam villosi nubis globuli cadendo vel servant vel mutant suam formam : si servant, ningit : si vero mutant, hi aut liquescunt tantum, tumque pluit; aut durescunt liquati, tumque cadit grando.

4. *Polus stetit.*] Cœlum obductum fuit. Sic enim Virgilius. ecl. 7, v. 54 :

Stant et juniperi et castaneæ hirsutæ.

Æneid. VI, v. 300, de Charonte, cujus oculi
A flamma tegi videbantur.

Canities inculta jacet, stant lumina flamma.

Æneid. XII, v. 407, de cœlo quod pulvere obductum erat.

Jam pulvere cœlum
Stare vident.

Hinc additur vers. 5. *Sol latet.*

5. *Nondum cœlo venientibus astris.*] Nox enim poetis præsertim, duplicis est generis. Altera nascitur occidente sole, emicantibusque cæteris astris, quæ propterea oriri dicuntur : de hac nocte loquitur Virg. II Æn., v. 250 :

Vertitur interea cœlum et ruit Oceano nox,
Involvens umbra magna terramque polumque.

Altera oritur, etiam ante solis occasum, ipso cæterisque astris latentibus, de qua loquitur idem Virg. I Æn., v. 94 :

Eripiunt subito nubes cœlumque diemque
C Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra

Et de hac nocte nunc agitur : unde dicitur *fundi in terram desuper nondum cœlo venientibus astris*, quæ scilicet occidente sole emicare solent.

7. *Boreas.*] Boreas est ventus flans ab ortu æstivo : quamobrem simili motu, quo aer ab ortu ad occasum circumactus, cietur. Hinc autem omnia quæ de isto vento dici solent possunt inferri. Primo enim ventus hice regione Cori spirat : quia Corus flat ab occasu æstivo : unde utriusque hujus venti noster auctor nunc meminit. Secundo idem ventus vehemens est : quoniam una cum aere fertur ad occasum : cum autem omnis ventus vehemens sit frigidus, propterea Virgilius, ecl. 7, v. 51, canit :

Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Atque hinc forte nominis istius interpretatio : βορέας enim videtur dici a βοάω, *clamo*, et ῥέω, *decurro*, quod ventus ille, ut pote vehementior, cum
D sonitu currat. Tertio ille ventus serenus est, quod cum aere concurrens nubes coactas, materiam imbrium, dissipet. Unde Ovid, VI Metam. :

Apta mihi vis est, qua tristia nubila pello,
Et freta concutio, nodosaque robora verto.

Unde etiam nunc dicitur *clausum reserare diem*, hoc est fugare nubes, quibus, etiam ante solis occasum, nox facta est.

7. *Emissus ab antro.*] Optime Boreas, aut quilibet alius mundi ventus, a tempestate diversus, *ab antro emitti* dicitur, ut I Æn., v, 64 :

Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris.

Quemadmodum enim ventus pomorum, castanearum, ligni viridis, imo et globi æneì, quem *Eolipilum* vocant, movente igne, ex quibusdam veluti antris, vaporibus scilicet, qua data porta, rarescendo ruentibus oritur : sic prædictus mundi ventus ex circumstantibus terra, montibus et nubibus, veluti ex magnis quibusdam speluncis, agente sole, vaporibus

28 Emicat, et subito vibratus lumine Phœbus. A
29 Mirantes oculos radiis ferit.

30 PROSA III.

ARGUMENTUM. — *Boetius, recognita tandem parente Philosophia, ab eadem percunctando accipit, ut antiquos sic recentiores philosophos ab ignaris improbisque vexatos fuisse.*

[1a] Haud aliter tristitiæ nebulis dissolutis, [b] hausi cœlum, et ad cognoscendam medicantis faciem [c] mentem recepi. Itaque, ubi in eam deduxi oculos [2] intuitumque defixi, respicio [3] nutricem meam, 31 [4] in cujus ab adolescentia [d] Laribus observatus fueram, Philosophiam. Et quid, inquam, [e] tu [5] in has exsilii nostri solitudines, o [6] omnium magistra vir-

INTERPRETATIO.

tus flagellet hanc terram et *aperiat lucem absconditam, sol apparet, et emissus luce repentina, perstringit splendore suo oculos stupentes.*

[a] *Simili modo.*

[b] *Respiravi.*

[c] *Animum erexi.*

[d] *Domesticis penetralibus.*

[e] *Ego Boetius.*

NOTÆ.

nimirum, qua minus resistitur, rarescendo currentibus flare consuevit : unde Virgil. I *Æn.*, v. 55 :

Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris
Æoliam venit. Hic vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt.

7. *Threcio*] Sive *Thracio* : quod Boreas quidam eodem, quo ventus hic, nomine donatus, fuerit Thrax : vel quod ventus hic comparatione loci ubi scribebat Boetius, ex Thracia videretur flare :

Sic Virg. XII *Æneid.*, v. 365 :

Ac velut Edoni Boreæ cum spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque ad littora fluctus
Qua venti incubuere, fugam dant nubila cœlo.

Edoni enim Græce ἠδωνοί. Straboni gens est Thracica. Porro *reserare* idem est quod *aperire* : *reserare* enim contrarium est *seris* : sicut *claudo* et *recludo*, *velo* et *revelo*, *tego* et *retego*, sunt contraria : seræ autem sunt, quibus remotis fores panduntur, ut ait Varro, velut ait Festus, fustes, qui opponuntur foribus : Ovid. l. VI Amor., *Excute poste seram.* Hinc Virg. XII *Æn.* 584 :

Urbem allii reserare jubent, et pandere portas.

9. *Phœbus.*] Phœbus sive Apollo fertur Jovis et Latonæ filius, eodem partu cum Diana editus in insula Delo. Medicinæ inventor, divinandi, cantandi et versificandi adeo peritus, ut harum artium Deus habitus sit. Poetis, ut nunc, sæpius solem significat, ut ipsius nominis interpretatio probat : φοῖβος enim Græce, Latine est *splendidus*, hinc dicitur *emicare* et *subito vibratus lumine* : *emicare* quidem dicitur, quatenus fulget : *mico* enim est a *mica*, quatenus hæc dicitur de arenulis fulgentibus : at dicitur *subito vibratus lumine*, quatenus sol continuato lumine ad terras usque emittitur. Sic Virgil. *Æn.* VIII, v. 524 :

Namque improviso vibratus ab æthere fulgor.

10. *Mirantes oculos.*] Admiratio non nisi mentis est : quandoquidem admiratio in quadam mentis cogitatione versatur : sed hac mentis affectione fixi D oculi etiam mirari dicuntur. Scilicet *arguti nimis oculi*, inquit Tullius, *quemadmodum animo affecti sumus, loquuntur.* Claudian. carm. 24, v. 69 :

Quantum profueris, quantam servaveris urbem
Attonitis metire oculis.

[1] *Haud aliter.*] Non secus ac nubibus, afflatu Boreæ dissolutis, sol emicat, suoque lumine oculos spectantium in sui admirationem convertit, ego Boetius nebulis perturbationum, præsertim vero tristitiæ meæ instinctu Philosophiæ, fugatis, cœpi paululum respirare, animumque erigere ad contemplandam eam, quæ quod extrahat errores et vitia radicitus, *medici officium exercere* videtur, Philosophiam. Sua autem hæc verba Boetius videtur mutuatus a Virgil. *Æn.* X, v. 898 :

Contra Tyrrhenus ut auras
Suscipiens hausit cœlum, mentemque recepit.

Ubi *haurire cœlum* idem quod *respirare; mentem* vero *recipere* idem quod *animum erigere :* respirare enim proprie corporis est, quatenus hoc pulmonum B ope per asperam arteriam spiritum alternis excipit ac reddit : sed propter quamdam similidudinem dicitur etiam de mente, quatenus notionum, quas a rebus cognoscendis accipit, conscia assensionem et quoddam votum emittere videtur : sic Tullius pro Sest. : *Respirasse homines videbantur, nondum re, sed spe reipublicæ recuperandæ.*

[2] *Intuitum defixi.*] *Attenta cogitatione consideravi* : ut enim cognitio clara et distincta quædam est veritatis, cui inveniendæ vacat philosophia, norma; ita nec philosophicas res nec ipsam philosophiam cognoscendo assequi possumus, nisi attentiori eaque frequenti mentis meditatione : qui secus fecerit, hic in præcipitationem et præjudicium, præcipua errorum vitiorumque capita, labatur necesse est.

[3] *Respicio nutricem meam*] *Meæ* nimirum *mentis* : cum enim vita humanæ mentis, sit cogitatio; propterea philosophia, cujus ope cogitatio fovetur auctisque viribus adolescit, non immerito mentis humanæ C *nutrix* vocatur : sic Ovidio *nox* dicitur *curarum nutrix*.

[4] *In cujus... laribus.*] Id est, *scholis* : lar enim focus est : hinc Lares poetis sunt dii patrii sive domestici, et, si credamus Apuleio, mentes parentum, qui quod olim domi humarentur, suam putabantur semper curare familiam : unde Tullius, Dii, inquit, *quos Græci* δαίμονες *appellant, nostri, opinor Lares.* Atqui *scyolæ* philosophicæ, non abs re dicuntur ejusdem philosophiæ focus : quandoquidem ubi lumen naturale, quod potest dici quædam mentis humanæ vita ab ipsis præcipitationis præjudiciique incursibus tutum, curantibus optimis præceptoribus, fovetur. Quare cum Boetius infans missus fuerit Athenas, ubi annos decem et octo cum aliorum philosophorum, tum Platonis præsertim et Aristotelis lectioni vacavit, recte dicitur *Laribus philosophiæ ab adolescentia observatus* [e]: propterea Philosophia supra ægre ferebat *Musas poeticas* eidem Boetio assidere.

[5] *In exsilii nostri solitudines.*] Theodericus Ostrogothorum rex, cui Boetium antea fuerat dilectissimus, tantam impiis quibusdam, Boetius falso accusantibus, adhibuit fidem, ut ille hunc Ticinum vulgo *Papiam* relegarit, tanquam in exsilium : quam in solitudinem idcirco accedit Philosophia, quod in solitudine præsertim mens ab omni hominum commercio liberata, suis cogitationibus formandis unice vacare possit : sic Plato philosophaturus non Athenas, sed Academiam, suburbanum Gymnasium, elegit : Sic Musæ desertissimos montes incolere finguntur.

[6] *Omnium magistra virtutum.*] Philosophia enim auctore Tullio, *virtutis continet et officii et bene vivendi disciplinam, quam qui profitetur gravissimam sustinere personam videtur.* Et certe virtus generatim, juxta ipsius Aristotelis mentem, definiri potest affectio mentis ut voluntaria sic recta. Dupliis est generis, nempe *dianoetica* et *moralis*. Prior est affectio mentis notioni claræ et distinctæ consentientis. Posterior affectio ejusdem mentis mediocritatem laudabilem in humanis cogitationibus, locutionibus

tutum. [1] [a] supero cardine delapsa venisti? an ut tu A quoque **32** [2] mecum rea falsis criminationibus agiteris? An, inquit illa [b]; te, alumne, desererem, nec [c] sarcinam, quam mei nominis invidia sustulisti, communicato tecum labore partirer? Atqui Philosophiæ [d] fas non erat, [e] incomitatum relinquere iter innocentis. Meam scilicet [f] criminationem (5) vererer, et, quasi novum aliquid acciderit, perhorrescerem? [3] Nunc enim [g] primum censes apud improbos mores lacessitam periculis sapientiam? [4] Nonne apud veteres quoque, **33** [5] ante nostri Platonis ætatem, magnum sæpe certamen cum stultitiæ temeritate certavimus [h]? eodemque superstite [6] præceptor ejus Socrates injustæ victoriam mortis, me astante [i], promeruit.

INTERPRETATIO.

[a] *A cœlo.*
[b] Philosophia.
[c] *Onus.*
[d] *Non licebat.*
[e] *Solum.*
[f] *Accusationem.*
[g] *Putasne nondum.*
[h] Nos Philosophia.
[i] Philosophia.

NOTÆ.

operibusque constituentis : quare prior *prudentia;* posterior *temperantia* a Cicerone vocatur : utriusque autem præcepta præscribit Philosophia adeoque *omnium* est *magistra virtutum.*

[1] *Supero cardine delapsa.*] *Divinitus data* : lumen enim naturale, ut pote, quod ab ipso mentis humanæ conditore ortum est, divinitus est datum. Philosophia autem nihil est aliud quam lumen naturale modificatum : *lumen* quidem, hoc est notio, quæ sola est mentis lumen : *naturale* vero, id est ab ortu divinitus datum sive a natura insitum ingenitumque : *modificatum* denique, quatenus est primum clarum et distinctum; deinde paulo longius diffusum; postremo veri certique judicii norma. Sic Socrates, referente Themistio orat. I, philosophiam *in hominum genus divina duntaxat sorte delapsam fuisse testatus est.* Sic Cicero passim : *Philosophia*, inquit, *donum et inventum deorum; quo bono nullum optabilius, nullum præstantius, neque datum est mortalium generi deorum concessu atque munere, neque dabitur.*

[2] *Mecum rea falsis criminationibus.*] Gaudentius, Opilio et Basilius apud Theodericum regem falso accusarunt Bœtium, 1° quod hic impedivisset, quominus senatus læsæ majestatis convinceretur; 2° quod de vindicanda in libertatem Italia scripsisset; 3° quod ad obtinendas dignitates suffragia corrupisset, quod crimen Latinis *ambitus*, Græcis *δημοκοπία* vocabatur, latisque legibus puniebatur; aut saltem quod ad hunc finem impiis artibus usus fuisset.

Atque hæc, teste ipsa Philosophia, sunt *sarcina*, quam Boetius *nominis* philosophici *invidia sustulit*, quamque propterea eadem Philosophia *communicato* cum Boetio *labore partiri* cupit, ejusmodi *criminationibus* assueta. Sunt, inquam, hæ criminationes *sarcina* : nam *sarcina* onus est quod homo ad vestem victumque secum solet deferre profecturus : ex quo factum est, ut quodlibet onus inutile et molestum *sarcina* diceretur : unde Ovid. ep. 3 :

> Non ego sum classi sarcina magna tuæ.

At easdem criminationes Boetius philosophici *nominis invidia sustulit* : quod philosophicis præceptis addictissimus, talis esset, qualis ab Horatio describitur Carm. l. III, od. 3 :

> Justum et tenacem propositi virum
> Non civium ordo prava jubentium,
> Non vultus instantis tyranni
> Mente quatit solida : neque Auster.

Quare, continuatis ejusdem Philosophiæ præceptis, eo majori cum patientia Boetio hæ criminationes ferendæ sunt, quo antiquior est illa philosophiæ et philosophorum sors.

[3] *Nunc enim primum censes.*] Interrogatio, quasi dicat, *Censesne?* modus loquendi Latinis non inusitatus. Notandum non exstinctam, sed *lacessitam* duntaxat dici *sapientiam* : exstinctis enim sapientibus non propterea exstinguitur sapientia, quippe quæ versatur in cogitatione, cui vel tyrannorum furor nocere non potest : in hoc similis virtuti, quæ, ut ait Claudian., carm. 17, v. 1 :

> Pretium sibi solaque late
> Fortunæ secura nitet.

B Lacessitur tamen : quoniam dictis factisve improbis provocatur : quod lacessiri est : unde Virgil., ecl. 3, v. 51 :

> Efficiam posthæc ne quemquam voce lacessas.

Sicque lacessita fuit primum quidem apud veteres, deinde apud recentiores philosophos.

[4] *Nonne apud veteres.*] I. Sapientia, quæ ab ipsis Pythagoræ temporibus, dici cœpit Philosophia, apud veteres sapientes et philosophos ex eo lacessita fuit, quod præstantissimi inter illos exsilio et morte ipsa a stultis improbisque hominibus affecti fuerint. Notari potest hic loquendi modus : *certamen certavimus* : non enim id Græcis duntaxat familiare est, ut nonnulli aiunt, sed etiam Latinis : sic Terentius dixit *vivere vitam; gaudere gaudium;* Cicero *servire servitutem;* Horatius *ludere ludum* : ut noster auctor infra dicet *ludere ludum*, *ornare ornamentis.*

[5] *Ante nostri Platonis ætatem.*] Plato natus est Athenis circa annum mundi 3626. Hic in omni doc-C trinarum genere, sed in philosophia præsertim excelluit : unde Philosophia nunc vocat *suum*, illumque statuit tanquam notissimum philosophum, in quo, ante quem, et post quem sapientia sive philosophia male excepta fuit. In ipso quidem Platone sapientia male excepta fuit : nam ipse Plato iniquitate Dionysii Siciliæ tyranni, cui se ille commiserat, inquit Cicero, in maximis periculis insidiisque versatus est. Ante eumdem Platonem sapientia male etiam excepta fuit : si quidem Solon Atheniensis, Anaxagoras et Pythagoras in exsilium acti fuerant : Zeno vero Eleates aliique optimi viri morte damnati : sed ejusdem Platonis præceptor Socrates : ut statim dicetur, eodem supplicio affectus fuit. Denique post eumdem Platonem sapientia male excepta fuit in Caniis, in Senecis, in Soranis, in ipso Boetio : quæ omnia seorsum probanda sunt.

[6] *Præceptor ejus Socrates.*] In Socrate, inquam, ante Platonis ætatem sapientia male excepta fuit : D nam Socrates, cujus tanta sapientia fuit, ut hinc præceptor Platonis fuerit, inde vero Epicurei ac Stoici ab illius partibus stare gloriarentur, ob suam sapientiam morte damnatus est. Primum quidem Socrates circa annum mundi 3600 natus adeoque ante Platonis ætatem florens, fuit sapientissimus : nam a rebus occultis et ab ipsa natura involutis avocavit *philosophiam*, ut de virtutibus et vitiis quæreret, causatus quæ supra nos, nihil ad nos pertinere : is non solum verbo, sed exemplo etiam ad honeste vivendum suos auditores hortabatur : tantam quippe in omni vita servavit æquabilitatem, ut sive in prosperis sive in adversis rebus, eumdem semper vultum, nec hilarem magis, nec magis turbatum ostenderit. Deinde idem Socrates *præceptor* fuit *Platonis* : unde Tullius, III de Orat., *Socrates*, inquit, *cujus ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, litteram nullam reliquit.* Postea idem Socrates accusatus, quod de diis male sentiret, *capite damnatus est;* sed *injustissime* : si quidem, auctor

ruit? Cujus [a] hæreditatem cum deinceps Epicureum vulgus, ac Stoicum, cæterique pro sua quisque parte raptum ire molirentur, meque reclamantem, renitentemque, velut in partem prædæ, traherent, vestem, quam meis texueram manibus, disciderunt, abreptisque ab ea panniculis, totam me sibi cessisse credentes, abiere. In quibus, quoniam quædam nostri habitus vestigia videbantur, meos esse [b] familiares imprudentia rata, nonnullos

A eorum [c] profanæ multitudinis errore pervertit. **34** Quod si nec [1] Anaxagoræ fugam, nec [2] Socratis venenum, nec [3] Zenonis tormenta, quoniam sunt [d] peregrina, novisti; at [4] Canios, **35** [5] at [e] Senecas, [6] at Soranos, quorum nec pervetusta, nec [f] incelebris memoria est, scire potuisti. Quos nihil aliud in cladem detraxit, nisi quod nostris moribus [g] instituti, [7] studiis improborum dissimillimi videbantur. Itaque

INTERPRETATIO.

[a] *Doctrinam.*
[b] *Domesticos.*
[c] *Alienæ.*
[d] *Remota loco et tempore.*
[e] *Senecam et Soranum* philosophos.
[f] *Indicta.*
[g] Philosophicis.

NOTÆ.

ipso Tullio, I de Or., *omnium sapientissimus sanctissimeque vixit* : propterea populus mortem ejus ita doluit, ut ejusdem accusatores partim morte, partim B exsilio punierit, ipsique Socrati statuam æream posuerit : *obiit* tamen *astante philosophia* : nam, ut ait Tullius, ibid., *elegantissimam Lysiæ orationem, qua pro se in judicio uteretur, respuit, et ita in judicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed ut magister aut dominus videretur esse judicum.* In quo *victoriam mortis promeruit* : quod, judicio ipsius Ciceronis, mors illa, quæ naturæ debita, non solum pro patria, sed etiam pro veritate est potissimum reddita, aut meliorem quam qui est in vita, aut certe non deteriorem affert statum. Denique ipsius Socratis doctrinam, quæ quoniam instar pecuniæ ejus morte ad aliquos pervenit, idcirco vocatur ejusdem *hæreditas*, partiti sunt *Epicurei* ac *Stoici*, quorum illi Epicuro, hi Zenone duce philosophantur. Nam duæ præcipuæ sunt philosophorum antiquorum sectæ, a quibus cæteræ promanarunt : nempe *Ionica*, cujus auctor dicitur Thales Milesius; et *Italica*, cujus caput fuit Pythagoras. *Ionicæ* duæ celeberrimæ exstiterunt familiæ, nempe Academicorum et Peripateticorum; *Italicæ* pariter duæ, nimirum Stoicorum et Epicureorum, *qui*, ut loquitur S. August. l. VIII, de Civ. Dei, c. 7, *posuerunt judicium veritatis in sensibus corporis, eorumque infidis et fallacibus regulis omnia quæ discuntur, metienda esse censuerunt;* quique propterea *reclamantem renitentemque* philosophiam experti, philosophicam vestem, id est dictiones, quibus tegerentur, *disciderunt* verosque philosophos mentiti sunt.

[1] *Anaxagoræ fugam.*] In Anaxagora etiam ante Platonis ætatem sapientia male excepta fuit. Anaxagoras enim ipso Socrate antiquior, docente Tullio, dixit materiam infinitam, sed ejus particulas similes inter se minutas, eas primum confusas, postea in ordinem adductas mente divina. Ex quo confecit, solem non esse Deum, sed lampadem ardentem : ac propterea in exsilium pulsus, aut potius libenter profectus est : fertur quippe agros et patrimonia sua reliquisse, ut discendi quærendique divinæ delectationi toto se animo dederet. Consule Diogenem Laertium.

[2] *Socratis venenum.*] De Socrate jam dictum est : superest genus mortis illius : decessit autem hausto succo cicutæ venenato, quo Athenienses ad publicum mortis supplicium utebantur : hinc *Socrates*, inquit Cicero, *cum pene jam in manu mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in cœlum videretur ascendere* : et Seneca, epist. 67, *Calix*, inquit, *venenatus, qui Socratem transtulit e carcere in cœlum.*

[3] *Zenonis tormenta.*] In Zenone etiam ante Platonis ætatem sapientia male excepta fuit. Zeno enim ipso quoque Socrate antiquior multa propter suam sapientiam tormenta passus est : sed quænam illa fuerint, quisve illorum auctor non constat. Probabilius est Zenonem, dum hic Eleam patriam in libertatem vindicare conaretur, Nearchi tyranni jussu cruciatum, inter tormenta linguam dentibus præcidisse et in Cyprii regis interrogantis faciem exspuisse. *Anaxarchum, Democritum a Cyprio tyranno excarnificatum accepimus*, inquit Tullius, *Zenonem Eleatem in tormentis necatum,* nempe a Nearcho tyranno. Sicque apud veteres philosophos lacessita est sapientia.

[4] *At Canios.*] II. Eadem sapientia etiam apud recentiores philosophos lacessita fuit : nam Julius Canius sive, ut vult Lipsius, Canus eodem quo Seneca sæculo natus, præstantissimus philosophus, a Caio, cum quo diu altercatus fuerat, morte damnatus, hanc cum incredibili animi constantia subiit, ut refert ipse Seneca l. de Tranq., c. 14.

[5] *At Senecas.*] Seneca philosophus, S. Paulo æquævus, primo a Christi nativitate sæculo floruit, præceptor Neronis, a quo cum ingentibus divitiis cumulatus fuisset, morte damnatus est : *Quamvis*, ut ait Suetonius in Vita Neronis, *sæpe commeatum* C *petenti, bonisque cedenti persancte jurasset, suspectum se frustra, periturumque potius, quam nociturum ei.* Hic philosophus *sibi venas præsecans*, inquit vetus interpres Juvenalis, sat. 5, *crurumque venas abrumpens, et durante tractu lentitudineque mortis, hausto veneno, et postremo calidæ aquæ stagnum introiens, exanimatus est.* Nimirum, ut ipse Seneca amicos admirabili constantia, antequam moreretur, allocutus ait : *Neroni sævienti nihil aliud supererat, post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque necem adjiceret.*

[6] *At Soranos.*] Bareas Soranus, præstantissimus item philosophus, Senecæ æqualis, justitia atque industria offensiones ejusdem Neronis ita auxit, ut ad mortem actus fuerit ab eodem tyranno, qui magnitudinem imperatoriam cæde insignium virorum, quasi regio facinore ostentare videbatur, ut ait Cornelius Tacit. Annal. l. XVI.

Ne putes hic *Canios, Senecas, et Soranos* significare *imitatores* et *sequaces* ejusmodi philosophorum, D quemadmodum arbitratur Thomas Anglicus : ipsi sunt philosophi, qui propter majorem ἔμφασιν numero plurali exprimuntur : Sic dicimus *Alexandros, Augustinos*, etc.

[7] *Studiis impiorum dissimillimi.*] Idcirco enim improbi odio habent probos, eisque nocent, quia horum illorumque cogitationes, locutiones et opera inter se sunt contraria : quemadmodum docemur Sapientiæ, II : *Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo : et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem se habere Deum.*

nihil est quod admirere, si in hoc [1] vitæ [a] salo, circumflantibus agitemur procellis, quibus hoc maxime propositum est, [2] pessimis displicere. **36** Quorum quidem tametsi [3] numerosus exercitus, spernendus tamen est, quoniam nullo duce regitur, sed errore tantum temere ac passim [b] lymphante raptatur. Qui si quando contra nos [c] aciem struens valentior incubuerit, nostra quidem dux [d] copias suas in arcem contrahit; illi vera circa diripiendas inutiles [e] sarcinulas occupantur. At nos desuper irridemus, A vilissima rerum quæque rapientes, securi totius furiosi tumultus, eoque vallo muniti, quo grassanti stultitiæ aspirare fas non sit.

37 METRUM * IV.

Argumentum. — *Homo metus speique liber, inqvit Philosophia, non movetur; aut periculis maris, terræ et cœli; aut tyrannorum furoribus; quibus spei metusque servus, oppressus jacet.*

Quisquis composito serenus ævo,
38 Fatum sub pedibus dedit superbum,
Fortunamque tuens utramque rectus,

INTERPRETATIO.

a *Mari.*
b *Bacchante.*
c *Militans.*
d *Ratio.*
e *Onera.*

Quicunque, composita sua vita, tranquillus contempsit mortem imperiosam, et inspiciens constanter fortunam prosperam adversamque, valuit, servare faciem

NOTÆ.

1 *Vitæ salo.*] Salum est mare, sic dictum a salis sapore : hinc *Salacia* poetis, quod salum ciet, et *insula*, quasi *in salo*, dicitur. Cæsar., l. III Bell. civ., *Multitudine*, inquit, *navium perterriti et salo nauseaque confecti.* Vita autem hominis quoddam mare est, quod ut hoc, sic illa *circumflantibus agitetur procellis*, Propterea Cicero, orat. in Pisonem, *Alios*, inquit, *ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas : aliis impendentibus tempestatibus non cessi.*

2 *Pessimis displicere.*] Philosophorum enim propositum sive votum in hoc versatur, quod virtuti studeant : virtus autem, ut pote qua improborum vita damnari videtur, pessimis displicet.

3 *Numerosus exercitus.*] Stultorum major est, quam philosophorum numerus, juxta illud Eccl. I, *Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.* Nimirum philosophorum est vitare præcipitationem et præjudicium ad inveniendam veritatem, quod ut difficile, sic paucorum est. Stultorum vero præcipitatione et præjudicio in errorem primum, deinde in vitia labi, quod ut infinitis fere modis fieri potest, sic et facillimum et plurimorum est. Sed multitudo non absolvit stultitiam, nec minus sunt vituperabiles, quod plures sint stulti.

Hinc illa stultorum turba *spernenda est; nullo duce regitur, sed errore temere lymphante*, adeoque *circa diripiendas inutiles sarcinulas occupatur.* 1° *Spernenda est :* nam virtus veræ sapientiæ comes individua et semper et sola libera est, quæ, etiamsi corpora capta sunt armis et vinculis constricta, jus tamen suum atque omnium rerum impunitam libertatem tenet. 2° *Nullo duce regitur :* in hoc enim vitii et virtutis asseclæ differunt, quod hi certis, illi nullis teneantur legibus, quod virtus uno modo, vitium infinitis haberi possit : norma enim unica sit, necesse est. 3° *Errore lymphante raptatur;* hoc est errore in furorem agente : *lymphatus* enim dicitur, qui, ceu a Nymphis lympharum præsidibus actus, in furorem abreptus est : ita Virgil. VII Æn., v. 377 :

Immensam sine more fuerit lymphata per urbem.

4° *Circa inutiles sarcinulas occupatur :* suis quippe obsecuta perturbationibus, omnes suas curas cogitationesque ponit in caducis rebus, quæ velut pondus inutile mentem ita opprimunt, hanc ut non sinant veritatem virtutemque colere. Contra vero sapientia, quæ ratione tanquam duce regitur, spretis caducis rebus, veritati virtutique sic vacat, ut non modo instar sideris emicet, sed turris instar inexpugnabilis ab omnibus stultitiæ telis sit tuta.

* Quod vocatur *phaleucum* a poeta qui dicebatur φάλαικος. Est autem carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet *endecasyllabus* constat spondeo, dactylo et tribus trochæis.

1. *Serenus.*] *Serenus* dicitur a Græco ξηρὸς, quod est *siccus*. Hinc a *serum* est *sereo;* a quo *serescere*, quod est *siccari :* unde Lucretius l. I :

B Denique fluctifrago suspensæ in littore vestes
Uvescunt, eædem dispansæ in sole serescunt.

Propterea quæ nubes in aura vanescentes terram siccari sinunt, hæ vocantur serenæ Virgilio, I Georg., *serenas ventus agit nubes.* Ex quo factum est, ut frons excussis rugis *serena* diceretur Martiali et aliis. A fronte denique vox illa translata est ad ipsam mentem, quatenus hæc libera est a perturbationibus, quibus turbari solet. Sic nunc accipitur : sicque a Latinis auctoribus accipi solet. Lucret. lib. II :

Quæ placidum ducunt ævum, vitamque serenam.

1. *Ævo.*] Id est, *vita.* Ævum enim dicitur a Græco ἀιὼν, hoc autem quasi ἀεὶ ὂν *semper existens* : sed res vivens non censetur existere, nisi quatenus vita sua afficitur : hinc pro diverso genere vitæ, ævum aliud est perpetuum, quod mentium est : aliud certo definitum tempore. Hic agitur de ævo sive vita hominis : quemadmodum ab Horatio dicitur homo *ævi brevis* : C et a Virgilio de apibus, IV Georg., vers. 206 :

Ergo ipsas quamvis angustus terminus ævi
Excipiat : neque enim plus septima ducitur æstas.

Ævum autem sive vita hominis tum dicitur *componi*, cum secundum ipsam Dei voluntatem, quæ prima est morum regula, regitur : ex quo summa oritur animi tranquillitas.

2. *Fatum.*] Id est *mortem* : *fatum* enim a *fando* videtur dici, quasi *voluntas, decretum, jussum et dictum Dei* : nam *quid aliud est fatum*, inquit Minutius Felix in Octavio, *quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est?* quamobrem cum divina voluntate sit *statutum omnibus hominibus mori*, Hebr. IX; idcirco mors etiam Christianis vocari potest *fatum :* ut nunc vocatur : *fatum* autem sive mortem *sub pedibus dare* videtur, qui commissus Dei arbitrio, nec petit vivere nec metuit mori : *Libera te*, inquit Seneca, ep. 80, *primum metu mortis; illa nobis primum jugum imponit; deinde metu paupertatis.* Sic Virgil. II Georg., D v. 490 :

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus strepitumque Acherontis avari.

3. *Fortunamque tuens utramque rectus.*] Fortuna ethnicis erat numen, a quo illud omne putabant procedere, cujus causam ignorabant : nam *Fortuna*, inquit Tullius I Acad., *efficit multa improvisa nobis propter obscuritatem ignorationemque causarum.* Hinc illam saxi instar globosi prædicabant volubilem, quod globosi circuitus non citius quam eventus, quorum causas ignoramus, sese excipiant. Hinc illam fecere duplicem, secundam scilicet, a qua bona saltem exteriora; et adversam, a qua mala contraria proficiscerentur : quod ignorata causa sæpius ab uno ad alterum statum transeamus. Rejecto autem falso illo numine, hic intelliguntur res prosperæ et adversæ, quas qui virtutem colit, sic intuetur *rectus* ut neque deprimatur afflictarum pondere, neque vento prospe-

Invictum potuit tenere vultum;
Non illum rabies minæque ponti
Versum funditus excitantis æstum,
Nec ruptis quoties vagus caminis
39 Torquet fumificos Vesevus ignes,
A
Aut celsas soliti ferire turreis
Ardentis via fulminis movebit.
40 Quid tantum miseri feros tyrannos
Mirantur sine viribus furenteis?

INTERPRETATIO.

indomitam; hunc non sollicitabit aut furor terrorque maris agitantis summos imosque fluctus suos *aut mons Vesuvius, cum inconstans emittit flammas fumantes facto exitu, aut iter fulminis accensi, quod consuevit percutere alta ædificia. Cur infelices ita stupent tyrannos crudeles, accensos furore inani. Nihil optes, nihilque metuas,* tumque *exarmabis furorem effrenati infir-*

NOTÆ.

rarum erigatur : legitur ex *vultu*, qui cum nec tristior adversis, nec hilarior secundis fiat, *invictus* manet. Non possum tacere verba Horatii, III Carm., od. 3, quamvis omnibus nota,

Justum et tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus :
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

5 *Non illum rabies minæque ponti.*] I. Mare ventis præsertim agitatum turbatumque adeo terribile est, ut viris etiam fortissimis metum incutere posse videatur : unde Horatius, Carm. l. I, od. 3 :

Illi robur et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem aquilonibus
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.

Hinc dicuntur *rabies minæque* maris : *rabies* quidem, quod more rabidi furentisve canis huc et illuc rapiatur : *minæ* vero, quod sublimes fluctus mortem intentent. Sic enim Virgil. I Æn., v. 166 :

Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur
In cœlum scopuli.

Atqui *quisquis pedibus subjecit fatum*, ille his maris periculis non movetur : quod hæc nihil aliud sint, quam præsagia mortis, quam ille contemnit. Mare autem vocari *pontum* jam diximus met. 2, v. 14

8. *Vesevus*] II. Terra etiam, ea præsertim quæ e suo sinu emittit ignes, terribilis est : neque tamen hanc, propter prædictam rationem, metuit qui *sub pedibus dedit fatum.* Hujusmodi est Vesevus. Vesevus autem qui et Vesuvius, mons est Campaniæ prope Nolam, ex cujus cacumine sæpius erumpunt ignes, morte præsertim Plinii infames : aiunt enim celeberrimum hunc auctorem, qui cognoscendi hujus ignis studio eo se contulerat, fumo flammisque inde emissis extinctum fuisse. Hujus montis meminit Virgilius II Georg., v. 224, ubi ejus fertilitatem commendat.

Talem dives arat Capua et vicina Vesevo
Ora jugo.

Ignes quidem Vesevi sunt *fumifici* : quia oriuntur ex terrestri exhalatione, quæ quandiu terris inclusa constringitur, fumus est, at liberius per aera iter nacta flammam concipit, statim propter majorem partium concretionem pristinam fumi formam resumptura : propterea *ex eo* monte, ut aiunt Conimbric. Meteor. tract. 12, cap. 3, *aliquando nubes ascendere visa est, quæ pini similitudinem et formam referebat.* At ignes hi non emicant, nisi *ruptis caminis,* sive exitu sibi facto : quoniam si exhalatio, prædicta ignis subterranei materia, viam invenisset factam; in auras potius abiisset, quem in ignem : quod cum fiat, interruptis vicibus, propterea mons ille nunc vocatur *vagus.*

10. *Via fulminis.*] III. Cœlum, præsertim fulminans, adeoque fulgurans, et tonans maxime terribile est; quod præsentem intentare mortem videatur. Hinc qui malæ conscientiæ stimulis sive potius furiis agitantur, hi fulmina præcipue, adeoque fulminum præsagia, fulgura et tonitrua metuunt : sicut C. Cæsar Caligula, *qui*, ut loquitur Suetonius, *deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua et fulgura conni-*
B
vere, caput obvolvere: ad vero majora proripere se e strato, sub lectumque condere solebat : sicut etiam quilibet impius, judicio Juvenalis l. v, sat. 13, fulmine terretur :

Hi sunt qui trepidant et ad omnia fulgura pallent
Cum tonat : exanimes primo quoque murmure cœli :
Non quasi fortuitus nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras et judicet ignis.

Fulmen autem et fulgur non solum origine, verum etiam natura conveniunt. Conveniunt quidem origine, quod utrumque, Varronis arbitrio in IV de l. I, a *fulgore* dicatur. Conveniunt etiam natura, quod utrumque sit exhalatio accensa. At differunt, quod fulgur vix natum, perit : fulmen non prius exstinguitur, quam ad terras usque pervenerit, simile his stellis, quas inquit Virgil. I Georg., v. 365 :

Vento impendente videbis
Præcipites cœlo labi notisque per umbras
Flammarum longos a tergo albescere tractus.

C
Propterea nominatur hic *via fulminis ardentis*, diciturque fulmen *solitum celsas ferire turres.* Nimirum accensa illa exhalatio nubibus excussa, aut per nubium latera emittitur, aut per inferiorem nubis subjectæ partem. Si primum : fulminis via sic obliqua est, illud ut sublimia potius quam humilia sibi obviam habeat. Si vero alterum : quemadmodum mensa corio supposita, corium reddit perforatu facilius, sic corpus sublime nubi subjectum, nubem, qua illud huic respondet, reddit fragiliorem, adeoque viam sibi parat, qua fulmine ruente percutiatur. Verum nec fulmen illud potest malum inferre gravius morte, quam cum non metuat ille, de quo nunc agitur; idcirco nec fulmine movetur. Senec. in Thyest. v. 347 :

Rex est qui posuit metus...
Quem non concutiet cadens.
Obliqui via fulminis...
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia,
Occurritque suo libens
D
Fato : nec queritur mori.

11. *Quid feros tyrannos.*] Denique qui neque fluctuum marinorum furoribus, neque ignium subterraneorum incendiis, neque Jovis fulminantis ictibus terretur, hic multo minus metuit tyrannos, quorum minor esse videtur nocendi potestas. *Tyrannus* apud veteres idem erat quod *rex* sive *princeps* : atque ita forte vocatus a turribus sive sublimibus ædificiis, in quibus manere solent reges : unde Horatius pauperum tabernas regnumque turres opponit l. I Carm., od. 4 :

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres; o beate Sexti.

Sic Virgilius de tyranno loquitur VII Æn., v. 266 :

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Sed apud recentiores auctores tyrannus ille solum dicitur princeps qui suprema sua potestate abutitur : quo modo idem Virgil. IX Æn., v. 365.

Nec speres aliquid nec extimescas,
Exarmaveris impotentis iram :
41 At quisquis trepidus pavet, vel optat,
Quod non sit stabilis, suique juris,
Abjecit clypeum, locoque motus
Nectit, qua valeat trahi, catenam.

42 PROSA IV.

ARGUMENTUM. — *Boetius de intelligentia prædictorum suoque vulnere a Philosophia interrogatus, memoratis primum quidem loco, habitu et vultu, quibus non ita pridem excipere solebat Philosophiam, deinde vero* A *præceptis, quæ et a Philosophia acceperat, et diligenter exsecutus fuerat, injustas refert sui exsilii causas.*

[1] Sentisne, inquit[a], hæc, atque animo illlabuntur tuo? Esne[b] ὄνος λύρας? Quid fles? Quid lacrymis manas [c]? Ἐξαύδα μὴ κεῦθε νόῳ : Si operam medicantis exspectas, oportet vulnus detegas. **43** Tum [d] ego collecto in vires animo : [e] Anne adhuc eget admonitione, nec per se satis eminet fortunæ in nos sævientis asperitas? Nihilne te [f] ipsa [2] loci facies movet?

INTERPRETATIO.

mique tyranni : *sed quicunque metuit tremens, aut sperat,* is, *quoniam non est constans et compos sui, deposuit scutum, et* sua *sede disjectus componit vincula, quibus rapi possit.*

[5] Philosophia.

[b] *Asinus lyræ.*

[c] *Dic, neque mente tegas.*

[d] Boetius.

[e] Respondeo.

[f] O Philosophia.

NOTÆ.

Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni.
Aut metus acer erat.

Neque vero ejusmodi tyrannos timet, qui magnitudine et fortitudine animi præditus, nihil a rebus creatis aut sperat aut metuit : *Harum* enim *virtutum,* inquit Cic. III de Offic., *est proprium nil extimescere, omnia humana despicere nihil quod homini accidere possit intolerandum putare.* Ex quo idem orator conficit *fortitudinem esse* [*dolorum laborumque contemptionem.* Quare magnanimis viris *feri tyranni* habentur *sine viribus furentes.* Igitur

13. *Nec speres aliquid nec extimescas.*] Hæc est sententia Platonis, quam sibi deinceps usurpaverunt Stoici, unanimique consensu approbarunt omnes cum oratores tum poetæ. Plato enim in Philebo ait *oportere eum qui intelligendi sapiendique vitam elegit, nullatenus gaudere vel dolere.* Seneca ille Stoicus, de Beata Vita c. 5 *potest,* inquit, *beatus dici qui nec cupit nec timet, beneficio rationis.* Cicero, versu 11, et Virgilius, versu 2, hujus metri citatus : quibus addi potest Martialis l. X, ep. 47 :

Quod sis, esse velis, nihilque malis :
Summum nec metuas diem, nec optes.

Scilicet mens caducarum rerum spei metusque libera, hinc a corpore errorum vitiorumque fonte liberatur, inde vero Deo veritatis virtutisque principio conjungitur : quare *exarmat iram,* cujus est duntaxat aut auferre bonum quod optes, aut inferre malum quod timeas; quique tibi irascitur, hic *impotens* est : sive quia quo ira libidoque rapiunt, sequitur, talis enim homo, etiam Ciceroni *impotens* dicitur; sive quia nocere non potest.

15. *Quisquis... pavet vel optat.*] E contrario quicunque metu aut spe caducarum rerum afficitur, is, 1° *non est stabilis,* quod vel supplicio vel præmio mens ejus a prima veritatis virtutisque norma recedere sit parata; 2° *sui juris non est,* quod mancipia non tam servi dominorum, quam ille cupiditatum vel timorum; 3° *abjecit clypeum,* quod magnitudo fortitudoque animi, quam abjecit, sit ipsius animi robur et tutela; 4° *loco motus,* ut miles extra suum agmen; quod tranquillitas animi, a qua recessit, propria sit ejusdem animi sedes; 5° *nectit catenam qua valeat trahi ;* quod spem metumque, quibus ut cæteris perturbationibus mens humana rapitur, conceperit conceptosque fovere studuerit.

Neque aliud nobis hic videtur adnotatione dignum, nisi forte interpretatio, et usus hujus vocis *clypeus,* v. 17. *Clypeus autem, clupeus clipeus, clypeum, clupeum,* et *clipeum,* neque origine neque usu nobis differre videntur. Origine quidem *clypeum* (idem dicas de cæteris), judice Salmasio, dicitur κατὰ μετάθεσιν *ex* κύκλιον *in orbem actum* sive *ovatum ;* quod ea sit figura hujus corporis. Usu vero *clypeus* sive *clypeum* est textum rotundum, quod ad pompam, B insculptis cælatur imaginibus, et ad pugnam, lævam militis partem tegit : unde a corpore ad mentem translatum id nomen, nunc magnitudinem fortitudinemque animi, ut dictum est, significat.

[1] *Sentisne hæc.*] I. Boetius interrogatur a Philosophia de intelligentia prædictorum : cum enim auctore Tullio, I Acad., *neque hoc quidquam sit turpius quam cognitioni assertionem approbationemque præcurrere;* propterea Boetius non ante debuit de prædictis ferre judicium, quam illa animo illapsa suo perceperit : hinc Philosophia rogat Boetium, sitne istorum, sicut *asinus* est *lyræ,* auditor tantum, ὄνος λύρας? Nimirum tanta est tamque nota asini stupiditas, hic ut Græcis Latinisque hominibus in proverbio sæpius fuerit ad significandam hominis ignorationem. Sic dicitur ὄνος ἐν πιθήκοις, *asinus inter simias;* ὄνος ἐν μελίτταις, *asinus inter apes,* dum stultus inter callidos, aut piger inter sedulos occurrit. Sic ὄνου κεφαλὴν μὴ πλύνειν νίτρῳ,
C *asini caput ne laves nitro,* dum prohiberis operam perdere in docendis rudibus : quemadmodum Horatius ait l. I Sat., sat. 1 :

Infelix operam perdas : ut si quis asellum
In campo docent parentem currere frenis.

Sic ὄνος πρὸς αὐλὸν, *asinus ad tibiam;* ὄνος λύρας, *asinus lyræ,* suppl. *auditor;* sive ut alii legunt, ὄνος πρὸς λύραν. *asinus ad lyram :* prior lectio non solum est nostri auctoris, sed ipsius etiam Varronis in satyra quæ testamentum inscribitur apud Agellium, l. III, c. 16 : *Liberi,* inquit, *si erunt* ὄνοι λύρας, *exceredes sunto.* Alterutrum autem ex his dicitur ad significandum hominem, qui quamvis voces patulis auribus excipiat, verborum tamen significationem non percipit.

Præterea idem Boetius interrogatur de causa suorum *fletuum,* suarum *lacrymarum* : *Quid fles? Quid lacrymis manas?* quod vocatur ejus *vulnus,* quodque
D *medicanti philosophiæ oportet detegere* : morbus enim non sanatur indicta ignorataque ejus causa. Hinc Philosophia Boetium ad loquendum hortatur his Homeri verbis, Ἐξαύδα μὴ κεῦθε, νόῳ, *Fare nec occultes animo.*

[2] *Loci facies.*] II. Boetius meminit adjunctorum, quibuscum ante et tunc excepit philosophiam; ut ex utriusque status discrimine *fortunæ in ipsum sævientis asperitas* cognoscatur ab ipsa philosophia, cujus natura et species, quibus Boetius instructus fuerat, proponuntur. Primum quidem adjuncta hæc, sunt *locus, habitus et vultus* Boetii. *Locus* ante fuit *bibliotheca* sive locus librorum cujus *parietes,* ut infra dicetur, erant *ebore ac vitro compti* : quales esse consueverant ædes divitum, teste Horatio l. II Carm. od. 18. *Locus* tunc est sordidus et obscurus carcer. *Habitus* ante bona; tunc mala corporis animique affectio. *Vultus* qui ut mentis sic reliqui corporis sermo quidam tacitus est, ante hilaris, tunc tristis.

Hæccine est bibliotheca, quam certissimam tibi sedem nostris in [a] Laribus ipsa delegeras? in qua mecum sæpe residens, de divinarum humanarumque rerum scientia disserebas? [b] Talis[c] habitus, talisque vultus erat, cum tecum [d] naturæ secreta rimarer, cum mihi [e] siderum vias radio describeres, cum [f] mores nostros totiusque vitæ rationem ad cœlestis ordinis exemplar formares? **44** [1] Hæccine præmia referimus tibi obsequentes? Atqui tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti, beatas fore respublicas, si [g] eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset. Tu ejusdem viri ore hanc sapientibus [h] capessendæ reipublicæ necessariam causam esse monuisti, ne improbis flagitiosisque civibus urbium relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem inferrent. Hanc igitur, auctoritatem secutus, quod a te inter secreta otia didiceram, transferre in actum publicæ administrationis optavi.[2] Tu [i] mihi, et qui te sapientium mentibus

INTERPRETATIO.

[a] *Domo nostra.*
[b] *An.*
[c] *Habitudo.*
[d] *Physicam.*
[e] *Astronomiam.*
[f] *Moralem.*
[g] *Philosophi regerent aut reges philosopharentur.*
[h] *Administrandæ.*
[i] *Studendo.*

NOTÆ.

Deinde natura philosophiæ aperitur, antiqua hac philosophiæ definitione, *divinarum humanarumque rerum scientia*: *Philosophus* enim, inquit Tullius, I de Orat., *is est qui omnium rerum divinarum atque humanarum naturam causasque noscit.* Sed non una est apud auctores horum vocabulorum interpretatio : nostro judicio hic *res divinæ* sunt mentes: *res* vero *humanæ* sunt corpora : cum enim mens omnis sit aut Deus aut Deo similis, non abs re vocabitur *res divina* : similiter cum corpus omne sit aut humanum aut humano simile, poterit etiam dici *res humana.* Omnis autem philosophia versatur in scientia mentis et corporis, eorumque, quibus duæ illæ res affici possunt, modorum. Denique philosophiæ species, quibus Boetius instructus dicitur, hic numerantur tres, nempe *physica*, quæ *naturæ secreta rimatur*, hoc est *valde quærit vel in rimis quoque* : sicut hoc verbum interpretatur Festus; *astronomia*, quæ *siderum vias radio describit;* hoc est virga, qua descriptis quibusdam figuris varie terrarum cœlique partes ob oculos ponuntur; et *ethica* sive *moralis*, quæ *mores nostros totiusque vitæ rationem ad cœlestis ordinis exemplar format*; hoc est ad voluntatem divinam, quæ sicut est prima omnium causa, sic prima est actionum humanarum regula. Hinc propheta rex, psal, CXLII, *Doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu.* Hinc S. Paulus Act. IX : *Domine quid me vis facere?* Hinc etiam noster auctor l. II, met. ultimo : *O felix hominum genus, si vestros animos amor, quo cœlum regitur, regat.*

[1] *Hæccine præmia.*] III. Boetius meminit præceptorum philosophicorum, quorum tanta est ad rempublicam optime administrandam utilitas, ut idem Boetius cum ipsa Philosophia merito conqueri videatur de suis calamitatibus : *hæccine*, inquit, *præmia referimus tibi obsequentes* ? Summa, inquam, est præceptorum philosophicorum ad rempublicam optime regendam utilitas, quod his veluti principiis nitatur virtus, ut præsentis sic futuræ felicitatis semen. Hinc Plato, l. V de Repub., suggerente ipsa philosophia, ait, *beatas fore respublicas; si eas vel studiosi sapientiæ regerent*; quatenus philosophi in magistratum veniunt, *vel earum rectores studere sapientiæ contigisset* : quatenus qui in magistratum venerunt, philosophi fiunt. Hinc *ejusdem viri*, nimirum Platonis dialogo 6 de Repub., *ore hanc sapientibus capessendæ reipublicæ necessariam causam esse monuit* philosophia, *ne improbis flagitiosisque civibus urbium relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem inferrent* : ut enim optimi moderatores suis præceptis exemplisque subditos ad virtutem ducunt ; sic mali suo saltem exemplo ad vitium. *Nam ita profecto est,* inquit Lipsius in præfatione Politicorum, *arcta quadam catena devincti sumus qui imperamur cum imperante. Et ut in corpore mens sana aut insana non esse potest, nisi ut pariter vigeant aut langueant ejus functiones : non item in hac societate princeps. Ad virtutem ille præit! Sequimur : ad vitia? inclinamus. Bene beateque agit? florcmus improspere? labimur aut ruimus cum illo. Atque ut a sole in subjecto hoc orbe lux aut tenebræ : sic a principe apud subditos prava pleraque aut recta. Cæsar ille non animose magis quam vere dixit :*

Procerum motus hæc cuncta sequuntur.
Humanum paucis vivit genus.

Hinc ipse Boetius *hanc auctoritatem secutus* quod a philosophia inter secreta otia, sive cæterorum hominum colloquiis et interpellationibus non impeditus, *didicerat, tranferre in actum publicæ administrationis optavit*, a *theoria*, uti loquuntur, ad *praxim* progressus.

[2] *Tu mihi.*] IV. Boetius addit se præcepta philosophica diligenter exsecutum fuisse, seque eo duntaxat fine *ad magistratum* accessisse. Vallinus monet scribendum hic esse *magisteriatum*; quod Boetius fuerit magister officiorum, quæ dignitas passim *magisteriatus* appellatur, quodque ea, quæ Boetius præclare a se facta mox recenset, in ea dignitate constitutus fecerit. Sed hæc ita fuerint, nihil hic mutandum arbitramur, quod generalis hic loquendi modus aptior sit ad probandum Boetium præceptis philosophicis semper fuisse addictissimum, ita ut ad unam quidem dignitatem, *nisi communi bonorum omnium studio* impulsus pervenerit : qua de re ut nullus superesset dubitandi locus, jusjurandum, affirmationem religiosam adhibet : *Tu mihi et Deus conscii.* Sic S. Paulus Rom. I, et ad Philipp. I, jurat : *Testis mihi est Deus.* Sic jurat Nisus Æneid. IX, v. 428 :

O Rutuli, mea fraus omnis : nihil iste, nec ausus,
Nec potuit : cœlum hoc ei conscia sidera testor.

Optime tandem *Deus* dicitur *philosophiam sapientium mentibus inseruisse :* nam philosophia cogitatione et amore optimarum rerum continetur : sicut autem Deus creando materiam, eidem figuram et motum sic impressit, ut quidquid subinde huic materiæ accedit figuræ et motus, id nihil aliud sit quam quidam prioris figuræ et motus modus, sive ut loquuntur *determinatio:* haud aliter Deus creando mentem humanam, eidem notionem et inclinationem de eo quod *est* sive de ipso Deo ita impressit, ut quidquid postea in eadem mente oritur notionis et inclinationis, saltem optimarum rerum, id nihil aliud sit quam quidam prioris notionis et inclinationibus modus sive, ut aiunt, *determinatio.* Hinc Lucretius lib. V :

Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicendum est : Deus ille fuit, Deus, inclite Memmi
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur sapientia : quique per artem
Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris
In tam tranquillo et tam clara luce locavit.

inseruit Deus, a conscii, nullum me ad b magistratum, nisi commune bonorum omnium studium detulisse. **45** [1] Inde cum improbis graves c inexorabilesque discordiæ, et quod conscientiæ libertas habet, pro tuendo jure, spreta potentiorum semper d offensio. [2] Quoties ego Conigastum in imbecillis cujusque fortunas impetum facientem e obvius excepi! [3] Quoties Triguillam f regiæ præpositum domus, ab incepta perpetrataque jam prorsus injuria dejeci! **46** Quoties miseros, quos infinitis calumniis [4] impu- A nita g barbarorum semper avaritia vexabat, objecta periculis auctoritate protexi! Nunquam me ab jure ad injuriam quisquam detraxit. Provincialium fortunas tum privatis rapinis, tum publicis h vectigalibus pessumdari, non aliter quam qui patiebantur, indolui. **47** Cum, acerbæ famis tempore, gravis atque inexplicabilis h indicta [5] coemptio profligatura inopia Campaniam provinciam videretur, certamen adversum j præfectum prætorii, communis commodi ratione suscepi, rege k cognoscente contendi, et ne

INTERPRETATIO.

a *Testes* estis.
b *Procurationem muneris publici.*
c *Implacabiles.*
d *Inimicitia.*
e *Occurrens.*
f *Vulgo* intendant de la maison royale.
g *Gothorum.*
h *Tributis iniquis.*
i *Vulgo* monopole.
j *Vulgo* capitaine des gardes.
k Theoderico.

B

NOTÆ.

[1] *Inde cum improbis.*] Quod videlicet præceptis philosophicis addictus non *nisi communi bonorum omnium studio* ad magistratum accesserit Boetius, eidem fuerunt *cum improbis graves, inexorabilesque discordiæ*: hinc enim diversæ Boetii et improborum cogitationes: hinc *pro tuendo jure spreta potentiorum semper offensio*: quæ est *conscientiæ libertas*: conscientia enim hic nihil est aliud quam mens veri bonique ut conscia sic convicta: tanta est autem hujus conscientiæ libertas, ut ab omnibus hominum injuriis sit tuta. Hinc plurima fuerunt Boetii in suos cives beneficia, de quibus seorsum dicendum est.

[2] *Quoties ego Conigastum.*] Primum Boetii in suos cives meritum. *Conigastus*, sive ut scribit Cassiodorus *Cunigastus*, vir fuit potens apud regem Theodericum, quod vel ex eo patet, quod, referente Cassiodoro, l. VIII, ep. 28, Athalaricus rex ad eum scripserit, eumdemque illustrem appellarit. Hic autem *Conigastus* ea qua apud Theodericum pollebat, auctoritate abusus, in imbecillis cujusque fortunas faciebat impetum, quem Boetius pro sua virtute sæpius repressit magister officiorum *obvius*: hujus quippe magistratus erat præfectos provinciarum judicare, et, querelis provincialium acceptis, de iis ad principem, cujus in aula versabatur, referre.

[3] *Quoties Triguillam.*] Secundum Boetii meritum, primo tanto majus, quanto Triguilla Conigasto non impar improbitate, eodem erat Conigasto potentior: Triguilla enim erat regiæ Theoderici domus præfectus.

[4] *Impunita barbarorum avaritia.*] Tertium Boetii meritum prioribus eo majus, quod plus si turbæ, quam unius improbi malis consiliis resistere. *Barbarus* autem antiquitus ille quilibet genti dicebatur qui. quod extraneus, vulgarem loquendi modum non tam pronuntiare quam murmurando confundere videbitur: hinc nonnulli conjiciunt vocem hanc, *barbarus*, esse de numero eorum vocabulorum quæ quod rem a se significatam æmulari videantur, πεποιημένα sive *factitia* vocari solent, ut *balare, boare, hinnire*: alii, ejus originem inferunt ex Arabico *barbar murmuro.* Hinc Græcis quicunque Græci non erant, *barbari* dicebantur: sicut Latinis, quicunque non erant Latini. Unde Horatius Epod. IX:

Sonante mistum tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis barbarum?

Quod autem extranei illi, utpote moribus dissimiles, in cives suam crudelitatem exercere consueverant, fieri potuit usu, ut *barbarus* idem esset quod *crudelis*: hic autem *barbari* et extranei et crudeles sunt: si quidem intelliguntur *Gothi*, quorum *impunita avaritia* cives *semper vexabat,* nisi hæc Boetii curis reprimeretur: cives autem illi dicuntur *provinciales*, quia alienis vivebant legibus ac insuper vectigales erant sive stipendiarii. Nimirum cum provincia proprie sit regio a populo Romano ut distans sic armis devicta aut quomodocunque in potestatem adducta quam magistratui suo administrandam subjecerat (provincia enim sic dicitur quasi regio procul vincenda aut potius victa), propterea Romanis alii erant *socii*, alii *provinciales; sociis* suis, *provinciales* alienis vivebant legibus: inde Cicero, Verr. 6 et in Maniliana, hos merito distinguit: *Bellum*, inquit, *grave et periculosum vestris vectigalibus atque sociis.* Atque hos *provinciales* Boetius tanta animi magnitudine protexit, ut nemini ullam passus fuerit inferri injuriam: *Nunquam me*, inquit, *ab jure ad injuriam quisquam detraxit*; aut si, non obstante ejus diligentia, contigerit, *provincialium fortunas tum privatis rapinis* (ut a Conigasto et Triguilla), *tum publicis vectigalibus* (ut ab ipso Theoderico, qui apud Cassiodorum, Var. v, ep. 39, *ad suum commodum* C *amplius festinat exigere*) *pessumdari, non aliter quam qui patiebantur, indoluerit*: velut Job, qui, cap. XXIX, *pater fuit pauperum et causam quam nesciebat, diligentissime investigabat: conterebat molas iniqui et de dentibus illius auferebat prædam.* Denique vectigal sic dictum quo de vectura pendatur, tributum erat quod provinciales Romanis solvebant pro commercio, pro agris, pro silvis, nec non etiam pro sale: unde quatuor erant vectigalium genera; nempe *portorium, decumæ, scriptura et salinarum reditus.*

[5] *Indicta coemptio.*] Quartum Boetii meritum prædictis idcirco majus, quod Boetio tunc pugnandum fuit, non solum adversus quosdam privatos, verum etiam *adversus præfectum prætorii*, et adversus ipsum principem; sine cujus auctoritate hæc *coemptio* non fiebat. *Coemptio* autem Romanis certa erat connubii forma, qua uterque conjux alterius bona ita emebat, ut alter alterius hæres fieret: *Jurisconsultorum ingenio*, inquit Cicero pro Mur., D *senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt.* Hinc *coemptio* dicitur etiam illud commercium quo provinciales etiam inviti urbi vel exercitui annonam parvo nullove pretio suppeditare coguntur. Sic, auctore Suida, *onus illud quod Justinianus Bithyniæ, Phrygiæ et Thraciæ incolis frumenti Byzantium perferendi conditione durissima imposuit, coemptio*, Græcis συνωνή vocatum fuit. Ex quo rursus fieri potuit ut commercium illud, quo omnibus speciebus ab uno coemptis omnes species non nisi ab uno vendi possunt, *coemptio* diceretur, vulgo *monopolium.* Constat hic non intelligi *coemptionem* conjugum: sed non æque constat, inquit Sitzmanus, *utrum provinciales a fisco species annonarias emere cogerentur? an eas fisco vendere forensibus pretiis compellerentur*? Verum cum *coemptio* hæc *indicta* fuerit *acerbæ famis tempore*; cum dicatur *gravis atque inexplicabilis*; cum *profligatura inopia Campaniam provinciam videretur;* cum *commune commodum* hac læderetur; propterea arbi-

coemptio exigeretur, evici. **48** [1] Paulinum [a] consularem virum, cujus opes [b] Palatini canes jam spe atque ambitione devorassent, ab ipsis [c] hiantium faucibus traxi. Ne Albinum consularem virum [d] præjudicatæ accusationis pœna corriperet, odiis me Cypriani delatoris opposui. Satisne in me magnas A videor (5) [e] exacerbasse discordias? Sed esse apud cæteros [f] tutior debui, qui mihi amore justitiæ nihil apud aulicos, quo [2] magis essem tutior, reservavi. **49** [3] Quibus autem deferentibus [g] perculsi sumus? [h] quorum [4] Basilius, olim regio ministerio depulsus, in delationem nostri nominis, [i] alieni æris necessi-

INTERPRETATIO.

[a] *Qui alias consul fuit.*
[b] *Aulici canibus impudentiores.*
[c] *Virorum cupidius optantium.*
[d] *Falsæ.*
[e] *Exacuisse.*
[f] Eos præsertim quibus opem tuleram.
[g] *Exsulavimus.*
[h] Viris scilicet iniquis, *inter quos.*
[i] *Vulgo* accablé de dettes.

NOTÆ.

tramur hac *coemptione* utrumque significari, et provinciales prædictas species fisco vendere minori pretio, et ab ipso easdem majori pretio emere cogendos: hinc Boetius *adversus præfectum prætorii certamen suscepit, rege* Theoderico *cognoscente contendit, et ne coemptio exigeretur, evicit,* Sed quid *Campania?* quid *præfectus prætorii?* Campania regio Italiæ fertilissima : hanc post Plinium describit Florus l. I, c. 16 : *Omnium,* inquit, *non modo Italia, sed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cœlo : denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo : ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari : hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus et tepentes fontibus Baiæ : Lucrinus, et Avernus, quædam maris otia. Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, et pulcherrimus omnium Vesuvius Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, et ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque numerata.* Præfectus autem prætorii ut ait Rosinus, *dicitur, qui militibus iis præerat, quos imperatores in sui custodiam allegerant.* Nimirum apud Romanos, regibus exactis, iidem qui quod consulerent senatum, consules; quod judicarent judices, sunt appellati ; prætores quoque sunt dicti, quod populo præirent : sed crescente populi Romani imperio, magistratus ita multiplicati sunt, ut qui in urbe præessent, consules, qui vero in exercitu, prætores dicerentur : a *prætore* autem est *prætorium.*

[1] *Paulinum consularem.*] Quintum Boetii meritum omnibus prædictis tanto præferendum, quanto apud Romanos socii præstabant provincialibus : non enim hic de provincialibus tantum, sed de sociis, imo et de consularibus viris *Paulino* et *Albino*, quos *Palatini canes* et *Cyprianus delator* impugnabant, bene meritus est Boetius. Primum quidem *Paulinus*, qui quod ex Deciorum familia fuerit, vocatus est Decius, consul fuit anno Christi 498, unde nunc appelatur *consularis* : consularis enim vir est qui aliquando consul fuit, apud Tullium. Deinde *Albinus*, qui quod ex eadem Deciorum familia fuerit, etiam dictus est Decius, consul fuit anno Christi 493, quare nunc quoque dicitur *vir consularis :* hunc *Albinum* oderat *Cyprianus* frater Opilionis, de quo statim dicetur : quamobrem ipsum accusavit, dictusque propterea *delator* : deferre quippe in foro, accusare est. At *Paulinum* insectabantur quidam aulici, qui nunc vocantur *Palatini canes* : *Palatini* quidem, quod palatium sive domum principis habitent aut saltem frequentent : domus autem principis ex eo dicta fuit *palatium*, quod ab Octavii Augusti temporibus imperatores omnes Romani habitarint in monte *Palatino. Canes* vero vocantur, sive quia præfecti custodiæ, instar canum, ad fores assistunt : sive quia, canibus impudentiores, eos a quibus læsi non sunt, mordent, eorumque *opes*, si non reipsa, saltem *spe atque ambitione devorant hiantes.* Postremo utrumque hunc consularem virum Betius a tantis periculis liberavit, in quo præsertim præcepta philosophica executus est : quamobrem merito nunc suas exaggerat discordias hac interrogatione : *Satisne in me magnas videor exacerbasse discordias?* ubi non legendum, ut plures legunt, *exacervasse* : quandoquidem verbum hoc (quod sciam) Latinum non est : sed potius *exacerbasse*, ut legunt Valdericus, Bernartius, Sitzmanus, qui ait, in manuscriptis Rittershusii legi *exacuisse* : quod verbum idem est quod *exacerbasse.*

B

[2] *Magis essem tutior.*] Pleonasmus, quo usus est Plautus cum dixit : *Magis majores nugas agere : hoc magis est dulcius*; Valerius Maximus : *Magis invidia quam pecunia locupletior*; Cicero : *se ab omnibus desertos potius quam abs te defensos esse malunt* : et auctor culicis apud Virgilium,

Quis magis optato queat esse beatior ævo.

Nisi tamen *magis* construatur cum *optato* potius quam cum *beatior.* Ex his omnibus constat quanta diligentia Boetius exsecutus fuerit præcepta philosophica.

[3] *Quibus autem deferentibus.*] V. Boetius injustas refert sui exsilii causas. Exsilii quidem sui meminit his verbis, *perculsi sumus* neque enim legendum, C ut quidam recentiores legunt, *percussi*; sed potius ut veteres, *perculsi* : sic autem Cornelius Tacitus, Annal. l. XIV, n. 57 : *Perculso Seneca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere.* At injustas memorat ejusdem exsilii causas; primum quidem ex parte accusantium, quos nunc vocat *deferentes* : *defero* quippe in foro idem est quod *accuso*, in causa capitali, judice Tullio : deinde ex parte criminis, quod aut non allegatur, aut allegatum nullatenus probatur : sicut deinceps probabitur.

[4] *Quorum Basilius.*] Primum igitur delator sive accusator in causa capitali, ipsius Ciceronis judicio, verus esse debet : quamobrem si aliquo præjudicio actus videatur, omnino audiendus non est : hinc Tullius pro Mur., *Nolo*, inquit, *accusator in judicium potentiam afferat, non vim majorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam* : cum igitur judicium ex ipsa perturbatione ante captum sit præjudicium veritati maxime contrarium, quicumque D non nisi quadam perturbatione actus videbitur deferre sive accusare, ille, ut pote falsus delator accusatorve, ita rejici debet, ut quæ inde sequeretur pœna, hæc iniqua habenda esset, Atqui delatores Boetii ita se habuerunt : Hi enim tres duntaxat numerantur, nimirum *Basilius*, *Opilio*, et *Gaudentius*, quorum *Basilius* alieni æris necessitate : *Opilio* et *Gaudentius* fraudibus, ob quas *in exsilium ire jussi sacrarum sese ædium defensione* tuebantur, Boetium detulerunt.

Basilius apud Cassiodorum modo laudatur, modo vituperatur. Laudatur quidem l. II Variar. et epistola decima, in qua de ejus uxore Agapita, quæ dicitur *spectabilis femina*, agitur, et epistola undecina, in qua legitur : *Basilius vir spectabilis datis precibus intimavit Agapitam conjugem suam de propriis penatibus a quibusdam, vitio sollicitationis, abductum. Et certe in his versata rebus firmum docetur perdidisse consilium. Quid enim facere potuit probum, quæ nullis culpis exstantibus reliquit maritum?* Vituperatur vero Variar. l. IV, tum epist. 22, ubi ipse Theodericus di-

tate compulsus est. [1] Opilionem vero, atque **50** [2] Gaudentium, cum ob innumeras multiplicesque fraudes ire in exsilium [a] regia censura decrevisset, cumque ille parere nolentes, [3] [b] sacrarum sese ædium defensione tuerentur, compertumque [4] id regi [c] foret, [d] edixit ut ni intra præscriptum diem [5] Ravenna urbe decederent (5), [6] [e] notas insigniti frontibus

A pellerentur. Quid huic severitati posse astrui videtur? Atqui eodem die deferentibus eisdem, nominis nostri delatio suscepta est. Quid igitur? nostræne artes ita meruerunt? an illos accusatores justos fecit præmissa damnatio? Itane nihil fortunam puduit, si minus accusatæ innocentiæ, at accusantium [f] vilitatis? **51** [7] At cujus criminis [g] arguimur summam

INTERPRETATIO.

[a] *Edictum principis.*
[b] *Templis velut asylis.*
[c] Theodorico.
[d] *Statuit.*
[e] *Stigmatici.*
[f] *Infamiæ.*
[g] *Accusamur.*

NOTÆ.

cit *Basilium et Prætextatum artis sinistræ jam diu contagione pollutos*, tum. ep. 23, ubi idem princeps *Præfectum urbis declarasse Basilium atque Prætextatum magicis artibus involutos* scribit. Si autem Basilius hic idem fuerit qui nunc a Boetio nominatur, potuit propter *magiæ* crimen *regio ministerio depelli* : unde *alieni æris necessitas*, qua Boetium injuria detulit.

[1] *Opilionem.*] Fuit Opilio pater, et Opilio filius. Prior, ut ait Sirmondus, comes sacrarum largitionum fuerat sub Odoacre, quod indicare videtur Theodericus apud Cassiodorum Variar. l. v, ep. 41 : *Gloriatur*, inquit, Cyprianus *etiam non extrema luce natalium : nam pater huic, sicut meministis, Opilio fuit, vir quidem abjectis temporibus ad excubias tamen Palatinas electus. Qui multo amplius crescere potuit, nisi fides sub avidissima remunerationis sterilitate jacuisset.* Posterior vero, frater hujus Cypriani non secus ac pater fraterque ad idem sacrarum largitionum culmen evectus est; sed post mortem Boetii, nimirum sub Athalarico anno Christi 528. Unde idem Athalaricus apud Cassiodorum, Var. l. viii, ep. 16, quæ inscribitur *Opilioni comiti sacrarum*, sic loquitur : *Secure tibi credimus quod toties tuo generi commissum fuisse gaudemus. Pater his fascibus præfuit, sed et frater eadem resplenduit claritate* : quod non obstat quin hic Opilio filius, a Theoderico, *ob innumeras multiplicesque fraudes ad exsilium* damnatus fuerit, una cum *Gaudentio.*

[2] *Gaudentium.*] Gaudentius homo vix notus nisi suis fraudibus, suaque hac iniqua Boetii *delatione.*

[3] *Sacrarum ædium defensione.*] Ut quædam apud *ethnicos*, sic omnia apud *Christianos* templa semper fuerunt asyla; loca scilicet adeo sacra, ut nemo, qui ad ea confugisset, inde ad supplicium trahi posset : Ἄσυλον quippe dicitur quasi, *ubi spoliare nefas.* Nonnulla, inquam, templa apud *ethnicos* asyla fuerunt : Nam Virgilius canit ii Æn., v. 761 :

Et jam porticibus vacuis, Junonis asylo,
Custodes lecti Phœnix et durus Ulysses
Prædam asservabant.

Similiter Æn. viii, v. 342 :

Hinc lucum ingentem quem Romulus acer asylum
Rettulit et gelida monstrat sub rupe Lupercal.

At omnia apud *Christianos* templa asyla semper fuerunt, ut constat ex codice Theod. l. ix, tit. 47, *De his qui ad ecclesias confugiunt*, et consilio Toletano i, can. 12. Hinc Cassiodorus, Var. l. ii, ep. 11, et lib. iii, ep. 47, eorum meminit qui *conscii facti sui intra ecclesiæ septa refugientes declinare se crediderunt præscriptam legibus ultionem* : non secus ac *Opilio atque Gaudentius*, de quibus nunc agitur.

[4] *Id regi foret.*] Theoderico regi Italiæ postquam enim hic Odoacrem Italorum regem vicisset interfecissetque, Italiæ rex factus est, anno Christi 409.

[5] *Ravenna urbe.*] Ravenna urbs est Italiæ : in ora littoris Adriatici, quæ exundante mari non mediocrem accipit cœni palustris partem. Unde Silius l. viii :

Lenta paludosæ proscindunt stagna Ravennæ.

B Hinc orti feruntur plures illustres viri, ut Cassiodorus senator; sancti Apollinaris, Vitalis, Gervasius et Protasius, nec non Petrus ille Ravennas in sacra theologia celeberrimus. In hac autem urbe regni sui sedem Theodericus post Odoacrem constituit, eamdemque successores quoque reges Gothi incoluerunt : sed in eadem urbe Opilio et Gaudentius manere sic constituerant, ut hinc notarum, quas Threicias vocat Cic., pœna excedere jussi fuerint.

[6] *Notas insigniti frontibus.*] Supplicium hoc primum quidem fuit servorum; deinde quorumlibet reorum infamium viliumque. Supplicium fuit servorum : cum enim Domini in servos tanquam in homines, quos occidere potuissent, servatos jus vitæ necisque habere se putarent, propterea in eosdem servos quod placuisset supplicium exercere se posse arbitrabantur. Unde Juvenalis l. v, sat. 14, v. 21 :

Tum felix, quoties aliquis, tortore vocato,
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.

C Et Martialis l. ii, epig. 29 :

Et numerosa linunt stellantem splenia frontem :
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.

At supplicium idem reorum postea infamium viliumque fuit; Seneca enim, l. iii de Ira, cap. 3, *Varia*, inquit, *vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, et bestiarum immanium caveæ* : inter hos Cujacius Observ. l. vii, cap. 13, recenset *calumniatores.* Hi porro dicuntur *notas insigniti* : sicut Horatio, *Quodlibet indutus;* et Virgil., *Flores inscripti nomina regum,* more Græcorum intelligendo κατὰ, *secundum*, *per*, etc.

Ex his autem omnibus patet delatores Boetii injustos audiendos non fuisse : unde addit : *Quid huic severitati posse astrui videtur?* quasi dicat : Cum in ejusmodi homines tam severe actum fuerit, cognitis eorumdem vitiis, iisdem deferentibus fides non debuit adhiberi, et tamen *quo die nos detulerunt*, inquit Boetius, *eodem nostri nominis delatio*, veluti justissi-
D ma, *suscepta est. Nostræne artes ita meruerunt?* non certe, cum veritatem virtutemque semper colere studuerimus. *An illos accusatores justos fecit præmissa damnatio?* Nullatenus : imo vero damnati, suo crimine id saltem meruerunt, ut ipsis, etiam verum dicentibus, fides nulla adhiberetur : quare si fortuna cæca non foret, *hanc puduisset si minus accusatæ innocentiæ, at accusantium vilitatis.* Injusta ergo hæc exsilii causa ex parte accusantium.

[7] *At cujus criminis arguimur?*] Deinde injusta est prædicti exsilii causa ex parte criminis; quippe quod aut allegatum non est, aut non probatum : *Summa* enim sive numerus criminum quæ Boetio objiciebantur, in his versatur : 1° quod *senatum voluerit esse salvum;* 2° quod ejusdem *senatus delatorem impediverit;* 3° quod *ad restituendam rempublicam Romanam litteras composuerit;* 4° quod *sacrilegio conscientiam polluerit.* Sed hæc omnia aut crimina non sunt, aut a Boetio aliena : sicut deinceps demonstrabitur.

quæris? [1] Senatum dicimur salvum esse voluisse. **52** Modum desideras? [2] delatorem, ne documenta deferret, quibus senatum majestatis reum faceret, impedisse criminamur. Quid igitur, o magistra [a], censes? [b] infitiabimur crimen, ne tibi pudori simus? At volui, nec unquam velle desistam. Fatebimur? sed impediendi delatoris [c] opera (5) cessabit. An optasse illius [d] Ordinis salutem nefas vocabo? Ille quidem suis de me decretis, uti hoc nefas esset, effecerat. Sed sibi semper mentiens imprudentia, rerum merita non potest immutare : nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror, vel occuluisse verita-

A tem, vel concessisse mendacium. **53** Verum id quoquo modo sit, tuo sapientiumque judicio æstimandum relinquo. Cujus rei seriem atque veritatem ne latere posteros queat [e] stylo etiam memoriæque mandavi. Nam de [3] compositis falso litteris, quibus libertatem arguor sperasse Romanam, quid attinet (5) dicere? Quarum fraus aperta patuisset, si nobis ipsorum confessione delatorum, quod in omnibus negotiis maximas vires habet, uti licuisset. Nam quæ sperari reliqua libertas potest? Atque utinam posset ulla! Respondissem Canii verbo, qui cum a [4] C. Cæsare Germanici filio conscius contra se factæ

INTERPRETATIO.

[a] Philosophia.
[b] *Negabimusne.*
[c] *Cura* objecta.
[d] *Senatus.*
[e] *Calamo.*

NOTÆ.

[1] *Senatum dicimur salvum esse voluisse.*] Primum Boetii crimen. Senatus apud Romanos erat consilium constans ex senioribus : unde Tullius in Catone : *Consilium et ratio et sententia nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri senatum appellassent. Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam appellantur senes* : quare Ovid. v Fastorum :

Magna fuit quondam capitis reverentia cani
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Martis opus juvenes, animosaque bella gerebant,
Et pro diis aderant in statione suis.
Viribus ille senex, nec habendis utilis armis,
Consilio patriæ sæpe ferebat opem.
Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen et ætatis mite senatus habet.
Jura dabat populo senior finitaque certis
Legibus est ætas, unde petatur honor.

Scribit autem Plutarchus Romulum ex optimatibus centum creasse senatores, eorumque collegium ex ætate senatum appellasse : quod, forma saltem continuata, usque ad ipsa Boetii tempora perseveravit : primumque Boetii crimen dicitur, quod voluerit amplissimum hunc ordinem esse salvum, tunc scilicet, cum innocentem senatum *majestatis crimine* accusatum defendit ac liberavit : quod non negat Boetius a se factum : *Volui*, inquit, *nec unquam velle desistam*, sed negat esse crimen : *an optasse illius ordinis salutem nefas vocabo?* quanquam enim ipse senatus *suis de* Boetio *decretis effecerit* ut qui perturbatione judicaret, is *nefas* putaret *optasse illius ordinis salutem :* Boetius tamen, ratus aliorum in se peccatum sibi non dare peccandi licentiam, *nefas* putavit sibi, *vel occuluisse veritatem*, silendo bona quæ in senatu noverat, *vel concessisse mendacium*, loquendo mala quæ de senatu fingebantur. Optime *Socrates* apud Platonem l. vi de Repub., *oportet odisse mendacium, diligere veritatem.*

[2] *Delatorem ne documenta deferret, quibus senatum majestatis reum*, etc.] Secundum Boetii crimen, quod tamen cum primo ita conjunctum est, ut si illud crimen non fuerit, quemadmodum crimen non fuisse dictum est, hoc etiam crimen esse non possit : quare si *fatebimur*, inquit Boetius, *nos voluisse senatum esse salvum, impediendi delatoris opera cessabit.* Sed ut hoc percipiatur, dicendum quid majestas, et quid majestatis crimen.

Majestas est supremus honos, quo populus tenetur afficere principem, velut spirantem Dei imaginem : *Subjecti estote*, inquit S. Petrus epist. I, cap. ii, *omni humanæ creaturæ propter Deum : sive regi quasi præcellenti; sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum : quia sic est voluntas Dei... Deum timete, regem honorificate.*

B Quod autem honos, cujus majestas est quædam pars sive species, sit honorantis, reverentia vero circa quam eadem majestas versatur, honorati principis; propterea poetæ finxerunt Majestatem filiam esse Honoris et Reverentiæ : audi Ovidium, l. v Fast. :

Donec Honor, placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimis imposuere toris.
Hinc sata Majestas, quæ mundum temperat omnem,
Quaque die partu est edita, magna fuit.
Nec mora, consedit medio sublimis Olympo,
Aurea purpureo conspicienda sinu.

Crimen ergo majestatis illud dicitur, quod est adversus honorem principibus debitum : quare cum forma imperii Romani aliquando fuerit *populi status*, ideo crimen majestatis apud jurisconsultos est quod adversus populum Romanum vel securitatem ejus committitur : et rei majestatis d. l. 1. ff. ad leg. Jul. maj. dicuntur qui ejusmodi crimen committunt :
C quanquam enim honor sit genus majestatis, sermone tamen communi, ut loquitur Vives, honor et majestas ita distinguuntur, ut majestas dicatur persona ipsa quam supremo honore afficimus : sicut Cicero ii de Natura deorum, *Sustinendi*, inquit, *muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit im majestatem deorum* : sicut etiam nos Galli loquendo de rege dicimus : *Sa Majesté.* Senatus porro Romanus temporibus Boetii accusatus fuit, quod adversus Theodericum Italiæ regem, honoremque illi debitum aliquid molitus fuerit : sed hunc innocentem defendit liberavitque Boetius, quod crimini eidem vertitur : *Delatorem*, inquit, *ne documenta deferret, quibus senatum majestatis reum faceret, impedisse criminamur.*

[3] *De compositis falso litteris.*] Tertium Boetii crimen in hoc versatur, quod feratur composuisse litteras quibus Romanam libertatem sperasset : sed litteras istas non a Boetio, sed ab ejus inimicis scrip-
D tas probasset vel ipsa delatorum confessio, si eidem Boetio data fuisset delatorum interrogandorum facultas.

[4] *C. Cæsare Germanici filio.*] *Germanicus*, ex Suetonio in Caligula, *Drusi et minoris Antoniæ filius, omnes corporis animique virtutes habuit, et quantas nemini cuiquam contigisse satis constat. A Tiberio patruo adoptatus, quæsturam quinquennio antequam per leges liceret, et post eam consulatum statim gessit. Habuit in matrimonio Agrippinam, ex qua novem liberos tulit, inter quos fuit Caius Cæsar, qui quia manipulario habitu inter milites educabatur, Caligulæ nomen castrensi loco traxit.* Hic autem *non minore livore ac malignitate, quam superbia sævitiaque pene adversus omnis ævi homines grassatus est* : sed eumdem *bacchantem atque grassantem non defuit plerisque animus adoriri : una vero alteraque conspiratione detecta, aliis per ino-*

conjurationis fuisse diceretur: Si ego, inquit, scissem, tu nescisses. [1] Qua in re non ita sensus nostros mœror hebetavit, ut impios scelerata contra virtutem querar molitos: sed quæ speraverint, effecisse vehementer admiror. Nam deteriora velle, [2] nostri fuerit fortasse defectus: posse vero contra innocentiam, quæ sceleratus quisque conceperit, [3] inspectante Deo, monstri simile [a] est. **54** Unde [b] haud injuria [4] tuorum quidam familiarium [c] quæsivit: si quidem Deus, inquit, est, unde [d] mala? bona vero unde, si non [e] est? Sed [5] fas fuerit [6] nefarios homines, qui bonorum omnium, totiusque senatus sanguinem petunt, nos etiam, quos [7] pro pugnare bonis senatuique viderant, [8] perditum ire voluisse. Sed num idem [9] de [f] patribus quoque merebamur? Meministi, ut opinor, [g] quoniam me dicturum quid facturumve præsens semper ipsa dirigebas. Meministi, inquam, **55** [10] Veronæ [11] cum [h] rex avidus communis exitii, [12] majestatis crimen in Albinum delatum, ad cunctum senatus ordinem transferre moliretur, universi innocentiam senatus [13] quanta mei [i] securitate periculi defenderim. Scis me hæc et vera proferre, et in nulla unquam mei laude jactasse. Minuit enim quodam modo [14] se

INTERPRETATIO.

[a] Et veluti paradoxum.
[b] *Non immerito.*
[c] *O Philosophia.*
[d] Quippe quæ a Deo esse non possunt.
[e] Cum bona sine Deo esse nequeant.
[f] *Senatoribus* ipsis.
[g] O Philosophia.
[h] Theodericus.
[i] *Contemptu.*

NOTÆ.

piam occasionis cunctantibus, duo consilium communicaverunt perfeceruntque.

[1] *Qua in re.*] Accusatione sive nominis delatione in Boetium facta.

[2] *Nostris defectus.*] Cur bonum meliusve velimus, causa quærenda extra nos, quippe qui II Corinth. III *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* At cur malum deteriusve velimus, causa est in nobis, quorum utpote infirmorum est posse peccare.

[3] *Inspectante Deo.*] Quod Deus sit summe bonus. admiratione videtur dignum, probos ab improbis, Deo inspectante, opprimi: unde id *monstri simile* videtur, quasi præter ordinarium naturæ ordinem,

[4] *Tuorum quidam familiarium.*] Plato quidem, X de Leg., et post illum Seneca hoc argumentum tractavit. Quisquis autem fuerit auctor hujus dilemmatis: *Si Deus est, unde mala? at si non est, unde bona?* melior videtur conditio ejus qui ex bonis ait, quam illius qui ex malis negat Deum existere: quoniam quot bona, tot sunt Dei existentis argumenta: nullo autem malo conjici potest Deum non existere.

[5] *Fas fuerit.*] Id est, *liceat*: *fas* enim, inquit Festus, dicitur a *fando*, quasi fatum a diis vel saltem a deorum ministris sacerdotibus: sicut *jus* a *jubeo*, quasi jussum a magistratu; unde Virgil. I Georg., v. 268:

> Quippe etiam festis quædam exercere diebus
> Fas et jura sinunt.

Cum igitur nihil magis licitum sit quam quod a Deo jussum dictumque fuerit, idcirco *fas fuerit* idem quod *liceat.*

[6] *Nefarios homines.*] *Improbos.* Nefandum, inquit Asconius Pedianus in 3 contra Verrem, est *non fandum*: nefarium, quod sacra polluit farre pio solita celebrari: ergo nefarii sacrilegi. At putaverim *nefarium* ab eadem esse origine a qua *nefandum*, quod vir improbus dignus non sit qui fando celebretur: sic dicitur detestabilis quem testari nefas.

[7] *Pro pugnare bonis senatuique.*] Id est *pro bonis et pro senatu*: Sic Terentius: *Mihi peccat, si quid peccat*: sic vulgatum illud, *Tibi militat æther*.

[8] *Perditum ire.*] *Non perditos ire*: quoniam, ut grammatice loquar, *supina* sunt nomina *substantiva*, quare nec *genus* mutant pro diverso *genere* alterius nominis substantivi: ait enim Tullius *madefactum iri Græciam sanguine*; nec etiam *numerum*: cum Livius dicat, *latrocinia iri sublatum*: sed nemo hæc nescit.

[9] *De patribus.*] *Senatoribus*: senatores enim dicuntur patres et ætate et officio, ut docet Sallust. initio Belli Catilinarii: *Hi*, inquit, *vel, ætate vel curæ similitudine, patres appellabantur.* Ætate quidem, quod instar patrum sint natu grandes: sic quippe ab ætate senili dicti sunt senatores, ut jam monuimus, Officio vero, quod sicut patres filios suos, ita illi rempublicam curent: hos enim, inquit Festus, *initio urbis conditæ Romulus centum delegit, ut agrorum partes attribuerent tenuioribus proinde ac liberis, ac pecunias dividerent.* Vide ut crescat injuria Boetio illata: nam magna est injuria innocentem Boetium odio haberi ab improbis, major eumdem ab his revera opprimi; maxima, ab iis qui et ætate et officio tenebantur ipsum tueri: sed incomprehensa et ineffabilis, ab iisdem] de quibus ipse Boetius *dictis factisve* optime meritus fuit.

[10] *Veronæ.*] Verona est civitas Venetiæ quæ a Gallis condita, duce Brenno, a quo *Brenona* primum, deinde *Verona*, auctore Justino, l. XX, dicta est. Ex hac urbe præstantes viri orti sunt; ut Catullus, Julius Scaliger et, ut quibusdam placet, Plinius.

[11] *Cum rex.*] Theodericus, qui erat rex Italiæ.

[12] *Majestatis crimen in Albinum.*] De crimine majestatis dictum est in hac prosa adnotatione 19, de Albino vero adnot. 10, sicut et de senatu adnot. 20.

[13] *Quanta securitate periculi.*] Securitas, inquiunt philosophi, est recta placidaque mentis, mala impendentia non curantis, constitutio: ut enim a *cura* dicitur *curiosus* qui *cura præter modum utitur*, teste Varone, V de L. I., sic a cura est securus, qui *est sine cura.* Hinc securitas hic est periculi incuria sive contemptus. Sic. Virg. Æn. VII, v. 302:

> Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
> Profuit? optato conduntur Tibridis alveo.
> Securi pelagi atque mei.

[14] *Se probantis conscientiæ secretum.*] Conscientia generatim nihil aliud videtur quam mens cum sui tum suæ cogitationis sciens: unde Tullius, III de Off., *Cum jurato*, inquit, *dicenda sententia sit, meminerit Deum se habere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam:* unde etiam ut clara distinctaque cognitione, sic conscientia convincimur: quare Quintil., Ins. orat. l. V, *conscientia*, ait, *mille testes: sensus interprete non eget.* Hinc autem conscientia duplicis generis est, nempe bona et mala: *Conscientiæ in utramque partem magna vis est*, ait Cic. pro Mil., *ut neque timeant qui nihil commiserunt, et pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.* Conscientia bona, recte factorum convincimur: unde recordatio jucundissima, quæ nunc dicitur *conscientiæ se probantis secretum,* quod ut laude sui communicatur sic minuitur, utpote minus secretum: propterea statuunt Stoici *ne te quæsiveris extra*: et Macrobius, in Somn. Scip. l. II c. 10. *Virtutis*, inquit, *fructum*

probantis conscientiæ secretum, quoties ostentando quis factum, recipit famæ pretium. Sed innocentiam nostram [a] quis [1] exceperit eventus, vides. Pro veræ virtututis præmiis falsi sceleris pœnas subimus. **56** Et cujus unquam [b] [2] facinoris manifesta confessio ita judices habuit [3] in severitate concordes, [4] ut [c] non aliquos vel ipse humani error ingenii, vel fortunæ conditio cunctis mortalibus incerta submitteret? [5] Si inflammare sacras ædes voluisse; si sa- A cerdotes impio jugulare (5) gladio; si bonis omnibus necem struxisse diceremur: [6] præsentem tamen sententia confessum convictumve punisset. **57** Nunc [7] quingentis fere passuum millibus procul moti, [d] atque indefensi, ob studium propensius in senatum [8] morti proscriptionique damnamur. [e] [9] O meritos de simili crimine neminem posse convinci! cujus dignitatem reatus ipsi etiam, qui detulere, viderunt: quam (5) uti alicujus sceleris admi-

INTERPRETATIO.

[a] *Quisnam fuerit exitus et finis nostræ integritatis.*

[b] *Gravioris alicujus sceleris.*

[c] *Ut ne unus quidem judex a communi reliquorum sententia, aut humano errore, aut misericordia discederet.*

[d] Ab iis judicibus, a quibus damnamur.

[e] *O nostri judices: nullus vestrum potest convinci simili crimine; quod nimirum ipsis etiam delatoribus nullum ita videtur, illud ut ficto sacrilegii scelere larvatum proponere studuerint.*

NOTÆ.

sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria. Sed divine magis Spiritus sanctus, cum Proverb. XXVII: *Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus et non labia tua:* tum etiam Matthæi VI: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus.* Conscientia vero mala, malefactorum convincimur: unde recordatio tristis: *Suum enim quemque scelus agitat amentiaque afficit,* inquit Tullius pro Sext. Ros., *suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent.*

[1] *Exceperit eventus.*] *Interceperit exitus*: nam *excipere* inter plures alias significationes idem est atque *incautum comprehendere*; ut apud Ciceronem ad Att., *Admoniti sumus*, inquit, *ut caveremus ne exciperemur a Cæsare, quod is in eadem loca quæ nos petebamus, celerius etiam, quam nos possemus, eo quo intenderat venturus esset.* Et apud Virgil. Æn. x v. 386:

Nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum, crudeli morte sodalis
Excipit: atque ensem tumido in pulmone recondit.

Eventus autem Ciceroni I de Juv. est alicujus exitus negotii: unde II de Orat., *Consilia*, inquit, *primum, deinde acta, postea eventus:* propterea quidquid sive boni sive mali casu accidit,id eventus solet dici: quare idem orator: *Qui sciunt*, ait, *quid aliis acciderit, facile ex aliorum eventibus, suis rationibus possunt providere*: Virgil. Æn. x, v. 159:

Hic magnus sedet Æneas, secumque volutat
Eventus belli varios.

Et Ovid. II de Ponto:

Nam timor eventus deterioris abest.

[2] *Facinoris.*] *Grandioris alicujus criminis*: *facinus* enim a verbo facio deducitur: quamobrem est insigne aliquod factum sive bonum sive malum: in bonam quidem partem accipitur a Sallustio in Bello Jugur. *Multa*, inquit, *et præclara rei militaris facinora fecerat*: in malam vero a Tullio III Offic., *Ab hoc*, ait, *nulla fraus, nullum facinus aberit*: atque hoc ultimo modo nunc accipitur.

[3] *In severitate concordes.*] *Severitas* proprie judicis est, quatenus hic nihil de supplicio, aut levitate aut affectu animi remittit: propterea severitati, et facilitas et misericordia opponuntur: propterea etiam qui in sua sententia permanet, is *perseverare* dicitur. At *concordes* ii habentur qui inter se consentientes unius videntur esse animi: quod enim, judice Tullio I Tusc., quibusdam *cor ipsum animus videatur, ex hoc excordes, vecordes, concordesque dicuntur.* Sic Virg. ecl. IV, v. 46:

Talia sæcla suis dixerunt currite fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

[4] *Ut non aliquos.*] Voluit auctor hic notare et fa- B cilitatem et misericordiam quibus severitas judicis mutari potest. Facilitas quidem notatur *humani errore ingenii*, quod innata sua infirmitate, errantis instar, modo huc, modo illuc inclinatur: error enim proprie eorum est qui viæ ignari extra institutum iter deflectunt: unde Virgil. V. Æn., v. 590:

Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et irremeabilis error.

Misericordia vero notatur *fortunæ conditione cunctis mortalibus incerta:* nam misericordia est affectio hominis adversas alterius res, ceu casus, quibus propter maximam fortunæ inconstantiam ipse obnoxius sit, dolentis.

[5] *Si inflammare*, etc.] In enumerandis sceleribus hæc crescit oratio: nam grave scelus, *inflammare sacras ædes*; gravius, sacerdotes *impio jugulare gladio*; gravissimum, *bonis omnibus necem struxisse.*

C [6] *Præsentem tamen sententia confessum convictumve punisset.*] Homo judex sententiam non fert, nisi auctoritate Dei, cujus vices agit: quamobrem ille sententiam Deo dignam ferat necesse est: sicut ergo Deus neminem nisi convictum damnat: sic homo pariter neminem nisi convictum damnare debet. Convincitur autem reus vel sua confessione, vel aliis testimoniis, quibus satisfacere nequit: quod cum non possit fieri, nisi reo præsente, propterea reus imprimis citandus, deinde interrogandus, audiendusque, quod tamen Boetio negatur: usque adeo injusta est ea, qua afficitur, pœna.

[7] *Quingentis fere passuum millibus.*] Tantum ab urbe in qua damnatus est Boetius, distabat Ticinum, ubi idem Boetius inclusus detinebatur. Est autem Ticinum Insubriæ civitas, quam recentiores *Papiam* vocant, a Ticino fluvio præterlabente nomen habens.

D [8] *Morti, proscriptionique.*] Proscriptio duplicis generis etiam apud Ciceronem. Alia est proscriptio *rerum*, quatenus hæ, inscriptis quibusdam tabulis, venales significantur. Sic Tullius pro Flacco dixit *prædiorum proscriptiones.* Alia proscriptio *personarum*, quatenus hæ scriptura in exsilium ita relegantur, ut hic tuta non sit earum salus: sic idem Tull., pro Rosc., *Cavete*, inquit, *per deos immortales, ne nova et multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur.* Cum autem hic Boetius *mortis proscriptionisque* meminerit, idcirco locutus videtur de ultimo hoc proscriptionis genere. Ex quo patet Ennodium in Panegyrico regis Theoderici, oratorie magis hæc quam vere dixisse: *Nullus incommoda proscriptionis ingemiscit.*

[9] *O meritos, de simili crimine neminem posse convinci.*] Quasi dicat: O senatores hujus in nos latæ sententiæ conscios (vos enim jam nostra compellat oratio), o meritos neminem vestrum posse convinci simili crimine; quod nimirum *propensius* habuerit

stione fuscarent, [1] ob ambitum dignitatis sacrilegio me conscientiam polluisse mentiti sunt. **58** Atqui et [2] tu [a] insita nobis, omnem rerum mortalium cupidinem de nostri animi sede pellebas, et sub tuis oculis sacrilegio locum esse fas non erat : instillabas enim auribus cogitationibusque quotidie meis Pythagoricum illud [b] ἕπου Θεῷ. Nec conveniebat vilissimo- A rum me spirituum (5) præsidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, ut consimilem Deo faceres. **59** [3] Præterea [c] penetral innocens domus, honestissimorum [d] cœtus amicorum, socer etiam Symmachus sanctus, et æque ac tu ipsa reverendus, ab omni nos hujus criminis suspicione defendunt.

INTERPRETATIO.

[a] O philosophia

[b] *Sequere Deum.*

[c] *Locus interior secretiorque.*

[d] *Societas.*

NOTÆ.

studium in senatum : quo nihil elegantius esse possit ad exaggerandam hinc magnanimitatem Boetii, inde omnium senatorum ignaviam.

[2] *Ob ambitum dignitatis sacrilegio.*] Quartum Boetii crimen est *sacrilegium*; sed in quo versetur hoc *sacrilegium*, non ita manifestum est. Gallicus Boetii interpres *de la Boucherie* id vitii in hoc versari arbitratur, quod Boetius suffragia ad magistratum consequendum necessaria dolo sibi conciliaverit; quod Latini *crimen ambitus*, a circumeundo supplicandoque, Græci δημοκοπίαν vocant, quodque latis legibus puniebatur. Alii vero, ut Thomas et Ascensius, id vitium putant fuisse, quod vulgo dicimus *sortilegium*, quo nomine videtur uti ipse Plinius l. XXVIII, c. 4, ad significandas quasdam magicas superstitiones : unde forte pro *sacrilegio* legendum *sortilegio* : quæ quidem opinio his rationibus confirmari potest : 1° enim ipsis Boetii temporibus, qui arte quadam, ut præstabat Boetius, cæteris præstare videbantur, hi non raro *artis magicæ* accusabantur, testis Cassiodorus l. IV Var., ep. 22 et 23, ubi Basilii et Prætextati hujus criminis accusatorum causa quinque senatorum judicio committitur, *ut nec opprimantur innoxii, nec leges evadant criminosi*; 2° quibus argumentis se Boetius de ejusmodi crimine purgat, hæc tantam non habent pro *democopia*, quantam pro *sortilegio* virtutem, ut statim videbitur; 3° non tam *ambitus* quam *sortilegii* crimen in philosophiam refundi potest : quandoquidem prius etiam ignarorum, posterius non nisi doctorum dicebatur esse. Atqui *hoc ipso*, inquit Boetius postea, *videbimur affines fuisse maleficio, quod tuis imbuti disciplinis, tuis instituti moribus sumus.*

Verum, inquis, crimen *ambitus* recte dicitur *sacrilegium* : quod hoc violentur leges, et sacramentum, sine quo ad magistratus antiqui non pervenire solebant. Crimen vero *magiæ* non ita bene dicitur *sacrilegium*. At, inquam, primum si legendum fuerit pro *sacrilegio sortilegium*, ut forte legendum, hæc difficultas nulla est. Deinde *sortilegii* non minus quam *ambitus* crimine violantur leges et sacramentum, quo nimirum aquis lustralibus initiati malos genios ejuravimus : hinc Cassiodorus, prædicta epist. 22, *Versari*, inquit *non licet in magicis artibus, temporibus Christianis.* Postremo sacrilegus, unde sacrilegium, dicetur quasi sacra legens sive furans : legere enim etiam furari est : unde Virg. ecl. 9, v. 21 :

> Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper.

Sed qui prædictæ superstitioni vacat, is cultum Deo debitum furatur. Nunc videnda argumenta quibus illud crimen Boetius purgat.

[2] *Tu insita nobis.*] Primum argumentum quo Boetius se a prædicto purgat crimine, desumitur ex parte ipsius philosophiæ quæ menti humanæ insita, hanc ita sejungit a rebus caducis, ut eamdem conjungat cum rebus perpetuis, non iis quidem *vilissimis*, sed earum uni et primæ, nimirum Deo, cujus similitudinem habet. Est quidem philosophia menti humanæ, id est *nobis insita*, quia tota versatur in cogitatione, cognitione scilicet clara et distincta, et judicio quod hoc cognitione fundatur : cogitatio autem optime dicitur qualitas mentis humanæ, sive *nobis insita.* Eadem philosophia mentem humanam sejungit a rebus caducis, hoc est *omnem rerum mortalium cupidinem de nostri animi sede pellit* : quoniam B omnibus moderatur mentis affectibus, adeoque huic præsertim rerum caducarum cupiditati, quæ et *homines reddit cæcos* apud Ciceronem, et *radix omnium malorum est* apud Apostolum, I Tim. VI. Ipsa philosophia mentem humanam conjungit cum rebus perpetuis : ut videlicet parte illa cum qua mens humana, instinctu philosophiæ, societatem init, æternum perseverante, æternus esse possit amor, æternaque idcirco illa, quæ illius amoris comes est individua, voluptas. At philosophia non sinit mentem humanam sic adhærere rebus perpetuis creatis, quas malos genios vocamus, ut *sub* ejus *oculis sacrilegio locus* sit : *instillat enim auribus cogitationibusque quotidie nostris Pythagoricum illud* ἕπου Θεῷ, sequere Deum, quod etiam habetur Deuteron. XIII : *Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus : ipsi servietis, et ipsi adhærebitis.* Denique cum philosophia hominem *faciat Deo consimilem*, non quidem corpore, quemadmodum expressit Virgilius : *Os humerosque deo si-* C *milis.* Deus quippe est corporis expers, sed mente, efficiens scilicet ut mens nostra instar Dei cogitans, nec erroribus nec vitiis indulgeat, propterea eadem philosophia mentem nostram ita conjungit cum Deo tanquam cum primo veritatis virtutisque magistro, ut *non conveniat vilissimorum nos spirituum præsidia captare.* Vilissimi autem illi spiritus sunt mali genii, quorum ope homines quidam perditi mira præstare creduntur, non solum a Christianis, docente sæpius sacro textu; sed etiam ab ipsis paganis. Unde Virg. ecl. 8, v. 69 :

> Carmina vel cœlo possunt deducere lunam :
> Carminibus Circe socios mutavit Ulyssei :
> Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Horat. Epod. od. 17 :

> An quæ movere cereas imagines,
> Ut ipse nosti curiosus, et Polo
> Deripere lunam vocibus possim meis.
> Possim crematos excitare mortuos
> Desiderique temperare poculum.

D Ovid. et alii.

[3] *Præterea penetral.*] Alterum argumentum quo Boetius se purgat a prædicto crimine, accipitur ex virtute præstanti domesticorum, amicorum et affinium, cum quibus idem Boetius antiquam habuit necessitudinem. Cum enim virtus et vitium ita sint contraria, ut nulla esse possit virtutis vitiique societas, si arcta fuerit inter quemdam virum, et probos domesticos, amicos, affinesque societas, certe vir ille non debet esse suspectus illius præsertim criminis quod illis familiaribus nec ignotum esse potuit nec irreprehensum. Cum ergo crimen *sortilegii*, ut pote quod ut gravius, sic et frequentius et manifestius est crimine *ambitus*, non possit non cognosci et non reprehendi a sanctissimis familiaribus, si Boetius arctissimam babuerit familiaritatem cum probis domesticis, amicis et affinibus, is certe reus esse nequit criminis *sortilegii* : habuit autem Boetius hanc familiaritatem : 1° quidem cum probis domesticis :

60 Sed o nefas! illi vero [1] de te [a] tanti criminis A fidem capiunt, atque hoc ipso videbimur affines fuisse maleficio, [2] quod tuis imbuti disciplinis, tuis instituti moribus sumus. Ita non est satis nihil mihi profuisse tuam reverentiam, nisi ultro tu mea potius offensione lacereris. At vero hic etiam nostris malis cumulus accedit, [3] quod [b] existimatio plurimorum non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum, eaque tantum judicat [4] esse provisa, quæ felicitas commendaverit. Quo fit, ut existimatio bona prima omnium deserat infelices. **61** Qui nunc populi rumores, [c] quam dissonæ [d] multiplicesque sententiæ, piget reminisci. Hoc tantum dixerim, ultimam esse adversæ fortunæ [e] sarcinam, quod dum miseris aliquod crimen affingitur, quæ [5] perferunt, meruisse creduntur : et ego si quidem bonis omnibus pulsus, dignitatibus exutus, existimatione fœdatus, ob beneficium, supplicium tuli. Videre autem videor nefarias [6] sceleratorum [f] officinas [7] gaudio lætitiaque fluitanteis : [8] perditissimum quemque

INTERPRETATIO.

[a] *Tu*, o Philosophia, *nostræ es criminationis occasio.*

[b] *Plures fortunæ veluti assentientes, non ut judicandum, sed ut a fortuna judicari videtur, judicant de merito.*

[c] De Boetio.

[d] Aliis damnantibus defendentibus aliis de plebe viris.

[e] *Onus.*

[f] *Domos.*

NOTÆ.

nam, ut dicitur prosa 3, lib. II, *felicissimus* fuit *cum conjugis pudore tum masculæ prolis opportunitate*, ita ut *duos pariter consules liberos suos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate viderit* : hinc nunc dicitur *penetral innocens domus* : penetral quippe est locus interior, dictus a *penu* : *penus* autem, inquit Festus, *vocatur locus intimus in æde Vestæ, tegetibus septus :* unde Virgil. I Georg., v. 379 :

Sæpius et tectis penetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter.

2° Cum probis amicis : adfuit enim semper illi *honestissimorum cœtus amicorum;* 3° cum probis affinibus : nam *socer* ejus *Symmachus sanctus, et æque ac ipsa Philosophia reverendus fuit.* Quantus autem fuerit ille socer Symmachus, colligi potest tum ex Cassiodoro, qui ait Var. l. IV, ep. 6. Theodoricum regem ad ipsum ut virum patricium scripsisse, *petenti non concedatur licentia recedendi de urbe*, et ep. 22, eumdem regem voluisse ut idem Symmachus cum quatuor aliis senatoribus de causa prædictorum Basilii et Prætextati judicium ferret; et ep. 51, eumdem regem Symmacho iterum scribentem dixisse *Symmachum Romam decorasse domuum pulchritudine;* tum etiam ex Prisciano Cæsariensi, l. de Ponderibus et Mensuris, et Ennodio, quibus dicitur ille *Symmachus omni virtutis luce fulgere, et cæteris tanquam virtutum exemplar proponi posse.* Propterea Philosophia, infra l. II, pros. 4, *viget*, inquit, *incolumis pretiosissimum generis humani decus, Symmachus socer.*

[1] *De te criminis fidem capiunt.*] Id est, *propter te*, o Philosophia, *tantum illud crimen de me credunt :* sic enim Seneca : *Majora monstra veris vix capiunt fidem ;* sic ipse Virgil. Æn. V, v. 604 *:*

Hic primum fortuna fidem mutata novavit.

[2] *Quod tuis imbuti disciplinis.*] Solent nimirum ii qui aut præcipitatione aut præjudicio judicant, temerarium de iis, quæ ipsi ignorant, proferre judicium : quemadmodum S. Judas in sua Epist. his expressit verbis : *Quæcumque ignorant, blasphemant.* Sic ignara plebecula insolitos motus eorum quos aut *sortiarios* aut *lycanthropos* vocat, qui sæpius perturbati cerebri aut læsæ imaginationis sunt, malis geniis refert acceptos. Sic nonnulli existimarunt artem conficiendi auri a dæmonibus esse, ut ait Delrio Disquis. mag. l. I. Sic Galenus, II de Diff. feb. c. 7, et cap. 10 de Simpl. med. fac., de semetipso locutus ait se propter singularem suam eruditionem positum fuisse in numero eorum qui malorum geniorum artibus adjuti morbos depellant. Sic ergo Boetius, qui, ut loquitur Theodericus rex apud Cassiodorum l. I Var., ep. 45, *multa eruditoine saginatus fuit, ut artes, quas exercent vulgariter nescientes in ipso disciplinarum fonte potaverit*, propter summam suam eruditionem visus est huic affinis fuisse maleficio. Quare cum B nemo dici possit ex eo esse affinis crimini *ambitus*, quod sit eruditissimus, sicut de crimine *sortilegii* dicitur : inde concluditur Boetius non *ambitus*, sed *sortilegii* crimine accusatus fuisse ; sed immerito, sicut ex prædictis demonstratur : hinc tamen non desinit ipsa Boetii existimatio apud plurimos minui.

[3] *Quod existimatio plurimorum*, etc.] Scilicet plurimi judicando, non cognitione clara et distincta, quæ in nobis est prima veri judicii regula, sed præcipitatione et præjudicio feruntur : sic quod amore divitias, odio paupertatem prosequantur, de divitibus bonam, de pauperibus vero malam habent existimationem : sic amici Job, quod hunc viderent calamitatibus oppressum, eumdem judicarunt improbum : *quo fit, ut existimatio bona prima omnium deserat infelices* : hinc vulgus, quæ felicitas commendaverit, ea tantum judicat esse prudentis.

[4] *Esse provisa.*] *Ab homine :* Solet quippe vulgus C ab eventu prudentiam hominis ita inferre, ut cujus videt exitum infelicem, hunc male adeoque imprudenter incœpisse negotium concludat : id quidem sibi objicit Ovidius, sed idipsum statim refutat.

Exitus acta probat : careat successibus, opto
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

[5] *Quæ perferunt, meruisse creduntur.*] Quod nimirum prædicti homines viderint quosdam propter sua scelera juste punitos fuisse, idcirco hoc præjudicio ducti, quoscunque vident propter delatum crimen affligi, hos judicant *quæ perferunt, meruisse.* Sed id temeritatis est : cum enim homo judex tam injustitiæ quam justitiæ possit esse particeps, idcirco sustinenda assensio de causis miseriarum, ne præcipitet judicaturus.

[6] *Sceleratorum officinas.*] Officina, sic dicta quasi *opificina*, quædam est domus pars, in qua opus fit : D unde differt ab *apotheca*, in qua servatur, et a taberna, in qua venditur opus jam factum. Domus igitur vel etiam mentes impiorum hominum, in quibus causa adversus Boetium per summam malitiam ficta est, non abs re vocantur *officinæ.*

[7] *Gaudio lætitiaqae fluitantes.*] Sicut enim vas præ liquoris copia effluere : sive exundare dicitur, sic mens præ gaudii copia fluitare dici potest : nam *animus*, inquit Terentius, *luxuria et lascivia diffluit;* quodque latius atque uberius excrescit, id effluere dicitur Virgilio, II Georg., v. 367 :

Inde ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos
Exierint, tunc stringe comas, tunc bracchia tonde;
Ante reformidant ferrum : tunc denique dura
Exerce imperia et ramos compesce fluentes

[8] *Perditissimum fraudibus imminentem.*] Impunitas enim perditorum, similium hominum fraudes parit.

novis delationum fraudibus[a] imminentem : [1] jacere bonos, nostri [2] discriminis terrore prostratos : flagitiosum quemque ad (10) audendum quidem facinus impunitate, ad efficiendum vero præmiis invitari : [b] insonteis autem non modo securitate, verum ipsa etiam defensione privatos. Itaque libet exclamare

63 METRUM V.

Argumentum. — *Boetius, considerata lege constantissima, qua Deus alternas lunæ, Veneris, dierum tempestatumque vices regit, miratur solum hominem* A *ita videri legibus solutum, ut præpostero veluti ordine et impiis prospera, et piis adversa contingant . tum rogat Deum ut his tandem dare velit finem.*

O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio,
64 Rapido cœlum turbine versas
Legemque pati sidera cogis,
Ut nunc pleno lucida cornu,
Totis fratris et obvia flammis,
Condat stellas luna minores :

INTERPRETATIO.

[a] *Intentum.*
[b] *Innocentes.*

O Deus, *creator cœli stellati, qui considens* in *solio sempiterno, convertis* ipsum *cœlum vertigine celeri* et *adiis astra subire* tuum *imperium,* gita *ut luna modo integro orbe illuminata cunctisque iginibus fratris* sui

NOTÆ.

[1] *Jacere bonos.*] Quia, ut dicitur Lucæ XXIII, *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* si tantus tantaque virtute præditus Boetius tam male excipiatur, quid sperare possint cæteri virtutum cultores?

[2] *Discriminis terrore.*] Discrimem idem est quod periculum : sicut enim crinis est a Græco κρίνειν, quod proprie est *dirimere;* sic discrimen est a διακρίνειν, quod etiam *dirimere* est sive **62** *separare :* unde capillos a se invicem distinctos vocamus *discriminatos.* Claudian. de Nupt. Hon. :

Hæc morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen arat.

Atqui quo periculo aliquis jactatur, hoc a cæterorum hominum cœtu videtur sejungi.

Cæterum Boetius paucis hic resumit suas ealamitates, earum causam, et quæ ex his consequuntur mala. Calamitates sunt, 1° quod *bonis omnibus sit pulsus*; 2° quod *dignitatibus exutus*; quod *existimatione fœdatus.* Causa calamitatum est multiplex ejusdem Boetii, in senatum præcipue *beneficium,* pro quo *supplicium tulit.* Mala quæ ex his consequuntur, sunt primum quod sontes *impunitate,* non modo *ad male deferendum,* sed etiam *ad audendum* imo *ad efficiendum quodlibet facinus* ferantur : insontes vero *et severitate et defensione* priventur. *Itaque libet exclamare.*

Quod a Pindaro vocatur *Pindaricum.* Est autem carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet tetrameter, sæpius spondeum anapæstum, dactylum et spondeum habet : sed his legibus neglectis, id unum curat Boetius, ut sint quatuor pedes.

1. *Stelliferi orbis.*] *Cœli :* cœlum enim, etiam judice Tullio, duplicis est generis : alterum aerium, in quo nubes, imbres, ventique coguntur; alterum stelliferum, quod, a domiciliis nostris altissimum, omnia cingit et coercet, extrema ora et determinatio mundi. De hoc autem secundo cœli genere ideo nunc loquitur Boetius, quod dicturus sit de legibus quæ cum in inferioribus corporibus, tum etiam in astris observantur, quas quidem leges Deus ipse statuit a primo momento, quo hæc corpora condidit : propterea Deus nunc cogitatur, *ut conditor.*

2. *Qui perpetuo nixus solio.*] Solium generatim est sedes, in qua plures simul considere nequeunt : *Solia,* enim, inquit Festus, *appellantur sedilia in quibus non plures singuli possunt sedere* : quasi solium dicatur quod solum unum capit. Speciatim vero solium est sedes regia, vulgo *un trône;* sic accipitur a Virgil, sæpius, ut VII Æneid., v. 169 :

Imperat et solio medius consedit avito.

Deus autem nunc spectatur quatenus est rex : unde versu 27 dicitur *merito rector cohibere modo*; et vers. 46, *Rapidos rector comprime fluctus;* in hoc autem regnum Dei differt a cæteris, quod hæc mutationi sint obnoxia, illud vero æternum sit et immuta- B bile : quare nunc dicitur *perpetuum* : cui favet illa vocis interpretatio, qua *solium* dicitur *sedes solida*; ut terra, quod solida sit, appellatur *solum.*

3. *Rapido turbine.*] Turbo, Gallice *un tourbillon,* a turbando dicitur, quod facto quodam circuitu materia sic turbetur, ut summa imis, anteriora posterioribus, dextra sinistris succedant. Sic ventus quidam, qui Lucretio vocatur *versabundus,* quique corpora obvia circumagit, vocatur *turbo* : unde Virgil. II Æn., v. 416 :

Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt.

Sic trochus, vulgatum puerorum ludibrium, appellatur *turbo.* Virg. Sic fusi pensilis circuitio Catullo dicitur *turbo.* Sive autem cœlum credatur solidum, sive liquidum, ibi perennis est materiæ motæ circuitio, adeoque *turbo.*

C 4. *Legemque pati sidera cogis.*] Ut corpus primum non movetur, nisi ab ipso Deo, a quo conditum est; sic idem corpus non movetur nisi secundum eas quas ipse Deus statuit immotasque servat motus leges : optime enim Ovidius,

Nil ita sublime est supraque pericula tendit;
Non sit ut inferius suppositumque Deo.

Sic corpus quod movetur, ab aliquo alio moveatur, necesse est : sic corpus immotum, non movet, etc., ejusmodi de quibus, in philos. Hinc Sapientia æterna Proverb. VIII : *Quando* Deus, inquit, *præparabat cœlos, aderam : quando certa lege et gyro vallabat abyssos , quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum : quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos,* etc.

Cum igitur sidera corpora sint, hæc non solum a Deo sunt, sed legibus ab ipso Deo constitutis servatisque moventur, adeoque Deus *cogit sidera pati* : propterea Deus nunc dicitur regere alternas Lunæ, D Veneris, Dierum, Tempestatumque annuarum vices, sicut deinceps explicandum.

5. *Ut nunc pleno lucida cornu* .] I. Quidem agitur de luna, cujus vices in hoc versantur, quod modo sit plena, modo curvata in cornua. Plena, est luna, sive *pleno lucida cornu,* cum soli, interjecta terra, e diametro opposita lumen solare media sui parte ad nos remittit : hoc est *totis fratris obvia flammis* : poetis enim Diana, quæ alio nomine dicitur Luna, et Apollo, qui alio quoque nomine dicitur Sol, sunt soror fraterque ab Jove ex Latona eodem partu progeniti. Tunc autem *una condit stellas minores* : quia minus lumen obscuratur offunditurque majori lumine : quamvis autem stellæ, maximam partem, magnitudine lunam superent, stellæ tamen, ut pote magis dissitæ, minus luminis quam luna ad nos diffundunt : hinc *luna* ut ait Varro IV de L. l., dicitur quasi *lucina,* quod sola noctu lucet : hinc etiam luna vocatur majus sidus, et stellæ minora sidera, non solum in sacro textu, sed

Nunc obscuro pallida cornu,
Phœbo propior lumina perdat.
65 Et qui primæ tempore noctis
Agit algentes Hesperus ortus,
Solitas iterum mutet habenas,
Phœbi pallens Lucifer ortu.
66 Tu frondifluæ frigore brumæ
Stringis lucem breviore mora :
Tu, cum fervida venerit æstas,
Agileis noctis dividis horas.
67 Tua vis varium temperat annum,
Ut quas Boreæ spiritus aufert,

INTERPRETATIO.

solis *opposita occultet parva sidera; modo obducto orbe pallens amittat lucem vicinior soli.* Ut *etiam Hesperus, qui* ortus *primo noctis spatio ducere* videtur agmen *stellarum frigidarum*, idem *lucifer mutet rursus frena consueta* in *ortu solis pallidus. Tu contrahis diem in minus spatium frigore brumæ detondentis frondes : tu distinguis horas noctis promptas* tum *cum æstas calida accessit. Virtus tua* sic *moderatur annum diversum ut*

NOTÆ.

etiam vulgo, et apud Latinos auctores. Horat. Carm. l. I, od. 12 .

Crescit occulto velut arbor ævo.
Fama Marcelli : micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Eadem vero luna curvatur in cornua, sive *obscuro* est *pallida cornu*, cum a prædicto plenilunii loco recedens, ad solem ita accedit, ut hinc decrescendo ad interlunium, inde crescendo ad plenilunium redeat : propterea *Phœbo propior lumina perdit :* non omnino si quidem semper media lunæ pars a sole illuminatur, sed qua nos respicit : unde melius homo quam luna diceretur lumen solare perdere.

10. *Et qui primæ tempore noctis.*] II. Agitur de Venere, cujus vices in eo consistunt, quod modo susbsequatur solem occidentem, *Hesperus*, modo eumdem solem orientem antegrediatur, *Lucifer* , sed ad clariorem hujus sideris intelligentiam sua ad grammaticos, historicos, poetas et philosophos de hac stella referenda est doctrina.

Grammaticis Hesperus, Hesperugo; Vesper Vesperugo; Lucifer, Φωσφόρος; stella tam serotina quam matutina, idem sunt Veneris sidus : nam Cicero, II de Nat. deor., *Infima est*, inquit, *quinque errantium terræque proxima stella Veneris, quæ* Φωσφόρος, *Latine Lucifer dicitur, cum antegreditur solem cum subsequitur autem, Hesperus :* unde Martialis Epig. l. VIII, ep. 21, *Phosphore, redde diem.* Et Virgil. ecl. 10, v. 77 :

Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

Historicis Hesperus, Atlantis peritissimi astronomi frater, astronomiæ pariter studiosissimus, qui cum altissimum montem, eum forte quem a fratre Atlantem nominaverunt, conscendisset, ut inde sidera diligentius contemplaretur, seu morte, seu morbo, seu quodam alio casu impeditus, in patriam nunquam rediit : unde plebecula, superstitioni dedita, ipsum inter astra in cœlo collocatum fuisse existimavit, ipsique propterea divinos honores exhibuit : hinc duæ Hesperiæ, altera Hispania, altera Italia. Prior Hesperia dicitur a sidere cognomine, quod regnum hoc Græcis, instar hujus sideris, sit occidentale : de hac loquitur Horatius I Carm., od. 36 :

Qui nunc Hesperia sospes ab ultima.

Posterior Hesperia vocatur a prædicto Hespero Atlantis fratre, qui a germano pulsus, Italiam tenuit, eique nomen sive a se sive a sua patria desumptum imposuit. De hac Virg. En. I, v. 534 :

Est locus, Hesperiam Græci cognomine dicunt.

Poetis Hesperus in stellam conversus, quæ quibusdam Venus, aliis Auroræ filius. Cum autem iisdem poetis Sol quadrigis, Luna bigis vehatur, Hesperus uno seorsum equo utitur, sed hunc ita alternat, ut mane album, sero fuscum ascendat: propterea Hesperus nunc dicitur *solitas iterum mutare habenas.*

Philosophis denique Hesperus sive Venus est planeta, qui per cœlum liquidum, ut paleæ per aquas abripi solent, raptus modo supra, modo infra solem sic movetur,ut, emendicato solis lumine, relucens easdem fere quas luna luminis vicissitudines subeat. Fatentur autem hanc stellam modo antegredi orientem, modo subsequi occidentem solem : sed id diverso modo explicant, pro diverso mundi systemate, de quo dicere non vacat.

Constat ergo apud omnes Hesperum subsequi occidentem solem : unde nunc merito dicitur *primæ tempare noctis agere algentes ortus*; sive ducere nocturna sidera, quibus regnantibus terra frigescit. Constat pariter Luciferum, idem sidus est quod Hesperus, antegredi orientem solem : unde nunc optime dicitur *solitas iterum mutare habenas* in *ortu phœbi* sive solis. *Pallet* tamen propter majus solis orientis lumen.

14. *Tu frondifluæ frigore brumæ.*] III. Agitur de diebus, quorum præcipuæ vices in hoc versantur, quod hieme breviores, æstate longiores sint. Nimirum dies hic est mora solis supra nostrum horizontem ab ortu ad occasum progredientis : quare nox huic diei opposita est mora ejusdem solis infra nostrum horizontem ab occasu in ortum regredientis. Cum igitur sol non æquali semper intervallo a duobus polis distans terram circumeat, sed nonnunquam ad austrum magis aliquando magis ad aquilonem accedat, secutus orbem, qui zodiacus dicitur, propterea dies modo brevior est, modo longior. Brevior est sole accedente ad austrum, quod fit ab æquinoctio autumnali ad solstitium hibernum, scilicet vigesimo tertio Septembris ad vigesimum secundum Decembris : quo tempus vulgo appellatur *bruma*, a brevitate dierum, ut ait Vossius post Varronem et Festum; quæ propter recessum solis et frigida est, et arbores frondibus exuit. Hinc dicitur, *Tu frondifluæ frigore brumæ Stringis lucem breviore mora.* Longior autem est sole accedente ad aquilonem, quod fit ab æquinoctio verno ad solstitium æstivum, videlicet a vigesimo primo Martii ad vigesimum secundum Junii, quo tempore incipit æstas calida, adeoque noctes brevissimæ sunt : propterea nunc dicitur : *Tu cum fervida venerit æstas, Agiles noctis dividis horas.* Sic Ovidius Trist. l. V, el. 11 :

Nec mihi solstitium quidquam de noctibus aufert,
Efficit angustos nec mihi bruma dies.

Hic duo observari poterunt. Primum quidem vocem hanc, *frondifluæ*, quamvis non ita fuerit in usu apud antiquos auctores, aptissimam tamen esse ad significandum id quod pluribus expressit Virgil. Eneid. VI, v. 309 :

Quam multa in silvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia

Deinde horas, ex quibus sive dies sive nox brevior componitur, vocari *agiles* sive *promptas* : quia horæ duplicis sunt generis : aliæ æquales, aliæ inæquales inter se. Æquales dicuntur illæ quæ sive hieme sive æstate sexaginta semper, ut aiunt, *minutis* æqualibus constant : qua ratione dicimus solem per viginti quatuor horas ab uno cœli puncto ad idem regressum totam circuivisse terram. Inæquales vero dicuntur quæ, cum sint duodecima tantum sive diei sive noctis pars, crescentibus decrescentibusque sive diebus sive noctibus crescere debent et decrescere.

18. *Tua vis varium temperat annum.*] IV. Agitur de

Revehat mitis zephyrus, frondeis ;
Quæque Arcturus semina vidit,
Seirius altas urat segetes.
68 Nihil antiqua lege solutum
Linquit propriæ stationis opus
Omnia certo fine gubernans, A
Hominum solos respuis actus
Merito, rector, cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices ? premit insontes
Debita sceleri noxia pœna.
69 At perversi resident celso

INTERPRETATIO.

quæ folia flatus boreæ tollit, hæc *zephyrus lenis reddat, et quas segetes Arcturus* sidus, *inspexit satas, easdem canicula* sidus alterum *comburat* messes *adultas. Nihil liberum* a *veteri lege omittit operam suæ conditionis.* Tu *moderatus omnia stabili modo, dedignaris tantum continere actiones hominum : ut decet,* instar sapientissimi *moderatoris : quare enim fortuna instabilis alternat tam magnas varietates ? suppliciumcrimini debitum vexat innocentes. Sed mores improbi sedent in summa tribunali, et sontes iniqua vicissitudine proterunt capita pia. Virtus splendida delitescit abscondita caligine opaca, et pius habet infamiam impio* debitam. *Perjuria non*

NOTÆ.

ipsis anni tempestatibus, quarum vices in hoc versantur, quod ut ver reddit frondes, quas autumnus abstulerat, sic æstas maturet, quas hiems vidit seri, segetes : duæ priores tempestates, significantur ventis, qui tunc temporis regnare solent, autumnus quidem borea, ver vero zephyro : duæ autem aliæ tempestates signis exhibentur cœlestibus ; hiems Arcturo, æstas Seirio.

Boreas ἀπὸ τῆς βοῆς dictus, quod sit turbulentus ac sonorus, ventus est (apud eos quidem qui octo duntaxat ventos agnoscebant, quorum unus a meridie, alter a septentrione, tres ab ortu totidemque ab occasu flarent) ab ortu spirans ; sed (apud eos qui duodecim vel plures ventos posuerunt) septentrionalis : quare propter accessum solis ad septentrionem per æstatem, quam excipit autumnus, ventus ille per autumnum flare consuevit, adeo ut illi referri possit acceptum, quod arbores frondibus exuantur, quodque tunc oriantur procellæ : unde Virg. I Georg., v. 311 :

Quid tempestates autumni et sidera dicam ?

Zephyrus sic dictus quasi ζωηφόρος sive τὸ ζῆν φέρων, *vitam ferens* ; quod eo plantæ redivivæ germinent pullulentque : unde Plinio dicitur *genitalis mundi spiritus* ; est ventus ab occasu æquinoctiali flans. *Hic,* inquit Plinius l. XVIII, c. 34, *ver inchoat aperitque terras, tenui frigore saluber. Hic vites putandi, frugesque curandi, arbores serendi, poma inserendi, oleas tractandi jus dabit, afflatuque nutritium exercebit* : propterea Latinis vocatur favonius, a *favendo,* quia faveat genituræ : Lucretius l. III :

Viget genitabilis aura favoni.

Et Catullus carm. de Nupt. Pelei et Thet. :

Quos propter fluminis undas.
Aura parit flores tepidi fecunda favoni.

Arcturus quasi ἄρκτου οὐρὰ, *ursæ cauda*, est stella in signo Bootis prope caudam majoris Ursæ. Observant autem sidus illud ortu suo comitari solem orientem a mense Octobri, quo tempore terra semina suo sinu infusa fovere solet : propterea nunc dicitur : *quæque Arcturus semina vidit.* Sic Virgilius I Georg., v. 67 :

At si non fuerit tellus fecunda sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco.

Et versu 204 :

Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis
Hædorumque dies servandi.

Seirius denique sive, ut alii scribunt, *Sirius,* sic dictus a σείρω, *exsicco* : unde et sol, teste Suida, σεὶρ vocatur, est stella fulgentissima in ore majoris Canis, quæ ortu suo solem orientem comitatur a mense Julio, quo tempore seges matura arescere videtur. Quod autem stella hæc in ore majoris Canis appareat, idcirco vulgo appellatur *Canicula* : sed quod tunc sol, cujus orientis comes est, majori suo æstu, terras urat, propterea sidus hoc tanti caloris accusatur ita ut Seirius a poetis dicatur *Æstifer.* Sic noster auctor : *Seirius altas urat segetes.* Sic Virgilius IV Georg., v. 425 :

Jam rapidus torrens sitientes Seirius Indos
Ardebat cœlo, et medium sol igneus orbem
Hauserat : arebant herbæ, et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant.

Et Æneid. III, v. 14 :

Tum steriles exurere Seirius agros :
Arebant herbæ et victum seges ægra negabat.

Optime autem notat Gassendus *caniculam* falso accusari ejusmodi æstus : quemadmodum canities falso accusaretur mortis quam obierunt senes castæ Susannæ delatores. Scilicet tantum abest ut canicula causa sit hujus æstus, ut potius apud populos quibus per nostram æstatem imminet, frigus magis vigeat : quare, ait idem philosophus, meliori jure populi illi *caniculam* accusare possent sui frigoris, quam nos nostri caloris : si virtus de cœlo lapsa, quam barbari *influentiam* vocant, id effecti, ut vulgo præstare creditur, reipsa præstaret.

23. *Nihil antiqua lege solutum.*] Prædicta corpora, ad quorum exemplum de cæteris judicandum est, certis ita continentur legibus, ut quo modo legimus sese habuisse apud majores nostros, eodem hæc nunc videamus se habere : Deus quippe *omnia* hæc *certo fine gubernat* : sive, ut dicitur Sap. VIII *attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.*

26. *Hominum solos respuis actus.*] Quasi dicat : Cum cætera divina providentia ita administrentur, ut suæ singulis vicibus respondeant vices, unus tamen homo ita videtur a Deo derelictus, ut res humanæ temere ac fortuito agi videantur, si quidem cum bonis prospera, malis adversa debeantur, contra bonis adversa, malis prospera accidunt : unde nonnulli de divina providentia dubitant : Claudianus lib. I in Rufinum, v. 1 :

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, et inserto fluerent mortalia casu.

Hinc noster auctor : *Nam cur tantas lubrica versat. fortuna vices.* De fortuna dictum est metro 1.

29. *Premit insontes debita sceleri noxia pœna.*] Ut supremus omnium moderator Deus infinite justus est, sic sua quibuslibet vitiis, Deo ita statuente, debentur supplicia, quæ quia nocent seu corpori seu menti, propterea vocantur *pœna noxia.* At pœna hæc insontes premit, quatenus hi nocentium imperio subditi, ab iisdem injusta patiuntur. ita ut eorum virtus pœna vitiis debita veluti involuta lateat. Sic Claudian. loco cit. :

Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, lætosque diu florere nocentes
Vexarique pios : rursus labefacta cadebat
Relligio.

31. *Perversi mores.*] Modus hic nominatur pro re modificata : non enim tam mores perversi, quam qui moribus perversis afficiuntur homines in celso solio resident, ornati nimirum primis dignitatibus,

Mores solio, sanctaque calcant
Injusta vice colla nocentes.
Latet obscuris condita virtus
Clara tenebris, justusque tulit
Crimen iniqui.
Nil perjuria, nil nocet ipsis
Fraus, mendaci compta colore.
70 Sed cum libuit viribus uti,
Quos innumeri metuunt populi,
Summos gaudet subdere reges.
O jam miseras respice terras,
Quisquis rerum fœdera nectis.
A Operis tanti pars non vilis
Homines, quatimur fortunæ salo.
Rapidos, rector, comprime fluctus,
Et, quo cœlum regis immensum,
Firma stabiles fœdere terras.

71 PROSA V.

ARGUMENTUM. — *Philosophia cum Boetio partim dissentiens, consentiens partim, hunc arguit, quod et se exsulem dixerit. et fortunam adversam fuerit conquestus : laudat vero, quod ut locutus est, sic bene egerit, remedium interim ad perturbationes sedandas quæsitura.*

Hæc ubi continuato dolore [1] [a] deblateravi, [2] illa [b]

INTERPRETATIO.

nocent ipsis nocentibus ; *fraus velata specie fallaci non nocet* iisdem. *At ubi placuit ipsis, uti suis viribus,* tum *gestiunt subjicere* sibi *principes magnos quos gentes innumerabiles timent.* O Deus, *qui moderaris necessitudines rerum, nunc intuere terras calamitosas. Nos homines, portio non abjecta operis* tui *tam magni, ja-* B *ctamur æstu fortunæ* : *compesce, moderator, procellas violentas* fortunæ, *et qua lege gubernas ingens cœlum,* eadem *confirma firmatas terras.*

[a] *Stulte locutus sum.*

[b] Philosophia.

NOTÆ.

32. *Sanctaque colla.*] Similiter pars hic ponitur pro toto : si quidem sanctos potius homines quam illorum colla calcant nocentes. Sed ut posterior hic, sic ille prior loquendi modus poetis præsertim usitatissimus est.

33. *Injusta vice.*] Quod injustum videatur probos ab improbis premi : vicem enim dicimus quod alternis facimus patimurve : hinc *vicissim,* et *vicarius.*

34. *Latet obscuris condita virtus clara tenebris.*] Paradoxum videtur *virtutem claram obscuris conditam tenebris latere* : hæc tamen ex eo possunt conciliari, quod virtus obscura sit aliis hominibus ; clara vero cum menti ejus qui virtutem colit, tum Deo qui virtutem ipsi menti infudit. Sic *virtus,* ait Tullius pro Sest., *in tempestate quieta est, et lucet in tenebris, et pulsa loco manet tamen atque hæret in patria splendetque per sese semper,* nec *alienis unquam sordibus obsolescit.*

C 35. *Justusque tulit crimen iniqui.*] Crimen hic non significat culpam, quippe quæ solis inest nocentibus ; sed potius infamiam, quæ culpam sequi deberet, ut honos virtutem. Sic Tullius in Verrem ait *laudem imperatoriam criminibus avaritiæ obteri.* Nimirum crimen generatim id omne est, quo aliquis a cæteris distinguitur separaturve : unde *discrimen.* Cum autem infamia hæc improborum esse deberet, hæc proborum nunc esse dicitur, additurque modos quibus nocentes cæteros affligere solent, videlicet *perjurium, fraudem* et *vim,* nihil ipsis nocentibus nocere.

36. *Nil perjuria.*] I. Perjurium est, aut falsum jurare, aut quod ex animi sententia juraveris, id non facere : hinc in perjurio, auctore Tullio, fides jusjurandumque negligitur : hinc sua est, eodem auctore, II de Leg., perjurio pœna, divina quidem, exitium ; humana vero, dedecus. Nocentibus tamen, inquit Boetius, *nil nocent perjuria ;* usque adeo *injustæ* sunt *vices.*

D 37. *Nil nocet ipsis fraus.*] II. Fraus dicitur adulatio dolosa : propterea nunc dicitur *mendaci compta colore.* Scilicet homo, vulpeculam imitatus, quod vi obtinere nequit, id mendacibus factis dictisve assequi conatur : quod, inquiebant veteres, odio dignum majore : adeoque suo afficiendum supplicio : nihilominus, ait Boetius, ordo rerum ita præposterus videtur, ut ipsis fraudulentis *fraus nil noceat.*

39. *Cum libuit viribus uti.*] III. Vis, inquit Romanus orator, pro Cec., est quæ periculo, aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere : et hoc a ratione eo magis alienum est, quod, mutatis rerum vicibus, etiam illi, quibus debetur obsequium, vi subjiciantur, ut nunc dicitur : *Quos innumeri metuunt populi, summos gaudent subdere reges :* quamobrem neque id crimen impunitum esse debeat : cum tamen prædictis nocentibus *nihil* videatur *nocere.*

42. *O jam miseras respice terras.*] Ad Deum, a quo carmen incœperat, revertitur poeta, ipsumque rogat, ut *miseras respiciat terras,* quas nimirum incolunt homines, indigna ferentes.

43. *Quisquis rerum fœdera nectis.*] Prædictas scilicet causarum effectorumque naturalium vicissitudines.

44. *Operis tanti pars non vilis homines.*] Homo quidem *pars* est rerum a Deo conditarum, si quidem neque a semetipso, neque a nihilo fieri potuit : sed idem homo pars est *non vilis,* quod ea etiam a quibus cogitari non potest, ipse cogitet.

45. *Quatimur fortunæ salo.*] Ut poetis sic oratoribus *salum* est mare, quod nimirum in mari multus sit salis sapor ; hinc *salacia* et *venilia* apud poetas usitantur ad significanda ea maris decrementa et incrementa, quibus bis in die detumere et tumere solet Oceanus. *Salacia* quippe sunt fluctus maris a littore ad salum redeuntis ; *venilia* autem fluctus ejusdem maris ab alto salo ad littus venientis. Non immerito autem dicitur *fortunæ salum* cum ab aliis auctoribus, quod sicut a mari sic a fortuna plura sunt bona et mala, sed inconstantissime : tum præsertim a nostro auctore, quod hic amaros experiatur fortunæ casus.

46. *Rapidos, rector, comprime fluctus.*] Id est *violentos motus* fortunæ, quæ est veluti insanum mare.

47. *Quo cœlum regis fœdere, firma terras.*] *Homines sic moderare,* ut quemadmodum non solum in cœlo, sed in reliquis operibus tuis, suæ suis respondent vicibus vices, sic apud homines, et virtutibus præmia et vitiis supplicia reddantur.

[1] *Deblateravi.*] Alii legunt *delatravi,* sive *dilatravi ;* sed vox qua utimur tam apta est ad significandam eam quam nunc Boetius habet de prædictis cogitationem, tamque facile potuit propter similem pronuntiationem in vulgatas voces mutari, ut hæ illam obliterasse videantur, quod attendenti patebit. Nimirum *deblaterare,* inquit Festus, *est stulte loqui,* nam βλάκας stultos vocant Græci : hinc blaterones sunt *homines in verba projecti,* inquit Agelius l. I, c. 15, *importuni locutores, qui nullo rerum pondere innixi verbis humidis et lapsantibus diffluunt.* Normani vocant *bavards ;* nec ita inepte : qui enim præcipites sic loquuntur, hi infantium instar, saliva effluente buccas et vestes aspergere solent !

[2] *Illa vultu placido.*] *Philosophia* scilicet ; quippe quæ omnium rerum moderatrix est. Hinc *sapiens* sive philosophus, Ciceroni IV Tusc., *is est qui moderatione et constantia quietus animo, est sibique ipse placatus,*

vultu placido, nihilque meis questibus mota : [1] Cum te, inquit, [a] mœstum lacrymantemque vidissem, illico [2] miserum, **72** [3] exsulemque cognovi. Sed [b] quam id longinquum esset exsilium, nisi tua prodidisset oratio, nesciebam. Sed tu procul a patria non quidem pulsus es, sed aberrasti. At si te pulsum A existimari mavis, te potius ipse pepulisti. Nam id [c] quidem de te nunquam cuiquam fas fuisset. (5) Si enim [4] cujus oriundus sis patriæ reminiscaris, [d] [5] non uti Atheniensium quondam multitudinis imperio regitur, sed [e] εἷς κοίρανος ἔστιν, εἷς βασιλεὺς, qui frequentia civium, non depulsione lætatur : **73** [6] cujus

INTERPRETATIO,

[a] *O Boeti.*
[b] *Quantum hoc exsilium distaret.*
[c] *Nemo potuisset te pellere.*
[d] *Tua patria non regitur imperio multitudinis; olim Athenæ regebantur : sed hujus.*
[e] *Unus est dominus, unus rex.*

NOTÆ.

ut neque tabescat molestiis, neque frangatur timore, nec sitienter quid appetens ardeat desiderio nec alacritate futili gestiens deliquescat.

[1] *Cum te mœstum lacymantemque vidissem.*] Inquit Philosophia. Lacrymæ quidem seipsas produnt : tristitia autem et lacrymis et oculorum situ noscitur : *Oculi enim sunt*, inquit Orator III de Or., *quorum tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum significamus.*

[2] *Miserum cognovi.*] Miser, ut Cujacio pluribusque aliis placet, dicitur a μισῶ, *odi*, quod misera conditio omnibus sit exosa. Miseram autem illam Boetii conditionem Philosophia cognovisse potuit ex lacrymis et tristitia prædictis : hæ enim sunt miseriæ comites.

[3] *Exsulemque.*] *Exsul* sive, ut veteres legebant, *exsol* ille dicitur qui ex solo deturbatus abest : hinc aiunt scribendum *exsul*, non *exul* : sed id tanti non est, cum littera *x* ex litteris *c* et *s* componatur. Cognovit autem Philosophia hoc Boetii exsilium non ex tristitia et lacrymis tantum : his quippe non exsilium potius quam quælibet alia miseria significatur ; sed ex ipso, in quo Boetius lacrymabatur, loco, qui, ut pote Boetio conjunctus, potuit et ab auctore reticeri et a lectore facile intelligi.

Verum cum exsilium dicatur patriæ privatio, cumque hominis patria alia dicatur corporis, alia mentis, propterea exsilium non solum de corporibus a natali solo expulsis, sed etiam de mentibus a cœlo sive potius a Deo remotis intelligi potest : unde quamvis Boetius in prædictis suis carminibus de priori duntaxat exsilio locutus fuerit, Philosophia tamen, occasione accepta, de posteriori exsilio loquitur, simulataque sua ignoratione, innuit *exsilium non adeo longinquum esse;* quod nimirum mens hominis, quamcunque is incolat terrarum regionem, nec longiori propterea, nec breviori intervallo a cœlesti patria distet : bene quippe Anaxagoras quærenti nullane patriæ ipsi esset cura : Mihi, inquit, patriæ cura et quidem summa est, digitum in cœlum intendens. Optime S. Paulus, II Cor. v, monet *nos habere domum æternam in cœlis* : quod apud Christianos est vulgatissimum. Propterea ab hac patria nemo pellitur : *tu procul a patria non quidem pulsus es* : nam hoc est discrimen inter patriam corporis et patriam mentis, quod etiam inviti possimus a patria corporis expelli : a patria vero mentis, nimirum a cœlo sive potius ab ipso Deo, non nisi volentes recedamus : huc enim tendimus, hic commoramur affectibus mentis, quorum sumus domini. A patria tamen cœlesti aberramus aliquando, *sed aberrasti* : quatenus libere voluntas nostra deficit a divina voluntate, quæ ut est prima rerum omnium causa, sic prima est actuum humanorum regula: quamobrem *si te pulsum existimari mavis, te potiu ipse pepulisti*, tua scilicet voluntate, tuo consensu cujus ita dominus es, ut *id de te nunquam cuiquam fas fuisset.* Tanta quippe est mentis humanæ libertas, ipsa ut nec errore nec vitio, quibus a cœlesti patria arcemur, nisi eadem libere voluerit, contaminari possit.

[4] *Cujus oriundus sis patriæ reminiscaris.*] Incœptus de patria cœlesti sermo continuatur : hujus autem patriæ reminisci duntaxat Boetium oportet : quia Boetius sive a Deo, sive suo Marte, sive etiam ma-B gistrorum adminiculis instructus, multus abhinc annis noverat cœlum suam esse patriam : sed notio hæc affectibus forte obscurata : hinc illud non tam scire primum quam reminisci debebat.

[5] *Non uti Atheniensium.*] Triplex est patriæ regendæ modus, sive triplex imperii forma, videlicet principatus, status optimatum, et status populi : nam *cunctas nationes et urbes*, ait Cornel. Tacit. l. XI, *populus, aut primores, aut singuli regunt.* Athenienses quidem ab optimatibus primum, a populo deinde leges acceperunt, unde non solum *depulsione civium bene meritorum lætati*, sed mori eos aliquando coegisse feruntur. At cœlestis nostra patria neque populo, neque optimatibus, sed uno duntaxat principe regitur : ut enim ait Homerus Iliad. B :

εἷς κοίρανος ἔστω
εἷς βασιλεὺς.

Herus unicus est
Unicus et princeps.

C Scilicet ut solus Deus est mentis humanæ conditor, sic solus Deus est ejusdem mentis moderator : propterea Deus, I Timoth. VI et alibi, dicitur *Rex regum et Dominus dominantium.* Rex autem ille supremus *lætatur frequentia civium ;* propterea enim humanum genus condidit, perditumque Unigeniti Filii morte reparavit : hinc Christus, Joan. X, *Alias*, inquit, *oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere*; *et vocem meam audient et fiet unum ovile et unus pastor.* Idem Rex supremus *non lætatur depulsione civium* : nam I Timoth, II. *Salvator noster Deus omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Vivo ego, dicit Dominus Deus*, Ezechielis XXXIII, *nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus Israel.* Hujus denique summi Regis voluntate regi, *summa libertas est* : sed id longiori quadam interpretatione videtur indigere.

D [6] *Cujus agi frenis atque obtemperare justitiæ, summa libertas est.*] Libertas, inquit Tullius I de Off. et Parad., 5, *est potestas vivendi ut velis;* non solum extrinsecus, inquam, motibus scilicet corporis; sed etiam intrinsecus, nimirum cogitationibus mentis, Duobus autem modis homo potest velle, adeoque vivere. Primum quidem sequendo divinam voluntatem, quæ ut prima causa, sic prima est nostræ voluntatis regula : et hæc est summa libertas, quæ est in nobis, dum volumus esse felices, quæ fuit in Christo, cum æterni Patris mandata viator implevit, quæ erit in omnibus beatis Deum æterna felicique necessitate amaturis. Deinde deflectendo a divina voluntate sive peccando : et hæc est infima libertas, quam optaremus felici quadam necessitate Dei semper amandi permutari. Quoniam autem divinam voluntatem sequi possumus et vitando malum et faciendo bonum, juxta illud psal. XXXVI, *Declina a malo et fac bonum*, hinc summa libertas hominis est non solum in hoc quod declinet a malo, sive Dei *frenis agatur,* sed in hoc

agi [a] frenis, atque obtemperare [b] justitiæ, summa libertas est. An ignoras illam [1] tuæ [c] civitatis antiquissimam legem, qua sancitum est, ei jus exsulare non esse, quisquis in ea sedem fundare maluerit? **24** Nam [2] qui [d] vallo ejus ac munimine continetur, nullus metus est, ne exsul esse mereatur. At [3] quisquis inhabitare eam velle desierit, pariter desinit etiam mereri. [4] Itaque non [5] tam me loci hujus [e] quam tua facies movet. [6] Nec bibliothecæ potius comptos ebore ac vitro (5) parietes, quam tuæ mentis sedem requiro. In qua non libros, sed id quodlibris pretium facit, librorum quondam [f] meorum sententias collocavi. **25** Et tu quidem [7] de tuis in commune bonum meritis vera quidem, sed pro multitudine gestorum [g] tibi pauca dixisti. [8] De objectorum [h] tibi vel honestate vel falsitate, cunctis nota memorasti.

De sceleribus fraudibusque delatorum recte tu quidem [i] strictim attingendum putasti, (5) quod ea melius uberiusque [j] recognoscentis omnia vulgi ore

INTERPRETATIO.

a *Habenis, id est imperio.*
b *Legibus.*
c *Romæ et cœli.*
d *Præsidio.*
e *Ticini,* ubi te dicis exsulare.
f *Philosophicorum.*
g *A te.*
h *Eorum quæ vitio vertebantur.*
i *Compressius.*
j *Considerantis.*

NOTÆ.

etiam quod faciat bonum sive *divinæ justitiæ obtemperet*, servans nimirum legem Dei honesta imperantis et prohibentis contraria. *Lex Domini*, psal. XVIII, *immaculata convertens animas*; *testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis; justitiæ Domini rectæ.*

[1] *Tuæ civitatis antiquissimam legem.*] Philosophia duplici significatione hujus vocis *civitas* utens, id notat quod et Romæ et cœlo, unde oriundus Boetius, possit convenire. Scilicet antiquissimæ Romæ leges neminem exsilii damnabant : unde Tullius pro Cæcinna : *Exsilium*, inquit, *non supplicium est sed, perfugium, portusque supplicii : nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, eo solum vertunt*; *hoc est sedem et locum mutant : itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud exteras civitates maleficium ullum exsilio esse multatum.* At cœlestis patriæ leges multo minus quemque exsilii damnant : quicunque enim intra regni cœlestis limites voluerit permanere, summo illius Regi obsecuturus, hic nunquam exsulabit : siquidem nemo ab illo regno nisi voluntaria rerum caducarum contrariarumque affectione arceatur. Porro de civitate cœlesti passim loquitur S. Augustinus in libro quem inscripsit *de Civitate Dei.*

[2] *Qui vallo ejus ac munimine continetur.*] Vallum est murus e terra, ad fossæ oram aggestus, crebris sudibus sive palis munitus. Munimen vero generatim illud omne castrorum præsidium quo hosti aditus præcludatur : hæc autem nunc accipiuntur non solum proprie, quatenus intelliguntur de patria corporis; sed etiam quadam loquendi translatione, quatenus de cœlesti mentis patria intelligi possunt. Cum autem Boetius Christianissimus fuerit, is nominato civitatis cœlestis vallo Christum cruci affixum, munimine vero gratiam quam Christus sua morte nobis promeruit, potuit intelligere : quicunque enim hoc præsidio munitur, huic *non est metuendum ne patriæ cœlestis exsul esse mereatur.* Hac fere ratione locutus S. Paulus ad Ephes. VI : *Confortamini,* inquit, *in Domino et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.*

[3] *Quisquis inhabitare eam velle desierit, desinit etiam mereri.*] Non enim patriam cœlestem *inhabitamus meremurque* nisi bona voluntate : *totum habet,* inquit S. Aug. l. L Homil., homil. 8, *qui bonam voluntatem habet. Ipsa est quæ potest sufficere, si cætera non sunt. Si autem sola desit, nihil prodest quidquid habitum fuerit. Sola sufficit, si adsit*: *cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit.*

[4] *Itaque.*] Facta mentione duplicis patriæ, duplicisque propterea exsilii, positoque horum omnium discrimine, Philosophia iis omnibus, de quibus Boetius prosa 4 hujus lib conquestus fuerat, responsura, optimas quasdam infert conclusiones.

[5] *Non tam me loci hujus quam tua facies movet.*] I. Boetius quæsierat : *Nihilne te ipsa loci facies movet?* respondet Philosophia : *Non tam,* inquit, *quam tua facies*, in qua, velut in speculo, mentis tuæ dejectio videtur : quod tanta Philosophiæ non sit cura terrenæ, quanta cœlestis patriæ; nec tanta corporis, quanta mentis a natali solo exsulantis.

[6] *Nec bibliotheca potius.*] II. Boetius quæsierat : *Hæccine est bibliotheca quam certissimam tibi sedem nostris in Laribus ipsa delegeras?* Reponit Philosophia: *Non tam*, ait, *bibliothecæ, quam mentis tuæ ornamenta, sententias scilicet philosophicas requiro.* Consueverant autem olim potentes ornare suas domos auro, ebore, aut saltem vitro, eo scilicet fine quo nunc plures magnificas habere ædes, sumptuosa parare convivia, numerosa satellitum turba comitari student, ut in cæteris hominibus admirationem, honorem, timorem et cæteras ejusmodi cogitationes excitent. Sic Virg. I Æn., v. 729 :

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria : dependent lychni laquearibus aureis
Incensi : et noctem flammis funalia vincunt.

Sic Horatius, Carm. l. II, od. 18, seipsum a Potentibus secernit,

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

[7] *De tuis in commune bonum meritis.*] III. Boetius dixerat nullum se ad magistratum nisi commune bonorum omnium studium impulisse. *Tu mihi,* inquit, *et qui te sapientium mentibus inseruit Deus, conscii, nullum me ad magistratum, nisi commune bonorum omnium studium detulisse*: respondens Philosophia id non fatetur modo, sed etiam exaggerat : *De tuis,* ait, *in commune bonum meritis vera quidem, sed pro multitudine gestorum tibi pauca dixisti.*

[8] *De objectorum tibi vel honestate, vel falsitate.*] IV. Boetius addiderat sibi objecta fuisse cum honesta, tum falsa : honesta quidem, ut quod innocentem senatum majestatis crimine postulatum defenderit ac liberaverit : *Senatum,* inquit, *dicimur salvum esse voluisse* : falsa vero, ut quod magicis artibus studeret: *Ob ambitum,* ait, *dignitatis sacrilegio me conscientiam polluisse mentiti sunt* : quibus respondens Philosophia asserit neminem latere illa et honesta et falsa : *Cunctis*, inquit, *nota memorasti.*

[9] *De sceleribus fraudibusque delatorum.*] V. Boetius dixerat se injuste delatum a Basilio, Opilione et Gaudentio, quorum primus *in delationem alieni æris necessitate compulsus est* : duo alii *ob innumeras fraudes ad exsilium damnati sacrarum sese ædium defensione tuebantur :* respondet Philosophia *recte hæc strictim attingi, quod ea melius uberiusque recognoscentis omnia vulgi ore celebrantur.* Scilicet cum loquamur non solum verbis, sed et nutu et gestu, et cetæris ejusmodi vocis humanæ adjunctis, ipsum etiam vulgi silentium aliquando eloquens plura significat, quam

celebrentur. [a] Increpuisti etiam vehementer [1] injusti factum senatus. [2] De nostra etiam [b] criminatione doluisti. **76** [3] Læsæ quoque [c] opinionis damna flevisti. [4] Postremus adversus fortunam dolor [d] incanduit, conquestusque ea non æqua meritis præmia pensari. [e] In extremo Musæ sævientis, uti quæ cœlum, terras quoque pax regeret, vota posuisti. Sed quoniam plurimus tibi affectuum tumultus (5) incubuit, diversumque te dolor, ira, mœror distrahunt, uti nunc mentis es, nondum te validiora remedia [f] contingunt. Itaque [5] lenioribus paulisper utemur, ut quæ in tumorem perturbationibus influentibus indu- A ruerunt, ad acrioris vim medicaminis recipiendam, tactu blandiore mollescant.

77 METRUM * VI.

ARGUMENTUM. — *Philosophia inceptum sermonem continuans, ex eo probat mentem Boetii nondum posse validioribus remediis curari, quod sua sint singulis rebus, ut messi, floribus et vindemiæ divinitus præscripta tempora.*

Cum Phœbi radiis grave
Cancri sidus inæstuat,
78 Tum qui larga negantibus
Sulcis semina credidit,

INTERPRETATIO.

[a] *Redarguisti.*
[b] *Accusatione nostri.*
[c] *Existimationis.*
[d] *Efferbuit.*
[e] *Denique.*
[f] *Commovent.*
B *Quando signum cæleste Cancri inardescit perniciosum lumine solari, tunc qui mandavit terris sterilibus se-*

NOTÆ.

multa loquacitas, quæ tamen his de rebus vulgo non defuit.

[1] *Injusti factum senatus.*] VI. Boetius meminerat senatum usque adeo ingrati animi fuisse, ut sua in ipsum Boetium decreta emiserit. *Suis,* inquit, *de me decretis, uti hoc nefas esset, effecerat;* respondet Philosophia probatque Boetium *increpuisse etiam vehementer injusti factum senatus.*

[2] *De nostra etiam criminatione.*] VII. Boetius conquestus fuerat quod cujus maleficii ipse accusaretur, idem in ipsam Philosophiam refunderetur : *De te,* inquit, *tanti criminis fidem capiunt, atque hoc ipso videbimur affines fuisse maleficio, quod tuis imbuti disciplinis, tuis instituti moribus sumus;* Philosophia autem, veluti memor hujus Boetii in seipsam affectus, questum probat : *De nostra,* ait, *etiam criminatione doluisti.*

[3] *Læsæ quoque opinionis damna flevisti.*] VIII. Boetius subjunxerat se immerito bonam apud multos C existimationem amisisse : *Quod,* inquit, *existimatio plurimorum non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum.* Et hoc immerito fieri annuit Philosophia.

[4] *Postremus adversus fortunam dolor.*] IX. Boetius præsertim conquestus fuerat de injustitia fortunæ, *non æqua meritis præmia* rependentis : *Videre,* inquit, *videor nefarias sceleratorum officinas gaudio lætitiaque fluitantes; insontes autem non modo securitate, verum ipsa etiam defensione privatos.* Hinc idem Boetius Deum compositis versibus rogavit, ut qua pace cœlum regit, eadem terras regere dignaretur : *Musa* autem hæc nunc dicitur *sæviens,* quod ne ipsi quidem Deo videatur parcere, dicens metro 5 hujus libri,

Omnia certo fine gubernans
Hominum solos respuis actus
Merito, rector, cohibere modo.

Quibus querelis deinceps respondebit Philosophia; sed antea ipsius Boetii mens quibusdam præjudiciis D exuatur necesse est. Præjudicia autem illa nascuntur ex affectibus, v. g., dolore, ira, mœrore et cæteris, quibus idcirco remedium aliquod adhibendum est: *Quoniam,* inquit Philosophia, *plurimus tibi affectuum tumultus incubuit, diversumque te dolor, ira, mœror distrahunt, uti nunc mentis es, nondum te validiora remedia contingunt.*

[5] *Lenioribus utemur.*] Egregia comparatio ex corporibus desumpta : quemadmodum enim corporis tumor ex eo accidit, quod humoribus alicubi quiescentibus corpus illic durescendo infletur, eoque magis quo major humorum copia illuc affluens motum quiete permutaverit : sic tumor mentis ex eo contingit, quod perturbationibus illic insitis mens veluti durescendo infletur, eoque magis, quo major perturbationum copia eodem affluxerit ibidem permansura. Quare sicut tumor corporis non prius aufertur quam, hoc in mollitiem quamdam blandioribus remediis redacto, prædicti humores majori corporum subeuntium motu abripiantur : ita mens tanto perturbationum agmine non prius liberatur, quam, ipsa crescentibus paulatim argumentis veluti mollita, prædictæ affectiones majori cogitationum sanctarum virtute procul pellantur : hoc et illud prudentis est medici.

* Quod ab inventore dici solet *Glyconicum.* Est autem carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet trimeter unum spondeum et duos dactylos pedes habet.

2. *Cancri sidus.*] I. Exemplo messis probatur suum cuilibet rei tempus convenire : ut negatis segetibus ad glandes confugias. Cancer igitur hic est unum e duodecim signis zodiaci, quæ exprimi solent his versibus

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo;
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, [Pisces.

Quæque sol, annuum cursum conficiens, unum quolibet mense percurrere dicitur. Cancer autem in ea est cœli parte quam ubi sol versus septentrionem profectus attigit exeunte Junio, tum nobis diem æstatis longissimum ita efficit, ut non ulterius versus septentrionem progrediens, ad meridiem deflectere incipiat : hinc circulus, quem astronomi ponunt per primum hujus signi gradum transire, vocatur *tropicus Cancri,* ubi solstitium æstivum : unde Manil. l. II :

Cancri cum sidere Phœbus
Solstitium fuit, et summo versatur Olympo.

Atqui hoc *Cancri sidus* nunc dicitur *inæstuare,* quod terræ tunc maximo ignis cœlestis motu sive æstu commoveantur : Sic Horat. Epod. od. 11 :

Quod si meis inæstuat præcordiis
Libera bilis.

Dicitur etiam *grave radiis Phœbi,* quod sole illud ingresso vix ferri possit cum corpore propter nimium æstum; tum etiam mente propter eam quam urendo segetes statim perhibebitur afferre sterilitatem. Silius l. I. :

Æstifero Libye torquetur subdita Cancro.

Grave enim generatim illud habetur quod geri vix potest, sive corpore, sive etiam mente : exempla sunt cuique obvia.

4. *Sulcis semina credidit.*] Sulcus, *un sillon,* judicio Varronis, dicitur a *sustollo,* quod aratri vomer terram sustollat : sicut arvum et arationes ab *arando;* et porca, *le rayon sur lequel on sème,* quod terra por-

Elusus Cereris fide,
Quernas pergat ad arbores.
Nunquam purpureum nemus
79 Lecturus violas petas,
Cum sævis aquilonibus
Stridens campus inhorruit.
Nec quæras avida manu
Vernos stringere palmites,
Uvis si libeat frui;
Autumno potius sua

INTERPRETATIO.

mentem copiosam, deceptus promisso Cereris numinis frugum, is *tendat ad quercus* glandiferas. *Nunquam adeas silvam pulchram ad colligendas violas, ubi ager turbatus fuerit crepitans aquilonibus crudelibus. Neque tentes verno tempore vincire aut putare vites manu* veluti *cupida, si possis potiri racemis* : nam *Bacchus dedit*

NOTÆ.

recta sive jacta utrinque. Quidquid autem sit de interpretationibus nominum istorum, poetis agricola qui serit dicitur semina sive anni spem sulcis vel terræ credere : adeo ut, si semina, injuria temporum, ante messem evanuerint, dici possit *elusus Cereris fide* sive promisso. Sic Virg. II Georg., v. 221 :

> Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur
> Gnosiaque ardentis decedat stella coronæ,
> Debita quam sulcis committas semina, quamque
> Invitæ properes anni spem credere terræ.
> Multi ante occasum Maiæ cœpere : sed illos
> Exspectata seges vanis elusit avenis.

Sic Tibullus l. II, eleg. ult.

> Spes sulcis credit aratis
> Semina quæ magno fœnore reddat ager.

Sic ergo propter nimium *Cancri inæstuantis* ardorem *qui larga negantibus sulcis semina credidit*, hic.

5. *Elusus Cereris fide.*] Ceres poetis est Saturni et Opis filia, ex qua Jupiter Proserpinam suscepisse fertur : sed hanc Cereris filiam Pluto postea rapuit : unde Ceres accensis in Ætna monte tædis totum orbem peragravit filiam quæsitura : in laborioso autem illo itinere Triptolemum Eleusii regis filium serendorum seminum rationem docuit : hic vero orbem pariter peragrans, eamdem artem cæteris hominibus communicavit. Philosophis autem, si Tullio II de Nat. deor. Credamus, Ceres nihil est aliud quam ipsa terra, sic dicta vel a *gerendo* quasi *Geres* immutata littera, a gerendis frugibus; vel a *creando*, quasi frugum creatrix. Qui porro id voluerit attentius considerare, is causam inveniet cur terra dicatur Saturni et Opis filia, et cur Jove fecundata genuerit Proserpinam, a Plutone postea raptam. Sed hæc nostri non sunt instituti.

6. *Quernas pergat ad arbores.*] Hoc est *ad quercus glandiferas*, tanquam ad primas hominum altrices confugiat. Quercus arbos cuique nota. Hæc ante inventas fruges populis quibusdam dicitur victum suppeditasse : unde Virgil. I Georg., v. 159 :

> Concussaque famem in silvis solabere quercu.

Quare cum glans, hujus arboris fructus, non nisi post segetum messem adolescat, hæc diversis temporibus ita astricta sunt, ut si te seges exspectata fefellit, a quernis arboribus olim glandiferis fruges sperare possis. Sic ergo exemplo messis probatur, sua esse singulis rebus tempora, divinitus præscripta.

7. *Nunquam purpureum nemus.*] II. Exemplo florum probatur etiam, suum cuique rei convenire tempus : significatur enim, flores, qui sponte nasci consueverunt, quique nunc nominatis *violis* intelliguntur, non esse quærendos tempore hiemali, quo sæviunt *aquilones*, per *purpureum* nemus : quare aliquid dicendum de purpureo nemore, de violis et de aquilonibus.

Purpureum dicitur a purpura. Est vero purpura conchæ genus, cujus liquore olim vestes tingebantur. Quod autem jam a longo tempore veterum purpura desierit, propterea inducta hujus vocis ambiguitate, purpureus vocatur nunc quidem *nigror*, ut apud Ciceronem mare nigricans purpureum; apud Ovidium uvæ nigræ, purpureæ; et apud Homerum mors atra dicitur purpurea : nunc *candor*, sicut Horatio olores purpurei, et Ovidio nix vocatur purpurea : nunc *rubor*, ut omnibus poetis genæ purpureæ, et sanguis purpureus : nunc *color cæruleus*, ut apud Virgilium *violæ sublucet purpura nigræ* : nunc *color quilibet*, quique ex illo nasci solet *decor* : *pulchritudo* enim, judice Tullio IV Tusc., *est quædam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate.* Sic Virgil. ecl. 9, v. 40.

> Hic ver purpureum, varios hic flumina circum
> Fundit humus flores : hic candida populus antro
> Imminet, et lentæ texunt umbracula vites.

Atque hoc ultimo modo credimus, *nemus* nunc vocari *purpureum.*

Violarum duo sunt genera, ut colligitur ex Plinio, l. XXI, cap. 6. Aliæ natura, aliæ arte nascuntur : posteriores in hortis; priores etiam in silvis : de iis autem agitur quæ, ut ait idem Plinius, *sponte apricis et macris locis proveniunt purpureæ latiore folio.*

Aquilo denique est ventus qui, teste Plinio, l. II, c. 47, inter septentrionem et ortum solstitialem e regione Cauri flat. Ventus autem ille frequens est hieme : quare hiems Plinio dicitur *aquilonia*, et poetis, *rigidis aquilonibus horrens* : unde *sævis aquilonibus* nunc significatur, violas in silvis non esse quærendas hieme : usque adeo exemplo florum probatur, suum cuique rei convenire tempus.

11. *Nec quæras avida manu.*] III. Exemplo vindemiæ probatur, sua singulis rebus tempora convenire : cum enim vindemia autumno fiat, frustra hoc tempore *quæras vernos stringere palmites* : quibus verbis distincta veris et autumni officia proponuntur. Primum quidem verno tempore alii palmites amputantur, alii vinciuntur tantum : quod utrumque dum præstat agricola, *stringere* dicitur : *stringit* enim et frondes quas colligit, ut I Georg., v. 305 :

> Sed tamen et quernas glandes tunc stringere tempus
> Et lauri baccas, oleamque cruentaque myrta.

Et ramos quos ligat, ut ibid., v. 317 :

> Agricola et fragili jam stringeret hordea culmo.

Atque idipsum dicitur fieri *avida manu* : cum enim homo aliquid valde appetit quadam sui corporis parte exsequi, tum translata quadam significatione pars illa dici solet *avida.* Sic aures Ciceroni dicuntur avidæ : *Demosthenes*, inquit de Orat., *non semper implet aures meas : ita sunt avidæ et capaces, et semper aliquid immensum infinitumque desiderant.* Sic manus ipsæ Horatio dicuntur avidæ, Carm, l. IV, od. 7 :

> Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico
> Quæ dederis animo.

Quicunque autem vernos palmites stringit, hic ita appetit stringere, ut videatur timere ne desinat stringere. Deinde autumnus sic uvis colligendis accommodatur, his ut ille a poetis soleat describi, quod vulgatissimum est, Lucret. l. I :

> Præterea cur vere rosam, frumenta calore,
> Viteis autumno fundi sudante videmus,
> Si non certa suo quia tempore semina rerum,
> Cum confluxerunt, patefit quodcunque creatur.

Hinc *autumno sua Bacchus munera contulisse* dici-

Bacchus munera contulit.
Signat tempora propriis
Aptans officiis Deus,
Nec quas ipse coercuit,
Misceri patitur vices.
Sic quod præcipiti via
Certum deserit ordinem,
Lætos non habet exitus.

PROSA VI.

ARGUMENTUM. — *Philosophia Boetium interrogans, eumdem cogit fateri se Deum, et semetipsum partim cognoscere partimque ignorare : unde illo lumine ad pellendas has animi tenebras se deinceps usuram monet, ut scilicet a notis ad ignota; a persuasissimis ad non persuasa fiat progressus.*

Primum igitur paterisne me [a] pauculis [1] regationibus statum tuæ mentis attingere, atque tentare, ut, qui modus sit tuæ curatonis, intelligam? [b] Tu vero arbitratu, inquam, tuo [c] quæ voles, ut responsurum rogato. [d] Tum illa, [2] Hunccine, inquit, mundum temerariis agi fortuitisque casibus putas, an ullum

INTERPRETATIO.

sua hæc *dona autumno potius* quam verno tempore. *Deus notat momenta* omnia, sua *singulis muneribus accommodans, neque sinit ordinem, quem ipse instituit, turbari. Propterea quidquid inconsiderata ratione linquit ordinem præscriptum,* id *non obtinet jucundos eventus.*

[a] *Quibusdam quæstiunculis.*
[b] Inquit Philosophia.
[c] *Quære quod placuerit,* inquit Boetius, *tibi respondebo.*
[d] *Tunc Philosophia ait.*

NOTÆ.

tur, potius quam verno tempore : quod enim Bacchus inventor vini habeatur, munus Bacchi est vinum, vinum autem non vere, sed autumno compressis uvis effluere consuevit : usque adeo messe, floribus, et vindemia constat, sua singulis rebus præscripta esse divinitus tempora.

16. *Signat tempora propriis aptans officiis Deus.*] Deus enim est prima causa non solum rerum cæterarum sed modorum etiam omnium quibus res illæ recte se habent, adeo ut nihil eorum contingat, nisi secundum leges divina voluntate statutas : propterea Ecclesiastæ III : *Omnia tempus habent et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. Tempus nascendi et tempus moriendi. Tempus plantandi et tempus evellendi quod plantatum est,* etc. Hinc *quas vices Deus coercuit* sua nimirum constantissima voluntate, has non patitur misceri sive turbari : Sic Phædrus l. I, fab. 2, loquitur :

Athenæ cum florerent æquis legibus,
Procax libertas civitatem miscuit

Hinc philosophi eruere potuerunt quædam principia quibus innitantur demonstrationes quas de materia philosophiæ subjecta conficiant.

20. *Sic quod præcipiti via,* etc.] Præcipitatio alia est corporis, alia mentis. Præcipitatio corporis, inquit S. Thomas, 2-2, q. 53, a. 3, in hoc versatur, quod corpus *a superiori in ima pervenit secundum impetum quemdam proprii motus alicujus impellentis non ordinate descendendo per gradus.* Præcipitatio vero mentis est inconsideratum de ignoto judicium : interior quippe veri certique judicii regula, est evidentia : sine qua si sententiam ferat, aut errabit aut errandi periculum subibit philosophus adeoque *præcipiti via certum deserens ordinem lætos non habebit exitus.* Hic porro agitur non de priori sed posteriori duntaxat præcipitatione : quærit enim philosophia remedia quibus hæc mederi possit menti Boetii laboranti : laborat autem errore, qui sanari non potest, nisi veritate contraria. Cum igitur primum veritatis inveniendæ impedimentum, adeoque prima erroris causa sit præcipitatio, optime monet Philosophia non esse præcipitandum, sed a levioribus primum remediis incipiendum.

[1] *Rogationibus.*] I. Philosophia interrogat Boetium : quia homo interrogans (nisi hic fuerit præceps et amentissimus, quemadmodum loquitur Cicero) animo attendit ad eam, quam habet de materia proposita, notionem, suamque, cujus ipse conscius est, hac de re sententiam profert : unde auditor potest quædam alia conficere. Sic *Socrates, qui parens philosophiæ jure dici potest,* ut loquitur Tullius II de Fin., *percontando atque interrogando elicere solebat eorum opiniones quibuscum disserebat, ut ad ea quæ ii respondissent, si quid videretur, diceret; qui mos cum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas eum revocavit; instituitque, ut ii qui se audire vellent, non de se quærerent, sed ipsi dicerent quid sentirent, quod cum dixissent, ille contra.* Hac arte nunc Philosophia *statum mentis* Boetii *attingit et tentat,* ipsum videlicet revocando ad primas, quas in se experiri possit, notiones; quarum beneficio et ab errore veteri liberari et in novam veritatem introduci queat : *qui modus est curationis* : sed huic arti consentit ipse Boetius : *arbitratu,* inquit, *tuo quæ voles, ut responsurum rogato.*

[2] *Hunccine mundum temerariis.*] II. Philosophia cogit Boetium fateri, se Deum partim cognoscere, viso saltem ordine quo *hic mundus* regitur. Scilicet quemadmodum amici alias cogniti recordamur, audita ejus voce, vel visa ejus scriptura : non quod vox vel scriptura hujus amici notionem inferat, sed potius quod adjuncta hæc veterem amici ideam veluti sopitam excitando renovent : ita Dei naturali lumine jam cogniti reminiscimur viso *hoc mundo* spectatoque ordine quo universa etiam corpora reguntur : hinc *nullo existimaverim,* inquit Boetius, *modo ut fortuita temeritate tam certa moveantur : verum operi suo conditorem præsidere Deum scio* : hinc quod evidens ejusmodi notio optima sit veritatis sive judicii veri certique norma, propterea *nec unquam fuerit dies,* addit Boetius, *qui me ab hac sententiæ veritate depellat* : hinc paulo ante, metro scil. 5, v. 25, cecinit Boetius :

Omnia certo fine gubernans
Hominum solos respuis actus
Merito rector cohibere modo

Hinc Philosophia, prolata hominis mira subito accipientis *interjectione,* vehementer admiratur, cur positis ejusmodi principiis Boetius in erroris tenebras præcipitet, aut instar languentis in veram sententiam ire dubitet de Deo rebus, etiam humanis, providente : *Papæ,* hæc est *interjectio* hominis mira subito accipientis, *vehementer admiror, cur in tam salubri sententia locatus,* de Deo res cæteras regente, *ægrotes,* aut negando, aut saltem dubitando circa ipsum Deum res humanas summa sua providentia administrantem. Nimirum cum duæ aut plures sententiæ arcta quadam necessitudine conjunguntur cum priori quadam sententia, quæ propterea habere possit rationem principii, mirum est, hominem præstanti ingenio præditum, cujusmodi erat Boetius, concessa priori illa sententia, posteriores in dubium revocare.

Qui enim convenit, inquit Tullius II de Nat. deor., *signum aut tabulam pictam cum aspexeris, scire adhibitam esse artem, cumque procul cursum navigii videris, non dubitare quin id ratione atque arte moveatur : aut*

credis ei regimen inesse [a] rationis? Atqui, inquam [b], nullo existimaverim modo, ut fortuita temeritate tam certa moveantur. Verum operi suo conditorem præsidere Deum scio, nec unquam fuerit dies, qui me ab hac sententiæ veritate depellat. Ita est, inquit [c], nam id etiam paulo ante cecinisti [d], hominesque tantum divinæ exsortes curæ esse deplorasti. Nam de cæteris, quin ratione regerentur, nihil movebare. Papæ autem vehementer admiror, cur, in tam [e] salubri sententia locatus ægrotes. **84** Verum [f] altius perscrutemur; [1] nescio quid abesse conjecto. Sed dic mihi, quoniam a Deo mundum regi non ambigis, quibus etiam gubernaculis regatur, advertis? [g] Vix, inquam, rogationis tuæ sententiam nosco, ne dum ad A inquisita respondere queam. Num me, inquit [h], fefellit [i] abesse aliquid, per quod velut [j] hiante valli robore, in animum tuum perturbationum morbus [k] irrepserit? Sed dic mihi, meministine quis sit rerum finis? quove totius naturæ tendat intentio? Audieram, inquam [l], sed memoriam mœror hebetavit. At [m] qui scis, unde cuncta processerint [n]? Novi, inquam [o], Deumque esse respondi. Et qui fieri potest, ut principio cognito, quis sit rerum finis, ignores [p]? Verum hi perturbationum mores sunt, ea [q] valentia est, ut movere quidem loco hominem possint: convellere autem, sibique totum exstirpare non possint. **85** Sed hoc quoque respondeas velim, [2] ho-

INTERPRETATIO.

[a] *Mentis ratione præditæ.*
[b] Ipse Boetius.
[c] Philosophia.
[d] *Lib.* I, *met.* 5, *v.* 25.
[e] *Sana opinione versatus.*
[f] *Penitus inspiciamus.*
[g] *Tantum abest ut tuæ quæstioni respondere possim, ut quæstionem vix intelligam*, inquit Boetius.
[h] Philosophia.
B [i] *Nonne recte judicavi.*
[j] *Rimas agente.*
[k] *Error.*
[l] Ego Boetius.
[m] *Quomodo*
[n] Inquit Philosophia.
[o] Ego Boetius.
[p] Inquit Philosophia.
[q] *Virtus.*

NOTÆ.

cum solarium vel descriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas, arte non casu: mundum autem, qui et has ipsas artes, et earum artifices, et cuncta complectatur, consilii et rationis esse expertem putare. Quod si in Scythiam, aut in Britanniam sphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Possidonius, cujus singulæ conversiones idem efficiunt in sole et luna et in quinque stellis errantibus C *quod efficitur in cœlo singulis diebus et noctibus: quis in illa barbarie dubitet quin ea sphæra sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur, et fiunt omnia, casune ipse sit effectus an necessitate aliqua, an ratione, an mente divina: et Archimedem arbitramur plus valuisse in imitandis sphæræ conversionibus, quam naturam in efficiendis, præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam hæc simulata solertius*, etc.

Quid tam furiosum est, ait Salvianus l. IV de Gubern. Dei, *quam ut aliquis, cum Deum creatorem omnium non neget, gubernatorem neget, et cum factorem esse fateatur, dicat negligere quæ fecit?*

[1] *Nescio quid abesse conjecto.*] III. Philosophia cogit eumdem Boetium fateri se Deum partim ignorare. Nimirum mens nostra Deum inter corpus nostrum media, et a Deo et a corpore nostro quibusdam cogitationibus informatur. A Deo quidem accipit primam notionem veritatis, primumque felicitatis appetitum, ita ut Deus primus sit mentis humanæ magister et moderator. A corpore vero accipit cum sensum, tum perturbationes; quibus mens ipsa ita aliquando obcæcatur, hæc ut illis in errores et vitia, quæ voluntarii sunt mentis humanæ morbi, deducatur. Propterea *hi perturbationum*, ut nunc dicitur, *mores sunt, ea valentia est, ut movere quidem loca hominem possint*, obscurando prædictas cogitationes, *convellere autem sibique totum* hominem *exstirpare non possint*, exstinguendo omnino prædictas cogitationes: quandiu enim mens humana a Deo, a quo primum condita informataque fuit, conservabitur, tandiu naturali et lumine et appetitu afficietur. Hinc Boetius *a Deo mundum regi*, ut etiam dicitur, *non ambigit*, vigente adhuc illo lumine; non *advertit vero quibus gubernaculis* mundus *regatur*, perturbationibus tenebras inducentibus: idem *scit unde cuncta processerint, Deumque esse respondit*: affulgente prædicto naturali lumine: *non meminit quis sit rerum finis, quove totius naturæ tendat intentio*, perturbatione, præsertim vero *mœrore memoriam hebetante*. Propterea *nescio quid abest* clara scilicet et distincta cognitio Dei, quatenus Deus ultimus est ut cæterarum sic humanarum rerum finis, cujus quidem finis maximum est in moribus momentum: quod quidquid est virtutis aut vitii in nobis, illud a bono vel malo fine cujus gratia agimus oriatur: atque *per hoc quod abest, veluti hiante valli robore*, ut etiam dicitur, *in animum* Boetii, *perturbationum morbus irrepsit*. Ille enim animi morbus nihil est aliud quam error et vitium, quæ ex his tenebris sive ignoratione nascuntur. — De hoc nomine, *valentia*, dictum et prosa 1, not. 3 (*col.* 587).

[2] *Hominemne te esse meministi.*] IV. Philosophia addit Boetium semetipsum partim cognoscere, ipsumque ad hanc sui ipsius memoriam revocat, quod homo imprimis de semetipso convinci debeat: hinc præceptum Apollinis, quo monet, *ut se quisque noscat*. Verum id ultro præstat Boetius, non dubitans se *esse rationale animal atque mortale*: quæ quidem hominis definitio et veterum et recentiorum philosophorum est: nihilominus ut animadverti potest, sic a nostro auctore videtur rejici. Animadverti quidem potest illa hominis definitio non solum quod obscurissima sit, ut attendenti patet: sed etiam quia si D bestiæ cogitare dicantur, quemadmodum dicuntur ab ipsis hujus definitionis patronis, quippe qui putant bestias non *inadæquate*, solum sed *adæquate* uti loquuntur, sentire adeoque cognoscere, ejusmodi definitio etiam bestiis conveniet: canis enim, v. g., fatentibus istis philosophis est *animal mortale*: si vero, ut volunt, idem canis sentiendo cognoscat, negari non potest, quin rationis sit particeps proinde vocandus *rationalis*: siquidem ratiocinari quidam est cognoscendi modus, et quidem minus perfectus, quam clare et distincte percipere: propterea enim Deus, qui clare et distincte percipit, negatur ratiocinari: quamobrem cognitio canina, ut pote quæ divinæ similior erit, humana erit perfectior, si propugnandæ definitionis causa, dicatur canis cognoscere quidem, nec tamen ratiocinari. At vero eadem hominis definitio a nostro auctore videtur rejici; aut potius ab ipsa Philosophia, quæ Boetium nunc alloquitur: postquam enim Philosophia

minemne te esse meministi? Quidni, inquam [a], meminerim? Quid igitur homo sit, poterisne proferre [b]? Hoccine interrogas [c], an esse me sciam rationale animal atque mortale? Scio, et id me esse confiteor. Et illa [d] : Nihilne te aliud esse novisti? Nihil [e]. Jam scio, inquit [f], morbi tui, aliam vel maximam causam, [1] quid ipse sis nosse desisti. **86** Quare [2] plenissime vel ægritudinis tuæ rationem, vel aditum reconciliandæ [g] sospitatis inveni. Nam [3] quoniam tui oblivione confunderis, et exsulem te, et exspoliatum propriis bonis esse doluisti. [4] Quoniam vero, quis sit rerum finis, ignoras, nequam homines atque nefarios, potentes felicesque arbitraris.

A Quoniam vero quibus gubernaculis mundus regatur, oblitus es, has [h] fortunarum vices existimas sine rectore fluitare. Magnæ non ad morbum modo, verum ad interitum quoque causæ. Sed [i] sospitatis auctori grates [j], quod te nondum totum [k] natura destituit. [5] Habemus maximum tuæ [l] fomitem salutis, veram de mundi gubernatione sententiam, quod eam non casuum temeritati, sed divinæ rationi subditam credis. **87** Nihil igitur pertimescas. Jam tibi [6] ex hac minima scintillula vitalis calor [m] illuxerit. Sed quoniam firmioribus remediis nondum tempus est, et [7] eam mentium constat esse naturam, ut quoties abjecerint veras, falsis opinionibus [n] induan-

INTERPRETATIO.

[a] Ego Boetius.
[b] Inquit Philosophia.
[c] Inquam ego Boetius.
[d] Ait.
[e] Inquam ego Boetius.
[f] Philosophia.
[g] *Salutis.*

B [h] *Fortunæ prosperæ et adversæ.*
[i] *Salutis.*
[j] Habendæ sunt.
[k] *Auctor naturæ Deus.*
[l] *Rudimentum.*
[m] *Exorietur.*
[n] *Imbuantur.*

NOTÆ.

a Boetio quæsivisset : *Nihilne te aliud esse novisti?* et Boetius respondisset : *Nihil : jam scio,* inquit, *morbi tui aliam vel maximam causam, quid ipse sis, nosse desisti.* Igitur

[1] *Quia ipse sis, nosse desisti.*] V. Philosophia cogit Boetium fateri se semetipsum partim ignorare : nam, ut eleganter ait Tullius I Tusc., *Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre : et nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat : non enim credo id præcipit, ut membra nostra aut staturam figuramve noscamus : neque nos corpora sumus : neque ego tibi dicens hoc, corpori tuo dico. Cum igitur, Nosce te, dicit; hoc dicit, Nosce animum tuum : nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum ; ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te : hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi præceptum, sic, ut tributum Deo sit, hoc est, seipsum posse cognoscere.* Atqui Boetius, quod quibusdam præjudiciis occupatus sese a bestiarum conditione non satis secernebat, animum sive mentem suam non satis videbatur cognoscere : hinc in varios lapsus est errores, quos Philosophia hic suscipit enumerandos.

[2] *Plenissime vel ægritudinis tuæ rationem, vel aditum reconciliandæ sospitatis inveni.*] VI. Philosophia ex eo, quod Boetius Deum et semetipsum partim cognoverit partimque ignoraverit colligit, primum quidem causas ægritudinis Boetii, deinde modum recuperandæ sanitatis ejusdem : causæ morbi sunt ignoratio; modus vero recuperandæ salutis, notio cum Dei tum sui ipsius : sicut jam dicendum.

[3] *Quoniam tui oblivione confunderis.*] Primum enim quod Boetius suam mentem partim ignorans, hujus suæ mentis veluti oblitus fuerit, propterea se *et exsulem et exspoliatum propriis bonis esse doluit,* prosa 4, qui enim mentem suam optime novit, hic et mentis patriam cœlum, a quo nemo exsulat nisi volens, et ejusdem mentis bona, scientiam et virtutem, hostibus inaccessa esse cognoscit.

[4] *Quoniam quis sit rerum finis, ignoras.*] Deinde quod idem Boetius Deum partim ignorans, Deum non cogitet ultimum rerum omnium fidem; idcirco *nequam homines atque nefarios, potentes felicesque arbitratur* : qui enim sui finis memor, Deum justum cogitat, hic prosperam impiorum fortunam miseriæ æternæ potius, quam ullius felicitatis argumentum esse non dubitet. Ignorato autem ultimo rerum omnium fine, ignorentur necesse est modi, quibus Deus res omnes ad suos fines destinat : qui vero modos illos ignorat, hic perspicua negans quod obscura animo non comprehendat, ipsum mundi rectorem negat : propterea nunc additur : *Quoniam vero, quibus gubernaculis mundus regatur, oblitus es, has fortunarum vices existimas sine rectore fluitare.*

Verum illa cum mentis humanæ, tum etiam Dei ignoratio principium est erroris et vitii : non secus ac clara distinctaque mentis humanæ et Dei cognitio principium veritatis et virtutis : unde tenebræ illæ C nunc dicuntur *magnæ non ad morbum modo,* videlicet errorem, *verum ad interitum,* nimirum vitium, *quoque causæ.*

[5] *Habemus maximum tuæ fomitem salutis.*] Postremo quod Boetius mentem suam præsertimque Deum supremum mundi moderatorem agnoscat, ideo modum recuperandæ salutis, sive ut minus Latine dicitur, *sospitatis* obtinet : quod optime explicatur exemplo fomitis : nam fomes est materiæ ignescere sic apta, et una ejus parte ignita cæteræ facillime ignescant : sicut expressit Virgil. I Æn., v. 178 :

> Ac primum silicis scintillam excudit Achates,
> Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
> Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.

Cum igitur mens humana aliqua notione sive lumine affecta, facillime possit pervenire non solum ad perfectiorem scientiam, quæ nihil est aliud quam lumen naturale paulo longius diffusum, verum etiam ad veD ritatem, virtutemque excolendam, in quo tota ejusdem mentis humanæ salus versatur idcirco *vera de mundi gubernatione sententia* naturali lumine fundata *maximus est salutis humanæ fomes.*

[6] *Ex hac minima scintillula vitalis calor.*] *Ex hoc minimo* mentis tuæ *lumine* veritas virtusque, quæ prima sunt æternæ vitæ semina.

[7] *Eam mentium constat esse naturam,* etc.] Modus enim sive corporis sive etiam mentis non nisi contrario modo fugatus oblitteratur : quamobrem ut vera opinio a mente nostra non recedit, nisi falsa accedente, sic falsa opinione recedente, vera mentem subit. Ea autem est inter perturbationes et falsas opiniones necessitudo, ut sicut falsæ opiniones ex perturbationibus, ita perturbationes ex falsis opinionibus oriantur : propterea nunc dicitur *ea mentium natura, ut quoties abjecerint veras, falsis opinionibus induantur,* aut, ut alii legunt, *imbuantur* : *ex quibus orta perturbationum caligo.* Quocunque autem modo oriantur perturbationes, his mens humana offunditur : ita ut recte nunc

tur, ex quibus orta perturbationum caligo (5) verum A illum confundit intuitum [a], [1] hanc paulisper lenibus, mediocribusque [b] fomentis attenuare tentabo, ut dimotis fallacium affectionum tenebris, splendorem veræ lucis possis agnoscere.

88 METRUM * VII.

ARGUMENTUM. — *Ut lumen siderum, nubibus; perspicuitas aquæ, cœno; et cursus fluminis, rupe opposita: sic cognitio veritatis impeditur perturbationibus, quæ idcirco pellendæ.*

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sidera lumen.
89 Si mare volvens
Turbidus auster
Misceat æstum,
Vitrea dudum,
Parque serenis
Una diebus,
Mox resoluto
Sordida cœno
Visibus obstat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluus amnis,
Sæpe resistit
Rupe soluti
Objice saxi.
90 Tu quoque si vis
Lumine claro

INTERPRETATIO.

[a] Mentis.
[b] Remediis.

Astra involuta caligine nigra nequeunt mittere ullam lucem. Si auster turbulentus, versans æquora, turbet B *fluctum, aqua prius perspicua, et similis luci claræ, statim disperso luto impura, impedit aspectum. Et qui fluvius discurrit* e *locis sublimibus fluens;* hic *non raro sistitur scopulo opposito montis fracti. Similiter si tu*

NOTÆ.

dicatur *perturbationum caligo verum mentis intuitum confundere.*

[1] *Hanc paulisper lenibus.*] Evanescente quidem perturbationum caligine, vera lux menti affulgebit: sed ut in corporibus, sic in mentibus mediocria primum, deinde firmiora remedia adhibenda sunt: sicut jam dictum est.

* Quod ab Adone filio regis Cypriorum vocatur *Adonium.* Est autem carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet dimeter componitur ex dactylo et spondeo.

Mens nostra veritatem assecutura, primum ab aliquo veluti sole informetur, necesse est, quod ipsa sui luminis origo esse nequeat: deinde hujus informationis eadem sit proxime conscia; quod auctor hujus informationis non informet nisi monendo; postremo ipsa informationis evidentia convicta, quo auctor hujus luminis ducit, eo proprio nutu feratur consentiens: quod in hoc consensu versetur ipsius veritatis forma. Atqui perturbationes hæc omnia impediunt; sicut triplici exemplo deinceps demonstrabitur: quamobrem recte concludit Philosophia, veritatis assequendæ causa, mentem exuendam esse ejusmodi perturbationibus.

1. *Nubibus atris.*] I. Igitur sicut *nubes atræ* cœlum inter et terras interjectæ impediunt, quominus sidera suos radios ad terras usque emittant: quod nimirum nubes illæ corpora sint opaca, quorum est lumen remittere: ita perturbationes Deum inter et mentem humanam veluti interjectæ impediunt, quominus Pater ille luminum Deus suos radios ad mentem usque humanam emittat: quod prædictæ perturbationes, ceu opaca quædam corpora, lucem cœlestem remittant. Huc referri potest quod dicitur Sap. IX: *Etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur... Mitte illam de cœlis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te... Quis enim hominum poterit scire consilium Dei; aut quis poterit cogitare quid velit Deus? cogitationes enim mortalium timidæ et incertæ providentiæ nostræ: corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

5. *Si mare volvens.*] II. Sicut aqua marina, prius instar vitri pellucida, cœno postea ventis resoluto ita sordescit, ut lumini sit impervia, proindeque immista corpora occultet: non aliter mens humana cœlesti prius lumini penetrabilis, commotis postmodum perturbationibus ita obscuratur, ut nullo se lumine videat perfundi, et familiaria proinde ignoret.

Neque vero absre et aqua *marina* cæteris aquis, et *auster* reliquis ventis hic præfertur; nam aqua *marina* ut pote quæ salsa, rectam luminis trajectionem magis quam dulcis aqua juvat, cæteris paribus, est quacunque alia aqua pellucidior. *Auster* vero ventus a meridie flans, quod calidior sit, aquam marinam, commoto cœno, magis videtur perturbare.

14. *Quique vagatur.*] III. Quemadmodum flumen e montibus altis præcipitans, opposita montis soluti C rupe sistitur: ita mens humana magno quodam naturæ impetu ad assensionem veritatis propensa, opposita perturbatione retardatur.

Hic autem grammaticis observari possunt hæ voces, *amnis defluus, obex, et saxum.* 1° Enim *amnis*, teste Varrone IV de l. l., est flumen, quod circuit aliquid; quasi dicatur ex ἀμφὶ et νέω, vel potius ex *am*, circum, et *no*, hoc est *nato*: quam forte ob causam Oceanus, quod orbem ambiat universum, poetis vocatur *amnis.* Sic Tibull. l. III, el. 4:

> Jam nox æthereum nigis emensa quadrigis
> Mundum cæruleo laverat amne rotas.

2° *Defluus* idem quod *labens*: antiquiorem tamen auctorem, qui hac voce, *defluus*, usus fuerit, invenire non potui: hanc excitare potuit Virgil. III Georg., v. 446:

> Udisque aries gurgite villis
> Mersatur, missusque secundo defluit amni.

D 3° *Obex* dicitur ab *objiciendo* quia foribus objiciatur: hinc apud poetas sæpius scribitur *objice*, et, mutata etiam hac scriptura, prima syllaba producitur, ut apud Virgil. IV Georg., v. 422:

> Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.

Et Claudian. l. I de Raptu Proserpinæ:

> Sive quod obicibus discurrens ventus opertis.

4° *Saxum* hic montem significat: ut II Æneid., v. 307:

> Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

20. *Tu quoque si vis.*] Cum ergo prædictæ perturbationes tantum sint impedimentum ut claræ distinctæque cognitionis, sic etiam veræ sententiæ habendæ, si cupias et evidenti cognitionis veritatem percipere, et quo evidentia illa recta ducere potest, judicando sequi, tu mentem præjudiciis sic exue, ut neque gaudio, neque timore, neque spe, neque dolore,

Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem :
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit,
Nubila mens est,
Vinctaque frenis,
Hæc ubi regnant.

INTERPRETATIO.

cupis intueri veritatem notione evidenti, et tenere judicando *iter* tritum *semita recta, remove lætitiam, remove metum, expelle spem, neque ægritudo pertineat* ad tuam mentem : *cum enim hæ* perturbationes *dominantur* menti, tum eadem *mens obscuratur, et detinetur,* veluti totidem *vinculis.*

NOTÆ.

neque qualibet alia perturbatione ductus sententiam ferus : ut enim his affectionibus, veluti quisbusdam nebulis, mens perceptura obscuratur, sic iisdem tanquam frenis recte judicatura cohibetur. Propterea Virgilius significaturus animum his affectibus obscuratum suæ etiam originis oblivisci, canit VI Æn., v. 833 :

> Hinc metuunt, cupiuntque dolent, gaudentque : nec [auras
> Respiciunt clausæ tenebris et carcere cæco.

25. *Gaudia pelle.*] Perturbatio versatur in quadam commotione mentis a corpore orta : quamobrem cum commotio illa infinitis prope modis fieri possit, definitus esse non potest perturbationum numerus. Hic tamen numerantur quatuor perturbationum genera, quod novum non est : nam Cicero passim docet perturbationes esse quatuor, nempe *lætitiam, libidinem, metum et ægritudinem* : ex quibus duas priores ait nasci ex duobus opinatis bonis, lætitiam quidem ex præsentibus, libidinem ex futuris; duas vero posteriores ex duobus malis opinatis, metum quidem futuris, ægritudinem præsentibus. Sic Horatius Epist. l. I, epist. 6 :

> Gaudeat, an doleat, cupiat, metuatve : quid ad rem?

Ejusdem numeri meminit S. Augustinus, S. Hieronymus, pluresque alii post Virgilium loco mox citato. Et certe quemadmodum quatuor principalibus ventis, reliqui venti; sic quatuor principalibus perturbationibus reliquæ perturbationes possunt significari; quod non nemo, testimonio Conimbricensium, sic expressit :

> Spes levat arrectos metus alto a vertice fluctus
> Dejicit i hinc animum pulsat furibunda voluptas :
> Inde dolor : fluctus ceu fracti fluctibus altum
> Clamorem ingeminant : piceis abscondita nimbis
> Nec radios fundit ratio nec vela gubernat.

29. *Nubila mens est.*] Mens enim humana prædictis perturbationibus commota aut veritatem non percipit; aut si illam percipiat, ab assensione veritati perceptæ danda prohibetur : quamobrem, veritatis ejusdem gratia, mens humana ejusmodi pertubationibus, ut reliquis præjudiciis liberetur necesse est.

LIBER SECUNDUS.

91 PROSA PRIMA.

ARGUMENTUM. — *Philosophia, præfata causam ægritudinis Boetianæ esse fortunæ prioris affectum, rhetorico more Boetium persuadere conatur, ipsum non debere affligi de inconstantia fortunæ quam noverat naturaliter inconstantem quamque ut dominam sibi proposuerat, quo ipsa ducere vellet sequendam.*

Posthæc paulisper obticuit[a], atque ubi[1] attentionem meam modesta taciturnitate collegit, sic exorsa est: 92 Si penitus [2] ægritudinis tuæ causas habitumque cognovi, [3] fortunæ prioris affectu, desiderioque tabescis ; ea tantum [b] animi tui statum, sicuti tu tibi fingis, mutata pervertit. Intelligo [c] multiformes illius [4] prodigii fucos, [5] [d] et eo usque cum iis, quos eludere nititur, (5) blandissimam familiaritatem, dum

INTERPRETATIO.

a *Philosophia.*
b Fortuna.
c *Varias hujus monstri præstigias.*
d *Novi fortunam eo usque blandiri familiariter.*

NOTÆ.

[1] *Attentionem meam collegit.*] Quicunque enim voluerit mentem non solum præjudiciis exuere, sed etiam veris informare disciplinis, is animo attendat necesse est : primum quidem ad causas præjudiciorum : deinde ad viam veritatis inveniendæ : hac enim attentione, veluti prece quadam, Auctorem luminis veritatisque Deum rogamus, ut mentem nostram, qua in nos propendet, benevolentia instruat. Hæc autem mentis attentio non auditoris solum, sed ipsius etiam loquentis silentio excitari solet : *modesta,* ut nunc dicitur, *taciturnitate.*

[2] *Ægritudinis causas habitumque.*] Hoc est, id a quo sit, idque in quo versetur illa ægritudo, qua mens Boetii afflicta jacet.

[3] *Fortunæ prioris affectu desiderioque tabescis.*] Cum jam constet ex prædictis causam hujus ægritudinis esse perturbationem, superest duntaxat dicendum quænam sit illa perturbatio. Optime autem profertur fortunæ prioris affectus et desiderium. Boetius enim videtur, hactenus fortunam prosperam expertus, hanc temere credidisse immutabilem : unde tanto nunc illius desiderio tenetur, ut dissipatis solidioris ejus corporis partibus, ut metallum igne solet, liquefieri et solvi videatur, quod *tabescere est.*

[4] *Prodigii fucos.*] Prodigium si credamus Ciceroni id vocatur quod prædicit futurum : *prædictiones* enim inquit II de Nat. deor., *et præsensiones rerum futurarum quid aliud declarant nisi hominibus ea quæ sint ostendi, monstrari, portendi, prædici* : ex *quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur.* Cum igitur fortuna ita sit inconstans ut prospera adversam, adversa prosperam veluti prædicere videatur, idcirco fortuna potuit hic vocari *prodigium.* Fucus vero herbæ marinæ genus, quo vestes tinguntur : unde Horatius Carm. l. III, od. 5 :

> Neque amissos colores
> Lana refert me dicata fuco.

Quod autem mulieres præsertim illius herbæ colore uti soleant ad mentiendum oris colorem, inde fieri potuit, ut quodcunque mendacium vocaretur *fucus* : sicut simulata apis *fucus* appellatur. Varia autem sunt mendacia fortunæ, quippe quæ, hominis fallendi causa instar Protei, formas se vertit in omnes : quocirca Philosophia dicere merito potest hic *multiformes fortunæ fucos.*

[5] *Et eo usque,* etc.] Locus hic nonnullis ita videtur obscurus, ut gratia hujus intelligendi, putaverint addendum esse, *exercet,* aut saltem *exercere.* Sed nihil

intolerabili dolore confundat, quos [a] insperata reliquerit. Cujus si[1] naturam, mores, ac meritum reminiscare, nec habuisse te in ea [b] pulchrum aliquid, nec amisisse cognosces. Sed, ut arbitror, haud multum tibi hæc in memoriam revocare laboraverim. **93** Solebas enim præsentem quoque, blandientemque [c] virilibus [d] incessere verbis, eamque [2] [e] de nostro adyto prolatis insectabare sententiis. Verum [3] omnis subita mutatio rerum, non sine quodam quasi fluctu contingit animorum. Sic factum est, ut A tu quoque paulisper a tua tranquillitate discesseris. Sed [4] tempus est, haurire [f] te aliquid ac degustare molle, atque jucundum, quod ad interiora [g] transmissum, validioribus haustibus [h] viam fecerit. Adsit igitur rhetoricæ suadela dulcedinis, quæ tum tantum [i] recto calle procedit, cum nostra instituta [j] non deserit; cumque hac [k] musica [l], [m] Laris nostri vernula, nunc leviores, nunc graviores [n] modos succinat. **74** Quid est igitur [5] O homo, quod te in mœstitiam luctumque dejecit? [6] novum [o] credo ali-

INTERPRETATIO.

a *Ex inopinato.*
b *Grande.*
c *Generosis.*
d *Reprehendere.*
e *Philosophicis.*
f Animo.
g Mentis.
h *Remediis.*
i *Recte disserit.*
j *Philosophica.*
k *Rhetorica.*
l *Ars componendi canendique carminis.*
m *Mancipium philosophiæ.*
n *Carmina cantet.*
o *Forte.*

NOTÆ.

addendum putamus : sic enim reddi potest : *Intelligo* B *fortunæ fucos, et familiaritatem cum iis quos eludere nititur eo usque blandissimum, dum*, etc. Blandus autem ille dicitur qui suavibus, sed fallacibus, utitur verbis : quo nomine nullum aptius imponi potuit fortunæ, quippe quæ si non verbis, saltem factis non minus fallacibus quam suavibus uti consuevit : ut *intolerabili dolore confundat, quos insperata reliquerit.*

[1] *Naturam, mores ac meritum.*] Philosophia adhuc loquitur de fortuna, ethnicorum more, veluti de quodam numine : unde quemadmodum de quadam mente diceret, sic de fortuna nunc dicit *naturam, mores et meritum. Natura* hujus falsi numinis esset res cogitationis particeps: *mores* ejusdem, modus cogitandi ; *meritum* denique, bonum vel malum quod ab hoc numine sit : quem enim fortuna erigit prospera. eumdem adversa deprimit.

[2] *De nostro adyto prolatis.*] Id est *philosophicis*. C Adytum enim est sacer locus quo nulli, præterquam sacerdoti, adire fas est : *adytum* quippe nomen Græcum ab *a* quod vocant *privaticum* et δύω, quod est *ingredior*, ortum : quamobrem ethnici locum ex quo oracula reddebantur, vocabant ἄδυτον : Æn. II, v. 114 :

Suspensi Eurypilum scitatum oracula Phœbi.
Mittimus : isque adytis hæc tristia dicta reportat

Cum igitur suum dicatur esse Philosophiæ templum, sua oracula : suum etiam erit Philosophiæ *adytum*, ex quo suas sententias proferat : quibus sententiis Boetius, dum prosperitatem haberet, cæterorum oratorum more, uti *solebat ad incessendam præsentem blandientemque fortunam.*

[3] *Omnis subita mutatio*, etc.] Mens humana tanta necessitudine conjuncta est, primum quidem cum humano corpore, deinde cum rebus externis, his ut mutatis illa mutetur cogitando : sic corpore male D affecto mens dolet; sic non sine quadam animi ægritudine avellimur a patria, ab amicis, ab opibus ; atque hæc mutatio tanto magis sentitur, quanto magis subita : nam, ut ait S. Gregor. homil. 35, *minus jacula feriunt quæ prævidentur* : gravius nocet quodcunque inexpertum accidit.

[4] *Tempus est.*] Continuata ea, quam Philosophia supra adhibuit, comparatione, a corporibus notis ad mentes cognoscendas eadem Philosophia nunc progreditur. Scilicet quemadmodum gustus organa, haustis primum tenuioribus mollioribusque cibis, ipso usu ita disponuntur, ut gravioribus postea sustinendis fiant apta, juxta illud Martialis, Epigram. I. v, epigr. 77 :

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.
Tu quoque cavisti cœnando tam male semper,
Ne posses unquam, Cinna, perire fame.

Sic mens humana auditis primum levioribus argumentis, aptior redditur ad percipienda graviora argumenta, quibus ab erroribus suis possit liberari. Propterea Philosophia firmiora deinceps argumenta propositura nunc incipit a levioribus, quæ soluta partim, partimque stricta oratione exponit. Leviora autem hæc argumenta dicit esse et *suadelæ* ei *rhetoricæ dulcedinis* : *suadelæ* quidem : *suadela* enim sive *suada* est virtus persuasionis, quæ antiquis dicebatur Dea : hinc Græcis vocatur πειθώ, id est persuasio; *rhetoricæ* vero *dulcedinis* : quia rhetores, ut pote qui latius loquuntur ad discrimen dialecticorum, qui compressius, præsertim placere student : nec persuadent, nisi clara distinctaque notione, quam philosophicis præceptis acceptam referimus, utantur : hinc Tullius ait *sine philosophia non posse fieri eum, quem quærimus, eloquentem* : hinc ipsa Philosophia nunc asserit, suadelam *tum tantum recto calle procedere cum* philosophica *instituta non deserit.* Denique quod Philosophia rhetorica hæc argumenta propositura sit stricta oratione, idcirco *musica Laris* philosophici *vernula modos succinat*, necesse est. Musica enim est ars non solum canendi, sed etiam componendi carminis : *musica* quippe non secus ac *museum* dicitur a musis; at musica est Laris philosophici *vernula* : quoniam *vernula* sive *verna* est mancipium ex mancipio natum : in quo differt a servo, qui non nascitur, sed fit alterius juris : musica autem dici potest mancipium ex mancipio philosophiæ natum : si quidem musica orta est a Musis, quæ philosophiæ, veluti ancillæ quædam famulantur. De Laribus vide l. I, prof. 3, not. 4.

[5] *O homo.*] Modus iste loquendi est superioris, aut ejus saltem qui significat, se nullam cum eo, quem alloquitur, familiaritatem habere. Sic Terentius : *Proh juppiter*, inquit, *tu homo adigis me ad insaniam.* Sic Petrus Lucæ XXII : *O homo non sum, Mon ami, je n'en suis point.* Hinc autem Philosophia incipit suas ratiunculas rhetorice proponere, quas si ad dialecticam formam revocare conatus fueris, nonnullas animadvertere poteris repetitiones ; nec mirum : notum quippe, quod Zeno dixit, rhetoricam palmæ, dialecticam pugno similem esse, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius : sic loquitur Seneca. Quidquid sit, duas præsertim hic advertimus ejusmodi ratiunculas.

[6] *Novum credo.*] Prima rhetoricæ ratiuncula, quæ sic videtur posse contrahi. Cum mens humana, quemadmodum et corpus veteribus usitatisque non commoveatur, tua mens, o Boeti, non debuit fortunæ

quid, inusitatumque vidisti. Tu, fortunam putas erga te esse mutatam? erras. Hi semper ejus mores sunt, ista natura. Servavit circa te propriam potius in ipsa sui mutabilitate constantiam. Talis erat cum blandiebatur, cum tibi falsæ illecebris felicitatis alluderet. Deprehendisti [a] cæci numinis ambiguos vultus. Quæ sese adhuc aliis velat, tota tibi prorsus innotuit. Si probas [b], utere moribus [c], ne queraris. Si perfidam perhorrescis, sperne atque abjice perniciosa ludentem. Nam quæ nunc tibi est tanti causa mœroris, hæc eadem tranquillitatis esse debuisset. Reliquit enim te, quam non relicturam nemo unquam poterit esse securus. An vero tu pretiosam æstimas abituram felicitatem? et cara tibi est fortuna præsens nec manendi fida, et cum discesserit, allatura mœrorem? Quod si nec ex arbitrio retineri potest, et calamitosos fugiens facit, quid est aliud fugax, quam futuræ quoddam calamitatis indicium? Neque enim quod ante oculos situm est, suffecerit intueri. Rerum exitus prudentia metitur : eademque in alter-

A utro mutabilitas, nec formidandas fortunæ minas, nec exoptandas facit esse blanditias. **95** [1] Postremo æquo animo toleres oportet, quidquid intra fortunæ [d] aream geritur, cum semel jugo ejus colla submiseris. Quod si manendi abeundique scribere legem velis ei, quam tu dominam sponte elegisti, nonne [e] injurius fueris, et impatientia sortem exacerbes, quam permutare non possis? Si [f] ventis vela committeres, non quo voluntas peteret, sed quo flatus impellerent, promovereris. Si arvis semina crederes, feraces inter se annos, sterilesque pensares. Fortunæ te regendum dedisti, dominæ moribus oportet obtemperes. **96** Tu vero [2] volventis rotæ impetum retinere conaris? At omnium mortalium stolidissime : si manere incipit, [g] fors esse desistit.

B

97 METRUM * PRIMUM.

ARGUMENTUM. — *Fortuna instar Euripi instabilis, non solum plures, sed eumdem hominem unius horæ spatio erigit deprimitque.*

Hæc cum superba verterit vices dextra,
Exæstuantis more fertur Euripi;

INTERPRETATIO.

[a] *Fortunæ varias formas.*
[b] Fortunam.
[c] Ejusdem fortunæ.
[d] *Regnum.*
[e] *Injuriosus.*
[f] *Navigares.*
[g] *Fortuna.*

Ubi hæc fortuna *alternaverit vices manu imperiosa* eadem *rapitur instar Euripi exundantis;* fortuna *crudelis conculcat subito principes metuendos, et* statim

NOTÆ.

eventu commoverit, nisi hic novus fuerit et inusitatus. Atqui nihil hic novi, nihil inusitati : cum semper et ubique fortuna fuerit in sua mutabilitate constans, ut nunc experiris. Quare tantum abest, ut fortuna hæc debuerit tibi esse tanti causa mœroris, ut potius eadem tranquillitatis causa esse debuisset : *reliquit enim te, quam non relicturam nemo unquam poterit esse securus* : imo quam esse abituram certus esse debet prudens, quippe qui etiam futura prospicit. Hic porro addendum duntaxat, cur Philosophia nunc dicat *cæci numinis ambiguos vultus*?

Fortuna nimirum antiquis erat. 1° quidem numen, quod ignoratis plurium effectorum causis, hæc non nisi a fortuna, quam propterea numen vocabant, oriri posse arbitrabantur. 2° Numen cæcum, sive quod temere nunc probos malis, nunc improbos bonis afficeret; sive etiam quod eos plerumque efficeret cæcos quos complecteretur. 3° Numen gerens ambiguos vultus, quod saxi instar globosi, cui idcirco insistere fingebatur, volubilis quos paulo ante benigno vultu erexerat ad gloriam, eosdem severo ad infamiam traduceret. Sic Horat. de Gyge cecinit Carm. l. II, od. 5 :

Quem si puellarum insereres choro
Mire sagaces falleret hospites,
Discrimen obscurum solutis
Crinibus ambiguoque vultu.

[1] *Postremo æquo animo*, etc.] Altera rhetoricæ ratiuncula, quæ sic videtur posse exprimi. Quicunque sese alterius *jugo sponte submisit*, is mores ejus patienter ferat, necesse est : *injurius* alioqui *fuerit* cum sibi, tum suo principi : principi quidem, si *eidem manendi abeundique legem velit scribere* : sibi vero, si *impatientia sortem exacerbat, quam permutare non possit.* Sic navigantes et seminatores, quod se suaque elementis commiserint, ad nutum non appellunt, metuntque. Cum igitur, o Boeti, *te fortunæ jugo sponte submiseris; cum tu fortunam dominam sponte elegeris*; *cum fortunæ te regendum dederis, æquo animo toleres oportet, quidquid intra fortunæ aream geritur*; *dominæ moribus oportet obtemperes.*

Area autem dicitur locsu vacuus : quasi exaruerit nec possit quidquam generare. Sic vicinitas ædium ædibus vacans dicitur *area.* Sic etiam locus frumentis terendis destinatus vocatur *area.* Potuit autem Philo- C sophia propter hujus ultimi loci similitudinem, mundum hunc appellare fortunæ *aream* quod sicut in *area* frumentum a tritore, sic in mundo homines a fortuna nunc huc nunc illuc prosperitate vel adversitate versentur.

[2] *Volventis rotæ.*] *Fortunæ :* Veteres quippe fortunam, non modo cæcam et furenti similem, verum etiam volubili saxo pendentem effinxere, quod fortuna iisdem videretur omnia non solum temere et cæco impetu administrare bonis adversa, malis hominibus prospera, sed instar globi vaga, necessitate quadam naturæ volvi ; adeo ut non minoris esset stultitiæ, fortunæ, quam siderum reluctari conversionibus. Propterea Baptista Mantuan. :

Fidite virtuti, fortuna fugacior undis
Non manet.

* Quod vocant iambicum *Hypponactium.* Est autem D carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet sex pedibus constans, paribus quidem iambum, imparibus vero spondeum sæpius habet.

1. *Verterit vices.*] Quæ alternis fieri solent, hæc appellamus *vices* : hinc *vicissim* idem quod *alternis.* Fortuna autem propter nativam suam inconstantiam omnia alternis mutat, modo pluribus, modo uni prospera et adversa : quod ita frequens et notum, ut Latini *fortunam* appellent *vicem* : ita Cicero passim, *mihi*, inquit, *necesse est et meam et aliorum vicem pertimescere* : *valde et me m et vestram vicem doleo.*

1. *Dextra superba.*] Pars pro toto : fortuna autem Horatio et aliis dicitur superba; quod hominibus altior, hos ad nutum videatur regere. Sic Seneca in Med., v. 205 :

Sceptris superbas quisquis admovit manus.

2. *Exæstuantis Euripi.*] Euripus vox Græca significans fretum. Duplicis est generis : alius arte, alius natura factus. 1° Euripus artificiosus, alveus est ma-

98 Dudum tremendos sæva proterit reges,
Humilemque victi sublevat fallax vultum;
Non illa miseros audit; haud curat fletus,
Ultroque gemitus, dura quos fecit, ridet.
Sic illa ludit, sic suas probat vires,
99 Suique magnum monstrat ostentum, si quis
Visatur una stratus ac felix hora.

A

100 PROSA II.

Argumentum. — *Philosophia introducit fortunam, quæ opes dignitatesque sui juris esse causata, exemplo cœli, terræ et maris probat, se potuisse hæc, absque ullius injuria, ad arbitrium ut Crœso, cæterisque, sic Boetio et dare et auferre.*

Vellem autem pauca tecum [1] fortunæ ipsius verbis

INTERPRETATIO.

mendax erigit caput abjectum hominis *subacti. Hæc non audit afflictos : non flectitur lacrymis, et ridet sponte questus, quorum* ipsa *crudelis est causa. Sic fortuna ludit, sic probat vires suas, et ostentat ingens miraculum suæ* virtutis *quando* hac *agente, idem homo videtur* simul *miser et beatus eadem hora.*

NOTÆ.

gnifico opere aquas in morem fluvii deducens, qui in hoc differt a Nilo pariter artificioso, quod Nilus hic sit major, Euripus vero minor : de utroque loquitur Tullius II de Leg. *Ductus*, inquit *aquarum*, *quos isti* B *Nilos et Euripos vocant, quis non, cum hæc videat, irriserit?* 2° Euripus naturalis est pars maris inter Aulidem Bœotiæ portum, et Eubœam insulam, cujus meminit Strabo l. IX, et Plin. l, II. Hoc mare non instar Oceani æstuat, sed septies sæpiusque, unius diei et noctis spatio, tanto impetu recurrit, vut entos etiam ac plenis velis navigia frustretur : quod nimirum aquæ huc præcipites objicibus insulis undique remittantur : propterea nunc dicitur *exæstuans*. Atque inde factum est ut fortuna, cogitatio humana, aut quælibet alia res mutationi valde obnoxia, diceretur instar Euripi inconstans.

Philosophia demum eam, quam soluta oratione incœperat, fortunæ inconstantis probationem versibus continuans, ejusdem inconstantiam ostendit etiam in regibus.

3. *Proterit reges.*] Fortuna aliquando ipsos etiam reges et imperatores imperio et potestate exuit. Sic C *Lacedæmonii*, ut ait Ælianus, *cum Thebanorum domini essent, adeo rursus ab illis fuerunt subacti, ut Thebani non solum Peloponnesum pervenirent, verum etiam Eurotam transirent, et Lacedæmoniorum terram devastarent.* Sic, referente Ammiano Marcellino, Dionysius gentium quondam terror, Corinthi litterario ludo præfectus fuit.

4. *Victi sublevat vultum.*] Eadem fortuna victos nonnunquam erigit. Sic *Amyntas Macedo*, ex prædicto Æliano, *cum ab accolis finitimisque barbaris victus regnum perdidisset, statuebat apud animum suum regionem etiam in universum relinquere, tantum ut vitam salvam et incolumem servare posset. Dum in his anxius ageret, quidam ad eum dictum Hellopidæ protulit. Itaque occupato illo loco collectisque militibus, recuperavit imperium.* Sic ex eodem auctore, *Dion Hipparini filius in exsilium missus a Dionysio cum bis mille militibus eum rursus expugnavit. Ita effecit, ut in quo statu ipse fuisset antea, in eum jam suæ calamitatis* D *auctorem detruderet.* Atque hæc fortunæ vicissitudo tantum malum videtur, hanc ut inter cæteras calamitates imprecetur Megæra apud Senecam in Thyeste, v. 33 :

Dubia violenta domus
Fortuna reges incertos labet.
Miser ex potente fiat, ex misero potens,
Fluctuque regnum casus assiduo ferat.

5. *Non illa miseros audit.*] Fortunam quippe insanam esse et cæcam et brutam perhibent philosophi, ex Cicerone.

6. *Ultro gemitus, dura quos fecit, ridet.*] Dudum est te ridere eum præsertim qui ex beato factus est miser : tuam enim misericordiam potius quam risum ille deberet provocare : durius eum, cujus miseriæ injustus auctor fueris : tanti enim criminis te potius oporteret pœnitere : sed durissimum id sponte exsequi : necessitas enim qua aliquando etiam inviti ridemus, posset ejusmodi risus atrocitatem minuere : cum igitur fortuna ultro rideat miseros, quos ipsa fecit inique, merito nunc vocatur *dura.*

7. *Sic illa ludit.*] Ludere ille dicitur, qui temere huc illucque discurrit : verbum enim a *Lydis*, qui ex Asia, Tyrrheno duce, in Hetruriam concessere, ibique extraordinarios illos motus, quos postea ludos sive circenses, ejus theatrales vocaverunt, invexere. Hinc *ludiones* sive *ludii*, nimirum pueri puberes, elegantibus tunicis induti, galea insuper, ense, et parma armati, qui circensibus et theatralibus pompis incedere solebant, veluti pompæ duces, Saliis similes : quorum meminit Ovid. I de Art :

Dumque rudem præbente modum tibicine Thusco
Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Propterea Horatius bellum vocat ludum Martis l. Carm., od. 2 :

Heu nimis longo satiate ludo,
Quem juvat clamor, galeæque læves,
Acer et Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.

Quamobrem cum fortuna non solum rideat, ut jam dictum est, sed etiam temere nunc huc, nunc illuc discurrat, instar Martis, prospera modo, modo adversa optime perhibetur ludere. Sic fortunæ accessum recessumque idem Horatius vocavit ludum Carm. l. II, od. 1 :

Motum ex Metello consule civicum
Bellique causas, et vitia, et modos
Ludumque fortunæ gravesque
Principium amicitias et alma.

Sicut Virgil. Æn. XI, v. 426, cecinit :

Multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus fortuna locavit.

Sic suas probat vires.] Continuatur prædicta similitudo : qui enim ludunt, hi suas certando experiuntur vires.

8. *Ostentum.*] Opus tantum ut dignum videatur, quod veluti ad mirabile digito ostendatur.

9. *Una stratus ac felix hora.*] Maximum sane levis inconstantisque fortunæ argumentum. Putant nonnulli *horam* hic significare *diem* ; sed quo brevius temporis spatium *hora* notabit, eo magis mentem loquentis Philosophiæ manifestabit.

[1] *Fortunæ verbis.*] I. Philosophia loquentem fortunam introducit : nam *in omnibus rebus*, inquit Cicero I de Inv., *similitudo est satietatis mater* : quam Philosophia varietate occurrens satietati, deinceps utitur illo loquendi modo quem rhetores vocant *conformationem*, quæ tunc est, cum aliqua, quæ non adest persona, confingitur quasi adsit. Et certe cum injustum videatur, quempiam damnari inauditum, non immerito fortuna nunc introducitur, suam in Boetium de ipsa fortuna graviter conquestum causam defensura : at Philosophia vult, se præside, verba fortunæ a Boetio attentius considerari, ne hic aut præcipitatione aut præjudicio actus sententiam iniquam de ipsa fortuna ferat. Potest autem hic fortunæ sermo sic contrahi. Si iniquum est, inquit, te de eo conqueri numine, a quo non modo nullam injuriam, sed

agitare. Tu igitur an [a] jus postulet, animadverte. Quid tu, [1] o homo [b], ream me [2] cotidianis agis querelis? Quam tibi fecimus injuriam? Quæ tua tibi detraximus bona? **101** [3] Quovis judice de opum, dignitatumque mecum [4] possessione contende. Et, [5] si cujusquam mortalium proprium quid horum esse monstraveris, ego jam tua fuisse, quæ repetis, sponte concedam. Cum te matris ex utero natura produxit, [6] nudum rebus omnibus, inopemque suscepi, meis opibus fovi, et, quod te nunc impatientem nostri facit, [c] favore prona indulgentius educavi, et omnium, quæ mei sunt juris, [d] affluentia et splendore circumdedi. Nunc mihi retrahere manum [e] libet, [7] habe gratiam, [8] velut usus alienis : non habes jus querelæ, tanquam prorsus tua perdideris. Quid igitur ingemiscis? nulla tibi a nobis est allata violentia. [9] Opes, honores, B

A cæteraque talia mei sunt juris. Dominam famulæ cognoscunt; mecum veniunt, me abeunte discedunt. Audacter affirmem, si tua forent, quæ amissa conquereris, nullo modo perdidisses. **102** [10] An ego sola meum jus exercere prohibebor? [11] Licet cœlo, proferre lucidos dies, eosdemque tenebrosis noctibus condere. [12] Licet anno, terræ vultum nunc floribus frugibusque redimire, nunc nimbis frigoribusque confundere. [13] Jus est mari, nunc [f] strato æquore blandiri, nunc procellis ac fluctibus inhorrescere. Nos ad constantiam nostris moribus alienam, [g] inexpleta hominum cupiditas alligabit? Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende si placet, sed ea lege, uti ne, cum [h] ludicri mei ratio poscet, descendere inju-

INTERPRETATIO.

[a] *Æquum sit.*
[b] Dicet fortuna.
[c] *Officiosissima.*
[d] *Abundantia.*
[e] *Placet.*
[f] *Placido.*
[g] *Insatiabilis.*
[h] *Ludi.*

NOTÆ.

quodcunque habueris bonum, accepisti, injustæ sunt prorsus et iniquæ illæ, quibus me quotidie afficis, querelæ : si quidem non modo nullam tibi intuli injuriam; opes et dignitates, ut pote meas, auferendo : verum etiam quidquid habueris boni, opum videlicet et dignitatum, illud totum mihi, tanquam illarum dominæ debes : quemadmodum cœlo, unde nox, debetur dies; terræ, unde sterilitas, debetur fertilitas; mari, unde tempestates, tranquillitas; Jovi ipsi, unde mala, bona debentur. Sic Crœsum, sic regem Persarum, absque ulla eorum injuria, excepi. *Tu igitur an jus postulet, animadverte.*

[1] *O homo.*] Jam monuimus, nos sic compellare eos cum quibus volumus videri nullam nos habere familiaritatem. Pros. 1 hujus libri.

[2] *Cotidianis.*] Alii scribunt *quotidianis*: pro diversa scilicet hujus vocis interpretatione : si enim *quotidianum* dicatur a *quot* sive singulis *diebus*, ut placet Cornuto apud Cassiodorum; quemadmodum dicitur *quot calendis*, *quot mensibus*, *quot annis*, optime scribitur *quotidianum* : si vero dicatur a *continenti die*, sicut dici putat Marius Victorinus l. I, scribendum erit *cotidianum*.

[3] *Quovis judice.*] Cum nemo judex fuerit in sua causa, bene fortuna ad judicem provocat : sed ad quemlibet melius, ne ulla sit anteoccupationis suspicio.

[4] *Possessione.*] Possessio hic jus est possidendi. Sicut Tull. pro Quin. *bonorum possessio spectatur*, inquit, *non in aliqua parte, sed universis quæ teneri et possideri possunt.*

[5] *Si cujusquam mortalium.*] Fieri posset ut quæ Boetii non sunt bona, hæc quorumdam aliorum hominum essent; tamen ne ullus supersit conquerendi locus, fortuna ponit nullius hominis propria esse, quæ deinceps enumerabit bona.

[6] *Nudum rebus omnibus.*] II. Fortuna causatur, sua esse bona, quæ Boetius conqueritur se amisisse. Cum homo ex duplici parte constet, mente nimirum et corpore, propterea bonum hominis, quod vulgo definitur id *quod homini est conveniens*, duplicis est generis : alterum mentis, alterum corporis. Bonum mentis versatur in cogitatione, ea præsertim cujus homo dominus est : atque in ejusmodi bonum fortuna nihil potest. Bonum vero corporis in hoc præsertim consistit, quod homo ex utero suscipiatur : susceptus foveatur; fotus educetur; educatus opibus et dignitatibus cumuletur; quæ omnia fortunæ esse dicuntur : unde fortuna hic. *Cum te*, inquit, *matris ex utero natura produxit, nudum rebus omnibus inopemque suscepi, meis opibus fovi, indulgentius educavi, et omnium quæ mei juris sunt, affluentia et splendore circumdedi.*

[7] *Habe gratiam.*] Habere, agere, et referre gratiam sæpius sic differunt, ut habere sit cogitationis, agere sit verbi, et referre sit operis boni in eum a quo beneficium accepimus. Propterea Tullius, pro Corn., *Omnibus*, inquit, *amicis saluti meæ, si minus ad referendam gratiam satisfacere potui, ad prædicandam* C *certe et habendam satis sum facturus*, et alibi passim.

[8] *Velut usus alienis.*] Bona enim animi, ut jam diximus, nostra sunt; cætera aliena, et ipsis, si placet, fortunæ nutibus subjecta.

[9] *Opes, honores, cæteraque talia mei sunt juris.*] Jam fortuna probat, prædicta corporis bona sua esse : id autem probat argumento vulgari : effectum censetur illius causæ, qua accedente aut recedente, effectum illud adest aut abest : propterea dies censetur effectus solis, quod præsente aut absente sole, dies est aut non est : sed illa est, inquit fortuna, inter me et prædicta bona necessitudo : si quidem *mecum veniunt, me abeunte discedunt.* Adde quod hæc bona aut tua sunt, inquit, aut mea : sed tua non esse ex hoc est evidens, quod *si tua forent*, eadem *nullo modo perdidisses* : quandoquidem bonorum, quæ tua sunt, ita dominus es, hæc ut, nisi prius volueris perdere, non perdas : hæc autem bona, quæ amissa conquereris, D nunquam voluisti amittere.

[10] *An ego sola.*] III. Fortuna probat exemplis, se prædicta corporis bona jure posse dare et auferre : quod deterior esse non debeat fortunæ, quam cæterarum causarum conditio. Exempla autem ista sunt quatuor.

[11] *Licet cœlo.*] Primum fortunæ exemplum. Cœlum sole, quem continet, præsente *diem lucidum* facit; sed idem cœlum, sole absente, *noctem* facit *tenebrosam* : de die gratulantur, de nocte non queruntur homines.

[12] *Licet anno terræ vultum.*] Secundum fortunæ exemplum. *Terræ vultus*, juvantibus astris, *nunc floribus frugibusque redimitur; nunc nimbis frigoribusque confunditur* : de floribus frugibusque gratias homines habent : de nimbis et frigoribus querelas non proferunt.

[13] *Jus est mari.*] Tertium fortunæ exemplum. *Mare nunc strato æquore blanditur* : *nunc procellis ac fluctibus inhorrescit*, tranquillitatem homines arbitrantur

riam putes. An tu [a] mores ignorabas meos? [1] Nesciebas Crœsum regem Lydorum Cyro paulo ante formidabilem, mox deinde miserandum rogi flammis traditum, misso cœlitus imbre defensum? **103** [2] Num te præterit Paulum Perses regis a se capti [b] calamitatibus pias impendisse lacrymas? [3] Quid tragœdiarum clamor aliud defleat, nisi indiscreto ictu fortunam felicia regna vertentem? Nonne adolescentulus [c] [4] δύο τοὺς πίθους, τὸν μὲν ἕνα κακῶν, τὸν δὲ ἕτερον καλῶν, in Jovis (5) limine jacere didicisti? Quid si uberius de bonorum parte sumpsisti? Quid si A a te non tota discessi? Quid si hæc ipsa mei mutabilitas justa tibi causa est sperandi meliora? Tamen [d] ne animo contabescas, et intra commune omnibus regnum locatus, proprio jure vivere desideres.

METRUM * II.

105 Argumentum.—*Quo major, inquit fortuna, opum honorumque accessio, eo magis, crescente eorumdem cupiditate, homo videtur egere.*

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas,

INTERPRETATIO.

[a] *Meam ludendi consuetudinem.*

[b] *Miserias flevisse non sine pietate.*

[c] *Duo dolia, unum quidem malorum, alterum autem bonorum.*

[d] *Quidquid sit.*

Quamvis maxima ubertas afferat tam multas divitias, B *manu nunquam cessante* fundere, *quam multas arenas mare commotum vehementibus ventis volvit; aut quam*

NOTÆ.

favorem : sed procellam non putant injuriam : quare ergo, inquit fortuna, *nos ad constantiam nostris moribus alienam, inexpleta hominum cupiditas alligabit?* De *ludo* et de *rota* fortunæ jam dictum est hoc libro. Hic autem fortuna dicitur *ludum ludere;* sicut Terentius dixit *gaudere gaudium*, Cicero *servire servitutem;* vulgus *vivere vitam.*

[1] *Nesciebas Crœsum.*] Crœsus ultimus rex Lydiæ, ditissimus, a Cyro rege Persarum victus fuit ; cumque iterum rebellasset, iterumque victus esset, ignibus addictus, de pyra clamavit, o Solon, Solon, Solon ; interrogante Cyro, quis ille Solon esset, ait Crœsus : Solon vir sapientissimus olim me monuit neminem esse in hac vita felicem, quod nunc experior. Tunc Cyrus varietatem fortunæ cogitans, ignem quem jusserat exstingui, vidit cœlo famulante reprimi : quod Ausonius sic expressit lib. de Ludo septem sap.

Clamore magno ter Solonem nuncupat.
Qua voce Cyrus motus exstingui jubet
Gyrum per omnem, et destrui ardentem pyram :
Et commodum profusus imber nubibus
Repressit ignem.

[2] *Num te præterit Paulum Perses regis.*] Perse Philippi filius, ultimus Macedonum rex, victus fuit apud Samothracas a Paulo Æmilio, Romano consule, et cum filiis in triumphum ductus : hunc ut captum ad se rapi vidisset Paulus, ejus fortunam miseratus flevit, et assidere sibi jussit. Plutarchus in vita Æmilii addit, victum Persen inedia se confecisse, aut certe ob ereptum somnum interiisse.

[3] *Quid tragœdiarum clamor.*] Tragœdia est carmen gravissimum, quo principum virorum calamitates luctuoso quodam exitu terminatæ depinguntur : quamobrem tragœdia differt a comœdia, quæ tranquillo lætoque exitu continetur: unde Horat. II Carm., od. 1:

Paulum severæ Musa tragœdiæ
Desit theatris.

Hinc tragœdias movere dicuntur illi qui tumultus quosdam excitant : cui favet nominis interpretatio : aiunt enim nonnulli tragœdiam dici quasi τραχῳδίαν a τραχὺς *asper*, quod agat de rebus duris atque asperis, uti de cædibus ac mortibus heroum. Propterea nunc merito dicitur *tragœdiarum clamor* nihil *aliud deflere, nisi indiscreto ictu fortunam felicia regna vertentem.*

[4] Δύο τοὺς πίθους, etc., *duo dolia, unum quidem malorum, alterum autem bonorum.* Nimirum Platonici videntes hominum mentes, quas conditas longe prius, quam corporibus conjunctas arbitrabantur, miseram unas, alias felicem vitam agere, finxerunt, duo ante fores Jovis esse vasa plena, unum quidem bonorum, alterum malorum, quorum alterutro potæ mentes in corpora infunderentur, felicem propterea aut miseram in terris sortem habituræ : quod Homerus Iliad. ω sic expressit :

Præterea posuisse Jovem duo vasa loquuntur
Ante fores primoque domus in limine cœli.
Quæ sint muneribus dandis mortalibus ægris
Plena, bonis aliud, pejoribus illud abundet
E quibus, ut voluit, Deus, omnia sortibus æquis
Distribuit generi humano, simul omnia miscens,
Nunc bona, nunc mala; nunc læva, nunc lance secunda;
Cui mala contigerint, curæ hunc exponit iniquæ.
Tristibus ærumnis, miserique laboribus ævi :
104 Vivet enim neque diis gratus, neque gentibus ullis.

Doctrinam hanc *didicerat* Boetius *adolescentulus* : sive quia Athenis, ubi ab adolescentia studuerat, vasa hæc in templo Jovis descripta proponebantur : sive quia placita Platonicorum doctus fuerat.

C Quartum porro illud est exemplum, quo fortuna utitur ad probandum se merito potuisse Boetio prospera et adversa inferre : ex quo concludit, se propter bona, gratia potius quam propter mala, injuriis debere affici. Præsertim cum nullum sit tempus, quo fortuna non videatur Boetio magis favere quam nocere : præterito enim, quo opibus et dignitatibus donatus fuit, plus boni accepit quam mali : *Uberius*, inquit fortuna, *de bonorum parte sumpsisti* : præsenti, quo constantes saltem amicos habet, etiam aliquid boni obtinet : *A te*, inquit eadem fortuna, *non tota discessi* : futuro denique, quo pristinas suas opes dignitatesque recuperare potest; felicior forte erit : *Hæc ipsa mei mutabilitas*, inquit fortuna, *justa tibi causa est sperandi meliora.* Quanquam autem nihil horum esset durandum : quælibet enim societatis alicujus pars communibus tenetur suæ societatis legibus : *ne* igitur *animo contabescas et intra commune omnibus regnum locatus, proprio jure vivere* non *desi-* D *deres.*

* Carmen constans duplici genere versuum alternorum, quorum prior *Asclepiadeus* spondeo, dactylo cum syllaba, et duobus dactylis constat, posterior *Pherecratius* spondeo, dactylo, et spondeo. Excipitur tamen versus decimus octavus, cujus primus pes est anapæstus : *sitis ardescit habendi*; nisi, ut conjicit Ascensius, legi debeat, *vis ardescit habendi.*

1. *Pontus.*] Speciatim Euxinus est, generatim mare, quod frequentissimum est apud poetas : vide metr. 2 lib. I, v. 14.

2. *Arenas.*] Quid sit arena, nemo nescit : sed alii *arenam*, alii *harenam*, pro duplici nominis hujus interpretatione, scribunt : vel enim vox ista oritur ab *arendo*, quod arida bibulaque sit : sicut Horatius *arenas* sæpius vocat *arentes;* tumque scribitur *arena;* vel oritur ab *hærendo*, quod aquas hauriens hæreat, fu-

Aut quot stelliferis edita noctibus
Cœlo sidera fulgent;
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu :
106 Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querelas.
Quamvis vota libens excipiat Deus
Multi prodigus auri,
Et claris avidos ornet honoribus,
Nil jam parta videntur :
Sed quæsita vorans sæva rapacitas
Altos pandit hiatus.
Quæ jam præcipitem frena cupidinem
Certo fine retentent,
Largis cum potius muneribus fluens.
A Sitis ardescit habendi?
107 Nunquam dives agit qui trepidus gemens
Sese credit egentem.

108 PROSA III.

ARGUMENTUM. — *Philosophia, quidquid hactenus sive soluta, sive stricta oratione dictum, illud leve quoddam esse doloris remedium confessa, bona commemorat, quæ, duce fortuna, Boetius a curatoribus, populo, uxore, et liberis, puer, adolescens, maritatus, et pater accepit, quæque propter fortunæ varietatem, quod abierint, abituræ pariter hujus miseriæ argumentum esse possunt.*

His igitur [a] si pro se tecum fortuna loqueretur, quid profecto contra [1] [b] hisceres non haberes. Aut si quid est, quo querelam tuam jure tuearis, proferas oportet; dabimus dicendi locum. Tum ego [c]; [2] Spe-

INTERPRETATIO.

multa astra, producta noctibus stellatis, in cœlo *micant* : *Homines tamen non propterea desistent queri misere. Etiamsi Deus plurimæ pecuniæ largus, annuat libenter* hominum *precibus, decoretque* homines *cupidos honoribus illustribus*; *bona nihilominus ante acquisita flocci penduntur. Quin cupiditas crudelis, absumens parta, aperit profundas voragines. Quales nunc habenæ con-* B *tineant stabili termino, avaritiam inconsideratam : quandoquidem ardor habendi amplis dônis cumulatus crescit magis ac magis. Quicunque pavidus et suspirans sese existimat pauperem hic nunquam vivit dives.*

a Verbis.
b *Reponeres.*
c Boetius.

NOTÆ.

gato nimirum liquido alio corpore, quo insito mollescebat : et tunc scribitur *harena* : quemadmodum in veteribus libris legitur.

3. *Stelliferis edita noctibus.*] Nox poetis mater siderum habetur : sicut Tibullo lib. II, el. 1 :

> Ludite : jam nox jungit equos, currumque sequuntur
> Matris lascivo sidera fulva choro,

Propterea sidera nunc dicuntur *edita* sive producta *noctibus stelliferis*, id est stellas ferentibus.

6. *Pleno copia cornu.*] Cornu copiæ κέρας ἀμαλθείας, C est summa ubertas. Nimirum Diodorus scribit, Hammonem perambulantem juxta Ceraunios montes conspectam a se virginem forma pulcherrimam, Amaltheam nomine, adamasse, filiamque ex ea genuisse, specie ac robore corporis insignem, Amaltheam vero propinquæ præfecisse oræ, quæ, quia referebat cornu bovis, occiduum cornu nominata fuit. Quoniam vero regio illa vineis cæterisque fructiferis arboribus referta erat, factum est ut ager omnis frugum abundans, mensa variis cupediis instructa, liber multo doctrinæ genere refertus, epistola plurimi commodi parens, homo ipse multiplici virtute præditus dicatur *cornu copiæ*. Horatius passim, ut Carm. l. I, od. 17 :

> Di me tuentur : dis pietas mea
> Et musa cordi est. Hinc tibi copia
> Manabit ad plenum benigno
> Ruris honorum opulenta cornu.

8. *Flere querelas.*] *Nova phrasis*, inquit Sitzmanus, *quam non facile apud alios invenias auctores. Neutrum active ponitur, addito nomine cognatæ significationis.* Sed nihil hic novi : *neutrum* enim semper regere potest *accusativum nominis cognatæ significationis* : quemadmodum dicitur, *vivere vitam, gaudere gaudium; ludere ludum*; *servire servitutem*; *peccare peccata.* Quin etiam nomina hæc quoties supprimuntur, toties debent veluti expressa intelligi.

12. *Nil jam parta videntur.*] Tantus est mentis humanæ in consors corpus amor, ut divitias et dignitates, quibus veluti totidem propugnaculis mutua corporis mentisque conjunctio videtur servari posse, mens ipsa cupiat non modo, sed verbis cogitationem referentibus Deum sæpius roget : quare virtutis fuit, et quidem Deo gratissimæ; quod Salomon, optione ejusmodi bonorum sibi delata, iisdem contemptis sapientiam a Deo petierit, III Reg. cap. III, quare etiam Christus Dominus pluribus argumentis illud desiderium reprimit Matth. VI. *In toto Evangelio*, inquiunt interpretes, *nullus animi affectus tanto studio ac tot argumentorum machinis a Christo oppugnatur et evellitur.* At amor ille, adeoque bona existimatio hominis in divitias et dignitates non versatur nisi circa ejusmodi bona, quæ nondum habentur : postquam enim homo, facto experimento, novit, hæc bona augere potius, quam minuere miserias, habita temnit, mutataque subjecta suæ existimationis suique amoris materia, nondum habita simili desiderio prosequitur : *nil jam parta videntur.* Juvenalis :

> Interea pleno dum crescit sacculus ære,
> Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Propterea avaritia, quæ nunc dicitur *sæva rapacitas*, instar cujusdam monstri insatiabilis, perhibetur *quæsita vorare* et *altos hiatus pandere.* Propterea etiam *nulla frena* possunt *præcipitem cupidinem certo fine retinere*; quod nimirum *sitis habendi, acceptis muneribus crescens ardescat.*

19. *Nunquam dives agit.*] Fortuna ex dictis infert, eos, qui haberi solent divites, revera divites non vivere (*agere* enim hic, ut apud Terentium, idem est quod *vivere*), quod, inquit, ejusmodi dives, præterquam quod *sese credit egentem*, et *gemit* amissas opes, et *timet*, ne præsentes amittat : *trepidus gemens.* Id prius exposuerat Claudianus libro I in Ruff., v. 196 :

D
> Quo vesane ruis? teneas utrumque licebit
> Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,
> Jungantur solium Crœsi Cyrique tiara;
> Nunquam dives eris, nunquam satiabere questu :
> Semper inops quicunque cupit.

Scilicet cum dives, ut ait Varro IV de l. l., a *divo* dicatur, ille tantum dives, qui, tanquam Deus, et aliis et sibi nihil indigere videtur.

[1] *Hisceres.*] *Hiscere* dicitur ab *hiare* : *hiare* autem proprie est spiritum aperto ore emittere : quare *hiscere* is proprie dicitur, qui loquendi gratia, diductis labris, os aperit. Hinc Tullius V Philip., *Responderene ad hæc aut omnino hiscere audebis*? et Virgil. III Æn., v. 313 :

> Implevit clamore locum; vix pauca furenti
> Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco.

[2] *Speciosa.*] Quæ scilicet a fortuna introducta, sive soluta sive stricta oratione dicta sunt, hæc si non vera

ciosa quidem ista sunt, inquam, [a] oblitaque rhetoricæ ac [b] musicæ melle dulcedinis; tum tantum, cum audiuntur, oblectant. Sed miseris malorum altior sensus est. Itaque cum hæc auribus insonare desierint, insitus animorum mœror prægravat. **109** Et illa [c], [1] ita est, inquit. Hæc enim nondum morbi tui remedia, sed adhuc contumacis adversus curationem doloris fomenta quædam sunt. Nam quæ in profundum sese penetrent, cum tempestivum fuerit, admovebo. Verumtamen ne te existimari miserum velis, [2] an numerum modumque tuæ felicitatis oblitus es? Taceo quod [d] [3] desolatum parente, summorum te virorum cura suscepit; [4] delectusque in A affinitatem principum civitatis, quod pretiosissimum propinquitatis genus est, prius carus, quam proximus esse cœpisti. **110** Quis non te felicissimum cum tanto splendore socerorum, [5] cum conjugis pudore tum [6] masculæ quoque prolis opportunitate prædicavit? Prætereo (libet enim præterire communia) [7] sumptas in adolescentia negatas senibus dignitates: ad singularem felicitatis tuæ cumulum venire delectat. Si quis rerum mortalium fructus ullum beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria [e] lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri? cum duos pariter consules liberos tuos domo provehi sub frequentia [f] patrum, sub plebis alacri-

INTERPRETATIO.

[a] *Et illita.*
[b] *Poeseos.*
[c] *Philosophia.*
[d] *Defuncto patre.*
B [e] *Diei.*
[f] *Senatorum.*

NOTÆ.

sunt, saltem quamdam veri speciem habent. Sic Horatius de Arte :

Interdum speciosa locis, morataque recte
Fabula.

Et Ovid. :

Speciosaque nomina culpæ
Imponis Medea tuæ, quin aspice quantum
Aggrediare nefas.

Speciosus enim est a *specie* : *species* ab antiquo verbo *specio video* : unde *aspicio*, *inspicio*, etc., quamobrem species Latinis, Græcis ἰδέα, nihil est aliud quam notio. Hinc quod obscura confusave alterius notione proponitur, id aliena specie proponi dicitur : sicut philosophi aiunt, malum specie boni amari : sicut etiam dicta fortunæ nunc dicitur *oblita rhetoricæ ac musicæ melle dulcedinis* : ita ut, ut pote voce, nutu, gestu cæterisque adjunctis grata, *tum tantum, cum audiuntur, oblectent*, statim propter graviorem mœroris sensum e memoria pellenda : nam *malorum altior sensus est* : *insitus animorum mœror prægravat.*

[1] *Ita est inquit.*] I. Philosophia fatetur, quidquid hactenus sive soluta sive stricta oratione dictum est, illud nullum, aut leve quoddam esse doloris remedium : *Nondum*, inquit, *morbi remedia, sed adhuc contumacis adversus curationem doloris fomenta.* Ubi, 1° *Remedium* est corpus, quod morbo contrarium, morbum expellit : propterea *remedium* dicitur a *re* quod est *contra* et *mederi* : propterea etiam Ciceroni *nulla remedia quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quæ sunt salutaria.* At remedium a corporibus transfertur etiam ad mentes, quæ contrariis quoque sanantur. 2° *Contumax* dicitur, quod contracto quodam sive animi sive corporis tumore, et difficilius disjicitur, et majori impetu incurrit commotum : sicut enim ab *audeo, audax;* a *teneo, tenax*; sic a *contumeo, contumax* : hinc etiam oritur *contumelia*, quod hæc sit injuria ab animo, qui fastu tumeat ac turgeat, profecta. 3° *fomentum* illud appellatur, quod doloris causam leviter movendo, tumorem videtur fovere ac mollire. Hic autem Philosophia fidem suam liberat : promiserat enim fore ut Boetio curando leviora primum, deinde graviora adhiberet. Propterea, *quæ in profundum sese penetrent*, inquit, *cum tempestivum fuerit, admovebo.*

[2] *An numerum modumque tuæ felicitatis.*] II. Philosophia enumerat bona quæ Boetius, veluti duce fortuna, videtur, accepisse, afferens eorum *numerum* et *modum* ; sive ut loquuntur, *quantitatem* et *qualitatem* : nimirum quot, et qualia fuerint.

[3] *Desolatum parente.*] Primum quidem Boetius puer perhibetur felix fuisse curatoribus. Nimirum Boetius hujus nostri Boetii alius fuit avus, pater. Avus, cum præfecturam prætorii gereret, a Valentiniano imperatore una cum Aetio patricio innocens in Palatio interfectus est anno Christi 455 : ait enim Cassiodorus in Chronico : *Aetio et Studio consulibus, Aetius patricius in Palatio manu Valentiniani imperatoris exstinctus est : Boetius vero præfectus prætorii amicis ejus circumstantibus interemptus.* Pater vero eodem Boetio puero, obiit. Hinc noster Boetius dicitur *desolatus parente* : at ejusmodi amicorum cura puer Boetius educatus, et Athenas, disciplinarum omnium notitiam adepturus, missus est.

[4] *Delectus in affinitatem principum civitatis.*] Deinde Boetius dicitur felix soceris, Festo nimirum, et Symmacho, principibus civitatis. Festus quidem, et Symmachus fuerunt principes civitatis Romanæ : nam *Patricii Festus et Symmachus*, inquit Ennodius Parænesi didascalica, *omnium disciplinarum materia et constantes forma sapientiæ, ab urbe sacratissima non recedunt. In ipsis est nobilis curiæ principatus, quos vidisse, erudiri est.* Iidem fuerunt soceri Boetii, quippe C qui duxerat Elpidem filiam Festi, et hac defuncta Rusticianam, Symmachi filiam; quarum uxorum prior dicitur non probitatis tantum, sed etiam litterarum laude celebris, imprimisque Musarum amans. Tantis demum soceris Boetius fuit felix : siquidem felicitatis est honorari ab honoratissimis viris : *maxima jucundissimaque laus est*, inquit Tullius pro Mur., *quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.* Boetius autem ex eo honoratus fuit præsertim ab his honestissimis viris, quod ab iisdem primum fuit dilectus, deinde *delectus in affinitatem : prius carus, quam proximus* : *quis* ergo Boetium non prædicet *felicissimum cum tanto splendore socerorum.*

[5] *Cum conjugis pudore.*] Præterea Boetius dicitur felix conjuge : quod utraque ejus conjux, Elpis videlicet, et Rusticiana, summa fuerit virtute prædita : quod *pudore* optime significatur : *pudor* enim, ait Tullius II de Fin., *est moderator cupiditatis.* Cum autem Philosophia, quæ numero plurali dixerat *soceros*, nunc D singulari tantum dicat *conjugem*, idcirco crediderim, non fieri hic mentionem, nisi unius ex uxoribus Boetii, nempe Rusticianæ, quæ sola tunc superstes erat, cum hæc scriberentur.

[6] *Masculæ prolis opportunitate.*] Insuper Boetius commemoratur felix liberis; *mascula* præsertim *prole.* Filii enim Boetii, si non Patritius et Hypatius, saltem Symmachus et Boetius consules facti sunt : propterea hic *consules*, et infra *consulares liberos* vocat Philosophia : propterea eadem Philosophia nunc addit, *Memoriam hujus diei, quo* nimirum Boetius *vidit duos pariter consules liberos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate, quo idem regiæ laudis orator, ingenii gloriam facundiæque meruit, quo circumfusæ multitudinis exspectationem triumphali largitione satiavit, non posse quantalibet ingruentium malorum mole deleri.*

[7] *Sumptas in adolescentia dignitates.*] Boetius, ante quam videret suos liberos consules, ipse, adhuc ado-

tate vidisti; cum eisdem in cura [1] curules [a] insidentibus tu regiæ laudis orator, ingenii gloriam, facundiæque meruisti : 111 cum [2] in circo [3] duorum medius consulum circumfusæ multitudinis exspectationem, triumphali largitione satiasti. Dedisti [b], ut opinior, verba fortunæ, dum te illa demulcet, dum te, ut delicias suas, fovet. [4] Munus, quod nulli unquam privato commodaverat, abstulisti. Visne igitur cum fortuna [5] calculum [c] ponere? [6] Nunc [d] te primum liventi oculo perstrinxit. Si numerum modumque lætorum tristiumve consideres, adhuc te felicem negare non possis. Quod si idcirco te fortunatum esse non existimas, quoniam quæ tunc læta videbantur, abierunt; non est quod te miserum putes, quoniam, quæ nunc creduntur mœsta, prætereunt. 112 An tu in hanc [7] vitæ [e] scenam nunc primum subitus, hospesque venisti? ullamne humanis rebus inesse constantiam reris, cum ipsum sæpe hominem [f] velox hora dissolvat? Nam etsi rara est fortuitis manendi fides, ultimus tamen vitæ dies mors quædam fortunæ est etiam [g] manentis. Quid igitur referre putas? Tune illam moriendo deseras, an te illa fugiendo?

113 METRUM * III.

Argumentum. — *Philosophia, alternantibus die et nocte; zephyro et austro; tranquillitate et tempestate maris, probat nihil genitum esse constans.*

Cum polo Phœbus roseis quadrigis
Lucem spargere cœperit,
Pallet albenteis hebetata vultus.

INTERPRETATIO.

[a] *Sellas, supra quas in curru insiderent.*
[b] *Fortunam tum tibi faventem laudavisti.*
[c] *Repetere rationes a fortuna*, compter avec la fortune.
[d] *Incipit te iniquo oculo intueri.*
[e] *Theatrum.*
[f] *Brevissimum tempus.*
[g] *Constantis.*
Ubi primum sol rubeo curru quadrijugo vectus incœpit diffundere diem per *cœlum*, nocturna *sidera re-*

NOTÆ.

lescens, fuit patricius, et forte etiam consul : quæ dignitas raro ante annum trigesimum conferebatur : quamobrem populi etiam suffragiis felix nunc significatur.

[1] *Curules insidentibus.*] Curules vocantur non solum homines, qui jus habebant ponendæ imaginis; sed etiam sellæ, supra quas illi in curru insiderent, quæ sellæ propterea videntur a curru dictæ *curules;* sicut ab ebore cælato vocantur aliquando *ebur* : unde Horat. l. I Epist., ep. 6 :

Cuilibet hic fasces dabit : eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur.

Et Ovid. IV de Pont., el. 9 :

Signa quoque in sella nossem formata curuli,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.

[2] *In circo.*] Circus Græce κύκλος generatim est omnis ambitus, gyrus, orbis, circulus : unde Cicero in Arat. :

Vidisti magnum candentem serpere circum
Lacteus hic nimio serpens candore notatur.

Hic autem circus est locus ovatus, in quo, auctore Tarquinio prisco, Romani ludos faciebant : quamobrem ludi illi a loco dicti sunt *circenses.* Usu vero receptum erat, ut quicumque consul creatus fuisset, hic profusis opibus ejusmodi ludos institueret : alioqui nec populo gratus nec amplissimi magistratus personam, ut par est, sustinere videbatur.

[3] *Duorum medius consulum.*] Nempe *filiorum.* Primus apud Romanos locus, inquit Lipsius, est medius; proximus, dexter. Inter consulares vero non qui sæpius, sed qui prius fuerat consul, alteri præferebatur : quare Boetius non solum ut pater, sed etiam ut consul *medius* sedere debuit.

[4] *Munus quod nulli privato.*] Nullus enim, etiam princeps, eo felicitatis pervenit, ut eodem anno duos filios, ætate solita nondum provectos, consulum dignitatibus ornatos videret : quemadmodum vidit Boetius. Vidit quidem Roma eodem anno, videlicet 395, Olybrium et Probinum, duos Probi filios, in consulatu collegas : sed hi puerum exuerant : unde possumus exclamare cum Claudiano carm. I, v. 72 :

Quis Deus ambobus tanti sit muneris auctor?

[5] *Calculum ponere.*] Calculus generatim lapillus est : speciatim vero signum notissimum, quo computantes utimur : hinc Plinius Jun. l. II Ep., epist. 14, *In conditionibus*, inquit, *diligendis ponendus est calculus :* Juvenalis sat. 9 :

Ponatur calculus, adsint
Cum tabula pueri

Cum fortuna igitur calculum dicitur ponere, qui facta bonorum malorumque a fortuna acceptorum comparatione, digitis, articulis, lapillis, aut quibuslibet aliis notis computat, utrorum major sit summa.

[6] *Nunc te primum liventi oculo perstrinxit.*] Innuit Philosophia, adversitatem præsentem Boetii longe minorem esse præterita ejusdem prosperitate : quasi dicat : fortuna a teneris annis prospera, nunc adversa esse incipit, eaque non factis, sed oculo tantum invidente, nec graviter quidem, sed perstringendo leviter; quin si quid intolerabile videatur, illud citius evanescet : quare *si numerum modumque lætorum tristiumve consideres, adhuc te felicem negare non possis.*

[7] *Vitæ scenam.*] Scena, Græcis σκηνὴ, *umbraculum*, primum fuit camera ex arborum in se cubantium ramis ac frondibus sive natura sive arte composita, in qua verno præsertim tempore a pastoribus carmina diversis sonis cantabantur : unde Virgil. I Æn., v. 166.

Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cœlum scopuli : quorum sub vertice late
Æquora tuta silent : tum silvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.

Deinde scena fuit occultus theatri locus, in quo actores sive aulæis sive aliis quibusdam velis tecti latere solebant : postremo brevis sed integra theatri actio, in qua sæpius idem homo diversas personas, tristes modo, modo lætas agit : qua ratione vita hominum dici potest *scena* : *cum ipsum sæpe hominem velox hora dissolvat*, et in vita humana lætis succedant tristia; ut in mundo, dieî nox, zephyro auster, tranquillitati tempestas succedit : qua de re sequitur carmen.

* Carmen constans duplici genere versuum alternorum, quorum prior *Sapphicus* ex coreo, spondeo, dactylo, et duobus coreis : posterior *Glyconicus* ex spondeo sæpius, et duobus dactylis componitur.

1. *Polo.*] Polus, Græce πόλος, generatim est omnis circuitus : nam dicitur ἀπὸ τοῦ πολεῖν, quod est *vertere* : speciatim vero est cœlum, quod cœlum vertatur; quare immota axis extremitas, non nisi κατ' ἀντίφρασιν ab astronomis vocari potuit *polus.*

1. *Phœbus.*] Sol : de Phæbo l. I, met. 3, v. 9. Sic Lucretius lib. V :

Dum rosea face sol inferret lumina cœlo.

1. *Roseis quadrigis.*] Sol a poetis fingitur curru

Flammis stella prementibus :
114 Cum nemus flatu zephyri tepentis
Vernis irrubuit rosis,
Spiret insanum nebulosus auster,
Jam spinis abeat decus :
Sæpe tranquillo radiat sereno
Immotis mare fluctibus;
115 Sæpe ferventeis aquilo procellas
Verso concitat æquore.
Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat, æterna positumque lege est
Ut constet genitum nihil.

INTERPRETATIO.

tusa ignibus intantibus solis, contracto *candore*, *pallent* : *Ubi silva spiritu zephyri placide calentis purpuravit rosis vernæ* tempestatis; si *auster caliginosus flet petulanter*, *statim ornamentum* a *rosariis recedat*, necesse est. *Non raro pelagus quiescentibus undis splendet serenitate tranquilla*; *nec raro aquilo excitat tempestates vehementes*, *turbato mari*. *Si* ergo *in universo terrarum orbe eadem forma est infrequens*, *si* mundus *mutat tantas vicissitudines*, ito nunc, *confide divitiis fragilibus mortalium*; *confide bonis fluxis*. *Statutum est*, *et sempiterno* Dei *decreto stabilitum, ut nihil*, quod *genitum* fuerit, constanter *perseveret*.

NOTÆ.

vehi quadrijugo, sive quem rapiant quatuor equi : nempe Pyrois, Eous, Æthon et Phlegon, quibus ignis, lux, ardor et flamma, quatuor præcipua solis effecta; nec non etiam quatuor præcipuæ diei horæ significentur. Ovidius II Metam., v. 153 :

Interea volucres Pyroeis, Eous, et Æthon
Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.

Sol autem oriens majori lumine suo dicitur hinc diem spargere, inde vero stellas minores, quæ per noctem regnabant, fugare : propterea sol nunc perhibetur *lucem spargere;* et *stella* secundum *albentes* suos *vultus hebetata prementibus* solis ipsius *flammis pallere* : quæ est vicissitudo noctis et diei; de qua hic primum agitur.

5. *Zephyri.*] Secunda vicissitudo, de qua hic agitur, est ventorum, zephyri nimirum et austri, quorum hic illum ita excipit, ut quod prioris flatu oritur, hoc spirante posteriore intereat.

Zephyrus ergo est ventus flans ab occasu æquinoctiali : unde lenis est et tepens, terrasque propterea dicitur fecundare : Hinc Græcis dicitur ζέφυρος quasi ζωηφόρος vitam ferens; Latinis vero favonius, quasi genitalis mundi spiritus, a fovendo, inquit Plinius l. XVI, c. 25. Virgil. II Georg., v. 330 :

Parturit almus ager zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus.

Propterea *nemus* nunc dicitur *vernis rosis irrubuisse*, *flatu zephyri tepentis*.

Auster vero est ventus a meridie flans : unde quibus populis mare est ad meridiem, his auster vocatur transmarinus. Hic autem ventus et humidus et calidus habetur. 1° Humidus habetur, quod humores, quos septentrio disjicit, colligat : Sic Virgilio *humidus;* Horatio *udus;* Ovidio *aquaticus;* Claudiano *madidus;* S. Augustino *pincerna pluviarum*, et Boetio *nebulosus* est. 2° Calidus habetur, quod a meridie flet. Sive autem humore suo, sive calore, sive utroque ventus hic animalibus, plantis, præsertimque floribus dicitur nocere : unde Virgil. I Georg., v. 444 :

Arboribusque satisque notus pecorique sinister.

Et Ecl. II, v. 38 :

Eheu quid volui misero mihi; floribus austrum
Perditus et liquidis immisi fontibus apros.

Præsertim vero rosis auster noxius : hinc Statius III, sylv. 3 :

Pubentesque rosæ primos moriuntur ad austros.

Propterea auster hic dicitur *spirare insanum*, hoc est, insano modo; et hoc eodem vento spirante perhibetur *decus abire spinis* : hoc est rosa interire : rosa enim, florum regina, spinarum ut progenies sic decus est : quamobrem Antonius Hallæus nostræ universitatis Normanæ quondam decus in carmine de rosa cecinit, ut solebat, elegantissime !

Ortus tamen ipsa memento
O rosa pulchra tui : informis te spina creavit

9. *Sæpe tranquillo.*] Tertia vicissitudo, quæ hic adducitur in exemplum, est tranquillitatis tempestatisque maris. Primum quidem tranquillitas maris describitur, 1° *serenitate tranquilla* sive tranquillitate serena (*tranquillum* enim et *serenum* grammaticis sunt nomina *substantiva*) quod mare tranquillum sit ventorum expers; 2° *immotis fluctibus* : quod absentibus ventis mare solito duntaxat motu actum non turbetur; 3° *radiis*, quos mare tranquillum remittat : mare enim pro diverso modo, quo radios præsertim solares remittit, nunc luminis, nunc coloris et quidem varii videtur particeps : unde Tullius Acad., *Mare*, inquit, *illud quod nunc favonio nascente, purpureum videtur*, *nobismetipsis cæruleum videbatur*, *mane flavum*, *quodque nunc*, *quia a sole collucet*, *albescit*, *et vibrat*, *dissimileque est proximo ei continenti*. Lumen igitur incurrens in fluctus tranquillos sive quietos, ab his eo fere modo, quo a speculo remittitur : quare sicut speculum, ita aqua placida potest et oculos perstringere et adversis oribus ora referre pro diversa ratione, qua lumen his corporibus remissum oculos afficit : hic autem non agitur nisi de radiatione : quippe quæ longius quam alter effectus speculi diffundi potest. Ita describitur tranquillitas maris.

11. *Sæpe ferventeis.*] Deinde ejusdem maris tempestas versatur in vehementi motu, quo mare a ventis, præsertim ab aquilone, cietur. Aquilo autem, Græcis boreas, ventus est ab ortu æstivo spirans. Hic ventus vehementior est : forte quod eodem quo aer ob ortu in occasum ferri solet, motu feratur : hinc, auctore Festo, Aquilo vocatur, quod *instar aquilæ vehementissimo volatu feratur :* hinc judice S. Augustino, *terrarum scopa est*. Notari potest hæc antithesis marinæ tranquillitatis et tempestatis : iterata enim hac voce, *sæpe aquilo* opponitur *tranquillo; ferventes procellæ, sereno; versum æquor, immotis fluctibus*.

13. *Constat mundo.*] Sic Plinius Jun., *Constat magistratibus reverentia*. Et Virgil. Æn. V, v. 748 :

Quæ nunc animo sententia constet.

15. *Crede fortunis.*] Faceta et elegans dissimulantia, quam Græci εἰρωνείαν vocant, qua Philosophia, aliud quam sentiat dicens, eo magis de bonis caducis detrahit, quo magis eisdem videtur tribuere fidei. Sic Seneca in Medea v. 221 :

Confide regnis, cum levis magnas opes
Huc ferat et illuc casus.

17. *Constat, æterna positumque lege est.*] Lex est voluntas principis honesta imperantis et prohibentis contraria : quamobrem quot voluntatum principum, tot legum genera esse possunt. Duplex autem est ejusmodi voluntas, divina scilicet, et humana; quare etiam duplex est lex, nimirum divina, et humana. De humana hic non agitur. At lex divina pro triplici

117 PROSA IV.

ARGUMENTUM. — *Philosophia rursus propositis socero, uxore, liberis; animo quoque, quorum Boetius est compos, probat eumdem felicem magis quam infelicem esse habendum.*

Tum ego [a], vera, inquam, commemoras o [1] virtutum omnium nutrix, nec [2] infitiari possum prosperitatis meæ velocissimum cursum. Sed hoc est quod [b] recolentem vehementius [c] coquit. Nam in omni adversitate fortunæ infelicissimum **168** [4] genus est infortunii, fuisse felicem. Sed quod tu, inquit [d], [5] falsæ A opinionis supplicium luis, id rebus jure imputare non possis. Nam si te hoc « inane nomen fortuitæ felicitatis movet, quam plurimis maximisque abundes, mecum reputes licet. Igitur si quod [e] in omni fortunæ (3) tuæ censu pretiosissimum possidebas, id tibi divinitus illæsum adhuc, inviolatumque servatur, [7] poterisne meliora quæque retinens, de infortunio jure [f] caussari? Atqui viget incolumis, illud pretiosissimum generis humani decus, [8] Symmachus socer, et, quod vitæ pretio [g] non segnis emeres, vir totus ex sapientia virtutibusque factus, [h] (10) suarum se-

INTERPRETATIO.

[a] Boetius.
[b] *Memorem.*
[c] *Affligit.*
[d] Philosophia.
[e] *Inter omnia fortunæ tuæ bona.*
[f] *Accusare calamitatem.*
[g] *Lubens.*
B [h] *Nihil injuriarum sibi timens.*

NOTÆ.

modo, quo considerari potest, triplicis rursus est generis, videlicet æterna, naturalis, quæque vulgo vocatur *positiva.* Lex æterna, est divina voluntas, quatenus hæc non secus ac Deus, cujus est ex omni æternitate fuit: de hæc lege locutus Cicero II de Legibus: *Hanc video,* inquit, *sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quoddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia.* **116** Lex naturalis, est eadem divina voluntas, quatenus, insita atque innata specie, hominibus innotescit: de hac loquitur idem Tullius I de Leg. *Lex,* inquit, *est ratio insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda, prohibetque contraria.* Lex quæ vulgo dicitur *positiva* est eadem Dei voluntas, quatenus hæc signo manifestata innotescit: sed hæc Christianis alia est vetus, alia nova. Cum igitur nihil fiat, nisi illa Dei æterni voluntate, nihil etiam fit, nisi æterna lege. Sed apud philosophos eorum quæ fiunt quædam dicuntur *creari,* quædam *generari. Creantur* ea, quorum nulla est, nisi exterior causa; nimirum *res. Generantur* vero ea quorum præter exteriorem causam, quædam est materia; nempe *modi.* Res perseverant, sed modi mutantur: *æterna positumque lege est, ut constet genitum nihil.* Unde Seneca in Hercule Œtæo, v. 1099:

Quod natum est poterit mori.

[1] *Virtutum omnium nutrix.*] *Philosophia*: cum enim philosophia sit cognitio clara distinctaque eorum, quæ ad optimam vitæ morumque rationem pertinent, cumque evidentia sit veri et certi judicii norma, propterea eadem philosophia instar prudentissimæ matris ad bene judicandum primo, deinde ad honeste vivendum auditores alumnos inducit. Hinc, judice Tullio philosophia est *mater omnium benefactorum et benedictorum; est cultura animi quæ extrahit vitia radicitus: virtutis continet et officii et bene vivendi disciplinam.*

[2] *Infitiari.*] Vel ut alii malunt, *inficiari,* pro diversa nimirum nominis interpretatione, idem est quod *negare. Inficior* enim oritur ab *in* et *facio,* quasi fecisse negem: tuncque scribendum per *c inficior*: aut potius oritur ab *in* et *fateor,* quasi *non fateor*: Latini enim dixerunt aliquando, *infiteor,* sicut etiam hodie dicunt, *confiteor*: tuncque scribendum per *t infitior*: mallem hoc ultimum.

[3] *Recolentem vehementius coquit.*] *Memorem magis affligit*: *recolere* enim dicitur a *colere*: *colere* autem proprie est *dare*: sed quod terra arando versetur, factum est, ut verbum illud translatum fuerit ad significandam eam, qua mens nostra veluti commovetur, cogitationem: hinc cultus parentum, qui in cogitatione præsertim versatur: hos quippe ex eo dicimur colere, quod eosdem mente præsertim veneramur: hinc etiam *recolere* idem est, quod iterata meditatione cogitare, in memoriam revocare, reminisci. Exempla passim occurrunt. *Coquere* vero idem quod *angere* sive etiam *cogere*: similitudo sumitur a corporibus; quod quemadmodum corpora, quæ coquuntur coguntur ve, partibus ad sese invicem accedentibus, magis comprimi adeoque ad minores loci angustias redigi soleant, ita mens tristi sua cogitatione ita constringi videtur, ut cæteris rebus cogitandis minus apta, ulterius diffundi nequeat cogitando.

[4] *Genus infortunii fuisse felicem.*] Non quidem re (quod enim præteriit, id non est amplius, adeoque, ceu nihilum, te non potest reipsa affligere), sed cogitatione: sicut enim memoria malorum præteritorum recreamur: *Hæc olim meminisse juvabit,* Virg., quod hac de quadam nostra potestate, industria aut quadam alia bona qualitate admonemur: sic bonorum C præteritorum memoria affligimur, quod hac nostræ infirmitatis convincamur: quemadmodum enim placet potuisse, sic displicet homini gloriæ avido non posse.

[5] *Falsæ opinionis supplicium.*] Est quidem supplicium sive pœna mentis, memoria præteritæ prosperitatis: siquidem, ut dictum est, mens hac memoria affligitur: sed supplicium illud falsæ opinionis est: cum ex hoc oriatur, quod mens præcipitatione et præjudicio acta falso judicaverit præteritam illam prosperitatem constantis alicujus boni rationem obtinere. Quamobrem *id* supplicium *rebus jure imputare non possis*: nemo quippe errat nisi volens.

[6] *Inane nomen fortuitæ felicitatis.*] Cum metus amittendæ ejus, quæ inconstans foret, felicitatis fit vera miseria, idcirco nulla reipsa est felicitas, nisi constans: quod igitur fortuita felicitas instar fortunæ, a qua oriri dicitur, sit inconstans, propterea hæc nihil D habet *felicitatis* nisi *inane nomen.*

[7] *Poterisne meliora retinens de infortunio jure caussari.*] Sed esto, inquit Philosophia, quæ fortuita, sit vera felicitas: cum maximam partem bonorum, quæ fortunæ accepta referri debere arbitraris, retineas, felix potius quam infelix *de infortunio jure non potes caussari. Caussari,* vel ut nunc a pluribus scribitur, *causari,* proprie nihil est aliud quam causam alicujus effecti quærere aut afferre: Sic Virgil. eclog. 9. v. 56:

Caussando nostros in longum ducis amores.

Quare Boetius, qui hactenus de adversa fortuna conquestus, ab ea videtur tantæ inconstantiæ causas quæsivisse, non male nunc dicitur *caussari*: quamvis immerito *caussetur;* ut jam Philosophia demonstrabit, enumerando bona meliora, quæ Boetio supersunt, nempe socerum, uxorem, liberos, ipsum quoque animum.

[8] *Symmachus socer.*] I. Philosophia commendat Symmachum socerum Boetii. Plures fuerunt Symma-

curus, tuis ingemiscit injuriis. **119** [1] Vivit uxor [a] ingenio modesta, pudicitiæ pudore præcellens, et, ut omnes ejus dotes breviter includam, [b] patri similis. Vivit, inquam, tibique tantum, vitæ hujus exosa, spiritum servat, quoque uno felicitatem minui tuam, vel ipsa concesserim, tui desiderio lacrymis ac dolore tabescit. [2] Quid dicam liberos [c] consulares, quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel [d] paterni, vel [e] aviti specimen elucet ingenii? [3] Cum igitur præcipua sit mortalibus vitæ cura retinendæ, o te si tua bona cognoscas, felicem, cui suppetunt etiam nunc quæ vita nemo dubitat esse cariora? Quare sicca jam lacrymas. Nondum est ad unum omnes [f] exosa A fortuna, **120** nec tibi nimium valida [4] tempestas incubuit, quando tenaces hærent ancoræ, quæ nec præsentis solamen, nec futuri spem temporis abesse patiantur. Et hæreant, inquam [g], precor : illis namque manentibus, utrumque res se habeant, [h] enatabimus. Sed [5] quantum decus ornamentis nostris decesserit, vides. Et illa, [6] promovimus, inquit [i], aliquantum [j]. [7] si te nondum totius tuæ sortis piget. Sed [8] delicias [k] tuas ferre non possum, qui abesse aliquid tuæ beatitudini tam luctuosus atque anxius conquieraris. Quis est enim tam [l] compositæ felicitatis, ut non aliena ex parte cum status sui qualitate

INTERPRETATIO

[a] *Rusticiana.*
[b] *Symmacho.*
[c] *Qui jam consules fuerunt.*
[d] *Boetii.*
[e] *Symmachi.*
[f] Ancoras.

B [g] Ego Boetius.
[h] *Evademus.*
[i] Philosophia.
[j] *Aliquem fecimus progressum.*
[k] *Mollitiem tui animi.*
[l] *Perfectæ.*

NOTÆ.

chi, quorum stemma, si placet, legere poteris apud Jacob. Sirmondum ad VII lib. epist. Ennodii. Hic autem agitur de Symmacho qui consul fuit sine collega sub Odoacre anno Christi 485, quique a Theoderico rege inter alios delectus est judex in causa Basilii et Prætextati, qui magicarum artium accusabantur: ut refert Cassiodor. l. IV, Var., ep. 22. Hujus enim Symmachi duæ fuerunt filiæ, nempe Galla, de qua præter Fulgentium loquitur Gregor. Magnus IV, dial. 13, et Rusticiana Boetii uxor, ex qua alter Symmachus natus est, Boetii parentis collega in consulatu, et prædicti Symmachi nepos. Neque vero præstantissimus ille vir *suarum injuriarum securus* ita erat, ut videbatur Boetio propter eam, qua apud Theodericum valere videbatur, gratiam et auctoritatem : inconstans enim ille rex impiis delatorum criminationibus incitatus, Symmachum socerum una cum Boetio genero occidi jussit, auctore Procopio l. I, de Bello Goth.

[1] *Vivit uxor.*] II. Philosophia laudat uxorem Boetii, eam scilicet, quæ vocabatur Rusticiana, Symmachi filia. Duæ quippe fuerunt alternis Boetii uxores: prima Festi filia, dicta Elpis ; mulier doctissima, quæ absque liberis decessit : altera filia Symmachi, vocata Rusticiana ; *ingenio modesta, pudicitiæ pudore præcellens, uno verbo patri Symmacho similis.*

[3] *Quid dicam liberos.*] III. Philosophia celebrat liberos Boetii, memor cum dignitatis, tum etiam ingenii, quo præditi fuerunt. Meminit quidem dignitatis, qua instructi fuere ; nimirum consulatus : nam consularis apud Latinos dicitur vir qui aliquando consul fuit : hos autem Boetii *liberos* nunc Philosophia vocat *consulares.* Meminit etiam ingenii, quod in his etiam pueris, tantum erat, ut in his *vel paterni* videlicet ipsius Boetii, *vel aviti* nimirum Symmachi *specimen eluceret ingenii.* Quod demum dicitur, *in id ætatis pueris,* modus est loquendi Tullio etiam familiaris : *Ita viximus,* inquit l. VI Epist., ep. 20, *et id ætatis jam sumus, ut omnia quæ non nostra culpa nobis accidant, fortiter ferre debeamus.*

[3] *Cum igitur,*etc.] Ex prædictis Philosophia concludit Boetium adhuc esse felicem ; quasi dicat : cuicunque suppetunt ea quæ vita nemo dubitat esse cariora, ille felix haberi potest : felix enim qui summo fruitur bono ; quale esse videtur illud quod est ipsa vita carius : si quidem vitæ retinendæ, ut pote præstantissimo bono præcipua est mortalibus cura. Atqui tibi Boetio suppetunt ea quæ vita nemo dubitat esse cariora ; socer videlicet, uxor et liberi omni virtutum genere præstantissimi. Crediderim hæc verba, *o te si tua bona cogoscas,* non fuisse dicta sine memoria istorum Virgilii, II Æneid., v. 458 :

> O fortunatos nimium, sua si bona norint,
> Agricolas !

[4] *Tempestas.*] Allegoria ipsi Ciceroni usitatissima : ubi nominata *tempestate* intelligi debet fortunæ sævientis impetus, quod utroque homines videantur obrui : nominatis *ancoris tenacibus*, familiares con- C stantissimi, quod utrisque *et præsentis solamen,* et *futuri spes temporis adesse possit.* Quamobrem sicut, manentibus ancoris, nautis remanet spes *enatandi ;* sic, remanentibus prædictis familiaribus, Boetius meliorem sperare potest fortunam.

[5] *Quantum decus ornamentis nostris decesserit.*] Amissis videlicet opibus dignitatibusque nostris.

[6] *Promovimus aliquantum.*] Aliquem in tui consolatione profectum fecimus, inquit Philosophia : *promovere* enim aliquando idem quod *proficere* : ut apud Terent. in Hecyr., *abibo hinc* ; *præsens quando promoveo parum.*

[7] *Si te mondum totius tuæ sortis piget.*] Si nondum te omnino infelicem putas : differunt *pudet* et *piget* ; quod prius turpitudinem, posterius noxam rei videatur potius significare : unde Cicero pro Dom., *me non solum piget stultitiæ meæ, sed etiam pudet.*

D [8] *Delicias.*] Hoc est, *animi mollitiem.* Deliciæ enim ab eo videntur dictæ, quod animus his alliciatur, dicuntur enim ab *de* et *lacio, traho* : inde *lactat, illectat, delectat, oblectat, allicit, illicit, elicit.* Sic Lucret. lib. V :

> Quæ lacere in fraudem possent vinctosque tenerent.

Unde forte nostrum Gallicum *lacer, un lacet.* Hinc quod animus qualibet perturbatione, sed amore præsertim et voluptate alliciatur, propterea quælibet perturbatio, sed amor præsertim et voluptas deliciæ vocantur : quo fit ut deliciæ modo in bonam, modo in malam partem accipiantur : sicut ergo mollities corporis in hoc versatur, quod illud facile possit in quemcunque locum versari ; sic delicatus dicitur ille animus, qui contrariæ affectioni obnoxius undique potest facile flecti : qualis Philosophiæ videtur Boetius, utpote qui *abesse aliquid suæ beatitudini tam luctuosus atque anxius conqueratur.*

[1] [a] rixetur? [2] [b] Anxia (10) enim res est humanorum conditio bonorum, et quæ vel nunquam tota proveniat, vel nunquam perpetua subsistat. **121** [3] [c] Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis. [4] [d] Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus, esse mallet ignotus. [5] Ille [e] utroque circumfluus, vitam cælibem deflet. [6] Ille nuptiis

A felix; orbus liberis, alieno [f] censum nutrit heredi. **122** [7] Alius prole lætatus, filii, filiæve [g] delictis mœstus illacrymat. Idcirco nemo facile cum fortunæ suæ conditione concordat; in est enim singulis, quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat: Adde quod felicissimi cujusque delicatissimus sensus est, et, nisi [8] ad

INTERPRETATIO.

[a] *Disceptet.*

[b] *Acerba.*

[c] *Unus opibus abundat, sed eum pudet suæ ignobilitatis.*

[d] *Alter nobilis est, sed paupertate premitur.*

[e] *Tertius et dives et nobilis se conjuge carere dolet.*

[f] *Opes parat.*

[g] *Vitiis.*

NOTÆ.

[1] *Rixetur.*] *Disceptet.* Rixa, lis est sive contentio inter duos pluresve homines, quorum alter repetit quod alter reddere renuit: quare nisi lux divina affulgeat, in omni hominum genere perpetuæ sunt rixæ: quod homo et status ejus ceu quædam partes ita opponantur, ut ille homo quædam videatur a suo statu repetere, quæ status hic renuit reddere: nemo hic ex omni parte beatus.

[2] *Anxia res est humanorum conditio bonorum.*] Anxium dicitur illud quod sollicitudine mœsta premit: anxium enim dicitur ab *ango*: hoc a Græco *ἄγχω suffoco, constringo,* primum quidem fauces, deinde mentem: hinc *angustus* et *angustia,* cum quis tantis difficultatibus premitur, ut quo se vertere debeat, ignoret. Atqui humanorum conditio bonorum sollicitudine mœsta animum premit: quod enim humana hæc conditio aut nunquam absoluta fuerit, aut nunquam perennis, semper locum relinquit aut appetendæ absentium bonorum adeptionis, aut timendæ præsentium jacturæ: unde animi anxietas: ut pluribus exemplis deinceps confirmabit Philosophia.

[3] *Huic census exuberat.*] Primum exemplum est de divitibus, iis scilicet, quibus, quod hi opibus abundent, *census* dicitur *exuberare. Census* enim a *censendo* dictus opes significat: unde Claudian. carm. 17, v. 231:

> Addictoque hominum cumulent araria censu

Exuberare autem *abundare* est, quasi extra ubera profluere. Sic Virgil. I Georg., v. 191:

> At si luxuria foliorum exuberat umbræ.

Et Georg. II, v. 516:

> Nec requies quin aut pomis exuberet annus,
> Aut fetu pecorum.

Atqui ejusmodi divites in hoc sibi videntur infelices, quod quibus sanguine conjuncti sunt, hi nobiles non sunt: *sed est pudori degener sanguis.*

[4] *Hunc nobilitas notum facit.*] Secundum exemplum est de nobilibus viris: hic autem Philosophia videtur vim facere in verbo, dum dicit, *nobilitas notum facit; nobilis* enim a *notum,* sicut a *motum mobilis* dicitur, ut nobilis sit, quasi nominis claritate notus. Atqui et his nobilibus sua esse potest paupertas supplicium: *angustia rei familiaris inclusus, esse mallet* nobilis quidam *ignotus*: optime autem paupertas vocatur *angustia rei familiaris*: Nam sicut dives suis palatiis, agris, vitibus, nummis, armentis hominibusque subditis, quibus veluti circumfunditur, eo auctoritatis potestatisque videtur dilatatus, ut se facile credat inexpugnabilem, juxta illud Proverb. VIII: *Substantia divitis urbs roboris ejus*; sic pauper sua taberna, agello, viticula, et puerorum sarcina veluti obrutus coangustatur: hinc Horatius carm. l. III, od. 2, pauperiem vocat *angustam*:

> Angustam, amici, pauperiem pati
> Robustus acri militia puer
> Condiscat.

[5] *Ille utroque circumfluus.*] Tertium exemplum est de iis qui pariter divites sunt et nobiles; sed qui in hoc se putant infelices, quod vitam ducant conjugii expertem: *vitam cœlibem deflent*: vita enim conjugii B expers vocatur *cœlebs*: forte quia cœlesti similis.

[6] *Ille nuptiis felix.*] Quartum exemplum est de eo qui uxore felix est: quod prædictis *nuptiis* optime significatur: quamvis enim *nuptiæ* non sint sine utroque conjuge, melius tamen *nuptiæ* dicuntur de uxore quam de marito: quod cum illa sponsa deduceretur ad maritum, faciem flameo nuberet sive velaret: hinc *nupta, connubium,* etc. Magna porro felicitas mariti, cujus est optima uxor: donum cœleste est. Proverb. XIX: *Domus et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens.* At felicitas hæc sæpius orbitate turbatur: *orbus liberis, alieno censum nutrit heredi*: Seneca in Hyppolyto, v. 1248:

> O triste fractis orbitas annis malum!

Heres ab *hero* dictus, quasi is sit bonorum dominus, apud jurisperitos duplicis est generis: nempe suus et externus. *Sui heredes,* ut dicitur Instit. l. II, tit. C 19, § 2, *ideo appellantur quia domestici heredes sunt et vivo quoque patre quodammodo domini existimantur, veluti filius, filia, nepos, neptisve ex filio, et deinceps cæteri liberi.* Extranei vero, qui hic vocantur *alieni* heredes *dicuntur cæteri,* ait Vinnius, *qui non sunt sui et domestici.* At quantum homo se suosque amans *suis* heredibus lætatur, tantumdem de *extraneis* sive *alienis* afflictatur. Ecclesiastæ IV: *Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole. Unus est et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens: cui laboro et fraudo animam meam bonis: in hoc quoque vanitas est et afflictio pessima.*

[7] *Alius prole lætatus.*] Quintum exemplum est de eo qui prole nata lætatur. Quod homo ad Dei imaginem conditus æternitatem appetat, quodque hanc in terris assequi non valeat, hinc fit ut parens uterque orta prole, veluti magna sui parte sibi olim successura lætetur: Joan. XVI: *Mulier non meminit pressuræ* D *propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* At quanta lætitia parentes perfunduntur natis liberis iisdemque virtutem colentibus, tanta iidem afficiuntur tristitia, si hos liberos viderint vitiis indulgere: parens *filii filiæve delictis mœstus illacrymat*: ut nunc dicitur: Proverb. X: *Filius sapiens lætificat patrem*: *filius vero stultus mœstitia est matris suæ.* Nimirum quod liberi videantur sanior perenniorque parentum pars, hos parentes optant semetipsis meliores.

[8] *Ad nutum.*] *Ad voluntatem.* Nutus a *nuendo* sive *movendo* dictus proprie motum corporis significat: sic movendo caput oculosve dicimur *annuere* et *abnuere* vel *renuere.* Quoniam vero ille corporis nostri motus nostram voluntatem consuevit indicare; hinc factum est, ut, signo pro re significata accepto, nutus non modo humanam, sed divinam quoque voluntatem significaverit: ex quo etiam *numen* ipsam Dei voluntatem notat, ut apud Virg. XI Æn., v. 336:

> Numine divum
> In flammas et in arma feror.

[a] nutum cuncta (5) [1] suppetant, [2] [b] omnis adversitatis insolens, minimis quibusque prosternitur, [c] adeo perexigua sunt, quæ fortunatissimis beatitudinis summam detrahunt. **123** [3] Quam multos esse [d] conjectas, qui sese [e] cœlo proximos arbitrentur, si de fortunæ tuæ reliquiis pars eis minima contingat? Hic ipse locus, quem tu exsilium vocas, incolentibus patria est. Adeo nihil est miserum, nisi cum putes [f] : contraque [4] beata [g] sors omnis est æquanimitate (5) tolerantis. Quis est ille tam felix, qui cum [5] [h] dederit impatientiæ manus, A [6] statum suum mutare non optet? [7] Quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est! quæ si etiam fruenti jucunda esse videatur, tamen, quo minus, cum velit, abeat, retineri non possit. **124** [8] Liquet igitur quam sit mortalium rerum misera beatitudo, quæ nec apud æquanimos perpetua perdurat, nec anxios tota delectat. [9] Quid igitur, o mortales, extra petitis intra [i] vos positam felicitatem? Error vos inscitiaque confundit. Ostendam breviter tibi [j] summæ cardinem felicitatis. (5) [10] Estne aliquid tibi [k] te ipso pretiosius? [11] Nihil, inquies. [12] Igitur si

INTERPRETATIO.

[a] *Ad arbitrium omnia adsint.*
[b] *Nulli adversitati assuetus.*
[c] *Usque adeo parva.*
[d] *Non dubitas.*
[e] *Beatos.*
[f] Aliquid in eo esse miseriæ.
[g] *Felix quælibet conditio, si æquo animo feratur.*
[h] *Putaverit impatibilem.*
[i] *Vestram mentem.*
B [j] O Boeti.
[k] *Tua mente.*

NOTÆ.

et versu 777 :

Non hæc sine numine divum
Eveniunt.

[1] *Suppetant.*] *Adsint* : quia enim quod petitur, id sæpius impetratur, usus obtinuit, ut *suppetere* idem ait quod *adesse*, quasi petendo impetratum. Hinc *suppetiæ*, quas sibi suppetere rebus adversis periclitantes expetunt.

[2] *Omnis adversitatis insolens.*] *Nulli adversitati assuetus. Insolens* enim quasi *non solens* : solens autem is dicitur qui id in quo totus est facit, quasi in *solo* unoque hoc negotio versatus : quare *insolens adversitatis* is est qui adversitati non est assuefactus. Atque hic, ut nunc additur *minimis quibusque prosternitur* adversitatibus ; quod mens ejus his motibus non assueta, minimo turbetur : ut enim *ab assuetis* C *non fit*, sic *ab insuetis fit passio* : quemadmodum loquuntur philosophi : usque adeo *perexigua sunt quæ fortunatissimis beatitudinis summam detrahunt.* Summa arithmeticis est universitas quædam quæ ex pluribus minoribus addendo conficitur, aut ex qua minorem subtrahendo quædam restat : quamobrem *summa beatitudinis* hic nihil est aliud quam beatitudinis fastigium, *le comble du bonheur.*

[3] *Quam multos.*] Sextum exemplum est de ipso Boetio, de cujus *fortunæ reliquiis si pars minima* pluribus aliis hominibus *contingeret*, hi felices, *sese cœlo proximos arbitrarentur* : cum tamen ipse Boetius sese putet infelicem.

[4] *Beata sors.*] Beatus homo cujus mens cogitando ita constans est, ut instar libræ æquatis ponderibus firmata nec erigatur prosperis, nec adversis deprimatur. Sed homo ille rarus est in terris : nam quis est ille tam felix, qui cum

[5] *Dederit impatientiæ manus.*] *Impatientia vinci se passus fuerit* : sic loquitur Tullius de Amic. : *Atque*, inquit, *ad extremum dat manus, vinci se patitur* : nimirum cum manibus præsertim homo sese tueri soleat, ubi primum intelligitur victas manus dedisse, hic intelligitur victus.

[6] *Statum suum mutare non optet.*] Instar hominis ægri, qui cujuslibet situs impatiens, partes se vertit in omnes.

[7] *Quam multis amaritudinibus*, etc.] Jam monuimus, mentem humanam veluti mediam inter Deum humanumque corpus, quatenus est opus Dei et forma hujus corporis, et a Deo et a corpore humano commoveri : hinc autem putamus oriri amaritudinem et dulcedinem humanæ felicitatis ; dulcedinem quidem a Deo commovente, amaritudinem vero a corpore : quare cum homo quandiu perseverat, ab utraque hac causa afficiatur : idcirco nihil homini dulce est nisi cum amaro conjunctum : quamobrem de quacunque corporis voluptate dici potest quod Lucretius de amore dixit l. IV :

Eximia veste, et victu, convivia, ludi.
Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta parantur :
Nequidquam : quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

Quin ipsa etiam dulcedo in hoc amara, quod invito ipso homine, qui illa affici videtur, abeat irrevocabilis ; *nec retineri possit* ad nutum, *quo minus abeat :* ut hic dicitur.

[8] *Liquet igitur*, etc.] Philosophia ex prædictis exemplis concludit, quod probandum susceperat a nota 18, felicitatem hominum præsentem nec adeo absolutam esse, ut *non anxios tota delectet*, nec adeo perennem, ut *apud æquanimos perpetua perduret.* Jam ipsa Philosophia ad id, unde digressa fuerat, reversa ipsum Boetii animum considerabit.

[9] *Quid igitur*, etc.] IV. Philosophia commendat animum Boetii, aitque primum *mortales* frustra *extra se petere*, ut in amicis, uxore, liberis, uno verbo in corpore quam habent *intra se*, videlicet in mente, *positam felicitatem* : deinde addit eosdem mortales *errore inscitiaque confundi* : quod nimirum extra se quærant, quam intra se habent, felicitatem : ubi notandum errorem et inscitiam differre cum in aliis, tum in hoc quod error omnis ab inscitia oriatur, ita ut possit esse inscitia sine errore, sed non error sine inscitia : postea promittit se ostensuram Boetio summæ cardinem felicitatis ; sive id in quo præcipue versetur summa felicitas : quod enim cardo sit, in quo janua vertitur, in usu est, ut id in quo negotium aliquod vertitur, vocetur cardo. Virgil. I Æneid., v. 676 :

Haud tanto cessabit cardine rerum.

D [10] *Estne aliquid tibi teipso pretiosius?*] Quanquam Boetius, ut quilibet alius homo, corpore constet et mente conjunctis, nihilominus relicto corpore Philosophia Boetium ad unam mentis suæ considerationem revocat, quasi ad primum beatitudinis, quam quærit, fontem : idque vocat totum Boetium : *Tibi teipso* : sicut Apostolus Roman. VII : *Infelix homo*, inquit, *quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Estne igitur*, inquit Philosophia Boetio, *aliquid tibi teipso pretiosius ?*

[11] *Nihil.*] Inquit Boetius : quidquid enim divinitus factum naturali lumine novi, id aut mea mens est, aut corpus quod vulgo dicitur materia : sed mea mens vel ex ipso, est corpore sive materia pretiosior, quod materiam hanc, a qua ipsa cogitari nequit, cogitet ipsamque ad arbitrium huc illucque, sæpius cogitando, verset.

[12] *Igitur si tui compos fueris.*] Si tuæ mentis tantam

[a] tui compos fueris, [1] possidebis [2] quod nec tu A amittere unquam velis, **125** [3] nec fortuna possit auferre. [4] Atque ut agnoscas in his fortuitis rebus beatitudinem constare non posse, sic collige : [5] Si beatitudo est summum naturæ bonum [b] a ratione degentis, nec illud est summum bonum, quod eripi ullo modo potest; quoniam præcellit id quod nequeat auferri : manifestum est quod [c] ad beatitudinem percipiendam fortunæ instabilitas aspirare non possit. [6] [d] Ad hæc, [e] quem caduca ista felicitas vehit, vel scit eam, vel nescit esse mutabilem. Si nescit, quænam beata sors esse potest ignorantiæ cæcitate? Si scit, metuat necesse est, ne amittat quod amitti posse non dubitat : quare continuus timor non sinit esse felicem. An [f] vel si amiserit, negligendum putat? sic quoque perexile bonum est, quod æquo animo feratur amissum. **126** [7] Et quoniam tu idem es, cui persuasum atque insitum permultis demonstrationibus scio, mentes hominum nullo modo esse mortales : cumque clarum sit, fortuitam felicitatem corporis morte finiri : dubitari nequit, si hæc [g] auferre beatitudinem potest, quin omne mortalium genus in miseriam, mortis fine, labatur. Quod si multos scimus beatitudinis fructum non morte solum, verum etiam doloribus suppliciisque quæsisse, quonam modo præsens vita facere beatos potest, quæ miseros transacta non efficit?

127 METRUM * IV.

ARGUMENTUM. — *Philosophia, exemplo ædium, quæ perennes non sunt, si aut sublimiores, ventis percutiantur, aut depressiores, arenis immergantur, docet pari prudentia et summas et infimas conditiones homini esse fugiendas, ut quietus tutusque vivat.* B

Quisquis volet perennem

INTERPRETATIO,

[a] *Tuæ mentis.*
[b] *Mentis ratione præditæ.*
[c] *Fortuna inconstans esse non possit beatitudo.*
[d] *Præterea.*
[e] *Qui hac felicitate mortali afficitur, hic.*
[f] *Etiamsi.*
[g] *Mors.*

Quicunque optat tutus locare domum perpetuam, quique studet constans, et non disjici flaminibus stre-

NOTÆ.

habueris et notionem et potestatem, ut illa notione ductus hac potestate nunquam abutaris : *compos* enim et *impos* dicuntur a *potis* : unde dicimus *compotem* et *impotem* : sicut ratiocinatur Varro : *potis* autem dicitur vel a *pateo* quod pateat illi quidquid velit, vel a Dorica præpositione ποτί, *juxta*, quod quæ juxta nos sunt, in nostra censentur potestate, ut placet Vossio : nam, inquit Servius ad ecl. 9 Virg., *Quomodo victores dicimus voti compotes, qui quod volunt faciunt*; *sic victos e contrario vocamus impotes, qui non possunt facere quod volunt.* C

[1] *Possidebis.*] In tua potestate erit.

[2] *Quod nec tu amittere unquam velis.*] Crescente enim tuæ mentis adeoque tuæ originis notione, crescet et tuus in tuam mentem tuamque originem amor : cum exteriora bona tanto minus amentur, quanto magis cognoscuntur.

[3] *Nec fortuna possit auferre.*] Mens enim tua tuaque proinde cogitatio ita sunt tui juris, nihil ut in eas inconstans fortuna possit. Potest quidem fortuna quam jactat suam felicitatem tibi optandam proponere : sed persuadendo te fallere non potest nisi volentem : non prius autem id volueris, quam immemor tuæ mentis ejusque originis, specie caducorum bonorum veluti obcæcatus fueris.

[4] *Atque ut agnoscas*, etc.] Philosophia tandem, proposita mente humana bonisque externis, quibusdam argumentis probat veram felicitatem in mente potius quam in cæteris bonis versari : quæ quidem argumenta ut percipiantur, notandum apud philosophos morales summum bonum duplicis esse generis : aliud quidem in genere rei : aliud in genere modi. Prius est res summe perfecta : unde nihil est aliud quam Deus : quare propheta rex psal. CXLIII descriptione facta potentum, quorum *filii*, inquit, *sicut novellæ plantationes in juventute sua; filiæ compositæ, circumornatæ sicut similitudo templi* : *promptuaria plena eructantia ex hoc in illud*; *oves fetosæ abundantes in egressibus suis; boves crassæ; in quorum plateis non est ruina maceriæ, neque transitus neque clamor;* quos denique *beatos dixerunt*, addit : *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus*. Posterius vero, quod aliter vocatur *felicitas* sive *beatitudo*, nobis videtur posse definiri cogitatio mentis Deo constanter adhærentis : quod huic solum cogitationi convenire possit, quidquid naturali lumine cognoscitur convenire felicitati : sicut fusius alibi probavimus. Hic autem non agitur de priori, sed tantum de posteriori summo bono, quippe quod dicitur *naturæ ratione degentis*, hoc est mentis humanæ modus.

[5] *Si beatitudo*, etc.] Primum argumentum, quod potest sic proponi. Quod bonum eripi potest, hoc est, invito eo cujus est, amitti, illud non est summum bonum; ne quidem in genere modi : quandoquidem in hoc ipso genere melius est illud quod eripi non potest. Atqui omne fortunæ bonum eripi potest : propterea enim fortuna instabilis est. Contra vero bonum mentis cujusmodi est virtus, non potest eripi, hoc est, invito eo cujus est, amitti.

[6] *Ad hæc.*] Secundum argumentum, quod potest sic institui. Quicunque, fortuna dante, felix habetur, hic vel scit vel nescit, se invito, hanc fortunæ felicitatem esse mutabilem; sed quovis modo se habeat, revera felix non erit : si enim nescit, hanc fortunæ felicitatem sic esse mutabilem, hic versabitur in *ignorantiæ cæcitate*, qua stante nulla *beata sors* esse potest. At si scit, hanc fortunæ felicitatem sic esse mutabilem, idem hanc felicitatem aut timebit amittendam, aut dolebit; aut saltem negliget amissam, sed ut timor, sic dolor non sinit esse felicem, nec magni faciendum, *quod æquo animo feratur amissum.*

[7] *Et quoniam*, etc.] Tertium argumentum quod sic disponi potest. Quæcumque felicitas morte finiri potest, hæc non nisi nomine tenus felicitas est : siquidem felicitas vera, non secus ac ipsa mens humana, cujus est, quamque ut *insitum* sic *multis demonstrationibus persuasum est esse immortalem*, immortalis esse debet. Atqui felicitas fortunæ, ut pote quæ corporis est, morte finiri potest : unde plures alterius *beatitudinis fructum, non morte solum, verum etiam doloribus suppliciisque quæsierunt;* idque eo potius quod vita hæc temere credatur felicitas : si enim vita hæc felicitas vera fuerit, necesse est, ut mors, quæ est hujus felicis vitæ privatio, vera miseria habeatur. D

* Carmen constans duplici genere versuum alternorum, quorum prior *Anacreontius* post primum pedem, qui potest esse vel iambus, vel spondeus, vel etiam anapæstus, duos iambos habet cum syllaba superstite; posterior *Pherecratius* spondeum, dactylum, et spondeum : excipitur tamen versus octavus, cujus primus pes est anapæstus.

1. *Perennem sedem.*] *Domum per annos plures du-*

Cautus ponere sedem,
128 Stabilisque, nec sonori
Sterni flatibus euri,
Et fluctibus minantem
Curat spernere pontum;
Montis cacumen alti,
Bibulas vitet arenas.
Illud protervus auster.
Totius viribus urget;
129 Hæ pendulum solutæ
Pondus ferre recusant.
Fugiens periculosam
Sortem sedis amœnæ,
Humili domum memento
Certus figere saxo.
Quamvis tonet ruinis

INTERPRETATIO.

pentis euri,et temnere mare exundans veluti *intentans ruinam* suis *æstibus*, ille pariter *fugiat verticem montis elati*, et *arenas bibaces. Auster impetuosus omni conatu vexat illum* verticem : *hæ* vero arenæ *disjunctæ renuunt portare onus suspensum.* Sic tu *vitans eventum incertum conditionis*, ut videtur, *gratæ*, *recogita stabilis fundare ædem petra depressa.* Tum *licet ventus reboet, turbans maria naufragiis, tu abditus muni-*

NOTÆ.

raturam : *sedes* enim apud Latinos auctores, præsertim poetas, significat domum : *perenne* vero a pluribus annis, per quos durat, dicitur : hinc *perennare* idem quod *diu perseverare* : hinc Anna Perenna, cui veteres vota faciebant, ut annare perennareque commode liceret, auctore Ovidio III Fast.

2. *Cautus.*] *Tutus* : nam *cautus* a *cavere* : *cavere* autem judicio Varronis a *cavo;* quod *prisci illi*, inquit Pontanus, *qui Latium etiam ante Aborigines tenuere plerique in cavernis habitabant, quæ a cavando essent dictæ; iis autem et æstus cavebant et frigora, pleraque etiam alia incommoda, in illisque se et sua cautius tutabantur* : hinc *cavere, cautio, cautor* a jurisconsultis dicuntur de iis, quibus divitiæ tutæ fiunt et securæ. Quoniam vero vir prudens, cogitationibus suis veluti prospiciens, se suaque tuetur, idcirco *cautus*, *catusque* vocari solet. Horat. de Arte :

An omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et extra
Spem veniæ cautus? Vitavi denique culpam.

Et lib. I carm., od. 10 :

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, et decoræ
More palæstræ.

3. *Stabilisque.*] *Immotus et constans*, suis videlicet, sedibus. Cum autem corpus quiete semel donatum æternum quiescat, donec ab alio de sua quiete dimoveatur, ideo duobus duntaxat modis domus fundata potest ruere : primum quidem motu sensili corporum incurrentium v. g. vento : deinde proprio pondere, fluentibus scilicet iis quibus domus niti videbatur, fundamentis : Hinc nunc fit mentio *ventorum, fluctuum marinorum, cacuminis montis*, et *bibularum arenarum.*

4. *Flatibus euri.*] Eurus, inquit Agellius, ventus est ab oriente verno, id est æquinoctiali veniens. Latinis dicitur subsolanus. Hic non abs re dicitur *sonorus* : quod enim vehementiori impetu feratur, solitum aeris ab ortu ad occasum fluentis cursum secutus, propterea sonum ingentem edit. Unde Virgil. II Georg., v. 441 :

Quos animosi euri assidue franguntque feruntque.

6. *Pontum.*] Pontus generatim quodlibet mare, speciatim Euxinum : forte quia utrumque plenum laboris : πόνος enim *labor* potuit esse origo τοῦ πόντου : quidquid sit.

7. *Montis cacumen alti.*] Cacumen, vertex est cum arborum tum montium : quod plures ejusmodi corporum partes surgendo in unum acumen coeant : cacumen autem nunc dicitur *montis alti* : quia quo mons altior est, eo prædictis ventorum flatibus magis impellitur, adeoque domus hic fundata ruinæ magis foret obnoxia.

8. *Bibulas vitet arenas.*] *Quæ videlicet aquas sorbere possint* : quod enim his arenis intercipiatur aer vel quodlibet aliud corpus quod aquæ subeunti, ut pote graviori, locum cedat, propterea si arenis istis imponantur ædificia ipsis aquis longe graviora, eadem ædificia fatiscentibus fundamentis statim corruent. Lucretius, l. II, *arenam* dixit *bibulam*,

Littoris incurvi bibulam lavit æquor arenam.

9. *Illud protervus auster urget.*] *Illud montis cacumen auster impetit.* Auster est ventus ex plaga cœli meridiana flans. Quod autem auster ex terris in sublime sæpius flet, quemadmodum boreas oppositus e contrario ex sublimi in terras; idcirco auster rectum iter, quoad potest, insistens in summos montium vertices sæpius videtur incurrere : et propterea nunc appellatur *protervus* a *proterendo*, quia altiora corpora sibi objecta solet proterere. Seneca in Agam., v. 90 :

Nubibus ipsis
Inserta caput turris pluvio
Vapulat austro : densasque nemus
Spargens umbras annosa videt
Robora frangi.

11. *Hæ pendulum solutæ pondus ferre recusant.*] *Hæ arenæ a se invicem disjunctæ impositum pondus non possunt sustinere.* Nimirum sicut libræ, duæ sunt lances alternis sic mobiles, ut si altera graviori pondere onusta deorsum deprimatur : altera sursum attollatur necesse sit : ita in terra, aqua et aere quem spiramus, corpora adeo sese sustinent æquatis ponderibus, ut si alterum fuerit gravius, id propendeat, altero depresso : sicut infinitis exemplis demonstrari posset. Ædes autem arenis impositæ longe graviores sunt eo liquore, quo interposito arenæ mollescunt.

Hoc eodem exemplo usus est Christus Dominus Matth. VII ; *Omnis*, inquit, *qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam : et descendit pluvia et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.*

13. *Fugiens periculosam sortem sedis amœnæ.*] *Haud aliter qui vitare cupit eventum incertum conditionis, quæ videtur jucunda* : *Sors* quippe, inquit Tullius l. II de Divin., *idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras : in quibus temeritas et casus, non ratio et consilium valet.* Hinc sortilegi dicebantur, qui ductis, pueri manibus, sortibus prædicerent futura. Hinc etiam quod in unam vel oppositam partem flecti potest incertum, illud sors dici consuevit : hujusmodi autem est sedes amœna, quam idcirco Philosophia hic vocat *periculosam.*

15. *Humili domum memento certus figere saxo.*] Loca domum in *saxo humili* : in *saxo* quidem, ut firmo domus nitatur fundamento . *humili* vero, ut tempestatibus minus sit obnoxia.

17. *Quamvis tonet ruinis miscens æquora ventus.*] *Ventus tonat*, cum tonitruo similis magnum excitat sonitum. *Miscet* autem *æquora ruinis*, cum naufragus naves cæteraque corpora mari imposita prosternit.

Miscens æquora ventus,
Tu conditus quieti
Felix robore valli,
130 Duces serenus ævum,
Ridens ætheris iras.

131 PROSA V.

ARGUMENTUM. — *Philosophia jam validioribus utens argumentis probat, generatim divitias, speciatim pecuniam, gemmas, agros, vestes, famulos cæteraque id genus, quamvis constarent, mentis humanæ bona non esse, sed potius mala, quibus quanto cupidius eadem mens fruitur, tanto minus felix est.*

Sed quoniam rationum jam in te mearum fomenta [a] descendunt, paulo validioribus utendum puto. [1] Age enim, si jam [2] caduca et [3] [b] momentaria fortunæ dona non essent, quid in eis est, quod aut vestrum A unquam fieri queat, aut non perspectum consideratumque (5) [c] vilescat? [4] Divitiæne vel vestri [d], vel sui natura pretiosæ sunt? **132** Quid earum [e] potius, [5] aurumne, an vis congestæ pecuniæ? Atqui hæc effundendo magis, quam coacervando melius nitent : siquidem avaritia semper odiosos, claros largitas facit. Quod si manere apud quemquam non potest, quod transfertur in alterum : tunc est pretiosa (5) pecunia, cum translata in alios, largiendi usu desinit possideri. At eadem si [f] apud unum, quanta est ubique gentium, congeratur, cæteros sui inopes fecerit. Et vox quidem tota pariter multorum replet auditum; vestræ vero divitiæ, nisi comminutæ, in plureis transire non possunt. Quod cum factum est, pauperes necesse est faciant (10), quos reliquunt. O

INTERPRETATIO.

mine constantis aggeris, eris beatus, contemptisque B *cœli furoribus, ages vitam tranquillam.*

[a] *Mentem subeunt.*
[b] *Fluxa.*
[c] *Sordescat.*
[d] O homines.
[e] *Pretiosus.*
[f] Tanta.

NOTÆ.

19. *Conditus.*] *Absconditus* : quemadmodum Virgil. I Georg., v. 441 :

Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem.

20. *Felix robore.*] Robur quamcunque corporis fortitudinem significat : unde quod quercus silvestris inter cæteras arbores fortissima videatur, idcirco hæc *robur* appellatur.

20. *Valli quieti.*] Vallum murus est e terra ad fossæ oram aggestus, crebris sudibus sive palis munitus : quamobrem duæ sunt valli partes, nempe agger sive terra, et pali sive sudes, quare vallum quietum est.

21. *Duces serenus ævum ridens ætheris iras.*] *Vitam duces tranquillam contempto cœli impetu. Ævum* enim significat vitam, ut apud Virg. IV Georg., v. 206 :

Ergo ipsas quamvis angustus terminus ævi
Excipiat.

Et *ira*, quippe quam insolitus corporis motus comitari solet, non raro violentos non solum hominis, sed et bestiarum, imo etiam inanimatorum corporum motus significat.

Et hoc etiam exemplo usus est Christus, prædicto cap. VII Matth... *Omnis*, inquit, *qui audit verba mea et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit* : *fundata enim erat supra petram.*

[1] *Age.*] *Age adverbium* dici solet : sed nobis videtur *imperativum* verbi *ago* : non secus atque *fac* verbi *facio* : propterea si uni tantum loquamur, dicimus, *age;* si pluribus, *agite* : hinc voce hac exhortamur auditorem ad cogitandum, loquendum, aut faciendum. Ad cogitandum quidem ut apud Virgil. Georg. III, v. 24 :

Te sine nil altum mens inchoat; en age segnes
Rumpe moras.

Ad loquendum : ut Æneid. VI, v. 343 :

Dic age : namque mihi fallax haud ante repertus.

Ad faciendum : ut Georg. I, v. 63 :

Ergo age terræ
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
Fortes invertant tauri.

[2] *Caduca.*] *Caducum* a *cadendo* dictum : unde id significat, quod aut lapsum est, aut labitur, aut lapsurum est. Sic Virgil. Æn. VI, v. 481, de lapso,

Belloque caduci
Dardanidæ.

Georg. I, v. 368, de labente,

Sæpe levem paleam et frondes volitare caducas.

Et Æn. X, v. 622, de lapsuro,

Si mora præsentis leti tempusque caduco
Oratur juveni.

[3] *Momentaria.*] *Fluxa* : hac voce utitur S. Ambrosius : sed eadem non potui invenire apud Latinos auctores, quos vocant *classicos.*

[4] *Divitiæne vel vestri, vel sui natura pretiosæ?*] I. C Philosophia probat generatim divitias non esse aliquod mentis humanæ bonum, non solum quod omne fortunæ bonum, cujusmodi sunt divitiæ, extra mentem est attentiusque consideratum sordescit, ut jam dixit; sed etiam quod nullæ divitiæ pretiosæ sunt. Pretiosum ergo nobis id dicitur; quod in nostra existimatione versatur : hac enim nostra existimatione fit, ut illius comparandi causa, quod a nobis poscitur, pretium solvamus : unde *pretiosum* dictum est. Duobus autem modis aliquid versari potest in nostra existimatione, pro duplici modo, quo sese habere possunt ideæ, ex quibus veluti ex quadam materia illa existimatio, ut pote judicium, constat. Primum quidem propter *sui naturam* : quando scilicet prædictæ ideæ ita claræ sunt et distinctæ, nihil ut involvant præter id quod a rebus cogitationi subjectis, ut pote earumdem causis, acceperunt. Deinde vero propter *vestri*, o homines, *naturam* : cum videlicet D illæ ideæ, præter id quod a rebus cogitationi objectis habent, ipsum judicantis præjudicium involvunt. Optime igitur Philosophia quærit an *divitiæ pretiosæ* sint *vestri, vel sui natura* ; tum pro comperto ponens divitias *sui natura pretiosas* in numero bonorum non esse, sequenti pecuniæ, gemmarum, agrorum, vestium, et famulorum enumeratione probat easdem divitias nequidem *vestri natura pretiosas* inter bona esse recensendas.

[5] *Aurumne, an vis congestæ pecuniæ?*] II. Philosophia speciatim dictura, de quibusdam divitiarum generibus, nimirum de pecunia, gemmis, agris, vestibus et famulis, incipit a pecunia : quam idcirco dicit non haberi posse pretiosam, quod nec *diffundi* possit, juxta ejus institutum, quin *largiendi usu desinens possideri* ipsum dantem pauperet : nec *congeri avaritia*, quin *cæteros sui inopes faciat*, in hoc ipsa voce, rerum omnium tenuissima, tenuior, cum *vox tota pariter multorum repleat auditum*; nec mirum : quandoqui-

igitur angustas, inopesque divitias, qua nec habere totas pluribus licet, et ad quemlibet sine cæterorum paupertate non veniunt! **133** [1] An gemmarum fulgor oculos trahit? Sed si quid est in hoc splendore præcipui, gemmarum est lux illa, non hominum: quas quidem mirari homines vehementer admiror. Quid est enim carens animæ motu atque membrorum compage, quod animatæ rationabilique naturæ pulchrum esse jure videatur? quæ tametsi conditoris opera, suique distinctione postremæ aliquid pulchritudinis trahunt, infra vestram tamen excellentiam collocatæ, admirationem vestram nullo modo merebantur. [2] An vos agrorum pulchritudo delectat? Quid ni [a]? Est enim pulcherrimi operis pulchra portio. Sic quondam sereni maris facie gaudemus: sic cœlum, sidera, solem, lunamque miramur. Num te horum aliquid attingit [b]? num audes alicujus talium splendore gloriari? An vernis floribus ipse distingueris! aut tua in æstivos fructus intumescit ubertas? Quid inanibus gaudiis raperis? quid externa bona pro tui amplexaris? Nunquam tua faciet esse fortuna, quæ a te natura rerum fecit aliena. Terrarum quidem fructus, animantium procul dubio debentur alimentis. Sed si, quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ affluentiam petis. Paucis enim minimisque natura contenta est: cujus satietatem si superfluis urgere velis, aut injucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium. **134** Jam vero [3] pulchrum variis fulgere vestibus putas? quarum si grata intuitu [c] species est, aut materiæ naturam, aut ingenium mirabor artificis. [4] An vero te longus ordo famulorum facit esse felicem? Qui si vitiosi moribus sunt, perniciosa domus [d] sarcina, et ipsi domino vehementer inimica: sin vero probi, quonam modo in tuis opibus aliena probitas numerabitur? Ex quibus omnibus nihil horum, quæ in tui computas bonis, tuum esse bonum liquido monstratur. Quibus si nihil inest appetendæ pulchritudinis, quid est, quod vel amissis doleas, vel læteris retentis? Quod si natura pulchra sunt, quid id tua refert? Nam hæc per se a tuis quoque

INTERPRETATIO.

[a] Dicit Boetius.
[b] Ait Philosophia.
[c] *Forma.*
[d] *Onus.*

NOTÆ.

dem vox, ut pote sonus, versatur in quodam tremore aeris, qui quod liquidus sit, ab uno homine loquente undique commoveri potest: pecunia autem est nummus ex ære primum, deinde ex auro argentove confectus, quo statutis legibus res propter facilius commercium permutari possunt: licet autem plura corpora simul moveri possint, idem tamen corpus non potest pluribus simul locis circumscribi.

[1] *An gemmarum fulgor oculos trahit?*] III. Philosophia gemmas dicit menti humanæ non debere esse pretiosas, quod lumen, quo gemmæ splendent, non sit hominum, sed illorum duntaxat affectio corporum, quæ cum *inanimata* sint, sic infra mentis humanæ *excellentiam collocata sunt,* ut hominis *admirationem nullo modo mereantur.* Nimirum gemma est lapis qui, instar vitri pellucens, lumen ideo transmittit, quod ante liquatus fuerit, quam lapidesceret. Hinc si aliquid metalli, alteriusve corporis opaci, gemmæ adhuc liquescenti infundatur, gemma pellucere minus apta coloratur: hinc suus est gemmarum sive pellucentium, sive relucentium fulgor, quo oculi ita moventur, ut mens ipsa ad gemmas primum spectandas, deinde admirandas, et aliquando etiam amandas excitetur, donec exuta omni præjudicio, advertat hic nihil aliud esse quam motum, non solum ipsa mente, a qua cogitatur, inferiorem: sed ipsi etiam corporum vitæ, quæ in perenni continuataque motione versatur, longe postponendum.

[2] *An vos agrorum pulchritudo delectat?*] IV. Philosophia addit, neque etiam agros prædictæ menti esse debere pretiosos: quia cum ager dicatur territorium, quod diligentius cultum fruges affert, ager pretiosus menti haberi nequit, nisi aut sua magnitudine, quatenus terminis longissimis circumscribitur; aut sua figura, quatenus tumoris expers, ceu cylindro æquatus fuerit; aut suo motu, quatenus non modo fertilis, sed etiam fructuosus fuerit: *Agro bene culto,* inquit Tullius, *nil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius.* Atqui nullo ex his modis ager menti humanæ pretiosus esse potest. Non sua magnitudine: nam *luna, sol, sidera, cœlum,* quæ tamen ipsi menti pretiosa non videntur, *pulcherrimi operis portio* sunt quolibet agro major. Non etiam sua figura plana: siquidem *mare*: quod nihilominus tanto in pretio non est, dum tranquillum est et *serenum,* aquis æquali pondere libratis, non solum agro, sed quolibet alio corpore plano planius est: *quid enim tam planum videtur,* ait Tullius II Acad., *quam mare? ex quo etiam æquor illud poetæ vocant.* Non denique suo motu, sive *florens,* sive etiam *fructuosus*: quoniam flores fructusque agrorum extra hominem sunt; aut si horum pars quædam ipsum hominis corpus instar alimenti subeat, hæc tam parva esse debet, ut *si naturæ satietatem superfluis urgere velis, aut injucundum, quod infuderis, fiat, aut noxium.* Lucretius l. V:

Quod si quis vera vitam ratione gubernet
Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce,
Æquo animo: neque enim est unquam penuria parvi.

[3] *Pulchrum variis fulgere vestibus.*] V. Philosophia probat, neque etiam vestes menti nostræ habendas esse pretiosas; quod quæ *vestium grata intuitu species est,* hæc non ad nostram mentem, sed aut ad *materiæ naturam,* aut *ad ingenium* spectat *artificis.* Imo pulcherrima vestis ne a minima quidem febre te poterit liberare. Lucretius l. II:

Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus si in picturis, ostroque rubenti
Jactaris, quam si plebeia in veste cubandum est.

[4] *An te longus ordo famulorum.*] VI. Philosophia pariter demonstrat famulorum turbam prædictæ menti non esse pretiosam: quia famuli isti vel improbi sunt, vel probi. Si improbi, tantum abest ut domino pretiosi sint, ut potius *perniciosa domus sarcina, et domino vehementer inimica,* quippe qui lege divina tenetur famulum et a vitio retrahere et ad virtutem promovere. Hebr. XIII: *Ipsi enim domini pervigilant, quasi rationem pro animabus reddituri.* Si vero probi: *Quonam modo in tuis opibus aliena probitas numerabitur?* Quare Philosophia merito concludit beatum hominem non esse, quod pecunia, gemmis, agris, vestibus et famulis abundet. Horat. Carm. IV, od. 9:

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati

opibus [1] [a] sequestrata placuissent. Neque enim idcirco sunt pretiosa, quod in tuas venere divitias: sed quoniam pretiosa videbantur, tuis ea divitiis annumerare maluisti. **135.** Quid autem [b] tanto fortunæ strepitu desideratis? [2] Fugare, credo, indigentiam copia quæritis. Atqui hoc vobis in contrarium cedit. [3] Pluribus quippe adminiculis opus est ad tuendam pretiosæ [4] supellectilis varietatem: verumque illud est, permultis eos indigere, qui permulta possideant; contraque minimo [c], qui abundantiam suam naturæ necessitate, [5] non ambitus superfluitate metiantur. Itane autem nullum est proprium vobis, atque insitum bonum, ut in externis, ac sepositis rebus bona vestra quæratis? [6] Sic rerum versa conditio A est, ut [7] divinum [d] merito rationis animal, non aliter sibi splendere, nisi inanimatæ supellectilis, possessione videatur? **136** Et [8] alia quidem suis contenta sunt: vos autem [e] Deo mente consimiles, ab rebus infimis excellentis naturæ ornamenta captatis; nec intelligitis, quantum conditori vestro faciatis injuriam. [9] Ille genus humanum terrenis omnibus præstare voluit: vos dignitatem vestram infra infima quæque detruditis. Nam si omne cujusque bonum, eo cujus est, constat esse pretiosius, cum vilissima rerum vestra bona esse judicatis, eisdem vosmetipsos vestra existimatione submittitis [10] quod quidem haud immerito [f] cadit. [11] Humanæ quippe naturæ ista conditio est, ut tum tantum cæteris re-

INTERPRETATIO.

[a] *Sejuncta.*
[b] *Fortunam tuam frequenter appellando tantoque concursu quærendo.*
[c] Indigere eos.
B
[d] *Titulo.*
[e] Homines.
[f] *Contingit.*

NOTÆ.

Pejusque leto flagitum timet,
Non ille pro caris amicis.
Aut patria timidus perire.

[1] *Sequestrata*] *Sejuncta. Sequestratus* autem dicitur a *sequestro*, hoc a *sequester*, qui est arbiter inter utramque partem sic medius, ut neutrius præjudicio actus judicet: quemadmodum Æn. XI, v. 133:

Bis senos pepigere dies et pace sequestra.

Sed vox ista, *sequestratus*, qua Arnobius, l. V Adv. gent., et Cassiodorus, I I Var., cap. 3, utuntur, purioris Latinitatis non videtur.

[2] *Fugare indigentiam copia quæritis.*] Id unum prætexunt quicunque vehementiori prædictorum studio afficiuntur. Scilicet unusquisque homo suæ tenuitatis conscius, pecunia, gemmis, agris, vestibus et famulis, veluti totidem satellitibus circumdatus, his putat se posse ab omni hostium injuria liberari: sed fallitur:

[3] *Pluribus quippe adminiculis opus est. Adminiculum* est auxilium, quod ad manum, sive præsto est: quod autem prædicta bona perpetuæ sint corruptioni obnoxia, ideo quo plura possidemus, eo ad illa conservanda plura nobis ad manum esse debent auxilia.

[4] *Supellectilis.*] Supellex proprie est ornamentum aulæ, cujusmodi sunt aulæa, sedilia, lintea, vasa, exteraque domus utensilia, quod nimirum hæc pellibus involuta, a militibus et forte etiam a legatis ad suos usus portarentur: hic autem supellectilis varietas est prædictorum bonorum externorum multitudo nomine partis ad totum translato.

[5] *Non ambitus superfluitate.*] Non solum præsidii causa, ut dictum est, sed ambitu etiam prædictis divitiis studemus comparandis, rati nimirum nos eo majorem de nobis existimationem in mente cæterorum hominum excitaturos, quo pluribus majoribusque ejusmodi bonis fruemur: atque id ex eo evidens est, quod, si arbitraremur fore ut a nullo unquam homine videremur, nec gemmis, nec vestibus, nec ullis ejusmodi bonis ita inhiaremus.

[6] *Sic rerum versa conditio.*] Mens quippe mea mei corporis forma est, sed a Deo et propter ipsum Deum creata: quamobrem veluti media inter Deum conditorem, corpusque consors, ab utroque sic informatur notionibus, ut ab utroque in suas trahatur partes: sed heu! cum Deo unice diligendo vacare deberet, infelici cum propriæ infirmitatis, tum perturbationis pondere ad corpus primum, deinde ad cætera corpori famulantia truditur, qua quidem in re homo, *divinum merito rationis animal*, cæteris rebus creatis insipientior, injuriam facere videtur et Deo et sibi. Primum quidem homo est.

[7] *Divinum merito rationis animal.*] Homo enim ut nemo nescit, constat ex mente et corpore mutuo conjunctis: mens *ratio*; corpus *animal* non raro appellatur; sed mente homo similis est Deo: sicut statuitur Genes. I. *Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram*: quatenus videlicet mens nostra res est, instar Dei, cogitans: unde homines, II Petri I, *divinæ consortes naturæ* dicuntur: propterea nunc homo vocatur *animal merito* sive titulo *rationis divinum. Homines*, inquit Tullius de un., *Deorum immortalium quasi gentiles sunt, et divini generis appellantur et omnium animantium tenent principatum.* Deinde idem homo est cæteris rebus creatis insipientior: quandoquidem.

C [8] *Alia quidem suis contenta sunt.*] Nam corpora inanimata, plantæ, bestiæ ipsæ finibus sibi divinitus præscriptis ita continentur, ut nec pecuniæ, nec gemmarum nec agrorum, nec vestium, nec famulorum desiderio teneantur. Præterea idem homo injuriam videtur facere Deo:

[9] *Ille genus humanum*, etc.] Cum enim Deus, ut pote cujus sapientia infinita est, quolibet homine etiam sapientissimo sit sapientior, propterea ille homo injuriam facit Deo, qui ausus suum judicium divino anteponere, quam dignitatem Deus terrenis omnibus præstare voluit, hanc infra infima quæque detrudit. Atqui homo prædictis bonis inhians ita se habet. Bonum enim ita in perfectione versatur, ut quod cuique bonum, illud eidem, semetipso videatur perfectius, ut pote a quo perfici possit: neque etenim perfici potest, nisi a perfectiori. Quamobrem cum pretiosum, ut supra dictum est, illud habeatur, quod D in nostra est existimatione, cumque hæc existimatio non, nisi crescente rei subjectæ perfectione, crescere debeat, idcirco quidquid alicui bonum videtur, illud eidem pretiosius videatur, necesse est: quare homo summo famulorum, vestium, agrorum, gemmarum, pecuniæ et cæterarum ejusmodi rerum abjectissimarum desiderio occupatus, res istas sua etiam mente pretiosiores, perfectioresque esse existimat, adeoque suo conditori facit injuriam suo illo falso judicio.

[10] *Quod quidem haud immerito cadit.*] Quod quidem falsum judicium nec sine aliqua causa est, nec sine aliquo effectu: oritur quippe ex voluntaria humanæ mentis ignoratione, quæ ignoratio, crescente illo judicio, crescentibusque adjunctis illi perturbationibus crescit.

[11] *Humanæ quippe naturæ*, etc.] Homo in hoc differt a cæteris animantibus, quod ille possit, cæteræ

bus, cum se cognoscit, excellat : eadem (10) tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare, natura est : hominibus vero, vitio venit. **137** [1] Quam vero late patet vester hic error, qui ornari posse aliquid ornamentis existimatis alienis. At id fieri nequit. Nam si quid ex appositis luceat, ipsa quidem, quæ sunt apposita, laudantur : illud vero his tectum, atque velatum in sua nihilominus fœditate perdurat (5). [2] Ego vero nego illud esse bonum, quod noceat habenti. Num id mentior? Minime, inquies. Atqui divitiæ possidentibus persæpe nocuerunt, cum pessimus quisque eoque alieni magis avidus, quidquid auri usquam, gemmarumque est, se solum, qui habeat, dignissimum A putat. Tu igitur, [3] qui nunc [a] contum gladiumque sollicitus pertimescis (10), si vitæ hujus [b] callem vacuus viator intrasses, coram latrone cantares. O præclara opum mortalium beatitudo, quam cum adeptus fueris, securus esse desistis!

138 METRUM* V.

ARGUMETUM. — *Philosophia, posito discrimine inter vetera novaque tempora, ait, idcirco ætatem majorum nostra fuisse feliciorem, quod illi minori, quum nos, victus, vestitus, auri et regni cupiditate tenerentur.*

Felix nimium prior æstas,
Contenta fidelibus arvis,
139 Nec inerti perdita luxu :
Facili quæ sera solebat

INTERPRETATIO.

[a] *Longum fustem.*
[b] *Semitam*
Ætas prima hominum priscorum erat *nimis beata*, B *contenta* suis *arvis fertilibus*, *neque dissoluta intemperie ignava quæ consueverat post longa jejunia pasci glande expedita.* Hi *nesciebant vina*, Liberi sive *Bacchi*

NOTÆ.

vero animantes non possint cogitare : quare quod cæteræ animantes *sese ignorent*, hoc illarum *natura*, est : quod vero homo se *ignoret*, id ejus *vitium* est quatenus præcipitationi et præjudicio obsecutus, ad suam mentem animo non vult attendere : unde justo Dei judicio fit ut *infra bestias redigatur* : *Nolite fieri*, inquit David psal. XXXI, *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* : ut nimirum sui immemor, instar bestiæ, huc feratur, quo corpus rapit.

[1] *Quem late patet vester hic error.*] Est quidem hic *error* sive falsum judicium, quatenus homo arbitratur, mentem suam ornari posse ornamentis alienis, videlicet pecunia, agris, gemmis, etc., *ipsa enim quæ sunt apposita laudantur quod vero his tectum atque velatum in sua nihilominus fœditate perdurat :* cadavera putes pulchris condita sepulcris : stercora C nivibus obducta. At ille *error lote patet*, non solum ratione multorum hominum, qui illo inficiuntur verum etiam ratione diversorum motuum cum animi tum corporis, quorum error ille est causa : quamobrem homo hoc ipso errore non modo Deo, ut probatum est, sed et sibi ipsi facit injuriam.

[2] *Ego vero nego illud esse bonum, quod noceat habenti.*] Hæc Philosophiæ ratiocinatio interpretatione non indiget. Qued, inquit, nocet habenti, illud habentis bonum esse non potest : bonum quippe favere debet, non nocere. Atqui prædictæ divitiæ nocent habentibus, cum in aliis, tum in hoc præsertim, quod *pessimus quisque eoque alieni magis avidus quidquid auri usquam gemmarumque est, se solum, qui habeat, dignissimum putat ;* sua videlicet perturbatione præsertimque avaritia obcæcatus : unde per fas et nefas opibus studet acquirendis. Plautus in Captiv., act. D II, scen. 2 :

Odi ego aurum : multa multis suasit perperam.

[3] *Qui nunc contum*, etc] Philosophia alludit ad hos versus Juvenal. sat. 18, l. IV, v. 19 :

Pauca licet portes argenti vascula puri
Nocte iter ingressus, gladium contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Latro autem nunc ille dicitur qui, vias obsidens, viatoribus aufert opes, sæpe etiam vitam. Nimirum latro olim erat miles conductus sive satelles, sic dictus quasi *latero*, quod stiparet principis sui latus. Quoniam vero ejusmodi homines sua apud reges auctoritate abusi, viatores aggredi pecuniamque auferre non dubitabant, factum est, ut quicunque viarum obsessores, dicti fuerint latrones.

* Carmen constans uno genere versuum, quorum quilibet tribus constat pedibus cum syllaba superstite : tertius pes semper anapæstus : primus et secundus indiscriminatim spondeus, aut anapæstus.

1. *Prior ætas.*] I. Philosophia ponit discrimen inter vetera et nova tempora. Poetis quiqpe quatuor sunt mundi ætates, nempe aurea, argentea, ærea et ferrea, quod quemadmodum ferrum ab ære, æs, ab argento, argentum ab auro, sic nepotes a virtute majorum degenerant : unde Horat. l. III Carm. od. 6 :

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Hic autem agitur de ætate aurea, quæ idcirco vocatur *prior* : de qua ætate quæ nunc dicuntur, hæc maximam partem dicta fuerunt a Virgil. I et III Georg., Tibullo l. I, el. 3, Lucretio l. V, Horatio Epod. od. 16. Ovid. I Metam., Juvenali sat. 6, etc.

2. *Contenta fidelibus arvis.*] II. Philosophia tractatura de victu, nimirum cibo potuque aureæ illius sive prioris ætatis, incipit ab ipsa ejusmodi victus causa, nempe ab *arvis fidelibus*, quibus veteres illi contenti erant. *Arvum* autem, inquit Festus, *ager est necdum satus* : fidele vero id dicitur, quod votis respondens, exspectationem possessoris non frustratur : atqui aurea illa ætate agri nec arati nec sati idipsum præstabant. Lucret. l. V :

Nec robustus erat curvi moderator aratri
Quisquam : nec scibat ferro molirier arva,
Nec nova defodere in terram virgulta, neque altis.
Arboribus veteres decidere falcibu'ramos :
Quod sol atque imbres, dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum.

Ovid. I Metam., v. 109 :

Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

3. *Nec inerti perdita luxu.*] Luxus hic vitium est dissoluti animi, quod hic variis suis cogitationibus, in contrarias veluti partes distractus, instar liquoris motu evanescentis dilui videatur : ut enim a *fluo* est *fluxus;* sic a *luo* est *luxus* : unde *luxuries* : sic Terentio *adolescens* dicitur *luxu perditus.* Ille autem *luxus* non abs re vocatur *iners* : nam *iners* quasi sine arte generatim significat rem omnem quæ est motus expers : sicut Ovidio, *nec quidqnam nisi pondus iners.* Atqui ille animi luxus primum quidem cogitationes, deinde corporis ipsius humani motus rectos impedit.

Jejunia solvere glande.
Non Bacchica munera norant
Liquido confundere melle,
Nec lucida vellera Serum
Tyrio miscere veneno.
A Somnos dabat herba salubreis,
Potum quoque lubricus amnis,
Umbras altissima pinus.
Nondum maris alta secabat,
Nec mercibus undique lectis,

INTERPRETATIO.

dona, *permiscere* cum *melle fluido*; *neque inficere lanas candidas Serum* populorum *succo* purpureo *Tyri*. *Gramen iisdem tribuebat soporem salutiferum; fluvius liquidus* tribuebat *potionem*; *pinus procera* tribuebat *umbras*. *Nondum* ullus homo *scindebat* navi *mare profundum*, *neque peregrinus*, *opibus undequaque quæsitis*, *conspexerat oras ante ignotas*. *Tunc cornua* belli *crudelia silebant*, *nec sanguis gravibus inimicitiis effusus*, *consperserat arma horrenda*: *quare etenim ira hostilis tentasset a primis illis temporibus tractare ullum fer-*

NOTÆ.

5. *Jejunia solvere glande.*] III. Philosophia commendans cibum prioris illius ætatis, breviter notat ea quæ nostram inter et priscam victus rationem animadverti possunt discrimina, quorum alia ad ipsa cibaria; alia ad horum modum pertinent. Primum enim nostra cibaria exquisita esse solent et arte parata; prisca erant *facilia* et ab ipsa natura suppeditata. Deinde nostra cibaria frequenter sumuntur, et sæpius nulla instigante fame: prisca non nisi post *jejunia* eaque *sera* sive ad ultimum usque diem servata. Postremo nostra cibaria esse solent carnes, pisces et optimum quodque fructuum terrestrium genus: prisca erant *glandes*, ignobile frugum vulgus; quod pluribus aliis cum oratorum, tum poetarum testimoniis confirmari potest. Virgil. I Georg., v. 8:

Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

Et v. 159:

Concussaque famem in silvis solabere quercu.

Lucretius l. v.

Glandiferas inter curabant corpora quercus...
Ast odium cœpit glandis.

Ovidius I Metam., fab. 3, v. 103:

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fetus montanaque fraga legebant,
Cornaque, et in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.

Hinc primi homines vocabantur βαλανοφάγοι καὶ ὑδροπόται, *glandis edaces et aquæ potores*: hinc etiam communi adagio antiquitus dicebatur ἅλις δρυός, *satis quercus*.

6. *Non Bacchica munera.*] IV. Philosophia meminit potus aureæ illius ætatis, quem dicet versu undecimo fuisse aquam, *Potum quoque lubricus amnis*: unde præmittit hos veteres nec vinum *Bacchica munera*, nec mulsum *vinum melle mistum* novisse. Vinum enim dicitur munus Bacchi, quod Dionysius vini inventor dictus fuerit Bacchus sive ἴακχος ab ἰαχή, quod clamorem notat; quia forte vinum ad loquendum primum, deinde etiam ad clamandum potores excitet. Horat. Epist. l. I, ep. 5:

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas: in prælia trudit inermem:
Sollicitis animis onus eximit: addocet artes.
Fecundi calices quem non fecere dissertum?

Mulsum autem est potio ex vino et melle permistis facta: unde Græcis οἰνόμελι et μελίκρατον appellatur. Nimirum quemadmodum vino recens invento aqua, prior hominum potio, infusa fuit, juxta illud Virg. I Georg., v. 9:

Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.

Sic crescente gulonum libidine, eidem vino mel fuit immistum, sive ad voluptatem, sive etiam ad producendam vitam: potus quippe ille venas vacuas sua lenitate mulcere fertur: ex quo forte a *mulcendo* dicitur *mulsum*. Hinc Catius apud Horatium reprehendit Aufidium, non quod mel Falerno misceret, sed quod Falerno austero,

Aufidius forti miscebat mella Falerno
Mendose, quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet, leni præcordia mulso
Prolueris melius.

Hinc etiam Asinius Pollio centesimum excedens ætatis annum, cum ab Augusto hospite rogaretur
B quanam maxime ratione illum corporis animique vigorem servasset, respondit, *Intus mulso, foris oleo*.

8. *Nec lucida vellera Serum.*] V. Philosophia transit ad primas majorum vestes, quas designavit nominatis illorum toris et tentoriis: tori, erant herbæ; *somnos dabat herba salubres;* tentoria, arbores, *umbras altissima pinus*: quamobrem prius dixit, hos veteres non novisse *vestes sericas*, aut *purpuram*, qua tingerentur. Seres ergo sunt populi, quos inter duos amnes Hydaspem et Indum constitutos Orosius scribit l. III, c. 23. Apud hos quædam sunt arbores tenuissima quadam lana onustæ: sicut plurimis gravissimorum auctorum testimoniis probatur: ut Virgilii II Georg., v. 121:

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Senecæ in Oct., v. 667:

Nec Mæonia distinguit acu
Quæ Phœbeis subditus euris
C Legit eois ser arboribus.

Claudiani carm. 1, v. 179:

Stamine quod molli tondent de stipite Seres.

Sed gravis est disputatio de origine ejusmodi lanæ, an hæc ab arboribus, an potius a vermiculis illic degentibus? hoc ultimum videtur probabilius, ut bombyces apud istos populos, veluti apud nos stamen ab alvo gravida ducant. Eleganter rugosum ac sordidum illum vermem descripsit grande nostræ universitatis decus Antonius Hallæus, his versibus:

Est olli mater sanies, dat frondea nutrix
Pabula, Thysbæo Morus polluta cruore.
Queis avidam ut clausus latebroso in carcere pavit
Ingluviem, totoque satur jam corpore turget,
Viscera tum vacuans paulatim hinc molle figurat
Lanicium; illuviemque modis in tenuia miris
Net fila, et teretem glomerans convolvit in orbem.
Ut vero emeritus perfecit nobile pensum
D Exanimo similis, pretiosa ut conditus urna
Hic jacet: at luci mox redditur; induit alas,
Jamque avis, et vermis, neutrumque, et denique monstrum est.

Purpura autem, qua vestes sericæ tinguntur, vocatur *venenum Tyrium*: *venenum* quidem, quia liquor est e concha eductus, qui lanas, instar veneni viscera et venas subeuntis, ingressus has inficit: *Tyrium* vero, quod Tyrus urbs Phœniciæ, muricis, prædictæ conchæ, piscatu fuerit celebris. Virg. II Georg., v. 465:

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.

13. *Nondum maris alta secabat.*] VI. Philosophia commemorat, aurum, quod commercio præsertim comparatur: commercium autem fit præcipue ope famulantis maris, de quo nunc agitur. Sic Lucretius l. v:

At non multa virum sub signis millia ducta
Una dies dabat exitio: nec turbida ponti
Æquora lædebant naves ad saxa virosque.

Sic Tibullus l. I, el. 5:

Nova littora viderat hospes.
Tunc classica sæva tacebant,
142 Odiis neque fusus acerbis
Cruor horrida tinxerat arma.
Quid enim furor hosticus ulla
Vellet prior arma movere,
Cum vulnera sæva viderent,
A Nec præmia sanguinis ulla?
Utinam modo nostra redirent
In mores tempora priscos!
Sed sævior ignibus Ætnæ
Fervens amor ardet habendi.
143 Heu, primus quis fuit ille,
Auri qui pondera tecti

INTERPRETATIO.

rum? quandoquidem primi illi homines *animadvertebant* fore ut *infligerentur plagæ crudeles*, *absque mercede* ulla *cruoris effusi. Utinam nostra ætas nunc revertatur ad antiquum* illum *modum* vivendi. *Verum æstuans libido bonorum caducorum*, *asperior flammis Ætnæis fervet* apud nos. *Heu*, *quisnam ille fuit* omnium *primus, qui eruit pondera auri absconditi, et*

NOTÆ.

Nondum cæruleas pinus contempserat undas
Effusum ventis præbueratque sinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem.

Sic Ovidius I Metam.

Nondum cæsa suis peregrinum ut viseret orbem
Montibus in liquidas pinus descenderat undas:
Nullaque mortales præter sua littora norant.

Tria supersunt hic notanda vocabula, videlicet *alta*, *mercibus*, *et hospes*. *Alta maris* significant mare profundum et a terris remotius. Sic Virgil. I Æn., v. 38:

Vix e conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti.

Et Æn. II, v. 203:

Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta.

Merx sive, ut antiqui loquebantur, *mercis* a *mercando* dicitur: unde rem venalem significat eamque præsertim quam nostri *mobilem*, *du meuble*, vocant, qualis vendi emique solet in nundinis hinc et inde lecta. Propterea numen, quod veteri superstitione credebatur lucro rebusque istis emendis vendendisque præesse, dicebatur *Mercurius*, nec aliam forte ob causam hic pingebatur sinistra virgulam, dextra sacculum numarium tenens, nisi quod mercatores his instructi, proficisci solent. *Hospes* denique sive ut primi Latinitatis auctores dicebant, *hostis* is est quem nunc peregrinum dicimus, Gallice *un hôte*.

16. *Tunc classica sæva tacebant.*] VII. Philosophia agit de regno, cujus obtinendi vel amplificandi causa buccinæ inflantur, arma sumuntur, multusque sanguis funditur. *Classica* igitur quasi *calassica* ab antiquo *calo*, *voco*, inquit Isidorus l. XVIII, c. 4, sunt cornua quæ convocandi causa erant facta: quemadmodum *classis* ab origine eadem dicta, eam significat hominum multitudinem, quæ sive mari, sive terra, sive domi, sive militiæ signo aliquo solet convocari: sic nostræ etiam scholæ, quod sint cœtus discipulorum convocati, vulgo *classes* appellantur. Hic autem *classica* sunt signa militiæ, ut apud Virgil. II Georg., v. 538:

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat,
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.

Cruor vero sanguis est non solum qui corde ruit, sicut quibusdam placet (quandoquidem sanguis omnis e corde egressus ruit), sed qui extra venas effusus ut quiescit sic friget: *cruor* quippe dicitur a κρύος, *frigus*: unde κρυερὸς, *frigidus*. Quod cum horrorem incutere soleat, sanguis propterea et *acerbis* duntaxat *odiis fundi*, *et fusus arma quæ tingit*, *facere horrida* nunc perhibetur: propterea etiam nemo, sanguinis fundendi gratia, *arma primum voluerit movere*, nisi aliquod videatur sanguinis fundendi *præmium*; ut nunc dicitur, non fuisse in illa priori ætate aurea. Ovid. I Metam.:

Non galeæ, non ensis erat: sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes.

Scilicet ut canit Lucretius l. V:

Sic alia ex alio peperit discordia tristis,
B Horribile humanis quod gentibus esset in armis:
Inque dies belli terroribus addidit augmen.

23. *Utinam nostra redirent*, etc.] Ita quidem prior ætas moderata fuit circa victum, vestitum, aurum et regnum, sed nostra in his omnibus cupiendis nullum videtur modum tenere: hinc minus felicem vitam ducimus, justissimumque est illud Philosophiæ votum.

25. *Sævior ignibus Ætnæ amor ardet habendi.*] Mens quippe humana, hinc sui suæque perfectionis amans; inde vero suæ tenuitatis conscia naturaliter, non modo suum corpus, sed externas etiam res amore prosequitur, adeo ut ex se cæterisque ejusmodi rebus quædam sibi videatur fieri societas, cujus ipsa sit pars non ultima. Hinc cæteris hisce rebus studet aut conservandis, si habeat; aut comparandis, si iisdem careat, ita ut si contingat, hanc aliqua ejusmodi rerum aut possessione aut spe spoliari, veluti de parte suæ societatis detracta doleat, magis C aut minus, prout pars illa pluris aut minoris habebatur. Nec immerito amor ille nunc dicitur *ignibus Ætnæ sævior*: nam Ætna mons Siciliæ, vulgo *mont Gibel* perpetuo clarus incendio, frequentique strage a poetis celebratur. Virgil. I Georg., v. 472:

Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa.

Illa autem perturbatio, quæ non minus perennis est, quam ignis Ætnæus, longe plures gravioresque inducit calamitates. Virgil. VIII Æn., v. 324:

Aureaque, ut perhibent, illo sub rege fuere
Sæcula: sic placida populos in pace regebat:
Deterior donec paulatim ac decolor ætas
Et belli rabies, et amor successit habendi.

Ovid. I Metam., v. 128:

Protinus erupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque
In quorum subiere locum fraudesque dolique
D Insidiæque et vis et amor sceleratus habendi.

27. *Primus quis fuit ille.*] Elegans locutio ad significandam vim prædictæ perturbationis. Sic Tibullus l. I, el. 10:

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?

Sic Horatius l. I Carm., od. 3:

Illi robur et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus nec timuit præcipitem Africum
Decertantem aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem noti.

28. *Auri qui pondera tecti.*] Recte aurum suo notatur *pondere*, non solum quia aurum omnium metallorum est gravissimum: sed etiam quia est omnium præstantissimum, recte quoque aurum dicitur *tectum*, præsertim inventori, de quo nunc agitur; siquidem aurum intra viscera terræ inclusum formatur.

Gemmasque latere volentes,
38 **141** Pretiosa pericula fodit?

145 PROSA VI.

ARGUMENTUM. — *Philosophia spectatura potentiam ex parte potentis, subditi et ejusdem proprietatis, videt potentiam, 1° in improbo magistratu vituperii, in probo non laudis majoris esse causam; 2° in sola corpora sic valere, ut potens non minus lædi possit quam lædere; 3° nec vitia fugare posse nec infirmitatem : ex quibus concludit potentiam, nonnisi abusu nominis, in numero bonorum poni.*

Quid autem [1] de dignitatibus potentiaque disseram, quas vos, veræ dignitatis ac potestatis inscii, [a] cœlo A exæquatis? **146** [2] Quæ si in improbissimum quemque ceciderint, quæ [b] flammis Ætnæ eructantibus, quod [c] diluvium tantas strages dederint? Certe, uti meminisse te arbitror, consulare imperium, quod libertatis principium fuerat, ob superbiam consulum vestri veteres abolere cupierunt, (5) qui ob eamdem superbiam prius regium de civitate nomen abstulerant. At si quando, quod perrarum est probis honores deferantur, quid in eis aliud quam probitas utentium placet? Ita fit ut non virtutibus ex dignitate, sed ex virtute dignitatibus honor accedat. **147** [3] Quæ

INTERPRETATIO.

gemmas abscondi natas; quæ ambo sunt *pericula cara?*

[a] *Ad cœlum usque laudando attollitis.*

[b] *Igne voraciores.*

[c] *Aqua rapidiores.*

B

NOTÆ.

29. *Gemmasque latere volentes.*] In gemmis, ut pote quæ cogitationis sunt expertes, neque voluntas est, neque ullus appetitus : Sed si gemmarum originem naturamque advertas attentius, hac credideris *velle latere.* Primo quidem gemmæ sua origine videntur *velle latere :* hæ enim oriuntur in locis abditis, in aquis scilicet et in terra, ubi instar vitri liquescunt primum, deinde in fragilitatem duratæ perlucent. Secundo eædem gemmæ sua natura videntur *velle latere*: hæ enim aut transmisso lumine pellucent, aut remisso eodem lumine relucent. Si pelluceant, hæ aera, quem spiramus, referentes, minus sunt aspectabiles. Si vero reluceant, eædem oculorum aciem ita perstringunt, ut fixis oculis undique non possunt aspici.

30. *Pretiosa pericula.*] Aurum et gemmæ *pretiosa* quidem sunt, saltem propter illud, quod homo de his habet præjudicium. At sunt *pericula*, non modo quandiu inclusa latent in natali sede, ex qua non sine C magno fodientis periculo possunt erui : sed etiam postquam effossa ab hominibus aut tenentur, aut quæruntur : quippe quæ ut corpori sic menti mortem sæpius afferunt. Virg. III Æn., v. 57 :

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

[1] *De dignitatibus potentiaque.*] *Dignitates* et *potentia* sive *potestas* hic conjunguntur : quoniam non differunt nisi nomine : *Dignitas* autem, inquit Tullius II de Inv., est *alicujus honesta auctoritas quæ cultu, honore et verecundia digna est.* Nimirum *dignitas* dicitur a *digno* : *dignus* sive, ut veteres scribebant, *dicnus* a nomine Græco δίκη *jus*, ut dignus sit ille, cui æquum est obsequi : cum autem homo homini sit par, æquum non potest esse hominem homini obsequi, nisi Deo, omnium hominum conditore et rege, jubente : hinc omnis dignitas ita a Deo est, ut regi magistratibusque imperantibus, tanquam personis vices Dei gerentibus subditi teneantur obsequi : Joannis XIX : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Omnis anima*, inquit Apostolus ad Rom. XIII, *potestatibus sublimioribus subdita sit* : *non est enim potestas nisi a Deo* : *quæ autem sunt a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* : *qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* etc.

Dignitas ergo sive potestas est quædam veluti forma, quæ propterea spectari potest ex parte potentis, ex parte subditi, et ex parte proprietatis, quæ philosophis minus Latine loquentibus dicitur *effectus formalis :* atque ex triplici hoc capite philosophia deinceps probabit non solum divitias, de quibus jam egit, sed ipsam etiam *potentiam* non ita habere rationem boni, ut qui his caruerit, ille propterea habendus sit infelix.

[2] *Quæ si in improbissimum.*] I. Philosophia agit de viro potente, sive, ut aiunt philosophi, *de subjecto potestatis.* Potens autem ille recens factus vel improbus est, vel probus. Si improbus fuerit, tantum abest ut hic accedente potestate melior fiat ut potius, instar ignis vehementissimi et aquæ rapidissimæ, idem magnas strages edat, abusus nimirum sua auctoritate : testes sunt reges consulesque Romani. Si autem fuerit probus, non propter potestatem probitas hujus; sed propter probitatem potestas laudatur : verum ad intelligendum id quod nunc dicitur de *regibus* et *consulibus Romanis*, aliquid dicendum de imperio et de varia ejus forma apud Romanos.

Imperium, Græcis πολιτέια, auctore Lipsio l. II Polit., cap. 1, *est certus ordo in jubendo et parendo, Triplex est*, inquit, *principatus, optimatum et populi status. Miscentur inter se, fateor, et remittuntur aut intenduntur : sed sic ut propendeat et præponderet semper aliqua pars, a qua jure ei nomen.* Principatus est imperium unius, qui propterea vocatur rex aut princeps. Status optimatum est imperium plurium, qui quod virtute cæteris videntur præstare, electione adipiscuntur magistratus. Status denique populi est imperium plurium, qui sorte solum magistratus obtinent.

Has omnes imperii formas experti sunt Romani. Primum enim habuerunt reges, quorum *postremus*, inquit Florus l. I, c. 7, *fuit Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod a Servio tenebatur, rapere maluit quam exspectare, immissis quoque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit quam acquisierat.* Deinde habuerunt consules : nam, inquit idem cap. 9 *Bruto Collatinoque ducibus et auctoribus, quibus ultione sui moriens matrona mandaverat, populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus, quodam quasi instinctu* D *deorum concitatus, regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat, imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert, mutato tamen et jure et nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex : ne potestas solitudine vel mora corrumperetur : consulesque appellavit pro regibus, ut consulere se civibus suis debere meminissent.* Denique ut imperii Romani forma ab regibus ante ad consules venerat, sic, auctore Livio, iterum mutatur ab consulibus ad decemviros. Scilicet crescente prædictorum consulum superbia, aut potius nondum domita illa populi Romani, quæ ex pastoribus originem duxerat, feritate, tandem aliquando consulibus successerunt decemviri, qui, quod multa tyrannice agerent, damnati sunt, eorumque potestas, tertio, ex quo in rempublicam introducta fuisset, anno sublata est.

[3] *Quæ vero est ista præclara potentia?*] II. Philosophia tractat de subditis, sive de materia circa quam prædicta potestas exerceri potest : quod philosophis vocari solet *objectum potentiæ.* Subjecta autem illa

vero est ista vestra [a] expetibilis ac præclara potentia? Nonne o [b] terrena animalia consideratis, quibus qui præsidere videamini? Nam si inter mures videres unum aliquem jus sibi ac potestatem præ cæteris vindicantem, [c] quanto movereris cachinno! [1] Quid vero si corpus spectes, imbecillius homine reperire queas, quos sæpe [d] muscularum quoque vel morsus, vel in secreta quæque reptantium necat introitus? Quo vero quisquam jus aliquod in quempiam, nisi in solum corpus, et quod infra corpus est, fortunam loquor, possit exercere? Num quidquam unquam libero imperabis animo? Num mentem firma sibi ratione cohærentem de statu propriæ quietis amovebis? **148** [2] Cum liberum quemdam [e] virum suppliciis se tyrannus adacturum putaret, ut adversum se factæ conjurationis conscios proderet, linguam ille momordit atque abscidit, et in os tyranni sævientis abjecit : ita cruciatus, quos putabat tyrannus materiam crudelitatis, vir sapiens fecit esse virtutis. [3] Quid autem est, quod in alium facere quisquam potest, quod sustinere ab alio ipse non possit? Busiridem accipimus necare hospites solitum, ab Hercule hospite fuisse mactatum. Regulus plures [f] Pœnorum bello captos in vincula conjecerat : sed mox ipse [g] victorum catenis manus præbuit. Ullamne igitur ejus hominis potentiam putas, qui, quod ipse in alio potest, ne id in se alter valeat, efficere non possit? **149** [4] [h] Ad hæc, si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset aliquid naturalis ac proprii boni, [i] nunquam pessimis provenirent. Neque enim sibi solent adversa sociari. Natura respuit ut contraria quæque jungantur. Ita cum pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit, illud etiam liquet, [j] natura sui bona non esse, quæ se pessimis hærere patiantur. Quod quidem de cunctis fortunæ muneribus dignius existimari potest, quæ ad impro-

INTERPRETATIO.

[a] *desiderabilis.*
[b] *Homines.*
[c] *Quantum rideres.*
[d] *Muscarum vel minimarum.*
[e] *Zenonem, ut quidam aiunt; Anaxarchum, ut alii.*
[f] *Carthaginensium.*
[g] *Ab ipsis victis in vincula conjectus est.*
[h] *Præterea.*
[i] *Hæ.*
[j] *Secundum suam naturam.*

NOTÆ.

potentiæ materia neque absolute subest potenti, neque tanta est, ut propterea potentia sit maximi facienda. Non, inquam, materia illa absolue subest potenti; quandoquidem omnes homines, utpote ab eadem causa et propter eumdem finem conditi, ita sunt pares, ut seclusa divina voluntate, qua alii aliis præsunt, non minus sit *ridiculum* hominem sibi arrogare auctoritatem in alios, quam si *mus in murem* suum videres exercere imperium : quod hic dicitur. At hæc subjecta materies tanta non est : licet enim subditus ex mente et corpore constet, non secus ac vir potens, tamen sicut potens suam non exercet potentiam, nisi corpore, verbo nimirum aut facto; sic homo viro potenti non subest nisi corpore : quemadmodum Christus docuit Lucæ XII : *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant :* posse autem in corpus humanum tanti non est : partim quia corpore humano nihil imbecillius; partim etiam quia quod superior potest in corpus inferioris, idipsum inferiori esse potest materia virtutis; aut injuria tamen potest inferior in ipsum superioris corpus exercere.

[1] *Quid, si corpus spectes, imbecillius homine?*] Primum enim corpore humano imbecillius nihil reperiri potest : quandoquidem musca, exiguum animal, humano corpori mortem afferre potest, sive pungendo : sicut apes, præsertim vero crabrones, vulgo *frelons.* Virg. IV Georg., v. 236 :

> Illis ira modum supra est, læsæque venenum
> Morsibus inspirant, et spicula cæca relinquunt
> Affixæ venis, animasque in vulnere ponunt.

Sive etiam viscera subeundo, ut cantharides, de quibus Cicero, Epist. l. IX, ep. 21, *Caius*, inquit, *accusante L. Crasso cantharidas sumpsisse dicitur.*

Notari possunt hic duo hæc nomina, *expetibilis* et *muscularum*, quorum testem Latinum non novi : mihi diceretur *desiderabilis* et *muscarum.* Tu videris.

[2] *Cum liberum quemdam virum* etc.] Deinde cruciatus, quos superior in corpus inferioris exercet, quædam esse possunt materia virtutis : sicut contigit Anaxarcho philosopho, Democriti sectatori, de quo nunc philosophia mentionem facit. Anaxarchus enim ille, ut ait Cicero II Tuscul., cum in manus Cyprii Nycareontis regis incidisset, nullum genus supplicii deprecatus est, neque recusavit. Hic autem in pilam saxeam conjectus, ibique ferreis malleis contusus : Tunde, inquit, tunde Anaxarchi follem : Anaxarchum enim non tundis : tyranno porro amputationem linguæ minitante, linguam dentibus abscissam in tyrannum expuit.

[3] *Quid autem est quod in alium*, etc.] Postremo quod superior potest in corpus inferioris, idipsum non raro inferior in corpus superioris potest : cujus rei multa sunt exempla; meminit Philosophia *Busiridis* et *Reguli.*

Busiris Neptuni ex Libya Epaphi filia natus, crudelissimus fuit Ægyptiorum tyrannus : hic enim hospites suos Jovi immolabat, ne illi quidem vati, a quo id consilii acceperat, parcens : sed cum easdem insidias Herculi pararet, ab eodem Hercule, una cum Amphidamante filio, præcone Chalbe, et ministris ad ipsas aras interfectus est. Virg. III Georg., v. 5 :

> Quis aut Eurystea durum
> Aut illaudati nescit Busiridis aras ?

Claudian. carm. 3, v. 254 :

> O mites Diomedis equi! Busiridis aræ
> Clementes !

Idem, carm. 18, v. 159 :

> Sic multos fluvio vates arente per annos.
> Hospite qui cæso monuit placare tonantem,
> Inventas primus Busiridis imbuit aras
> Et cecidit sævi, quod dixerat, hostia sacri.

Regulus vero consul, qui, ut ait Plinius, fusis Salentinis triumphavit, primusque Romanorum ducum in Africam classem trajecit, ab ipsis Carthaginensibus (quos hic Philosophia vocat Pœnos), quas vicerat, resectis palpebris interfectus est.

[4] *Ad hæc*, etc.] III. Philosophia, consideratis *subjecto* et *objecto*, transit ad *effectum formalem* potentiæ, quemadmodum loquuntur philosophi. Sic autem contrahi potest hæc ipsius Philosophiæ ratiocinatio. Quidquid natura sua bonum est, illud habentem facit bonum, atque adeo ab eodem contrarium malum fugat : *agit enim cujusque rei natura quod proprium est, nec contrarium rerum miscetur effectibus, et ultro, quæ sunt adversa, depellit* : sic *fortitudo fortem, velo-*

bissimum quemque uberiora proveniunt. De quibus illud etiam considerandum puto, quod nemo dubitat esse fortem, cui fortitudinem inesse conspexerit : et cuicunque velocitas adest, manifestum est esse velocem. Sic musica quidem musicos, medicina medicos, rhetorica rhetores facit. Agit enim cujusque rei natura quod proprium est, nec contrariarum rerum miscetur effectibus, et ultro, quæ sunt adversa, depellit. [1] Atqui nec opes inexpletam restinguere avaritiam queunt, nec potestas sui compotem fecerit, quem vitiosæ libidines insolubilibus astrictum retinent catenis; et collata improbis dignitas non modo non efficit dignos, sed prodit potius et ostentat indignos. [2] [a] Cur ita provenit? Gaudetis enim res sese aliter habentes falsis compellare nominibus, quæ

A facile ipsarum rerum redarguuntur effectu : **150** itaque [3] nec illæ divitiæ, nec illa potentia, nec hæc dignitas jure appellari potest. Postremo idem de tota concludere fortuna licet, in qua [4] nihil expetendum, nihil [b] nativæ bonitatis inesse manifestum est, quæ nec se bonis semper adjungit, et bonos, quibus fuerit adjuncta, non efficit.

151 METRUM * VI.

ARGUMENTUM. — *Nero, inquit Philosophia, cujus potestas tanta fuit, ut populos ab ortu ad occasum, a septentrione ad austrum diffusos regeret, eo devenit improbitatis, ut Roma inflammata, plures senatores, fratrem, matremque ipsam interfecerit : usque adeo exitiosum est improbum fieri potentem.*

Novimus quantas dederit ruinas,
152 Urbe flammata patribusque cæsis,

INTERPRETATIO.

[a] *Cur res ita se habet?*
[b] *Propriæ.*
Scimus quam magnas strages Nero *fecerit, qui Roma accensa, senatoribus interfectis, et fratre occiso, olim*
B *immanis, fuit tinctus sanguine* suæ *matris quam ipse occidit; et lustrans oculis cadaver frigidum* matris, *non rigavit genas* ullis *fletibus; at non erubuit esse censor majestatis interemptæ. Nihilominus hic* tyrannus *mo-*

NOTÆ.

citas velocem, musica musicum, medicina medicum, rhetorica rhetorem facit. Atqui non solum potentia, de qua nunc agitur, sed etiam cuncta fortunæ munera, habentem non faciunt bonum, nec ab eo contrarium malum fugant : *cum pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit,* et *cuncta fortunæ munera ad improbissimum quemque uberiora proveniant.*

[1] *Atqui nec opes,* etc.] Quin etiam prædicta fortunæ bona nequidem illud cujus speciem nomenque imprimis gerunt, præstare videntur : cum neque divitiæ divitem, neque potestas potentem, neque dignitas dignum faciat. Non quidem divitiæ faciunt divitem : quia hæ *inexpletam restinguere avaritiam nequeunt :* quippe quæ avaritia crescentibus divitiis crescit : ita ut copia faciat inopem. Non etiam potestas potentem facit : quoniam hæc cum quem potentem dicunt, utpote *quem* sæpius *vitiosæ libidines insolubilibus astrictum retinent catenis, sui compotem non facit.* Non denique dignitas dignum facit : siquidem *dignitas improbis collata non modo non efficit dignos, sed prodit potius et ostentat indignos.* Juvenal. sat. 8, v. 140.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

[2] *Cur ita provenit?*] IV. Philosophia ex dictis concludit, prædicta male cum peculiari, tum etiam generali nomine ab hominibus donari : *Gaudetis,* inquit, o homines, *res sese aliter habentes, falsis compellare nominibus, quæ facile ipsorum rerum redarguuntur effectu.*

[3] *Nec illæ divitiæ,* etc.] Primum enim prædicta male peculiari suo nomine donantur : quandoquidem quæ vocantur divitiæ, potentia et dignitas, contrariis potius nominibus, ut dictum est, notari deberent.

[4] *Nihil expetendum, nihil nativæ bonitatis,* etc.] Deinde vero prædicta male quoque generali nomine vocantur bona : *cum nec se bonis semper adjungant, nec eos, quibus fuerint adjuncta, bonos efficiant,* sicut etiam dictum est.

* Quod vocatur *Sapphicum* a muliere quæ illud invenit. Carmen est constans ex uno genere versuum, quorum quilibet quinque pedes habens, coreum, spondeum, dactylum et duos coreos obtinet.

1. *Novimus.*] Neminem quippe latet, et ut ait Horat. I, serm. 7 :

Opinor
Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.

1. *Quantas dederit ruinas.*] *Nero.* Hic Romanis imperavit anno a nativitate Christi circiter quinquagesimo septimo. Quamdiu Senecæ, cujus præceptis instructus fuerat, consiliis usus est, tamdiu optimus habitus est imperator. At præceptore remoto, in omnia probra ac dedecora lapsus est : suæ quippe dignitatis immemor, inaudita dedit infamiæ, luxus, avaritiæ et crudelitatis argumenta. Primum enim in scenam non tragœdus modo, verum etiam citharœdus prodiit. Deinde nullam vestem bis induit; nunquam carrucis minus mille iter fecisse traditur, soleis qui-
C dem mulorum argenteis; aureo rete, purpura coccoque funibus nexis piscabatur. Præterea omnium opibus inhians, solus optabat videri dives. Postremo Romæ, quam incendi jusserat, culpam pœnamque transtulit in Christianos, quorum principes Petrum et Paulum apostolos morte multavit : quin Senecam magistrum, Antoniam amitam, Britannicum fratrem, Octaviam conjugem, Agrippinam matrem, seipsum tandem, dignum tantæ crudelitatis facinus, interfecit. Vide Suetonium l. VI. Præcipua hujus tyranni facinora deinceps exponentur.

2. *Urbe*] Urbe est oppidum muro cinctum. Sic vocatur, inquiunt, ab *orbe,* quod urbem condituri, taurum et vaccam futuræ fecunditatis spe jungere solerent, et aratro circumducto designare sulcum, intra quem urbem ædificarent. Sed quod inter omnia oppida mœnibus cincta, Roma quondam principem locum obtinuerit, idcirco Roma κατ᾽ ἐξοχὴν urbs dicta
D fuit, judice Quintiliano. Virg. ecl. I, v. 20 :

Urbem quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus
Pastores ovium teneros depellere fœtus...
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

2. *Flammata*] Pars accipitur pro toto : non enim integra Roma flammis absumpta fuit, sed ea tantum urbis istius pars quæ obscenis ædibus videbatur informis; quam per ludum accendit Nero, ut Trojæ repræsentaret incendium. *Per sex dies,* inquit Suetonius l. VI, *septemque noctes ea clade sævitum est ad monumentorum bustorumque diversoria plebe compulsa. Tunc præter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ; deorumque ædes ab regibus ac deinde Punicis ac Gallicis bellis vota dedicataque, et quidquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat.*

2. *Patribusque cæsis.*] *Stella enim crinita,* inquit

Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuso maduit cruore.
153 Corpus et visu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, sed esse
Censor exstincti potuit decoris.
Hic tamen sceptro populos regebat,
Quos videt condens radios sub undas
Phœbus, extremo veniens ab ortu :
Quos premunt septem gelidi triones :
Quos notus sicco violentus æstu
Torret, ardentes recoquens arenas.
154 Celsa num tandem valuit potestas
A Vertere insani rabiem Neronis?
Heu gravem sortem, quoties iniquus
Additur sævo gladius veneno!

155 PROSA VII.

ARGUMENTUM. — *Boetio Philosophiam testanti de modo quo ad dignitates ipse pervenerat, respondet Philosophia, famam, qua optimus quisque magistratus videtur duci, quod hæc brevioribus eum loci, tum temporis angustiis conteneatur, flocci esse faciendam, animo præsertim hujus sui exsilii, suæque immortalitatis conscio.*

Tum ego [a], [1] scis, inquam, ipsa minimum nobis ambitionem mortalium rerum fuisse dominatam : Sed

INTERPRETATIO.

derabatur imperio gentes quas sol oriens occidensque cernit, quos septem triones urgent suo *frigore, quasque auster calore arido vehemens urit, magis ac magis coquens arenas ferventes. An porro potentia sublimis potuit mutare furorem Neronis amentis? o miseram* hominum *conditionem, quando auctoritas injusta conjungitur cum crudelitate fera!*

B [a] Boetius.

NOTÆ.

Suetonius, *quæ summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea de re, ut ex Babilo astrologo didicit, solere reges talia ostenta cæde aliqua illustri expiare atque a semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuique exitum destinavit. Constat quosdam cum pædagogis et capsariis uno prandio pariter necatos : alios diurnum victum prohibitos quærere. Nullus posthac adhibitus delectus aut modus interimendi quoscumque libuisset, quacumque de causa,* etc.

3. *Fratre interempto.*] *Britannico* scilicet, quem Claudius ex Messalina, ut Neronem ex Agrippina susceperat, quemque, ut ait Suetonius, *non minus æmulatione vocis, quæ illi jucundior suppetebat, quam metu, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggressus est. Et cum ad primum gustum concidisset, comitiali morbo ex consuetudine correptum apud convivas ementitus, postero die raptim inter maximos imbres translatitio extulit funere.*

4. *Matris effuso cruore.*] *Matrem dicta factaque sua exquirentem acerbius et corrigentem,* ait idem Suetonius, *ita gravabatur ut minis ejus ac violentia territus hanc perdere statuerit. Et cum veneno pertentasset sentiretque antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu super dormientem, laxata machina, deciderent, paravit, quod pluraque alia cum videret votis non respondere, pugione matrem occidit : unde illi versus :*

Quis negat Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

5. *Corpus et visu gelidum pererrans.*] *Adduntur* prædictis *atrociora,* inquit Suetonius, *nec incertis auctoribus,* Neronem scilicet *ad visendum interfectæ matris cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta bibisse.* Hinc nunc dicitur censor *extincti decoris,* quod quemadmodum censor de uniuscujusque facultatibus facere solebat, Nero singulas materni corporis partes lustrare, et de singulis sententiam ferre non dubitaverit; non lacrymatus, quod mirum : conscientia enim illa, qua confessus est exagitari se veluti verberibus furiarum ac tædis ardentibus, quaque agente sitis prædicta oborta fuit, eumdem ad lacrymas fundendas cogere debuisset : sed vox conscientiæ tunc propter majorem perturbationis impetum, credo, ab ipso vix audiebatur.

8. *Hic tamen,* etc.] Scelestissimus tamen ille Nero, utpote Romanorum imperator, populos ab ortu ad occasum, et a septentrione ad austrum regebat. Nimirum Romanum imperium longe lateque diffusum ad quatuor præcipuas mundi partes, ortum, occasum, septentrionem, et meridiem pervenerat : unde Virg. Æn. VI, v. 781 :

En hujus, Nate, auspiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo...
Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,
Augustus Cæsar, divum genus : aurea conde
Secula qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam : super et Garamantas et Indos
Proferet imperium : jacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi cœliber Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Hæ autem quatuor mundi partes hic optime notantur : ortus quidem et occasus, *Phœbo qui veniens ab extremo ortu, condit radios sub undas.* Sic Virgil. I Georg., v. 438 :

Sol quoque et exoriens, et cum se condet in undas
Signa dabit : solem certissima signa sequentur.

Septentrio vero et meridies, *Septem trionibus et noto torrente arenas* : nam *Septem triones* sunt constellatio borealis, quæ vulgo *Major Ursa* dicitur, quæque ex septem præcipuis stellis constans, referre videtur C plaustrum, boves trahentes, et bubulcum ducentem ; boves quippe ab officio olim dicebantur *teriones,* quia solum terunt, aut *terriones,* quia terram arant, aut *striones,* quia striam faciunt. Notus autem ventus est a meridie flans, qui ideo cum magno calore conjunctus dicitur.

14. *Celsa num tandem valuit potestas?*] Hoc præsertim Neronis exemplo probatur potestas habentem non efficere meliorem, quod præsens est philosophiæ institutum : si qua enim magna unquam fuerit inter homines potestas, quæque adeo potuerit potentem reddere meliorem, hæc fuit potestas Neronis, quippe qui universum terrarum orbem imperio suo regebat; hæc tamen potestas, quanta quanta fuit, *insani Neronis rabiem non potuit vertere.* Rabies proprie morsus caninus, quo scilicet canis huc illucque raptus obvia quæque aggreditur : sic Nero omnium tyrannorum crudelissimus,

D 16. *Heu gravem sortem*] Sic Virgil. Æneid. VII, v. 293, dixit :

Heu stirpem invisam et fatis contraria nostris
Fata Phrygum!

Sic optime dicitur : *O me perditum! Proh deum atque hominum fidem!*

16. *Quoties iniquus additur sævo gladius veneno!*] *Quoties potestas iniqua cum crudeli voluntate reperitur conjuncta :* nam signum hic accipitur pro re significata. Sic proverbii instar dici solet : *Gladium acutum avertas : Ne puero gladium,* ut ostendatur potestas iis quibus noceat non esse committenda.

[1] *Scis, inquam, ipsa.*] I. Quidem Boetius testatur Philosophiam, ut pote consciam omnium cogitationum, quas Boetius habuerit, de modo quo Boetius ipse ad dignitates pervenerit, aitque se *optasse materiam gerendis rebus, non ambitione, sed ne virtus tacita consenesceret.*

materiam gerendis rebus optavimus, quo [a] ne virtus tacita consenesceret. Et illa [b] : **156** Atqui [1] hoc unum est [c], quod præstantes quidem natura mentes, sed nondum [d] ad extremam manum virtutum perfectione perductas allicere possit, gloriæ scilicet cupido, et optimorum in rempublicam fama meritorum : quæ quam sit exilis, et totius vacua ponderis, sic considera : [2] Omnem terræ [e] ambitum, sicuti [3] astrologicis demonstrationibus accepisti, ad cœli [f] spatium, puncti constat obtinere rationem : id est, ut si [g] ad cœlestis globi magnitudinem conferatur, nihil spatii prorsus habere judicetur. **157** Hujus [4] igitur tam exiguæ in mundo regionis quarta fere portio est, sicut Ptolemæo probante didicisti, quæ [h] a nobis cognitis animantibus incolatur. [5] Huic quartæ [i] si quantum maria paludesque premunt, quantumque [j] siti vasta regio distenditur, cogitatione subtraxeris, vix angustissima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo puncti quodam puncto circumsepti atque conclusi, de pervulganda fama, de proferendo nomine cogitatis? At quid habet amplum, magnificumque gloria, tam angustis exiguisque limitibus arctata? Adde quod [6] hoc ipsum brevis habitaculi septum plures incolunt nationes, lingua, moribus, totius vitæ ratione distantes : ad quas tum difficultate itinerum, tum loquendi diversitate, tum

INTERPRETATIO.

a *Ut non.*
b Philosophia,
c Inquit.
d *Perfecta virtute præditas.*
e *Circumscriptionem.*
f *Magnitudinem.*
g Terra.
h *Quæ habitetur* ab iis *animalibus, quæ a nobis cognoscantur.*
i Portioni.
j *Loca deserta patent.*

NOTÆ.

Ambitio et ambitus ab eadem origine prodeunt, nimirum *ambe circum, et itio itusque* a verbo *eo* : quamobrem de corporibus primum, postea de mentibus propter quamdam similitudinem dicuntur : *ambitus* sive *ambitio* in corporibus est locus duorum pedum et semipedis, quo interjecto vicina ædificia ad circumeundi facultatem inter se distant : in mentibus vero est circumducta quædam cogitationum primum, deinde verborum, factorumque series ad consequendum honorem. *Hæc erit ambitio*, inquit Tertullianus de Hab. mul. c. 4, *unde et nomen ejus interpretandum, quod concupiscentia apud animum ambiente, nascatur, ad gloriæ votum.* Hanc ambitionem Boetius ait sibi nunquam fuisse dominatam.

Verum cum virtus in bona præsertim versetur cogitatione, quam cæteri homines non vident, quamque tamen aliquando decet cæteros homines cognoscere ; Matth. v : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est;* propterea putavit Boetius sibi *optandam materiam gerendis rebus, ne virtus tacita consenesceret.*

[1] *Hoc unum est*, etc.] II. Philosophia respondet hac fama duci mentes, quæ natura videntur præstare, sed quæ perfecta virtute nondum præditæ sunt. Præstant quidem natura illæ mentes : quoniam corporum, quibus conjunguntur, motibus, instar voluptariarum, non obsequuntur. At eædem mentes nondum perfecta virtute sunt præditæ, nam Matth. vi : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est*; unde Apostolus ad Gal. i : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

[2] *Omnem terræ ambitum*, etc.] III. Philosophia addit famam hanc flocci faciendam esse propter breviores loci, quo contineri possit, angustias. Nimirum cum fama hæc nihil sit aliud quam optima alterius hominis in tua merita cogitatio, dictio aut actio, propterea fama hæc latius diffundi non potest, quam hominum sic cogitantium, loquentium et agentium genus. Atqui illud hominum genus angustissimis coarctatur loci limitibus : non enim diffunditur ultra terram, quæ collata cum cœlo instar puncti est : non ultra terram habitabilem, quæ est quarta duntaxat pars illius puncti : non ultra eam hujus quartæ partem, in qua mores nostri vigent : non denique ultra eam morum nostrorum portionem, ad quam tuum nomen tuaque merita pervenerint, quæ quam sit exigua ex eo poteris conjicere, quod ipsum Romanum nomen, quod tamen longe tuo celebrius est, pluribus ignotum sit, quam motum ejusmodi terræ portionibus : quæ quidem omnia seorsum probanda sunt.

[3] *Astrologicis demonstrationibus accepisti.*] Primum quidem globus ex terra et aqua constans, non modo cum extrema ora ac determinatione cœli, sed etiam cum illo cœlesti, cui stellæ fixæ inhærere vulgo cogitantur, orbe collatus instar puncti ad sensum se habet : quia cum punctum, auctore Euclide, dicatur illud, cujus pars nulla est, ideo ille orbis instar puncti se habebit, cujus diametri immotæ utraque extremitas, et medium ab uno extranei alterius globi puncto æqualiter distabunt : iste quippe globus simplex videbitur et cujuscunque partis expers. Atqui prædictus terræ et aquæ globus cum prædicto stellarum fixarum orbe comparatus ita se habebit : cogita enim diametrum hujus terrestris globi, quæ a nostris pedibus ad antipodas per centrum ducatur, quo spatio observabimus a nostris, eodem observabunt antipodes a suis pedibus distare stellas fixas, et utrique videbimus hujus cœli medietatem, non secus ac si in centro orbis terrarum versaremur. Propterea Cicero, lib. i Tusc., *Persuadent*, inquit, *mathematici terram in medio mundi sitam ad universi cœli complexum, quasi puncti instar obtinere, quod κέντρον illi vocant.*

[4] *Hujus regionis quarta fere portio.*] Deinde quamvis istæ terræ et aquæ globus ita exiguus sit, ut puncti rationem habeat, integrum tamen fama non potest occupare : siquidem non major quam quarta ejus portio, Ptolemæo probante, ab iis, quæ a nobis cognoscantur, animalibus terrestribus, hominibus videlicet et bestiis incolitur. Aut si major quam quarta pars hujus orbis incolatur, ut nautis longius in dies progredientibus novæ terræ habitabiles deprehenduntur ; hæc tamen portio non definit minima haberi : nam

[5] *Huic, si quantum maria*, etc.] Præterea pars illa non potest integra ab hominibus incoli : sunt enim ibi maria plura; sunt plures paludes ; sunt plura loca deserta.

[6] *Hoc septum plures incolunt nationes*, etc.] Adde quod brevissimum illud, terræ habitatæ punctum, tantum est, ut ad illud, ne urbium quidem celeberrimarum, fama perveniri queat. *Nam ex his ipsis cultis notisque terris*, inquit Tullius in Somnio Scipionis, *num aut tuum aut cujusquam nostrum nomen ultra Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnatare*? Est autem Caucasus mons Asiæ, inter mare Euxinum et Caspium, vulgo *mont de Circassie.*

commercii insolentia, non modo fama hominum singulorum, sed ne urbium quidem pervenire queat. Ætate denique Marci Tullii, sicut ipse quodam loco [a] significat, nondum Caucasum montem Romanæ reipublicæ fama transcenderat, et erat tunc adulta [b], Parthis etiam cæterisque id locorum gentibus formidolosa. Videsne igitur quam sit angusta quam compressa gloria, quam [c] propagare ac dilatare laboratis? [1] Quid, quod diversarum gentium mores inter se, atque instituta discordant, ut quod apud alios laude, apud alios supplicio dignum judicetur. Quo fit, ut si quem famæ prædicatio delectat, huic, in plurimos populos nomen proferre, nullo modo conducat. Erit igitur pervagata inter suos gloria quisque contentus, et intra unius gentis terminos præclara illa famæ immortalitas coarctabitur. **158** Sed [2] quam multos clarissimos suis temporibus viros scriptorum inops delevit oblivio! Quanquam quid ipsa scripta proficiant, quæ [d] cum suis auctoribus premit longior atque obscura vetustas? Vos autem immortalitatem vobis propagare videmini, cum futuri famam temporis cogitatis. Quod si ad æternitatis infinita spatia [e] pertractes, quid habes, quod de tui nominis diuturnitate læteris? Unius etenim mora momenti, si decem millibus conferatur annis, quoniam utrumque spatium definitum est, minimam licet, habet tamen aliquam [f] portionem. At hic ipse numerus annorum, ejusque quantumlibet multiplex, ad [g] interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem potest. Etenim finitis ad se invicem fuerit quædam, infiniti vero atque finiti, nulla unquam poterit esse collatio. Ita fit, ut [h] quamlibet prolixi temporis fama, si cum inexhausta æternitate cogitetur, non parva, sed plane nulla esse videatur. Vos autem, nisi ad populares auras, inanesque rumores [i], recte facere nescitis, et relicta conscientiæ virtutisque præstantia de alienis præmia sermunculis postulatis. Accipe in hujusmodi arrogantiæ levitate quam festive aliquis illuserit. Nam cum quidam [j] adortus esset hominem contumeliis, qui non ad veræ virtutis usum, sed ad superbam gloriam falsum sibi philosophi nomen induerat, adjecissetque jam se sciturum, an ille philosophus esset, siquidem illatas injurias leniter patienterque tolerasset. Ille patientiam paulisper assumpsit, acceptaque contumelia velut insultans, jam tandem, inquit, intelligis me esse philosophum? **159** Tum ille nimium mordaciter, intellexeram, inquit, [3] si tacuisses

INTERPRETATIO.

a In somnio Scipionis
b Romana respublica.
c Vos homines.
d *Non secus ac suos auctores.*
e *Proferas* conferendo.
f *Proportionem.*
g *Infinitam.*
h *Quantumlibet longi.*
i Concitandos.
j *Affecisset.*

NOTÆ.

[1] *Quid quod diversarum gentium mores,* etc.] Denique quamvis tantum foret alicujus nomen, hoc ut pervenire posset ad omnes mundi populos, non propterea ejusdem gloria tanta esset : quoniam quod apud alios laude, id apud alios supplicio dignum judicatur : quod nimirum populi præjudiciis potius et præcipitatione, quam evidenti ratione ducti judicent : sic quæ nobis placent vestes, epulæ, cæteræve agendi patiendique formæ, hæ exteris nationibus displicent sæpius.

[2] *Quam multos,* etc.] IV. Philosophia subjungit, prædictam famam nihili putandam esse propter breviores temporis, quo durare possit, limites. Cum enim fama hæc ab aliena de tuis meritis existimatione pendeat, tandiu duntaxat ista fama durabit, quandiu in aliis hominibus vigebit meritorum tuorum memoria : atqui hæc memoria perennis esse nequit : nam vel deerunt scriptores, quibus cerebrum montemque hominum identidem commoventibus, impressa tuorum meritorum vestigia renoventur : vel aderunt.

Si defuerint scriptores, te, non secus ac plures suis temporibus clarissimos viros delevit, oblivio delebit. Sic Romanorum merita veluti sepulta jacuerunt, auctore Sallustio in bello Catilinario, quod *prudentissimus quisque maxime negotiosus erat : ingenium nemo sine corpore exercebat : optimus quisque facere quam dicere, et sua ab aliis benefacta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.* Sic virorum fortium, qui ante Agamemnona vixerunt, quod hi caruerint scriptoribus poetis, virtus celata latet, judicio Horatii lib. IV Carm., od. 9 :

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi : sed omnes illacrymabiles
Urgentur; ignotique longa
Nocte : carent quia vate sacro.

Si vero adfuerint scriptores, quod eorum libri aut injuria temporum, aut hominum ipsorum negligentia sæpius pereant, nondum constare poterit tibi, tuam famam horum beneficio fore perpetuam. Sed maneant libri, maneatque scriptorum memoria, ita ut de tuis meritis dicere possis, quod Ovidius cecinit de suis carminibus XV Metam. :

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Tua nihilominus fama, ipsi etiam mundo æquæva, brevior esset, quam ut propter eam obtinendam agere possis : præsertim si illa famæ diuturnitas conferatur cum æternitate, quam mens humana duratura est. Nam si brevissima unius momenti mora cum decem millibus annis collata, parva est diuturnitas, certe integra non modo vitæ hominis senioris, sed ipsius quoque mundi diuturnitas cum æternitate comparata, minima, imo nulla est diuturnitas: quandoquidem inter priores diuturnitates, ut pote ambas finitas, est aliqua; sed inter posteriores, quarum altera infinita, nulla est proportio; sive ut nunc dicitur *portio :* sic enim loquitur Curtius : *Præmium,* inquit, *erit ei qui primus occuparit verticem, talenta decem. Uno minus accipiet qui proximus ei venerit, eademque ad decem homines servabitur portio.* Vox *interminabilis,* quam non semel adhibet Boetius, minus Latina videtur : Cicero diceret interminatam; sicut I de Nat. deor. : *Si immensam,* inquit, *et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis.*

[3] *Si tacuisses.*] Simile est illud Ciceronis pro Arch. *Philosophi,* inquit, *in libros, de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, et in eo ipso, in quo prædicationem nobilitatemque despiciunt, prædicari de se ac nominari volunt.*

159 Quid autem est, quod ad [a] præcipuos viros (de his enim sermo est) qui virtute gloriam petunt; quid, inquam, est, quod ad hos de fama post resolutum morte suprema corpus attineat? Nam si, quod [1] nostræ rationes (5) credi vetant, toti moriuntur homines, nulla est omnino gloria, cum is, cujus ea esse dicitur, non exstet omnino. Sin vero bene mens sibi conscia [b], terreno carcere resoluta, cœlum libera petit, nonne omne terrenum negotium spernet, quæ se, cœlo fruens, terrenis gaudet exemptam.

161 METRUM * VII.

Argumentum. — *Philosophia stricta oratione quod statim dixerat soluta repetens, exemplis probat famam, quæ per vitam non nisi exigua esse potest, morte finiri : ita ut quibus fama hæc videtur altera vita, his gemina mors subeunda sit.*

A Quicunque solam mente præcipiti petit
Summumque credit gloriam,
Late patentes ætheris cernat plagas,
162 Arctumque terrarum situm :
Brevem replere non valentis ambitum
Pudebit aucti nominis.
Quid o superbi colla mortali jugo
Frustra levare gestiunt?
Licet remotos fama per populos means
Diffusa, linguas explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
Mors spernit altam gloriam,
Involvit humile pariter, et celsum caput,
Æquatque summis infima.

INTERPRETATIO.

[a] *Præstantes.*

[b] Suarum cogitationum.

Quisquis inconsiderato animo tendit tantum ad *gloriam, et* illam *putat* esse *summum* bonum; is *conside-*

B

NOTÆ.

[1] *Nostræ nationes credi vetant.*] Plures enim sunt rationes, quibus Philosophia probat mentem humanam esse immortalem, adeoque hominem totum non mori unicam proferimus ex ipsa mentis natura desumptam. Omnis res sive substantia, cujus nulla est nisi exterior causa, est perennis et perpetua, Deo nimirum, a quo est, suum agendi modum, quo illa substantia condita est, continuante : sic genios tam malos quam bonos perpetuos fore credimus : sic ipsa *materia,* quæ vulgo dicitur *prima,* ab omnibus habetur perpetua. Atqui mens humana ita se habet. Est quidem substantia, quia alteri non **160** inhærens, suis subjacet qualitatibus : at ejusdem nulla est nisi exterior causa, efficiens et finis, quandoquidem ex materia non pendet. Atqui hujus suæ immortalitatis mens humana ita *conscia* est, hanc ut semper appetat, quamque sibi tantum deberet attribuere, hanc temeraria quadam assumptione caducis etiam rebus, cum quibus se quamdam putat habere necessitudinem, tribuat : sic parentes in liberis, auctores in scriptis, omnes in superbioribus sepulcris immortalem quamdam vitam habituros sperant; quare Tullius, de Senect., *Optimi,* inquit, *cujusque animus maxime ad immortalem gloriam nititur.*

* Carmen constans duplici genere versuum alternorum, quorum prior iambicus sex, posterior pariter iambicus quatuor habet pedes, sæpius locis imparibus spondeos, paribus iambos.

1. *Mente præcipiti.*] Sive *præcipitatione.* Est autem præcipitatio inconsideratum de ignoto judicium : prima erroris adeoque vitii origo.

1. *Petit.*] Petere aliquo, proprie corporis est ab una in alteram viciniam translati : sed propter quamdam similitudinem dicitur etiam de mente, quatenus hæc voluntate sua aliquo inclinat.

2. *Summumque credit gloriam.*] *Summum* scilicet *bonum* : cum enim omne quod expetitur, id quamdam habeat boni speciem, propterea necesse est, ut quod præ omnibus expetitur, illud summi boni speciem habeat : fieri autem non potest ut gloria mortalis videatur summum bonum, nisi iis qui præcipites, notione obscura aut confusa ad judicandum ducuntur : iis nimirum, qui innata notione, qua omnes volumus esse felices, inducti, falsa assumptione homini potius quam Deo unice adhærent.

3. *Late patentes ætheris cernat plagas.*] Tanta est ætheris sive cœli undique diffusi magnitudo, hanc ut imaginatione assequi non possimus, quo fit ut cœlum a quibusdam philosophis non *infinitum* quidem, sed *indefinitum* vocetur : hoc est, latius diffusum, quam ut mens nostra imaginando illud possit definire. Hinc cœlo attentius considerato, homo poterit suæ infirmitatis convinci, maxime si cum cœlo veluti immenso conferat exiguam, cujus ille sit minima portio, terram, sive

4. *Arctum terrarum situm.*] Ut enim integer terræ et aquæ globus cum cœlo collatus rationem puncti habet, quemadmodum diximus; sic terræ habitabilis portio, in qua privati alicujus hominis merita cognoscantur laudenturque ab hominibus, comparata cum reliquo terrarum orbe, in quo idem homo nec cognosci nec laudari potest, exiguum est puncti illius punctum : quare hunc hominem tum *pudebit aucti nominis, quod tamen non valet replere brevem ambitum.* Sic Alexandrum magnum puduit ex mundis, quos putavit innumerabiles, ne unicum quidem subegisse.

7. *Superbi colla mortali jugo levare.*] *Immortalitatem sui nominis sibi in terris comparare;* hoc enim desiderio, ut dictum est, tenentur illi qui famæ apud posteros acquirendæ student.

C

9. *Fama per populos means linguas explicet.*] Fama poetis fingitur habere rationem personæ, quæ pennis instructa per loca etiam remotissima citissime feratur, et solutis ore linguaque populi, hunc ad loquendum excitet. Virg. I Æneid.. v. 461 :

Bellaque jam fama totum vulgata per orbem.

11. *Titulis fulgeat.*] Titulus idem quod honor : oritur enim a Græco τιτὸς. hoc *ἀπὸ τοῦ τίειν, honorare* : unde τιμὴ, *honor*, Hinc stemmata, imagines, aut quæcunque alia honorum signa *tituli* solent appellari. Claudian. carm. 26, v. 144 :

Et duplices signat titulos commune tropæum.

12. *Mors spernit altam gloriam,* etc. Nam *statutum est hominibus semel mori,* ad Hebr. IX. Horatius l. I Carm., od. 28 :

D

Sed omnes una manet nox,
Et calcanda semel via lethi.
Dant alios furiæ torvo spectacula Marti :
Exitio est avidis mare nautis.
Mista senum ac juvenum densantur funera : nullum
Sæva caput Proserpina fugit.

Et eodem lib., od. 4 :

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres, o beate Sexti,

Quod feliciter vertit noster Malherbæus, lib. VI :

La mort a des rigueurs à nulle autre pareilles :
On a beau la prier,
La cruelle qu'elle est se bouche les oreilles,
Et nous laisse crier.
Le pauvre en sa cabane, où le chaume le couvre

163 Ubi nunc fidelis ossa Fabricii jacent?
Quid Brutus, aut rigidus Cato?
164 Signat superstes fama tenuis pauculis
Inane nomen litteris.
Sed quod decora novimus vocabula
Num scire consumptos datur?
Jacetis ergo prorsus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.
Quod si putatis longius vitam trahi
Mortalis aura nominis,
Cum sera vobis rapiet hoc etiam dies,
Jam vos secunda mors manet.

A **165** PROSA VIII.

ARGUMENTUM. — *Adversa fortuna, inquit Philosophia, in hoc prosperæ præstat, quod prospera mentem involvens tenebris, eamdem inducat eum ad errorem, tum ad vitium; adversa vero mentem exuens præjudiciis, hanc veluti manu ducat et ad veritatem et ad virtutem.*

Sed ne me [a] inexorabile contra fortunam [1] gerere bellum putes, est aliquando cum de hominibus fallax illa nonnihil [2] bene mereatur, tum scilicet, cum se aperit, cum frontem detegit moresque profitetur. Nondum forte quid loquar intelligis. Mirum est, quod dicere gestio, (5) [b] eoque sententiam verbis explicare vix queo. Etenim [3] plus hominibus [c] reor ad-

INTERPRETATIO.

ret hinc quidem *spatia cœli ingentia*, inde vero *positionem terræ angustam*, certe eumdem *pudebit rumoris dispersi, qui non potest occupare parvam circumscriptionem* terrarum. *Proh! quare* homines *arrogantes ambiunt incassum liberare corpus* suum *a servitute mortis? Quamvis fama undique dispersa per gentes dissitas explicet linguas* omnium istarum gentium; *grandisque familia splendeat illustribus honoribus, mors* tamten *temnit* hanc *summam gloriam, includit* eodem *similiter* tumulo *abjectas sublimesque cervices et æquat ima supremis. Ubi ossa Fabricii fidi nunc jacent? Quid nunc est Brutus, aut Cato severus? Levis* eorum *memo-* B *ria notat vanum nomen paucis litteris. At quia cognoscimus nomina* hæc *pulchra, nonne* ex eo *fas est nobis nosse* homines, quorum sunt ista nomina, *exstinctos? Ergo,* homines, *jacetis omnino incogniti, nec fama reddit vos cognitos. Quod si existimatis vitam* vestram *magis produci favore humanæ existimationis; quandoquidem ætas tandem aliquando ventura abripiet vobis hanc quoque existimationem, nunc altera mors vobis est exspectanda.*

[a] *Implacabile.*
[b] *Ideoque.*
[c] *Puto.*

NOTÆ.

Est sujet à ses lois;
Et la garde qui veille aux barrières du Louvre,
N'en défend pas nos rois.

15. *Fidelis Fabricii.*] Fabricius consul Romanus apud plurimos, cum oratores, tum poetas, suam præsertim ob fidem celeberrimus, merito nunc vocatur fidelis. Primum quia a Pyrrho Epirotarum rege magnis muneribus, etiam quarta regni parte promissa tentatus, adduci non potuit ut patriam desereret. Deinde quia medicum Timocharem contra ejusdem Pyrrhi regis sui caput spe præmii venenum deferentem ad dominum suum reduci curavit, quod admiratus rex ait Fabricium difficilius ab honestate quam solem a suo cursu averti. Unde Claudian. carm. 26, v. 130 :

Et nulli pervia culpæ
Pectora Fabricii donis invicta vel armis.

16. *Quid Brutus.*] L. Brutus, sic dictus propter stupiditatem, quam metu Tarquinii simulabat. Ille Tarquiniis ob violatam Lucretiam expulsis, libertatem Romanis asseruit, una cum Collatino : unde populus Romanus imperium in eosdem libertatis suæ vindices transtulit, mutato tamen et jure et nomine : quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex, ne potestas solitudine vel mora corrumperetur, consulesque appellavit pro regibus, ut consulere se civibus suis debere meminissent. De hoc Bruto sæpissime loquitur Claudianus, ut carm. 22, v. 322 :

Sit trabeis ultor Stilicho, Brutusque repertor.
Libertas populi primo tunc consule Bruto
Reddita per fasces : hic fascibus expulit ipsis
Servitium; instituit sublimem Brutus honorem.

19. *Rigidus Cato.*] Sicut *Brutus* a simulata stultitia, sic *Cato* a vera prudentia cognomentum est : *catus* quippe, unde *Cato*, est sapiens. Ausonius in Mosella *legumque catos fandique potentes.* Propterea plures a sua sapientia dicti sunt *Catones*. Juvenal. sat. 2, v. 40:

Tertius e cœlo cecidit Cato.

Duo tamen sunt præstantissimi viri, qui hoc cognomine donati fuerint, quosque Philosophia hic potuit intelligere; Major videlicet, et Minor; ambo, sed diversis temporibus, e Portia, gente Tusculi obscura orti. Cato Major, qui Censorius dictus est, florebat anno Urbis conditæ 570 et ad extremam usque senectutem pervenit. Cato autem Minor, qui vocatus est Prætorius, vivebat ipso belli Cæsariani tempore : de hoc Lucanus impudenter cecinit,

C Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni.

Et Horatius l. II Carm., od. 1 :

Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos
Et cuncta terrarum subacta
Præter atrocem animum Catonis,

17. *Signat superstes,* etc.] Mortuo homine superest hujus cadaver; quo corrupto nomen superstes, paucis litteris comprehensum scribitur ab iis saltem qui memoria præstant, sed absque ullo defunctorum sensu aut commodo : quare hoc non immerito *inane* vocatur.

19. *Sed quod decora,* etc.] Quod nomina hæc superbis sepulcris inscripta videamus, argumenta sunt non esse amplius eos, quorum sunt nomina : prescriptum quippe legitur : HIC JACET. Unus est Christi tumulus, cui fas fuerit inscribere : NON JACET HIC : Matth. XXVIII.

23. *Quod si putatis,* etc.] Si in superstite illo nomine vitam aliquam versari existimatis, cum illud D etiam nomen tandem aliquando, inducta oblivione, perire debeat, secunda morte afficiemini. Sic Sulpitius Carthaginiensis de Virgilii Æneide, quæ ab auctore flammis destinata fuisse fertur :

Infelix gemino cecidit prope Pergamon igni,
Et pene est alio Troja cremata rogo,

[1] *Gerere bellum.*] Declamando in fortunam.

[2] *Bene mereatur.*] *Mereri* est id agere propter quod præmium aut pœna rependi debet : hinc cibus prandio posterior, cœna autem prior, quod hic debeatur mercenariorum laboribus, *merenda* appellatur : hinc etiam qui propter crimen aliquod punitur, pœnas dicitur dare, quasi debitum reddens. Sic Cic., III de Leg., *Perniciose,* inquit, *merentur de republica vitiosi principes.*

[3] *Plus hominibus reor adversam quam prosperam prodesse fortunam.*] Homo, ut sæpius dictum est, constat ex mente et corpore, quorum illa hoc longe nobilior est : quare quod menti prodest, illud præstat

versam quam prosperam prodesse fortunam. [1] Illa [a] enim semper specie felicitatis, cum videtur blanda, mentitur; **166** [2] hæc [b] semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat. Illa [c] fallit, hæc [d] instruit; illa [e] mendacium specie bonorum mentes fruentium ligat, hæc [f] cognitione fragilis felicitatis absolvit. Itaque illam [g] videas ventosam, fluentem, suique semper ignaram; hanc [h] sobriam, succinctamque, et ipsius adversitatis exercitatione prudentem. Postremo [i] felix, a vero bono devios blanditiis trahit; adversa plerumque ad vera bona [j] reduces [k] unco retrahit. [3] An hoc inter minima æstimandum putas, quod amicorum tibi fidelium mentes hæc aspera, hæc horribilis fortuna detexit, hæc tibi certos sodalium vultus, [l] ambiguosque secrevit; discedens, suos abstulit, tuos reliquit [m]? Quanti hoc [n] integer, et, ut videbaris tibi, fortunatus emisses? Desine nunc et amissas opes quærere, quod pretiosissimum divitiarum genus est, amicos invenisti.

167 METRUM * VIII.

ARGUMENTUM. — *Philosophia a simulacro amoris ad verum amorem, humanum primum, deinde divinum, progressa, ostendit mundum, elementa, cœlum, mare,* A *populos, conjuges et sodales amore contineri : unde concludit felices fore homines, si amore divino regantur.*

Quod mundus stabili fide
Concordes variat vices,
168 Quod pugnantia semina
Fœdus perpetuum tenent,
Quod Phœbus roseum diem
Curru provehit aureo,
Ut quas duxerit Hesperus
Phœbe noctibus imperet,
Ut fluctus avidum mare
Certo fine coerceat,
Ne terris liceat vagis
Latos tendere terminos,
B Hanc rerum seriem ligat
Terras ac pelagus regens,
Et cœlo imperitans amor.
Hic si frena remiserit,
Quidquid nunc amat invicem
Bellum continuo geret,
Et quam nunc socia fide
Pulchris motibus incitant

INTERPRETATIO.

[a] *Prospera fortuna.*
[b] *Adversa fortuna.*
[c] *Prospera.*
[d] *Adversa.*
[e] *Prospera.*
[f] *Adversa.*
[g] *Prosperam.*
[h] *Adversam.*
[i] *Prospera.*
[j] *Redeuntes.*
[k] *Pedo, sive baculo retorto.*
[l] *Incertosque.*
[m] *Familiares.*
[n] *Incolumis.*

Amori debetur *quod mundus constanter mutat vices concordes*; *quod elementa contraria habent* inter se *pacem æternam; quod sol defert lucem splendidam curru* C *aureo*; *quod luna dominatur tenebris, quas Hesperus egit*; *quod mare cupidum* aquarum *contineat fluctus limite præscripto* : *ne* iisdem *diffusis liceat per terras latius extendi. Amor imperans cœlo, mari et terræ,*

NOTÆ.

alteri, quod alterum si menti non noceat, soli duntaxat corpori prodest. Atqui fortuna adversa menti prodest; prospera vero, si menti non noceat, ipsi tantum corpori prodest : quod deinceps probandum.

[1] *Illa enim specie felicitatis.*] Prospera enim fortuna notione obscura confusaque, qua mentem informat, eamdem mentem inducit, primum quidem ad errorem, quo judicet bona caduca summi boni rationem habere, deinde ad vitium, quo eadem mens, contempto Deo, iisdem bonis unice adhæreat.

[2] *Hæc semper vera.*] Adversa autem fortuna notione, quam aut invenit, aut facit evidentem, mentem ipsam inducit, primum quidem ad veritatem, qua judicet solum Deum habere rationem summi boni; deinde ad virtutem, qua, cæteris posthabitis, Deum unice diligit. Sic dicitur Proverb. XXIX : *Virga atque correptio tribuit sapientiam : puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.*

[3] *An hoc inter minima,* etc.] Quemadmodum inter bona exteriora amici præcipuum locum obtinent, sic quod amicorum mentes, alias tibi occultas, detegit, id bonorum saltem exteriorum pretiosissimum potest haberi; hoc quippe veri a falsis amicis secernuntur. Atqui fortuna adversa id præstat : quandoquidem, fortuna favente, falsi una cum veris amicis adsunt; sed eadem fortuna indignante, amicis veris remanentibus, falsi recedunt. Notissimum illud Ovid. :

Donec eris felix, multos numerabis amicos :
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

* Quod vocatur *Glyconicum.* Est autem carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet ex uno spondeo et duobus dactylis componitur.

Occasione accepta ex ultimis verbis *prosæ* superioris, quibus Philosophia significavit, amicos Boetii fortuna adversa probatos, ipsi Boetio adesse, eumdem Boetium excitat ad spectandum amorem, ejusque effecta. Amor autem non secus ac quælibet hominis affectio spectari potest duobus modis. Primo quidem, ut loquuntur philosophi, *inadæquate*, quatenus quidam corporis modus est, v. g. commotio sanguinis, spirituum, cæterarumque corporis humani partium ad conservandam societatem naturaliter instituta. Secundo, ut aiunt iidem philosophi, *adæquate*, quate- D nus præter prædictum corporis modum, versatur in voluntate hominis adhærentis rei, velut alteri societatis, cujus ipse homo reliqua pars sit, parti. Hinc pro triplici genere opinionis, quam homo habere potest de parte illa (pluris scilicet, tanti, vel minoris, quam seipsum, faciendo hanc partem), amor triplicis est generis, videlicet pietas, amicitia et amor simpliciter dictus. In corporibus non est amor, nisi quatenus hic est modus corporis. In Deo non est amor, nisi quatenus est modus mentis. In homine est amor, quatenus est modus et corporis et mentis. Agitur hic primo de amore corporis, qui non tam amor, quam amoris simulacrum; secundo de amore hominis; tertio de amore Dei.

1. *Quod mundus stabili fide,* etc.] I. Agitur de simulacro amoris, quod in corporibus animadverti potest : huicque refertur acceptum, 1° quod mundus, qui nihil est aliud quam universitas corporum materia quidem convenientium, forma autem discrepantium, in sua varietate concors perseveret; 2° quod elementa, quæ nihil sunt aliud quam corpora primo formata, ex quibus cætera constent, fœdus perpetuum

Certent solvere machinam.
Hic sancto populos quoque
Junctos fœdere continet;
Hic et conjugii sacrum
Castis nectit amoribus;
Hic fidis etiam sua
Dictat jura sodalibus.
169 O felix hominum genus,
Si vestros animos amor,
Quo cœlum regitur, regat!

INTERPRETATIO.

nectit hanc seriem rerum: hoc cessante, quæ consentiunt nunc, statim dissentient, et tentabunt destruere machinam, quam nunc constanter cient præclaris motibus. Amor continet populos inter se *conjunctos pace incorrupta, amor confirmat sacramentum conjugiale flammis pudicis* : *amor* denique *reddit fidelibus amicis quod suum est.* O *vos beatos homines, si idem amor* Dei, *quo cœlum gubernatur, gubernet vestras mentes.*

NOTÆ.

teneant, sive intra sive extra corpora, quæ quod ex elementis constent, vocantur *mista* ; 3° quod cœlum sidera suis temporibus, et mare fluctus suis locis contineat. De *Phœbo* et *Hespero* jam diximus.

22. *Hic sancto populos.*] II. Agitur de amore humano. Hic multiplicis est generis : triplicis duntaxat nunc meminit Philosophia, nempe, 1° amoris, qui est inter populos, quo populi æterna in pace continentur; 2° amoris, qui est inter conjuges, quo sacrum sive sacramentum conjugiale confirmatur; 3° amoris, qui est inter amicos, quo amicus, *amico tanquam alter idem*, inducitur ad benefaciendum amico, cogitatione, verbo et opere : hæc quippe sunt *sodalium jura*.

28. *O felix hominum genus*, etc.] III. Agitur de amore divino, quo non modo cœlum, sed omnia etiam corpora sic reguntur, ut hæc a divina voluntate ne latum quidem unguem discedant. Una est mens humana quæ, quod ab ipso Deo sic fuerit dilecta ut libertatis sit particeps, a prima volendi amandique norma, voluntate divina, recedat. Quare id unum esse debet Philosophiæ votum, ut eadem mens humana, contempta propria voluntate, proprioque amore, ad voluntatem amoremque Dei sese accommodet, ut sanctos viros imitata, voce cogitationeque submissa, dicat cum propheta rege : *Doce me facere voluntatem tuam*, et cum Apostolo : *Domine, quid me vis facere ?*

LIBER TERTIUS.

170 PROSA PRIMA.

ARGUMENTUM. -- *Philosophia rursus a levioribus ad validiora argumenta progrediens Boetium prædictis rationibus ad majora percipienda commotum paratumque monet, fore ut ipsum, initio a notioribus sumpto, ad veram felicitatem ducat.*

Jam [a] cantum illa finierat, cum [1] me audiendi avidum, stupentemque arrectis adhuc auribus carminis mulcedo defixerat. Itaque paulo post : O, inquam [b], summum lassorum solamen animorum [c], quantum me vel sententiarum pondere, vel canendi etiam jucunditate refovisti! (5) adeo ut jam me posthac [d] imparem fortunæ ictibus non arbitrer. Itaque remedia, quæ paulo acriora esse dicebas, non modo non perhorresco, sed audiendi avidus vehementer efflagito. **171** Tum illa [e], Sensi, inquit, cum verba nostra tacitus attentusque rapiebas, [2] eumque tuæ mentis habitum vel exspectavi, vel, quod est verius, ipsa perfeci : talia sunt quippe quæ restant, ut degustata quidem mordeant, interius autem recepta dulcescant. Sed quod tu te audiendi cupidum (5) dicis, quanto ardore flagrares, si quonam te ducere aggredimur agnosceres. Quonam, inquam [f]? [3] Ad veram, inquit [g], felicitatem, [4] quam tuus quoque somniat animus, sed, occupato ad imagines visu, ipsam illam non potest

INTERPRETATIO.

[a] *Carmen.*
[b] Ego Boetius.
[c] Philosophia.
[d] *Vinci posse.*
[e] Philosophia.
[f] Ego Boetius.
[g] Philosophia.

NOTÆ.

[1] *Me audiendi avidum*, etc.] I. Boetius prædictis rationum philosophicarum momentis commotus dicitur cum corpore, tum etiam mente. Corpore quidem: quod carmen instar mulsi suave eum *defixerat studentem arrectis adhuc auribus*, hoc est immotis et reliquo corpore et auribus, ad facilius audiendum; qui loquendi modus a canibus, leporibus, aliisque bestiis, quarum aures sponte moventur, translatus est ad hominem, cujus aures non ita moventur : prædictæ enim bestiæ ad sonum melius excipiendum et sistere et aures erigere consueverunt. Mente etiam; quod hæc *vel sententiarum pondere vel canendi etiam jucunditate* ita recreata sit, *ut jam se posthac imparem fortunæ ictibus non arbitretur* : quo fit *ut remedia quæ Philosophia supra dixit esse acriora, non modo non perhorrescat, sed audiendi avida vehementer efflagitet.*

[2] *Eum tuæ mentis habitum*, etc.] II. Idem Boetius prædictis rationibus paratus dicitur ab ipsa Philosophia. Paratus quidem prædictis rationibus, quibus sensim tolluntur præjudicia, propter quæ, dicenda ingrata displicerent, non secus ac palato male affecto cibus etiam suavissimus displicet : *talia sunt quippe quæ restant, ut degustata quidem mordeant, interius autem recepta dulcescant.* At ab ipsa Philosophia paratus est : cognitio enim philosophica, utpote quæ clara et distincta, principium est, a quo omne non modo judicium, sed etiam desiderium legitimum oritur : *eumque tuæ mentis habitum vel exspectavi, vel, quod est verius, ipsa perfeci*, inquit Philosophia.

[3] *Ad veram felicitatem.*] III. Philosophia promittit fore ut Boetium ducat ad felicitatem, cum enim hic agatur de moribus instituendis; cumque optima morum institutio a fine præsertim pendeat, propterea Philosophia tractationem suscipit de felicitate, quæ morum recte formandorum finis est : hujus autem felicitatis notio animis hominum insita est : idcirco eadem Philosophia addit

[4] *Quam tuus quoque somniat animus.*] Mens enim tum dicitur somniare, cum sopitis exterioribus orga-

intueri. Tum ego [a] : Fac, obsecro, et quæ illa vera A sit, sine [b] cunctatione demonstra. Faciam, inquit illa [c], (10) tui causa libenter : 172 sed [1] quæ tibi causa notior est, eam prius designare verbis, atque informare conabor : ut ea perspecta, cum in contrariam partem flexeris oculos [d], veræ specimen beatitudinis possis agnoscere.

173 METRUM * PRIMUM.

ARGUMENTUM. — *Philosophia exemplo corporum; nimirum agri, palati, nec non aeris, male et bene alternis affectorum, probat, [mentem humanam prius exuendam esse falsa, quam induatur vera opinione bonorum.*

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arva prius fruticibus,
Falce rubos, filicemque resecat,
Ut nova fruge gravis Ceres eat.
174 Dulcior est apium mage labor,
Si malus ora prius sapor edat.
Gratius astra nitent, ubi notus
Desinit imbriferos dare sonos.
Lucifer ut tenebras pepulerit,

INTERPRETATIO.

[a] Boetius repono
[b] *Mora.*
[c] Philosophia.
[d] Mentis.

Quicunque cupit seminare campum liberum, ille *imprimis purgat fundum arbustis, rescinditque falce* B *spinas et filicem, ut Ceres recens procedat, onusta fructu.* Mel *opus apum videtur multo suavius, si palatum ante imbuatur sapore ingrato. Sidera fulgent jucundius, cum notus* ventus meridianus *cessat edere fragores pluvios. Postquam stella referens lucem fugavit noctem, dies formosa ducit equos rubentes* solis. *Sic tu,*

NOTÆ.

nis sensuum, spiritibus impressa cerebro vestigia relegentibus commovetur, juxta illud Claudian. carm. 27, v. 1 :

> Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
> Pectore sopito reddit amica quies.
> Venator defessa toro cum membra reponit,
> Mens tamen ad silvas et sua lustra redit.

Quare in somniis hominum, ut sæpe est aliquid falsi, ita semper est aliquid veri. In his, inquam, sæpe est aliquid falsi; quod sæpe mens somnians exterioribus corporibus tribuat quod illis non convenit. At in iisdem semper aliquid veri est, v. g. somniantem cogitare : sicut ergo homo non somniat nisi ante captis ab ipso corpore speciebus, sic mens quæ nullum peculiare bonum appetit, nisi duce felicitatis notione, ab ortu divinitus insita, non male dicitur hanc felicitatem C somniare : quamobrem, sicut per somnum contingit, illa insita felicitatis notio alienis imaginibus ita obscuratur, ut ipsa felicitas ab ipsa mente, cui est insita, clare et distincte non percipiatur : hinc falsa assumptione in divitias, aut quodlibet aliud a Deo diversum, velut in summum bonum suumque ultimum finem, inclinata tendit. Propterea quærenda.

[1] *Quæ tibi causa notior est.*] IV. Eadem Philosophia monet sibi initium sumendum esse a notioribus : in omni quippe methodo semper fit progressus a notioribus ad minus nota : ut nimirum hac evidenti notione ducamur et ad investigandum, et ad discernendum id quod quæritur, ab eo de quo non est quæstio.

* Quod vocatur *Phaliscum.* Est autem carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet ex tribus dactylis et uno pyrrichio componitur. Quare D observari poterit quartus, versus, in quo contra communem usum ultima syllaba hujus nominis *Ceres* contrahitur, ut horum *miles, seges, pedes.*

1. *Serere volet agrum.*] I. Philosophia utitur exemplo agri, qui non prius potest esse ferax, quam extractis virgultis cultus fuerit.

1. *Ingenuum.*] *Ingenuus* fit ex præpositione *in* et verbo *geno*, quo usi sunt Varro, Lucretius, pluresque alii pro *gigno* : quare *ingenuus* idem videtur esse quod *ingenitus* : quemadmodum *ingenium* sæpius usurpatur pro natura cujusque rei : sicut Virg. II Georg., v. 177 : *Nunc locus arvorum ingeniis.* Sic fontes dicuntur *ingenui* sive nativi a Lucretio l. I. Sic homo dicitur *ingenuus*, cum a primo ortu, nullo servitutis jugo pressus liber est. Similiter ergo *ager* ille dici potest *ingenuus* qui nullis plantis consitus sic liber est, ut ad quodlibet semen concipiendum videatur aptus; quemadmodum a primo ortu fuisse crediderim. Sic gula, quam nulli sapores præoccupaverunt, *ingenua* vocatur Martiali Epigr. l. VI, ep. 11.

> Non minus ingenua est et mihi, Marce, gula.

2. *Liberat arva.*] *Arvum*, inquit Festus, *dicimus agrum nondum satum* : in agro autem nondum sato nasci solent filix, rubi et frutices, *de la fougère, des ronces et toutes sortes de broussailles;* quæ propterea resecanda sunt.

4. *Ut nova fruge gravis Ceres eat. Ut terra sit fecunda.* Ceres enim terra est, quod, ut omnes sciunt, frugum inventrix habetur et nutrix. Virg. I Georg., v. 147 :

> Prima Ceres ferro mortales vertere terram
> Instituit, cum jam glandes atque arbuta sacræ
> Deficerent silvæ, et victum Dodona negaret.

5. *Dulcior est apium mage labor.*] II. Philosophia utitur exemplo palati, aut cujuslibet alterius gustus organi, cui dulce eo magis arridet, quod amarum gustaverit : ut nimirum significet, veritatem fugato errore fieri gratiorem. Hic autem *labor apium* est mel : apes enim liquentia mella stipant, auctore Virgilio. Non modo dicitur *apum;* sed etiam *apium* quandoquidem illud est ex hoc contractum : sic dicitur *Quiritium* et *Quiritum; loquentium* et *loquentum.* Sed labor *mage dulcior* modus est loquendi, quem grammatici vocant *pleonasmum* : sic Plautus dixit *magis majores nugas agere.*

6. *Si malus ora prius sapor edat.*] Forma elocutionis, quæ Græcis ὑπαλλαγή vocatur : qua propter mutuam partium necessitudinem, quod de una dici solet, id aliquando de altera quoque dicitur. Sic Virgilius dixit *dare classibus austros* : alius dicere potuisset *dare classes austris.* Ea autem est inter saporem et ora necessitudo, ut, sicut sapor partes oris penetrans, has veluti partitur, ita eædem oris partes saporem admittentes hunc dividant : vel (ut cum philosophis loquar), si organa gustus modificentur ab escis, sic escæ ab organis gustus modificentur. Optime tandem post amara mel dicitur dulcius : quemadmodum in musica concordia brevem discordiam excipiens videtur suavior: quod nimirum ingrato illo motu quoddam organo sensifero infligatur vulnus, quod excipiente grato alio motu reparatur.

7. *Gratius astra nitent,* etc.] III. Philosophia utitur exemplo aeris, quatenus hic contrarias vices duplicis generis alternis subit. Primum quidem quatenus pluviam excipit tempus serenum : ubi *notus*, idem qui auster, ventus est a meridie flans, qui quod cogat nubes in aquam abituras, idcirco *imbriferos* sive pluvios *sonos* dicitur emittere. Atqui quod cadente pluvia lumen impeditum, sit minus idque interruptis vicibus oculos feriens, nativam oculorum temperiem turbet; idcirco lumen cessantem notum excipiens turbatam oculorum complexionem sic reparat, ut idem lumen gratius videatur. Deinde quatenus dies succedit nocti : ubi *Lucifer* est stella matutina, quæ vocatur Venus.

Pulchra dies roseos agit equos.
175 Tu quoque falsa tuens bona prius,
Incipe colla jugo retrahere;
Vera dehinc animum subierint.

176 PROSA II.

ARGUMENTUM. — *Philosophia, proposita summi boni notione, ostendit generatim homines cuilibet bono creato unice studentes falsa assumptione decipi.*

Tum [1] defixo paululum visu, et velut [2] in [a] augustam suæ mentis sedem recepta, sic cœpit: [3] Omnis mortalium cura quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso quidem [b] calle procedit, sed ad unum A tamen beatitudinis finem nititur pervenire. [4] Id autem (5) est bonum quo quis adepto nihil ulterius desiderare queat. Quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaque intra se bona continens: cui si quid [c] abforet, summum esse non posset, quoniam relinqueretur extrinsecus quod posset optari. Liquet [d] igitur esse beatitudinem statum bonorum omnium congregatione perfectum. **177** [5] Hunc, uti diximus, [e] diverso tramite mortales omnes conantur adipisci. [6] Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter [f] inserta cupiditas, sed [7] ad falsa [g] devius error abducit. [8] Quorum quidem alii summum

INTERPRETATIO.

o Boetii *qui antea animo attendebas ad bona ementita, incipias* tandem *subducere animum ab eorum tyrannide, tum vera bona intrabunt* saltem notione *mentem* tuam. B

[a] *Regiam.*

[b] *Diversa quidem via.*

[c] *Abesset.*

[d] *Patet.*

[e] *Variis modis.*

[f] *Insita.*

[g] *Aberrans.*

NOTÆ.

Intima est quinque errantium, inquit Cic. II de Nat. deor.. *terræque proxima stella Veneris, quæ* Φωσφόρος *Græce, Lucifer Latine dicitur cum antegrediatur solem, cum autem subsequitur, Hesperus.* Virgil. ecl. VIII, v. 17: *Nascere, præque diem veniens age Lucifer almum.* Sol porro diei parens, poetis fingitur vehi quadrigis equis, quos dies, utpote solem antecedens, nunc fingitur ducere.

11. *Tu quoque.* Quæ cum ita se habeant, cum arva non serantur uberes fructus allatura, nisi prius fruticibus avulsis; cum mel post saporem amarum sit dulcius; cum sidera cessantibus ventis pluviisque jucundius fulgeant; cum denique dies non oriatur, nisi fugatis tenebris; propterea tu, o Boeti, non nisi depositis præjudiciis assequi poteris de bono veritatem: sed hæc eo tibi gratior erit, quod errorem excipiat: ergo C

12. *Incipe colla jugo retrahere.*] Ut corporis, sic etiam mentis quænam est captivitas: sed in hoc mens differt a corpore, quod corpus possit, mens vero non possit, invito homine, cujus est, quibusdam vinculis detineri: propterea non abs re Philosophia hortatur Boetium, ut *incipiat colla jugo retrahere*: Jugum enim illud mentis est.

Verum duobus modis mens humana intelligi potest vinculis detineri. Primum quidem ratione notionis, quatenus hæc obscura est, aut confusa; deinde ratione suæ voluntatis, quatenus ignoratione ducta in errorem aut vitium labitur. Nondum agitur de posteriori hoc vinculorum genere, sed tantum de priori. Cum autem eadem mens ita sit particeps cogitationis, hæc ut nequeat exui obscura, quin clara notione induatur, propterea Philosophia nunc ait fore ut mens Boetii, si hæc bona falsa desinat intueri, vera inspiciat. D

Tu quoque falsa tuens bona prius,
Vera dehinc animum subierint.

[1] *Defixo visu.*] Sicut oculi huc illucque voluti inconstantem, sic fixi constantem mentis ad aliquid attendentis cogitationem significant.

[2] *In augustam sedem.*] Quod enim Philosophia sit quædam regina, idcirco hanc decet *augusta* sive regia sedes. Verum Philosophia instar philosophi sive, ut loquuntur, *in concreto* considerata et corpore et mente videtur constare. Quandiu autem mens corpore abrepta, pro hujus suasione, cogitat, tandiu errat, aut saltem errandi periculo subest, quod præcipitatione aut præjudicio ducatur. Quamobrem si mens philosophica voluerit optime cogitare, necesse est ut ipsa, corpore veluti valere jusso, ad se redeat, suasque cogitationes attentius meditetur.

[3] *Omnis mortalium cura,* etc.] Hæc est propositio quam Philosophia nunc suscipit probandam, videlicet omnes homines ad beatitudinem tendere sed diversa via, quod ut exsequatur, primum proponit summi boni notionem.

[4] *Id autem est bonum.*] Bonum generatim vocatur illud quod beare videtur: bonum quippe ut censet Ulpianus, a *beando* dicitur: unde antiqui pro *bonus* dixere *benus;* ex quo in usu remansit *bene* et *bellus.* Sed quod beare videtur, philosophis duplicis est generis: unum dicitur *res,* alterum vocatur *modus*: prius *beatitudo objectiva,* posterius *beatitudo formalis* iisdem appellatur: utrumque hic definit Philosophia. Prius sic; *bonum, quo quis adepto, nihil ulterius desiderare queat;* atque hoc dicit *summum bonum;* nimirum in genere rei. Posterius vero sic: *statum bonorum omnium congregatione perfectum*: et hoc vocat *beatitudinem.* Prius, nobis dicitur Deus; posterius, cogitatio mentis Deo constanter adhærentis. Sed de his postea.

[5] *Hinc diverso tramite mortales.*] Deinde Philosophia probat homines diversa via tendere ad beatitudinem; quod innatam summi boni notionem male applicent.

[6] *Est enim mentibus hominum,* etc.] Ut enim Deus mentem humanam propter semetipsum condidit; sic eidem menti statim ab ortu indidit non solum notionem, sed etiam voluntatem summi boni, quod nihil est aliud quam ipse Deus.

[7] *Ad falsa devius error abducit.*] Quandiu mens humana Deum et magistrum audit, et ducem sequitur, tandiu et erroris et vitii est expers: sed vix eadem mens divina illa lege soluta est, cum consors corpus, imperari impatiens, in ipsa mente plures excitat perturbationes, quibus obscuritas primum et confusio; deinde multiplex error ejusdem mentis oritur. Ille autem error dicitur *devius*: non solum quod ille sit cogitatio mentis a vera judicandi norma aberrantis: sed etiam quod idem causa sit, cur appetitio, judicii antecedentis comes, a sua etiam lege aberret: hinc dicitur *abducere* ad falsa; falsa scilicet assumptione ut jam probandum est de divitiis, honoribus, potentia, gloria et voluptatibus, primum quidem seorsum, postea comparate spectatis.

[8] *Quorum quidem alii,* etc.] I. Agitur de divitiis: qui his inhiant, sic argumentari videntur: summum bonum est *nihilo indigere*: quæ propositio est verissima: sed qui divitiis affluunt, hi nihilo indigent quæ est assumptio falsissima: imo quo ditior est homo, eo pluribus indiget.

esse bonum nihilo indigere credentes, ut divitiis affluant, elaborant: [1] alii vero bonum, quod sit dignissimum veneratione, judicantes, adeptis honoribus, [a] reverendi civibus suis esse nituntur. [2] Sunt qui summum bonum in summa potentia esse constituant: hi vel regnare ipsi volunt, vel regnantibus adhærere conantur. **178.** [3] At quibus optimum quiddam claritas videtur; hi vel belli, vel pacis artibus gloriosum nomen propagare festinant. [4] Plurimi vero boni fructum gaudio, lætitiaque metiuntur: hi felicissimum putant voluptate diffluere, [5] Sunt etiam, qui horum fineis, causasque alterutro [b] permutant: ut, qui divitias ob potentiam, voluptatesque desiderant; vel qui potentiam seu pecuniæ causa, seu proferendi nominis petunt. [6] In his igitur cæterisque talibus humanorum actuum, votorumque versatur [c] intentio; veluti nobilitas, favorque popularis, quæ videntur quamdam claritudinem comparare; uxor ac liberi, qui jucunditatis gratia petuntur. Amicorum vero, quod [d] sanctissimum quidem genus est, non in fortuna, sed in virtute

A numeratur. Reliquum vero vel potentiæ causa, vel delectationis assumitur. Jam vero corporis bona [e] promptum est, ut ad superiora referantur. Robur enim magnitudoque videntur [f] præstare valentiam: pulchritudo atque velocitas celebritatem: salubritas, voluptatem. Quibus omnibus solam beatitudinem desiderari liquet. Nam quod quisque præ cæteris petit, id summum esse judicat bonum. Sed summum bonum beatitudinem esse definivimus. Quare beatum esse judicat statum, quem præ cæteris quisque desiderat. Habes igitur ante oculos [g] propositam fere formam felicitatis humanæ, opes, honores, potentiam, gloriam, voluptates. **179** [7] Quæ quidem sola considerans Epicurus, consequenter sibi summum bonum voluptatem esse constituit; quod
B cætera omnia jucunditatem animo videantur afferre. Sed ad hominum studia revertor: quorum animus, et si [h] caligante memoria, tamen bonum summum repetit, sed [8] velut ebrius, domum quo tramite revertatur, ignorat. [9] Num enim videntur errare hi qui nihilo indigere nituntur? Atque non est aliud,

INTERPRETATIO.

[a] *Honorabiles.*
[b] Ex prædictis bonis.
[c] *Summa.*
[d] Bonorum.
[e] *Omnibus patet.*
[f] *Efficere ut valeas.*
[g] Mentis.
[h] *Obscurata.*

NOTÆ.

[1] *Alii bonum quod sit dignissimum veneratione*, etc. II. Agitur de dignitatibus sive honoribus, quibus qui student sic videntur ratiocinari: summum bonum est *veneratione dignissimum*: vera propositio: sed veneratione dignissimus homo non est, nisi is magistratu decoretur: falsa assumption: si quidem ipse magistratus non colitur, nisi fuerit cum virtute conjunctus

[2] *Sunt qui summum bonum in summa potentia*, etc.] II. Agitur de potentia, quam qui appetit, sic videtur argumentari: summa potentia est individua comes summi boni: vera propositio: sed homo non habet summam potentiam nisi regnando, aut regnantibus adhærendo: falsa assumptio: quandoquidem ipsi reges non sunt potentes, nisi suis imperent perturbationibus.

[3] *At quibus optimum quiddam claritas*, etc.] IV. Agitur de fama, quam qui desiderant, sic videntur ratiocinari. Summi boni est esse clarum; quod verum est: sed clarus homo esse nequit nisi vel belli vel pacis artibus; quod falsum est: cum hæ artes sæpius sint vitiorum materies.

[4] *Plurimi boni fructum gaudio*, etc.] V. Agitur de voluptatibus, quibus qui indulgent, hi vere proponunt summum bonum non esse sine lætitia: sed falso assumunt hanc lætitiam accipi posse a rebus caducis. Sicque actum est seorsum de bonis caducis.

[5] *Sunt etiam qui horum fineis*, etc.] VI. Agitur de prædictis omnibus inter se comparatis: quibus modo pluribus, modo paucioribus; modo his, modo illis homo adhæret, pro diversa assumptione quam facit: quod ex solo orationis contextu videtur nobis notissimum.

[6] *In his humanorum actuum votorumque versatur intentio.*] *Summa sive quidquid est desiderii operisque humani:* sicut enim opus humanum sequitur humanum desiderium; sic desiderium humanum sequitur prædictam mentis assumptionem propositionemque: siquidem non agimus extrinsecus, nisi quod intrinsecus volumus, nec volumus, nisi quod judicavimus præstare; nec judicamus nisi quod sic visum est sive obscure, sive evidenter: quod Philosophia confirmat exemplis primum quidem quotidianis; deinde antiC quioribus, ut Epicuri.

[7] *Quæ quidem sola considerans Epicurus*, etc.] Epicurus, philosophus satis notus. Ille in Physica quidem docuit, corpora ex atomis et inani componi: in Ethica vero, summum bonum in voluptate versari statuit, quasi sic argumentatus: cum nulla alia sint bona præter *opes, honores, potentiam, gloriam et voluptates*, quod bonum inter hæc omnia cæteris præstat, illud summum censeri debet. Atqui voluptas inter hæc omnia cæteris præstat: quod hæc omnia non quærantur, nisi quia jucunditatem animo videantur afferre. Hinc homines voluptarii dici consueverunt *Epicurei*.

[8] *Velut ebrius.*] Optima similitudo ad exponendam prædictam uniuscujusque hominis bono caduco adhærentis ratiocinationem. Sicut enim ebrius homo, 1° quamdam habet suæ domus ideam, quam, antequam egressus fuisset vinum bibiturus, ab ipsa domo acceperat; 2° hujus ideæ semper memor doD mum suam cæteris præfert, etiam sepultus vino: unde eamdem repetere studet; 3° vino turbante memoriam, viam solummodo, qua revertatur, ignorat; 4° tenebris sensim crescentibus, alienis ædibus, ut suis, adhæret immotus: ita mens humana, 1° quamdam habet sui principii suique finis, nimirum Dei ideam, quam, antequam ab eo recessisset, corporeas voluptates haustura, ab ipso suo Auctore acceperat; 2° hujus ideæ nunquam omnino immemor, Auctorem suum cæteris rebus præferendum putat, etiam voluptatibus corporis indulgens: unde ad eumdem reverti cupit; 3° corpore impediente notionem officii, viam, qua ad Deum redeat, nescit; 4° caligine sensim aucta externis caducisque rebus, ut suo principio suoque proinde fini adhæret immota: quamobrem ut ebrius, sic mens humana non errat nisi assumptione præcipiti.

[9] *Num enim videntur errare hi*, etc.] Philosophia denique seorsum expendit prædictas propositiones de opibus, honoribus, potentia, gloria et voluptatibus,

quod æque perficere beatitudinem possit, quam copiosus bonorum omnium status, nec alieni egens, sed sibi ipse sufficiens. Num vero labuntur [a] hi qui quod sit optimum, id etiam reverentiæ (10) cultu dignissimum putant? minime. Neque enim vile quiddam, contemnendumque est, quod adipisci omnium fere mortalium laborat intentio. An in bonis non est numeranda potentia? Quid igitur? Num imbecillum ac sine viribus æstimandum est, quod omnibus rebus constat esse præstantius? An claritudo nihili pendenda est? Sed [b] (15) sequestrari nequit, quin omne quod excellentissimum sit, id etiam videatur esse clarissimum. Nam non esse anxiam tristemque beatitudinem, nec doloribus molestiisque subjectam quid attinet dicere, quando in minimis quoque rebus id appetitur, quod habere fruique delectet? **180** Atqui hæc sunt, quæ adipisci homines volunt, eaque de causa divitias, dignitates, regna, gloriam voluptatesque desiderant, quod per hæc sibi sufficientiam, reverentiam, potentiam, celebritatem, lætitiamque A credunt esse venturam. Bonum est igitur quod tam diversis (5) [c] studiis homines petunt: in quo quanta sit [1] naturæ vis, [2] facile monstratur, cum [3] licet variæ dissidentesque sententiæ, tamen [4] in deligendo [d] boni fine consentiunt.

181 METRUM * II.

Argumentum. — *Quamvis naturalem leonum, avium, plantarumque indolem expellas, hæc, instar solis ab occasu ad ortum remeantis, recurrit, finem principio junctura.*

Quantas rerum flectat habenas
Natura potens, quibus immensum
Legibus orbem provida servet
Stringatque ligans irresoluto
B Singula nexu, placet arguto
Fidibus lentis promere cantu.
181 Quamvis Pœni pulchra leones
Vincula gestent, manibusque datas
Captent escas, metuantque trucem,
Soliti verbera ferre, magistrum,

INTERPRETATIO.

[a] Judicando, *idest errant.*
[b] *Negari.*
[c] *Affectionibus.*
[d] *Summo bono.*
Volo argute canere chordis tardis, quantas inclinationes rerum natura potens vertat, et quibus legibus eadem natura prospiciens tutetur mundum ingentem, contineatque omnia connectens vinculo indissolubili. Licet leones Africani gerant catenas splendidas, et capiant cibos porrectos manibus domini, *et timeant* ipsum do-

NOTÆ.

hasque probat esse veras: ex quo conficit homines hic non errare nisi assumptione. De verbo *sequestrari* supra dictum est.

[1] *Vis naturæ.*] Nempe *ideæ naturaliter insitæ* C mentibus humanis: in qua unusquisque videt comprehensum, quod prædictis propositionibus asseritur.

[2] *Facile monstratur.*] Saltem a consequentibus, sive, ut philosophi loquuntur, *a posteriori.*

[3] *Licet variæ dissidentesque sententiæ.*] Prædictæ nimirum assumptiones.

[4] *In deligendo boni fine consentiunt.*] Propter prædictam summi boni ideam unicuique insitam, ratione cujus prædictæ propositiones fiunt: ut sæpius dictum est: usque adeo ut in cæteris, sic in homine finis ad ortum debet recurrere.

* Quod dicitur *Pindaricum.* Est autem carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet quatuor pedes habet, sed tanta libertate dispositos, ut unusquisque nunc spondeus, nunc dactylus, nunc anapæstus, nunc trochæus esse possit.

1. *Habenas.*] Habenæ proprie dicuntur de equis, quippe quos his instrumentis ad nutum habemus tra- D ctamusque. Quod autem equi habenis huc illucque flectantur, factum est ut habenæ dicantur modo de legibus, quibus res cæteræ reguntur; modo de ipsis rerum inclinationibus, quibus tanquam frenis, res ipsæ flectuntur. Sic Tullius, de Amic., *commodissimum est*, inquit, *quam laxissimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas cum velis, vel remittas.* Sic etiam Virg. Æneid. XII, v. 498:

Terribilis sævam nullo discrimine cædem
Suscitat, irarumque omnes effundit habenas.

2. *Natura potens.*] Natuaa, quod dicatur *a nasci* idem est quod principium: quare ut principium sic natura multiplicis generis. Hic Deus est, a quo primæ rerum omnium inclinationes, ut a primo principio oriuntur. Sic Tullius II, de Nat. deor: *Natura*, inquit, *est quæ contineat mundum omnem eumque tueatur.* Sic Lucret. l. I:

Denique ni minimas in partes cuncta resolvi
Cogere consuesset rerum natura creatrix.

2. *Quibus legibus.*] Ut enim corporibus ad movendum, sic mentibus ad cogitandum suæ sunt leges, ab eo, a quo res istæ habent primum ut moveantur et cogitent, Conditore constitutæ: quare ut Deus est immutabilis, sic leges istæ firmæ sunt, dignæ propterea, quæ tanquam propria philosophicæ meditationis materies, ab ipsa Philosophia considerentur, suisque auditoribus seu stricta seu etiam soluta oratione proponantur. *Arguto* autem hoc *cantu* Philosophia, ad probandum id quod sibi proposuit, quatuor adhibet argumentorum genera: primum a leonibus, secundum a volucribus, tertium a plantis, quartum ab ipso sole desumitur.

7. *Pœni leones.*] I. Philosophia probatura, perpetuum esse cujuslibet rei ad suum principium remeantis circuitum, argumentatur a leonibus, quos vocat *Pœnos* sive *Africanos*, quod ut populi, sic leones Africæ ferociores esse soleant. Virg. I Æneid. v. 306:

Et jam jussa facit, ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente Deo.

Seneca in Hippol. v. 347:

Pœni quatiunt colla leones,
Cum movit amor; tum silva gemit
Murmure sævo.

Quasi dicat: quemadmodum leones feroces, vinculis, escis et verberibus mansuefacti statim atque sanguinem missum, oculis, præsertim naribus, perceperunt, veluti immemores, suæ captivitatis, prioris vero suæ indolis memores, fremunt, vincula rumpunt, et ipsum domitorem lacerant: sic homo suæ originis memor ad suum principium conatur regredi. Sic Martial. epigram, 75, lib. II, ait, leonem cicurem sanguine ferarum gladiatorumque in arena amphitheatri effuso commotum pueros invasisse et miserabiliter in conspectu omnium laceravisse.

Verbera securi solitus leo ferre magistri
Insertamque pati blandus in ora manum.
Dedidicit pacem, subito feritate reversa.

Si cruor horrida tinxerit ora,
Resides olim redeunt animi,
Fremituque gravi meminere sui,
Laxant nodis colla solutis,
Primusque lacer dente cruento
Domitor rabidas imbuit iras.
183 Quæ canit altis garrula ramis
Ales, caveæ clauditur antro :
Huic licet illita pocula melle,
Largasque dapes dulci studio
Ludens hominum cura ministret,
Si tamen, arcto saliens tecto,
Nemorum gratas viderit umbras,
Sparsas pedibus proterit escas,
Silvas tantum mœsta requirit,
Silvas dulci voce susurrat.
184 Validis quondam viribus acta
Pronum flectit virga cacumen :
Hanc si curvans dextra remisit,
Recto spectat vertice cœlum.
Cadit Hesperias Phœbus in undas ;
Sed secreto tramite rursus
Currum solitos vertit ad ortus.

INTERPRETATIO.

minum terribilem, soliti ab eodem *vapulare* : *si tamen sanguis*, verberibus præsertim fusus, *imbuerit vultus*, eorum *horrendos*, *spiritus jam pridem otiosi recurrunt*, *et* leones *memores sui*, *murmure ingenti*, *liberant* sua *colla*, *vinculis ruptis*, *et* ipse *dominus*, *primus discerptus ore crudeli*, *satiat furores sævos* eorumdem. *Si volucris*, *quæ loquax cantare* solet *in summis arboribus*, *includitur cavea*, veluti *carcere* : *quamvis homo diligens* illic *suppeditet* eidem *potum melle conditum et escas copiosas*, *animi causa*; eadem nihilominus volucris, *si angusta in domo* sua *saltans*, *conspexerit umbras jucundas silvarum*, *conculcat dapes dispersas*, *tristis repetit solum silvas*, et *suavi garrulitate murmurat silvas* easdem. *Qui ramus olim coactus forti robore*, *demittit ad terras verticem curvatum*, hic, *statim atque manus flectens laxavit illum*, *respicit cœlum cacumine erecto*. *Sol labitur in aquas vespertinas* : *at iterum detorquet plaustrum ad orientem consuetum occulta via*.

NOTÆ.

Quanta nec in Libycis debuit esse jugis :
Nam duo de tenera puerilia corpora turba
Sanguineam rastris quæ renovabat humum,
Sævus et infelix furiali dente peremit :
Martia non vidit majus arena nefas.

12. *Resides olim redeunt animi.*] Illa scilicet corpuscula, quæ sunt pars sanguinis subtilior, quæque cerebrum ingressa nervos hinc exortos subeunt, ut ventus organa musica : hæc quippe corpuscula propter quamdam similitudinem, quam habent cum vento ejusque motu, *animi* vocantur et *spiritus*. Virgil. I Georg., v. 415 :

Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major :
Verum ubi tempestas et cœli mobilis humor
Mutavere vias : et Juppiter humidus austris
Densat, erant quæ rara modo; et quæ densa, relaxat
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt : hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, et ovantes gutture corvi.

Similiter ergo illi spiritus in leonibus cicuribus propter vincula, escas et verbera a solito itinere ita deflectuntur, ut otiosi et quasi resides videantur. At novo sanguinis fusi seu colore, seu odore, seu utroque viæ hactenus obstructæ aperiuntur : unde hi spiritus, qua data porta ruentes iter a natura sibi præscriptum tenent, leonemque insolito quidem, sed non minus naturali motu commovent : hinc leones fremunt, rumpunt vincula, et ipsum domitorem lacerant : ita ut hic dicatur illorum *iras imbuere* : Sicut Virgil. ait VII Æneid., v. 541 :

Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
Imbuit et primæ commisit funera pugnæ.

17. *Quæ canit . . . ales.*] II. Philosophia propter prædictum finem argumentatur a volucribus, quæ caveis inclusæ, quamvis ibi summa hominum cura nutriantur, omni quo possunt modo silvas requirunt. Ales ergo hic, ut pote quæ ab alis vocatur, est avis alis utens; quippe quæ ad altissima usque loca ascendere solita, difficilius cæteris mores alienos induit.

18. *Caveæ clauditur antro.*] Cavea generatim est quilibet locus cavatus obscurusque, hic autem *caveæ* sunt carceres, quibus aves præsertim includere solemus, vulgo *des cages:* voluit vero Philosophia *ramis altis*, in quibus ales *garrire* solet, opponere *caveæ antrum*, quo ales includitur, ut magis denotaret, quantum hic alitis status a naturali distet.

22. *Arcto saliens tecto.*] In tecto, inquam, non e tecto saliens : alioquin nec *sparsas pedibus proterere escas*, *nec mœsta*, *nec silvas voce susurrare*, sed potius deseruisse escas, læta, et silvis adesse diceretur. Nimirum cavea cæteraque corpora, quibus ales inclusa circumdatur, sic mutant vias, quibus animi sive spiritus diffundi solent, ut hi spiritus otiosi videantur. At ubi recens aut color, aut sonus, aut odor umbrosi nemoris ad cerebrum usque diffusus aut rarum densavit, aut relaxavit densum, tunc mutatis meatibus vertuntur cursus animorum, ita ut his et alæ ad saltandum, et pedes ad proterendas escas, et fames ad susurrandas silvas commoveantur. Ovid. l. II de Ponto, eleg. 4 :

Cum bene sit clausæ cavea Pandione natæ,
Nititur in silvas quæque redire suas.

27. *Validis viribus acta virga.*] III. Philosophia prædictum ob finem argumentatur a plantis, quibus inest vis illa, quam philosophi *elasticam* vocant, *vertu de ressort*; quæque in hoc versatur, quod corpus compressum tensumve ultro citroque qua minus resistitur, facta libertate resiliat. Hæc virtus occurrit non solum in quibusdam metallis, verum etiam in pluribus plantis : quare si virga hujus generis *recto spectans vertice cœlum*, ad terram majori *dexteræ* virtute curvetur, eadem, facta redeundi facultate, ad cœlum recurrit.

31. *Cadit hesperias Phœbus in undas*, etc.] IV. Philosophia hanc ob causam argumentatur a sole, quem poetæ fabulantur occidentem sese in undas æquoreas condere, ut pulvere cæterisque sordibus, quas per diem contraxerit, purgatus, mane purior oriatur. Hesperiæ undæ sive vespertinæ dicuntur ab Hespero, sive stella, quæ prima post occasum solis nobis apparet. Phœbus vero, sol dicitur a Græco φοῖβος, *splendidus*, ut sæpius diximus.

32. *Secreto tramite.*] Via quippe, qua sol ab occasu ad ortum remeat, ignota est, omnibus quidem hominibus, quos sibi ex adverso stantes antipodas cæteri homines habent : quod sol his illis hominibus simul non appareat, sed præsertim poetis, qui et occidentem solem in aquas præcipitare, et orientem ab iisdem aquis consurgere mentiuntur.

33. *Currum solitos vertit ad ortus.*] Nam sol ab iisdem poetis vehi fingitur curru, cujus sint axis, rotæ, equi. Ovid. II Metam., v. 63 :

185 Repetunt proprios quæque recursus,
Redituque suo singula gaudent.
Nec manet ulli traditus ordo,
Nisi quod fini junxerit ortum,
Stabilemque sui fecerit orbem.

186 PROSA III.

ARGUMENTUM. — *Philosophia, quod hactenus generatim probavit, id deinceps specialim probatura de divitiis, dignitatibus, regno, gloria et voluptatibus, tam soluta quam stricta oratione, de his scilicet, veram propositionem, at falsam assumptionem fieri, incipit a divitiis, quas demonstrat non esse summum bonum, propter anxietatem, timorem, cæterasque perturbationes quibus comitantur.*

Vos quoque o [1] [a] terrena animalia, [2] [b] tenui licet imagine, [3] vestrum tamen principium [c] somniatis, [4] verumque illum beatitudinis finem, [5] licet minime B perspicaci, qualicunque tamen cogitatione prospicitis, eoque vos, et [6] ad verum bonum naturalis ducit intentio, **187** et [7] ab eodem multiplex error abducit. Considera namque an per ea quibus se homines adepturos beatitudinem putant, ad destinatum finem valeant A pervenire? Si enim vel pecunia, vel honores, cæteraque tale quid afferunt, cui nihil bonorum abesse videatur, nos quoque fateamur fieri aliquos horum adeptione felices. Quod si neque id valent efficere quod promittunt, bonisque pluribus carent, nonne [d] liquido falsa in eis beatitudinis species deprehenditur? [8] Primum igitur te ipsum, qui paulo ante divitiis affluebas, interrogo. [9] Inter illas abundantissimas opes numquamne animum tuum concepta ex qualibet injuria confudit anxietas? Atqui, inquam, tam libero me fuisse animo, quin aliquid semper [e] angeret, reminisci nequeo. Nonne quia vel aberat, quod abesse non velles; vel aderat, quod adesse noluisses? Ita est, inquam. Illius igitur præsentiam, hujus absentiam desiderabas. Confiteor, inquam. Eget vero, inquit, eo quod quisque desiderat. Eget, inquam. Qui vero eget aliquo, num est usquequaque sibi ipse sufficiens? Minime, inquam. Tu itaque hanc insufficientiam plenus, inquit, opibus sustinebas? Quid ni? inquam. Opes igitur nihilo in-

INTERPRETATIO.

Omnia requirunt regressus suos, et cuncta delectantur recursu suo. Ordo unicuique rei præscriptus non servatur, nisi hæc conjunxerit suum *finem cum* suo *principio et fecerit circulum sui constantem.*

[a] *Homines.*

[b] *Obscura quamvis cogitatione.*

[c] *Cogitatis.*

[d] *Evidenter.*

[e] *Cruciaret.*

NOTÆ.

Ardua prima via est, et qua vix mane recentes
Enituntur equi; medio est altissima cœlo...
Ultima prona via est, et eget moderamine certo.
Tunc etiam quæ me subjectis excipit undis
Ne ferar in præceps Tethys solet ipsa vereri.

34. *Repetunt proprios quæque recursus*, etc.] Singula conantur ad eum, unde digressa sunt, statum recurrere, hocque statu recuperato veluti gaudent: sic bestiæ priores mores, plantæ priores situs, sol ipse priorem locum appetere et quantum in se est repetere videtur. Horatius Epist. l. I, ep. 10:

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

38. *Stabilemque sui fecerit orbem.*] Ut unus sit cujuslibet rei in suum principium remeantis circuitus. Sic Ecclesiastæ I: *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur: ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur. Omnia flumina intrant in mare et mare non redundat, ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant.*

Atque ex his omnibus Philosophia concludendum relinquit homines a Deo tanquam a principio ortos, quemdam sui orbem facturos, instar cæterorum, ad Deum tanquam ad suum finem recurrere.

[1] *Terrena animalia.*] *Homines rebus terrenis addicti.*

[2] *Tenui imagine.*] *Specie sive idea ingenita,* quæ corporis consortis impressionibus obscuratur.

[3] *Vestrum principium somniatis.*] *Deum* obscure, instar somniantium, percipitis, sicut jam explicuimus.

[4] *Verumque finem.*] Ut homo instar cæterarum rerum *stabilem sui faciat orbem,* necesse est ut quod fuit illi principium, idem sit finis cogitandi: quamobrem si homo, obscure saltem, suum agnoscat principium, idem homo, obscure pariter, suum finem cognoscat necesse est.

[5] *Licet minime prespicaci, qualicunque tamen cogitatione.*] Prædicta scilicet obscuraque specie sive idea, quæ quod sit in nobis et hujus proxime conscii sumus, merito vocatur *cogitatio.*

C [6] *Ad verum bonum naturalis ducit intentio.*] Quod enim mens nostra divinitus informetur prædicta specie, in qua quædam attributa naturaliter videt comprehendi, propterea eadem nostra mens judicando veras naturaliter format de summo bono propositiones, quas propter necessitudinem, quæ est inter judicium appetitumque boni, *naturalis intentio* sequitur.

[7] *Ab eodem multiplexerror abducit.*] Nimirum dum eadem mens prædictis propositionibus convicta, præjudiciis ita deflectitur, ut falsis assumptionibus judicium intentionemque habeat de eo cui ante captæ summi boni proprietates non conveniunt: sicut de unoquoque seorsum probandum est, videlicet de divitiis, dignitatibus, regno, gloria et voluptatibus; ac primo quidem de divitiis.

[8] *Primum te ipsum qui paulo ante divitiis affluebas, interrogo.*] Boetius quippe, priusquam apud Theodoricum male audiret, ditissimus fuit: unde expertus D novit, quomodo homo afficiatur erga amissas, amittendas et præsentes quoque divitias, potestque propterea interroganti Philosophiæ respondere, divites nec anxietate animi, nec metu, nec pluribus aliis affectibus vacare.

[9] *Inter illas*, etc.] I. Ergo argumentatur Philosophia ab anxietate animi. *Anxietas* quasi *anctietas* a supino *anctum;* hoc autem ab *ango*, quod est *constringo.* Quamobrem *anxietas* hic idem quod *animi angor*: sed angor, teste Tullio, est ægritudo premens: ita ut animus, instar partium corporis compressi, videatur *confundi* propter *aliquam injuriam*: unde sic argumentari videtur philosophia. Ubi est animi anxietas, ibi felicitas non est: anxietas enim illa, ut pote animi ægritudo, est felicitati contraria. Atqui in divitibus semper quædam est animi anxietas: quod his vel absit, quod abesse non vellent, vel adsit quod adesse nollent: sicut Boetius expertus fatetur. *In sufficientia* vox Latina non videtur.

digentem, sufficientemque sibi facere nequeunt, et hoc erat quod promittere videbantur. 188 Atqui [1] hoc quoque maxime considerandum puto, quod nihil habeat suapte natura pecunia, ut his, a quibus possidetur, invitis nequeat auferri. Fateor inquam. Quidni fateare, cum eam quotidie valentior aliquis eripiat invito? Unde enim [a] forenses querimoniæ, nisi quod (5) vel vi, vel fraude a nolentibus pecuniæ repetuntur ereptæ? Ita est, inquam. Egebit igitur, inquit, extrinsecus, petito præsidio, quo suam pecuniam quisque tueatur. Quis, inquam, neget? Atqui non egeret eo, nisi possideret pecuniam, quam posset amittere. Dubitari, inquam, nequit. In contrarium igitur relapsa res est: nam quæ sufficientes (10) [b] sibi facere putabantur opes, alieno potius præsidio faciunt indigentes. [2] Quis autem modus est, quo pellatur divitiis indigentia? Num enim divites esurire nequeunt? num sitire non possunt? num frigus hibernum pecuniosorum membra non sentiunt? sed adest, inquies, opulentis, quo famem satient; quo sitim frigusque depellant. Sed (15) hoc modo[3] consolari quidem divitiis indigentia potest, auferri penitus non potest. Nam si hæc [c] hians semper, atque aliquid poscens, opibus non expletur, maneat necesse est, quæ possit expleri. Taceo quod [4] naturæ minimum, quod avaritiæ nihil satis est. 189 Quare si opes nec submovere indigentiam possunt, et ipsæ suam faciunt, [5] quid est quod eas sufficientiam præstare credatis?

190 METRUM* III.

Argumentum.— *Copia pecuniæ, gemmarum et agrorum, inquit Philosophia, homines nec superstites curis eximit, nec defunctos solatur.*

Quamvis fluente dives auri gurgite
Non expleturas cogat avarus opes,
Oneretque baccis colla Rubri littoris,
191 Ruraque centeno scindat opima bove,

INTERPRETATIO

[a] *Lites.*
[b] *Hominibus.*
[c] Indigentia.

Etiamsi dives auri flumine manante avidus congreget divitias non satiaturas ipsum; *etiamsi* idem *gravet* suum *collum unionibus maris Rubri*; *etiam si colat agros pingues bobus innumeris;* hæ *divitiæ* ut *mordaces an-*

NOTÆ.

[1] *Hoc quoque maxime considerandum puto.*] II. Eadem philosophia argumentatur a timore, cujus divites nunquam sunt expertes, hac fere ratione. Ubicunque est timor, ibi non est felicitas quod timere sit malum; felicitas autem omne malum expellat. Atqui in divitibus semper est timor; saltem ne ipsi *a potentioribus spolientur inviti* : cum *pecunia vel vi vel fraude invito domino quotidie eripiatur, ut forenses querimoniæ probant*, et ipse Boetius expertus est : quare tantum abest, ut divitiæ satisfacere possint, ut *alieno potius præsidio faciant indigentes.*

[2] *Quis autem modus*, etc.] III. Philosophia argumentatur a pluribus aliis affectibus, quos opes impedire nequeunt, imo sæpius excitant, augentque : quod potest sic contrahi. Ubi est fames, sitis, frigus, cæteræque ejusmodi affectiones menti incommodæ, ibi non est felicitas : quod bonum his malis contrarium absit. Atqui in divitibus, non secus ac in pauperibus, est fames, sitis, frigus, et cætera hujusmodi, quæ quamvis opibus possint differri, opibus tamen omnino auferri non possunt.

[3] *Consolari.*] Verbum hoc sæpius actionem significat : sed in contrariam etiam partem dictum invenies apud optimos auctores. Asinius in epist. Cic., *Consolabar ob ea quæ timui.*

[4] *Naturæ minimum, avaritiæ nihil satis.*] Natura hic corpus est, avaritia est mens appetens : corpori autem minimum sufficere potest : sicut minimus cibus famem, minimus potus sitim; minimus calor frigus expellere potest : at menti appetenti nihil satis est : nam, ut ait Juvenalis,

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

[5] *Quid est, quod eas*, etc.] Quare, o homines, arbitramini divitias instar summi boni vobis posse sufficere : vere quidem proponitis, illud esse summum bonum quod sufficere potest : sed falso assumitis divitias posse sufficere.

* Carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quorum prior iambicus senis pedibus, dominante tamen iambo, constat : posterior est pentameter elegiacus.

1. *Fluente dives auri gurgite.*] I. Agitur de pecunia. Hic autem primus versus tanta industria compositus est : ut duplex esse possit legitima illius significatio. Primum enim recte intelligitur *dives auri* : sicut apud Virgilium dicitur *dives pecoris*, et apud Horatium, rerum multarum *dives*. Deinde non male intelligitur *fluente auri gurgite*, cogitato quodam auri flumine, quemadmodum Pactolus et Tagus dicuntur auro fluere : gurges enim a sono sic dictus, significat profundiorem quemdam locum, in quem aqua, aliusve similis liquor affluens volvendo murmurat. Sic suprema faucium extremitas vocari solet *gurgulio*: unde qui abdomini natus helluationibus indulget, hic *gurges* et *vorago* patrimonii dicitur ipsi Tullio. Sic etiam mare et flumen apud poetas nomine gurgitis significatur. Virgil. I Æneid., v. 122 :

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

2. *Avarus.*] Avarus quasi avidus æris ; ex quo antiquitus pecunia fiebat, non satiatur opibus : quod expertus præsentes parvi faciat; inexpertus vero absentes magni ducat.

3. *Oneretque baccis colla.*] II. Agitur de gemmis : *bacca* enim primum est minutus rotundusque arboris fructus, cujusmodi sunt olivæ, ut baccæ distinguantur a pomis, quæ majores sunt arborum fructus. Virg. eclog. 10, v. 27 :

Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

Deinde bacca est gemma rotunda, sive unio, sic vocata quod instar baccæ arboreæ rotunda aut saltem ovata, figuræ sit uniusmodi : propterea enim cepa gallis vocatur *ognon*. Horatius Epod. od. 8 :

Nec sit marita quæ rotundioribus
Onusta baccis ambulet.

Mare autem Rubrum, quod Græcis dicitur Ἐρυθραῖον, ejusmodi uniones magnitudine, figura et colore præstantissimos ferre asserunt inter alios Plinius l. IX, cap. 35, et Tibullus l. IV, carm. 2 :

Quascunque niger Rubro de littore conchas
Proximus Eois colligit Indus aquis.

4. *Ruraque centeno.*] III. Agitur de agris, quorum eximia tum *quantitas*, tum etiam *qualitas* exprimitur : *quantitas* quidem centeno numero boum quibus agri colantur : centum enim apud auctores numerus magnus est. Horat. l. II Carm., od. 16 :

Nec cura mordax deserit superstitem,
Defunctumque leves non comitantur opes.

192 PROSA IV

Argumentum. — *Honor dignitates consequens, inquit Philosophia, sic ab opinione vulgi pendet, ut nec ubique nec semper magistratibus exhibeatur : unde falsa pariter assumptione credideris, summum, quod naturaliter cognoscis et amas, bonum in dignitatibus versari.*

Sed [1] dignitates [a] honorabilem, reverendumque, cui provenerint, reddunt. [2] Num vis ea magistratibus [b] ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant? [c] Atqui non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent, quo fit, ut indignemur eas sæpe A nequissimis hominibus contigisse : [3] unde Catullus **193**[4] licet [d] in curuli Nonium sedentem, strumam tamen appellat. Videsne quantum malis dedecus adjiciant dignitates? Atqui minus eorum patebit indignitas, si nullis honoribus inclarescant. Tu quoque num tandem tot periculis adduci potuisti, ut [5] cum Decorato gerere magistratum putares, cum in eo mentem nequissimi [e] scurræ, delatorisque respiceres? Non enim possumus ob honores reverentia dignos judicare, quos ipsis honoribus judicamus indignos. At si quem sapientia præditum videres, num posses eum reverentia, vel ea, qua præditus est, sapientia, non dignum putare? Minime. Inest

INTERPRETATIO.

gunt viventem, sic *constantes non comitantur mortuum.*

[a] Objicit Boetius.

[b] Reponit Philosophia.

[c] Non certe.

[d] *Magistratum.*

B [e] *Sannionis, qui videlicet omnibus modis risum movere nititur.*

NOTÆ.

Te greges centum Siculæque circum
Mugiunt vaccæ.

Qualitas vero agris *opimis.*

5. *Nec cura mordax,* etc.] Quamvis, inquit Philosophia, dives abundet pecunia, gemmis et agris opimis, non propterea felix erit : nam vel superstes vitam aget, vel vita defunctus morietur. Si vivat, anxiferis cruciabitur curis, sive ad conservandas veteres, sive ad comparandas novas opes. Si vero moriatur, quidquid ex suis opibus sperare poterat consolationis, illud ipsum *non comitabitur :* opes enim, ut pote caducæ vitæ famulantes, hac recedente recedunt, transituræ ad hæredem, quem similibus curis ita afficient, ut si te tangat illius amor, opes novum tibi esse debeant doloris argumentum : falso igitur assumes eam, quam naturaliter cognoscis appetisque felicitatem, in divitiis reperiri. Videamus dignitates.

[1] *Dignitates honorabilem reverendumque reddunt.*] Id quidem objicit Boetius Philosophiæ : sed hæc reponit, has dignitates non tam ratione sui, quam opinione vulgi honorabilem reverendumque magistratum reddere ; ex quo fit, ut nec ubique nec semper magistratus honore afficiantur.

[2] *Num vis ea magistratibus,* etc.] I. Philosophia reponit dignitates ratione sui non reddere hominem honorabilem et reverendum. Cum enim honor et reverentia sit intrinsecus quidem cogitatio, extrinsecus vero nota optima meriti alieni, idcirco honor et reverentia ita comitantur virtutem, ut quidquid ratione sui hominem reddit honorabilem et reverendum illud si virtus ipsa non sit, *virtutem mentibus inserere* D debeat adeoque *vitia depellere.* Atqui dignitates sive magistratus non ita se habent : quandoquidem *illustrare potius nequitiam solent quam fugare, quo fit ut indignemur eas sæpe nequissimis contigisse* : sicut Catullus *Nonium,* et ipse Boetius *Decoratum* ægre tulit magistratum gerere.

[3] *Unde Catullus.*] Poeta notissimus, qui, quod in versibus ita fuerit mordax, ut ne Cæsari quidem pepercerit, non dubitavit Nonium magistratum, sive, ut nunc dicitur, *in curuli sedentem,* ejusdem cognomini alludens, convicio consectari. Carm. 53 :

Quid est, Catulle, quid moraris emori ?
Sella in curuli struma Nonius sedet :
Per consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori ?

[4] *Licet in curuli Nonium sedentem, strumam tamen appellat.*] Plures hic putant Boetium ignorasse strumam esse cognomentum Nonii : *Boetius allucinatur,* inquit Josephus Scaliger ad prædictos versus Catulli, *qui strumam non cognomen Nonii putat, sed convicium.* Unde Sitzmanus hic : *Notanda,* ait, *hoc loco ἀνιστορησία nostri Boetii, in eo quod strumam non cognomen Nonii putat.* Et Bernartius hic quoque : *videamus,* inquit, *ne guttulam hauserit e flumine lethes vir maximus.* Idem putat Murmelius. At Boetius, pace tantorum virorum, accusandus non est hic aut ignorantiæ aut erroris : quamvis enim *struma* cognomen fuerit Nonii, Nonius tamen a Catullo instar convicii *struma* vocari potuit. Scilicet quod cognomen ab aliquo sive corporis sive mentis vitio desumitur, illud potest veluti convicium proponi, iis præsertim quibus primo C impositum : ut ei qui primum dictus est Servius a servo, *un esclave*; Spurius a spurio, *un bâtard*; Brutus a bruto, *un stupide,* cognomen tanquam convicium objici potest. Imo id cognominis nunquam reperias apud veteres Romanos cum nomine eorum in quos invehuntur conjunctum, nisi convicii causa. Sic *Marrucinus* quo cognomine donatur Asinius Asini Pollionis frater, judice prædicto Scaligero, ut convicium eidem Asinio objicitur a Catullo Carm. 12 :

Marrucine, Asini manu sinistra
Non belle uteris in joco atque vino,

Sic *Superbus,* cognomen Tarquinii, ut convicium ipsi Tarquinio proponitur a Propertio l. III, eleg. 10 :

Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat?

Atqui *struma* cognomen est Nonii, et quidem ipsi primo datum, quod cognomen ex vitio corporis, strumis videlicet, Gallice *des écrouelles,* desumitur. Adde quod ad strumas, hujus cognominis originem, eo potius alludere visus est Catullus, quod Nonio prætori in prædicto carmine Catullus conjungat Vatinium consulem, qui, quod strumis laboraret, ab ejus inimico Cicerone sæpius *strumæ* aut *strumosi tumoris* nomine denotatur. Pro Sestio : *Medentur civitati, qui exsecant pestem aliquam tanquam strumam* : in Vatin., *strumæ denique ebore improbo demigrarunt*; et alibi : *Tumidum habemus oratorem.* Hæc de Nonio.

[5] *Cum Decorato.*] Decoratus hic est ille ad quem Theodericus apud Cassiodorum Var. l. V, ep. 31, scribit, ut compellat quosdam pecuniam solvere postulatam, si revera eos forte constiterit debitores : quod adjutor magistro officiorum judicanti adesset : et propterea, solito officii nomine, ibidem vocatur *devotus, devotio tua* : quod non obstat quin vere nunc dicatur *nequissimus scurra* et *delator.* (*Scurra* quidem quod potentes secutus, dicteriis sibi victum aut aliud commodum aucuparetur. Juvenal.

Mimum agit ille,
Urbani qualem facundus scurra Catulli.

enim dignitas propria virtuti, quam protinus in eos quibus fuerit adjuncta, transfundit. **194** [1] Quod quia [a] populares facere nequeunt honores, liquet eos propriam dignitatis pulchritudinem non habere. In quo illud est animadvertendum magis : nam si eo abjectior est, quo magis a pluribus quisque contemnitur, cum [b] reverendos facere nequeat, quos pluribus ostentat, [2] despectiores potius improbos [c] dignitas facit. Verum non [d] impune : reddunt namque improbi parem dignitatibus vicem, quas sua contagione commaculant. [3] Atque ut agnoscas veram illam reverentiam per has umbratiles dignitates non posse contingere ; si quis multiplici consulatu functus in barbaras nationes forte devenerit, venerandumne barbaris honor faciet [e]? Atqui si hoc naturale munus dignitatibus foret, ab officio suo, [f] quoquo gentium, nullo modo cessarent : sicut ignis ubique terrarum, nunquam tamen calere desistit. Sed quoniam id eis non propria vis, sed hominum fallax adnectit opinio, vanescunt illico, cum ad eos venerint, qui dignitates eas esse non æstimant. Sed hoc apud exteras nationes : inter eos vero, apud quos ortæ sunt, num perpetuo perdurant [g]? **195** Atqui [4] [h] prætura, magna olim potestas, nunc inane nomen est, et senatorii census gravis [i] sarcina. [5] Si quis quondam [j] populi curasset annonam, magnus habebatur, nunc ea præfectura quid abjectius? Ut enim paulo ante diximus, quod nihil habet proprii decoris, opinione utentium nunc splendorem accipit, nunc amittit. Si igitur reverendos facere nequeunt dignitates, si ultro improborum contagione sordescunt, si mutatione temporum splendere desinunt, si gentium æstimatione vilescunt, quid est quod in se expetendæ pulchritudinis habeant, nedum aliis præstent?

196 METRUM * IV.

ARGUMENTUM. — *Philosophia exemplo miseri Neronis dignitates conferentis, confirmat dignitates neminem posse beare.*

Quamvis se Tyrio superbus ostro,

INTERPRETATIO.

[a] *Exhibiti a populo.*
[b] *Dignitas.*
[c] Eadem.
[d] *Sine pœna.*
[e] Non sane.
[f] *Ubique.*
[g] Minime vero.
[h] *Dignitas prætoris.*
[i] *Onus.*
[j] *Præfectus annonæ.*

Etiamsi Nero se adornaret, insignis purpura Tyria, gemmisque candidis, idem *nihilominus* imperator *luxus*

NOTÆ.

delator vero, quod alios calumniatus occulte accusaret), ejusmodi enim homines puniri jussit Domitianus. *Princeps,* inquiebat hic imperator apud Suetonium, *qui delatores non castigat, irritat.* Propterea Boetius convictus magistratum non efficere meliores, *adduci,* etiam *periculis, non potuit, ut cum illo Decorato magistratum gereret.*

[1] *Quod quia populares facere nequeunt honores.*] II. Eadem Philosophia innuit, honorem dignitatum ab opinione vulgi pendere : unde nunc vocatur *popularis* sive a populo exhibitus. Scilicet honor et reverentia, ut jam monuimus, nihil est aliud quam intrinsecus quidem cogitatio; extrinsecus vero nota optima meriti alieni : unde sive illa cogitatio, sive hæc nota ita honorantis est, ut honoratum nequeat reddere *honorabilem et reverendum* : solius virtutis est honoratum reddere honorabilem : unde sola virtus est *propria dignitatis pulchritudo.*

[2] *Despectiores improbos dignitas facit.*] Contemptus enim, ut pote honori contrarius, intrinsecus quidem est cogitatio, extrinsecus vero nota pessima meriti alieni : quare cum improbus eo vitiosior videatur quo sublimiori dignitate affectus est, sicut dictum est pros. 6, II lib. : propterea *dignitas improbos facit abjectiores despectioresque.*

[3] *Atque ut agnoscas,* etc.] III. Inquit Philosophia, si dignitates ratione sui potius quam vulgi opinione hominem redderent honorabilem et venerandum, sicut *ignis semper et ubique terrarum calet,* sic quicunque dignitatibus afficerentur, hi semper et ubique essent honorabiles. Sed res non ita se habet : primum enim qui dignitatibus afficiuntur, hi non sunt ubique honorabiles : nam *si quis multiplici consulatu functus in barbaras nationes forte devenerit,* non propterea his videbitur honorabilis : sed iis solum qui quodam præjudicio consulatum honore dignum existimant. Deinde qui dignitatibus decorantur, hi non semper videntur honorabiles : si quidem apud easdem gentes quæ uno tempore magni, hæ alio parvi penduntur dignitates : nam

[4] *Prætura magna olim potestas, nunc inane nomen.* Prætores Romani, ut docent jurisperiti, ab initio, jure magistratus edicta tantum proponebant, de quibus rebus, et quomodo jus dicturi essent : progressu autem temporis, non obnitente populo, hoc simul usurparunt, ut edicendo etiam jus constituerent : sed tandem suis sumptibus circenses et scenicos duntaxat ludos exhibebant : unde *inane nomen et gravis sarcina* tunc erat illa prætoris dignitas. Similiter

[5] *Si quis populi curasset annonam,* etc.] Præfectus annonæ tantus olim erat apud Romanos, ut Augustus ipse acceptam a populo annonæ præfecturam, quoad vixit, tenuerit, aut certe paulo ante mortem substituerit sibi C. Turrianum, qui inter primos in verba Tiberii juravit, quasi inter præcipuos magistratus : sed Boetii temporibus præfectus annonæ nullam nisi in pistores urbis negotiatoresque suarios censuram et animadversionem habebat : ut colligitur ex formula hujus præfecturæ quam refert Cassiodorus l. VI Variar., form. 18.

Falluntur ergo sua assumptione qui summum bonum putant versari in dignitatibus sive magistratibus.

* Carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quorum prior *Phaleucius* quinque pedes habet, nempe spondeum, dactylum et tres trochæos : posterior *Archilochius* duos dactylos totidemque trochæos.

1. *Tyrio superbus ostro.*] Ostrum ab *ostreo*, dicitur. *Ostreum* autem, Græcis ὄστρεον, generatim illud omne animalis genus significat quod testa inclusum latet. At inter ista conchylia unum est, inquit Plinius, ex cujus concha incisa colligitur succus tingendis vestibus expetitus; et hoc proprie dicitur *ostrum.* Hinc *ostrum* accipitur non solum pro concha, sed etiam pro colore purpureo, qui ex conchæ istius sanie conficitur, imo pro vestibus, quæ hoc colore imbuuntur. Tyrus autem urbs Phœniciæ ejusmodi conchylii piscatu celeberrima fuit : quare ostrum dicitur Tyrium

Comeret et niveis lapillis,
197 Invisus tamen omnibus vigebat
Luxuriæ Nero sævientis.
Sed quondam dabat improbus verendis
Patribus indecores curules.
Quis illos igitur putet beatos,
Quos miseri tribuunt, honores?

198 PROSA V.

Argumentum. — *Regna, inquit Philosophia, regumque familiaritas, ut pote quæ nec perpetua, nec immensa,* A *nec secura, potentiam, quam naturali notione ductus naturaliter appetis, præstare non possunt.*

[1] An vero regna regumque familiaritas [2] efficere potentem valent? Quidni [a], quando eorum felicitas perpetuo perdurat. Atqui [3] plena est exemplorum vetustas [b]; plena etiam præsens ætas [c], qui reges felicitatem calamitate mutaverint. O præclara potentia, quæ ne (5) ad conservationem quidem sui satis efficax invenitur! **199** Quod si hæc regnorum [4] potestas beatitudinis [d] auctor est, nonne si qua parte defuerit, felicitatem minuat, miseriam importet? Sed

INTERPRETATIO.

furentis, vivebat odiosus cunctis. At idem imperator *sceleratus olim tribuebat fasces infames senatoribus venerandis. Quis ergo credat, dignitates illas quas* homines *infelices dant, afferre felicitatem?*

[a] Dicet aliquis.
[b] Inquit Philosophia.
[c] Eorum hominum.
[d] *Causa.*

NOTÆ.

ab urbe, et Phœniceum a provincia. Est porro purpura alia rubra, alia violacea. Virgil. Georg. II, v. 506 :

Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro.

Et III Georg., v. 17 :

Illi victor ego et Tyrio conspectus in ostro.

Et Æneid. I, v. 643 :

Arte laboratæ vestes ostroque superbo.

2. *Comeret*] *Comere* ornare est, generatim quidem corpus; speciatim vero capillos : dicitur enim a Græco κοσμεῖν unde *comtus*, ornatus, et *coma*, capilli studio exculti. Id autem merito dicitur de Nerone, quippe qui, ut ait Suetonius, *circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem submiserit : ac plerumque synthesinam indutus, ligato circa collum sudario prodierit in publicum sine cinctu, et discalceatus.*

2. *Niveis lapillis.*] Hoc est, *gemmis pretiosissimis.* Si enim, ut de eo loquitur Suetonius, *nullam vestem bis induit;* si *piscatus est rete aurato purpura coccoque funibus nexis;* si *nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis;* si *divitiarum et pecuniæ fructum non alium putabat, quam profusionem;* certe credibile est, ipsum oneratum fuisse *gemmis et margaritis quarum,* auctore eodem Suetonio, *per omnes dies singula quotidie millia populo spargebat.*

3. *Invisus tamen omnibus vigebat.*] Id patet non solum ex maledictis conviciisque, quæ dum viveret, patientius tulit, sed etiam ex eo quod mors illius tantum gaudium publice præbuit, ut plebs pileata tota urbe discurreret.

4. *Luxuriæ Nero sævientis.*] Summa fuit Neronis luxuria, ut jam diximus : sed non minor ejus crudelitas : nam parricidia et cædes a Claudio exorsus est. Britannicum non minus æmulatione vocis, quæ illi jucundior suppetebat, quam metu, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggressus est : matrem, amitam, uxores, et conjunctissimos occidit.

5 et 6. *Dabat patribus curules.*] Curulis erat sella eburnea cælataque, currui, quo præstantiores magistratus in curiam vehi solebant, imposita, supra quam iidem magistratus considerent. Hinc *ebur curule, sella curulis,* et *curulis, substantive* sæpe, ut nunc, majorem senatoris dignitatem significant. Horatius epist. l. I, ep. 6 :

Cuilibet hic fasces dabit : eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur, frater, pater, adde.

Ovid. l. IV de Pont., el. 9 :

Signa quoque in sella nossem formata curuli
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.

Lucanus l. III.

Prætor adest vacuæque loco cessere curules.

B Has autem senatorum dignitates Nero iis qui magis placerent, patribus conferebat, causatus quemquam principum non scisse quid sibi liceret : sed hæ dignitates nequissimi imperatoris arbitrio potius quam meritis delatæ ipsis magistratibus erant *indecores.*

7 et 8. *Quis putet beatos, quos miseri tribuunt, honores?*] Beatum nunc dicitur quod beatitudinem afferre potest : quemadmodum *rus et arva beata* ab Horatio; *commoda beata* a Catullo; *terra beata* ab Ovidio; et *opes beatæ* a Statio vocantur. Atqui tales non sunt magistratus, quos Philosophia nunc appellat *honores;* præsertim *si hos miseri tribuant :* causa enim non dat, nisi quod ipsa aliqua ratione in se contineat : fallitur ergo quisquis temeraria assumptione, quam naturaliter sibi proponit amatque summi boni proprietatem, hanc magistratibus sive dignitatibus attribuit. Videamus utrum melius judicetur de regno?

[1] *An regna regumque familiaritas.*] Inter omnes C imperii formas præstantissima et potentissima ea est quæ principatus sive *regnum* appellatur : quandoquidem cæteræ plurium, hæc unius duntaxat est : et vis collecta seipsa dispersa major est : quare si quæ naturaliter cognoscitur appetiturque summi boni potentia cuiquam hominum imperio merito attribui possit, maxime regno atque iis qui regni aliquatenus sunt participes. Sed neque regno neque regni participibus id convenit : quia nullatenus

[2] *Efficere potentem valent.*] Eo scilicet modo, quo naturali summi boni notione et judicamus et appetimus potentiam : hæc enim potestas et perpetua, et immensa, et secura esse debet : perpetua quidem, ne aliquando fatiscens infirmitate mutetur : immensa, ne finibus circumscripta majoribus vincatur, aut impediatur æqualibus; secura denique, ne quibus præest, mutatis vicibus, metuat subesse. Atqui neque regno neque regni participibus id convenit : ut seorsum probandum est.

D [3] *Plena est exemplorum vetustas, plena præsens ætas.*] 1. Regnum perpetuum non esse et antiquioribus et recentioribus demonstratur exemplis. Antiquioribus quidem : nam Diomedes rex Thraciæ, dum equos suos humana carne aleret in Tyrida oppido truculentus, ab Hercule equis ipsis ad devorandum objectus est. Agis Lacedæmoniorum rex, qui cum Atheniensibus cruentissima bella gessit, a suis tandem civibus in carcere necatus est. Perses Macedonum rex ab Æmilio victus Romamque ductus periit in carcere. Crœsus Lydorum rex a Cyro in servitutem redactus est, etc. Recentioribus vero quæ nimirum circa tempora Boetii contigerunt. Alaricus Tolosensium rex a Francis : Syagrius Romanorum rex a Clodowæo : aliique ab aliis occisi sunt. *Sic nimirum,* inquit Vallinus hic, *mortales agi sinit Deus, et moribus principum populorumque offensus urbes affligit, provincias pessumdat, regna evertit.*

[4] *Potestas beatitudinis auctor.*] Id est, *causa.* Sic

[1] quamvis late humana [a] tendantur imperia, plures necesse est gentes relinqui, quibus regum quisque non imperet. Qua vero parte beatos faciens desinit potestas, hac impotentia subintrat, quæ miseros facit : hoc igitur modo majorem regibus inesse necesse est miseriæ portionem. [2] Expertus sortis suæ periculorum tyrannus [b], regni metus pendentis supra verticem [c] gladii terrore simulavit. Quæ est igitur hæc potestas, quæ sollicitudinum morsus expellere, quæ formidinum aculeos vitare nequit? Atqui vellent ipsi vixisse securi, sed nequeunt : dehinc de potestate gloriantur. An tu potentem censes, quem videas velle, quod non possit efficere? Potentem censes, qui satellite latus ambit; qui quos terret, ipse plus metuit, qui ut potens esse videatur, in servientium manu situm est? **200** Nam [3] quid ego de regum familiaribus disseram cum regna ipsa tantæ imbecillitatis plena demonstrem? quos quidem regia potestas sæpe incolumis, sæpe autem lapsa prosternit? [4] Nero Senecam familiarem, præceptoremque suum ad eligendæ mortis coegit arbitrium. [5] Papinianum diu inter aulicos potentem, militum gladiis Antoninus objecit. Atqui uterque potentiæ suæ renuntiare voluerunt, [d] quorum Seneca opes etiam suas tradere Neroni, seque in otium conferre conatus est. **201** Sed dum ruituros [6] moles [e] ipsa trahit, neuter, quod voluit, effecit. Quæ est igitur ista potentia quam pertimescunt habentes, quam, nec,

INTERPRETATIO.

[a] *Proferantur.*
[b] *Dionysius Siciliæ rex.*
[c] Damoclis ex ejus assentatorum numero.
[d] *Inter quos aulicos.*
[e] Divitiarum et potestatis.

NOTÆ.

Plautus dixit *auctorem habere rem* : quamvis Servius malit dicere *auctricem*. Hanc controversiam videtur dirimere Valerius Probus : *Auctor*, inquit, *si sit tractum a verbo augeo, auctrix facit : si non venit a verbo, sed significat principem, quod nomen non venit a verbo, etiam feminino genere auctor facit : sicut Virgilius ex persona Junonis. Auctor ego audendi princeps : non quæ augeat, nam auctrix diceret.* Scilicet triplex est sententia de origine hujus vocis, *auctor*. Alii putant hanc oriri a Græco αὐτός, ut *autor* idem sit quod αὐτουργός : alii ab inusitato supino verbi *aveo*; ut ab *autum* dicatur *autor*; sicut a *cautum*, *cautor*, et a *fautum*, *fautor* : quomodo *autor* is erit qui avet ac cupit aliquid fieri sive a se sive ab alio : alii denique arbitrantur oriri ab *augendo* : ita ut primum *auctor* dictus fuerit ille qui rem ab alio cœptam promoveret, deinde ille etiam qui inciperet ac suaderet : cui ultimæ sententiæ favent antiquiores inscriptiones, in quibus non *autor*, sed *auctor* scribitur. Quidquid sit : potestas regia non potest esse beatitudinis auctor sive efficax : quoniam hæc certis continetur finibus : nam

[1] *Quamvis late*, etc.] II. Regnum hominis immensum non est, quod, quamvis rex vel maximus multis gentibus imperet, pluribus tamen non imperat : quare si felicitatem imperio metiaris, plus in hoc rege miseriæ inest, quam felicitatis.

[2] *Expertus sortis suæ.*] III. Regnum hominis securum non esse satis evincit notissima Dionysii Tyranni historia : *Nam*, inquit Cicero v Tusc., *cum quidam ex ejus assentatoribus, Damocles, commemoraret in sermone copias ejus, opes, majestatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quemquam fuisse : Visne igitur, inquit, Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eamdem degustare, et fortunam experiri meam? Cum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto : abacosque complures ornavit argento auroque cælato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronæ : incendebantur odores : mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari seta equina appensum demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam : jam ipsæ defluebant coronæ : denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat?* Id respiciens Horatius l. III Carm., od. 1, canit :

Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent.

Falsa igitur illa assumptio, qua judicas summum bonum versari in regno. Sed felicior non est regum familiaritas.

[3] *Quid de regum familiaribus disseram*, etc.] Regum familiares majorem habere non possunt potestatem adeoque felicitatem quam ii quorum familiares sunt, reges, quorum tamen, ut probavimus, potestas infirma est. Imo multo minorem habent : vel enim regia potestas incolumis perseverat, vel labitur, si labatur, hæc regum familiares sua secum ruina involvit. Si vero stet, eadem prædictos familiares sæpe prosternit. Testis Seneca, testis Papinianus : nam

[4] *Nero Senecam familiarem.*] *Nero*, inquit Suetonius, *Senecam præceptorem ad necem compulit : quamvis sæpe commeatum petenti bonisque cedenti persancte jurasset, suspectum se frustra, periturumque potius, quam nociturum ei. Postquam enim unus ex centurionibus*, ait Tacitus, *necessitatem ultimam Senecæ denuntiasset : neque aliud inquit superesse post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque necem adjiceret, post quæ Seneca, et uxor ejus eodem ictu brachia ferro exsolvunt : Seneca, quoniam senile corpus et parvo victu tenuatum, lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit.*

[5] *Papinianum Antoninus.*] Papinianus legum ita peritus, ut omnes ante pariter et post se Romanos jurisconsultos superasse dicatur. Hic præterquam quod Scævolæ, cujus discipulus fuerat, in advocatione fisci successit, Severo imperatori per secundam uxorem affinis, et eidem adeo familiaris et amicus, ut Severus moriens huic suos filios commendaverit. At Antoninus cognomine Caracalla, qui post Severum tenuit imperium Romanum, occiso Geta fratre, prædicto Papiniano mandavisse fertur, ut in senatu et apud populum facinus dilueret : Papinianus renuit, causatus parricidium facilius fieri, quam velari, aliudque esse parridii genus, accusare innocentem occisum : quod Antoninum Papiniano infestum adeo irritavit, hunc ut ille a militibus occidi imperaverit : gladione an securi, cujus pœna gravior ignominiosiorque censetur, peractum facinus, incertum. Non dicitur hic interfectus, sed tantum ab *Antonino objectus militum gladiis.*

[6] *Moles.*] Hoc est ingens cum divitiarum tum potestatis sarcina, quæ ruentes sua ruina Senecam et Papinianum prostraverunt.

cum habere velis, tutus sis, et eum deponere cupias, A vitare non possis? [1] An præsidio sunt amici [a], quos non virtus, sed fortuna conciliat? (5) Sed quem felicitas amicum fecit [b], infortunium faciet inimicum. [2] Quæ vero pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus?

202 METRUM * V.

ARGUMENTUM. — *Domitor mundi, inquit Philosophia, nisi suis dominetur perturbationibus, potens non est.*

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis.
203 Etenim licet Indica longe
Tellus tua jura tremiscat,
Et serviat ultima Thule;
Tamen atras pellere curas,
Miserasque fugare querelas
Non posse, potentia non est.

INTERPRETATIO.

[a] Nomine tenus.

[b] Tibi.

Quicunque cupit haberi potens, hic *subigat* suos *spiritus contumaces, neque subjiciat se voluptati superatum imperiis turpibus. Nam quamvis India procul* dissita *metuat tuam ditionem, et Thule ultima* imperii Romani insula *pareat* tibi; *nihilominus non eris potens, quandiu non poteris removere libidinem funestam et repellere querimonias miseras.*

NOTÆ.

[1] *An præsidio sunt amici,* etc.] Amicorum duplex B genus hic notatur, pro duplici nimirum modo, quo alius et aliena æstimari amarique possunt, amicus scilicet virtutis, et amicus fortunæ. Prior cætera bona flocci faciens solam virtutem alterius æstimat et amat: unde hic æquo semper animo est erga [amicum virtute præditum]. Posterior virtutem parvi ducens cætera quæ vulgo habentur bona æstimat et amat: quamobrem hic inconstantis instar fortunæ est volubilis: adeo ut *quem felicitas amicum fecit,* eidem *infortunium faciat inimicum*: eoque magis noceat.

[2] *Quæ pestis efficacior ad nocendum.*] Quod enim familiaris sit, hinc novit modum, quo tibi nocere possit, inde vero tu non cogitas, quomodo ejusdem insidias vitare possis. Usque adeo falsa est assumptio, quo putas, regnum regumque familiaritatem habere rationem summi boni.

* Quod dicitur *Parthenicum.* Carmen est constans C ex uno genere versuum, quorum quilibet trimeter ante tertium pedem anapæstum, quem sequitur syllaba superstes, primum et secundum pedem habet spondeum vel anapæstum indiscriminatim.

1. *Qui se volet esse potentem.*] Præcipua sui parte, nimirum mente, haberi potentem.

2. *Animos domet ille feroces.*] Animus prima significatione ventus est, non secus ac Græca vox ἄνεμος, unde videtur oriri. Quare quemadmodum ventus, quatenus hic a tempestate differt, nihil aliud est quam tenuis aquæ vapor huc illucque, qua minus resistitur, discurrens; ita animus prima significatione nihil est aliud quam subtilior sanguinis vapor e cerebro per nervos, qua data porta, egressurus. Sic Virg. I Georg., v. 420:

> Vertuntur species animorum, et pectora motus
> Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
> Concipiunt.

Et Georg. IV, v. 86:

> Hi motus animorum atque hæc certamina tanta
> Pulveris exigui jactu compressa quiescent.

Sic etiam nunc potentia dicitur versari in animis domandis: quod nimirum mens nostra nihil possit in nostrum corpus, nisi ope spirituum illorum: at quod iidem spiritus iter tritum facto agmine subire contendentes, instar ferarum difficilius regi et veluti mansuefieri possint, idcirco nunc dicuntur *feroces,* ita ut ipsorum moderamen majus sit fortitudinis et potentiæ argumentum.

3 *Nec victa libidine colla.*] Similitudo desumpta ex captivis, qui colla catenis vincta solent gerere: quamobrem colla hic intelliguntur et de mente et de corpore, libidine, sive mala voluntate victis: libido quippe generatim est mala voluntas, quasi mens malo libitu a recta via deflectens labatur. *Omne, quod male libet, libido est,* inquit S. August. lib. IV Hypogn.

5. *Indica tellus.*] India ab Indo flumine sic dicta. Est autem vasta terrarum regio Asiam ad ortum terminans: quamobrem hic accipitur pro ortu.

6. *Tua jura tremiscat.*] *Jus,* sicut docet Sanctius, prima sua significatione signat olera aut pultem: sed quia in conviviis pares unicuique partes dabantur, ideo *jus* translatum ad significandum quod cuique suum est: ex quo societas hominum instituta ad reddendum unicuique quod suum est, *jus* forense dicitur: ita ut homo dicatur vocari in *jus.* Quoniam vero principes præsertim a Deo constituti sunt, ut populi suum quique haberent, propterea principium voluntas et edictum appellatur *jus* et ad hujus similitudinem aliæ leges *jura* dicuntur: hinc *jura* hic cujuslibet potentis jussa sunt.

7. *Serviat ultima Thule.*] Thule insula terrarum, quas Romani olim noverint, ultima, et maxime septentrionalis versus occidentem: unde hic notat occasum. Vulgo dicitur *Islandia.* De hac regione loquitur Virgil. I Georg., v. 29.

> An Deus immensi venias maris, ac tua nautæ
> Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule.

8. *Atras pellere curas.*] *Cura atra* nunc vocatur prædicta libido. Est quidem libido *cura,* quod mens libidine præsertim saucia uratur; unde Virg. IV Æneid., vers. 1:

> At regina gravi jam dudum saucia cura,
> Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni.

D At eadem libido est cura *atra* sive damnosa: nam apud antiquos candor boni, nigror mali ominis est: unde Æthiopis occursus infortunium credebatur portendere: hinc melancholia, quæ pluribus malis effectibus infamis est, *atrabilis* appellatur: prædicta autem libido non solum corpori, sed etiam menti est damnosa.

9. *Miserasque fugare querelas.*] Querelæ nunc dicuntur miseræ et a causa et ab effectu, quod a miseriis ortæ producant novas miserias.

10. *Non posse potentia non est.*] Mens enim ex eo solum potens est, quod sui domina perturbationibus moderetur: quod nisi præstent reges regumque familiares, falso assumunt se esse felices. Sequitur gloria.

204 PROSA VI.

Argumentum. — *Philosophia addit, nec falsam, nec veram gloriam, propriis alienisve meritis fundatam, habendam esse summum bonum.*

[1] Gloria vero [2] quam fallax sæpe, quam turpis est! Unde non injuria tragicus [a] exclamat [b] : Ὦ δόξα, δόξα, μυρίοισι δὴ βροτῶν, οὐδὲν γεγῶσι, βίοτον ὤγκωσας μέγαν. Plures enim magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt, quo quid turpius excogitari potest? Nam qui falso prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant. **205** [3] Quæ si etiam meritis conquisitæ sint, quid tamen sapientis adjecerint conscientiæ, qui bonum suum non [c] populari rumore, sed conscientiæ veritate metitur? [4] Quod si hoc ipsum propagasse nomen, pulchrum videtur; consequens est, ut fœdum non extendisse judicetur. Sed cum, uti paulo ante disserui, plures gentes esse necesse sit, ad quas unius fama hominis nequeat pervenire, fit, ut quem tu æstimas gloriosum, pro maxima parte terrarum vi- A deatur [d] inglorius. Inter hæc vero [c] popularem gratiam, ne commemoratione quidem dignam puto, quæ nec judicio provenit, nec unquam firma perdurat. Jam vero quam sit inane, quam [5] [f] futile nobilitatis nomen, quis non videat? quæ [g] si ad claritudinem refertur, aliena est. Videtur namque esse nobilitas, quædam de meritis veniens laus parentum. Quod si claritudinem prædicatio facit, illi sint clari necesse est, qui prædicantur. Quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne a majorum virtute degenerent.

206 METRUM * VI.

B Argumentum. — *Quicunque virtutem colit, inquit Philosophia, is Dei nobilissimi parentis proles non degener, revera nobilis est.*

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu :

INTERPRETATIO.

[a] *Euripides in Andromacha.*
[b] *O gloria, gloria, fecisti millibus mortalium, nullius meriti magnam vitam.*
[c] *Vulgi.*
[d] *Inhonoratus.*
[c] *Vulgi.*
[f] *Leve.*
[g] Nobilitas.

Universum genus humanum in terris oritur ab eodem principio : nam unus est parens rerum omnium

NOTÆ.

[1] *Gloria.*] Gloria est honos cum laude pervagatus alienorum meritorum. Primum quidem gloria est honos : videlicet judicium significatum de excellentia alterius : *Summa enim et perfecta gloria*, inquit Tullius II Offic., *constat ex tribus his, si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore nos dignos putat* : quamobrem metro 1, v. 7, primi libri, diximus honorem esse genus gloriæ : videsis. Deinde eadem gloria est honos cum laude conjunctus : nam *gloria*, inquit Cic. III Tusc., *est consentiens laus honorum incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute.* Atque in hoc gloria differt ab honore simpliciter dicto, qui non est semper cum ista laude conjunctus. Postremo honor ille qui dicitur gloria, debet esse cum laude pervagatus ita ut etiam ad optimates pervenerit : in quo gloria differt a fama, quæ vulgi solius esse potest. Hinc gloria alia est falsa, quæ est dissentanea, alia vera, quæ consentanea est meritis sive propriis sive externis ejus, qui prædicatur. Atqui neque falsa neque vera gloria, sive hæc propriis sive externis tuis meritis fundetur, rationem habet summi boni : sicut seorsum probandum est.

[2] *Quam fallax sæpe.*] I. Agitur de gloria falsa : hæc autem, quod meritis sit dissentanea, tantum abest ut habeat rationem summi boni, ut potius sit error adeoque malum : unde *non injuria* poeta *tragicus*, scilicet Euripides ab Archelao Macedonum rege summo in honore habitus in Andromacha cecinit : Ὦ δόξα, δόξα, etc., hoc est, *o gloria, gloria, fecisti millibus mortalium nullius meriti, magnam vitam.*

[3] *Quæ si etiam meritis.*] II. Agitur de gloria vera meritis propriis fundata, quæ idcirco non habet rationem summi boni, quod hæc, ut pote extra eum qui honoratur, nihil boni adjiciat menti sive conscientiæ sapientis; qui tamen, utpote peritus suæ mentis, nihil sibi esse bonum existimat, nisi quod in sua mente fuerit, et cujus eadem mens sit conscia.

[4] *Quod si propagasse nomen, pulchrum videtur*] At demus, quod tamen non est, inquit Philosophia, ipsi etiam sapienti videri bonum, et extrinsecus laudari et intrinsecus magni fieri a populis, necesse erit secundum legem contrariorum, non laudari et non magni fieri a populis, eidem sapienti esse malum : quare cum ex dictis longe plures sint homines, a quibus ille sapiens ignoratur, quam a quibus co- C gnoscatur laudabilis honorabilisque, idem sapiens plus habebit mali quam summi boni.

[5] *Futile nobilitatis nomen.*] III. Agitur de gloria vera meritis alienis, nempe genere fundata : quæ vulgo dicitur nobilitas; quæque nunc definitur *quædam de meritis veniens laus parentum*; sed hæc inane et futile nomen est, nisi quorum sanguinem participas, horum imiteris virtutem. Juvenal. sat. 8, v. 19 :

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica, virtus.
Paulus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto :
Hos ante effigies majorum pone tuorum :
Præcedant ipsas illi te consule virgas :
Prima mihi debes animi bona : sanctus haberi
Justitiæque tenax factis dictisque mereris?

* Carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quorum prior *Alcmanicus* habet tres pedes versus heroici cum ultima syllaba superstite, ita D tamen ut non fiat ex meris spondeis : posterior *Pherecratius* habet etiam tres pedes, nempe spondeum vel anapæstum, dactylum et spondeum.

1. *Omne hominum genus.*] Homo non est corporeus solum, ut bestia, neque solum incorporeus, ut bonus malusve genius; sed admirabilis quædam est animi corporisque conjunctorum compositio, quæ *in terris surgit*, ubi cum corpore instar cujusdam hospitii parato mens divinitus infusa jungitur, et quidem *simili ab ortu* : cum idem sit principium non solum mentis et corporis istius, verum etiam mutuæ utriusque conjunctionis. Idem, inquam, est principium corporis et mentis hominis, videlicet Deus : cum enim tam hæc, quam illud res sit; cumque res non possit nisi a Deo creari; propterea idem Deus mentis corporisque hominis principium sit, necesse est. At Deus etiam est principium mutuæ mentis corporisque illius conjunctionis : quod neque corpus et mentem, neque mens in corpus, nisi Deo dante, agat. Atque hæc omnia speciatim nunc dicet Philosophia, postquam generatim dixerit omnia esse a Deo.

Unus enim rerum pater est,
Unus cuncta ministrat.
207 Ille dedit Phœbo radios,
Dedit et cornua lunæ.
Ille homines etiam terris
Dedit, et sidera cœlo.
Hic clausit membris animos
Celsa sede petitos.
208 Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus, et proavos strepitis?
Si primordia vestra,
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener exstat,
Ni vitiis pejora fovens
Proprium deserat ortum.

INTERPRETATIO.

Deus, *unus gubernat omnia. Hic dedit splendorem soli, et lunæ vultum crescentis decrescentisque. Hic quoque dedit homines terris, et astra cœlo. Hic inclusit corporibus* humanis *mentes ortas* ex *loco sublimi. Nobile ergo semen emittit omnes homines. Quare jactatis originem majoresque* vestros mortales? *si consideretis* vestrum *principium et* vestrum *conditorem Deum, nemo ante degenerat, quam peccando recedat a* Deo *suo principio.*

NOTÆ.

3. *Unus rerum pater est.*] I. Generatim omnia ita sunt a Deo, ut Deus sit omnium pater : pater quippe idem est quod causa non solum producens, sed etiam conservans : Deus vero est omnium causa producens et conservans. Hinc Deus vocatur *Pater* a Christianis, Judæis, et ipsis etiam ethnicis : Christiani enim orando dicunt, *Pater noster qui es in cœlis*, Matth. VI. Judæis dicitur Deuteron. XXXII : *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te.* Denique Horatius ait : *Gentis humanæ pater atque custos* : et Virg., *Pater ipse colendi haud facilem esse viam voluit.*

5. *Ille dedit Phœbo radios.*] Sol poetis vocatur *Phœbus* a specie et nitore : φοῖβος enim *adjectivum* est *splendidus, lucidus, purus.* Soli autem Deus dedit radios : quamvis enim a corporibus obviis sol videatur habere, quod hoc vel illo modo luceat, idem tamen a solo Deo habet, quod luceat. Scilicet duo observari possunt in mundo effectorum genera : generalia quædam; alia, ut barbare loquuntur philosophi, *particularia* : priorum generalis, posteriorum vero peculiaris causa quærenda est. Sic quærenti cur me loquente auditor moveatur, non generalis, sed peculiaris causa afferenda, ut quod aer a meo ore ad illius aures continuatus meis pulmonibus, lingua, dentibus, et labris sic moveatur, ut eodem aures auditoris commoveantur. At quærenti cur commoto auditoris cerebro cogitationes in ejusdem auditoris mente excitentur : non peculiaris, sed generalis causa responderi debet. Similiter quærenti cur iris mille trahat varios adverso sole colores, causa peculiaris, nempe pluvia cadens respondetur : sed quærenti cur sol radios mittat, causa generalis, nimirum Deus optime redditur. Sis Deus

6. *Dedit et cornua lunæ.*] Luna, quod hæc sit corpus opacum, lumen a sole acceptum ita remittit, ut modo crescens, modo decrescens, modo silens, modo plena videatur : sive ut ait Plinius, *modo curvata in cornua, modo æqua portione divisa, modo sinuata in orbem, maculosa eademque subito prænitens immensa orbe pleno ac repente nulla.* Virg. III Æn., v. 645 :

Tertia jam lunæ se cornua lumine complent.

Verum quod corpus illud opacum lumen sic remittat hoc ut pote effectum generale Deo tanquam causæ generali acceptum referri debet.

7. *Ille homines terris dedit.*] II. Speciatim homo a Deo tanquam a patre oritur, primum quidem ratione corporis, quod ex terra formatum in terris collocavit Deus (Genes. I : *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ*), non secus ac sidera ex cœlo formata in cœlo posuit : Genes. I : *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas.* Hinc psal. CXIII : *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Quin ipse Tullius., II de Nat. deorum, *Homines*, inquit, *humo excitati quasi cultores terræ constituti sunt.*

9. *Hic clausit memoris animos.*] III. Idem homo a Deo tanquam a patre oritur etiam ratione mentis, quippe quæ, cum hujus nulla sit, nisi exterior causa, judicio philosophorum *creatur* : solius autem Dei est *creare* : hinc philosophia nunc dicit *animos celsa sede petitos.* Neque vero corpus et mens humana a Deo solum creantur, sed a Deo veluti a causa generali mutuo conjunguntur : quærenti enim cur mens humana aliquando et aliquandiu cum corpore humano conjungatur, nulla alia generalis afferri potest causa, nisi voluntas Dei, qui *omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo et in terra*, psal. CXIII. Hinc Deus, judicio philosophiæ, *clausit membris animos.* Lactantius, l. I Div. Instit., cap. 21 : *Corpusculum hoc*, inquit, *quo induti sumus, hominis receptaculum est. Nam ipse homo neque tangi, neque aspici, neque comprehendi potest, quia latet intra hoc quod videtur.* Claudian. l. I de Raptu Proserp., v. 55, inducit Lachesim sic loquentem :

O maxime noctis
Arbiter, umbrarumque potens, cui nostra laborant
Stamina; qui finem cunctis et semina præbes,
Nascendique vices alterna morte rependis;
Qui vitam lethumque regis : nam quidquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi, certisque ambagibus ævi
Rursus corporeos animæ mittuntur in artus.

11. *Mortales cunctos edit nobile germen.*] Quod germen sit et præeuntis effectum, et subeuntis causa corporis, idcirco video duplicem esse hujus textus interpretationem. Prima est Theodori Sitzmani, qui arbitratus germen hoc significare sobolem, ait nobile germen esse appositionem, ut significetur Deus, de quo in superioribus versibus agitur, edere *cunctos mortales*, qui mortales sunt *nobile germen*, quod potest confirmari ex eo quod *germen* quasi *genimen*, dicatur id quod semine *genitur*. Altera est aliorum, qui putantes germen hic significare principium dicunt esse *syntaxim*, quam grammatici dicunt *nominativi et verbi*, ut significetur nobilis origo mortalium : quod potest confirmari etiam ex eo quod *germen* quasi *gerimen* dicatur quod sobolem gerit : sed quidquid sit de utraque hac nominis hujus interpretatione, posterior sententia nobis videtur rectius et concludi ex dictis, et statui pro principio statim dicendorum. Quasi dixerit Philosophia : Cum homines omnes cum ratione corporis mentisque, tum etiam ratione mutuæ harum partium conjunctionis a Deo oriantur, propterea homines omnes a nobilissimo parente oriuntur : quare iidem homines contemptis *genere* et *proavis* terrestribus, nobilissimi sunt, nisi *vitiis proprium deserant ortum.* Falsa ergo assumptione falluntur, qui quam summi boni naturaliter norunt appetuntque, nobilitatem, hanc in sola majorum mortalium nobilium serie versari putant; supersunt voluptates corporis.

209 PROSA VIII.

ARGUMENTUM. — *Voluptates corporis, inquit Philosophia, quod effectus habeant pœnitendos, idcirco rationem summi boni habere non possunt.*

[1] Quid autem de corporis voluptatibus loquar, [2] quarum [a] appetentia quidem plena est [b] anxietatis, [c] satietas vero pœnitentiæ? Quantos illæ [d] morbos, quam intolerabiles dolores, quasi quemdam fructum nequitiæ fruentium solent referre corporibus! quarum motus (5) quid habeat jucunditatis, ignoro. Tristes vero esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget. **210** Quæ si beatos [e] explicare possunt, [3] nihil causæ est quin pecudes quoque beatæ esse dicantur, quarum omnis ad explendam corporalem [f] lacunam festinat intentio. [4] Honestissima quidem conjugis foret, liberorum-

A que jucunditas, sed [g] nimis e natura dictum est, nescio quem filios (5) invenisse tortores: quorum [h] quam sit mordax quæcunque conditio, neque alias expertum te, neque nunc anxium necesse est admonere. In quo [5] Euripidis [i] mei sententiam probo, qui carentem liberis infortunio dixit esse felicem.

211 METRUM* VII.

ARGUMENTUM. — *Voluptas omnis, inquit Philosophia, api simili: quos melle pavit, hos aculeo pungit.*

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruenteis,
Apiunque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

INTERPRETATIO.

[a] *Appetitio.*
[b] *Angoris.*
[c] *Usus.*
[d] Voluptates.
[e] *Demonstrare.*
[f] *Indigentiam.*
[g] *Experientia rerum naturalium nimis probat.*

B [h] *Quorum liberorum conditio quantas excitet in parentibus curas.*
[i] *Philosophi.*
Voluptas omnis id obtinet, quod *pungit aculeis eos, qui huic indulgent, et similis apibus abeuntibus, postquam emisit mella jucunda, evolat, et dente tenaciori lacerat pectora, quæ tetigit.*

NOTÆ.

[1] *Quid de corporis voluptatibus.*] Voluptas est cogitatio, cujus mens conscia, jucunditate quadam perfunditur: *In eo enim,* inquit Tullius II de Fin., *voluptas omnium Latine loquentium more ponitur, cum percipitur ea, quæ sensum aliquem moveat jucunditas.* Quare quod mens nostra et effectum Dei, et forma nostri corporis, jucundam cogitationem habere possit dupliciter, primum quidem ab ipso Deo, a quo et propter quem condita est; deinde a corpore, cum quo conjungitur, propterea voluptas duplicis est generis. Una animi, de qua hic non agitur; altera corporis, in qua rationem summi boni non versari sic Philosophia videtur probare. Hæc corporis voluptas vel lege prohibetur, vel non. Si lege prohibeatur, et desideriis antecedentibus, et doloribus consequentibus ita circumfunditur, ut plus amari quam jucundi admistum habeat. Si vero lege permittatur, hujus fructus liberi parentibus sæpe adeo sunt infensi, ut carens liberis suo videatur infortunio felix: quæ omnia seorsum nunc exponentur.

[2] *Quarum appetentia.*] I. Agitur de illicita corporis voluptate, cujus futuræ concipitur *appetentia: Duplex enim,* inquit Tullius I Offic., *est animorum vis atque natura. Una pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμὴ Græce, quæ hominem huc atque illuc rapit. Altera in ratione quæ docet et explanat quid faciendum fugiendumque.* Illa autem voluptatis illicitæ *appetentia* plus mali admistum habet quam boni: quoniam *plena est anxietatis,* illius nimirum cogitationis, qua mens veluti compressa angitur: sicut *ejusdem satietas pœnitentiæ.* Pœnitentia enim a *pœnitendo* dicta, est cogitatio mentis, ea quæ suo consilio et voluptate facta sunt, dolentis: quæ quidem tristis cogitatio individua est voluptatis illicitæ comes, quod Deus tum hominem de peccato commisso moneat. Neque vero in sola mente versantur pœnitendi hujus voluptatis fructus; sed in corpus etiam diffunduntur: hinc morbi, dolores, mortes, et cætera id genus.

[3] *Nihil causæ est quin pecudes.*] Præterea beari ita videtur proprium hominis, ut nemo putet beatitudinem versari in eo quod bestiis etiam convenire potest: vacare autem iis unde voluptates corporis nascuntur, homini et pecudibus commune est, quandoquidem huc omnes pecudum motus videntur tendere, ut satisfaciant corpori; quod idcirco nunc appellatur *lacuna* quia, quemadmodum lacuna aquam continet, sic corpus nihil aliud sit quam plurimum vas suum quodlibet liquorem continens. Nisi dicas *lacunam* hic esse *indigentiam,* ut apud Tullium 4 in Verr., *ut illam lacunam rei familiaris explerent.*

[4] *Honestissima conjugis,* etc.] II. Agitur de licita corporis voluptate, nimirum conjugii: hæc autem *honestissima* dicitur quatenus voluntate divina, quæ est prima morum regula, capitur: *Pertinet quippe ad*
C *virtutis officium,* inquit S. Aug. l. XIX de Civ. Dei, cap. 1, *et vivere patriæ et propter patriam filios procreare; quorum neutrum fieri potest sine corporis voluptate.* Illa tamen voluptas sæpius etiam tristifica est: quandoquidem liberi non raro sunt parentum *tortores*; si non quod spectat corpus, quemadmodum aiunt Œdipum orta inter Phocenses seditione ignarum occidisse patrem Laium Thebanorum regem, qui tumultum conabatur reprimere; saltem quoad mentem attinet, quatenus parentes propter liberos perpetuis cruciantur curis, quibus ceu quibusdam canibus videntur morderi: unde *mordax conditio* nunc appellatur. Hinc apud Plutarchum:

Tristitia ex nato tempus in omne patri.

[5] *Euripidis mei sententiam probo.*] Euripides, poeta licet, fuit tamen philosophus, teste Tullio, Anaxagoræ discipulus: unde non immerito Philosophia
D nunc *suum* vocat, ejusque probat sententiam quam in Andromacha exponit, scilicet *carentem liberis infortunio esse felicem:* quia, inquit, habere liberos dulce inexpertis, expertis triste.

* Quod dicitur *Anacreontium.* Est carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet trimeter ante tertium pedem iambum, quem sequitur syllaba redundans, primo anapæstum, deinde iambum habet.

Pulcherrima hæc allegoria, in qua similitudinem habes cum translatione conjunctam: nam et voluptates apibus similes perhibentur, et voces apibus propriæ transferuntur ad voluptates: quemadmodum Ciceroni pro Mur. *major* dicitur *comitiorum quam Euripi inconstantia.* Voluptates, inquam, apibus dicuntur similes in hoc, quod sicut apes sic voluptates jucunditatem et tristitiam eidem homini afferant. Voces vero apibus propriæ, videlicet *stimulis, volan-*

212 PROSA VIII.

ARGUMENTUM. — *Philosophia prædictam de divitiis, dignitatibus, potestate, gloria, et voluptate doctrinam summatim repetens, hæc ait malis adeo implicita, adversariorumque telis adeo exposita, ut rationem summi boni habere non possint.*

Nihil igitur dubium est quin hæ ad beatitudinem viæ [a] deviæ quædam sint, nec perducere quemquam eo valeant ad quod se perducturas esse promittunt. Quantis vero implicitæ malis sint, brevissime monstrabo, Quid enim? pecuniamne congregare conaberis? Sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere velis? danti supplicabis ; et qui præire cæteros honore cupis, poscendi humilitate vilesces. Potentiamne desideras? subjectorum insidiis obnoxius, periculis subjacebis. Gloriam petis? sed per aspera quæque distractus, securus esse desistis. Voluptariam vitam degas. Sed quis non spernat, atque abjiciat vilissimæ fragilissimæque rei [b] corporis, servum? Jam vero qui bona præ se corporis ferunt, quam exigua, quam fragili possessione nituntur! Num enim elephantos mole, tauros robore superare poteritis? num tigres velocitate præibitis? Respicite cœli spatium, firmitudinem, celeritatem, et aliquando desinite vilia mirari. Quod quidem cœlum non his potius est quam sua qua regitur [c] ratione mirandum. Formæ
A vero nitor ut rapidus est, ut velox, et [d] vernalium florum mutabilitate fugacior! Quod si, ut Aristoteles[e] ait, [1] lynceis oculis homines uterentur, ut eorum visus obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus, **213** illud[2] Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus, turpissimum videretur? Igitur [f] te pulchrum videri, non tua natura, sed[3] oculorum spectantium reddit infirmitas. Sed æstimate, quam vultis nimio corporis bona, dum sciatis hoc quodcunque miramini, [4] triduanæ febris igniculo posse dissolvi. Ex quibus omnibus illud redigere in summam licet : quod hæc; quæ nec præstare, quæ pollicentur, bona possunt, nec omnium honorum congregatione perfecta sunt, ea nec ad beatitudinem, quasi quidam [g] calles, ferunt, nec beatos ipsa perficiunt.

B **214** METRUM* VIII.

ARGUMENTUM. — *Errant homines, canit Philosophia, qui cum terrena in terris, aquatilia in aquis, volatilia in aere, suo quæque loco reposita, quærant, proprium summi boni sedem veluti ignorantes, felicitatem inde exspectant, unde oriri non possit.*

Eheu, quæ miseros tramite devios
Abducit ignorantia!
Non aurum in viridi quæritis arbore,
Nec vite gemmas carpitis,
Non altis laqueos montibus abditis,

INTERPRETATIO.

[a] *Aberrantes.*
[b] *Cujusmodi est corpus.*
[c] *Arte.*
[d] *Vernorum.*
[e] *Liber ille Aristotelis nunc videtur desiderari.*
[f] *Quod pulcher videaris, id.*
[g] *Viæ.*

Heu qualis ignoratio avertit vos *infelices a via* recta *aberrantes! Non quæritis aurum in arbore viridi, neque* C *accipitis uniones ex vinea. Non absconditis retia in*

NOTÆ.

tum, grata mella tenaci morsu, transferuntur ad voluptates : præsertim vero observabis hæc verba : *ferit icta corda* : his quippe et modus, quo aculeus corpora, et modus, quo voluptas corporea mentem pungit, optime videtur significari : sicut enim illic continuato motu apis carnem ; ita hic continuata cogitatione voluptas mentem, repetitis veluti ictibus, videtur lancinare : unde ut prior motus corporis, sic posterior cogitatio mentis haberi potest. Quamobrem fallitur quisquis præcipitatione et præjudicio assumens, putat summum bonum versari in voluptate corporis.

[1] *Lynceis oculis.*] *Lynceis oculis videre, Lynceo perspicacior :* proverbium est ex eo, ut arbitramur, ortum, quod lynceus primus feratur reperiisse fodinas metallorum, æris, argenti, et auri : hinc enim fabulati sunt lynceum usque adeo fuisse perspicacem, ut etiam terram ipsam oculorum acie penetraret, quæque apud inferos fierent, pervideret. *Quis est tam lynceus*, inquit Tullius, *qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat.* Horatius Epist. I. I, ep. 1 :

Non possis oculo quantum contendere lynceus
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.

[2] *Alcibiadis pulcherrimum corpus.*] Alcibiades non *fuit mulier pulcherrima*, quemadmodum ait Thomas Anglicus, auctor commentariorum Boetii, sed imperator Atheniensium, ingenio præstans, et corpore pulcherrimus, qui vitiis primum, deinde, docente Socrate, virtutibus studuit.

[3] *Oculorum infirmitas.*] Si enim tanta esset oculorum perspicacitas, ut etiam viscera iisdem paterent, corpus propter majorem deformium, quam formosarum partium multitudinem, deforme potius, quam formosum haberetur : et eo quidem certius, quod pulchritudo non nisi integra perfectione, deformitas vel minimo defectu oriatur.

[4] *Triduanæ febris igniculo.*] Quæcunque enim fuerit corporis amplitudo, quodcunque robur, quæcunque agilitas, quæcunque pulchritudo, hæc corpore per triduum æstu febrique jactato evanescunt. Usque adeo verum est rationem summi boni, quod homo naturaliter cognoscit appetitque, non versari in ullo ex prædictis bonis, quibus homines falsa assumptione ducti adhærent.

* Carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quorum prior *Asclepiadus* spondeum, dactylum cum syllaba, et duos alios dactylos habet : posterior iambicus quatuor pedes, sæpius locis imparibus spondeos, paribus iambos.

1 et 2. *Tramite devios abducit ignorantia.*] Errant quidem homines præcipiti assumptione putantes summum bonum versari in divitiis, voluptatibus corpo-
D ris, et cæteris ejusmodi, ut sæpius dictum est : sed causa istius erroris ignorantia est : ut enim, præsertim in Philosophia, cognitio clara et distincta ita est veritatis regula, ut si hanc sequamur, nunquam erremus; sic ignorantia ita est erroris principium, ut nunquam erremus, nisi quia ignoramus.

3. *Non aurum in viridi quæritis arbore.*] Aurum in visceribus terræ, non in arboribus, præsertim virentibus, generari solet, quod nec semen auri huc adduci, nec adductum formari possit.

4. *Nec vite gemmas carpitis.*] Uniones in terris aut in aquis, non in plantis consueverunt reperiri, propter prædictam de auro rationem.

5. *Non altis laqueos*, etc.] Homines non piscantur in aere, nec apros venantur in mari. Hæc ab omni hominum cogitatione adeo aliena sunt, ut adagii loco usurpentur *ad significandos eos*, inquit Erasmus, *qui*

Ut pisce ditetis dapes.
215 Nec vobis capreas si libeat sequi,
Tyrrhena captatis vada.
Ipsos quin etiam fluctibus abditos
Norunt recessus æquoris,
Quæ gemmis niveis unda feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ,
Nec non quæ tenero pisce, vel asperis
Præstent echinis littora.
216 Sed quonam lateat, quod cupiunt bonum,
Nescire cæci sustinent,
Et, quod stelliferum trans abiit polum,
Tellure demersi petunt.
Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
A Opes, honores ambiant,
Et cum falsa gravi mole paraverint,
Tum vera cognoscant bona.

217 PROSA IX.

ARGUMENTUM. — *Philosophia nunc utens transitione, qua et dicta recordari, et dicenda prævidere videtur, addit, copiam, potentiam, reverentiam, celebritatem, et jucunditatem summi boni proprietates esse adeo individuas, ut pote plures unius ejusdemque rei modos, ut quicunque assumendo has illasve rebus diversis attribuit, hic præcipitatione vel præjudicio delusus fallatur.*

[1] Hactenus mendacis formam felicitatis ostendisse suffecerit, quam si [2] perspicaciter intueris, ordo est deinceps, quæ sit vera monstrare. Atqui video, in-

INTERPRETATIO.

montibus altis, ut addatis piscem epulis. Neque ingredimini mare Tyrrhenum, si vultis venari capreas. Imo vero homines *cognoscunt ipsos secessus maris absconditos aquis*: cognoscunt *quænam aqua abundantior sit unionum candidorum, aut quænam* abundantior *purpuræ rubræ*, cognoscunt *quænam maria antecellant piscibus mollibus, aut echinis crustatis At cæci* homi-
B nes *non indignantur se ignorare, ubinam occultetur bonum, quod desiderant*; *quodque transcendit olympum stellantem*, illud *in terris involuti quærunt. Quid infausti petam, dignum stultis mentibus? Utinam quærant undique divitias et honores, cumque accumulaverint bona falsa magno labore, tum agnoscant bona vera.*

NOTÆ.

præpostere ibi quærunt aliquid, ubi ne sperari quidem possit: ut si quis in magistratibus vitam tranquillam, in voluptatibus beatam, in opibus felicem quærat. Itaque Libanus servus (apud Plautum in Asinaria) ab hero suo Demæneto jussus, ut uxorem ipsius argento defraudaret, significans nulla ratione fieri posse, ut a muliere tenacissima quidquam auferretur: Jube, inquit, una me opera piscari in aere, venari autem jaculo in medio mari.

8. *Tyrrhena vada.*] *Mare Tyrrhenum*: est autem illa maris Mediterranei pars, quæ meridionale Italiæ latus, sicut sinus Adriaticus septentrionale alluit: unde hoc Superum, illud Inferum mare vocatur. De hoc loquitur Virgil. I Æn., v. 71:

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.

11 et 12. *Gemmis feracior vel rubentis purpuræ.*] Valla quidem ait rarum esse duos *casus*, licet ab eodem seorsum regi possint, cum eodem simul conjungi: ut hic conjunguntur, *gemmis et purpuræ feracior*: id tamen vitiosum non est; quod in syntaxi, quam *figuratam* vocant, non tam voces conjungantur, quam earum sensus. Sic Tullio dicitur: *emi centum aureis et pluris.* Est vero purpura proprie conchæ genus, cujus liquore vestes olim tingebantur: hunc liquorem nigrantis rosæ colore sublucere docet Plinius l. IX, c. 36, unde nunc vocatur *rubens*: cæruleus tamen, violaceus, et quicunque formosus color non raro dicitur purpureus: sic fluctus, violæ, et generatim flores omnes vocantur purpurei: sicut jam dictum est.

13 et 14. *Quæ tenero pisce vel asperis præstent echinis.*] Quemadmodum canente Virgilio, *non omnis fert omnia tellus*, sic non omnia littora omnes ferunt pisces; illic molles, hic felicius veniunt crustati pisces. Echinus generatim est bestia asperis undique capillis armata: hinc propter quamdam similitudinem spinosum castaneæ operculum, nec non etiam asperum quoddam architecturæ opus appellatur *echinus*. Sed bestia, quæ vocatur echinus, alia est terrestris, alia marina. Echinus terrestris capite pedibusque implexis globi speciem ita induit aliquando, ut anteriores posterioresque ejus partes distingui non possint. Marinus autem echinus, judicio ipsius Aristotelis, in cibum apponi solet: Thomas Angelicus hic piscem hunc male vocat *remoram*, quæ dicitur *echeneis*, deceptus videlicet similitudine vocabulorum: melius Horatius Satir. l. II, sat. 4:

Sed non omne mare est generosæ fertile testæ.
Murice Bajano melior Lucrina Peloris:
Ostrea Circæis, Miseno oriuntur echini;
Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.

17. *Stelliferum trans abiit polum.*] Est enim Deus.

18. *Tellure demersi petunt.*] In rebus caducis *animus ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram*, ut loquitur Tullius, falsa assumptione putat versari summum bonum.

19. *Quid imprecer.*] *Imprecari* est aliquid mali in caput alicujus precari. Sic Virgil. IV Æneid.,
C v. 628.

Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotes.

20. *Opes, honores ambiant.*] *Circumeundo supplicent*: *ambio* enim dicitur ab *ambe* circum. et *eo*, quod Romani undique irent populorum, aut etiam judicum captaturi suffragia: et hoc est malum, quod Philosophia in caput hominum stolidorum precatur: sed quia non decet Philosophiam, magistram illam virtutum, imprecari malum, nisi propter bonum, quod ex hoc oriri possit, addit.

21. *Et cum falsa paraverint, tum vera cognoscant bona.*] Exemplo scilicet Salomonis, qui postquam omnibus prædictis bonis impiam operam dedisset, tandem aliquando ad Deum reddit, exclamans, *Vanitas vanitatum et omnia vanitas. Gravi mole* interpretamur *magno labore*: nam, ut puto me jam monuisse, *moles* primum dicitur de corporibus, quæ ob insitam
D plurimarum partium quietem difficulter moveri possunt: unde non inepte moles derivatur a Græco μοχλεύω, *vectibus submoveo*: hinc lapis ingens dici solet *molaris*: hinc etiam *moliri* idem est quod viribus collectis aliquid movere. Deinde *moles* propter quamdam similitudinem dicitur de omni negotio difficili: sicut Virg. I Æn., v. 37:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

[1] *Hactenus.*] I. Quidem Philosophia nunc utitur transitione, cujus frequens est et utilis usus apud oratores et poetas. Sic Tullius: *Quoniam*, inquit, *de genere belli dixit, nunc de magnitudine pauca dicam.* Sic Virgil. II Geor., v. 1:

Hactenus arvorum cultus et sidera cœli,
Nunc te, Bacche, canam, nec non silvestria tecum
Virgulta et prolem tarde crescentis olivæ.

[2] *Perspicaciter.*] An vox ista Latina est? dicerem, *perspicue*, *evidenter.*

quam [a], nec opibus sufficientiam, nec regnis potentiam, nec reverentiam dignitatibus, nec celebritatem gloria, nec lætitiam voluptatibus posse contingere. An etiam causas, cur id ita sit, deprehendisti [b]? Tenui quidem veluti rimula [c] mihi videor intueri, sed ex te [d] cognoscere malim apertius. Atqui promptissima ratio est [e]. [1] Quod enim simplex est, indivisumque natura, id error humanus separat, et a vero atque perfecto ad falsum imperfectumque traducit. An tu arbitraris, quod nihilo indigeat, egere potentia? Minime, inquam [f]. **218** Recte tu quidem [g]: nam si quid est, quod in ulla re imbecillioris [h] valentiæ sit, in hac præsidio necesse est egeat alieno. Ita est, inquam [i]. Igitur sufficientiæ potentiæque una est eademque natura. Sic videtur. Quod vero hujusmodi sit, spernendumne esse censes, an contra rerum omnium veneratione dignissimum? At hoc, inquam, ne dubitari quidem potest. Addamus igitur sufficientiæ potentiæque reverentiam, ut hæc tria unum esse judicemus. Addamus, siquidem vera volumus confiteri. Quid igitur? inquit, obscurumne hoc atque ignobile censes esse, an omni celebritate clarissimum? Considera vero, ne, quod nihilo indigere, quod potentissimum, quod honore dignissimum esse concessum est, egere claritudine, quam sibi præstare non possit, atque ob id aliqua ex parte videatur abjectius. Non possum, inquam, quin hoc uti est, ita etiam celeberrimum esse confitear. Consequens igitur est, ut claritudinem superioribus tribus nihil differre fateamur. Consequitur, inquam. Quod igitur nullius egeat alieni, quod suis cuncta viribus possit, quod sit clarum, atque reverendum, nonne hoc etiam constat esse lætissimum? Sed unde huic [j], inquam, tali mœror ullus obrepat, ne cogitare quidem possum. Quare plenum esse lætitiæ, siquidem superiora manebunt, necesse est confiteri. Atqui illud quoque per eadem necessarium est [k], sufficientiæ, potentiæ, claritudinis, reverentiæ, jucunditatis nomina quidem esse diversa, nullo vero modo discrepare substantiam. Necesse est, inquam. Hoc igitur, quod est unum, simplexque natura, [l] pravitas humana dispertit, et, dum rei, quæ partibus caret, partem conatur adipisci, nec portionem, quæ nulla est, nec ipsam, quam minime affectat, assequitur. Quonam, inquam, modo? Qui divitias, inquit, petit, penuriæ fuga, de potentia nihil laborat: vilis, obscurusque esse mavult, multas etiam sibi naturales quoque subtrahit voluptates, ne pecuniam, quam paravit, amittat. Sed hoc modo ne sufficientia quidem contingit ei, quem [m] valentia deserit, quem molestia pungit, quem vilitas abjicit, quem recondit obscuritas. Qui vero solum posse desiderat; profligat opes, despicit voluptates, honoremque potentia carentem, gloriam quoque **219** nihil pendit. Sed huic quoque quam multa deficiant, vides. Fit enim ut aliquando necessariis egeat, ut anxietatibus mordeatur; cumque hæc depellere nequeat, etiam id quod maxime petebat, potens esse desistit. Similiter ratiocinari de honoribus, gloria, voluptatibus licet. Nam cum unumquodque horum idem, quod cætera, [n] sit, quisquis horum aliquid sine cæteris petit, ne illud quidem, quod desiderat, apprehendit. Quid igitur? inquam, si quis cuncta simul cupiat adipisci? summam quidem ille beatitudinis velit: sed num in his eam reperiet, quæ demonstravimus, id, quod pollicentur, non posse conferre? Minime, inquam. In his igitur, quæ singula quæque expetendorum præstrare creduntur, beatitudo nullo modo investiganda est. Fateor, inquam, et hoc nihil dici verius potest. Habes igitur, inquit, et formam falsæ felicitatis, et causas: deflecte nunc in [o] adversum mentis intuitum; ibi enim veram, quam promisimus, statim videbis. Atqui hæc, inquam, vel cæco perspicua est, eamque tu paulo ante monstrasti, dum falsæ beatitudinis causas aperire conabaris. Nam, ni fallor, ea vera est, et perfecta felicitas, quæ sufficientem, potentem, reverendum, celebrem, lætumque perficiat. Atque ut me interius [p] animadvertisse cognoscas, quæ unum horum, quoniam idem cuncta sunt, veraciter præstare potest, hanc esse plenam beati-

INTERPRETATIO.

[a] Ego Boetius.
[b] Inquit Philosophia.
[c] Inquit Boetius.
[d] O Philosophia.
[e] Inquit Philosophia.
[f] Ego Boetius.
[g] Inquit Philosophia.
[h] *Virtutis.*
[i] Ego Boetius.
[j] *Nulla tristitia videtur inesse posse rei, quæ ejusmodi est.*
[k] *Ista omnia esse unicam rem pluribus affectam modis.*
[l] *Male judicando.*
[m] *Vis.*
[n] *Unica res pluribus modis se habens.*
[o] *Cogita contrarium.*
[p] *Ipsa mentis attentione.*

NOTÆ.

[1] *Quod simplex est*, etc.] II. Philosophia proponit, copiam, potentiam, et cætera ejusmodi esse modos summi boni, non partes, ut vulgo putantur: quare ut hæc et sequentia intelligantur, animadvertendum discrimen quod occurrit inter partem et modum. In hoc autem differunt, quod pars possit, modus non possit sua seorsum idea clare et distincte cogitari. Sic mens et corpus sunt partes hominis, quod mens sine corpore, et corpus sine mente, sua quodlibet idea clare et distincte cogitari possit. Sic figura, quies, et motus sunt modi corporis, quod neque figura, neque quies, neque motus possit clare et distincte cogitari, non cogitato corpore. Sic etiam notio et voluntas, quarum neutra potest, non cogitata mente, clare et distincte cogitari, sunt modi mentis. Atqui prædicta bona, quæ homines falsa assumptione tribuunt rebus creatis non possunt clare et distincte cogitari non cogitata aliqua re superiori, videlicet Deo, ut seorsum Philosophia probat et quidem ita evidenter, ut nulla alia interpretatione videatur indigere.

tudinem sine ambiguitate cognosco. O te, alumne, hac opinione felicem, siquidem hoc, inquit, adjeceris. Quidnam? inquam. Essene aliquid in his mortalibus caducisque rebus putas, quod hujusmodi statum possit afferre? Minime, inquam, puto; idque a te, nihil ut amplius desideretur, (25) ostensum est. Hæc igitur vel imagines veri boni, vel imperfecta quædam dare bona mortalibus videntur : verum autem, atque perfectum bonum conferre non possunt. Assentior, inquam. Quoniam igitur agnovisti, quæ vera illa sit, quæ autem beatitudinem mentiantur, nunc superest, ut unde veram hanc petere possis, agnoscas. (30) Id quidem, inquam, jam dudum vehementer exspecto. Sed cum, [1] uti in Timæo Platoni, inquit, nostro placet, in minimis quoque rebus divinum præsidium debeat implorari, quid nunc faciendum censes, ut illius summi boni sedem reperire mereamur? Invocandum, inquam, rerum omnium patrem, quo prætermisso, nullum rite fundatur (35) exordium. Recte, inquit; ac simul ita modulata est.

220 METRUM * IX.

ARGUMENTUM. — *Philosophia precatur Creatorem mundi ut sicut immotus movet corpus omne generatim primum, deinde speciatim, ita mentem humanam disjectis tenebris dignetur illustrare, eamdemque clara summi boni notione informare.*

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
221 Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri;
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
Forma boni, livore carens : tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse

INTERPRETATIO.

O creator cœli et terræ, qui regis mundum lege immutabili, qui imperas tempus fluere a prima ætate mundi,*et constanter immotus facis omnia moveri, quem causæ exteriores non induxerunt ad formandam machinam mate-*

NOTÆ.

[1] *Uti in Timæo, Platoni nostro placet.*] Timæus inter sua carmina hoc retulit Pythagoræ præceptum,

Finem dein ante precatus
Numina, opus facito.

Ex quo Plato ait in libro qui inscribitur *Timæus* : *Omnes qui vel minimam sanæ mentis particulam habent, cum aliquid sive parvum, sive magnum aggrediuntur, semper solent Deum invocare* : quo nihil melius dici, fieri, cogitari potest.

* Quod dicitur *Heroicum.* Carmen est constans ex uno genere versuum, quorum quilibet hexameter sexto loco spondeum, quinto dactylum, quatuor reliquis spondeum, vel dactylum indiscriminatim habet.

1. O.] Est hæc precatio et Philosophiæ et materiæ tractandæ dignissima. Est quidem precatio; cogitatio scilicet mentis aliquid recte desideratum petentis a Deo : hinc quæ a S. Thoma, 1-2, q. 83, art. 17, probantur esse precationis partes, videlicet *ascensus intellectus in Deum, gratiarum actio, et petitio*, hæ hic animadvertuntur : O enim interjectio ut admirantis sic invocantis, notat primum : enumeratio rerum conditarum, et modorum quibus reguntur, secundum; lux rogata, tertium. Est etiam precatio hæc Philosophiæ dignissima : cum enim Philosophia sit naturale lumen, tenebris sensim recedentibus, elucens, nihil aliud nunc petitur, quam aliquod Philosophiæ incrementum. Est denique eadem precatio materiæ nunc tractandæ dignissima : ut enim decet mentem sui finis notionem rogare, sic decet hanc notionem rogare mundi Conditorem, quippe qui et prima causa et primus doctor ejusdem mentis est. *Nolite putare*, inquit S. August. in Joann., *quemquam hominem aliquid discere ab homine; admonere possumus per strepitum vocis nostræ : si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster.*

2. *Terrarum cœlique sator.*] Philosophia precatur Creatorem mundi. Sator enim sive seminator primum est ille qui parato effecti semine sive materia ejusdem effecti auctor est; qua ratione *mundus ipse*, judice Tullio II de Nat., *omnium rerum sator et seminator est*, deinde est quicumque auctor : Deus autem est primus auctor cœli et terræ. Virg. I Æn., v. 258 :

Olli subridens hominum sator atque deorum.

Sed quod Deus sit mundi creator, propterea mundus legibus a Deo constitutis regitur : unde nunc dicitur : *perpetua mundum ratione gubernas.*

2 et 3. *Tempus ab ævo ire jubes.*] Differunt apud philosophos æternitas, ævum, et tempus, quæ dicuntur quædam genera diuturnitatis, sive ut loquuntur *durationis*, Gallice *durée*, quæ nihil est aliud quam perseverantia rei existentis. Æternitas est rei sine principio et sine fine existentis, nimirum Dei. Ævum est rei sine fine quidem, sed non sine principio existentis : nimirum rei creatæ, qualis est mens et corpus, quorum nulla est nisi exterior causa : hoc enim et illa a Deo aliquando creata æternum perseverabunt. Tempus est rei nec sine principio, nec sine fine existentis : formæ videlicet corporeæ, qualis est forma bestiæ, forma plantæ, et forma corporum inanimatorum : hæ enim formæ ut fugatis contrariis aliquando incœperunt, ita aliquando a contrariis formis fugatæ evanescent. Atqui vix materia mundi facta est ævum habitura, cum hæc quibusdam formis per aliquod tempus duraturis juxta leges divina voluntate sancitas, affecta fuit : quamobrem Deus *tempus ab ævo ire jubet.*

3. *Stabilisque manens das cuncta moveri.*] Deus etenim immotus omnia movet. Primum quidem omnia quæ moventur, a Deo moveantur necesse est : cum enim motus nihil sit aliud quam corpus quod sua extremitate extremitatem tangit majorem, ab eo habent omnia ut moveantur, a quo habent quod et extremitatibus circumscribantur, et extremitatibus suis majores tangant extremitates : sed id non possunt habere nisi ab eo a quo ut creantur sic conservantur, cujusmodi est solus Deus. Deinde Deus movendo omnia immotus manet : siquidem Deus est mens perfectissima. Malachiæ III : *Ego Dominus et non mutor;* Jacobi I : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

4. *Non externæ pepulerunt causæ.*] Philosophis vulgo quatuor sunt causæ, nimirum finis, efficiens, materia, et forma, quarum duæ priores, exteriores; duæ vero posteriores, interiores appellantur. Corpora quæ vocant physica, cujusmodi est cœlum et terra, et interiores et exteriores habent causas; mentes creatæ non habent quidem interiores, sed habent exteriores. Deus vero neque interiores neque exteriores habet : unde neque fine neque efficiente *pelli* potuit ad creandum mundum; sive

5. *Materiæ fluitantis opus.*] Mundus quippe recte dicitur *materia fluitans. Materia* quidem, cum mundus sit res quoquo versus extensa, cujusmodi est materia. *Fluitans* vero, quandoquidem cœlum, terra, et cætera corpora, ex quibus constat mundus, perpetuis motibus cientur, si non ratione omnium, saltem ratione plurium suarum partium.

5 et 6. *Verum insita summi forma boni.*] Licet Dei natura simplex sit et uniusmodi, non solum quatenus

Mundum mente gerens, similique imagine formans, A
222 Perfectasque jubens perfectum absolvere partes.
Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
Arida conveniant liquidis : ne purior ignis
Evolet, aut mersas deducant pondera terras.
223 Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem
Connectens animam per consona membra resolvis ;
Quæ cum secta duos motum glomeravit in orbes,
In semet reditura meat, mentemque profundam

INTERPRETATIO.

riæ motæ, sed potius *species* tibi *insita summi boni, expers invidiæ* : *tu producis omnia ab exemplari summo, habens in mente mundum præclarum ipse præclarissimus*, quem mundum *simili imagine formas*, *et præcipis* eumdem *perfectum perficere* suas *partes. Tu concilias elementa* talibus *modis*, *ut frigida cum calidis*, *et sicca cum liquidis conveniant*, *ne ignis purior sursum abeat*, *aut gravitas ferat deorsum terram depressam. Tu conjungens animam* inter mentes insensiles et corpora sensilia *mediam*, *moventemque omnia*, *distribuis* eamdem *per membra consentanea*, *quæ* anima instar corporis liquidi *divisa* in minutas partes, *postquam perfecit*

NOTÆ.

est expers partium, instar cujuslibet alterius mentis, sed etiam quatenus ne pluribus quidem cogitationibus sibi succedentibus afficitur, mens tamen humana, ut B pote Deo comprehendendo impar, Deum veluti quibusdam affectum cogitationibus adeoque formis, idea nimirum et voluntate cogitat : adeo ut nulla alia sit causa *materiæ fluitantis*, præter ideam et voluntatem Dei : hæc rationem habent non solum finis, et efficientis, verum etiam exemplaris causæ. S. Thomas, 1 q. p. 15, a. 1, *Mundus*, inquit, *non est casu factus*, *sed est factus a Deo per intellectum agente*, *unde necesse est quod in mente divina sit forma*, *ad similitudinem cujus mundus est factus*, *et in hoc consistit ratio ideæ... Deus secundum essentiam suam est similitudo omnium rerum : unde idea in Deo nihil est aliud quam Dei essentia.* Quod autem Deum, ad creandum mundum, *externæ non pepulerunt causæ*, *sed insita summi boni forma*, sive infinita Dei sapientia et voluntas, propterea recte Deus dicitur *livore carens* : cum enim, effectu pro causa posito, livor hic nihil sit aliud quam invidia, ille recte dicitur livore carere, qui non habet, C cui invidere possit : Deus autem (ut pote summum bonum), a quo et propter quem mundus factus est, non habet, cui invidere possit : quandoquidem summo bono melius nihil excogitari potest. Hinc etiam Deus *cuncta superno ducit ab exemplo* videlicet a divina idea et voluntate, quæ cum sit Deus, hac nihil superius esse potest. Hinc Deus *mundum mente gerit*, *similique imagine format.* S. August. lib. LXXXIII Quæst., q. 46 : *Singula propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse nisi in ipsa mente creatoris. Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat, nam hoc opinari sacrilegum est.* Nonnulli putant hic legendum *similique in imagine* propter versum. Sed a pluribus omittitur vox illa *in*, qua sublata rectius significabitur, ideam esse modum, quo Deus mundum format, et stabit versus, ut apud Virgil. I Georg., v. 281 :

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.

9. *Perfectasque jubens perfectum absolvere partes.*] Ut enim divina sapientia, divinaque voluntate mundus primo formatus est; sic eadem divina sapientia, et voluntate mundus perfectus, suas partes perfectas videtur absolvere, servatis scilicet quibusdam legibus corporum divinitus constitutis. Sic ex eo quod materia, ratione quarumdam partium, ab initio fuerit in orbem mota, servatis quibusdam legibus motus, oriri potuerunt primum quidem *elementa*, deinde generalis quædam *anima universi*, postea peculiares quædam *animæ corporeæ*, de quibus omnibus deinceps tractabitur.

10. *Tu numeris elementa ligas*] I. Agitur de elementis : quæ enim corpora ex *materia fluitante* primum oriuntur, hæc vocantur elementa, quoniam ex his insitis reliqua corpora, quæ propterea dicuntur *mista*, componuntur : hæc autem elementa cum multitudine, tum etiam qualitatibus sive modis ita inter se aptantur, ut et frigida cum calidis, et dura cum liquidis inveniant, nec levia a gravibus inani quodam hiatu separentur : ubi Philosophia videtur facere mentionem qualitatum, quas philosophi vulgo agnoscunt in elementis, quasque minus Latine vocant *alterativas et motrices. Alterativæ*, inquiunt, *sunt calor et frigus*, *siccitas et humiditas*, quæ significantur his verbis, *ut frigora flammis*, *arida conveniant liquidis. Motrices vero sunt levitas et gravitas*, quarum effecta merito hic timerentur, nisi elementa miro quodam modo a Deo certis locis continerentur; præsertim juxta vulgatam Peripateticorum opinionem. Si enim, ut Peripatetici optant, quatuor hæc elementa, nimirum ignis, aer, aqua, et terra, sive appetitu, sive inclinatione, sive qualitate naturali ita afficiantur, ut aer et ignis sursum sua levitate : aqua et terra deorsum sua gravitate tendant, quid obstat, nisi Deus perpetuo quodam miraculo, quin quatuor hæc elementa, quantumlibet permista, tandem aliquando a se invicem liberata, si non intercepto quodam inani hiatu, saltem suis quæque locis contineantur : quemadmodum aqua et oleum, quantumlibet permista ita a sese invicem liberantur, ut aqua deorsum subjiciatur, oleum vero sursum emineat : quamobrem recte Philosophia addit : *Ne purior ignis evolet*, *aut mersas deducant pondera terras.*

13. *Tu triplicis mediam naturæ*, etc.] II. Agitur de spiritu Universi, qui positis ipsis naturæ legibus, statim post producta mundi elementa nasci debet. Hic autem spiritus, de quo plura diximus in physica, merito hic dicitur, 1° *anima* 2° *triplicis naturæ media*, 3° *cuncta movere*, 4° *a Deo connecti*, 5° *per consona membra resolvi*, 6° *secta circuire*, primum quidem per majores, deinde per minores mundi vortices, et tandem ad suum reverti principium, ut hoc exemplo demonstretur, hominem, qui a Deo tanquam a principio processit, ad Deum tanquam ad finem, facto quodam circuitu, revocandum esse : quæ omnia postquam exposita fuerint, *illa suscepti operis pars*, non erit, sicut Vallino videtur, *difficillima.*

Primum quidem spiritus de Universi agnoscitur D non solum a sacris auctoribus Ecclesiastæ I, *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus et in circulos suos revertitur;* sed etiam a profanis, ut Platone, Aristotele, pluribusque aliis. Citabo unum Virgilium, qui VI Æneid., v. 724, canit :

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit : totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus
Igneus est ollis vigor et cœlestis origo
Seminibus : quantum non noxia corpora tardant
224 Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque : nec auras
Respiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco.

Deinde idem spiritus recte dicitur *anima* : cum enim *anima* dicitur ab *animus*, hic ab ἄνεμος, *ventus;* cumque ventus quædam sit occulta plurium motuum causa, propterea usus obtinuit, ut insitum occultumque pe-

Circuit, et simili convertit imagine cœlum. A
225 Tu causis animas paribus, vitasque minores
Provehis, et levibus sublimes curribus aptans
In cœlum, terramque seris : quas lege benigna
Ad te conversas reduci facis igne reverti.

INTERPRETATIO.

duplicem circuitum, per suum corpus *iterum movetur, reversura in semetipsam, et circuit animam infimam, et circumagit cœlum forma uniusmodi. Tu producis animas et vitas minores simili modo, accommodansque altas corporibus levibus*, easdem *disseminas per cœlum et terram*; *quas* animas *blanda lege facis ad te conversas redire, instar ignis*, ad locum unde venerat, *regredientis. Da, pater*, da *menti* nostræ *assurgere* in *solium* tuum *regale ; da quærere originem boni ; da, lumine detecto, defigere in te claros conspectus mentis. Expelle*

NOTÆ.

rennis et continuatæ motionis principium vocaretur *anima* : prædictus autem spiritus ita se habet, non solum in plantis et bestiis, sed in ipso quoque homine, in quo mens sine illo spiritu famulante, manus et pedes ad nutum movere non potest.

Præterea hæc anima dicitur *triplicis naturæ media* : non quod ex insitis tribus elementis constet, quemadmodum putare possent illi philosophi, quos ex arte vocant *Chymicos*, aut alii quos propter ducem appellant *Cartesianos*, quibus tria sunt mundi elementa, sed potius quod ex tribus rebus, quas naturali lumine cognoscere possumus, hæc anima una sit, et quidem media : quandoquiden hæc media est inter mentem insensilem, et corpus sensile, ut et instar corporis sensilis, sit res quoquo versus extensa, capax figuræ, quietis, et motus, et instar mentis insensilis, sensum fugiens pluriumque effectorum principium : propterea a Virgilio supra vocatur *spiritus et mens*. Hic enim dici potuit *anima media triplicis naturæ*, sicut lib. II, prosa 3, dicitur *duorum medius consulum* et a Cicerone, *duorum fratrum medius* ; et ab Horatio *belli pacisque medius ;* potuitque anima illa hanc *triplicis naturæ* enumerationem instar partis subire, quemadmodum Capua subivit ternum maximarum urbium numerum, cujus tamen numeri ipsa fuerit pars : *Capua*, inquit Florus supra citatus pag. 47, *quondam inter tres maximas Romam Carthaginemque numerata.*

Insuper ista anima perhibetur *cuncta movere* : non quod cuncta corpora ab hac anima moveantur : plura enim solida sunt, quorum idcirco partes quiescunt : sed quod nulla corpora, nisi hac anima movente, moveantur : sic Joan. I, *omnia per Deum facta* dicuntur, non quod omnia simul facta fuerint a Deo, sed quod quæcunque facta sunt, hæc non nisi ab ipso Deo facta sint. Scilicet ut videmus quædam corpora sensilia moveri ab aliis corporibus sensilibus, v. g. baculum a manu, sic hæc sensilia ab insensilibus, v. g. manum a spiritibus commoveri conjicimus, a notis ad minus nota progressi : donec aliquod primum invenerimus corpus quod ab ipso Deo moveatur, juxta illud philosophorum effatum : corpus quod movetur, ab alio moveatur necesse est.

Adde quod eadem anima dicitur a Deo *connecti* : cum enim corpus non moveat nisi contactu, hæc anima non posset movere, nisi cum corpore movendo connecteretur : connectitur autem a Deo, a quo primum facta movetur, iis, quas ipse Deus constituit, naturæ legibus.

Quin etiam hæc anima divinitus *per consona membra resolvitur* ; resolvitur, inquam, per membra : anima enim illa corpus est liquidissimum, cujus partes ut moventur, sic in varia loca resolutæ varia subeunt corporis informati membra. Sed membra hæc sunt consona, sive convenientia cum inter se, tum cum ipsa anima, a qua movenda sunt : ut scilicet minora primum ab anima, deinde majora et a minoribus et ab ipsa quoque anima moveantur : sic sal a mari, navis ab utroque contrita fatiscit.

Imo prædicta anima *secta circuit*, ita ut finem jungens principio suæ motionis, *motum* videatur *glomerare in orbem, en faire comme un peloton de fil* : glomus enim Gallice est *un peloton de fil*. Est quidem illa anima *secta* : quia instar aquæ, aeris, et ipsius ignis liquida, est congeries plurium corpusculorum, quæ ut moventur, sic separantur a sese invicem. At ipsa anima *circuit* per corpus, in quo reperitur : quoniam generatim corpus omne, qua minus resistitur, suum continuat motum : sic succus arboris ad summum potius arboris verticem ascendit, quam per tenuiorem corticem exeat : sed eidem animæ, corporibus diversis undique resistentibus, facilius est intra suum corpus circuire ; quam extra idem corpus egredi : Eccl. I, B *Lustrans universa*, inquit Spiritus sanctus, *in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur* : quare ut nunc dicitur, hæc anima *in semet reditura meat.* Verum hæc anima, habita ratione machinæ, quam informat, duplicis est generis : major una, quæ per majorem mundi vorticem ; altera minor, quæ per minorem ejusdem mundi vorticem diffusa circuit : atque inter minores una est, circa quam cœlum, veluti rota circa axem convertitur, quamque nunc Philosophia *mentem profundam* vocat ; *mentem* quidem, sicut ipse Virgilius *mentem* nominavit, quoniam hæc, instar mentis, insensile est motus principium : *profundam* vero, quia *centri* locum habet : in globo autem nulla pars est *centro* profundior. Forte hæc machina, quæ profunda illa mente nunc significatur informari, terra est : quamvis enim nulla demonstratione probari possit terra esse mundi *centrum*, terra tamen dici potest *centrum* illius vorticis, quem incolimus : ita ut major C anima circa terram *simili imagine convertat cœlum* : nam aer saltem, qui sæpius tam apud sacros quam apud profanos auctores vocatur cœlum, terram circuit, nec ab alio corpore quam ab isto spiritu aerem circumagi, satis probabile est : sicut simili semper imagine converti videtur : licet enim in isto aere sive cœlo nubes, imbres, ventique cogantur, constans tamen est et uniusmodi hujus cœli circa terram circuitus, constansque ejusdem cæruleus color, qui nihil est aliud quam lumen obviis vaporibus exhalationibusque modificatum. At nisi profunda illa anima fuerit terra, alia erit ex minoribus animabus, de quibus jam locutura est ipsa Philosophia.

18. *Causis animas paribus vitasque minores.*] III. Philosophia agit seorsum de animabus corporeis, quas dicit, 1° *animas vitasque minores ;* 2° *causis paribus a Deo provectas ;* 3° *levibus curribus aptatas*; 4° *per cœlum terramque dispersas ;* 5° *ad cœlum conversas reverti.* D

Primum agitur hic duntaxat de animabus corporeis, ut pote quæ similes sunt spiritui, de quo statim agebatur, aut quædam illius portio : ut enim spiritus Universi, sic animæ hæ adducuntur in exemplum, ut his cognitis mens humana suis cogitationibus ad Deum, unde egressa est, revertatur.

Deinde hæ vocantur *animæ vitæque minores* ; quod minoribus machinis inclusæ, minores circuitus absolvant, ut in plantis, in bestiis, et in ipso homine : cum hoc tamen discrimine, quod in homine præter hunc spiritum corporeum, sit mens sive res cogitans, cui spiritus ille famulatur : quo fit ut spiritus ille corporeus, ut pote formæ principali famulatus, in homine nomen dignitatemque animæ amittat, dicaturque propterea in homine una duntaxat esse anima, eaque ratione prædita. Virgil. IV Georg., v. 220.

Esse apibus partem divinæ mentis et haustus
Æthereos dixere : Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris cœlumque profundum.

226 Da, Pater, augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da luce reperta
In te conspicuos animi defigere visus.
Disjice terrenæ nebulas et pondera molis,
Atque tuo splendore mica: tu namque serenum,
Tu requies tranquilla piis; te cernere finis,
227 Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

228 PROSA X.

ARGUMENTUM. — *Philosophia demonstrat, aliquod esse summum bonum, et hanc qualitatem ita solius Dei esse, hanc ut a se indistinctam nec ab ullo acceperit, nec cum ullo communicet: ex quo colligit eum qui summo bono fruitur hinc Deum esse participatione, inde participem potentiæ, reverentiæ, claritatis et voluptatis.*

[a] Quoniam igitur quæ sit imperfecti, quæ etiam perfecti boni forma, vidisti: nunc demonstrandum reor, quonam hæc felicitatis perfectio constituta sit. In quo illud primum arbitror inquirendum an aliquod hujusmodi bonum, quale paulo ante definisti, in rerum natura possit existere, ne nos præter rei subjectæ veritatem [b] cassa cogitationis imago decipiat. [1] Sed quin existat, sitque hoc veluti quidam omnium fons bonorum, negari nequit. Omne enim quod imperfectum esse dicitur, id imminutione perfecti imperfectum esse perhibetur. Quo fit, ut si in quolibet genere imperfectum quid esse videatur, in eo

INTERPRETATIO.

nubem et gravitatem machinæ terrestris: *et corusca tuo fulgore*: *nam tu serenitas* es, *tu quies tranquilla probis*; et nostra de *te notio finis*; quod sis *principium, vector, dux, via, et terminus*.

[a] *Cognito modo tam imperfecti, quam perfecti boni, demonstranda est res illa quæ sit summe bona.*

[b] *Inanis.*

NOTÆ.

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Postea hæ minores animæ iisdem *causis*, quibus prædictus spiritus Universi, fiunt, videlicet ex eadem *materia fluitante*, et ab ipso Deo, servatis iisdem naturæ legibus.

Præterea eædem animæ dicuntur *aptatæ levibus curribus*, hoc est corporibus, quibus includuntur, quæque ipsæ movere et regere videntur, ut vector movere et regere currum solet: anima enim plantæ v. g. diversa est ab anima bestiæ: et anima bestiæ pro diversis bestiarum generibus iterum diversa est. Sic animæ apum, de quibus jam loquebatur Virgilius, dici possunt *levibus curribus aptatæ*.

Insuper his, prædictæ animæ *per cœlum terramque dispersæ* sunt: nam præterquam quod etiam in cœlo stellifero forte occurrere potest similis quidam spiritus, qui per corpus in quo includitur, prædictos circuitus agat; minores illæ animæ sunt in bestiis, quarum aliæ in terris, aliæ in cœlo aerio vivunt.

Tandem hæ animæ *ad cœlum conversæ revertuntur*: hæ enim animæ, ut pote quæ generali corporum motorum lege, quæ nunc vocatur *benigna*, qua minus resistitur, tendunt, in cœlum, qua minus resistitur iisdem, nituntur: veluti *igne reduci*: maxima quippe est similitudo inter has animas et ignem: unde Virgilio prædictus spiritus appellatur *igneus vigor*. Quoniam vero cœlum habetur altissimum Dei domicilium: Matth. v., *Non jurandum per cœlum, quia thronus Dei est*; propterea Deus nunc dicitur *facere, has animas ad se conversas reverti*: et propterea nunc in exemplum ducuntur.

22. *Da Pater.*] Sic vocatur Deus non solum a Christianis, sed etiam ab ethnicis, ut jam notavimus. Hæc est autem petitio Philosophiæ, cujus gratia prædicta præmisit. Rogat vero Deum, ut hinc liberet mentem tenebris ab ipso corpore ortis: *Corpus enim*, Sap. IX, *quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:* inde vero informet cognitione summi boni, ejusque amore.

26. *Tu namque serenum.*] Serenans mentes: ut quemadmodum tempus serenum fingitur fugare nubes: sic Deus mentis tenebras pellat.

27. *Tu requies tranquilla piis.*] Dans cogitationes tranquillas; iis nempe, qui, dante Deo, suo erga Deum officio funguntur.

27. *Te cernere finis.*] Mens humana eo fine a Deo creata est, ut cogitet, adeoque ut cognoscat Deum. Joan. XVII, *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Deum verum.*

28. *Principium.*] Non minus necessarium est, mentem nostram suum principium, quam semetipsam cognoscere: ut videlicet primi beneficii a suo conditore accepti non immemor, se suaque eidem suo conditori devoveat. Deus autem ita mentis nostræ principium est, ut quamvis mens posset dubitare, utrum Deus foret principium corporum, eadem tamen suæ tenuitatis conscia, semper convincatur, se non ab alio quam ab ipso Deo fuisse creatam. Hinc Deus dixit Apocal. I, *Ego sum α et ω principium et finis.*

Vector.] Quia Deus conservat nostram mentem: cum enim conservatio nihil sit aliud quam continuata productio, Deus conservando nostram mentem, hanc videtur portare sive vehere. Ad Hebr. I Deus dicitur *portans omnia verbo virtutis suæ.*

Dux.] Deus enim mentem humanam non tantum creat conservatque, sed eamdem, etiam ab ortu, quibusdam informat cogitationibus, nimirum intelligentia et inclinatione, quas si, neglecto corporis impetu, mens ipsa sequatur, nunquam aberrabit.

Semita.] Nam semita mentis alia in genere *formæ*, alia in genere *causæ efficientis*. Prior est cogitatio qua mens a rebus caducis recedens ad Deum accedit: Sic Proverb. IV: *Pistorum semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectum diem.* Posterior est ipse Deus rectæ cogitationis auctor. Sic Christus Joan. XIV: *Ego*, inquit, *sum via, et veritas, et vita.*

Terminus.] Id vocatur terminus, ultra quod res, eodem finita, non diffunditur: sicut cæcis nationibus, rudis informisque lapis, ultra quem ager, hoc lapide finitus, non diffunditur, vocabatur *deus Terminus.* Atqui Deus est id ad quod mens humana cogitando diffundi debet; sed ultra quod eadem mens cogitando versari non potest. Joan. VI: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

Sicut autem omnia hæc recte dicuntur de Deo, ut jam expositum est, ita non male dicerentur de ipsa cognitione Dei, menti nostræ insita, quæ notatur his verbis, *Te cernere.* Primo enim illa de Deo insita cognitio recte dicitur *finis*: quoniam eo fine facti sumus a Deo, ut Deum ipsum cogitemus. Secundo eadem cognitio recte dicitur *principium;* quia ut omne nostrum bonum opus a bona nostra cogitatione; sic omnis nostra bona cogitatio ab ipsa Dei cognitione, velut a principio oritur: *Ignoti nulla cupido*, quod vulgo dicunt. Tertio eadem Dei cognitio recte dicitur *vector, dux, et semita*; quod hæc nostras cogitationes, nostraque omnia tam dicta, quam facta ad Deum videatur ferre, movere, et ducere. Denique hæc Dei nostra cognitio recte dicitur *terminus*: siquidem comparata ea, qua defuncti frui speramus, perfecta Dei cognitione, veluti comparato vitæ nostræ termino quiescemus. Joan. XVII: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

[1] *Quin existat, negari nequit.*] I. Philosophia demon-

perfectum quoque aliquod esse, necesse sit. Etenim perfectione sublata, unde illud, quod imperfectum perhibetur, exstiterit, ne fingi quidem potest. Neque enim ab diminutis, [a] inconsummatisque natura rerum cepit exordium, sed ab integris, absolutisque procedens, in hæc extrema atque [b] effeta dilabitur. Quod si, uti paulo ante monstravimus, est quædam boni fragilis imperfecta felicitas : esse aliquam solidam perfectamque [c] non potest dubitari. Firmissime, inquam [d], verissimeque conclusum est.

229 [1] Quo vero, inquit, [e] habitet, ita considera. Deum rerum omnium principem, bonum esse, communis humanorum [f] conceptio probat animorum. Nam cum nihil Deo melius excogitari queat, id, quo melius nihil est, bonum esse quis dubitet? ita vero bonum esse Deum ratio demonstrat, ut perfectum quoque bonum in eo esse convincat. Nam ni tale sit, rerum omnium princeps esse non poterit : erit enim eo præstantius aliquid, perfectum possidens bonum, quod hoc prius, atque antiquius esse videatur : omnia namque perfecta [g] minus integris priora esse claruerunt, quare ne in infinitum ratio prodeat, confitendum est summum Deum, summi, perfectique boni esse plenissimum. Sed perfectum bonum veram esse beatitudinem constituimus. Veram igitur beatitudinem in summo Deo sitam esse, necesse est. Accipio, inquam [h], nec est quod contradici ullo modo queat. Sed quæso, inquit [i], te, vide quam id sancte

A atque inviolabiliter probes, [j] quod boni summi summum Deum diximus esse plenissimum. Quonam, inquam [k], modo? [2] Ne [l] hunc rerum omnium patrem illud summum bonum, quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter habere præsumas, quasi, habentis Dei, habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, præstantius id quod dederit, eo quod acceperit, existimare possis.

230 Sed hunc esse rerum omnium præcellentissimum, dignissime confitemur. Quod si natura quidem inest, sed est ratione diversum, cum de rerum principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit? Postremo quod a qualibet re diversum est, id non est illud, a quo intelligitur B esse diversum. Quare quod a summo bono diversum est sui natura, id summum bonum non est : quod nefas est de Deo cogitare, quo nihil constat esse præstantius. Omnino enim nullius rei natura suo principio melior poterit existere, quare quod omnium principium sit, id etiam [m] sui substantia summum esse bonum verissima ratione concluserim. Rectissime, inquam. Sed summum bonum beatitudinem esse concessum est. Ita est, inquam. Igitur, inquit, Deum esse ipsam beatitudinem, necesse est confiteri. Nec propositis, inquam, prioribus [n] refragari queo, et ab illis hoc illatum consequens esse perspicio. [3] Respice, inquit, an hinc quoque idem firmius

INTERPRETATIO.

[a] *Imperfectis.*
[b] *Debilia.*
[c] Felicitatem.
[d] Ego Boetius.
[e] *Cuinam rei insit illa felicitas, ait Philosophia.*
[f] *Notio Dei omnibus humanis mentibus insita.*
[g] *Imperfectis.*

C [h] Ego Boetius.
[i] Philosophia.
[j] *Deum habere rationem summi boni.*
[k] Ego Boetius.
[l] Inquit Philosophia.
[m] *Ratione sui.*
[n] *Adversari.*

NOTÆ.

strat, aliquod esse summum bonum : quia cum ex dictis constet summum bonum idem esse quod perfectum, si existat aliquod perfectum, necesse est, ut aliquod summum bonum existat : existere autem aliquod perfectum hac probatur demonstratione. Imperfectum in aliquo genere existere nequit, nisi in eodem genere aliquod perfectum existat : quandoquidem illud imperfectum nec dicitur, nec cogitatur, nec est nisi facta comparatione cum hoc perfecto, cujus illud dicatur cogiteturque *imminutio* et a quo *ceperit exordium.* Atqui in genere boni existit aliquod imperfectum : illud scilicet quod fragile est et caducum, de quo hactenus disputatum est.

[1] *Quo vero habitet.*] II. Philosophia demonstrat, hanc summi boni qualitatem, Dei esse : quoniam rerum omnium princeps rationem sive qualitatem summi boni habeat necesse est : alioquin erit aliquid eo melius, perfectius, prius, atque antiquius, adeoque ille non erit princeps. Atqui Deus est rerum omnium princeps : ut *communis humanorum conceptio probat animorum* : cum enim hæc conceptio nec de nihilo, nec a nihilo esse possit, si conceptio illa fuerit in omnibus mentibus humanis (ut revera esse unusquisque hujus conscius experitur), necesse est ut existat Deus, ille rerum omnium princeps, de quo et a quo sit illa *communis animorum humanorum conceptio.*

[2] *Ne hunc rerum omnium patrem.*] III. Philosophia demonstrat, hanc summi boni rationem sive qualitatem esse ab ipso Deo indistinctam : quia cum philosophiæ nefas sit judicare nisi præeuntibus notionibus, quas judicando inter se jungat aut separet, hæc non potest judicare rationem summi boni esse a Deo distinctam, nisi et summum bonum, et Deum, sua quemlibet seorsum notione, clare et distincte cogitare possit : ita ut vere cogitare possit summum bonum non esse Deum, et Deum non esse summum bonum; propterea enim eadem philosophia judicat mentem nostram esse distinctam a nostro corpore : ex quo sequeretur rationem summi boni, quam Deus haberet, D esse extrinsecus acceptam, adeoque esse aliquam Dei causam, quæ Deum et summi boni rationem inter se conjunxerit : non secus ac mens humana, qua corpus informatur, est extrinsecus accepta, agnoscitque aliquam sui causam, quæ mentem ipsam et corpus inter se conjunxerit. Atqui philosophia non potest summum bonum et Deum sua quemlibet seorsum notione clare et distincte cogitare : quandoquidem ut Deus, sic summum bonum cogitatur, *quo nihil constat esse præstantius, melius, prius.*

[3] *Respice an hinc quoque.*] IV. Philosophia demonstrat, aliquid non posse cum Deo communicare prædictam summi boni rationem, sive, quod idem est, non posse esse duo summa bona : quia ex jam dictis quod habet rationem summi boni, sive quod est summum bonum, illud perfectum sit, necesse est. Atqui fieri non potest ut sint duo absolute perfecta : cum perfectum absolute nec dici nec cogitari nec esse possit, nisi illud cui nihil deest : cumque ex duobus

approbetur, quod duo summa bona, quæ a se diversa sunt, esse non possunt. Etenim quæ discrepant bona, non esse alterum, quod sit alterum, liquet : quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse manifestum est : nullo modo igitur quæ summa sunt bona, ea possunt esse diversa. Atqui et beatitudinem, et Deum, summum bonum esse collegimus : quare ipsam necesse est summam esse beatitudinem, quæ sit summa Divinitas. Nihil, inquam, nec re hac verius, nec ratiocinatione firmius, nec Deo dignius concludi potest. **231** Super hæc, inquit, igitur veluti geometræ solent, demonstratis propositis, aliquid inferre, [1] quæ [a] πέρίσματα ipsi vocant, ita ego quoque tibi veluti corollarium dabo. [2] Nam quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo vero est ipsa Divinitas, Divinitatis adeptione fieri beatos, manifestum est. Sed uti justitiæ adeptione justi, sapientiæ sapientes fiunt, ita Divinitatem adeptos, deos fieri simili ratione necesse est. Omnis igitur beatus, Deus; sed natura quidem unus, participatione vero nihil prohibet esse quam plurimos. Et pulchrum, inquam, hoc, atque pretiosum, sive [b] περίσμα, sive corollarium vocari mavis. [3] Atqui hoc quoque pulchrius nihil est, quod his annectendum esse ratio persuadet. Quid? inquam. Cum multa, inquit, beatitudo continere videatur, utrumne hæc [c] omnia unum veluti corpus beatitudinis quadam partium varietate conjungant, an sit eorum aliquid, quod beatitudinis substantiam compleat, ad hoc vero cætera referantur? Vellem, inquam, id ipsarum rerum commemoratione patefaceres. Nonne, inquit, beatitudinem bonum esse cen-

A semus? Ac summum quidem, inquam. Addas, inquit hoc omnibus licet. Nam eadem sufficientia summa est, eadem summa potentia, reverentia quoque, claritas, et voluptas beatitudo esse judicatur. Quid igitur? Hæccine omnia, bonum, sufficientia, potentia, cæteraque veluti quædam beatitudinis membra sunt, an ad bonum, veluti ad verticem cuncta referuntur? Intelligo, inquam, quid investigandum proponas : sed quid constituas, audire desidero. Hujus rei discretionem sic accipe. Si hæc omnia beatitudinis membra forent, a se quoque invicem discreparent. Hæc est enim partium natura, ut unum corpus diversa componant. Atqui hæc omnia idem esse monstrata sunt. **232** Minime igitur membra sunt : alioquin ex
B uno membro beatitudo videbitur esse conjuncta, quod fieri nequit. Id quidem, inquam, dubium non est : sed id, quod restat, exspecto. Ad bonum vero cætera referri palam est. Idcirco enim sufficientia petitur, quoniam bonum esse judicatur; idcirco potentia quoniam id quoque esse creditur bonum. Idem de reverentia, claritudine, jucunditate, conjectare licet. Omnium igitur expetendorum summa atque causa bonum est. Quod enim neque re, neque similitudine ullum in se retinet bonum, id expeti nullo modo potest. Contraque etiam, [4] quæ natura bona non sunt, tamen si esse videantur, quasi vera bona sint, appetuntur. Quo fit, uti summa, cardo, atque causa expetendorum omnium, bonitas esse jure credatur. [5] Cujus vera causa quid expetitur, id maxime videtur
C optari. Veluti si salutis causa quispiam velit equitare, non tam equitandi motum desiderat, quam salutis effectum. Cum igitur omnia boni gratia petantur non illa potius quam bonum ipsum desideratur ab

INTERPRETATIO

[a] *Consectaria.*
[b] *Consectarium.*

[c] *An hæc omnia sint unum et unum*; *an potius unum pluribus modis se habens.*

NOTÆ.

summis bonis, si adessent alterutrum alteri deesset.

[1] *Quæ πορίσματα.*] V. Philosophia more geometriæ ex demonstratis quædam infert, quæ Græcis πορίσματα Latinis consectaria vocantur, sive etiam corollaria, quænam scilicet præter debitum data, Normanis *le repiquet.*

[2] *Nam quoniam*, etc.] Primum consectarium est, homines adeptione beatitudinis fieri deos : quod quidem sic infertur. Est Deus *natura;* est Deus *participatione.* Deus *natura*, est res summe perfecta : unde cum ex dictis non possit esse multiplex res summe perfecta, idcirco Deus *natura* ita unicus est, ut non possit esse multiplex. Deus vero *participatione* dicitur illa mens, quæ cogitatione divinæ simillima prædita est : sic ps. LXXXI : *Ego Dixi : dii estis et filii excelsi omnes.* Sic II Petr. I : *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Atque hoc modo beati fiunt dii : quoniam cogitatione divinæ simillima afficiuntur; qua quidem cogitatione dii fiunt *participatione:* sicut *justus, justitiæ, et sapiens, sapientiæ adeptione fit.*

[3] *Atqui hoc quoque*, etc.] Secundum consectarium est, hominem qui Dei adeptione beatus, adeoque Deus *participatione* est, divitiis, potentia, claritate et voluptate cumulari : quod sic infertur. Si divitiæ, potentia, et cætera id genus quædam essent summi boni *membra*, hæc possent ita a summo bono separari, ut summum bonum esse posset sine illis : ut enim partes sive membra, sua quælibet seorsum idea cogitari possunt, sic a se invicem separari et separatim conservari possunt : quemadmodum constat de mente et corpore, quæ sunt hominis partes : quin si hæc prædicta essent de genere modorum, sine quibus res, cujus sunt, potest existere : sicut corpus potest existere sine quiete; potest etiam summum bonum existere sine prædictis, adeoque non sequeretur eum qui frueretur
D summo bono, frui propterea prædictis : sed prædicta neque sunt *membra* summi boni; neque etiam modi, sine quibus esse possit summum bonum ; quandoquidem summum bonum ex dictis nec partes habet, nec modo afficitur, quo possit carere; alioqui non esset absolute perfectum : quare necesse est, ut qui summo bono fruitur, hic et voluptate, et claritate, et cæteris ejusmodi fruatur. Imo neque divitias neque alia ejusmodi expetimus nisi qua videntur habere rationem summi boni, sive beatitudinis.

[4] *Quæ natura bona non sunt.*] Quidquid ab homine expetitur, id aut reipsa aut specie saltem bonum est: unde aiunt philosophi *nec bonum qua bonum est, odio haberi, nec malum, qua malum amari.*

[5] *Cujus causa quid expetitur*, etc.] Hoc est axioma, quod a philosophis solet sic exprimi : *Propter quod unumquodque tale, illud magis tale est*; quod etiamsi in aliis forte causarum generibus fallere possit; in genere tamen finis, in quo genere nunc adhibetur. constat.

omnibus. Sed propter quod cætera optantur, beatitu- A dinem esse concessimus : quare sic quoque sola quæritur beatitudo. Ex quo [a] liquido apparet ipsius boni et beatitudinis unam atque eamdem esse substantiam. Nihil video cur dissentire quispiam possit. Sed Deum (20) veramque beatitudinem unum atque idem esse monstravimus. Ita, inquam. [b] Secure igitur concludere licet, Dei quoque in ipso bono, nec usquam alio, sitam esse substantiam,

233 METRUM * X.

ARGUMENTUM. — *Philosophia invitat homines perturbationibus obcæcatos ad prædictam summi boni notionem, quod hæc non solum sit tenebrarum expers, sed ipsa solis luce præstantior, et placidæ quietis parens.*

Huc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas habitans libido mentes.
234 Hic erit vobis requies laborum,
Hic portus placida manens quiete,
Hoc patens unum miseris asylum.
Non quidquid Tagus aureis arenis
Donat, aut Hermus rutilante ripa,
Aut Indus calido propinquus orbi,
Candidis miscens virides lapillos,
Illustrant aciem, magisque cæcos
In suas condunt animos tenebras.
Hoc quidquid placet, excitatque mentes,
Infimis tellus aluit cavernis.
235 Splendor, quo regitur vigetque cœlum,
Vitat obscuras animæ ruinas.

INTERPRETATIO.

a *Evidenter.*

b *Certo.*

Convenite huc omnes decepti, quos libido mendax, occupans mentes terrestres, constringit vinculis crudelibus. Hic quies laborum erit vobis : hic statio fruens tranquillitate perpetua : hoc unum refugium apertum B *miseris. Nec Tagus suis arenis aureis, nec Hermus* suo *littore rutilo, nec Indus, vicinus regioni calidæ* : suis *gemmis candidis viridibusque illuminant mentes, quin* eas *magis obcæcatas involvunt in suam caliginem. Terra nutrivit in* suis *antris inferioribus hæc corpora, quæ delectant commoventque animos.* At vero *lumen,*

NOTÆ.

* Carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quorum prior *Phaleucus* spondeum, dactylum, et tres coreos habet, posterior *Sapphicus* coreum, spondeum, dactylum, et duos coreos : nisi quod pro Sapphico, cujus erat alternare in secundo versu, repetitur Phaleucus. Corrigere fuisset facillimum, sed id forte neglexit auctor, quod uterque versus endecasyllabus est.

1. *Huc.*] Ad prædictam summi boni notionem.

1. *Omnes pariter venite capti.*] *Pariter* intelligi potest jungi vel cum verbo *venite*, ut significetur, *convenite* ; vel cum participio *capti*, ut significetur, *similiter decepti : captus* enim generatim is dicitur, qui in alterius potestate est : unde *captivus* : speciatim vero is est qui corpori suo morem gerens suis ducitur perturbationibus. Virg. IV Æneid., v. 194 :

> Regnorum immemores turpique cupidine captos.

Hinc *libido*, quæ merito dicitur *fallax*, perhibetur *ligare mentes terrenas improbis catenis. Libido*, inquam, quæ nihil est aliud quam cogitatio mentis motibus corporeis obsequentis, merito dicitur *fallax*, quia mentem a Deo, qui est prima veritas primaque bonitas, abducens in errorem vitiumque ducit. Eadem libido *ligat mentes improbis catenis ;* quia mentem impedit, quominus hæc ad summi boni, quod naturaliter cognoscit appetitque, adeptionem perveniat. At *mentes*, quas *libido habitat*, sive ut sæpius auctor noster loquitur, *hebetat*, sunt *terrenæ* ; quod terreno corpori obsequantur. I. Cor. XV : *Primus homo de terra, terrenus ; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus tales et terreni : et qualis cœlestis, tales et cœlestes.*

4. *Hic erit vobis* etc.] Evidens enim summi boni notio, utpote principium cum veritatis tum virtutis, mentem liberabit a procellis errorum, vitiorumque : unde erit *requies,partus, et asylum.*

7. *Tagus aureis arenis.*] Tagus est fluvius Lusitaniæ qui, in Celtiberis ortus, Lusitaniam dividit, et ultra Ulyssiponem, *Lisbonne*, in Oceanum prorumpit. Hic non secus ac Pactolus et Hermus aureas arenas fertur volvere : unde hic versus :

> Aurifer est amnis Tagus, et Pactolus et Hermus.

Juvenal. :

> Quod Tagus et rutila Pactolus volvit arena.

8. *Aut Hermus.*] Hermus est fluvius Minoris Asiæ, qui juxta Dorylaum Phrygiæ civitatem ortus, Pactoloque junctus Smyrnæ campos irrigat, tandemque in Phocaicum sinum illabitur. Hic etiam aureas arenas trahere fertur : unde Virg. II Georg., v. 137 :

> Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus.

9. *Aut Indus.*] Indus fluvius Orientis, qui Indiam ab occasu definiens, ei nomen dedit : hic autem fluvius, aut saltem tellus, cui nomen dedit, gemmis abundat : quamobrem Claudianus significaturus ve- C stem gemmis contextam carm. 8, v. 584, canit :

> Asperat Indus
> Velementa lapis.

Gemmæ porro aliæ sunt candidæ, aliæ virides, aliæ cæruleæ, aliæ alterius coloris, pro varia luminis modificati ratione : unde *Indus* hic dicitur *miscere virides lapillos candidis :* et Lucret. l. II :

> Interdum quodam sensu fit, uti videatur
> Inter cœruleum virides miscere smaragdos.

11. *Illustrant aciem.*] Nempe mentis.

11. *Magisque cæcos.*] Alludere videtur ad oculos, qui nimio auri, gemmæ, alteriusve corporis lucentis relucentisve splendore offunduntur, nec non inducta caligine aliquando excæcantur : aurum enim et gemmæ, quamvis multo splendore oculis videantur splendere, mentis nihilominus aciem non illustrant, imo potius inducta perturbationum caligine mentem ita excæcant, ut hanc in obscura terræ, unde hæc cor- D pora eruta sunt, viscera condere videantur ; quatenus mens horum amore capta nil nisi terram cogitat.

15. *Splendor.*] Summum bonum, sive Deus, qui ad Heb. I dicitur *Splendor gloriæ*, et Sap. VIII, *candor lucis æternæ.*

15. *Quo regitur vigetque cœlum.*] Deus enim non solum corpora, sed mentes omnes creat, conservat et regit. Speciatim vero cœlum viget regiturque motu, cujus Deus ita auctor est, ut hic non incipiat continueturque nisi statutis ab ipso Deo legibus.

16. *Vitat obscuras animæ ruinas.*] Mentis utpote immortalis nulla est ruina, quoad rem spectat, sed duntaxat quoad modum, nimirum cogitationem. Est autem cogitatio mentis ruina tum, cum mens a recta judicandi et eligendi norma recedens, in errorem et vitium labitur. Vitium mentis nullum sine errore, error nullus sine obscuritate ; quamobrem ruina men-

Hanc quisquis poterit notare lucem,
Candidos Phœbi radios negabit.

236 PROSA XI.

ARGUMENTUM. — *Postquam Philosophia proposuit bonum esse unum, quod omnia, suo quæque modo appetunt, eadem concludit rerum omnium finem esse bonum.*

Assentior, inquam. Cuncta enim firmissimis nexa rationibus constant. Tum illa : Quanti, inquit, æstimabis, si [1] bonum ipsum quid sit, agnoveris ? Infiniti, inquam : si quidem mihi pariter Deum quoque, qui bonum est, continget agnoscere. Atqui hoc verissima, inquit, ratione patefaciam, [a] maneant modo quæ paulo ante conclusa sunt. [b] Manebunt, inquam. Nonne, inquit, [2] monstravimus ea quæ appetuntur a pluribus, idcirco vera perfectaque [3] bona non esse, B quoniam a se invicem discreparent, cumque alteri abesset alterum, plenum, absolutumque bonum afferre non posse ? tum autem verum bonum fieri, cum in unum veluti formam, atque efficientiam colliguntur, ut quæ sufficientia est, eadem sit potentia, reverentia, claritas, atque jucunditas : nisi vero unum, atque idem omnia sint, nihil habere, quo inter expetenda numerentur? Demonstratum est, inquam, nec dubitari ullo modo potest. Quæ igitur, cum discrepant minime bona snnt ; cum vero unum esse cœperint, bona fiunt : nonne hæc ut bona sint, unitatis fieri adeptione contingit ? Ita, inquam, videtur. Sed omne quod bonum est, boni participatione bonum esse concedis, an minime ? Ita est [c]. Oportet igitur idem esse unum, atque bonum simili ratione concedas. **237** [4] Eadem namque substantia est eorum, quorum naturaliter non est diversus effectus. Negare, inquam, nequeo. [5] Nostine igitur, inquit, omne quod est, tam diu manere atque subsistere, quam diu sit unum ; sed interire atque dissolvi pariter, atque unum esse destiterit? Quonam modo? Ut in animalibus, inquit, cum in unum coeunt, ac permanent anima corpusque, id animal vocatur. Cum vero hæc unitas utriusque separatione dissolvitur, interire, nec jam esse animal liquet. Ipsum quoque corpus cum in una forma, membrorum conjunctione, permanet, humana visitur species. At si distributæ, segregatæque partes corporis distraxerint unitatem, desinit esse quod fuerat. Eoque modo percur-

INTERPRETATIO.

quo cœlum gubernatur et viget, cavet lapsus caliginosos mentis : quare : *quicunque valebit animadvertere hoc lumen, ille negabit radios solis* esse æque *puros.*

[a] *Si memor præteritorum, hæc concesseris.*
[b] *Hæc ita erunt.*
[c] *Quod bonum est, id bonitate afficitur.*

NOTÆ.

tis ita obscura est, ut ab hac Lux æterna Deus longius distare, hancque propterea vitare dicatur : unde C Deus efficit, ut quos illuminat, hi ejusmodi ruinam etiam vitent.

17. *Hanc quisquis poterit notare lucem.*] *Deum* qui est summum bonum.

18. *Candidos Phœbi radios negabit.*] Candor, color est omnium luci simillimus : hinc sive corpora sive mentes eo majori candore affici dicuntur, quo majori perfunduntur luce : sicut stella, scriptio, ipsa cogitatio, Horatio, Ciceroni, Ovidio dicitur modo magis, modo minus candida. Radii autem solares, quantumvis lucidi videantur: tantum nihilominus non lucent, quantum Deus, qui, I ad Tim. VI, *lucem inhabitat inaccessibilem.*

[1] *Bonum ipsum quid sit.*] Bonum simpliciter, de quo nunc agitur, est summum : id sufficiat dixisse semel pro toto isto capite.

[2] *Monstravimus.*] Prosa 9 hujus libri.

[3] *Bona non esse quoniam a se invicem discreparent.*] I. Philosophia proponit, bonum (quo nomine intelligit summum) esse unum hoc fere modo. Cum inter unum et multa nullum excogitari possit medium, necesse est ut summum bonum sit unum aut multiplex. Atqui summum bonum non potest, esse multiplex : idcirco enim probatum est divitias, potestatem et cætera ejusmodi non habere rationem summi boni, quia sunt multa.

[4] *Eadem substantia est quorum naturaliter non est diversus effectus.*] Non judicamus de causa nisi per ejusdem effectus : unde quorum non videmus diversos effectus, nullum argumentum habemus, quo judicemus hæc esse res diversas.

[5] *Nostine igitur, omne quod est.*] II. Philosophia proponit, omnia, suo quæque modo, summum bonum appetere, sic. Cum unum et bonum sint eadem substantia, quidquid appetit unum, illud etiam appetat bonum necesse est. Atqui omnia appetunt unum : siquidem appetunt esse ; ut videre est in animalibus, in plantis, in corporibus inanimatis. Quæ omnia tam clara proponuntur, ut explicatione nostra non indigeant. Moneo solum duplicem hic distinguendum esse appetitum ; voluntarium unum, alterum naturalem.

Appetitus voluntarius est ipsa mentis cognoscentis voluntas, cujus ita sumus conscii, docente ipso nostræ mentis voluntatisque auctore, majorem ut hujus intelligentiam a nullo homine accipere possimus. Talis est ille appetitus, quo volumus esse beati : talis est iste appetitus, *quo*, inquit nunc Philosophia, *sæpe mortem cogentibus causis quam natura reformidat, mens humana amplectitur; aut gignendi opus interdum coercet.* Sed ait Philosophia, *se nunc non de his voluntariis animæ cognoscentis motibus tractare.*

Appetitus autem naturalis, est instinctus rei etiam insciæ ad ipsius conservationem divinitus impressus. Primum quidem hic appetitus dicitur instinctus : est enim impulsio; et quælibet impulsio recte dicitur instinctus : cum instinctus dicatur ab *instigando*, hoc D ab *instando ;* quod qui instigat, hic instat et urget. Deinde idem appetitus est rei etiam insciæ ; quandoquidem in corporibus inanimatis, in quibus nulla potest esse cognitio, locum habet. Præterea hic appetitus divinitus impressus est : non secus ac voluntarius : Deus enim movet omnia. Denique idem appetitus est ad rei conservationem : *Dedit enim divina providentia*, ut hic dicitur, *creatis a se rebus hanc vel maximam manendi causam, ut quoad possunt, naturaliter manere desiderent.* Hoc appetitu, *ut quodam naturæ principio animalia manere amant.* Eodem *semper appetunt gignendi opus, quo solo mortalium rerum durat diuturnitas.* Hoc appetitu *acceptas escas sine cogitatione transigimus.* Eodem, *in somno spiritum ducimus nescientes.* Hoc denique appetitu *cuncta quæ sunt, appetunt naturaliter constantiam permanendi, devitant perniciem.* Sic in ove, viso lupo, spiritus a cerebro per nervos fluere soliti ad eas declinant ovis partes quæ ad fugam destinantur : in formica vero, viso frumento, iidem spiritus deturbantur ad eas formicæ partes, quæ ad capiendam dispositæ sunt.

renti cætera procul dubio patebit subsistere unumquodque, dum unum est: cum vero unum esse desinit, interire. Consideranti, inquam mihi plura, minime aliud videtur. Est ne igitur, inquit, quod in quantum naturaliter agat [a], relicta subsistendi appetentia, venire ad interitum, corruptionemque desideret? Si animalia, inquam, considerem, quæ habent aliquam volendi nolendique naturam, nihil invenio, quod [b], nullis extra cogentibus, adjiciat manendi intentionem, et ad interitum sponte festinet. Omne namque animal tueri salutem laborat : mortem vero perniciemque devitat. Sed **238** quid de herbis, arboribusque, quid de inanimatis omnino consentiam rebus, prorsus dubito. Atqui non est quod de hoc possis [c] ambigere, cum herbas atque arbores intuearis primum sibi convenientibus innasci locis, ubi quantum earum natura queat, cito exarescere. atque interire non possint. Nam aliæ quidem campis, aliæ montibus oriuntur, alias ferunt paludes, aliæ saxis hærent, aliarum fecundæ sunt steriles arenæ, quas si in alia quispiam loca transferre conetur, arescant. Sed dat cuique natura quod convenit, et, ne, dum manere possunt, intereant, elaborat. Quid dicam, quod omnes, velut in terras ore demerso, trahunt alimenta radicibus, ac per medullas robur, corticemque diffundunt? Quid, quod mollissimum quodque, sicuti medulla est, interiore semper sede reconditur, extra vero quadam ligni firmitate tegitur : ultimus autem cortex adversum cœli intemperiem, quasi [d] mali patiens defensor opponitur? Jam vero quanta est naturæ diligentia, ut cuncta semine multiplicato propagentur, quæ omnia non modo ad tempus manendi, verum generatim quoque, quasi in perpetuum permanendi, veluti quasdam machinas esse quis nesciat? Ea etiam quæ inanimata esse creduntur, nonne quod suum est, quæque simili ratione desiderant? Cur enim flammas quidem sursum levitas vehit, terras vero deorsum pondus deprimit, nisi quod hæc singulis loca, motionesque conveniunt? Porro autem quod cuique consentaneum est, id unumquodque conservat : sicuti ea quæ sunt inimica corrumpunt. Jam vero quæ dura sint, ut lapides, adhærent tenacissime partibus suis, et, ne facile dissolvantur, resistunt. Quæ vero liquentia **239** ut aer atque aqua, facile quidem dividentibus cedunt, sed cito in ea rursus a quibus sunt abscissa relabuntur. Ignis vero omnem refugit sectionem. Neque nunc nos de voluntariis animæ cognoscentis motibus, sed de naturali intentione tractamus. Sicuti est, quod exceptas escas sine cogitatione transigimus, quod in sommo [e] spiritum ducimus nescientes. Nam ne in animalibus quidem manendi amor ex animæ voluntatibus, verum ex naturæ principiis venit. Nam sæpe mortem cogentibus causis, quam natura reformidat, voluntas amplectitur : contraque illud quo solo mortalium rerum durat diuturnitas, gignendi opus, quod natura semper appetit, interdum coercet voluntas. Adeo hæc sui [f] caritas non ex animali motione, sed ex naturali intentione procedit. Dedit enim Providentia creatis a se rebus hanc vel maximam manendi causam, ut quoad possunt, naturaliter manere desiderent : quare nihil est quod ullo modo queas dubitare, cuncta, quæ sunt, appetere naturaliter constantiam permanendi, devitare perniciem. Confiteor, inquam, [g] nunc me indubitato cernere, quæ dudum incerta videbantur. Quod autem, inquit, subsistere ac permanere appetit, id unum esse desiderat, hoc enim sublato, ne esse quidem cuiquam pemanebit. Verum est, inquam. Omnia igitur, inquit, unum desiderant. Consensi. Sed unum idipsum monstravimus esse, quod bonum est. Ita quidem. Cuncta igitur bonum petunt: quod quidem ita describas licet, ipsum bonum esse, quod desideretur ab omnibus. [1] Nihil, inquam, verius excogitari potest. Nam vel ad nihilum cuncta referuntur, et uno, veluti vertice destituta, sine rectore, fluitabunt, aut si quid est, ad quod universa festinent, id erit omnium summum bonorum. Et illa, Nimium inquit, o alumne, lætor : ipsam enim [2] mediæ [h] veritatis notam mente fixisti : sed in hoc patuit tibi, quod ignorare te paulo ante dicebas. Quid? inquam. **240** Quis esset, inquit, [3] rerum omnium finis? Id est enim profecto, quod desideratur ab omnibus : quod quia bonum esse collegimus, oportet, rerum omnium finem bonum esse fateamur.

INTERPRETATIO.

[a] *Fugata suæ conservationis appetitione.*
[b] *Absque ulla causarum exteriorum vi atque violentia.*
[c] *Dubitare.*
[d] *Validius resistens.*
[e] *Respiramus.*
[f] *Amor erga semetipsum.*
[g] *Me jam animadvertere tam evidentur, ea de quibus antea dubitabam, ut de his non possim amplius dubitare.*
[h] *Manifestæ.*

NOTÆ.

[1] *Nihil verius.*] Nam prædictus naturalis appetitus vel est a nihilo, vel est ab aliquo summo rectore, ad quem propterea veluti ad primum principium et ultimum finem revocandus est. Atqui fieri non potest ut iste appetitus sit a nihilo : siquidem nihilum non potest esse ullius rei causa.

[2] *Mediæ veritatis.*] *Manifeste* : sic enim, interprete Servio. Virgil. II Æneid., v. 533 :

Hic Priamus quanquam in media jam morte tenetur.

[3] *Rerum omnium finis.*] III. Philosophia concludit rerum omnium finem esse bonum et quidem summum : quia quod ab omnibus rebus desideratur id rerum omnium finis est. Atqui ex dictis summum bonum ab omnibus rebus desideratur.

241 METRUM * XI.

ARGUMENTUM. — *Philosophus, inquit Philosophia, unam attentius, consideret mentem : huic quippe lumen ingenitum, quod, magistro docente, summæ etiam veritatis possit esse principium.*

Quisquis profunda mente vestigat verum,
Cupitque nullis ille deviis falli,
In se revolvat intimi lucem visus,
A **242** Longosque in orbem cogat inflectens motus,
Animumque doceat, quidquid extra molitur,
Suis retrusum possidere thesauris :
Dudum quod atra texit erroris nubes,
Lucebit ipso perspicacius Phœbo.
Non omne namque mente depulit lumen.
243 Obliviosam corpus invehens molem.
Hæret profecto semen introrsum veri,

INTERPRETATIO.

Qui inquirit veritatem alto animo, idemque optat nullis decipi erroribus, hic *revocet lumen interioris aspectus ad suam* mentem, *et convertens cogitationum longam* seriem *disponat in circuitum, et instruat mentem habere reconditum in suis thesauris id omne, quod extra* se *quærit : tum quod jam pridem caligo nigra erroris velavit, id clarius ipso sole fulgebit. Nam corpus,* quamvis *machina oblivionis parens, non fugavit ex animo omnem lucem. Certe semen veritatis intus manet, quod diffunditur, agente magistro. Qnomodo enim in-*

NOTÆ.

* Quod dicitur *iambicum.* Carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet sex pedes habet, sæpe imparibus locis spondeum, paribus iambum.

1. *Quisquis.*] *Philosophus* : nam philosophus, spectata nominis interpretatione, is appellatur qui *tota mente vestigat verum,* sapientiæ studiosus. Nimirum inquit Tullius v Tusc., *Phythagoræ ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quæsivit ex eo, qua maxime arte confideret? Ille artem quidem se scire nullam respondit, sed esse philosophum... raros esse quosdam, qui cœteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur, hos se appellare sapientiæ studiosos id est enim, philosophos.*

1. *Profunda mente.*] Profundum dicitur primum quidem de corpore cujus porro fundus dimensionem terminat : sic profundum pelagus dicimus. Deinde vero propter quamdam similitudinem de ipsa mente, cujus cogitatio penetrans est : sic consilium vocatur profundum a Quintil., decl. 2.

1. *Vestigat verum*]. Verum sive veritas duplicis est generis, nempe res, et modus. Res vera est extra, modus verus est intra mentem : unde posterius hoc verum sive veritas definiri potest cogitatio mentis recte percipientis aut judicantis. Agitur autem hic de hoc posteriori vero; unde statim dicitur vers. 6 *Animum id suis retrusum possidere thesauris.*

3. *In se revolvat,* etc.] Suam mentem inspiciat : mens enim humana in his quæ naturali lumine cognoscenda sunt, nullum potest habere judicium verum certumque (quod nunc dicitur verum investigandum) nisi præeunte et regente evidentia quæ nihil est aliud quam cognitio clara et distincta : evidentia autem hæc non ante haberi potest, quam mens seipsam cognoverit : unde illud, nosce teipsum, de quo jam locuti sumus.

4. *Longosque in orbem,* etc.] Habeat cogitationem cogitationis, ipsiusque secundæ cogitationis tertiam cogitationem, et sic deinceps, ita ut fiat veluti circuitus cogitationum : hac enim solum ratione præcipitatio et præjudicium, duo veritatis inveniendæ impedimenta, vitari possunt.

5. *Animumque doceat.*] Animum docere proprie solius Dei est, a quo animus conditus conservatusque primum informatur : frequenti tamen meditatione mens humana suas cogitationes attentius cogitans, ipsum etiam animum eo putatur docere, quod, mente veluti Deum interrogante, Deoque eidem respondente, naturale lumen sic diffundatur, ut quod ante latebat, id fugata caligine animadvertatur. Inter alia autem mens nostra, attenta hac suarum cogitationum meditatione, docetur, se in se possidere thesaurum, quem extra se invenire tentabat : unde additur

5 et 6. *Quidqnid extra molitur suis retrusum possidere thesauris.*] *Molior* dicitur a *mole* : *moles* forte a μοχλέυειν, *vectibus submovere* : quare quidquid majori sive corporis sive mentis virtute agimus, illud dicimur *moliri :* sic corpore iter, mente insidias ; utroque arcem dicimur *moliri.* Mens ergo extra se tum B intelligitur moliri verum, cum spretis suis cogitationibus, subjectam ipsis cogitationibus materiam considerat attentius : quod quidem vitium non est : cum nostra cogitatio, ut pote quæ non est nihili, a rebus exterioribus pendeat, velut effectus a causa, nec vitiosum sit, cognoscendi effecti gratia, causam considerare. Verum cum plura esse possint in causa, quam in effecto, nihil vero in effecto, quod non sit in causa, propterea mens humana, inveniendo veritatem, melius suas cogitationes, quam subjectam cogitationum materiam primum contemplabitur : sicque in se, sive suis in thesauris cognoscet, se possidere, quod extra se reperire tentabat : sic inveniet evidentiam sive claram distinctamque cogitationem, qua inventa non solum *atram nubem,* hoc est ignorantiam, erroris causam, fugabit, sed ipsum etiam errorem vitabit. Nimirum.

9. *Non omne mente depulit lumen corpus.*] Homo C non est sola mens, neque solum corpus; sed compositio mentis et corporis in sese invicem agentium . hinc corpus sua in mentem actione innatum ipsius mentis lumen non exstinguit quidem sed offundit. Non exstinguit, inquam : ut enim Deus, hujus luminis naturalis auctor, constantissimus est, sic lumen illud tandiu, quandiu mens durabit, duraturum perpetuum est. At offundit : *Corpus enim quod corrumpitur* Sapientiæ IX, *aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimi sensum multa cogitantem* : hinc corpus nunc dicitur.

10. *Obliviosam invehens molem.*] Cujus propositionis explicandæ duplex est modus : alter Platonicus et falsus : alter philosophicus et verus. Platonici quidem existimarunt, omnes hominum mentes, antequam hæ cum corporibus conjungerentur, conditas fuisse, omnique doctrinarum genere instructas : sed propter aliquod suum crimen in corpora immissas D infelici commercio omnia, veluti hausto oblivionis poculo, oblitas fuisse, ita ut et corpus oblivionis causa, et mens ipsa deinceps addiscens reminisci dicatur : sed sententia hæc falsa est cum mens humana non prius creata, quam ipsius corporis forma fuerit. Philosophi vero, saltem ii qui præjudiciis non ducuntur, putant, mentem humanam inter Deum, cujus ipsa est effectus, et corpus, cujus eadem est forma, mediam a Deo quidem statim ab ortu optimis informari cognitionibus affectibusque de summo bono, sed a corpore adversis cogitationibus ita turbari, his ut ille aut pellantur aut saltem obscurentur : tamen.

11. *Hæret semen introrsum veri.*] Semen, illud dicitur ex quo insito aliquid fit: quare semen veri, introrsum sive intra nostram mentem existens, nihil est aliud quam cogitatio, ex qua insita fit verum judicium : cogitatio autem illa est notio; siquidem judicium verum non fit nisi ex præeuntibus notionibus : quamobrem si non obstante impetu corporis, in mente nostra supersit semper aliqua notio sive idea, *hæret profecto semen introrsum veri :* at ejusmodi notio semper superest, ea saltem quam ab ortu divi-

Quod excitatur ventilante doctrina,
Nam cur rogati sponte recta censetis,
Ni mersus alto viveret fomes corde?
244 Quod si Platonis Musa personat verum
Quod quisque discit, immemor recordatur.

245 PROSA XII.

ARGUMENTUM. — *Philosophia prænotione Boetii utens, Boetium veluti memorem docet, Deum tanta bonitate et potentia mundum regere, ut omnia, dempto peccato, quod nihil est, ad Deum, facto quodam circuitu, sponte convertantur, nec sit aliquid quod summo huic bono vel velit vel possit obsistere.*

Tum ego, [1] Platoni [a], inquam, vehementer assentior: nam me [2] horum [b] jam secundo commemoras. Primum, quod memoriam corporea contagione, dehinc cum mœroris mole pressus, amisi. Tum illa, Si superiora, inquit, concessa respicias, ne illud quidem longius aberit, quin recorderis, quod te dudum nescire confessus es. Quid? inquam. Quibus ait illa, gubernaculis mundus regatur. Memini, **246** inquam, me inscitiam meam fuisse confessum; sed quid afferas, licet jam prospiciam, planius tamen ex te audire desidero. Mundum hunc, inquit, a Deo regi paulo
A ante minime dubitandum putabas. Ne nunc quidem arbitror, inquam; nec unquam dubitandum putabo, quibusque in hoc rationibus accedam, breviter exponam. [3] Mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset qui tam diversa conjungeret; conjuncta vero naturarum ipsa diversitas, invicem discors, dissociaret atque divelleret; nisi unus esset qui quod nexuit, contineret. Non tam vero certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset qui has mutationum varietates manens ipse disponeret. Hoc quidquid est, quo condita manent atque agitantur, usitato cunctis vocabulo Deum nomino. Tum illa, Cum hæc, inquit,
B ita sentias, parvam tibi restaret operam puto, ut felicitatis compos, patriam [c] sospes revisas: sed quæ proposuimus, intueamur. [4] Nonne in beatitudine sufficientiam numeravimus, Deumque beatitudinem ipsam esse concessimus? Ita quidem. Et ad mundum igitur, inquit, regendum nullis extrinsecus adminiculis indigebit: alioquin si quo egeat, plenam sufficientiam non habebit. Id, inquam, ita est neces-

INTERPRETATIO.

terrogati recte responderetis proprio marte, nisi fomes veritatis *menti profundæ insitus vigeret? Quod si Musa Platonis dicit verum*: *quod unusquisque addiscit*, hujus *reminiscitur* ante *oblitus*.

[a] Citato versu 15 metri superioris.
[b] *Hæc iterum in meam memoriam revocas.*
[c] *Incolumis.*

NOTÆ.

nitus accepimus, ab eo et de eo *quod est;* nimirum Deo: hinc *rerum* judicium *excitatur ventilante doctrina*, quatenus, Magistro monente, naturale illud lumen instar ignis aura commoti, paulo longius diffunditur. Seneca ep. 94: *Omnium enim honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur, non aliter quam scintilla flatu levi adjuta ignem suum explicat.*

13. *Cur rogati*, etc.] Cur quicunque litteris operam non dedistis, interrogati de iis quæ vulgo vocantur *axiomata*, ut *an totum sit sua parte majus*: *an alteri faciendum quod tibi fieri non vis?* recte responderetis? sic Socrates et Plato feruntur, pueros de mathematicis interrogasse, quibus pueri, ceu periti, responderint.

14. *Ni mersus*, etc.] Nisi in mente ipsa quædam præesset notio, quæ sit veluti fomes et materia hujus veri rectique judicii: quod enim in mente ejus, qui cæcus natus est, nulla præsit talis colorum notio sive idea, idcirco frustra ejusmodi cæcum docebis frustraque interrogabis de coloribus, nunquam verum rectumque de his feret judicium. Propterea logici docent, in omni methodo semper fieri progressum a notioribus ad minus nota.

15. *Platonis musa.*] Non approbat quidem Philosophia sententiam Platonis, in hoc quod docuerit, mentes humanas conditas fuisse, antequam hæ conjunctæ fuerint cum corporibus: siquidem id naturali lumine cognosci non posse videtur: sed in hoc quod putaverit, cognitionem philosophicam ita ab innata oriri, ut philosophica nihil aliud sit quam modus innatæ, sive innata modificata: quemadmodum appetitio libera divitiarum, nihil aliud est quam modus necessariæ appetitionis circa bonum generatim. Propterea

[1] *Platoni vehementer assentior.*] Prædicta Platonis sententia de recordatione in duobus versatur. Alterum est mentes humanas, antequam hæ corporibus jungerentur, fuisse conditas et rerum omnium doctrina præditas: sicut Aristoteles ait II de Gen. Alterum, easdem mentes propter suum cum corpore commercium præteritæ suæ doctrinæ oblitas fuisse, donec
C suo magistrorumque labore discentes antiquæ suæ eruditionis veluti memores recordarentur. Primum quibusdam etiam Christianis placuit, ut Origeni: sed refutatur cum epist. Leonis 1 ad Turibium Asturicensem episcopum, tum concil. Bracharensi I, c. 6. Alterum vero a Boetio potuit approbari, quatenus mens humana in omni methodo semper a notioribus ad minus nota progreditur, ita ut quæcunque notio recens habeatur, illa sit alicujus prænotionis modus: quemadmodum quælibet nova appetitio prioris semper est appetitionis modus. Et certe cum cogitatio sit ipsa mentis humanæ vita, cumque mens eadem non potuerit creari nisi vitæ particeps, consequens videtur mentem humanam a primo suo ortu prædictis cogitationibus, generali scilicet notione et appetitione summi boni, affectam fuisse.

[2] *Horum commemoras.*] Quasi dicat; *horum memoriam commemoras*: hac enim duntaxat lege verba
D recordationis grammaticis dicuntur *genitivum* regere.

[3] *Mundus hic.*] I. Boetius probat mundum a Deo regi hoc argumento, Cum contrariorum aut nullus, aut brevis, aut saltem inæquabilis esse debeat concursus, si mundus sit perpetuus æquabilisque contrariorum concursus, ut revera est, necesse est ut mundus regatur a Deo, a quo illa contraria conjungantur, conjuncta contineantur, contentaque suis quælibet officiis donentur.

[4] *Nonne in beatitudine.*] II. Philosophia utens prænotione Boetii ipsum Boetium docet, *bonitatem esse veluti clavum atque gubernaculum quo mundana machina* regatur: sic autem videtur argumentari. Cum summum bonum, utpote sibi sufficiens, alieno præsidio non indigeat ad aliquid moliendum, cumque Deus sit summum bonum, Deus alienæ opis non indigus, per se solum adeoque per suam bonitatem faciat necesse est, quod ab ipso fit. Si ergo mundus a Deo regatur, ut regi fateris, mundus divina bonitate regatur necesse est.

sarium. Per se igitur solum cuncta disponit. Negari, inquam, nequit. Atqui Deus ipsum bonum esse monstratus est. Memini, inquam. Per bonum igitur cuncta disponit: si quidem per se regit omnia, quem bonum esse concessimus; et hic est veluti quidem clavus atque gubernaculum, quo mundana machina stabilis atque incorrupta servatur. Vehementer assentior, inquam, et id te paulo ante dicturam, tenui licet suspicione, prospexi. Credo, inquit: jam enim, ut arbitror, vigilantius ad cernenda vera oculos [a] deducis: sed quod dicam non minus ad [b] contuendum patet. Quid? inquam. **247** [1] Cum Deus, inquit, omnia bonitatis clavo gubernare jure credatur, eademque omnia, sicuti docui, ad bonum naturali intentione festinent, num dubitari potest, quin voluntarie regantur, seque ad disponentis [c] nutum, veluti convenientia, contemperataque rectori, sponte convertant? Ita, inquam, necesse est: nec beatum regimen esse videretur; siquidem detrectantium jugum foret, non obtemperantium salus. Nihil est igitur, quod naturam servans, Deo [d] contraire conetur. Nihil, inquam. [2] Quid si conetur, ait, num tandem proficiet quidquam adversus eum, quem [e] jure beatitudinis potentissimnm esse concessimus? Prorsus, inquam, nihil valeret. Non est igitur aliquid quod summo huic bono vel velit vel possit obsistere. Non, inquam, arbitror. Est igitur, inquit, summum bonum, quod regit cuncta fortiter, suaviterque disponit [f]. Tum ego, Quam, inquam, me non modo ea, quæ conclusa est, summa rationum, verum multo magis hæc ipsa verba [g], quibus uteris, delectant, ut tandem aliquando stultitiam magna latrantem sui pudeat. Accepisti, inquit, in fabulis lacessenteis cœlum [3] Gigantes: sed illos quoque, uti condignum fuit, benigna fortitudo [h] deposuit. Sed visne rationes ipsas invicem collidamus? forsitan ex hujusmodi conflictatione [i] pulchra quædam veritatis scintilla **248** dissiliet. [j] Tuo, inquam, arbitratu. Deum, inquit, esse [k] omnium potentem nemo dubitaverit. [l] Qui quidem, inquam, mente consistat, nullus prorsus ambigat. Qui vero est, inquit, omnium potens, nihil est quod ille non possit. Nihil, inquam. Num igitur Deus facere malum potest? Minime, inquam. [4] Malum igitur, inquit, nihil est, cum id facere ille non possit, qui nihil non potest. Ludisne, inquam, me, [5] inextricabilem labyrinthum rationibus texens, quo nunc quidem, qua egrediaris, introeas; nunc vero qua introieris, egrediare: an mirabilem quemdam divinæ simplicitatis orbem complicas? Etenim paulo ante a beatitudine incipiens, eam

INTERPRETATIO.

a Mentis.
b *Prospici potest.*
c *Voluntatem.*
d *Adversari.*
e *Quia beatitudo est.*
f Ut dicitur Sapientiæ VIII.
g Utpote sacri textus.
h *Deturbavit.*
i Velut ex mutuo corporum duriorum attritu.
j *Ut volueris.*
k *Omnipotentem.*
l *Hac de re nemo mente præditus dubitabit.*

NOTÆ.

[1] *Cum Deus omnia bonitatis clavo.*] Ex prædicta propositione infert Philosophia, omnia voluntarie et sponte regi: quia quæcunque summo bono sive bonitate reguntur, hæc voluntarie et sponte reguntur: *cum omnia ad bonum naturali intentione festinent.* Sed omnia summo bono sive bonitate reguntur: siquidem Deus, a quo omnia reguntur, et summum bonum sunt una eademque res.

[2] *Quid si conetur.*] Quin etiam quod summum bonum sit *potentissimum*, quodque omnia summo bono regantur, propterea omnia etiam summa potestate reguntur: adeoque, ut *nihil est quod velit, nihil etiam est quod possit obsistere* Deo rectori, sive *summo huic bono.* Hinc illud Sapientiæ VIII: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*: quæ verba nunc retulit Philosophia, estque unica sacri textus auctoritas, quam in toto hoc opere adhibuerit disertis verbis. Nec mirum: Philosophia, enim lumine duntaxat naturali nititur: quanquam Boetium hæc Sapientiæ, *Verba delectant, ut tandem aliquando stultitiam magna latrantem sui pudeat*: stultitia enim non instar sapientiæ, quidquid illa jactitet, *attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter*:

[3] *Gigantes*] Fabulantur Gigantes homines fuisse ab irata tellure procreatos in deorum perniciem; hinc eo usque crevisse feruntur, ut congestis montibus cœlum armis invadere tentaverint, Jovemque et superos de suis sedibus deturbare. Sed addunt hos in campis Phlegræis cum diis congressos partim Jovis fulmine, partim Apollinis et Dianæ telis confixos cecidisse, aliosque sub Ætna monte, alios sub Mycone et Lycopara insulis sepultos esse: nonnullos etiam in Tartarum detrusos impietatis suæ pœnas luere. Ovid. I Metam.:

Neve foret terris securior arduus æther
Affectasse ferunt regnum cœleste Gigantes
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.

Vide si placet Claudiani Gigantomachiam cum notis doctissimi Pyrrhonis, qui ut in omnibus ingenuis artibus, sic in Poetica ita versatus est, ut de quacunque re nata tam stricta quam soluta oratione dicere semper sit paratissimus; dignissimus propterea, cui, ad usum serenissimi Delphini, cura explicandi Claudiani fuerit commissa.

[4] *Malum nihil est.*] III. Philosophia addit, malum nihil esse quod Deus, qui hic dicitur mens omnipotens, malum facere non possit. Scilicet philosophis distinguitur materia et forma mali. Materia est ipsa voluntas sive potius mens volens, quæ certe aliquid est: forma vero, uti loquuntur, est *privatio* sive *negatio*; hoc est ipsa voluntas quatenus non tendit ad Deum, ad quem debet tendere. *Nemo ergo*, inquit S. Aug. l. XII de Civ. Dei, cap. 7, *quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est sed defectio, deficere namque ab eo quod summe est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porro defectionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire, tale est ac si quispiam velit videre tenebras vel audire silentium.*

[5] *Inextricabilem labyrinthum.*] *Labyrinthus* locus est tantis viarum ambagibus inflexus, ut altera alteram excipiente, ingressus egredi nescias: unde vocatur *inextricabilis*, quod in eum si quis improperet, sine glomere lini exitum invenire nequeat. Similitudine autem hinc accepta, oratio aut quælibet alia res, unde sese expedire sit difficillimum, vocari solet, ut nunc oratio philosophica vocatur, *labyrinthus inextricabilis.*

summum bonum esse dicebas, quam in summo Deo sitam loquebare : ipsum quoque Deum summum esse bonum, plenamque beatitudinem disserebas : ex quo neminem beatum fore, nisi qui pariter Deus esset, quasi munusculum dabas. Rursus ipsam boni formam, Dei ac beatitudinis (15) loquebaris esse substantiam : ipsumque unum id ipsum esse bonum dicebas, quod ab omni rerum natura peteretur : Deum quoque bonitatis gubernaculis universitatem regere disputabas, volentiaque cuncta [a] parere, nec ullam mali esse naturam : atque hæc nullis extrinsecus sumptis, sed altero [b] ex altero fidem trahente, insitis, domesticisque probationibus **249** explicabas. Tum illa, Minime, inquit, ludimus; remque omnium maximam Dei munere, quem dudum deprecabamur, exegimus. Ea est enim divinæ forma substantiæ, ut neque in externa dilabatur, nec in se externum aliquid ipsa suscipiat; sed, sicut de ea Parmenides (5) ait : [1] *Πάντοθεν* [c] *εὐκύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ*, rerum orbem mobilem rotat, dum se immobilem ipsa conservat. Quodsi rationes quoque non extra petitas, sed intra rei, quam tractabamus, ambitum collocatas agitavimus, nihil est quod admirere, cum Platone [d] sanciente didiceris, cognatos, de quibus loquimur, rebus oportere (10) esse sermones.

250 METRUM * XII.

ARGUMENTUM. — *Quam primum habes summi boni notitiam felix, inquit Philosophia, hanc infelix amittis, inspecta terra : sicut Orpheus, conversis ad inferos luminibus, conjugem carmine emptam perdidit.*

Felix, qui potuit boni
Fontem visere lucidum :
Felix, qui potuit gravis
Terræ solvere vincula.
251 Quondam funera conjugis
Vates Threicius gemens,
Postquam flebilibus modis
Silvas currere mobiles,
Amnes stare coegerat,
Junxitque intrepidum latus
Sævis cerva leonibus,
Nec visum timuit lepus
Jam cantu placidum canem,
Cum flagrantior intima
Fervor pectoris ureret,
Nec qui cuncta subegerant,
Mulcerent dominum modi,

INTERPRETATIO.

a *Obedire.*

b *Alterum probante.*

c *Divinum numen est simile moli sphæræ undique rotundæ.*

d *In Timæo, ubi* sermones, *inquit,* iis rebus, quarum nuntii et interpretes sunt, cognatione atque affinitate quadam conveniant.

Ille est *felix qui potuit videre fontem luminosum boni, felix* item *qui potuit* se *expedire a laqueis corporis ponderosi. Olim* Orpheus, *poeta Thracius, deflens mortem* suæ *uxoris, postquam carmine tristi coegit arbores motas currere,* et *flumina stare* immota; postquam eodem carmine *cerva sociavit leonibus diris latus* suum *impavidum, neque lepus metuit canem aspectum,*

NOTÆ.

[1] Πάντοθεν, etc.] Hoc est, *divinum numen est simile moli sphæræ undique rotundæ;* ut sicut huic spheræ, sic Deo nihil possit addi vel detrahi, illæsa ejus natura, et idea.

* Quod dicitur *Glyconium.* Carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet spondeum et duos dactylos habet.

1 et 2. *Felix qui potuit boni fontem visere lucidum.*] Id est, *Deum.* Primum enim Deus est *fons boni* : quandoquidem ex dictis Deus est summum bonum. Deinde fons ille boni Deus, est *lucidus* sive lumen emittens : Deus enim non cognoscitur nisi lumine, quod Deus ipse menti cognoscenti dederit. Postremo *felix* est, qui notione Dei præditus est : quia notio illa Dei aut felicitas est aut saltem origo cujuscunque cogitationis, in qua felicitas versari possit : cum felicitas sit cogitatio mentis Deo sive summo bono constanter adhærentis : unde

3 et 4. *Felix qui potuit gravis terræ solvere vincula.*] Id est *corporis humani.* Primum enim corpus humanum *terra* est, quod ex terra tanquam ex sua materia factum fuerit, Eccli. x, *Quid superbit terra et cinis?* Deinde idem corpus est *grave*, quod suo pondere mentem ad ima deprimat, Sapientiæ IX, *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Præterea sua sunt corporis istius vincula, quibus mentem constringat, videlicet perturbationes, ad Roman. VII, *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Denique nemo ante felix, quam hæc vincula solverit : siquidem prædicta Dei cogitatio, in qua felicitas versatur, his vinculis veluti totidem contrariis impeditur, Sapientiæ IX : *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

6. *Vates Threicius.*] *Orpheus Thrax.* Hic Apollinis et Calliopes filius, lyram a patre Apolline, aut a Mercurio acceptam ita suaviter impellebat, illius ut cantus silvas et saxa movere; fluminum cursum inhibere; ferasque reddere mitiores dictus fuerit. Euridicen habuit uxorem, quæ cum Aristæum illius amore captum per avia fugeret, serpentis morsu læsa interiit, quod maritus ægerrime ferens inferos adiit, infernosque tyrannos suo carmine ita demulsit, ut illi uxorem reddiderint, ea tamen lege, ut Orpheus non prius intueretur uxorem, quam ad superos rediissent : quam legem cum Orpheus nimio amore correptus non observasset, Euridice iterum mortua ad inferos rediit. Hæc fabula nunc eleganter describitur : sed a Virgilio prius descripta fuerat IV Georg., v. 454 et seqq. Hic Orpheus dicitur suis carminibus vicisse primum corpora, deinde mentes : corpora quidem tam inanimata, quorum quietem motu, et motum quiete mutavit, quam animata, nimirum bestias, quibus ut crudelibus mansuetudinem, sic timidis inspiravit generositatem; mentes vero infernas.

16. *Nec qui cuncta subegerant, mulcerent dominum modi.*] Hoc est : carmina quæ omnia vicerant, non vincebant ipsum Orpheum horum carminum auctorem : sive quia major erat illius dolor, sive etiam quia, ut loquuntur philosophi : *Ab assuetis non fit passio.* Scilicet nullum corpus sentimus, nisi quatenus hoc, organum sensiferum, vel potius quasdam hujus organi particulas movet. Corpora autem, quæ rarius sensui objiciuntur, hanc prædicto organo mutationem inferre possunt : quæ vero sensui sunt obvia, hæc organi ejusdem particulas a primo concursu, eo omni quo potuerunt, modo ita mutavere, ut solas resistentes, quarum ope nequaquam sentimus, particulas reliquerint : hinc nativum cordis nostri calorem, nostrique corporis, imo et vestis consuetæ pondus sensu non percipimus.

252 Immiteis superos querens,
Infernas adiit domos.
Illic blanda sonantibus
Chordis carmina temperans,
Quidquid præcipuis deæ
Matris fontibus hauserat,
Quod luctus dabat impotens,
Quod luctum geminans amor,
Deflet, Tænara commovens,
Et dulci veniam prece
253 Umbrarum dominos rogat.
Stupet tergeminus novo
Captus carmine janitor.
Quæ sontes agitant metu
Ultrices scelerum deæ
Jam mœstæ lacrymis madent.
Non Ixionium caput
Velox præcipitat rota,
Et longa site perditus
Spernit flumina Tantalus,
Vultur dum satur est modis,
Non traxit Tityi jecur.
254 Tandem, vincimur, arbiter
Umbrarum miserans ait :

INTERPRETATIO.

tunc placatum eodem *carmine, cum flamma* amoris *ardentior consumeret interiora præcordia* hujus vatis, *nec carmina, quæ vicerant omnia, pacarent auctorem* suum hic, *questus superos crudeles, penetravit ædes infernas. Illic componens cantus* suos *cum fidibus* citharæ *blandæ sonantibus promit gemens quidquid hauserat ex fontibus præstantibus divinæ* Calliopes suæ *matris*, et *quidquid dolor effrenatus amorque dolorem duplicans suppeditabat, excitans aditum inferorum, oratuque suavi poscit veniam a principibus tenebrarum.* Tum Cerberus *ostiarius triceps, captus cantu inaudito admiratur. Deæ vindices criminum, quæ timore concutiunt nocentes, tristes hument fletibus. Rota præceps non rapit caput Ixionis, Tantalusque siti longa confectus temnit aquas. Vultur carmine satiatus non laniavit jecur Tityi. Denique tyrannus inferorum misertus dixit* : *superamur*: *damus marito sociam uxorem acquisitam* suo *cantu* : *at conditio restringat munera* ; *ne* scilicet *liceat* illi *con-*

NOTÆ.

18 et 19. *Immites superos querens infernas adiit domos.* Poetæ ponunt duplex genus deorum, superos scilicet et inferos, quorum si priores videant inexorabiles, ad posteriores confugiunt. Virg. VII Æneid. v. 312 :

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

ita finxit hic vates : sed ad majorem sequentium intelligentiam, necesse est novisse quomodo inferi describantur a poetis : sic autem describuntur a Virgilio, VI Æn., v. 273, 1° ante ipsum inferorum vestibulum et in primo aditu luctus et curæ vindices jacent, habitantque morbi, senectus, metus, fames, egestas, mors, labor, somnus frater mortis, mala mentis gaudia, bellum, furiæ et discordia; 2° in medio eorumdem vestibulo ulmus magna et umbrosa explicat ramos et frondes, sub quibus inania sunt somnia; 3° ad portas eorumdem stabulant Centauri, Scyllæ biformes, Briareus centum manibus instructus, Hydra Lernæ bellua, Chimæra ignivoma, Gorgones, Harpyæ, et umbra tricorporis Geryonis; 4° inde incipit iter ad Acherontem fluvium, qui in Cocytum arenas exonerat : has fluminum aquas servat vector Charon, senex quidem, sed crudus adhuc, qui relictis inhumatis, sepultos transportat; 5° trans fluvium canis est triceps, dictus Cerberus quasi κρεαβόρος, *carnivorus*; 6° undique occurrunt qui dignas criminibus pœnas luunt : ut Tityus, qui quod Latonæ vim parasset, ab Apolline sagittis interfectus, et ab vulture, renatis fibris, æternum corroditur : Ixion, qui ob tentatam Junonis pudicitiam, rotæ alligatus perpetuo convertitur : Pirithous, qui quod Proserpinam ex inferis rapere voluerit, tum timore saxi imminentis, cum fame mediis in epulis conficitur : Sisyphus, qui latrociniis infamis saxum ingens volvit, etc.

20. *Blanda sonantibus.*] *Blanda sonans* dicitur; sicut a Virgil. IX Æn., v. 125, dicitur *rauca sonans*, intelligendo *negotia*, modo loquendi auctoribus, sed præsertim poetis usitato; vocatur *ellipsis*.

22. *Præcipuis deæ matris fontibus.*] *Calliopes*, quæ habetur, 1° dea, 2° mater Orphei, 3° regina musarum quibus fontes Castalii sunt sacri.

24. *Luctus impotens.*] Quod mentem impotentem reddat : sic lætitia a Cicerone, V. Tusc., vocatur impotens.

26. *Tænara commovens.*] *Aditum inferorum :* nam ***Tænarus***, vel ***Tænarum***, unde *plural.* ***Tænara***, quoddam est Peloponnesi promontorium, quo Messeniacus a Laconico sinu dividitur. Hic non solum urbs et sinus, sed antrum etiam, quod aditum inferorum fabulantur, hoc eodem nomine donantur. Unde Virg. IV Georg., v. 467, de ipso Orpheo locutus canit :

Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, Manesque adiit, regemque tremendum
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

28. *Umbrarum dominos.*] *Principes inferorum :* sive quia hic nihil est luminis, sive etiam quia dominantur mentibus defunctis, quæ non raro dicuntur *umbræ*.

29. *Tergeminus janitor.*] *Cerberus canis, qui,* inquit Apuleius, l. VI Metam., *prægrandis trijugo et satis amplo capite præditus, et ante ipsum limen et atra atria Proserpinæ semper excubans servat vacuam Ditis domum.*

32. *Ultrices scelerum deæ.*] Vulgo *Eumenides*, κατ' ἀντίφρασιν, quod minime benevolæ sint : εὐμενής enim *benevolum* significat : sic *Parcæ* vocantur, quod minime parcant.

33. *Jam mœstæ lacrymis madent.*] Usque adeo magna est vis carminum Orphei; utpote quibus Eumenides flecti nesciæ, tanta commiseratione commoventur, ut illis plurimæ lacrymæ manare videantur : sic sistitur Ixionis rota : sic Tantalus famis sitisque oblitus nec poma carpere, nec aquas potare curat : sic vultur non vellicat jecur Tityi.

34. *Non Ixionum caput.*] De Ixionis supplicio jam diximus. Ovidius :

Volvitur Ixion et se sequiturque fugitque.

36. *Site.*] Pro *siti* : sicut dicitur *mare* pro *mari* : ait mare vates : dubito utrum alius Latine sciens dixerit *site* : quanquam legatur *vespere* et *vesperi; tempore* et *tempori*; *luce* et *luci* : *igne* et *igni* in *ablativo.*

37. *Tantalus.*] Tantalus Agamemnonis et Menelai, qui propterea *Tantalidæ* dicuntur, avus, quod inquiunt, filium membratim discerptum diis manducandum apposuerit, propositis pomis aquisque sibi inaccessis, fame sitique perpetuis cruciatur.

40. *Arbiter umbrarum.*] *Pluto.* Saturnus enim ex Ope conjuge tres habuit filios, nempe Jovem, Neptunum et Plutonem, qui mundi imperium partiti sunt, Jovi cœli, Neptuno maris, Plutoni inferorum imperium obtigit.

Donamus comitem viro
Emptam carmine conjugem :
Sed lex dona coerceat,
Ne, dum Tartara liquerit,
Fas sit lumina flectere.
Quis legem det amantibus?
Major lex amor est sibi.
Heu! noctis prope terminos
Orpheus Euridicen suam
Vidit, perdidit, occidit.
Vos hæc fabula respicit,
Quicunque in superum diem
Mentem ducere quæritis.
Nam qui tartareum in specus
Victus lumina flexerit,
Quidquid præcipuum trahit,
Perdit, dum videt inferos.

INTERPRETATIO.

vertere oculos, postquam egressus fuerit ex *inferis. Quis imponat legem amantibus? amor* ipse *sibi est major lex. Heu! non procul a finibus umbrarum Orpheus vix respexit suam* uxorem *Euridicen, cum illam amisit exstinctam.* |*Hæc fabula spectat vos, quicunque vultis attollere animum ad* Deum *supremum lumen : quicunque enim fatiscens converterit oculos ad infernas cavernas, hic dum respicit* loca *inferna, amittit quidquid habet præcipuum* cogitationis.

NOTÆ.

44. *Lex dona coerceat.*] Princeps tenebrarum nihil voluptatis concedit, nisi sub conditionibus, quæ aut non possunt, aut non debent impleri. Sic Matth. IV Christo *ostendit omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit: Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris, me.*

52. *Vos hæc fabula respicit.*] Fabula est exemplum fictum ad persuadendam veritatem : propterea, auctore Varrone, theologia antiquis, alia erat physica, alia fabulosa : illa naturalibus, hæc commentitiis effectis, quod de diis credendum videbatur, persuadebat. Nimirum quanto obscurior et inventu difficilior veritas his velata, tanto magis inventa placet, huicque propterea ardentius mens adhæret : **255** hinc in sacro textu frequentes sunt *parabolæ* apologis similes : hinc Horatius l. I Satyr., sat. 1 :

> Tantalus a labris sitiens fugientia captat
> Flumina. Quid rides? imutato nomine de te
> Fabula narratur : congestis undique saccis
> Indormis inhians, et tanquam parcere sacris
> Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Ut ergo Orpheus, dum inferos respicit, perdit conjugem, qua empta videbatur felix; sic præcipiti rerum caducarum cogitatione, ipsa summi boni cogitatio aut exstinguitur, aut exstinctæ similis obscuratur.

LIBER QUARTUS.

256 PROSA PRIMA.

ARGUMENTUM. — *Boetium mirantem, quod Deo mundum regente non solum mala sint et impunita, sed virtus et præmiis careat, et sceleratorum pedibus subjecta calcetur, docet Philosophia, nec vitia sine pœnis, nec virtutem sine præmio esse.*

Hæc cum Philosophia, [1] dignitate vultus, et oris gravitate servata, leniter suaviterque cecinisset, tum ego, nondum [a] penitus insiti mœroribus oblitus, intentionem dicere adhuc aliquid parantis [b] abrupi. **257** Et o, inquam, [2] veri prævia luminis [c], quæ usque adhuc tua fudit oratio, [d] cum sui [3] speculatione divina, tum tuis rationibus invicta patuerunt; eaque mihi, et si ob injuriæ dolorem nuper oblita, non tamen antehac prorsus ignorata dixisti. Sed ea ipsa est vel maxima [4] nostri (5) causa mœroris, quod cum rerum bonus rector existat, vel esse omnino mala possint, vel impunita prætereant. Quod solum quanta dignum sit admiratione, profecto consideras. At huic aliud majus adjungitur : nam imperante florenteque nequitia, virtus non solum præmiis caret, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur, et in locum (10) facinorum supplicia luit. Quæ fieri [5] in

INTERPRETATIO.

[a] *Interius.*
[b] *Interpellavi.*
[c] Philosophia.
[d] *Et clara et certa.*

NOTÆ.

[1] *Dignitate vultus et oris gravitate servata.*] Cum enim homo suas significaturus cogitationes, non modo lingua, sed etiam oculis, fronte, nutu, gestu, cæterisque ejusmodi sic loquatur, ut pro diversis horum omnium modis diversas et loquentis sui significet, et audientis alterius excitet cogitationes : propterea Philosophia humanam formam induta aptis illis signis veritatem felicius persuadet, in quo differt a *musis poeticis*, quas supra vocavit *meretriculas usque in exitium dulces*, quæque quod alio vultu loquantur, alias etiam commovent in auditoribus cogitationes.

[2] *Veri prævia luminis.*] *Philosophia*, quæ quod sit cognitio clara et distincta adeoque errori non obnoxia, ipsa verum lumen est; sed quod attendenti lumen luminis sit origo, propterea eadem Philosophia dicitur *veri luminis prævia.* Nisi dicas, *verum lumen* hic appellari illud, quo mens sperat, ruptis ipsius corporis nexibus, aliquando frui : hoc enim lumen lumine philosophico prævenitur.

[3] *Speculatione.*] *Speculatio*, vox minus Latina videtur.

[4] *Nostri causa mœroris.*] Ut summa animi lætitia perfunditur ille, qui ex quibusdam principiis positis, conclusiones, quas aliunde scit esse verissimas, improviso colligit; sic tristitia afficitur, quid quod experientia probatur, cum suis non potest conciliare principiis : ut enim prius a lumine, quod amamus; sic posterius a tenebris, quas odio habemus, oritur.

[5] *In regno scientis.*] Si Deus non sciret omnia; aut si sciens, non posset omnia; aut si sciens et potens, sola bona non vellet, nihil mirum, quod mala essent : hæc enim aut scientiam præterire, aut potentiam su-

regno scientis omnia, potentis omnia, sed bona tantummodo volentis Dei, nemo satis potest nec admirari, nec conqueri. Tum illa[a], Et[1] esset, inquit, infiniti[b] stuporis, omnibusque horribilius monstris, si, uti tu existimas, in tanti veluti patrisfamilias dispositissima domo, vilia vasa colerentur, pretiosa sordescerent : [2] sed non ita est. **258** Nam si ea quæ paulo ante conclusa sunt,[c] inconvulsa servantur, [3] ipso, de cujus nunc regno loquimur, auctore cognosces, semper quidem potentes bonos esse, malos vero abjectos semper atque imbecilles; nec sine pœna unquam esse vitia, nec sine præmio virtutes; bonis felicia, malis semper infortunata contingere, multaque id genus, quæ sopitis querelis firma te soliditate corroborent. Et quoniam veræ formam beati- A tudinis me[d] dudum monstrante vidisti, quo etiam sita sit agnovisti, decursis omnibus, quæ præmittere necessarium puto, [4] viam tibi, quæ te[e] domum revehat, ostendam.[5] Pennas etiam tuæ menti, quibus se in altum tollere possit, affigam, ut perturbatione depulsa, [6] sospes in patriam, [7] meo ductu, mea semita, meis vehiculis revertaris.

259 METRUM* PRIMUM.

ARGUMENTUM. — *Me juvante, inquit Philosophia, mens humana res omnes creatas transcendens pervenit ad Deum; quo cognito, conversa ad terras hic videt etiam principes exsulare.*

Sunt etenim pennæ volucres mihi,
Quæ celsa conscendant poli :
Quas sibi cum velox mens induit,
260 Terras perosa despicit,

INTERPRETATIO.

[a] Philosophia.
[b] *Summæ admirationis.*
[c] *Constent.*
[d] *Jam.*
[e] *In patriam cœlestem.*

B *Nam* ego *habeo alas celeres, quæ ascendant* loca *sublimia cœli, quas ubi mens prompta sociavit sibi,* hæc *odio habens terras,* eas *contemnit; transcendit orbem aeris vasti; cernit nubes post se; et transgreditur fastigium ignis, qui calet motu rapido ætheris; quoadusque*

NOTÆ.

perare, at voluntatem divinam consequi viderentur; sed quod Deus nec ignarus, nec impotens mala, quæ odio habet, permittat, hoc mirum.

[1] *Esset infiniti stuporis.* Stupor est vehemens admiratio, qua qui afficitur, hic spiritibus cohibitis, voce motuque omni, instar stipitis vel trunci privatur. Virgil. II Æn., v. 774 :

Obstupui steteruntque comæ et vox faucibus hæsit.

Cui favet interpretatio nominis : *stupor* enim et *stupere* a *stipes* videtur dici : unde in antiquis Virgilii Horatii, Terentii, aliorumque libris legebatur *stipet,* et *obstipuit.*

[2] *Sed non ita est.*] Nam virtus nunquam est sine suo præmio, nec vitium sine suo supplicio, sicut ex dictis manifestum est.

[3] *Ipso, de cujus regno loquimur, auctore.*] *Deo docente* : tum autem Deus hominem docet, cum mente præjudiciis exuta ipsæ duntaxat mentis cogitationes attentius considerantur; quod ut solus Deus tunc interrogatur, sic solus menti interroganti respondeat.

[4] *Viam tibi quæ te domum revehat ostendam.*] Homini cognoscenti suum ultimum finem, nihil superest quam ut cognoscat modum, quo ad ejusmodi finem pervenire possit : Matth. VI : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus.* Quare cum Philosophia jam docuerit ultimum hominis finem, instituti ejus ratio postulat, ut de modo hujus finis consequendi tractet : quod nunc vocatur *via, quæ domum revehat* : propterea promittit pennas.

[5] *Pennas affigam.*] Cogitationes videlicet, quibus si mens bene utatur, eadem his veluti pennis, hinc quidem præjudicia veritati contraria fugare, inde vero ad veritatem ipsam pervenire poterit.

[6] *Sospes.*] *Salvus* et *incolumis* : Sospes enim dicitur, cui vires sint quolibet meandi et remeandi.

[7] *Meo ductu, mea semita, meis vehiculis.*] Philosophica cognitio recte dicitur dux, semita et vehiculum, quibus homo sospes ad Deum, unde egressus fuit, regrediatur. Est quidem *dux,* quia hac utpote ingenita præeunte mens ad judicandum ducitur. Est *semita,* quia sicut in ea clare et distincte comprehensum, sic judicandum. Est *vehiculum,* quia hac mens veluti constricta ita rapitur, ut penes eam non sit contrarium sentire. Propterea eadem Philosophia nunc canit.

* Carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quorum prior dactylicus quatuor primos versus heroici pedes habet; posterior iambicus quatuor pariter pedes, sæpe locis imparibus spondeos, paribus iambos.

1. *Sunt pennæ mihi.*] Pennæ, sunt avium partes, quibus aves in aera subvectæ sua repetunt loca : unde propter quamdam similitudinem pennæ tribuuntur sagittis, navibus, et cæteris ejusmodi corporibus, quæ æquatis veluti ponderibus rectius moventur. Sic ergo claræ distinctæque notiones, dicuntur philosophicæ pennæ, quod his veluti librata Philosophia rectius a terris ad cœlum, ex quo orta est, regre- C diatur.

1. *Volucres.*] *Volucer* a *volatu* dicitur : quare ut volatus motus est velox, sic *volucer* idem est, quod *velox* sive *celer* : quomodo Tullius pro Planco; *nihil tam volucre,* inquit, *quam maledictum : nihil facilius emittitur; nihil certius excipitur; nihil latius dissipatur.* Virg, Æn. V, v. 242 :

Illa noto citius volucrique sagitta
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.

Cum igitur prædictæ Philosophiæ cogitationes tam celeres sint, ut vel celerrimus corporis motus cum illis collatus, tardissimus sit, propterea non immerito dicuntur *pennæ volucres.*

2. *Celsa poli.*] *Celsa poli* nunc dicuntur, sicut a Virgilio *convexa cœli;* ab Horatio *acuta belli;* a Lucretio *aperta cœli, serena cœli, abdita terræ,* intelligendo *loca* sive *spatia.* Pennæ autem philosophicæ, in hoc omnibus avium pennis fortiores, ad summum usque D cœli verticem, quatenus hic a Philosophia cognoscitur, pertingunt.

3. *Velox mens induit.*] Mens quidem humana velox est : quia quo momento veluti extra se rapta ad terras, ad maria, ad cœlum ipsum dissitissimum pervenit, eodem ad se regressa cogitationem sibi insitam contemplatur, ita ut hujus suæ circuitionis ne menti quidem ipsi liceat initium, progressum et finem distinguere. In quo mens humana ita divinam videtur exprimere, ut inde veteres collegerint mentem humanam et a Deo ortam, et instar Dei immortalem esse. At eadem mens induit pennas philosophicas, clare et distincte cognoscendo.

4. *Terras perosa despicit.*] Continuatur translata loquendi ratio : ut sicut aves volando a terris recedunt; sic mens pennis philosophicis instructa intelligatur terras exosa despicere. Nec abs re : nam quo magis mens terris adhæret, eo crassioribus involuta tene-

Aeris immensi superat globum,
Nubesque post tergum videt:
Quique agili motu calet ætheris,
Transcendit ignis verticem,
Donec in astriferas surgat domos,
261 Phœboque conjungat vias,
Aut comitetur iter gelidi senis,
Miles corusci sideris,
Vel quocunque micans nox pingitur,
Recurrat astri circulum.
Atque ubi jam exhausti fuerit satis,
Polum relinquat extimum,
Dorsaque velocis premat ætheris
Compos verendi luminis.
262 Hic regum septrum dominus tenet,

INTERPRETATIO.

ascendat ad orbes stellatos, et jungat suum iter cum sole eunte, *aut comitetur viam* Saturni *senis frigidi*, aut fiat veluti *miles* Martis *astri splendidi, aut repetat orbem cujuscunque stellæ, qua nox coruscans distinguitur;* [*ac postquam suffecerit vidisse* corpora inferiora, *deserat supremum* hoc *cœlum, conculcetque loca convexa ætheris celerrimi, particeps lucis augustæ co*lendæque. *Hic rex regum tenet sceptrum, et moderatur regimina mundi, immotusque gubernat currum mobilem, moderator præclarus rerum. Si* tuum *iter reportet te huc reversum, quam* patriam *nunc oblitus quæris, hæc, dices, recordor, est mea patria*: *hinc ortus hic*

NOTÆ.

bris minus apta est, quæ Deum auctorem suum contempletur.

5. *Aeris immensi superat globum.*] Aer quidem suis definitur limitibus: sed quoniam ita diffunditur, ejus ut dimensio in nostro cerebro non distinctius, quam quælibet alia longe etiam majoris corporis amplitudo exprimatur, propterea nobis imaginantibus aer immensus habetur: at mens nostra, quæ plura concipere potest quam imaginari, aerem, quo terra undequaque circumfunditur, in orbem diffusum sic cogitat, ut aliud ultra considerandum sibi proponat: unde fit ut eadem mens veluti *post tergum* relinquat *nubes;* quæ in aere, non secus ac naves in aquis, libratis hinc et inde ponderibus, sustinentur.

8. *Transcendit ignis verticem.*] Si Philosophia hic agnoscat ignem, hic certe ignis multum differt ab eo quem Peripatetici vulgo aiunt *existere in concavo lunæ propter ordinem et bonum Universi*: nam hoc Peripateticorum elementum calore non afficitur, quod rarius sit: aut si incalescat, id motu non habet; aut si motu calefiat, id a se potius, quam ab alio corpore moto obtinet. Cum tamen ille Philosophiæ ignis *agili mota ætheris calorem* concipiat. Quare hic ignis nihil forte aliud est quam pars ætheris, qui Ciceroni in l. de Nat. deor. nominatur: *ardor ultimus, estque tenuis, ac perlucens, et æquabili colore suffusus*: quo ætheris vertice considerato, prædicta mens altius evecta contemplatur primum quidem planetas sole inferiores, postea ipsum solem, deinde planetas sole superiores; tum stellas fixas et tandem ipsum Deum, ut deinceps dicitur.

9. *Donec in astriferas surgat domos.*] I. Mens humana contemplatur planetas Sole inferiores, cujusmodi sunt Luna, Venus, Mercurius, et si qui alii, illic fuerint planetæ: qui cum partes cœli stelliferi infimas, terræque viciniores teneant, potuerunt significari per nominatas astriferas domos. Nemo nescit, astrorum situs ab astronomis vocari domos.

> Quid tibi prodest
> Aerias tentasse domos animoque rotundum
> Percurrisse polum?

10. *Phœboque conjungat vias.*] II. Eadem mens contemplatur solem: sol enim, ut sæpius diximus, propter speciem nitoremque vocatur Phœbus: nam φοῖβος, *adject*, idem quod *splendidus.* Via autem solis duplex, diurna una, quæ ab ortu ad occasum spatio viginti quatuor horarum absolvitur: altera annua, quæ auctore Tullio II de Nat. quinque diebus et quinquaginta et trecentis, quarta fere diei parte addita: quam utramque solis viam mens contemplata suas dicitur vias cum viis solaribus conjungere.

11. *Comitetur iter gelidi senis.*] III. Mens contemplatura planetas sole superiores, inspicit primo Saturnum, usque iter comitatur. Saturnus astronomis omnium planetarum altissimus, poetis vocatur *senex gelidus*: *senex* quidem, quod fingatur antiquissimus deorum, et seni similis lento gradu feratur: *gelidus* vero, quod, utpote omnium planetarum altissimus, terras minimo calore afficiat: unde Cic. *Summa,* inquit, *Saturni stella refrigerat.* Iter denique Saturni in hoc versatur, quod suum circuitum absolvat triginta annis.

12. *Miles corusci sideris.*] Deinde ipsa mens Martem, alterum planetam sole superiorem contemplatur, ipsiusque propterea *miles* nunc vocatur: Mars quippe, antiquis deus belli, quos habet comites, hi ejus milites appellantur. Mars porro dicitur *coruscum sidus*, quod Saturno magis splendeat: unde Tull. II de Nat.: *Summa*, inquit, *Saturni stella refrigerat, media Martis incendis.*

13. *Vel quocunque*, etc.] IV. Mens contemplatur stellas fixas, quibus scilicet *nox micans* pingitur, earumque circuitus, sua pariter cogitatione circumeundo, absolvit.

15. *Exhausti fuerit satis.*] Id est: ubi prædicta satis cogitata fuerint: Sic enim Cicero ad Qu. frat., *Exhaustus est*, inquit, *sermo hominum*: quasi dicat: *ea de re jam loqui est desitum:* sic etiam Virgil. II Georg., v. 397:

> Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
> Cui nunquam exhausti satis est.

16. *Polum relinquat extimum*, etc.] V. Mens consideratis omnibus sideribus, et ipso etiam æthere veloci, quo sidera circumfusa, ut naves aquis, deferuntur, ascendit ad considerandum cœlum quod vocant *empyreum*, quod præcipua sedes Dei vocatur. quodque cæteris commotis vulgo dicitur immotum: unde doctissimus noster Antonius Hallæus in epigrammate, cujus illud est argumentum:

> At sola empyrei moles altissima cœli,
> Sancto Dei divumque domus, vertiginis expers
> Stat firma, et motu nunquam turbante cietur;
> Congrua nam ratio vult, alta ut pace fruentum,
> Atque quiescentum, sedes immota quiescat.

Deus, qui nunc appellatur *regum Dominus*, juxta illud Apoc. XIX: *Rex regum et Dominus regnantium;* et *coruscus rerum arbiter*, ut a Seneca in Hercule fur., v. 204, vocatur *magnus Olympi rector et mundi arbiter,* hic perhibetur *sceptrum tenere, orbis habenas temperare, et volucrem currum stabilis regere*: quia quamvis Deus ubique sit, ubique agendo; Deus tamen, utpote qui peculiari modo agit in hoc cœlo, peculiari etiam modo in hoc cœlo videtur existere. Psal. CXLVIII, *Confessio et gloria ejus super cœlum et terram.* Quin etiam ipse Aristoteles l. de Mundo: *Summam*, inquit, *et primam sedem mundi sortitus est Deus.* Hæc est nostræ mentis patria, adeo ut vel ipsi reges, quatenus hi in terris habitant, *exsules* haberi possint: sicut hic dicitur.

19. *Sceptrum.*] Sceptrum, ipsa nominis origine, est baculus sive virga regalis; unde signo pro re significata posito, sceptrum idem est quod imperium homi-

Orbisque habenas temperat,
Et volucrem currum stabilis regit,
Rerum coruscus arbiter.
Huc te si reducem referat via,
Quam nunc requiris immemor,
Hæc dices, memini, patria est mihi,
Hinc ortus, hic sistam gradum.
Quod si terrarum placeat tibi
Noctem relictam visere,
263 Quos miseri torvos populi timent,
Cernes tyrannus exsules.

264 PROSA II.

ARGUMENTUM. — *Ex prædictis Philosophia demonstrat, et probos potentes, et improbos impotentes esse.*

Tum ego, [1] papæ, inquam, [a] ut magna promittis! nec dubito quin possis efficere: tu modo quem excitaveris, ne [b] moreris. [2] Primum igitur, inquit, bonis semper adesse potentiam, malos cunctis viribus esse desertos, agnoscas licebit: quorum alterum demonstratur ex altero. Nam cum bonum malumque contraria sint, si bonum potens esse constiterit, liquet imbecillitas mali;: at si fragilitas clarescat mali, boni firmitas nota est. Sed uti nostræ sententiæ, fides abundantior sit, alterutro calle procedam, nunc hinc, nunc inde proposita confirmans. [3] Duo sunt, quibus omnis humanorum actuum constat effectus; voluntas scilicet, ac potestas: quorum si alterutrum desit, nihil est quod explicari queat. Deficiente etenim voluntate, ne aggreditur quidem quisque quod non vult: at si potestas absit, voluntas frustra sit. Quo fit; ut si quem videas adipisci velle, quod minime adipiscatur, huic obtinendi quod voluerit, defuisse [c] valentiam dubitare non possis. Perspicuum est, inquam, nec ullo modo negari potest. Quem vero effecisse quod voluerit, videas, num etiam potuisse dubitabis? Minime. Quod vero quisque potest, in eo validus; quod vero non potest, in hoc imbecillis esse censendus est. **265** Fateor, inquam. Meministine igitur, inquit, superioribus rationibus esse collectum, intentionem omnem voluntatis humanæ, quæ diversis studiis agitur, ad beatitudinem festinare? Memini, inquam, id quoque esse demonstratum. Num recordaris beatitudinem ipsum esse bonum, eoque modo cum beatitudo petitur, ab omnibus desiderari bonum? Minime, inquam, recordor, quoniam id memoriæ fixum teneo. Omnes igitur homines boni pariter, ac mali, indiscreta intentione ad bonum pervenire nituntur? Ita, inquam, consequens est. Sed certum est, adeptione boni, bonos fieri. Certum. Adipiscuntur igitur boni, quod appetunt? Sic videtur. Mali vero si adipiscerentur, quod appetunt bonum, mali esse non possent. Ita est. Cum igitur utrique bonum petant, sed hi quidem adipiscantur illi vero minime; non dubium est bonos quidem potentes esse, qui vero mali sunt, imbecilles. Quisquis, inquam, dubitat, nec rerum naturam, nec consequentiam potest considerare rationum. [4] Rursus inquit: Si duo sint quibus idem [d] secundum naturam propositum sit, eorumque unus naturali officio idipsum agat atque perficiat; alter

INTERPRETATIO.

quiescam. Ex qua sede *si volueris convertere oculos ad tenebras terrarum, quas deseruisti, videbis tyrannos, quos gentes afflictæ metuunt* sibi *infensos*, ex hac patria *ejectos exsulare.*

[a] *Quanta.*
[b] *Retardes.*
[c] *Potestatem.*
[d] *Ex instinctu naturæ.*

NOTÆ.

nis, a quo etiam ad Deum propter quamdam imperandi similitudinem transfertur.

20. *Orbis habenas.*] Similitudine sumpta ab equis, quos habenis huc illucque ad nutum flectimus: Deus quippe omnia sic regit, ut omnia, quocunque voluerit, moveantur.

21. *Volucrem currum,*] Auctor videtur speciatim intelligere omnem mobilis cœli orbem, generatim tamen universus mundus corporeus dici potest *volucer currus*: quia cum mundus ille sit moles adeo conferta; nihil ut sit illic vacui, propterea nullus fit in mundo motus, quin inibi fiat materiæ motæ circuitus.

29 et 30. *Torvos tyrannos.*] Torvus, a torquendo dictus, ille est qui vultu vel potius oculis tortis interiorem furoris motum ita significat, ut tuentibus sit terribilis: hinc taurus præsertim torvus habetur, quod animal illud sæpius hanc formam induat. Virg. Georg. III: *Optima torvæ forma bovis.*] Porro cum exsul, sive ut nonnulli scribunt, *exsol* dicatur quasi ex solo sive patria pulsus, cumque tyranni in terris habitantes ex solo sive potius cœlo, patria sua veluti expulsi sint, ideo videri possunt exsules. Ad Hebr. XIII: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

[1] *Papæ.*] *Papæ*, sive ut loquitur Plautus *babæ*, est interjectio hominis mira subito accipientis; quod, ut dicimus, hæ voces primæ sint, quas pueri omnia ut ignorantes sic admirantes proferre soleant.

[2] *Primum igitur*, etc.] Philosophia proponit quod sibi in hac oratione probandum incumbit, videlicet et probos potentes et improbos impotentes: id autem probat in triplici argumentorum genere, quæ contrahere conabimur.

[3] *Duo sunt*, etc.] I. Argumenti genus. Quicunque homo id adipiscitur quod vult, is potens est: quicunque vero vult aliquid, quod non adipiscitur, is est impotens: quod effectus humanus, unde quis judicatur esse vel non esse potens, necessitudinem habeat cum voluntate et potestate, quarum utraque est in primo, et altera tantum in secundo illo homine. Atqui homo probus id adispiscitur quod vult: improbus vero quod vult non adipiscitur: cum uterque suam velit beatitudinem, quam probus, non improbus adipiscitur: siquidem ut bonus non dicitur nisi adeptione boni summi, ita malus non dicitur nisi privatione ejusdem boni.

[4] *Rursus si duo sint*, etc.] II. Argumenti genus. Ex duobus, quibus ab ipso naturæ auctore constitutum est aliquo tendere, si alterum officio parens, illuc tendat; alterum ab officio decedens aut moretur, aut certe alio deflectat, prius potens, posterius impotens haberi debet: cum enim potentia nihil sit aliud, quam instinctus ille ab auctore naturæ acceptus, potentiæ est pervenire, imbecillitatis non pervenire quo Deus vocat: sic ex duobus hominibus, quibus ab ipso naturæ auctore constitutum est pedibus ambulare, si alter officio functus ambulet, alter

vero naturale illud officium minime administrare queat, alio vero modo, quam naturæ convenit, non quidem impleat propositum suum, sed imitetur implentem; quemnam horum [a] valentiorem esse decernis? [b] Etsi conjecto, inquam, quid velis, [c] planius tamen audire desidero. Ambulandi, inquit, motum secundum naturam esse hominibus, num negabis? Minime, inquam. Ejusque rei pedum officium esse naturale num dubitas? Ne hoc quidem, inquam. Si quis igitur pedibus incedere valens ambulet, aliusque, cui hoc naturale pedum desit officium manibus nitens, ambulare conetur, quis horum jure valentior existimari potest? Contexe, inquam, cætera : nam quin naturalis officii potens, eo, qui idem nequeat, valentior sit, nullus [d] ambigit, 266 Sed summum, inquit, bonum, quod æque malis bonisque propositum, boni quidem naturali officio virtutum petunt : mali vero variam per cupiditatem, quod adipiscendi boni naturale officium non est, idem ipsum conantur adipisci. An tu aliter existimas? Minime, inquam [e] nam etiam, quod est consequens, patet. Ex his enim quæ concesseram, bonos quidem potentes, malos vero esse necesse est imbecilles. Recte, inquit, præcurris, idque, uti medici sperare solent, indicium est erectæ jam, resistentisque naturæ. [1] Sed quoniam te ad intelligendum promptissimum esse conspicio, [f] crebras coacervabo rationes. Vide enim quanta vitiosorum hominum pateat infirmitas, qui ne ad hoc quidem pervenire queunt, ad quod eos naturalis ducit, ac pene compellit intentio. Et quid? si hoc tam magno ac pene invicto præeuntis naturæ desererentur auxilio? Considera vero quanta sceleratos homines habeat impotentia. Neque enim levia, aut ludicra præmia petunt, quæ consequi atque obtinere non possunt : sed circa ipsam rerum summam, verticemque deficiunt, nec in eo miseris contingit effectus, quod solum dies, noctesque moliuntur : in qua re bonorum vires eminent. Sicut enim eum qui pedibus incedens, ad eum locum usque pervenire potuisset, quo nihil ulterius pervium jaceret incessui, ambulandi potentissimum esse censeres : ita eum, qui expetendorum finem, quo nihil ultra est, apprehendit, potentissimum necesse est judices. Ex quo fit, [g] quod huic objacet, ut iidem scelesti, iidem viribus omnibus videantur esse deserti. 267 Cur enim relicta virtute vitia sectantur? [2] inscitiane bonorum? sed quid [h] enervatius ignorantiæ cæcitate? An sectanda noverunt? sed [3] transversos eos libido præcipitat, sic quoque intemperantia fragiles, qui [i] obluctari vitio nequeunt. [4] An scientes, volentesque bonum deserunt, ad vitia deflectuntur? Sed hoc modo non solum potenteis esse, sed omnino esse desinunt. Nam qui communem omnium, quæ sunt, finem relinquunt, pariter quoque esse desistunt. Quod quidem cuipiam mirum forte videatur, ut malos, qui plures hominum sunt, eosdem non esse dicamus : sed ita sese res habet. Nam qui mali sunt, eos malos esse non abnuo : sed, eosdem esse, pure atque simpliciter nego. Nam uti cadaver hominem mortuum

INTERPRETATIO.

[a] *Potentiorem.*
[b] *Quamvis conjectura assequor.*
[c] *Clarius.*
[d] *Dubitat.*
[e] *Quin.*
[f] *Frequentes.*
[g] *Econtrario.*
[h] *Infirmius.*
[i] *Resistere*

NOTÆ.

ab officio discedens aut quiescat aut manibus tantum nitens ambulet; prior potens, posterior imbecillis habendus est. Atqui ex bono et malo homine, quibus ab ipso naturæ auctore constitutum est ad summum bonum ea, quam Deus utrique ab ortu impressit, propensione tendere; bonus officio suo functus ad summum bonum tendit, malus vero a suo officio decedens aut gradum sistit, aut variis cupiditatibus abreptus ad bona caduca deflectit. Igitur bonus potens, malus vero imbecillis habeatur, necesse est.

[1] *Sed quoniam te*, etc.] III. Argumenti genus. Si quo spectet intentio, consideraveris, hinc quædam tam bonorum, quam malorum patebit infirmitas; sed malorum major. Utrorumque, inquam, patebit infirmitas : quoniam cum utrique ad summum bonum aspirent, huc neutri pervenire possunt, nisi præeunte, ducente, aut fere compellente intentione, magno illo ac pene invicto præeuntis naturæ vel potius Dei auxilio, quam intentionem a Deo ad Deum ipsum adipiscendum acceperunt : quo autem majori opus est auxilio ad progrediendum, eo minores videntur progrediendi vires. At major malorum patebit infirmitas : sicut enim ex duobus proficiscentibus ille potentior, qui incedens ad eum usque pervenit locum, ultra quem progredi non licet, ille vero infirmior, qui ab eo, ad quem pervenire intendit, loco deflectens ne illum quidem attingit locum ad quem errore suo videbatur duci : ita boni, utpote qui ad ultimum finem, compellente tamen Deo, accedunt, potentiores; mali vero, utpote qui, nihil obstante insita propensione, ab ultimo fine aberrantes ne hæc quidem attingunt bona, quibus noctes diesque inhiant, infirmiores sunt : quod attendenti ad causas hujusmodi erroris magis ac magis patebit : nam vel mali recedunt ab eo, quo insita illorum inclinatio ferre videtur, ignoratione, vel perturbatione, vel scientia voluntateque.

[2] *Inscitiane?*] Seu boni veri, a quo recedunt; seu boni ementiti ad quod accedunt? sed ignoratione, ut pote quæ nihil est, nihil infirmius. An.

[3] *Transversos eos libido præcipitat?*] Hoc est, an perturbatione? at hoc magnum est argumentum infirmioris mentis, quippe quæ mancipii corporis motibus victa obsequitur.

[4] *An scientes volentesque bonum deserunt, ad vitia deflectuntur?*] Sed hoc modo non solum potentes esse, sed omnino esse desinunt, non quidem quoad rem spectat : improbi enim illi semper ex mente et corpore, duabus rebus inter se conjunctis, constant: sed quoad modum attinet : cum enim Deus non minus sit finis ultimus mentis humanæ, quam ejusdem est prima causa ; ut mens humana dicatur esse secundum modum, hæc ad Deum debet tendere ut notione, sic voluntaria propensione, quo modo improbi ad Deum non tendunt.

dixeris, simpliciter vero hominem appellare non possis : ita vitiosos, malos quidem esse concesserim, sed esse absolute nequeam confiteri. Est enim, quod ordinem retinet, servatque naturam : quod vero ab hac deficit, esse etiam, [a] quod in sua natura situm est, derelinquit. Sed possunt, inquies, mali : nec ego quidem negaverim ; sed hæc eorum potentia non a viribus, sed ab imbecillitate descendit. Possunt enim mala, qua minime valerent, si in bonorum efficientia manere potuissent. Quæ possibilitas eos evidentius nihil posse, demonstrat. [1] Nam si, uti paulo ante collegimus, malum nihil est, cum tantummodo possint, nihil **268** posse improbos liquet. Perspicuum est. Atque ut intelligas, quænam sit hujus potentiæ vis, summo bono nihil potentius paulo ante definivimus. Ita est, inquam. Sed idem inquit, facere malum nequit. Minime. Est igitur, inquit, aliquis, qui omnia posse homines putet? Nisi qui insaniat, nemo. Atqui iidem possunt mala. Utinam quidem, inquam, non possunt. Cum igitur; bonorum tantummodo potens, possit omnia; non vero queant omnia potentes etiam malorum : eosdem qui mala possunt, minus posse manifestum est. Huc accedit, quod omnem potentiam inter expetenda numerandam, omniaque expetenda referri ad bonum, velut ad quoddam naturæ suæ cacumen, ostendimus. Sed [b] patrandi sceleris possibilitas referri ad bonum non potest. Expetenda igitur non est. Atqui A omnis potentia expetenda est. Liquet igitur malorum possibilitatem non esse potentiam. Ex quibus omnibus bonorum quidem potentia, malorum vero minime dubitabilis apparet infirmitas. Veramque illam [c] Platonis esse sententiam liquet, solos, quod desiderent, facere posse sapientes : improbos vero exercere quidem quod libeat, quod vero desiderent, explere non posse. Faciunt enim quælibet dum per ea, quibus delectantur, id bonum, quod desiderant, se adepturos putant; sed minime adipiscuntur, quoniam ad beatitudinem [d] probra non veniunt.

269 METRUM* II.

ARGUMENTUM. — *Philosophia prædictam improborum* B *infirmitatem exemplo confirmans, ostendit tyrannos sede, veste, armis, vultu, affectuque terribiles, quot perturbationibus, totidem dominis subditos opprimi.*

Quos vides sedere celsos
Solii culmine reges,
Purpura claros nitente,
Septos tristibus armis,
Ore torvo comminantes
Rabie cordis anhelos ;
Detrahat si quis superbis
Vani tegmina cultus,
Jam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.
270 Hinc enim libido versat

INTERPRETATIO.

[a] *Quoad potest.*

[b] *Potentia peccandi.*

[c] In Gorgia et Alcibiade primo; unde Boetius videtur sua hæc rationum momenta hausisse.

[d] Quam tamen improbi, etiam peccando, expetunt.

Quos principes cernis sedere sublimes in fastigio sedis regiæ, splendidos ostro fulgente, stipatos armis crudelibus, minaces vultu aspero, percitos furore cordis, ab his *arrogantibus si quis auferat velamina ornamenti inanis, statim animadvertet hos principes intrinsecus*

NOTÆ.

[1] *Nam si malum nihil est*, etc.] Prædicta improborum infirmitas confirmari potest ex natura ipsius mali, ex potestate Dei, et ex appetitu ipsius hominis : 1° quidem ex natura ipsius mali : nam qui nihil potest, ille non potens sed potius impotens haberi debet : sed improbus nihil potest : quandoquidem malum, quod posse dicitur, ex dictis nihil est ; 2° ex potestate Dei : quia quidquid est potentiæ, illud Deo convenit siquidem Deus est summum bonum, quod supra probatum est esse omnipotens. Sed Deo non convenit, quod improborum est, posse malum : alioqui non esset summum bonum : igitur nihil est potentiæ in malo adeoque nec in improbo homine, quatenus hic improbus est; 3° ex appetitu ipsius hominis : nam quidquid habet rationem potentiæ, illud habet rationem boni adeoque expeti potest, et ad summum bonum, cujus gratia expetuntur omnia, potest referri. Atqui patrandi sceleris facultas, qua sola gloriari potest improbus, nullam habet rationem boni, adeoque expeti non potest, nec ad summum bonum referri : ut cuique attendenti patet.

Quæ omnia confirmantur auctoritate Platonis, qui in Gorgia et Alcibiade maximam partem eorum, quæ in hac oratione dicta sunt, docuisse videtur.

* Carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quorum prior ex quatuor trochæis, spondeo aliquando permutandis; posterior ex tribus pedibus, nempe spondeo vel anapæsto, dactylo et spondeo constat.

1 et 2. *Quos vides reges.*] Philosophia amplius probatura malos esse infirmos, ostendit etiam principes qui vulgo habentur fortissimi, in hoc impotentes, C quod perturbationibus suis victi his subjiciantur : propterea eorumdem principum potestatem primum commendat; deinde enumerat eorumdem perturbationes.

2. *Solii culmine.*] Primum regum potestas commendatur, 1° ab eorum sede, *culmine solii;* 2° a vestibus, *purpura claros;* 3° ab armis sive satellitibus, *septos tristibus armis;* 4° a vultu, *ore torvo comminantes*; 5° ab affectu mentis, *rabie cordis anhelos.* Ubi nihil videtur notandum; cum jam explicuerimus *solium, purpuram, os torvum.*

11. *Hinc enim libido versat.*] Deinde enumerantur perturbationes præcipuæ, quibus reges victi obsequuntur; nimirum libido, ira, tristitia et spes, ab undecimo versu, ad decimum septimum.

1° Quidem nominatur *libido*, sive effrenata cupiditas : cum enim sola *auctoritate nutuque legum*, teste, D Tullio I de Orat., *doceamur domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates*; princeps, qui nullis credit se teneri legibus, libidini maxime obnoxius est. Hæc autem cupiditas nunc dicitur *avidis venenis corda versare* : quoniam sicut venenum corpus est, quod venas ingressum et circumfuso sanguine delatum ita discurrit, ut animam exstinguat, sic prædicta perturbatio menti infusa tandem aliquando bonam voluntatem, præcipuam ejusdem mentis vitam, fugat.

2° Nominatur *ira*, sive ut loquitur Tullius, *libido, puniendi ejus, qui videatur læsisse injuria*, quia cum ejusmodi perturbatio ex opinione contemptus oriatur, cumque princeps, quanto major est, tanto facilius opinari possit se contemni, idcirco iræ sæpius ob-

Avidis corda venenis,
Hinc flagellat ira mentem
Fluctibus turbida tollens,
Mœror aut captos fatigat,
Aut spes lubrica torquet.
Ergo, cum caput tot unum
Cernas ferre tyrannos,
Non facit, quod optat, ipse
Dominus pressus iniquis.

271 PROSA III.

ARGUMENTUM. — *Philosophia addit probos præmiis, improbos suppliciis ita affici intrinsecus, ut et probi in deos et improbi in bestias convertantur.*

Videsne igitur [a] quanto in [b] cœno probra volvantur, qua probitas luce resplendeat? in quo perspicuum est, nunquam bonis præmia, nunquam sua sceleribus deesse supplicia. [1] Rerum etenim quæ geruntur, illud propter quod unaquæque res geritur ejusdem rei, præmium esse [c] non injuria videri potest : uti currenti in stadio, propter quam curritur, jacet præmium corona. Sed beatitudinem esse idem ipsum bonum, propter quod omnia geruntur, ostendimus. Est igitur humanis actibus ipsum bo-
A num, veluti præmium commune propositum. [2] Atqui hoc a bonis non potest separari. Neque enim bonus ultra jure vocabitur, qui careat bono; quare probos mores sua præmia non relinquunt. Quantum libet igitur sæviant mali, sapienti tamen corona non decidet, non arescet. Neque enim probis animis proprium decus, aliena decerpit improbitas. Quod si extrinsecus accepto lætaretur, poterat hoc vel alius quispiam, vel ipse etim, qui contulisset, **272** auferre. Sed quoniam id sua cuique probitas confert, tum suo præmio carebit, cum probus esse desierit. Postremo cum omne præmium idcirco appetatur, quoniam bonum esse creditur, quis boni [d] compotem, præmii judicet expertem? [3] At cujus præmii? omnium pulcherrimi, maximique. Memento
B etenim corollarii illius [e], quod paulo ante præcipuum dedi, ac sic collige. Cum ipsum bonum beatitudo sit, bonos omnes eo ipso quod boni sint, fieri beatos liquet. Sed qui beati sunt, deos esse convenit. Est igitur præmium bonorum, quod nullus deterat dies, nullius minuat potestas, nullius [f] fuscet improbitas, deos fieri. Quæ cum ita sint, [4] de malorum quoque inseparabili pœna dubitare sa-

INTERPRÆTATIO.

premi vinculis tenacibus: *nam hinc cupiditus agitur* illorum *pectora morbis insatiabilibus, inde ira turbata verberat* eorum *mentem, excitans tumultus*; *nunc tristitia frangit victos, nunc spes incerta cruciat* eosdem. *Cum igitur, ut vides, unus princeps subjiciatur tot tyrannis* affectibus, *ipse vexatus dominis injustis, non agit quod vult.*

[a] O Boeti.
[b] *Luto.*
[c] *Merito.*
[d] *Participem.*
[e] *Consectarii.*
[f] *Obscurabit.*

C

NOTÆ.

noxius est. Atque hæc regis ira tanto majores *fluctus tollet turbida*; quanto major est irati auctoritas.

3° Nominatur *tristitia* sive mœror : quoniam perturbatio hæc est flebilis quædam ægritudo, orta ex malis quæ nequeant repelli; unde eo major videtur esse in principe, quod suæ auctoritatis conscius facile credat sibi nulla accidere debere mala, quæ non possint fugare

4° Nominatur *spes*, sive exspectatio boni : quod enim rex divitiis subditisque stipatus, omnia se posse putet, spe facile afficitur.

17 et 18. *Cum caput tot unum cernas ferre tyrannos.*] Cum videas, unum principem tot perturbationibus, veluti totidem tyrannis, subjici.

19. *Ipse.*] Cuidam videbitur dicendum *ipsum;* nempe quia videtur referri ad prædictum, *caput* : sed hæc est *syllepsis*, sive compositio sensus, potius quam verborum : sicut dicitur Terentio : ubi est scelus *qui* me perdidit? Ciceroni : duo importuna prodigia, *quos* egestas : Horatio : daret ut catenis fatale monstrum, *quæ* generosius perire quærens, etc.

[1] *Rerum etenim quæ geruntur*, etc.] I. Probi afficiuntur præmiis : quia cum præmium id dicatur honorarium, quo afficiebantur ii qui primi ac principes aliquid præclari gesserant (unde Scaligero pluribusque aliis *præmium* dicitur quasi *præemium* a *præ* et *emo capio*), idcirco illud propter quod unaquæque res geritur, ejusdem rei præminm esse, non injuria, videri potest : siquidem est honorarium quo actor victorque afficitur : sic currenti in stadio illa, propter quam curritur corona est præmium, quemadmodum S. Paulus I Cor. IX ait : *Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt sed unus accipit bravium.* Atqui viri probi id assequuntur, propter quod omnes homines tam probi quam improbi agunt : nimirum beatitudinem sive summum bonum : alioquin boni non essent : cum bonus non sit, qui careat bono.

[2] *Atqui hoc a bonis*, etc.] II. Præmium, quo probi afficiuntur, est illis insitum : quia quod præmium versatur in cogitatione hominis, illud homi insitum credi potest : siquidem cogitatio est qualitas menti insita. Sed illud, quo probi afficiuntur, præmium versatur in cogitatione : alias præmium bonum non crederetur : cum nemo boni compotem, præmii judicet expertem : hinc quantumlibet sæviant mali, ut non contulerant, sic auferre nequeunt, illud proborum præmium, quod, non nisi mala ipsius possidentis voluntate, amitti potest.

[3] *At cujus præmii*, etc.] III. Probi in deos convertuntur : quicunque enim beati sunt, his deos esse convenit : non quidem natura, sed necessitudine, qua nimirum eorum mens, non cognoscendo solum sed etiam volendo fit unum aliquid cum Deo : sicut corollarii instar ex prædictis supra illatum est. Atqui
D boni omnes, quatenus hi, ut probavimus, præmio afficiuntur intrinsecus, sunt beati sive cum summo bono sua cogitatione conjuncti.

[4] *De malorum quoque inseparabili pœna*, etc.] IV. Improbi e contrario suppliciis ita afficiuntur intrinsecus, ut in bestias convertantur : nam contrariorum, inquit Tullius, contraria sunt consequentia : atqui bonum et malum sunt contraria antecedentia, præmium vero et supplicium contraria consequentia, sive, quod idem est *adversa fronte dissident.* Igitur ut bonis præmium, sic malis suum est supplicium. Quin sicut bonorum præmium, bonis mentibus insitum, versatur in eorum cogitatione, ita malorum supplicium, malis mentibus insitum, versatur pariter in eorum cogitatione : nimirum in conscientia : *magna enim conscientiæ vis est in utramque partem*, inquit Cicero pro Milone : *ut neque timeant ii qui nihil admiserunt, et pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverunt.* S. Ambros., I Offic., *Impius*, inquit,

piens nequeat. Nam cum bonum malumque, item pœnæ atque præmium adversa fronte dissideant, quæ in boni præmio videmus accidere, eadem necesse est in mali pœna contraria parte respondeant. Sicut igitur probis probitas ipsa fit præmium; ita improbis nequitia supplicium est. Jam vero quisquis afficitur pœna, malo se affectum esse non dubitat. Si igitur sese ipsi[a] æstimare velint, possunt ne sibi suppplicii expertes videri, quos omnium malorum extrema nequitia non afficit modo, verum etiam vehementer inficit? Vide autem ex adversa parte bonorum, quæ improbos pœna comitetur. Omne namque, quod sit, unum esse, ipsumque unum bonum esse paulo ante didicisti. Cui consequens est, ut omne quod sit, id etiam bonum esse videatur. Hoc igitur modo quidquid a bono deficit, esse desistit: quo fit, ut mali desinant esse quod fuerant. Sed fuisse homines, adhuc ipsa humani corporis reliqua species ostentat. Quare versi in malitiam, humanam quoque amisere naturam. Sed cum ultra homines A quemque provehere sola probitas possit, necesse est, ut quos ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Evenit igitur, ut quem transformatum vitiis videas, hominem æstimare non possis. **273**[1] [b] Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? lupi similem dixeris. [c] Ferox, atque inquies, linguam litigiis exercet? cani comparabis. [d] Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. [e] Iræ intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. [f] Pavidus ac fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. [g] Segnis, ac stupidus torpet? [2] asinum vivit. [h] Levis atque inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. [i] Fœdis immundisque libidinibus im-B mergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui, probitate deserta, homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possint, vertatur in belluam.

274 METRUM* III.

ARGUMENTUM. — *Quin mali mores, inquit Philosophia, Circæis carminibus potentiores non instar horum,*

INTERPRETATIO.

[a] *Judicare*
[b] *Avarus lupo.*
[c] *Litigiosus cani.*
[d] *Insidiator vulpi.*
[e] *Iracundus leoni.*
[f] *Ignavus cervo.*
[g] *Piger asino.*
[h] *Volaticus avi.*
[i] *Voluptarius porco similis.*

Navis, qua dux Ulysses cum sociis ferebatur, post varios errores in mari, ventis adducta est ad insulam in qua Circe, dea pulchra, a Sole nata, habitans propinat calices incantatos advenis novis. Quos ubi Circe, potens herbis, mutavit in formas diversas, unus induit vultum apri; alter factus *leo Africanus crescit dentibus unguibusque: hic annumeratus lupis ululat, cum conatur lugere; ille velut tigris Indiæ circuit domos, clemens*

C

NOTÆ.

ipse sibi pœna est, justus autem ipse sibi gratia, ut utrisque aut bonorum aut malorum operum merces ex seipso solvatur. Denique sicut bonus sua bona cogitatione fit deus; sic malus sua mala cogitatione fit bestia. Nimirum mens humana ita media est inter Deum auctorem, et corpus consors, ut pro varia sua cogitatione, bona scilicet vel mala, vel cum Deo, vel cum corpore, contracta quadam necessitudine, fiat aliquid unum. Quamobrem cum tanta sit similitudo inter corpus hominis et corpus bestiæ, ut prius a posteriori non differat, nisi penes mentem, qua informatur idcirco homo ratione malæ suæ cogitationis fit bestia: quod prohibens propheta rex, psal. XXXI: *Nolite,* inquit, *fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.*

[1] *Avaritia fervet,* etc.] Sic avarus similis est lupo: quia lupus est animal voracissimum: unde meretrices, quod luporum instar, sint rapaces, teste Isidoro, dictæ sunt *lupæ*: ferox atque inquies sive inquietus, cani, quo nihil impudentius est: insidiator, vulpeculæ, quæ est bestia callidissima, vitæ conservandæ causa: iræ obnoxius, leoni, qui Ovidio vocatur iracundus, quod, ut ait Lucretius, l. III, *Calidi plus est illi*: pavidus, cervis, quibus nullum animal est timidius: propterea *cervinus* vir olim dicebatur formidolosus et fugæ magis, quam viribus fidens: quod, auctore Lucretio l. III, *cervis plus sit frigidi*: segnis ac stupidus, asino, qui est animal tardissimum: levis atque inconstans, avibus, quæ huc illucque discurrunt: libidinosus, suibus, qui, inquit Festus, *ex omni mansueto pecore immundissimi sunt, et ardentissimæ libidinis; ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare et surire dicuntur.*

[2] *Asinum vivit.*] Modus loquendi satis usitatus, dicitur *ellipsis*: ubi intelligi debet particula quædam tacita: hic autem intelligitur *secundum;* ut cum dicitur: *magnam partem mentitur*: *cætera prudens*: et sic de aliis.

* Quod dicitur *Glyconicum,* carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet ex trochæo et duobus dactylis componitur: in quo hoc genus differt ab alio carmine Glyconico, de quo jam locuti sumus, in quo spondeus præcedit duos dactylos.

Carmen hoc non ante intelliges quam in memoriam revocaris ea quæ a poetis dici solent cum de Circe, tum etiam de Ulysse. Circe, inquiunt, Solis et Perses Nymphæ filia, veneficiorum peritissima fuit. Hæc Sarmatarum regi nupsit, quo venenis occiso in Italiam fugit ad montem, qui quoniam quibusdam cingitur paludibus, ideo insulæ formam habere videtur, quique a sua hospite postea dictus est Circæus. Hic saga crudelis homines in bestias, oblatis quibusdam poculis, verbisque quibusdam prolatis, convertere ferebatur; alios quidem in leones, alios in lupos, alios in tigres, alios in sues, alios in alias bestias: quod eleganter sic expressit clarissimus noster Anto-D nius Hallæus ex Homero:

Queis hominum abstulerat faciem dederatque ferarum
Diva salax. Hic namque lupi curvatus in artus,
Est qui ululat, seseque pavet; qui dente sed insons
Crescit et ungue leo, aut villis nigrantibus ursus,
Quique amplas tigris maculosa perambulat ædes.

Ulysses vero ortus est ex Nerito monte Ithacæ, patre Laerta, vel, ut alii volunt, Sisypho, matre vero Anticlea: fingitur ab Homero vir multa præditus facundia nec minore experientia, vafer consilio, egregius bello, laborum patientissimus. Hic, capta Troja, navim conscendit, in patriam rediturus, sed post varios errores, de quibus hic non agitur, ventis adductus est ad montem Circæum, ubi Circe ejus exploratores in sues mutavit, ipse vero, sumpta ea, quam Mercurius docuit, herba, Moly vocata, illæsam servavit suam formam, quod sic descripsit prædictus Hallæus continuans:

Quas simul intravit nova turba, haud immemor artis
Colchiacæ, attonitis medicatos Saga propinat
Hospitibus calices; vertendisque apta figuris
Carmina Titanis demurmurat. Ordine et omnes

corpora convertunt in apros, leones, lupos, tigres, sues, sed in ipsam mentem sæviunt.

275 Vela Neritii ducis,
Et vagas pelago rates
Eurus appulit insulæ.
Pulchra qua residens dea
Solis edita semine
Miscet hospitibus novis
Tacta carmine pocula.
276 Quos ut in varios modos
Vertit herbipotens manus :
Hunc apri facies tegit,
Ille Marmaricus leo
Dente crescit et unguibus ;
Hic lupis super additus
Flere dum parat, ululat :
Ille, tigris ut Indica,
Tecta mitis obambulat,
Sed licet variis malis
Numen Arcadis alitis
Obsitum miserans ducem
Peste solverit hospitis :
277 Jam tamen mala remiges
Ore pocula traxerant :

INTERPRETATIO.

tamen. *At quamvis* Mercurius, *Deus aliger arcadiæ, miseratus liberaverit a veneno* suæ *hospitis Ulyssem jactatum diversis casibus, Nihilominus remiges* ejusdem ducis *jam ore hauserant potiones malas ; jam* facti *sues mutaverant glande* panem, *Cereris munus, amissisque loquela et* forma *corporis nihil supererat integrum. Una mens superstes dolet prodigia quæ* ipsa *subit O dexteram* Circes *imbecilliorem, o herbas* sagæ *invalidas, quæ quamvis possint mutare corpus, non* tamen *possunt mutare mentem : id virtutis est hominibus insitæ, quæ* in mente velut *in arce occulta includitur,* morum videlicet perversorum : *hæc venena sæva ab-*

NOTÆ.

Ut portentificæ percussit cuspide virgæ,
Haud mora, procubuere solo, et lugere parantes
Se raucum porcos grunnire, et tergora densis
Jam setis horrere vident ; subque ilice proni
Excussas mandunt, Cereis pro munere glandes.
Unicus humana sub imagine restat Ulysses...
Carminaque obtundit raræ vis abdita plantæ,
Numina Moly vocant : artes tutamen ad istas
Donarat Deus heroi, Deus aera plantis
Qui tranat, superoque Jovi famulatur et imo.

1. *Vela Neritii ducis.*] Naves Ulyssis, qui dicitur *Noritius* a monte Nerito, unde ortus ; et *dux*, quod eo nomine ad bellum Trojanum profectus, utilissimam Græcis operam navaverit ; quanquam si credamus Ajaci apud Ovid. XIII Metam., v. 25 :

Hæc sine teste gerit, quorum nox conscia sola est.

2. *Vagas pelago rates.*] Ulysses decem annis erravit in mari.

3. *Eurus appulit.*] Eurus speciatim ventus est ab ortu verno sive æquinoctiali spirans : sed hic videtur accipi pro quocunque vento validiori. Nisi dicas Ulyssem ab ortu ad occasum navigasse profecturum ad littus infandum Circes ; quod a Læstrigonibus immanissimis ad Circæum montem accedens solvit a Formiis : Formiæ autem supra Cajetam vetus promontorium sunt magis ad orientem quam vetus Circes promontorium, quod est infra Tarracinam.

3. *Insulæ.*] *Monti Circæo*, qui insulæ quamdam formam habet. Virgil. III Æneid., v. 386 : *Ææque insula Circes.* Et Æn. VII, v. 10.

Proxima Circææ raduntur littora terræ.

5. *Solis edita semine.*] *Circe, filia Solis,* Ovid. XIV Metam., v. 10: *Sole satæ Circes* ; et versu 33 :

En ego cum dea sim, nitidi cum filia Solis,
Carmine cum tantum, tantum quoque gramine possim,
Ut tua sim voveo.

Virgil. VII Æneid., v. 11 :

Dives inaccessos ubi solis filia lucos
Assiduo resonat cantu.

7. *Tacta carmine pocula.*] Brevissime significantur virga, carmen, et gramen, quibus Circe homines in bestias mutare solebat. Virgil. eclog. 8 :

Carminibus Circe socios mutavit Ulyssei.

Et Æneid. VII, v. 19 :

Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

10. *Hunc apri*, etc.] Ex hospitibus novis hic convertitur in aprum, ille in leonem, hic in lupum, ille in tigrim ; sed leo Marmaricus, tigris Indica vocatur, quod Marmarica Africæ regio versus Ægyptum fortes leones, India vero tigres ferre consuevit. Harum etiam formarum meminit Ovid. l. XIV Metam., v. 260 :

Mille lupi, mistique lupis ursique leæque
Occursu fecere metum : sed nulla timenda
Nullaque erat nostro factura in corpore vulnus :
Quin etiam blandas movere per aera caudas
Nostraque adulantes comitant vestigia donec
Excipiunt famulæ.

18. *Numen Arcadis alitis.*] *Mercurius*, sic dictus a mercibus, quod feratur præesse lucro, rebusque emendis ac vendendis : unde pingi solet, sinistra virgulam, dextra sacculum nummarium tenens. Mercurius autem nunc vocatur *numen*, quia Jovis et Maiæ filius, instar cujusdam numinis, præsidere credebatur non solum lucro tam injusto quam justo, sed etiam facundiæ : unde deorum nuntius habetur : quatenus mentes facundo sermone innotescunt. Sed dicitur numen *alitis ;* quoniam alas ut in pedibus, sic in capite gerere ex eo fingitur, quod sermo, cui præsidet, per aera velociter feratur. Dicitur etiam numen alitis *Arcadis ;* quia ab Arcade Jovis et Calistus filio Arcades originem nomenque duxerunt : Mercurius autem natus est in Arcadia : unde Virgilius Arcades allocutus VIII Æn., v. 130 :

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

Denique Mercurius Ulyssi variis casibus jactato herbam dederat, cujus ope liberatus est ab insidiosis poculis Circes. Ovid. XIV Metam., v. 296 :

Pacifer huic dederat florem Cyllenius album,
Moly vocant superi : nigra radice tenetur.
Totus eo, monitisque simul cœlestibus intrat.
Ille domum Circes, et insidiosa vocatus
Pocula conantem virga mulcere capillos
Reppulit, et stricto pavidam deterruit ense.

21. *Jam tamen mala remiges*, etc.] Remex a remo dictus, ille est qui remo per aquas promovet navim : cujusmodi erant illi Ulyssis milites, quippe qui eadem qua Ulysses nave vecti, hanc movebant (nam *hæc servata manebat Sola ipsum, sociosque ferens.*) Hic autem Ulyssis milites sive socii a suo ductore præmissi fuerant ad Circen explorandi causa, a qua antequam ipse Ulysses advenisset, jam hausto poculo in sues conversi fuerant, et panem sive pabula Cerealia glande verterant. Ovid. XIV Metam., v. 281.

Accipimus sacra data pocula dextra
Quæ simul arenti sitientes hausimus ore,
Et tetigit virga summos Dea dira capillos.
Et pudet et referam, setis horrescere cœpi
Nec jam posse queri, pro verbis edere raucum

Jam sues Cerealia
Glande pabula verterant.
Et nihil manet integrum
Voce, corpore, perditis.
Sola mens stabilis, super
Monstra, quæ patitur, gemit.
O levem nimium manum,
Nec potentia gramina,
Membra quæ valeant licet,
Corda vertere non valent,
Intus est hominum vigor
Arce conditus abdita.
Hæc venena potentius
Detrahunt hominem sibi
Dira, quæ penitus meant,
Nec nocentia corpori
Mentis ulcere sæviunt.

279 PROSA IV.

ARGUMENTUM. — *Philosophia improborum miseriam amplius confirmatura, hoc eos esse miseriores ostendit, quod cupita perficiant diutius: impuniti vivant; cæterisque inferant injuriam.*

Tum ego [a] Fateor, inquam, nec [b] injuria dici video vitiosos, tametsi humani corporis speciem servent, in belluas tamen animorum qualitate mutari. Sed quorum atrox scelerataque mens bonorum pernicie sævit, idipsum eis licere noluissem. Nec licet, inquit, uti convenienti monstrabibur loco: sed tamen si idipsum qnod eis licere creditur, auferatur, magna ex parte sceleratorum hominum pœna C [c] relevatur. [1] Etenim quod incredibile cuiquam forte A videatur, infeliciores esse necesse est malos, cum cupita perfecerint, quam si ea, quæ cupiunt, implere non possint. Nam si miserum est voluisse prava, potuisse miserius est, sine quo voluntatis miseræ langueret effectus. Itaque cum sua singulis miseria sit, triplici infortunio necesse est urgeantur, quos videas scelus velle, posse, perficere. Accedo, inquam: sed uti hoc infortunio cito careant, [d] patrandi sceleris possibilitate deserti, vehementer exopto. Carebunt, inquit, [e] ocyus, quam vel tu forsitan velis, vel illi sese existiment esse carituros. Neque enim est aliquid in tam brevibus vitæ metis ita [f] serum, quod exspectare longum immortalis præsertim animus putet: quorum magna spes et B excelsa facinorum machina repentino atque insperato sæpe fine destruitur: quod quidem illis miseriæ [g] modum statuit. 280 [2] Nam si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam: quos infelicissimos esse judicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret. Etenim si de pravitatis infortunio vera conclusimus, infinitam liquet esse miseriam, quam esse constat æternam. Tum ego, Mira quidem, inquam, et concessu difficilis [h] illatio; sed his eam, quæ prius concessa sunt, nimium convenire cognosco. Recte, inquit, existimas: sed qui conclusioni accedere durum putat, æquum est vel falsum aliquid præcessisse demonstret, vel collationem propositionum non esse efficacem necessariæ conclusionis ostendat: alioquin C concessis præcedentibus, nihil prorsus est, quod de [i] illatione causetur. [3] Eam hoc quoque quod dicam,

INTERPRETATIO.

ducunt hominem efficacius a semetipso, quippe *quæ penetrant in mentem, et dum parcunt corpori affligunt mentem* gravi *vulnere.*

[a] Boetius.
[b] *Immerito.*
[c] *Minuitur.*
[d] *Peccare nescii.*
[e] *Citius.*
[f] *Tardum.*
[g] *Finem imponit.*
[h] *Consequentia.*
[i] *Consecutione conqueratur,*

NOTÆ.

Murmur, et in terram toto procumbere vultu
Osque meum sensi pando occallescere rostro,
Colla tumere toris, et qua modo pocula parte
Sumpta mihi fuerant, illa vestigia feci.

27. *Sola mens,* etc.] Circe instar Solis, cujus erat filia, vi herbarum, verborum, 278 et virgæ, quibus utebatur, corpora quidem mutare poterat, non mentes, quippe quæ ut a solo Deo creatæ conservantur, sic a solo Deo mutari possunt; nisi quod eidem menti quædam virtus divinitus insita est; voluntas scilicet sui domina, quæ perturbationibus obsecuta corpori quidem parcere videtur, sed mentem, a Deo sic retrahit, ut eamdem ad infimam bestiarum conditionem deprimere videatur.

[1] *Etenim quod incredibile,* etc.] I. Philosophia probat improbos hoc esse miseriores, quod cupita perficiant: nam velle scelus, magna miseria est, posse, major, perficere, maxima: quandoquidem defectiones sunt, quæ tanto crescunt, quanto a Deo sive summo bono magis ac magis recedunt: quamobrem si improbi non solum velint, et possint, sed etiam perficiant scelus, hi eo ipso erunt miseriores: atqui improbi cupita perficiendo, perficiunt scelus: cum enim improbi sint, hi nihil nisi malum adeoque scelus perficere conantur.

[2] *Nam si nequitia miseros facit,* etc.] II. Eadem philosophia probat improbos hoc esse miseriores, quod diuturniorem vitam agentes cupita perficiant diutius: quia cum miseria sic miserum faciat, ut felicitas felicem, quemadmodum eo aliquis felicior est, quo ejus felicitas est diuturnior; sic eo aliquis est miserior, quo ejus miseria diuturnior est: utraque enim tantas vires acquirit eundo, ut quo antiquior, eo D difficilius alterutra suo destruatur contrario. Atqui quo diutius improbi, diuturniorem vitam agentes, cupita perficiunt, eo diuturnior est eorum miseria: cum, ut diximus, miserrimum sit scelus perficere: quare *infelicissimi essent, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret*: quod mors, licet non sit cujuslibet illorum miseriæ meta, est tamen sceleris ab iisdem perficiendi finis.

[3] *Nam hoc quoque quod dicam,* etc.] III. Philosophia probat improbos hoc esse miseriores, quod impuniti vivant: non solum quia pœnis et sontes deterunt et insontes vitant crimina, verum etiam quia cum miseria crescat accessione mali, non secus ac felicitas accessione boni (quod ut bonum felicitas sic malum miseria sit ex dictis), propterea cuicunque misero accidit aliquid mali, ille hoc ipso miserior est: quemadmodum cuicunque felici accidit aliquid boni, ille eo ipso est felicior. Atqui improbo, ex eo quod hic impunitus vivat, accidit aliquid mali: cum

non minus mirum videatur, sed ex his quæ sumpta sunt æque est necessarium. Quidnam? inquam. Feliciores, inquit, esse improbos supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coerceat. Neque id nunc [a] molior, quod cuivis veniat in mentem, corrigi ultione pravos mores, et ad rectum supplicii terrore deduci, cæteris quoque exemplum esse culpanda fugiendi : sed alio quodam modo infeliciores esse improbos arbitror impunitos, tametsi nulla ratio correctionis, nullus respectus habeatur exempli. Et quis erit, inquam, præter hos alius modus? Et illa, Bonos, inquit, esse felices, malos vero miseros nonne concessimus? Ita est, inquam. Si igitur, inquit, miseriæ cujuspiam bonum aliquid addatur, non felicior est eo, cujus pura ac solitaria sine cujusquam boni admistione miseria est? Sic, inquam, videtur. Quid si eidem **281** misero, qui cunctis careat bonis, præter ea, quibus miser est, malum aliud fuerit annexum, nonne multo infelicior eo censendus est, cujus infortunium boni participatione [b] relevatur? Quid ni? inquam. Habent igitur improbi, cum puniuntur, boni quidem aliquid annexum, pœnam ipsam scilicet, quæ ratione justitiæ bona est : iidemque cum supplicio carent, inest eis aliquid ulterius mali, ipsa impunitas, quam iniquitatis merito malum esse confessus es. Negare non possum. Multo igitur infeliciores improbi sunt injusta impunitate donati, quam justa ultione puniti. Sed puniri improbos, justum; impunitos vero [c] ela-

A bi, iniquum esse manifestum est. Quis id neget? Sed ne illud quidem, ait, quisquam negabit bonum esse omne quod justum est : contraque quod injustum est malum liquere esse. Tum ergo : Ista quidem consequentia sunt eis quæ paulo ante conclusa sunt. Sed quæso, inquam, te, nullane animarum supplicia post defunctum morte corpus relinquis? Et magna quidem, inquit : [1] quorum alia pœnali acerbitate, alia vero purgatoria clementia exerceri puto. Sed nunc de his disserere consilium non est. Id vero hactenus egimus, ut, quæ indignissima tibi videbatur, malorum potestas, eam nullam esse cognosceres : quosque impunitos querebare, videres nunquam improbitatis suæ carere suppliciis : licentiam quam cito finiri precabaris, nec longam
B esse disceres : infelicioremque fore, si diuturnior; infelicissimam vero, si esset æterna : post hæc miseriores esse improbos, injusta impunitate dimissos, quam justa ultione punitos. Cui sententiæ consequens est, ut tum demum gravioribus suppliciis urgeantur, cum impuniti esse credantur. Tum ego, Cum tuas, inquam, rationes considero, nihil dici verius puto. **282** [2] At si ad hominum judicia revertar, quis est ille est, cui hæc non credenda modo, sed saltem non audienda videantur? Ita est, inquit illa. Nequeunt enim oculos tenebris assuetos ad lucem perspicuæ veritatis attollere, [3] similesque [d] avibus sunt, quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat : dum enim non rerem ordinem, sed

INTERPRETATIO.

[a] *Contendo.*
[b] *Minuitur.*
C
[c] *Abire.*
[d] *Noctuis.*

NOTÆ.

enim puniri et non puniri sint contraria, cumque puniri sit aliquid boni etiam improbo, necesse est ut non puniri eidem improbo sit aliquid mali, quamvis *magna animarum supplicia post defunctum morte corpus* supersint.

[1] *Quorum alia pœnali acerbitate, alia vero purgatoria clementia.*] *Malos*, inquit Vallinus, *hic agnoscit non Christianus modo, sed et catholicus Boetius, alios quidem æternis pœnis damnari ; alios vero pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari et purgari diu igne.* Quod agnoscunt ipsi Magdeburgenses, cent. 6, cap. 4, cogitatum a Boetio. Nisi tamen Philosophia, quæ nunc loquitur, voluerit hic exprimere sensa Platonicorum, vel etiam Pythagoræorum, quibus quædam mentes, quod earum scelera nulla purgatione elui possent, æternis afficiebantur suppliciis: aliæ vero, quarum minora erant crimina, aut æternis Elysii voluptatibus fruebantur, omni purgatione perfunctæ, aut partim purgatæ ex Elysio in nova etiam bestiarum corpora detrudebantur. Virgil. VI Æn., v. 739 :

Ergo exercentur pœnis veterumque malorum
Supplicia expendunt : aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos : aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes. Exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus.

[2] *At si ad hominum judicia*, etc.] Mens nostra Deum inter et corpus humanum media; utpote Dei effectus, et corporis humani forma, ab utroque patitur, a Deo illuminanda, a corpore obscuranda : quamobrem eadem mens non ante apta est verum certumque de rebus propositis ferre judicium, quam spretis ipsius corporis motibus, solum præceptorem Deum interrogaverit, iutusque respondentem intellexerit attentius : optimo enim S. August. I de Genes. ad lit., c. 5: *Principium*, ait, *creaturæ intellectualis est æterna sapientia, quod principium manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat occulta inspiratione vocationis loqui ei creaturæ, cui principium est, ut convertatur ad id ex quo est : quod aliter formata ac perfecta esse non posset. Ubique*, inquit idem sanctus doctor l. X Conf., c. 26, *Veritas præsides omnibus consulentibus te simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt*: *quis enim*, ait idem sanctissimus pater, de Immort. animæ, c. 10, *bene se inspiciens non expertus est tanto se aliquid intellexisse sincerius, quanto removere atque subducere intentionem*
D *mentis a corporis sensibus potuit.* Atqui maxima pars hominum præcipitatione et præjudicio potius quam his legibus judicant : unde

[3] *Similes avibus sunt*, etc.] *Vespertilionibus* scilicet et *noctuis*, quæ quod mobilioribus afficiantur oculorum fibris tunicisque, idcirco minimo noctis lumine illuminari, majori vero diei splendore offundi possunt : unde non nisi vespere et nocte, a quibus nomen habent, volitare consueverunt, Ovid. l. IV Metam., fab. 12 :

Jamque dies exactus erat, tempusque subibat
Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem,
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis...
Tectaque non silvas celebrant lucemque perosæ
Nocte volant, seroque tenent a vespere nomen.

suos intuentur affectus, vel licentiam, vel impunitatem scelerum putant esse felicem. Vide autem quid æterna lex sanciat? Melioribus animum conformaveris; nihil opus est judice præmium deferente : tu te ipse excellentioribus addidisti. Studium ad pejora deflexeris; extra ne quæsieris ultorem; tu te ipse in deteriora detrusisti: veluti si [a] vicibus sordidam humum, cœlumque respicias, cunctis extra cessantibus, ipsa cernendi ratione nunc cœno, nunc sideribus interesse videaris. At vulgus ista non respicit. Quid igitur? his ne accedamus, quos belluis similes esse monstravimus? Quid, si quis amisso penitus visu, ipsum etiam se habuisse oblivisceretur intuitum, nihilque sibi ad humanam perfectionem deesse arbitraretur, non videntes eadem cæcos putaremus? **283** [1] Nam ne illud quidem acquiescent, quod æque validis rationum nititur firmamentis, infeliciores eos esse, qui faciunt, quam qui patiuntur injuriam. Vellem, inquam, has ipsas audire rationes. Omnem, inquit, improbum num supplicio dignum negas? Minime. Infelices vero esse, qui sint improbi, multipliciter liquet. Ita est inquam. Qui igitur supplicio digni sunt, miseros esse non dubitas? Convenit, inquam. Si igitur [b] cognitor, ait, resideres, cui supplicium inferendum putares, eine qui fecisset, an qui pertulisset injuriam? Nec [c] ambigo, inquam, quin perpesso satisfacerem dolore facientis. Miserior igitur tibi injuriæ illator, quam acceptor esse videretur. Consequitur, inquam. Hac igitur aliisque de causis ea radice nitentibus, quod turpitudo suapte natura miseros faciat, apparet, illatam cuilibet injuriam non accipientis, sed inferentis esse miseriam. Atqui
A nunc, ait, contra faciunt [d] oratores. Pro his enim qui grave quid, acerbumque perpessi sunt, miserationem judicum excitare conantur, cum magis admittentibus justior miseratio debeatur : quos non ab iratis, sed a propitiis potius, miserantibusque accusatoribus ad judicium, veluti ægros ad medicum duci oportebat, ut culpæ morbos supplicio resecarent: quo pacto defensorum opera, vel tota frigeret, vel si prodesse hominibus mallet, in accusationis habitum verteretur. Ipsi quoque improbi, si eis [e] aliqua rimula virtutem relictas fas esset aspicere, vitiorumque sordes pœnarum cruciatibus se depositturos viderent, compensatione adipiscendæ probitatis, nec hos cruciatus esse dicerent, defensorumque
B operam repudiarent, ac se totos accusatoribus judicibusque permitterent. Quo fit, ut apud sapientes nullus prorsus odio locus relinquatur. Nam bonos qui nisi stultissimus oderit? malos vero odisse ratione caret. Nam si, uti corporum languor, ita vitiositas quidam est quasi morbus animorum; cum ægros corpore minime dignos odio, sed potius miseratione judicemus, multo magis non insequendi, sed miserandi sunt, quorum mentes omni languore atrocior urget improbitas.

285 METRUM * IV.

ARGUMENTUM. — *Cum mors immineat, aut sponte veniens, aut a feris aliisque hominibus accelerata, inquit Philosophia, præstat te diligere probos et misereri improborum, quam ullos odisse et armis lacessere.*

Quid tantos juvat excitare motus
C Et propria fatum sollicitare manu?
Si mortem petitis, propinquat ipsa
Sponte sua, volucres nec remoratur equos,

INTERPRETATIO.

[a] *Alternis.*
[b] *Judex.*
[c] *Dubito.*
[d] *Advocati.*
[e] *Aliquo modo.*

Quid prodest vobis *excitare motus tantos* odii *et urgere mortem vestris manibus? Si quæritis mortem, hæc appropinquat ultro neque tardat equos suos præcipites: Scilicet homines sese perimunt gladio, quos serpens, leo, tigris, ursus,* et *apri perimunt, dentibus. Num idcirco instruunt exercitus iniquos, parant arma crudelia cupiuntque occumbere telis reciprocis, quod*

NOTÆ.

[1] *Nam ne illud quidem acquiescent*, etc.] IV Philosophia probat improbos eo esse miseriores, quod injuriam cæteris inferant : quia cum improbus **284** omnis sit miser, eumque improbus sit quicunque supplicio dignus est, propterea quo aliquis supplicio est magis dignus, eo magis improbus adeoque magis miser haberi debet : sic cognitor existimans esse deterius inferre quam pati injuriam, statuit supplicium inferendum non ei qui pertulit, sed ei qui fecit injuriam. Unde Christus, Matth. v, *Beati*, inquit *qui persecutionem patiuntur*; quo respiciens S. Chrysost. ait *neminem lædi nisi a seipso.* Atqui improbus eo magis dignus est supplicio, quod alteri intulerit injuriam : reipublicæ quippe interest, ut improbi puniantur.

Atque ex his omnibus sequitur, improbos sive ægros animo, non secus ac ægros corpore non odio, sed miseratione potius dignos esse : quare

* Carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quorum prior phaleucus, spondeum, dactylum, et duos trochæos habet, unde quinto versu legi debet *apri* non *aper;* posterior est pentamenter elegiacus, de quo supra.

1. *Tantos motus.*] Ut perturbationes motibus corporis concipiuntur : sic eædem conceptæ diversos producunt ejusdem corporis motus. Sed nulla perturbatio tantos motus, quantos odium parit : qui enim odio commovetur, hi in amicos, fortunas, fa-
D mam, vitam denique ipsam adversariorum erumpunt.

2. *Fatum sollicitare manu.*] Sollicitare proprie dicitur ille qui corpus de suo loco movet, quasi hoc de suo solo movendo, vicinum a quo recedit, relinquat solum, ut ipsum solum abit. Hinc propter quamdam similitudinem sollicitare dicimur mentem, cum eam spe, metu, aut qualibet alia ratione de sua sententia movere tentamus. Sic ergo qui duello pugnant, quod mortem veluti de suis sedibus pulsam ad semetipsos movere videantur, hi mortem dicuntur propria manu sollicitare, quemadmodum Seneca in Hercul. fur., v. 867, canit :

Quid juvat durum properare fatum,
Omnis hæc magnis vaga turba terris
Ibit ad manes facietque inerti
Vela Cocyto.

3. *Si mortem petitis*, etc.] Philosophia videtur deinceps afferre causas mortis. Causa autem mortis duplex. Una interior, sive naturalis elementorum,

286 Quos serpens, leo, tigris, ursus, apri
Dente petunt, iidem se tamen ense petunt.
An distant quia, dissidentque mores,
Injustas acies, et fera bella movent,
Alternisque volunt perire telis?
Non est justa satis sævitiæ ratio.
Vis aptam meritis vicem referre?
Dilige jure bonos, et miseresce malis.

287 PROSA V.

Argumentum. — *Boetium, ut sibi videbatur, more sapientis mirantem, Deo mundum regente, bonis adversa, malis prospera accidere, Philosophia monet, non ideo homini dubitandum, cuncta recte fieri, quod causam tantæ dispositionis ille ignoret.*

Hic ego, Video, inquam, quæ sit vel felicitas, vel miseria in ipsis proborum atque improborum meritis constituta. Sed in hac ipsa fortuna [a] populari, non nihil bono, malive inesse perpendo. [1] Neque enim sapientum quisquam exsul, inops, ignominiosusque esse malit potius, quam pollens opibus, honore reverendus, potentia validus, in sua permanens urbe florere. Sic enim clarius, [b] testatiusque sapientiæ tractatur officium, cum in contingentes populos regentium quodam modo beatitudo transfunditur: cum præsertim carcer, [c] nexus, cæteraque legalium tormenta pœnarum perniciosis potius civibus, propter quos etiam constituta sunt, debeantur. Cur hæc igitur versa vice mutentur, scelerumque supplicia bonos premant, præmia virtutum mali rapiant, vehementer admiror, quæque tam injustæ confusionis ratio videatur, ex te scire desidero. **288** [2] Minus etenim mirarer, si misceri omnia fortuitis casibus crederem. Nunc stuporem meum Deus rector [d] exaggerat, qui cum sæpe bonis jucunda, malis aspera, contraque bonis dura tribuat, malis optata concedat, nisi causa deprehendatur, quid est quod a fortuitis casibus differre videatur? [3] Nec mirum, inquit, si quid ordinis ignorata ratione, temerarium confusumque credatur. Sed tu quamvis causam tantæ dispositionis ignores, tamen quoniam bonus mundum rector temperat, recte fieri cuncta ne dubites.

289 METRUM * V.

Argumentum. — *Idcirco, inquit Philosophia, vulgus*

INTERPRETATIO.

eorum mores inter se differunt ac dissentiunt? hæc causa sæviendi non est satis æqua. Optasne rependere meritum simile merito simili? ama, ut æquum est, bonos, et miserere improborum.

[a] *Vulgari.*
[b] *Apertiusque.*
[c] *Vincula.*
[d] *Auget.*

NOTÆ.

ex quibus homo constat, compositio: et hæc notatur his verbis, *propinquat ipsa sponte sua.* Altera exterior, quæ rursus ponitur in duplici discrimine: hæc enim mors est vel a feris, cujusmodi sunt *serpens, leo, tigris, ursus, aper;* vel ab aliis hominibus, qui, veluti indignantes, mortem prædictis causis acceleratam longiores moras agere, hanc conversis in sese invicem armis advocant.

5. *Apri.*] Sic legimus cum Vallino, non *aper*: quod hujus prima syllaba semper corripiatur: alioquin *apri* non haberet primam syllabam communem: sicut *matris* et *fratris* priores syllabæ non sunt communes, quod *mater* et *frater* primis syllabis producantur.

10. *Non est justa satis sævitiæ ratio.*] Alterius cogitationes tuis cogitationibus contrariæ nullum tibi dare possunt jus necis in alterum hominem: cum vita humana ita in summa solius Dei potestate versetur, ut neque judici, neque ipsi regi, nisi quatenus hic vice Dei gerit, fas sit hominem interficere: *Ad imaginem quippe Dei,* inquit Deus Genes. IX, *factus est homo.*

11. *Vis aptam meritis vicem referre.*] Par pari cogitando referre, sive cogitationes cogitationibus compensare.

12. *Dilige jure bonos.*] Quod enim amor nequeat nisi amore compensari, justitiæ est bonos, a quibus diligimur, a nobis diligi. Neque tamen sequitur odium odio compensandum: sed

12. *Miseresce malis.*] Nihil quippe rationi magis consentaneum quam miserorum misereri: mali autem omnes miseri sunt, cum propter rationes prædictas, tum maxime quia peccando deficiunt: miser quippe, si credamus Varroni l. VI de l. l., dicitur a *minus,* ut pote cui cum opus est, minus nullo est, vel, ut placet Cujacio, a Græco μῦσος scelus.

[1] *Neque enim sapientum quisquam,* etc.] I. Boetius, ut sibi videtur, more sapientis miratur, bonis adversa, malis prospera accidere, duplici de causa. Prima est, quod populi sapientibus ducibus facilius crederent, eorumdemque præcepta observarent religiosius, si sapientum ducum felicitatem una cum sapientia populis infundi viderent. Altera quod supplicia non nisi improbis videantur constituta. Supplicia autem hic dicuntur *carcer* et *nexus. Nexus* quidem sive, ut alii legunt *lex,* quoniam vinculis premi supplicium est. Carcer vero etiam a Lucretio inter alia suppliciorum genera numeratur lib. III:

Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Est insignibus insignis, scelerisque luela,
Carcer et horribilis de saxo jactu deorsum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ.

[2] *Minus etenim mirarer,* etc.] II. Boetius eo magis miratur bonis adversa, malis prospera accidere, quod Deus infinite sapiens, bonus et potens, mundum regat: Deus enim accusari non potest aut ignorantiæ, qua nesciat has vices; aut malitiæ, qua velit; aut impotentiæ, qua sciens volensque has vices nequeat mutare. Id miratur etiam David psal. LXXII: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns.* Id etiam mirabatur Jeremias cap. XII: *Quare via impiorum prospera, bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt?*

[3] *Nec mirum,* etc.] III. Philosophia respondet hanc admirationem, ut cæteras, oriri ex ignoratione causæ; sed ignorationem hanc non esse legitimum argumentum ex quo concludi possit, Deum non esse bonum mundi rectorem, aut omnia non recte fieri: sicut deinceps eadem Philosophia probabit.

* Carmen, quod dici potest constare duplici genere versuum tetrametrorum alternorum, quorum prior trochæo, posterior spondeo incipit: uterque autem post primum pedem, spondeum, vel iambum, vel dactylum habens cum syllaba superstite, quam vocant cæsuram, dactylo et spondeo finitur. Excipitur tamen vigesimus versus, cujus primus pes est iambus et secundus tribrachus.

miratur effecta cælestia, terrestria autem non miratur quod horum noscat, illorum ignoret causas. A

Si quis Arcturi sidera nescit
Propinqua summo cardine labi,
Cur regat tardus plaustra Bootes,
Mergatque seras æquore flammas,
Cum nimis celeres explicet ortus,
Legem stupebit ætheris alti.
290 Palleant plenæ cornua lunæ
Infecta metis noctis opacæ,
Quæque fulgenti texerat ore
Confusa Phœbe, detegat astra :
Commovet gentes publicus error,
Lassantque crebris pulsibus æra.
Nemo miratur flamina cori
Littus frementi tundera fluctu,
291 Nec nivis duram frigore molem
Fervente Phœbi solvier æstu.
Hic enim causas cernere promptum est
Illic latentes pectora turbant
Cuncta; quæ rara provehit ætas
Stupetque subitis mobile vulgus.
Cedat insciti nubilus error,
Cessent profecto mira videri.

INTERPRETATIO.

Si quis ignoret, stellas Ursæ verti prope supremum polum, hic admiratur vehementer legem cœli sublimis, qua Bootes, qui habet ortum velociorem, lentus agat currum suum *et* nunquam *demittat ignes suos tardos in mare. Si orbita lunæ plenæ palleat, fœdata terminis noctis obscuræ, et quæ luna velaverat vultu splendido stellas minores,* hæc *obscurata revelet easdem stellas,* hinc *error communis turbat populos, qui* propterea *repetitis ictibus fatigant cymbala. Nemo miratur, ventos cori ferire oras marinas undis tumultuantibus, neque cumulum nivis frigore induratum liquari calore vehementi solis : nam hic facile est cognoscere causas : illic causæ occultæ perturbant* admiratione *omnes mentes. Plebecula inconstans miratur ea quæ raro et subito eveniunt. Error obscurus ignari vulgi facessat*; hæc *certe desinent videri admirabilia.* B

NOTÆ.

1. *Arcturi.*] Arcturus dicitur ab ἄρκτος *ursa*, et οὐρὰ *cauda,* quasi *ursæ cauda*, est stella omnium, ex quibus major Ursa constat, maxime polo vicina : unde dici solet *stella polaris* : quare cum polus arcticus ab hac Ursa sic vocatus nobis semper appareat, ut pote nostro horizonte sublimior, idcirco stella hæc, ceu antipodas horreat, nunquam occidit : hinc Virgil. I Georg., v. 246 :

Arctos oceani metuentes æquore tingi.

Scilicet propter odium Junonis, ut fingunt poetæ, quæ quod majorem Ursam in cœlum admissam ægre ferret, Tethyn rogavit, ne suis hanc pellicem sineret aquis lavari. Idem Arcturus vocatur etiam *Arctophylax* et *Bootes*, de quo fit sermo in 3 versu. *Arctophylax* quidem sive *custos Ursæ*, sive, ut loquitur Ovidius,*custos Erimanthidos ursæ*, quod videatur ursam, quam semper comitatur, custodire. *Bootes* vero sive bubulcus, quia stellis formam boum currusque referentibus instar cujusdam bubulci adhæret : hinc Propertio dicitur *versare boves et plaustra Bootes.* Juvenal. sat. 5, v. 22 :

Aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.

Illud porro sidus triplici hoc nomine donatum, recte dicitur *summo cardine*, cui *propinquum* est, *labi* : adeoque hinc *tardum seras flammas in æquore mergere,* inde vero *celeres explicare ortus.* Primum quidem sidus illud summo cardine labitur : quia vertitur ad polum septentrionalem, qui nobis semper apparet et in quo tanquam in altero mundi cardine orbis cœlestis verti fingitur. Deinde idem sidus tardum seras in mari mergit flammas, quoniam nunquam infra nostrum horizontem descendens, nunquam occidit. Denique idem sidus celeres explicat ortus, quod majori duntaxat solis lumine occultatum statim atque lumen solare, objecta terra, minutum est, emicat. Ille autem qui hanc causam ignorat prædicta miratur.

7. *Palleant plenæ cornua lunæ.*] Luna, quæ etiam dicitur *Phœbe*, quod per noctem splendeat, est corpus cœleste opacum, quod solari lumine ita relucet, ut modo angulatam, modo rotundam splendoris formam exhibeat. Contingit autem aliquando ut inter solem et lunam plenam sive rotundo splendore relucentem, terra ita interjaceat ut luna umbris terrestribus obscurata rotundum suum splendorem statim amittat, et stellæ, quæ majori lunæ lumine offusæ ante latebant, incipiant emicare. Tum veteres, qui falsa superstitione existimabant hinc quidem lunam carminibus pati hoc deliquium, inde vero tinnitu æris vel cymbalorum liberari, ad *æra lunæ auxiliaria*, ut vocat Tibullus, confugiebant : idem Tibullus,

Cantus et e curru lunam deducere tentat
Et faceret si non æra repulsa sonent,

Juvenalis sat. 6, l. II, v. 440 :

Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari : jam nemo tubas, nemo æra fatiget
Una laboranti poterit succurrere lunæ.

Nemo nescit vulgatum illud Virgilii ecl. 8, v. 69 :

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.

Hæc autem omnia, quæ sex prædictis versibus eleganter describuntur a Philosophia, ideo miratur vulgus, quia horum causam nescit. C

13. *Nemo miratur*, etc.] Postquam Philosophia quædam protulit quæ homines propter ignorantiam causarum mirari solent, contraria refert quæ iidem homines non mirantur, quod illorum causas norint. Primum quidem homines non mirantur *corum* sive *caurum*, ventum ab occasu æstivo spirantem *fluctu frementi tundere* oras marinas, quod iisdem notum sit ventum hunc esse corpus commotum, corpusque commotum naturaliter tundere corpora obvia. Deinde iidem homines non mirantur molem nivis frigore induratam fervente solis æstu liquefieri, quod sciant quietas nivis duræ partes moveri posse a commotis solari æstus particulis.

19 et 20. *Quæ rara provehit ætas stupetque subitis.*] *Ignara plebecula admiratur quæcumque et raro et subito contingunt.* Nimirum admiratio est subita commotio mentis attentius spectantis ea quæ nova videntur et magna : unde causa hujus perturbationis est res et rara et subita. Rara quidem ; nam, ut barbari loquuntur, *ab assuetis non fit passio.* Subita vero; quoniam, ut recte ait S. Gregorius, *jacula quæ prævidentur minus feriunt.* Verum, inquit grammaticus, quo jure hic variatis *casibus* dicitur vulgus stupere *rara* et *subitis?* num conjunctio pares optat *casus?* Optat, inquam, pares *casus* : sed non raro, posthabita verborum constructione, sensa duntaxat junguntur : sic Cicero dixit : *Emi centum aureis et pluris:* quanquam hic constructio solita non mutatur, sed verbum quoddam tacitum debet intelligi; quasi diceretur *stupet quæ rara sunt et stupet subitis* : sicut enim Tullius dixit, II de Fin : *Nos Varrones stupemus* : sic Horatius l. I Satyr., sat. 4, cecinit, D

Hunc capit argenti splendor : stupet Albius ære.

21. *Cedat insciti.*] *Ignari* : quanquam omnes hic le-

292 PROSA VI.

ARGUMENTUM. — *Philosophia, indicata materia deinceps tractanda, et modo qua disputabitur, ponit cum providentiæ divinæ, tum fati definitionem : unde hoc illi ita subjici demonstrat, ut non minus providentiæ divinæ, quam fati sit, et probos tristibus et improbos optatis nunc affici.*

Ita est, inquam. Sed cum tui muneris sit latentium rerum causas evolvere, velatasque caligine explicare rationes, quæso [a] uti hinc decernas et, quoniam hoc me miraculum maxime perturbat, [b] edisseras. Tum illa paulisper arridens : Ad rem me, inquit, omnium quæsitu maximam vocas, cui vix [c] exhausti quidquam satis sit. Talis namque materia est, ut, una dubitatione succisa, innumerabiles aliæ, velut [d] hydræ capita, succrescant : nec ullus fuerit modus, nisi quis eas vivacissimo mentis igne coerceat. [1] In hac enim de Providentiæ simplicitate, de fati serie, de repentinis casibus, de cognitione, ac prædestinatione divina, de arbitrii libertate

A quæri solet : quæ quanti oneris sint ipse perpendis. Sed quonam hæc quoque te nosse, quædam medicinæ tuæ portio est, quanquam angusto limite temporis septi, tamen aliquid [e] delibare conabimur. Quod si te musici carminis oblectamenta delectant, hanc oportet paulisper differas voluptatem, dum nexas sibi ordine contexo rationes. Ut libet, inquam.

293 [2] Tum velut ab alio orsa principio, ita disseruit. Omnium generatio rerum, cunctusque mutabilium naturarum progressus, et quidquid aliquo movetur modo, causas, ordinem, formas ex divinæ mentis [f] stabilitate sortitur. Hæc in suæ simplicitatis arce composita, multiplicem rebus gerendis modum statuit. Qui modus cum in ipsa divinæ intelli-

B gentiæ puritate conspicitur, Providentia nominatur : cum vero ad ea quæ movet atque disponit refertur, fatum a veteribus appellatum est. Quæ diversa esse facile liquebit, si quis utriusque vim mente conspexerit. [3] Nam Providentia est illa ipsa divina ratio in

INTERPRETATIO.

[a] *Ut hac de re dicas tuam sententiam.*
[b] *Exponas.*
[c] *Dici potest aliquid satis accuratum.*
[d] *Serpentis plurium capitum.*
[e] *Leviter attingere.*
[f] *Constantia.*

NOTÆ.

gnant, *inscitiæ*; existimavimus tamen, deleta ultima syllaba, quæ scriptorum inscitia facile introduci potuit, legendum esse *insciti*, hoc est *ignari vulgi :* leges enim hujus carminis ferre non possunt *inscitiæ*, cujus secunda syllaba producetur Horatio Satyr. l. II, sat. 2 :

Illum aut nequities aut vafri inscitia juris.

[1] *In hac enim de Providentiæ simplicitate*, etc.] I. Philosophia indicat materiam deinceps sibi tractandum, in qua, una dubitatione succisa, innumeræ aliæ oriuntur : hujusmodi sunt divina Providentia, fatum, concordia libertatis humanæ cum divina prænotione. *Hydra* autem, cujus similitudine nunc utitur Philosophia, quinquaginta vel, ut alii volunt, centum habebat capita, quorum, uno abscisso, duo renascebantur, donec Hercules, amputato unoquoque capite, vulneri ignem admoverit. De Lernæa hac bestia infra dicetur metro 7 hujus lib., v. 22.

[2] *Tum velut ab alio orsa principio.*] II. Philosophia indicat modum quo deinceps disputabitur. Nimirum cum Deus non minus sit causa prima, quam finis ultimus rerum omnium, Philosophia ad suum institutum probandum argumenta desumere potest a Deo in utroque hoc genere causæ : quæ autem hactenus expositæ sunt rationes, hæ a Deo veluti fine acceptæ sunt, quare quæ deinceps afferentur, ipsæ a Deo velut a causa efficiente prima accipientur; hinc Philosophia incipit : Quidquid, inquit, creatur, conservatur et aliquo modo afficitur, illud a Deo velut a prima causa creatur, conservatur, et modificatur : quod enim in eodem eoque simplici semper modo fiat, propterea ab una eaque simplici mente, nimirum Deo fiat, necesse est. Sic *divina mens multiplicem rebus gerendis modum statuit, qui modus, cum in ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, Providentia nominatur; cum vero ad ea quæ movet atque disponit refertur, fatum a veteribus appellatur.*

Sitne *puritas* vox Latina, dubitatur. Alii aiunt, alii negant. Scioppius in animadversionibus in Vossium, suum huic dictioni jus Latinitatis restituere conatus, ait : *Sin autem impuritatem Vossius Latinum esse assentitur propter Ciceronis auctoritatem, ipsius quoque judicio duritas minime barbarum videri debet . . . . Meo ergo judicio potest jam Vossius securo esse animo, et quamvis in veterum auctorum libris qui sunt reliqui (cum maximam eorum partem interiisse, eoque innumerarum vocum Latinarum jacturam factam esse constet) puritatis vocabulum non invenerit : quia tamen impuritatem in Cicerone legimus, non habet cur seipsum unaque secum alios doctissimos homines in vulgi barbari*

C *turbam conjiciat.*

At quamvis Cicero dixerit *infinitatem*, *infirmationem*, Terentiusque *infortunium*, non inde sequitur, *finitatem*, *firmationem*, *fortunium* voces esse Latinas.

[3] *Nam Providentia*, etc.] III. Philosophia affert definitionem divinæ Providentiæ : *Est*, inquit, *illa ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit.* Quæ quidem definitio, quia ab omnibus theologis propugnatur, ideo diligentius videtur exponenda. Igitur

Dicitur, 1° *ratio* : cum enim *ratio* dicatur a *reor*, cumque *reor* idem sit quod *puto* sive *cogito* , propterea cogitatio omnis recte dicetur *ratio* : hinc autem factum arbitror, ut *ratio* etiam Tullio sit mens, intelligentia, consilium, judicium, argumentatio, institutum et cætera id genus. Omnis autem providentia quædam est cogitatio; quandoquidem quædam est qualitas menti insita, cujus mens ipsa proxime conscia est. Igitur Providentia est ratio.

D Verum cum cogitatio duplicis sit generis, nimirum notio et voluntas, quæstio est inter theologos, utrum Providentia sit notio tantum, utrum voluntas tantum ; utrum notio simul et voluntas : quod ultimum video pluribus probari, quanquam iidem inter se disputent, utra ex his duabus cogitationibus præcipua sit in ipsa Providentia ? Hinc providentia divina a Ludovico Vives definitur, voluntas Dei consilio universa gubernantis.

Dicitur 2° *divina :* nam providentia dici potest de omni mente, sive divina, sive etiam creata : imo cum *Providentia,* auctore Tullio, sit *per quam futurum aliquid videtur antequam factum sit ;* cumque menti divinæ nihil futurum sit, contra vero mentibus creatis plura sint futura, idcirco Providentia melius rectiusque dicitur de cæteris mentibus, quam de divina. Hic tamen non agitur nisi de Providentia divina, quæ propterea debuit dici *ratio divina,* sive cogitatio divinæ mentis.

summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit : **294** [1] fatum vero inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam Providentia suis quæque nectit ordinibus. Providentia namque cuncta pariter, quamvis diversa, quamvis infinita, complectitur : fatum vero singula digerit in motum locis, formis, ac temporibus distributa : ut hæc temporalis ordinis explicatio, in divinæ mentis adunata [a] prospectu, Providentia sit : eadem vero adunatio digesta atque explicata temporibus fatum vocetur. Quæ, licet diversa sint, alterum tamen pendet ex altero. Ordo namque fatalis ex Providentiæ simplicitate procedit. Sicut enim artifex faciendæ rei formam mente percipiens, movet operis effectum, et quod simpliciter, [b] præsentarieque prospexerat, per temporales ordines ducit; ita Deus Providentia quidem singulariter, stabiliterque facienda disponit : fato vero hæc ipsa, quæ disposuit, multipliciter ac temporaliter administrat. **295** [2] Sive igitur, famulantibus quibusdam Providentiæ divinis spiritibus, fatum exercetur, seu anima, seu tota inserviente natura, seu cœlestibus siderum motibus, seu angelica virtute, seu dæmonum varia solertia, seu aliquibus horum, A seu omnibus fatalis series texitur; illud certe manifestum est, immobilem, simplicemque gerendarum formam rerum esse providentiam : fatum vero eorum quæ divina simplicitas gerenda disposuit, mobilem nexum, atque ordinem temporalem. [3] Quo fit, ut omnia quæ fato subsunt, Providentiæ quoque subjecta sunt; cui ipsum etiam subjacet fatum. Quædam vero, quæ sub Providentia locata sunt, fati seriem superent. Ea vera sunt, quæ primæ propinqua divinitati stabiliter fixa, fatalis ordinem mobilitatis excedunt. Nam ut orbium circum eumdem cardinem sese vertentium, qui est intimus, ad simplicitatem medietatis accedit, cæterorumque extra locatarum veluti cardo quidam, circa quem versentur, existit : B extimus vero majore ambitu rotatus, quanto a puncti media individuitate discedit, tanto amplioribus spatiis explicatur : si quid vero illi se medio connectat et societ, in simplicitatem cogitur, diffundique ac diffluere cessat. Simili ratione quod longius a [c] prima mente discedit, majoribus fati nexibus implicatur, ac tanto aliquid fato liberum est, quanto illum rerum cardinem vicinus petit. Quod si supernæ **296** mentis hæserit firmitati, motu carens,

INTERPRETATIO.

a *Notione.*
b *Et imaginando.*
c *Deo.*

NOTÆ.

Dicitur 3° *in summo omnium principe constituta*: quia Providentia divina est attributum Dei, quatenus Deus est summus omnium princeps : summi quippe principis est, providere omnibus. Sapientiæ VI : *Æqualiter cura est illi de omnibus;* et cap. VIII : *Attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.*

Dicitur 4° *quæ cuncta disponit :* quoniam providæ mentis est, pro eo quem sibi proponit fine materiam sibi subjectam suo quamque ordine et loco ponere. Hinc Providentia divina definitur a S. Thoma *ratio ordinis rerum in finem.*

[1] *Fatum vero inhærens*, etc.] IV. Philosophia subjicit definitionem fati : *fatum*, inquit, est *inhærens rebus mobilibus dispositio per quam Providentia suis quæque nectit ordinibus :* quod etiam clarius interpretari conabimur.

Primum igitur fatum, interpretatione nominis, nihil est aliud quam divinæ voluntatis signum, sive dictum divinum ; nam judicio Varronis, quod Parcæ constituerunt nascenti, a fando fatum est dictum : atque hoc modo S. Aug. l. V de Civit. Dei, cap. 9, ait, apud Christianos esse fatum : *Non enim*, inquit, *abnuere possumus esse scriptum in Litteris sanctis : semel locutus est Deus . . . quod enim dictum est, semel locutus est; intelligitur immobiliter, hoc est, incommutabiliter est locutus, sicut novit incommutabiliter omnia quæ futura sunt, et quæ ipse facturus est.* Lucanus in nono :

Non vocibus ullis
Numen eget, dixit semel nascentibus auctor,
Quidquid scire licet.

Deinde fatum est *dispositio* : quia est ipsa res creata, corpus nimirum, aut mens suo tempore, loco, aut quocumque alio modo affecta : id quippe est Dei volentis jussum dictumque.

Præterea dispositio hæc *inhæret rebus mobilibus* : est enim fatum, modus rei duntaxat creatæ : ut pote quæ nec fieri nec conservari, nec quocunque modo affici, nisi divina voluntate, cujus illa dispositio est signum, potest.

C Insuper *per hanc dispositionem rebus mobilibus inhærentem divina Providentia suis quæque nectit ordinibus*: nam *equidem*, inquit Q. Curtius, *æterna constitutione crediderim nexuque causarum latentium et multo ante destinatarum suum quæque ordinem immutabili lege percurrere.* Uno verbo fatum est ipse patiendi agendique modus, quo res mobilis ab immobili Deo sapientissime afficitur : quod evidentius patebit consideranti sequentia Providentiæ et fati discrimina, quæ deinceps a Philosophia proponentur veluti quædam prædictæ utriusque definitionis consectaria.

[2] *Sive igitur famulantibus*, etc.] Etiamsi constet, fatum quemdam esse rei mobilis modum, constetque præterea, modum hunc esse a Deo, tanquam a prima causa, dubitari tamen potest, utrum fatum sit a Deo proxime, an famulantibus quibusdam aliis rebus : hinc Philosophia quasdam philosophorum hac de re perstringit opiniones, quarum nullam cæteris anteponit, quod quamvis Deus utatur geniis cum bonis D tum malis; spiritu universi; elementis; corporibus cœlestibus ; et aliis ejusmodi rebus ad fatum aliquod exercendum, nulla tamen est ex his rebus qua Deus utatur generatim ad movendas reliquas res creatas, sive ad omne fatum.

[3] *Quo fit*, etc.] Ex dictis Philosophia conficit, providentiam divinam latius patere fato, quatenus quæcunque fato subsunt, hæc etiam Providentiæ subjiciuntur, sed quæcunque subjiciuntur Providentiæ, hæc non ita fato subsint; non quod res ulla creata possit, Deo non modificante, modificari ; sed quod non omnis res creata æque sit mutabilis : cum enim fatum sit *dispositio rebus mobilibus inhærens*, ex rebus creatis quædam magis, quædam minus fato subjici dicuntur, prout magis aut minus a prima mente discedentes magis aut minus obnoxiæ sunt mutationi : quod Philosophia exponit exemplo plurium orbium circa immotum eumdem axem ita actorum, ut quo ad axem magis aut minus accedunt eo minori aut majori motu cieantur.

fati quoque [a] supergreditur necessitatem. [1] Igitur uti est ad [b] intellectum ratiocinatio; ad id quod est, id quod gignitur, ad æternitatem tempus, ad puncti medium circulus; ita est fati series mobilis ad Providentiæ stabilem simplicitatem. Ea series cœlum ac sidera movet, elementa in se invicem temperat, et alterna commutatione transformat. Eadem [c] nascentia, occidentiaque omnia per similes fetuum, seminumque renovat progressus. Hæc actus etiam, fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit : quæ cum ab immobilis Providentiæ proficiscantur exordiis, ipsas quoque [d] immutabiles esse necesse est. Ita enim res optime reguntur, si manens in divina mente simplicitas, indeclinabilem causarum ordinem promat; hic vero ordo res mutabiles, et alioqui temere fluituras propria [e] incommutabilitate coerceat. Quo fit, ut tametsi vobis hunc ordinem minime considerare valentibus, confusa omnia perturbataque videantur, nihilominus tamen suus modus ad bonum dirigens cuncta disponat. Nihil est enim quod mali causa ne ab ipsis quidem improbis fiat : quos, ut [f] uberrime demonstratum est, bonum quærentes pravus error avertit, [g] ne dum ordo de summi boni cardine proficiscens, a suo quemquam deflectat exordio. [2] Quæ vero inquies, potest ulla iniquior esse confusio, quam ut bonis tum **297** adversa, tum prospera, malis etiam tum optata, tum odiosa contingant? Num igitur ea mentis integritate homines degunt, ut quos probos improbosve censuerit, eos quoque, uti existimant, esse necesse sit? Atqui qui in hoc hominum judicia [h] depugnant et quos alii præmio, alii supplicio dignos arbitrantur. Sed concedamus, ut aliquis possit bonos malosve discernere; num igitur poterit intueri illam intimam temperiem, veluti in corporibus dici solet, animorum? Non enim dissimile est miraculum nescienti cur sanis corporibus, his quidem dulcia, illis vero amara conveniant. Cur ægri etiam quidam lenibus, quidam vero acribus adjuvantur. At hoc medicus, qui sanitatis ipsius, atque ægritudinis modum temperamentumque dignoscit, minime miratur. Quid vero aliud animorum salus videtur esse, quam probitas? quid ægritudo, quam vitia? Quis autem alius vel servator bonorum, vel malorum depulsor, quam rector ac medicator mentium Deus? Qui, cum ex alta providentiæ [i] specula respicit, quid unicuique conveniat agnoscit, et, quod convenire novit, accommodat. Hinc jam fit illud fatalis ordinis insigne miraculum, cum ab sciente geritur, quod stupeant ignorantes. Nam ut pauca, quæ ratio valet humana, [j] de divina profunditate perstringam, [k] de hoc, quem tu justissimum et æqui servantissimum putas, omnia scienti Providentiæ diversum videtur. Et victricem quidem causam diis, victam vero Catoni placuisse [l] familiaris noster Lucanus admonuit. Hic igitur [m] quidquid citra spem videas geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni vero tuæ perversa confusio. Sed sit aliquis ita bene moratus, ut de eo divinum judicium pariter, humanumque consentiat; sed est animi viribus infirmus : cui, si quid eveniat adversi, desinet colere forsitan innocentiam per quam non potuit retinere fortunam. Parcit itaque sapiens dispensatio ei quem deteriorem facere possit adversitas, ne cui non convenit laborare patiatur. Est alius cunctis virtutibus absolutus, sanctusque ac Deo proximus : hinc contingi quibuslibet adversis nefas Providentia judicat, adeo, ut ne corporeis quidem morbis

INTERPRETATIO.

[a] *Transcendit.*
[b] *Intelligentiam.*
[c] Series.
[d] Fortunas.
[e] *Constantia.*
[f] *Abundantissime.*
[g] *Tantum abest ut.*
[h] *Inter se opponuntur.*
[i] *Vigilia hoc est loco; unde vigiles longius prospiciunt.*
[j] *De Deo incomprehenso.*
[k] *Quod tu putas æquum, idipsum Deus scientissimus iniquum videt.*
[l] *Philosophiæ peritus.*
[m] *Omnia quidem recte fiunt, sed de eorum eventu male judicas.*

NOTÆ.

[1] *Igitur uti est ad intellectum*, etc.] Nimirum ut ex intellectu sive intelligentia (quæ nihil est aliud quam cognitio clara et distincta, quæque est norma ut sententiæ sic ratiocinationis veræ certæque) constante et veluti immota oritur ratiocinatio, quæ est veluti progressus mentis unum judicium ex pluribus aliis probantis vel improbantis : ut ex materia eadem manente, diversa generantur corpora, v. g, seges, triticum, panis, sanguis, caro : ut ab æternitate, quæ est diuturnitas rei sine principio et sine fine existentis, procedit tempus quod est diuturnitas rei cum principio et fine existentis ut centro immoto movetur circulus, ita providentiæ Dei immotæ subjicitur fati series mobilis.

[2] *Quæ vero, inquies, potest ulla*, etc.] IV. Philosophia ex prædictis principiis infert, non minus Providentiæ quam fati esse quod bonis etiam adversa, et malis etiam prospera contingant, sive quia quos probos improbosque homines censent, hi tales non sunt, Deo judice, sive etiam quia ut corporum sic mentium diversa est temperies.

Primum quidem quod homines ignorent, Deus vero perfectissime noscat omnium hominum cogitationes fieri potest ut humanum divinumque judicium de bonis perversisque hominibus differat : ut quos Deus probat, hos homines improbent, quosque homines probant, hos Deus improbet : sic quo tempore amici Jobi ipsum damnabant, eodem Jobum Deus absolvebat. Quin etiam hac in re contraria sunt hominum judicia, *et quos alii præmio, alii supplicio dignos arbitrantur.*

Deinde mentium sic diversa est temperies, saltem habita ratione corporis, cum quo junguntur, ut quædam ipso corpore sint infirmiores, quædam fortiores, quædam veluti libratis viribus æquales : quibus omnibus, Deo providente, modo prospera, modo adversa contingunt, prout hæc conducunt ad vitia removenda, vel ad virtutes promovendas : quod tam ignotum est hominibus, quam *illa intima temperies animorum.*

agitari sinat. **298** [1] Nam ut quidam [a] me quoque excellentior ait, [b] Ἀνδρὸς ἱεροῦ σῶμα δυνάμεις οἰκοδομοῦσι. Fit autem sæpe, uti bonis summa rerum gerenda deferatur, ut [c] exuberans retundatur improbitas. Aliis mista quædam, pro animorum qualitate, distribuit : quosdam [d] remordet, ne longa felicitate luxurient : alios duris agitari sinit, ut virtutes animi, patientiæ usu atque exercitatione, confirment. Alii plus æquo metuunt, quod ferre possunt : alii plus æquo despiciunt quod ferre non possunt. Hos, in experimentum sui, tristibus ducit. Nonnulli [e] venerandum sæculi nomen, gloriosæ pretio mortis, emerunt. Quidam suppliciis inexpugnabiles exemplum cæteris prætulerunt invictam malis esse virtutem. Quæ quam recte atque disposite et ex eorum bono, quibus accidere videntur, fiant, nulla dubitatio est. Nam illud quoque, quod improbis nunc tristia, nunc optata proveniunt, ex eisdem ducitur causis. Ac de tristibus quidem nemo miratur quod eos male meritos omnes existimant. Quorum quidem supplicia, tum cæteros ab sceleribus deterrent, tum ipsos, quibus invehuntur, emendat : læta vero magnum bonis argumentum loquuntur, quid de hujusmodi felicitate debeant judicare, quam famulari sæpe improbis cernant. In qua re illud etiam [f] dispensari credo, quod est forsitan alicujus tam præceps atque importuna natura, ut eum in scelera potius [g] exacerbare possit rei familiaris inopia : hujus morbo Providentia collatæ pecuniæ remedio medetur. Hic fœdatam probris conscientiam spectans, et cum fortuna sua comparans, forsitan pertimescit, ne cujus ei jucundus usus est, sit tristis amissio. Mutabit igitur mores, ac, dum fortunam metuit amittere, nequitiam derelinquit. **299** Alios in cladem meritam præcipitavit indigne acta felicitas. Quibusdam permissum puniendi jus, ut exercitii bonis, et malis esset causa supplicii. Nam ut probis

A atque improbis nullum fœdus est, ita ipsi inter se improbi nequeunt convenire. Quidni? cum a semet ipsis discerpentibus conscientiam vitiis quique dissentiant, faciantque sæpe, quæ cum gesserint, non fuisse gerenda decernant? Ex quo sæpe summa illa Providentia protulit insigne miraculum, ut malos mali bonos facerent. Nam dum iniqua sibi a pessimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes ad virtutis frugem rediere, dum se eis dissimiles student esse, quos oderant. Sola est enim divina vis, cui mala quoque bona sint, cum eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum. [2] Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno Providentiæ
B liceat temeritati. [h] Ἀγαλέον δ' ἐμὲ ταῦτα θεὸν ὡς πάντ' ἀγορεύειν. Neque enim fas est homini cunctas divini operis machinas vel ingenio comprehendere, vel explicare sermone. Hoc tantum perspexisse sufficiat, quod naturarum omnium [i] proditor Deus, idem ad bonum dirigens cuncta disponit : dumque ea quæ protulit, in sui similitudinem retinere festinat, malum omne de reipublicæ suæ terminis per fatalis seriem necessitatis [j] eliminat. Quo fit, ut quæ in terris abundare creduntur, si disponentem Providentiam spectes, nihil usquam esse perpendas. Sed video jam dudum te et pondere quæstionis oneratum, et rationis prolixitate fatigatum, aliquam carminis exspectare dulcedinem. Accipe igitur [k] haustum,
C quo refectus, firmior in ulteriora contendas.

300 METRUM* VI.

ARGUMENTUM. — *Philosophia exemplis confirmatura divinam Providentiam, hæc est, inquit, lex divinitus constituta, ut pace inita inter sidera, elementa, anni tempestates, omniaque corpora videntia, hæc perpetuos repetant circuitus ad illud a quo prodierunt, reditura boni cujuslibet principium.*

Si vis celsi jura tonantis

INTERPRETATIO.

[a] Forte Hermes Trismegistus.
[b] *Viri sacri corpus virtutes ædificant.*
[c] *Grassata.*
[d] *Affigit.*
[e] *Posteritatis famam illustri morte consecuti sunt.*
[f] Ideo *fieri.*
[g] *Commovere.*
[h] *Difficile autem est me hæc omnia velut deum eloqui.*
[i] *Creator.*
[j] *Expellit.*
[k] *Poculum.*

Si desideras advertere providentiam Dei summi, mente diligenti et pura, considera vertices cœli sublimis

NOTÆ.

[1] *Nam ut quidam me quoque excellentior ait.*] *Creditur Hermes Trismegistus*, inquit Ascensius, quem Deum effectum fabulatur gentilitas. Græca autem illa verba ἀνδρὸς ἱεροῦ, etc., sic reddi debent : *viri sacri corpus virtutes ædificant* : quanquam enim, teste Apostolo, II Cor. XII *Virtus, in infirmitate perficiatur*, salus tamen corporis, divitiæ, et cæteræ ejusmodi prosperitates non raro conducunt ad virtutem colendam : sic Deo dicenti Jobum esse virum justum et colentem Deum, respondit malus genius non esse mirum, cum omnia illi prospera essent. Lib. Job.

[2] *Ordo enim quidam*, etc.] Ut enim rerum omnium creatarum unum est principium unusque finis, sic necesse est unus sit earumdem rerum ordo, una Providentia, quam ut pote infinitam neque animo comprehendere, neque verbis explicare possumus : optime enim Homerus, Iliad. M. Ἀργαλέον δ' ἐμέ,
D etc., hoc est : *difficile autem hæc omnia me tanquam deum eloqui.*

* Quod quibusdam vocatur *spondaicum.* Carmen est constans ex uno genere versuum, quorum quilibet tetrameter tertio loco dactylum et quarto spondeum sæpius habet : aliis vero locis, præter hos pedes, etiam anapæstum.

1. *Jura tonantis.*] *Providentiam Dei* : nam cum hæc *Providentia* ex dictis *sit divina ratio in summo omnium principe constituta quæ cuncta disponit*, hæc non immerito vocatur jus divinum, sive lex divina. Deinde vero *tonans* est Deus : cum enim causæ peculiares fulguris, tonitrui, et fulminis vulgo non innotescant, hæc effecta ita soli Deo tribui consueverunt, ut poetæ præsertim nominando *fulgurantem, tonantem*, et *fulminantem*, Deum intelligi velint.

Pura solers cernere mente,
Aspice summi culmina cœli.
301 Illic justo fœdere rerum
Veterem servant sidera pacem.
Non sol rutilo concitus igne
Gelidum Phœbes impedit axem.
Nec quæ summo vertice mundi
Flectit rapidos Ursa meatus,
Nunquam occiduo lota profundo,
Cætera cernens sidera mergi,
Cupit Oceano tingere flammas.
Semper vicibus temporis æquis
Vesper seras nuntiat umbras,
Revehitque diem Lucifer almum.
Sic æternos reficit cursus
Alternus amor : sic astrigeris
Bellum discors exsulat oris.
A Hæc concordia temperat æquis
Elementa modis, ut pugnantia
Vicibus cedant humida siccis,
Jungatque fidem frigora flammis,
Pendulus ignis surgat in altum.
Terræque graves pondere sidant.
302 Iisdem causis vere tepenti
Spirat florifer annus odores,
Æstas Cererem fervida siccat,
Remeat pomis gravis autumnus,
Hiemem defluus irrigat imber.
Hæc temperies alit, ac profert
Quidquid vitam spirat in orbe :
Eadem rapiens condit, et aufert,
Obitu mergens orta supremo.
B Sedet interea conditor altus,
Rerumque regens flectit habenas,

INTERPRETATIO.

Hic astra retinent concordiam antiquam rerum, certo fœdere. Sol raptus flamma splendida non impedit currum frigidum lunæ. Neque Ursa, quæ vertitur circa summum polum mundi, licet hinc *nunquam abluta fuerit oceano occiduo*, inde *vero videat cætera astra ablui, studet abluere suos ignes* hoc eodem *mari. Semper alterna sed justa successione temporis stella vespertina indicat tenebras nocturnas*, eademque *stella matutina refert lucem fecundam. Sic amor reciprocus reparat motus perpetuos; sic bellum discors ejectum est e regionibus stelliferis. Concordia ista moderatur elementa justis legibus, ut humida contraria alternis cedant siccis, et frigida ineant pacem cum calidis* ; *ignis suspensus evolet sursum et terra ponderosa subsistat* deorsum sua *gravitate. Hic legibus annus florum parens emittit odores* tempestate *tepida veris, æstas calida coquit messem, autumnus revertitur onustus pomis, pluvia cadens aspergit hiemem. Hæc temperies nutrit producitque corpus omne quod agit vitam in mundo ;* sed *eadem* temperies *tollit et occultat idem corpus vivens,*

NOTÆ.

2. *Pura solers cernere mente.*] *Mente omnibus præjudiciis exuta clare et distincte cognoscere*, divinam nimirum Providentiam, hujus autem Providentiæ, judice Philosophia, argumenta sunt ipsæ naturæ leges, quas videmus observari, primum quidem in sideribus, deinde in elementis. postea in ipsis anni tempestatibus, denique in omnibus corporibus viventibus ; de quibus seorsum Philosophia dictura est.

5. *Servant sidera pacem.*] I. Prædictæ Providentiæ leges observantur in sideribus, nimirum in sole, luna, Ursa, Lucifero et cæteris stellis. Nam, quamvis sol ita sit corpus lucidum, ut ignis haberi possit, juxta illud Eccli. XLIII : *Sol exurens montes, radios igneos exsufflans ;* luna vero ita corpus opacum ut nisi alieno lumine reluceat, frigida potius quam calida haberi debeat, sol tamen ita movetur, ut lunæ circuitum non impediat. Similiter *Ursa* polo, cui nomen dedit, vicina ita movetur circa eumdem polum, ut occidentibus cæteris sideribus nunquam occidat. Nec secus *Venus*, quæ alternis noctem diemque prænuntiat mane Lucifer, sero Vesper, nihil obstantibus cæteris astris constantissime suas alternat vices. Usque adeo verum est sidera præscriptas Providentiæ leges observare. Sed de *Lucifero* metro 5 lib. I, de *Ursa* metro 5 lib. IV, et de sideribus, quæ cum occidunt, poetis dicuntur oceano mergi, passim dictum est.

19. *Hæc concordia*, etc.] II. Eædem leges Providentiæ servantur in elementis. Elementum dicitur corpus dividuum, quod ita formatum est, ut ex ipso cætera componantur. Vulgo quatuor admittuntur elementa, nempe ignis, aer, aqua et terra ; quæ tum qualitatibus, quas vocant *alteratrices*, cum qualitatibus, quas dicunt *motrices* inter se pugnare perhibentur. Qualitates *alteratrices*, inquiunt, sunt *calor, frigus, humor et siccitas*. Qualitates autem *motrices* sunt *levitas* et *gravitas*. Non agitur hic nisi de concordia ejusmodi elementorum, sive ratione qualitatum *alteratricium*, quæ sic exprimitur (*cedant humida siccis, jungantque fidem frigora flammis*) sive ratione qualitatum *motricium*, quæ ita notatur (*Pendulus ignis surgat in altum, Terræque graves pondere sidant*).

24. *Iisdem causis*, etc.] III. Iisdem Providentiæ
C legibus quatuor anni tempestates, nimirum ver, æstas, autumnus et hiems sibi invicem succedunt. Ver suo tepore flores odoresque emittit. Æstas suo fervore messes siccat. Autumnus pomis onustus subit ; tandemque hiems ab imbribus, sive ἀπὸ τοῦ ὕειν, *pluere*, dicta, pluviis agros irrigat : quæ omnia evidentissime hic proponuntur.

30. *Hæc temperies*, etc.] IV. His etiam divinæ Providentiæ legibus corpora viventia primum quidem in utero formata aluntur, deinde in auras prodeunt, tandemque peracto vitæ cursu moriuntur : quod admirabile quidem est generatim, sed longe admirabilius speciatim spectatum.

34. *Sedet interea*, etc.] V. Philosophia docet, illas corporum vicissitudines oriri a Deo providente. Hinc Deus ab eadem Philosophia vocatur *conditor, moderator, rex, dominus, fons, origo, lex et sapiens arbiter* : ut scilicet his nominibus eam quam insitam ha-
D bemus Dei ideam notionemve, sed perturbationibus obscuratam, et veluti sopitam illustret, suscitetque : hac quippe idea seu potius Deo ipso docente, tandem aliquando cognoscemus solum Deum esse proprie causam prædictorum motuum quos miramur, sive in sideribus, sive in elementis, sive in aliis ejusmodi corporibus : sicut non minus pie quam docte demonstravit auctor libri de Inquisitione veritatis. Hinc eadem Philosophia nunc docet, non solum quietem. sed etiam motum corporum, imo et modos quibus corpora moventur, esse ab ipso Deo providente. *Sistit retrahens ac vaga firmat :* ecce quietem, *motu concitat ire* : ecce motum ipsum ; *rectos revocans itus, flexos iterum cogat in orbes* : ecce modos motus. Atque ne putares Deum id officii commisisse *naturæ* cuidam. *formæ, qualitatibus, accidentibus* et cæteris ejusmodi, Philosophia addit, fore ut, nisi Deus ipse hæc præstaret, *quæ nunc stabilis continet ordo, dissepta suo fonte fatiscant.*

Rex et dominus, fons et origo,
Lex et sapiens arbiter æqui,
Et quæ motu concitat ire,
Sistit retrahens, ac vaga firmat.
303 Nam nisi rectos revocans itus,
Flexos iterum cogat in orbes,
Quæ nunc stabilis continet ordo,
Dissepta suo fonte fatiscant.
Hic est cunctis communis amor,
Repetuntque boni fine teneri.
Qua non aliter durare queunt,
Nisi converso rursus amore
Refluant causæ, quæ dedit esse.

304 PROSA VII.

ARGUMENTUM. — *Sic ergo, inquit Philosophia, omnis fortuna, sive hæc prospera fuerit, sive adversa, ut pote quæ a Deo providente oritur, ad ipsum Deum refertur, ut sit bona, nec nisi abutentium vitio mala: sic probos prospera remunerare, adversa exercere; improbos vero adversa punire, prospera emendare debet.*

Jamne igitur vides, quid hæc omnia, quæ diximus, consequatur? Quidnam? inquam. [a] Omnem, inquit, bonam prorsus esse fortunam. Et [b] qui, inquam, fieri potest? Attende, inquit, cum omnis fortuna vel jucunda, vel aspera, tum remunerandi exercendive bonos, tum puniendi corrigendive improbos causa deferatur; omnis bona est, quam vel justam constat esse, vel utilem. Nimis quidem, inquam, vera ratio: A et, si quam paulo ante docuisti Providentiam fatumve considerem, firmis viribus nixa sententia. Sed eam, si placet, inter eas quas [1] [c] inopinabiles paulo ante posuisti, numeremus. [d] Qui? inquit. Quia [e] id hominum sermo communis usurpat, et quidem crebro, quorumdam malam esse fortunam. Visne igitur, inquit, paulisper vulgi sermonibus accedamus, ne nimium velut ab humanitatis usu recessisse videamur? Ut placet, inquam. 305 [2] Nonne igitur bonum censes esse, quod prodest? Ita est, inquam. Quæ vero aut exercet, aut corrigit, prodest. Fateor, inquam. Bona igitur. [f] Quidni? Sed hæc eorum est, qui vel in virtute positi, contra aspera bellum gerunt, vel a vitiis declinantes, virtutis iter arripiunt. Negare, B inquam, nequeo. Quid vero jucunda, quæ in præmium tribuitur bonis, num vulgus malam esse decernit? Nequaquam: verum uti est, ita quoque esse optimam censet. Quid reliqua, quæ, cum sit aspera, justo supplicio malos coercet, num bonam populus putat? Imo omnium, inquam, quæ excogitari possunt, judicat esse miserrimam. Vide igitur ne opinionem populi sequentes quiddam valde [g] inopinabile [h] confecerimus? Quid? inquam. Ex his enim, ait, quæ concessa sunt, [i] evenit eorum quidem, qui vel sunt in possessione, vel in provectu, vel in adeptione virtutis, omnem, quæcunque sit, bonam; in improbitate vero manentibus, omnem pessimam esse fortunam. Hoc, inquam, verum est, tametsi nemo audeat

INTERPRETATIO.

illud delens morte ultima. Interim Deus, summus omnium creator, sedet, et disponens moderatur veluti *frenis res* omnes, *ipse princeps, dominus,* [*principium, origo, lex et prudens moderator æqui; ac quæcunque dat motu cieri,* hæc *continens moratur firmatque commota. Nisi enim Deus prohibens itiones rectas, rursus promoveret circuitiones, ea quæ jam cohærent serie firma, a suo principio avulsa perirent. Hoc est studium commune omnibus, omnia student teneri fine boni: quoniam quæ Deus condidit, hæc non possunt aliter perseverare, nisi amore iterum converso* quidam *fiat* C *circuitus causarum.*

[a] *Utramque fortunam, nempe prosperam et adversam esse bonam.*
[b] *Quomodo.*
[c] *Incredibiles.*
[d] *Quare.*
[e] *Ita homines vulgo loquuntur, et quidem sæpius.*
[f] *Quare non?*
[g] *Incredibile.*
[h] *Intulerimus.*
[i] *Consequitur.*

NOTÆ.

44. *Hic est cunctis communis amor.*] Amor proprie non est nisi mentis, huc, quo Deus saltem generatim impellit, propendentis; sed, propter quamdam similitudinem, amor dicitur etiam corporum, quatenus illa huc etiam, quo Deus impellit, sed mente humana rectius tendunt. Quare cum Deus non agat nisi propter semetipsum, hæc corpora Deus non impellit nisi ad se: unde eadem corpora ut pote quæ student hoc pacto *boni fine teneri*, ad Deum pariter tendunt. Sicque fit circuitus causarum primæ scilicet causæ et finis ultimi; quatenus omnia, quæ oriuntur a Deo tanquam a causa prima, revertuntur ad ipsum Deum tanquam ad finem ultimum; ita ut sine illo cum amoris tum causarum circuitu *quæ* Deus *dedit esse*, hæc *aliter durare non possent.*

[1] *Inopinabiles.*] *Incredibiles*, et, ut loquitur Cicero, *paradoxas*. Scilicet vulgus præcipitatione et præjudicio judicans, id putat incredibile, quod sapientibus clara et distincta cognitione judicantibus verissimum certissimumque videtur: cujus rei plura sunt exempla apud philosophos, ut de lumine, de coloribus, et cæteris ejusmodi. Sic ergo *id hominum sermo communis usurpat, et quidem crebro, quorumdam malam esse fortunam.* Quare Philosophia, ipsius vulgi sermonibus utens, probat omnem fortunam esse bonam, nec nisi abutentium vitio malam aliquam esse.

[2] *Nonne igitur bonum*, etc.] I. Philosophia probat vulgo omnem fortunam esse bonam argumento, quod vocant *ad hominem*. Cum utile, quoddam sit genus D boni, etiam vulgo, cui familiare est, bonum aliud honestum, aliud jucundum, aliud utile censeri, idcirco quidquid utile est, illud, etiam vulgo, bonum habeatur necesse est. Atqui fortuna utraque utilis est, quippe quæ aut exercet aut corrigit. Nimirum fortuna omnis vel proborum est vel improborum; quæ rursus vel adversa solet haberi vel prospera. 1° Si hæc fortuna adversa fuerit proborum, eorum videlicet qui virtutem colunt, hæc iisdem prodest, aut ad ipsos absolvendos a peccatis præteritis, aut ad ipsos a futuris servandos, aut ad eosdem ad virtutem majorem promovendos. 2° Si eadem fortuna prospera fuerit eorumdem proborum, hæc vulgi etiam opinione optima est, non solum quia merces est virtutis præteritæ, sed etiam quia ejusdem virtutis futuræ materia est. 3° Si fortuna adversa fuerit improborum, hæc justum est vitiorum supplicium præteritorum et futurorum frenum. 4° Si fortuna prospera fuerit ipsorum improborum, hæc non nisi illorum vitio mala est: nam

A confiteri. Quare, inquit, ita vir sapiens moleste ferre non debet, quoties in fortunæ certamen adducitur, ut virum fortem non decet indignari, quoties increpuit bellicus tumultus. Utrique enim, huic quidem gloriæ propagandæ, illi vero confirmandæ sapientiæ difficultas ipsa, materia (20) est. Ex quo etiam [a] virtus vocatur, quod suis viribus nitens non superetur adversis. Neque enim vos in [b] provectu positi virtutis, [c] diffluere deliciis, et [d] emarcescere voluptate venistis, prælium cum omni fortuna nimis acre [e] conseritis, ne vos aut tristis opprimat, aut jucunda corrumpat: firmis [f] medium viribus occupate. Quidquid autem (25) infra subsistit, aut ultra progreditur, habet contemptum felicitatis, non habet præmium laboris. **306** [1] In vestra enim situm manu, qualem vobis fortunam formare malitis. Omnis enim, quæ videtur aspera, aut nisi exercet, aut corrigit, punit.

307 METRUM * VII.

ARGUMENTUM. — *Philosophia probat exemplis Agamemnonis, Ulyssis et Herculis, homines optatis non frui, nisi post exantlatos multos labores.*

Bella bis quinis operatus annis
Ultor Atrcides, Phrygiæ ruinis
Fratris amissos thlamos piavit.
Ille dum Graiæ dare vela classi
Optat, et ventos redimit cruore,
Exuit patrem, miserumque tristis
Fœderat gnatæ jugulum sacerdos.
308 Flevit amissos Ithacus sodales,
Quos ferus, vasto recubans in antro,
Mersit immani Polyphemus alvo.
Sed tamen, cæco furibundus ore,
Gaudium mœstis lacrymis rependit.
Herculem duri celebrant labores;
Ille Centauros domuit superbos,

INTERPRETATIO

[a] *Virtus a viribus est appellata.*
[b] *Progressu.*
[c] *Abundare.*
[d] *Putrescere.*
[e] *Committitis.*
[f] *Mediocritatem,* in qua virtus versatur, *tenete.*

Agamemnon Atrei filius postquam militavit in Tro- B janos *decem annis, vastata Troja ulciscendo piavit uxorem* sui *fratris* Menelai *raptam* a Paride; sed ante *idem* Agamemnon *volens dare vela navibus Græcis redimensque ventos* (qui ipsi negabantur propter cervum Dianæ ab ipso occisum) *sanguine* effuso, *deposuit pietatem paternam, et ipse sacerdotis officio functus, jugulavit mœstus* Iphigeniam suam *miseram filiam.*

NOTÆ.

[1] *In vestra situm manu,* etc.] II. Philosophia ostendit, fortunam nullam esse malam nisi abutentium vitio: quia quæ bona, sunt extra hominis voluntatem, hæc pro bona, aut mala ejusdem hominis voluntate, bona censeri possunt aut mala. Voluntas quippe in moribus præcipue spectatur. Atqui fortuna, sive prospera, sive adversa, ut patet ex dictis, bonum est extra hominis voluntatem existens. Hæc igitur fortuna ita bona, ut nisi abutentium mala voluntate, aut vitio nunquam sit mala: quare cum improbi, C quatenus *in sua improbitate perseverant,* sua semper abutantur prospera fortuna, idcirco Philosophia concludit *omnem improborum* fortunam *esse pessimam*: proborum vero semper bonam: quia *omnis fortuna, quæ probis videtur aspera, hos, nisi exercet aut corrigit, punit*: neque hi etiam probi, ad æternam felicitatem nisi fortuna, quæ iisdem videtur aspera, perveniunt: siquidem

* Quod dicitur *Sapphicum.* Carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet coreum, spondeum, dactylum, et duos coreos habet. Clauditur tamen hoc carmen versu Adonio, qui dactylo et spondeo constat, quique post tertium quemque versum Sapphicum, poni solet.

1. *Bella bis quinis,* etc.] I. Philosophia probat exemplo Agamemnonis, hominem non frui optatis, nisi post susceptos toleratosque multos labores. Nimirum Paris, Priami, regis Trojanorum filius, instructa classe in Græciam profectus ad Menelaum Spartæ regem pervenit, Helenamque ejus uxorem rapuit: quod inique ferens Agamemnon Atrei filius et prædicti Menelai frater, convocatis Græciæ principibus transfretavit in Phrygiam, Trojam obsedit, eamque post decennale bellum dolo captam, ferro et igne populatus est. Sed idem Agamemnon Trojam obsessurus, cum ad Aulidem Bœotiæ portum venisset, ibique suum exercitum recenseret, Dianæ cervum ignarus occidit: quamobrem Diana irata, immissa pestilentia, ventos suppressit. Consuluerunt oraculum, a quo responsum est, non ante pacificatos fore deos, quam Iphigenia Agamemnonis ipsius filia immolata fuisset. Obsequitur pater, ipsiusque sacerdotis officio functus, filiam jugulavit: sicque post multas calamitates multosque labores tandem aliquando ausis potitus est. Virgil. *Æneid.* II, v. 108:

Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri: et longo fessi discedere bello,
Fecissentque utinam! Sæpe illos aspera ponti
Interclusit hiems, et terruit auster euntes.
Præcipue, cum jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi.
Suspensi Eurypilum scitatum oracula Phœbi
Mittimus; isque adytis hæc tristia dicta reportat:
Sanguine placastis ventos, et virgine cæsa
Cum primum Iliacas Danai venistis ad auras.

8. *Flevit amissos Ithacus sodaleis.*] II. Eadem Philosophia probat exemplo Ulyssis, hominem non ante perfundi lætitia, quam tristitia affectus fuerit. Scilicet Ulysses rex Ithacæ et Dulichii insularum, de quo jam locuti sumus metro 3 hujus libri, inter alios suos casus in Siciliam delatus est, et antrum cujusdam Cyclopis una cum sociis suis ingressus. Cyclops ille Polyphemus dictus, ferebatur Neptuni filius, ingenti corpore præditus, sed uno duntaxat oculo, quem in fronte habebat. Devoraverat jam quosdam ex comitibus Ulyssis, reliquos eodem mortis genere perempturus, cum Ulysses sibi non minus quam superstitibus sociis metuens, Polyphemum inebriavit altoque sopore obrutum clava, aut adusto stipite, excæcavit; D tum socios et semetipsum sub arietum villis implicuit, tandemque omnes una cum grege ex antro egressi tantam habuerunt lætitiam, quantam tristitiam ex morte sociorum, et suo periculo conceperant.

13. *Herculem duri celebrant labores.*] III. Philosophia exemplo Herculis, probat non comparari cœlum nisi post superatos plures terræ labores. Hercules quippe Jovis, et Alcmenæ filius, Junoni propterea sic invisus fuit, ut novis periculis semper, agente eadem Junone, fuerit objectus. Ut ab aliis, sic a Philosophia nunc referuntur duodecim Herculis labores, sed alio et genere et ordine.

14. *Ille Centauros,* etc.] Primus Herculis labor. Centauri Thessaliæ populi secus Pelion montem habitantes, qui quod primi equos domare, et ex illis pugnare cœperint, aliis gentibus ceu monstra,

309 Abstulit sævo spolium leoni,
Fixit et certis volucres sagittis :
Poma cernenti rapuit draconi,
Aureo lævam gravior metallo :
Cerberum traxit triplici catena.
Victor immitem posuisse fertur
Pabulum sævis dominum quadrigis.
310 Hydra combusto periit veneno,
A Fronte turpatus Achelous amnis,
Ora demersit pudibunda ripis.
Stravit Antæum Libycis arenis,
Cacus Evandri satiavit iras,
Quosque pressurus foret altus orbis
Setiger spumis humeros notavit.
Ultimus cœlum labor irreflexo
Sustulit collo, pretiumque rursus

INTERPRETATIO.

Ulysses *rex Ithacæ doluit socios perditos, quos Polyphemus crudelis, incolens cavernam magnam, demisit in* suum *ventrem ingentem* : *attamen hic* Polyphemus, *vultu excæcato furiosus, restituit lætitiam* pro *fletibus tristibus* eidem Ulyssi. *Labores molesti commendant Herculem*; *hic vicit centauros arrogantes, abstraxit pellem* a *leone crudeli, transfodit aves* Stymphalides *telis inevitabilibus* : *abstulit poma serpenti vigili, gerens manu metallum aureum. Duxit Cerberum* tricipitem *tribus vinculis. Perhibetur victor præbuisse Diomedem crudelem devorandum* suis *equis crudelibus.* B Victore eodem Hercule *serpens multorum, capitum occubuit, ejus veneno exstincto flammis, Achelous fluvius, infamatus facie* propter cornu avulsum *involvit vultum pudendum* suis *littoribus. Idem Hercules interfecit Antæum in agris Libyæ, Cacus* ab eodem Hercule occisus *compescuit iras Evandri* sui *adversarii. Aper maculavit* sua *spuma humeros* Herculis, *quos cœlum sublime erat pressurum. Ultimus* tandem *labor* Herculis, in hoc versatur, quod idem *portaverit cœlum collo immoto* : *unde iterum meruit cœlum, veluti mercedem*

NOTÆ.

quæ partim homines partim equi forent, cogitabantur : unde etiam *hippocentauri* dicti sunt, et propterea nunc vocantur *superbi.* Hos autem idcirco aggressus occidit Hercules, quod iidem ad antrum Pholi, qui Herculem susceperat hospitio, quasi injuriam illaturi accurrissent.

15. *Abstulit sævo spolium leoni.*] Secundus Herculis labor. In silva Nemæa leo erat magnitudinis inusitatæ, neque ferro, neque ære penetrabilis : unde hunc de cœlo lapsum dicebant : eumdem persecutus Hercules C sola manuum vi interfecit, interfectique pelle telis impervia vestitus, quoad vixit, incessit.

16. *Fixit et certis volucres sagittis.*] Tertius Herculis labor. Aves a Stymphalo urbe, monte, aut lacu dictæ Stymphalides tantæ magnitudinis ferebantur, ut radios solis obumbrarent, tantæque rapacitatis ut totam Arcadiam devastarent. Has Hercules, ut ait Diodorus Siculus l. IV, constructo æneo crepitaculo et ingente per id sonitu excitato abegit; aut potius, ut Catullus suis versibus exponit, sagittis suis confixit. De his avibus Lucretius l. V :

Uncisque timendæ
Unguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes.

17. *Poma cernenti rapuit draconi*, etc.] Quartus Herculis labor. Hesperides filiæ Hesperi, qui frater Atlantis fuit; videlicet Ægle, Arethusa, et Hesperethusa, ad Lixum Mauritaniæ oppidum feruntur hortos incoluisse aureis arboribus pretiosos, et a vigili D dracone custoditos. Sed draconem interfecit Hercules, fructusque ablatos ad vitricum Euristheum detulit. Ex illo Hesperidum horto Venus fertur accepisse mala aurea, quibus dispersis Hippomenes Atalantam cursu superavit. *Lævam gravior* : intellige hanc particulam, *secundum* : sicut Virgilio dicitur I Æn., v. 593, *os humerosque deo similis.*

19. *Cerberum traxit triplici catena.*] Quintus Herculis labor. Pirithous Ixionis filius, mortua Hippodame uxore, convenit cum Theseo, nullam ut uxorem nisi ex Jove natam ducerent. Hinc Theseus Helenam rapuit : Pirithous vero meditatus, Proserpinam Plutonis conjugem rapere, comitantibus Theseo et Hercule, ad inferos descendit. Verum Pirithous primo impetu a Cerbero interfectus est, cui cum Theseus opem ferre conaretur, vivus in ditis potestatem pervenit, et ab eo vinctus, donec Hercules Cerberum tricipitem triplici catena vinctum teneret. De Cerbero diximus metro 12 lib. III.

20. *Victor immitem*, etc.] Sextus Herculis labor. Diomedes rex Thraciæ *sic parcus hordei fuit*, inquit Apuleius l. VII Met., *ut edacium jumentorum famem* *corporum humanorum largitione sedaret* : Unde Ovid. :

Non tibi succurrit crudi Diomedis imago,
Efferus humana qui dape pavit equos?

Sed tyrannum hunc Hercules iisdem equis devorandum objecit.

22. *Hydra combusto periit veneno.*] Septimus Herculis labor. Hydra serpens non solum in terra vivax, verum etiam in aquis : unde illi nomen ab ὕδωρ, *aqua*, in Lerna palude inter Mycenas et Argos habitabat : quare dicitur Lernæa pestis. Septem aut, ut aliis placet, quinquaginta habebat capita, quorum si quædam abscissa fuerant, alia duplicato numero renascebantur. Hercules autem, admoto ad singula vulnera igne, bestiam tandem interfecit.

23. *Fronte turpatus Achelous amnis.*] Octavus Herculis labor. Achelous filius Oceani et Tethyos cum Hercule pugnavit pro Dejanira filia Œnei regis Calidoniæ : sed Achelous viribus impar se vertit primum quidem in serpentem, deinde in taurum, cui Hercules amputavit, cornu, quod Copiæ comiti fortunæ datum est : unde Achelous uno turpis cornu sese occultavit in fluvio cognomine. Non opus est, me monere hic *turpatus* ultimam producere propter vim *cæsuræ* : cujus rei infinita sunt exempla apud poetas.

25. *Stravit Antæum Libycis arenis.*] Nonus Herculis labor. Antæus Neptuni ex terra filius tanto corpore præditus, ut in quadraginta cubitos excreverit. Hic cum Hercule congressus, quoties membra deficiebant, toties, tacta terra, recreabatur, quod animadvertens Hercules, eumdem in aere pressum interfecit.

26. *Cacus Evandri satiavit iras.*] Decimus Herculis labor. Cacus Vulcani filius, qui Latium undique latrociniis suis infestabat, ne ipsi quidem Herculi pepercit : hujus quippe boves noctu cauda versisque propterea vestigiis in antrum suum traxit : sed boum mugitu admonitus Hercules, receptis bobus, Cacum exstinxit, ultus injuriam Evandri, cujus Cacus hospes fuerat, aut, ut alii volunt, servus.

28. *Setiger spumis humeros notavit.*] Undecimus Herculis labor. Aper Erymanthius in Arcadia, quod hic immensæ molis erat, regionem undique vastabat: hunc Hercules adduxit ad Eurystheum; sed quia tunc aper ille ab Hercule non fuerit interfectus, idcirco nunc dicitur duntaxat *humeros* Herculeos *spumis notasse*, quos humeros *pressurus erat altus orbis* : quoniam Hercules fertur suis humeris cœlum portasse : unde

29. *Ultimus cœlum labor irreflexo.*] Duodecimus Herculis labor. Atlas rex Mauritaniæ cœlum humeris sustinuisse fertur, quem ut tanto onere liberaret

Ultimi cœlum meruit laboris.
311 Ite nunc fortes, ubi celsa magni
Ducit exempli via, cur inertes
A Terga nudatis ? superata tellus
Sidera donat.

INTERPRETATIO.

ultimi præsertim sui *laboris. Ergo agite, generosi* homines : *quandoquidem magnum exemplum vobis monstrat iter sublime*: *quare desidiosi ostenditis dorsum fugiendo ? terra victa dat cœlum.*

NOTÆ.

Hercules, hic suos humeros cœlo supposuit, quo ultimo præsertim labore meruit cœlum, et in deorum collegium translatus, Martis, ut quidam putant, stella.

Porro omnium istorum Herculis laborum descriptiones ita frequentes sunt apud poetas, ut nullius poetæ hac de re conscripta carmina referenda esse putaverimus. Sed omittere hic non debemus, quod doctissimus Huetius in aureo suo Demonstrationis evangelicæ libro de Hercule nuper edidit, nempe B propos. 4 de lib. Josue, n. 13 : *Pervulgata*, inquit, *hæc est doctorum hominum sententia, plures fuisse Hercules, et gesta omnium a Græcis fuisse in unum Thebanum collata, seu potius fortibus quibusque viris Herculis nomen fuisse impositum. Tres statuit Diodorus : Ægyptium, Creticum, et Thebanum. Tres Arrianus lib.* II *de Expedit. Alexandri : Ægyptium, Tyrium, et Græcum; quibus Indium præterea addit in Indicis ex Megasthene. Herculem alii antiquissimum arbitrantur Phœnicium, secundum Ægyptium, postremum ac recentiorem Thebanum. Quidam Ægyptios duos agnoscunt, Herodotus duos Græcos, Deum alterum, alterum Heroem ; Cicero sex ; duodecim alii ; quidam etiam longe plures. Ego omnino unicum, eumque Josuam fuisse statuo ; nam quæ tribuuntur aliis, ad Josuam omnia commode referri posse vides.*

32. *Ubi.*] Non locus hic significatur : alias dicendum fuisset *quo ducit* : sed potius causa cur fortibus viris sit eundum, quemadmodum Cicero dixit : *Ubi semel quis pejeravit, ei credi postea non oportet.*

33. *Ducit exempli via.*] Agamemnonis, Ulyssis, et Herculis, quorum laboribus docemur, vitii quidem facile iter, sed amarum finem ; virtutis vero difficilem viam, sed dulcem exitum. Seneca in Hercule Œtæo, v. 1983 :

Nunquam Stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus : vivite fortes,
Nec Lethæos sæva per amnes
Vos fata trahent : sed cum summas
Exiget horas cousumpta dies
Iter ad superos gloria pandet.

34. *Terga nudatis.*] Similitudine desumpta a militibus, quibus turpe est propositis magnis præmiis, et ducibus generosis præeuntibus, terga vertere in prælio, significatur turpe pariter menti humanæ, ipsam proposita vita æterna, pluribusque sanctis viris exemplum monstrantibus, averti a Deo et ad res cæteras converti : hinc additur : *Superata tellus sidera donat*, quasi dicatur : quæ mens inconcussa corpus vicerit, hæc Deo æternum adhærebit. Matth. XI : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

LIBER QUINTUS.

312 PROSA PRIMA.

ARGUMENTUM. — *Quod omnia providenti nihil possit esse inopinatum, quodque casus eventum sit inopinatum, propterea Boetius objicit fore ut posita divina Providentia nullus esset casus : sed huic respondet Philosophia, quæstionem de casu ita esse de nomine, ut, pro diverso nominis usu, casus negari possit et asseri.*

Dixerat [a], orationisque cursum [1] ad alia quædam tractanda atque expedienda vertebat. Tum ego, Recta quidem, inquam, exhortatio, tuaque prorsus auctoritate dignissima. Sed quod tu dudum de Providentia quæstionem pluribus implicitam esse dixisti, re [b] experior. Quæro enim an esse aliquid omnino, et C quidnam esse casum arbitrere. **313** Tum illa : Festino, inquit, debitum promissionis absolvere, viamque tibi, qua [2] [c] patriam reveharis, aperire. Hæc autem etsi perutilia cognitu, tamen [d] a propositi nostri tramite paulisper aversa sunt : verendumque est, ne [e] deviis fatigatus, ad emetiendum rectum iter sufficere non possis. Ne id, inquam, prorsus vereare. Nam quietis mihi loco fuerit ea, quibus maxime delector, agnoscere. Simul cum [3] [f] omne disputationis tuæ latus indubitata fide coustiterit, nihil de sequentibus [g] ambigatur. Tum illa : [h] Morem, inquit, geram tibi ; simulque sic [i] exorsa est. [4] [j] Si quidem, inquit, aliquis eventum temerario motu, nullaque

INTERPRETATIO.

[a] Philosophia.
[b] *Reipsa.*
[c] *In patriam reducaris.*
[d] *Ab instituto nostro aliquatenus aliena.*
[e] *Extraneis quæstionibus.*
D [f] *Omnis circumspectio tuæ quæstionis.*
[g] *Dubitetur.*
[h] *Obsequar.*
[i] *Incœpit.*
[j] *Quod si.*

NOTÆ.

[1] *Ab aliena quædam tractanda.*] Quæ enim jam dicenda sunt de *casu*, hæc non pertinent ad præsens institutum, nisi instar cujusdam appendicis accessionisve, et, sicut loquuntur, *per accidens.* Quocirca statim dicet Philosophia, *hæc, etsi perutilia cognitu, tamen a propositi* sui *tramite paulisper aversa esse.*

[2] *Patriam reveharis.*] *Usurpatum ab auctoribus*, inquit Servius, ut in quæstione *quo vel addant vel detrahant propositionem.* Sic Virgil. I Æn., v. 6 :

Italiam fato profugus Lavinaque venit
Littora.

[3] *Omne disputationis latus.*] Ut antecedentia, comitantia, consequentia, vulgo dicimus *facies* quæstionis : *Les choses que nous considérons*, dit l'auteur du livre de la Recherche de la vérité, *ne nous paraissent jamais entièrement évidentes que lorsque l'entendement en a examiné tous les côtés et tous les rapports.*

[4] *Si quidem aliquis eventum*, etc.] Deinceps Philosophia varios usus exponit hujus nominis, *casus*, docetque quo modo *casus* rejici debeat et admitti. Scilicet *casus* dicitur a *cadere*, ea notione qua *cadere* idem est quod *evenire* : quamobrem *casus* generatim

causarum connexione productum, casum esse definiat, nihil omnino casum esse confirmo, et [a] præter subjectæ rei significationem inanem prorsus vocem esse decerno. Quis enim, coercente in ordinem cuncta Deo, locus esse ullus temeritati reliquus potest? Nam nihil ex nihilo existere, vera sententia est; cui nemo unquam veterum [b] refragatus est, quanquam id illi non de [c] operante principio, sed de materiali subjecto, hoc est, de natura omnium rationum, quasi quoddam jecerint fundamentum. At si nullis ex causis aliquid oriatur, id de nihilo ortum esse videbitur. Quod si hoc fieri nequit, nec casum quidem hujusmodi esse possibile est, qualem paulo ante definivimus. Quid igitur, inquam, nihilne est, quod vel casus, vel fortuitum jure appellari queat? An est aliquid, tametsi vulgus lateat, cui vocabula ista conveniant? Aristoteles [d] meus id, inquit, in Physicis, [e] et brevi, et veri propinqua ratione definivit. Quonam, inquam, **314** modo? Quoties, ait, aliquid cujuspiam rei gratia geritur, aliudque quibusdam de causis, quam, quod intendebatur, obtingit, casus vocatur: ut si quis colendi agri causa fodiens humum, defossi auri pondus inveniat. Hoc igitur fortuito quidem creditur accidisse; verum non de nihilo est. Nam proprias causas habet: quarum improvisus, inopinatusque concursus casum videtur operatus. Nam nisi cultor agri humum foderet, nisi eo loci pecuniam suam depositor obruisset, aurum non esset inventum. Hæ sunt igitur fortuiti causæ [f] compendii, quod ex obviis sibi et confluentibus causis, non ex gerentis intentione provenit. Neque enim, vel qui aurum obruit, vel qui agrum exercuit, ut ea pecunia reperiretur, intendit; sed, uti dixi, quo ille obruit, hunc fodisse [g] convenit atque concurrit. Licet igitur definire casum esse inopinatum, ex confluentibus causis, in his, quæ ob aliquid geruntur, eventum. Concurrere vero atque confluere causas facit ordo ille inevitabili connexione procedens, qui de Providentiæ fonte descendens, cuncta suis locis, temporibusque disponit

315 METRUM * PRIMUM.

ARGUMENTUM. — *Sicut, inquit Philosophia, fortuitus esse potest navium constanti duorum fluminum cursu abreptarum occursus, ita casus constantibus divinæ Providentiæ legibus regitur.*

Rupis Achæmeniæ scopulis, ubi versa sequentum
Pectoribus figit spicula pugna fugax,
316 Tigris et Euphrates uno se fonte resolvunt,
Et mox abjunctis dissociantur aquis.

INTERPRETATIO.

[a] *Quæ nullam rem subjectam significet.*

[b] *Contradixit.*

[c] *Non de causa efficiente, sed de materia tantum sive de re quæ modificetur: quasi dixerint modum sive rationem non esse nihili.*

[d] Philosophus.

[e] *Lib.* II, *cap.* 5.

[f] *Quæstus sive utilitatis.*

[g] *Contingit.*

Quemadmodum Tigris et Euphrates profluunt, veluti ex eadem origine, *ex saxis montis Persici, ubi Parthus dimicans fugiendo infigit sagittas conversas cordibus*

NOTÆ.

nihil est aliud quam eventus, Verum eventus ille duobus modis dici potest: primum quidem nulla; deinde aliqua causarum connexione productus. Si *casus* dicatur *eventum temerario motu, nullaque causarum connexione productum,* certe *casus* nihil est præter *inanem vocem*: cum enim nihilum non possit esse ullius rei causa, eventum omne aliquam habeat causam, saltem exteriorem, necesse est. Si vero *casus* dicatur eventum aliqua causarum connexione productum, sed præter notionem voluntatemque agentis, distinguendum est. Vel enim causa hæc, præter cujus notionem voluntatemque eventum dicitur fieri est prima, nimirum Deus; vel est secunda, nempe, homo. Si causa hæc fuerit prima, nullus omnino *casus* est: quandoquidem nullum eventum producitur præter notionem voluntatemque Dei: cum *concurrere ac confluere causas,* ut nunc dicitur, *facict ordo ille inevitabili connexione procedens, qui de Providentiæ fonte descendens, cuncta suis locis temporibusque disponit.* At si prædicta causa fuerit secunda, *casus* potest admitti; quia sæpe eventum producitur præter notionem et voluntatem hominis: ut *si quis colendi agri causa fodiens humum defossi auri pondus inveniat*: quanquam enim causa aliqua fuerit, quæ aurum obruerit, quanquam etiam aliqua causa sit quæ exercendo terram aurum detexerit, quia tamen, aurum præter notionem voluntatemque agricolæ invenitur ab ipso agricola, ideirco eventum illud *casus* appellatur: ex quo conficitur hæc casus definitio, *Inopinatum ex confluentibus causis, in his quæ ob aliquid geruntur, eventum.* Quare cum bestiæ, plantæ et corpora inanimata non habeant proprie notionem voluntatemque, præter quas eventum producatur ideo his nullus est *casus.*

* Quod vocatur elegia. Elegia autem est carmen constans ex duplici genere versuum alternorum, quorum prior hexameter, posterior pentameter, sicut dictum est in 1 met. lib. I.

1. *Rupis Achæmeniæ scopulis.*] *Ex monte Persico.* Achæmenia enim Persis est, aut saltem ipsius Persidis pars sic dicta ab Achæmene, qui, apud Herodotum l. Hist. IV, primus Persarum rex, a quo omnes reges usque ad Darium descenderunt. Hinc Horatius l. II Carm., od. 12, *Num tu quæ tenuit dives Achæmenes, id* est Persarum rex, et lib. III, od 1, *Achæmeniumque costum,* hoc est unguentum Persicum. Achæmenia autem hic quibusdam est Armenia, mons vero ille est mons Taurus: quod *Sallustius, auctor certissimus,* ut legitur in fragmentis Historiæ ejusdem Sallustii, *asserit Tigrim et Euphratem uno fonte manere in Armenia, qui per diversa euntes longius dividantur, spatio medio relicto, multorum millium quæ tamen terra, quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur.*

1. *Ubi versa sequentum,* etc.] Hic agitur de Parthis, iis scilicet populis, qui e Scythis oriundi ad eas usque Asiæ regiones, quæ Tigri et Euphrate fluminibus alluuntur, suum protulerunt imperium. Hi autem populi erant formidolosi suis præsertim sagittis, quas inter fugiendum in insequentes ita retorquebant, ut in versa hostium pectora has vibrarent: tum versis subito equis pugnam instaurarent: unde Virgil. III, Georg., v. 31:

Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis,

3. *Tigris et Euphrates.*] Tigris a celeritate sic dictus propter sagittam Persica lingua cognominem, flumen est, quod oritur in Armenia, si non ex eodem fonte, quemadmodum ait prædictus Sallustius, saltem ex eodem monte, ex quo Euphrates: tum fluctibus Mesopotamiam alluentibus influit in Euphratem, cum

Si coeant, cursumque, iterum revocentur in unum A
Confluat alterni quod trahit unda vadi :
Conveniant puppes, et vulsi flumine trunci,
Mistaque fortuitos implicet unda modos :
Quos tamen ipsa vagos terræ declivia casus,
Gurgitis et lapsi defluus ordo regit,
317 Sic, quæ permissis fluitare videtur habenis,
Fors patitur frenos, ipsaque lege meat.

318 PROSA II.

ARGUMENTUM. — *Dubitantem Boetium, an propter prædicta, neganda sit mentis humanæ libertas, docet Philosophia suam esse cuilibet menti libertatem, variaque hujus genera exponit.*

Animadverto, inquam, idque uti tu dicis ita esse consentio. Sed [1] in hac cohærentium sibi serie causarum, estne ulla nostri arbitrii libertas, an ipsos quoque humanorum motus animorum fatalis catena

INTERPRETATIO.

insequentium, statimque duo illa flumina separantur suis aquis divisis. Si conveniant et rursum redigantur in unum cursum, tum quod aqua utriusque fluvii defert, illud coibit, quare *naves truncique abrepti fluvio* coibunt *et aquæ permistæ confundent* suos *fluctus fortuitos, quos tamen incertos eventus ipsa terra declivis, et series fugax fluminis labentis moderatur; similiter casus, qui videtur contingere* nullo duce et veluti *laxatis habenis, regitur* ceu *passus frenos, idemque accidit imperio* Dei providentis.

NOTÆ.

quo in sinum Persicum influit. De hoc fluvio loquitur Virg. 1 eclog., v. 62 :

Ante pererratis amborum finibus exsul
Aut Ararim Prrthus bibet, aut Germania Tigrim.

Euphrates vero sic vocatus propter lætitiam quam incolis affert sua inundatione agros fecundans, est aliud flumen, quod ex prædictis Armeniæ montibus pariter oritur. Mesopotamiam, ut Nilus Ægyptum, exundans fecundat et, adjunctis Tigris fluctibus in Persicum sinum labitur. De hoc locutus Virgilius, ut significaret bellum Parthorum, quorum terminus erat Euphrates, I Georg., v. 509 :

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.

Nec possum omittere quod Q. Curtius, l. v, dicit de utroque hoc flumine : *Isti amnes*, inquit, *ex Armeniæ montibus profluunt, et magno deinde aquarum divortio iter, quod cœpere, percurrunt, duo millia et quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum intervallum circa Armeniæ montes notaverunt. Iidem cum Mediæ et Gordianorum terras secare cœperunt, paulatim in arctius coeunt : et quo longius manant, hoc angustius inter se spatium terræ relinquunt. Vicini maxime sunt, quos incolæ Mesopotamiam vocant. Mediam namque ab utroque latere concludunt. Eadem per Babyloniorum fines in Rubrum mare prorumpunt.*

6. *Unda vadi.*] Vadum dicunt aquam, quæ littoribus non ita dissitis, pede, aut equo, aut saltem cymba facilius quam mare transiri potest : unde a *vadendo*, vel a Græco βάδος, *locus per quem vaditur*, vadum putant oriri. Gallice dicimus *le gué, à passer gué* : inferiores Normani dicunt, *le grand et le petit vé*. Alternum ergo illud vadum sive flumen, utpote quod ipsis naturæ legibus fluit, tam noto tamque certo cursu fertur, ut ab ipsis hominibus prævideri et intendit possit : cum tamen puppes, trunci, et cætera ejusmodi corpora, quæ ejusmodi aquis circumfusa vehuntur, fortuito sive inopinato eventu conveniant.

9. *Terræ declivia.*] Intelligi possunt *loca*. Hæc est autem lex corporis moti divinitus constituta, ut corpus motum, qua minus resistitur, pergat : sed loca declivia minus resistunt.

11. *Permissis habenis.*] Similitudo sumitur ab equis, qui, laxatis habenis, huc illucque temere currunt.

12. *Fors.*] Id est *casus* : causa pro effecto sumpta : antiquis enim fors dicitur causa, quæ temere fert aliquid : unde Virgil. II Æn., v. 94 :

Et me fors si qua tulisset.

12. *Patitur frenos.*] Continuatur similitudo equorum, qui frenis reguntur : Virg. III Georg., v. 182 :

Primus equi labor est animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantes.

B Hinc quidquid regitur, id vulgo dicitur frenos pati : quemadmodum ab eodem Virgilio Æneid. XI, v. 567 :

Urbem hodie causam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum accipere et victi parere fatentur
Eruam et æqua solo fumantia culmina ponam.

12. *Ipsaque lege meat.*] Divina scilicet Providentia quæ, ut jam dictum est, *attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.*

[1] *In hac cohærentium sibi serie causarum*, etc.] Boetius videtur induere personam eorum, qui humanam, libertatem conciliare non potuerunt cum divina Providentia, arbitrati alternum ex his duobus esse necessarium, aut Deum non providere futura, aut hominis nullam esse libertatem : sic Cicero et plures alii veteres. Verum cum homo quilibet suæ sit libertatis conscius, magis quam divinæ Providentiæ, Cicero, et quidam illi veteres, posita humana libertate, negaverunt divinam Providentiam : *Cicero*, inquit S. Aug.
C l. v de Civit. Dei, cap. 9, *ut vir magnus et doctus et vitæ humanæ plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum : atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos ; religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, et fide pietatis utrumque confirmat.* Ut igitur ea quæ a Philosophia deinceps proponentur de hac materia, clarius intelligantur, proposita ipsius libertatis definitione, eamdem, Philosophia duce, libertatem propugnabimus variaque hujus genera declarabimus.

1. Libertas generatim definiri potest *Mens quæ, cognitione duce, semetipsum, volendo, agere potest.*

Dicitur 1° *mens* : quia libertas quidam est mentis modus ; modus autem mentis, ut pote qui, instar cæterorum modorum, sua seorsum idea cogitari nequit, cognosci non potest, nisi facta mentione mentis : sic figuram, quietem, et motum non cognoscimus, nisi
D facta mentione corporis : *Modi*, inquiunt philosophi, *melius in concreto noscuntur quam in abstracto.*

Dicitur 2° *quæ semettpsam agere potest*, sive ut nonnulli loquuntur *movere* ac *determinare* : optime enim a Græcis, nominibus ab intelligentia experientiaque communi derivatis, mens libera vocatur αὐτοκίνητος *movens seipsam*, et αὐτοκρατής, *sibi ipsi imperans*. Hac libertatis notione usus est S. Augustinus cum alibi, tum præsertim initio tertii libri de Libero Arbitrio, ubi agit, ut hic agitur, de concordia liberi arbitrii cum divina Providentia : *Motus*, inquit, *quo huc atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate neque laudandus cum ad superiora, neque culpaudus homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis : neque omnino monendus esset ut istis neglectis æterna vellet adipisci, atque ut nollet male vivere, vellet autem bene.*

constringit? Est [a], inquit. **319** [1] Neque enim fuerit ulla rationalis natura, quin eidem libertas adsit arbitrii. Nam quod ratione uti naturaliter potest, id habet judicium, quo quodque discernat. Per se igitur fugienda, optandave dignoscit. Quod **320** vero quis optandum esse judicat, petit : refugit vero, quod existimat esse fugiendum. Quare quibus inest ratio, ipsis etiam inest volendi, nolendique libertas. [2] Sed A hanc non in omnibus æquam esse constituo. Nam supernis, divinisque substantiis et perspicax judicium, et incorrupta (5) voluntas, et efficax optatorum præsto est potestas. Humanas vero animas liberiores quidem esse necesse est, cum se in mentis divinæ [b] speculatione conservant : minus vero, cum dilabuntur ad corpora, minusque etiam, cum terrenis artubus colligantur. Extrema vero est servitus, cum vitiis de-

INTERPRETATIO.

[a] Nostri arbitrii libertas.

[b] *Contemplatione.*

NOTÆ.

Dicitur 3° *volendo* : nam, ut ait S. Aug. l. II Retract., c. 1, *non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus, fit, ubi prius et maxime est ipsum velle.* Propterea omnes philosophi docent, sedem libertatis esse voluntatem ; unde duplex agnoscunt genus actus liberi : alterum vocant *elicitum*, qui est *ipsum velle* ; alterum dicunt *imperatum*, qui est obsequium corporis ad nutum mentis.

Dicitur 4° *duce cognitione* : quia, quemadmodum aiunt iidem philosophi *voluntas non fertur in incognitum* : *ignoti nulla cupido.*

Ut autem mens generali hac libertate prædita se ipsam agat moveatque, non est necesse ut veluti media et indifferens constituatur inter duo contraria, vel etiam contradicentia : quandoquidem theologi docent hanc generalem libertatem reperiri, etiam ubi nulla est ejusmodi *indifferentia*; siquidem S. Thomas, q. 10 de Potentia, art. 2 ad 5, post S. Augustinum docet, et Deum libere amare seipsum, et Spiritum sanctum a Patre Filioque, quamvis non *possibiliter*, libere tamen procedere : nemo autem dixerit aut Deum ad seipsum amandum, aut Patrem Filiumque ad producendum Spiritum sanctum esse indifferentem. Quinetiam idem S. Thomas in III Sent., dist. 18. q. 1 art. 2 ad 5, videtur hanc libertatem in Christo Domino agnoscere : *Etiamsi* liberum Christi arbitrium, inquit, *esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, atque ita est actus sui dominus.* Ex quibus sequitur potestatem peccandi non pertinere ad rationem hujus libertatis, si quidem Deus et Christus, in quibus nulla fuit peccandi potestas, hac saltem libertate afficiuntur. Sequitur etiam, Deum moventem nostram mentem ad semetipsum tamquam ad summum bonum, sive dum nostra mens cum nostro corpore conjungitur, sive etiam dum eadem ab eodem corpore sejuncta est, augere potius quam auferre generalem hanc mentis nostræ libertatem : *Voluntas enim nostra*, inquit S. Aug. l. III de Lib. Arb., c. 3, *nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.*

Quamvis autem mens generali hac libertate prædita, non propterea sit indifferens; id tamen non obstat, quin in nobis mortalem hanc vitam agentibus libertas sit facultas ad utrumlibet sive indifferens; unde apud nos duplex est libertas : altera contradictionis, qua possumus agere vel non agere : altera contrarietatis, qua possumus agere hoc vel illud : sicut fusius philosophi docent. *Liberum arbitrium*, inquit S. Aug, l. de Cor. et Gr., cap. 1, *et ad malum et ad bonum faciendum, confitendum est nos habere.*

[1] *Neque enim fuerit ulla rationalis natura, quin eidem libertas adsit arbitrii.*] II. Posita prædicta libertatis definitione facile potest, Philosophia duce, eadem libertas propugnari hac ratione : cum libertas nihil sit aliud, quam mens, quæ cognitione duce semetipsam, B volendo, agere potest, quæcunque mens, cognitione duce, semetipsam agit, volendo, hæc libertate afficiatur, necesse est. Atqui mens omnis ita se habet; nam mens omnis non solum cognoscit, et judicando discernit quod fugiendum est et optandum; sed *quod optandum esse judicat petit, refugit vero quod existimat esse fugiendum* : quod unusquisque in semetipso experitur.

[2] *Sed hanc non in omnibus æquam esse constituo.*] III. Posito discrimine inter mentem divinam, angelicam et humanam, Philosophia docet diversam esse in his mentibus libertatem. Nam quod spectat divinam et angelicam mentem, quas Philosophia nunc vocat *supernas, divinasque substantias* de his sic videtur ratiocinari eadem Philosophia : quæ mens, cognitione duce, semetipsam, volendo, efficacius agere potest, hæc liberior censeri debet : siquidem libertas versatur in hac potestate; sed prædictæ mentes supernæ. Deus videlicet et angelus, semet- C ipsas cognitione duce, volendo, efficacius agere possunt; nam in unaquaque mente quatuor considerari possunt, nimirum perceptio, judicium, electio et executio, quæ ita inter se connexa sint, ut nec executio sine electione, nec electio sine judicio, nec judicium sine perceptione esse debeat : quare pro varietate perceptionis cætera variantur; in supernis autem divinisque substantiis, magis quam in cæteris, *est perspicax judicium, incorrupta voluntas, et efficax optatorum potestas.* Quod vero pertinet ad mentem humanam, hujus distingui possunt quatuor status, qui prout sunt sublimiores aut humiliores, majorem habent aut minorem libertatem. Primus status est mentis a corpore soperatæ, quæ scilicet *se in mentis divinæ speculatione conservat*, et hæc mens liberrima est; quod præstantissima, cognitione duce, semetipsam, volendo amandoque Deum, maxime agere potest. Secundus status est mentis conjunctæ cum D corpore, quod illi ad nutum obsequitur : qualis erat mens primi parentis, antequam peccasset; hæc enim *dilapsa est ad corpus*; atque hæc mentis humanæ libertas, non est quidem tanta, quanta est beatarum mentium : sed reliquarum tamen maxima : siquidem Adamus majori cognitione præditus melius semetipsum, volendo, agere poterat. Tertius status est mentis perturbationibus quidem afflictæ, sed iisdem non consentientis : qualis erat mens S. Pauli dicentis ad Roman. VII : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo : quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Et hæc humanæ mentis *terrenis artubus* conjunctæ libertas antecedente minor, est subsequente major : quod mens nondum victa fatiscat. Quartus denique status est mentis perturbationibus obsequentis; quæ libertas tum exigua est, ut servitutis potius rationem habere videatur : *Extrema vero* libertas, inquit Philosophia, *est servitus, cum vitiis deditæ* mentes *rationis propriæ possessione ceciderunt.*

ditæ, rationis propriæ possessione ceciderunt. **321** A [1] Nam ubi oculos a summæ luce veritatis, ad inferiora, et tenebrosa dejecerint, mox inscitiæ nube caligant, perniciosis turbantur affectibus, quibus accedendo consentiendoque, quam invexere sibi, adjuvant servitutem, et sunt quodam modo propria libertate captivæ. Quæ tamen (5) [a] ille, ab æterno cuncta prospiciens, Providentiæ cernit intuitus, et suis quæque meritis prædestinata disponit, [b2] πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει.

322 METRUM * II.

Argumentum. — *Quod ab Homero dicitur de sole, inquit Philosophia, id solius Dei est, omnia cernere.*

Puro clarum lumine Phœbum
Melliflui canit oris Homerus :
Qui tamen intima viscera terræ B
Non valet, aut pelagi, radiorum
Infirma perrumpere luce.
323 Haud sic magni conditor orbis :
Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole resistunt
Non nox atris nubibus obstat,
Quæ sint, quæ fuerint, veniantque
Uno mentis cernit in ictu.
Quem, quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere solem.

324 PROSA III.

Argumentum — *Boetius, cognitis divina providentia et libertate humana utriusque concordiam difficilem ostendit, primum quidem generatim, deinde speciatim, cum ex parte ipsius Providentiæ, quæ non potest esse incerta, tum ex parte ipsius libertatis, quæ videtur necessitatis expers.*

Tum ego [a] : En, inquam, [1] difficiliori rursus ambiguitate confundor. Quænam, inquit, ista est? Jam

INTERPRETATIO.

[a] *Deus providens.*

[b] *Omnia cernit et omnia audit.*

Homerus, poeta eloquentiæ dulcis, canit solem præstantem luce pura, qui sol nihilominus non potest pervadere viscera interiora terræ, aut maris, splendore imbecilli suorum *radiorum, Non ita* Deus *creator magni mundi* : *terræ etiam crassissimæ non resistunt ei* quippe qui *cernit omnia ex sublimi : nox obscuris* suis *tenebris non impedit* ejusdem *aspectum* : *videt uno intuitu mentis, præsentia, præterita et futura. Quoniam* igitur Deus *solus videt omnia, potes dicere* Deum esse *solem verum.*

[a] Boetius.

NOTÆ.

[1] *Nam ubi oculos*, etc.] Admirabilis prædictorum ratio lectori potius attendenda, quam mihi exponenda.

[2] Πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει.] Hoc est, *omnia cernit et omnia audit*, ut de sole ait Homerus Iliad. γ.

* Quod nonnulli vocant *Archilochium*. Carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet tetrameter quatuor habet ultimos versus heroici pedes.

2. *Homerus.*] Homerus poeta celeberrimus, sic dictus, quod captus oculis duce indigeret. Hujus etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum : Colophonii esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salamini hunc repetunt, Smyrnæi suum esse contendunt, unde delubrum eidem in suo oppido constructum dedicaverunt. Quidquid sit de ejus patria, tam facundus fuit vates, ut Alexander magnus in hoc præsertim dicatur fortunatus, quod suæ virtutis præconem Homerum nactus fuerit. Homerus autem sæpius commendat solem ejusque lumen, sed occasionem horum versuum Philosophia nobis videtur sumpsisse ex Iliad. γ : unde ultima verba prosæ superioris desumpta sunt, et ubi Homerus solem allocutus sic canit :

Ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις.

Sol quoque qui omnia vides et omnia audis.

Quasi Homerus putaverit solem, instar cujusdam numinis, omnia videre et audire. Plinius l. xi. cap. 6 : *Hic* (sol) inquit, *suum lumen cœteris quoque sideribus fenerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens ut principi litterarum Homero placuisse in uno eo video.*

3. *Qui tamen*, etc.] Quamvis sol ab Homero dicatur tanto præstans lumine, ut omnia videat, sol tamen lumine adeo debili est, ut remissis cum a terra, tum etiam a mari ejusdem radiis, sol nequeat illustrare, adeoque nec videre intima aut terrarum aut maris viscera : hæc videre solius est Dei, a quo hæc omnia creata conservantur.

6. *Magni conditor orbis.*] *Deus*, qui revera est creator non solum hominis qui dicitur parvus mundus, sed reliquorum omnium, quorum congeries vocatur magnus mundus.

7. *Ex alto cuncta tuenti.*] Si Deus eam, quam habet rerum creatarum, notionem ipsis rebus creatis referret acceptam, cum ejusmodi res sint Deo longe inferiores, Deus diceretur res istas ex humili tueri. Quare cum Deus alienæ opis nihil indigus ut ad volendum sic ad cognoscendum, harum rerum notio- C nem ex semetipso habeat, optime dicitur res istas *ex alto tueri.*

10. *Quæ sint quæ fuerint veniantque.*] *Præsentia, præterita, et futura* : nam cum cognitio Dei infinita sit, hæc nullis præsentis, præteriti, aut futuri temporis differentiis circumscribi potest. Quin etiam, quod eadem Dei cognitio sit infinita, hæc multiplex esse nequit; unde Deus omnia *uno mentis cernit in ictu.*

12. *Quia respicit omnia solus*, etc.] Videtur Philosophia respexisse cum ad prædictam Homeri sententiam, tum etiam ad hæc Ciceronis verba i de Divin. et ii de Nat. deor., Sol, inquit, *dictus est, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus vel quia cum exortus est, obscuratis cæteris sideribus solus apparet* : quasi sic argumentata esset Philosophia : quicunque omnia respicit et quidem solus, ille, judicio Homeri et Ciceronis, verus sol dici potest. Atqui Deus omnia D respicit et quidem solus. Ergo Deus verus sol dici potest, judicio tantorum virorum.

[1] *Difficiliori ambiguitate.*] Ambiguitas versatur in hoc quod proposita multiplici via dubitetur qua eundum sit : *ambiguum* enim dicitur ab *ambigo* : *ambigo* autem ab *ambe circum*, et *ago*; quasi ille qui ambigit, circum agatur. Hinc ambiguitas dicitur primo de corporibus, quæ paribus hinc inde virtutibus acta, neque hac potius quam illac moventur; secundo de mentibus, quæ paribus utrinque argumentis impulsæ, non uni potius, quam alteri quæstionis parti consentiunt. Quo magis autem Boetius Philosophiam disserentem intelligit, eo ejus mens libratis argumentorum momentis incerta videtur circa divinam Providentiam libertatemque humanam, de quibus hactenus Philosophia disseruit, quæque ita videntur pugnare, ut altera alteram destruat. Hinc idem Boetius proponit argumenta quibus putat destrui posse concordiam divinæ Providentiæ et libertatis humanæ.

enim, quibus perturbere, conjecto. Nimium, inquam, A [a] adversari ac repugnare videtur, prænoscere universa Deum, et esse ullum libertatis arbitrium, [1] Nam si cuncta prospicit Deus, neque falli ullo modo potest, evenire necesse est quod Providentia futurum esse præviderit. Quare si ab æterno non facta hominum modo, sed etiam consilia, voluntatesque prænoscit, nulla erit arbitrii libertas : neque enim vel factum aliud ullum, vel quælibet existere poterit voluntas, nisi quam nescia falli Providentia divina præsenserit. **325** Nam si res aliorsum quam provisæ sunt, detorqueri valent, non jam erit futuri firma præscientia; sed opinio potius incerta, quod de Deo credere nefas judico [2]. Neque enim illam probo rationem, qua se quidam credunt hunc quæstionis nodum posse dissolvere. Aiunt enim [b] non esse ideo quid eventurum, quoniam id Providentia futurum esse prospexerit, sed e contrario potius, quoniam quid futurum est, id divinam Providentiam latere non posse, eoque modo necessarium hoc in contrariam relabi partem. Neque enim necesse esse contingere, quæ providentur: sed necesse esse, quæ futura sint, provideri. [3] [c] Quasi vero, quæ cujusque rei causa sit, præscientiane futurorum necessitatis; an futurorum necessitas, Providentiæ, laboretur. [d] At nos illud demonstrare nitamur, quoquo modo sese habeat ordo causarum, necessarium esse eventum præscitarum rerum, etiam si præscientia futuris rebus eveniendi necessitatem non videatur inferre. Etenim si quispiam sedeat, opinionem quæ eum sedere conjectat veram esse necesse est : atque e converso rursus, si de quopiam vera sit opinio, quoniam sedet, eum sedere necesse est. In utroque igitur necessitas inest : in hoc quidem sedendi, at vero in altero veritatis. Sed non idcirco quisque sedet quoniam vera est opinio, sed hæc potius vera est quoniam quempiam sedere præcessit. Ita cum causa veritatis ex altera parte procedat, inest tamen communis in utraque necessitas. **326** Similia de Providentia, futurisque rebus ratiocinari oportet. Nam etiam si idcirco quoniam futura sunt providentur, non vero ideo quoniam providentur eveniunt; B nihilominus tamen a Deo vel ventura provideri, vel provisa evenire necesse est : quod ad perimendam arbitrii libertatem solum satis est. [4] Jam vero quam [e] præposterum est, ut æternæ præscientiæ temporalium rerum eventus causa esse dicatur? Quid est autem aliud arbitrari, ideo Deum futura, quoniam sunt eventura, providere, quam putare quæ olim acciderunt, causam summæ illius esse providentiæ? Ad hæc, sicuti, cum quid esse scio, id ipsum esse necesse est; ita cum quid futurum novi, id ipsum futurum esse necesse est. Sic fit igitur ut eventus præscitæ rei nequeat evitari. Postremo [5] si quid ali-

INTERPRETATIO.

[a] *Præsensio divina et humana libertas videntur sibi invicem contradicere.*

[b] *Non ideo aliquid futurum quod Deus id præsenserit, sed contra Deum id præsensisse quoniam futurum erat.* C

[c] *Sed hoc non solvit.*

[d] *Idipsum tamen probare conemur.*

[e] *Perversum.*

NOTÆ.

[1] *Nam si cuncta prospicit Deus,* etc.] I. Generatim probatur prædicta concordia non posse stare : quia cum libertas hominis viatoris, ut jam dictum est, et experientia quotidiana, ipsi Ciceroni cæterisque paganis nota confirmatur, sit facultas ad utrumlibet, propterea quod ita necessarium est, ut aut nullatenus, aut non alio, quam quo existit modo, existere possit, illud homini non est liberum ; adeoque circa illud nulla est ipsius hominis libertas. Atqui posita divina Providentia, omnia facta, dicta, cogitataque hominis ita se habebunt : cum enim divina Providentia sit horum omnium non solum præteritorum, præsentiumque, verum etiam futurorum cognitio, si hæc possunt aut non existere aut alio, quam quo existunt, modo existere, divina providentia non erit præsensio evidens, adeoque firma et falli nescia, sed potius obscura, incerta et errori obnoxia ; quod de Deo cogitare nefas.

[2] *Neque illam probo rationem,* etc.] Boetius sibi objicit, quod nonnulli respondere solent ad tuendam prædictam concordiam, videlicet *non divinam Providentiam futurorum eventuum sed futuros eventus divinæ Providentiæ esse causam* : *ex quo sequitur, divinam providentiam potius quam futurum eventum, esse necessariam.* Sed idem Boetius hanc responsionem refutat, primum ex eo quod non solvit difficultatem, deinde ex eo quod præposterum est, eventus futuros esse causam divinæ Providentiæ.

[3] *Quasi vero,* etc.] Primum, inquit, hæc responsio non solvit difficultatem, quandoquidem non quæritur, utra sit alterius causa, an Providentia rei futuræ, an res futura Providentiæ? nec minus, utravis sit necessaria, sequitur alterius necessitas : quemadmodum ex eo quod vere judicem te sedere, sequitur necessario te vere sedere; aut ex eo quod moles lignea fuerit æqualis cum decempeda, sequitur necessario, decempedam esse æqualem cum hac mole lignea; licet decempeda hujus æqualitatis, aut tuus situs illius judicii dicatur causa.

[4] *Jam vero quam præposterum,* etc.] Deinde *præposterum*, est sive perversum, mutato scilicet rerum ordine, eventus futuros esse causam divinæ Providentiæ ; quia cum omnis causa sit suo effecto prior, *præposterum* est illud quod a certo duntaxat tempore existit, esse causam ejus quod ex omni æternitate existit : id autem se haberet, si eventus futurus esset causa divinæ Providentiæ; *quæ olim acciderunt*, verbi gratia, Romana mœnia, cum hæc antea futura essent, essent causæ divinæ Providentiæ D quæ *æterna* est.

[5] *Si quid aliquis aliorsum,* etc.] II. Probatur speciatim, ex parte ipsius divinæ Providentiæ, prædicta concordia non posse stare, quia quæ mentis qualitas a philosophis vocatur scientia, hæc debet esse non modo evidens, verum etiam vera et certa, saltem ratione judicii quod sibi habet annexum : adeo ut nec instar erroris sit falsa, nec instar opinionis sit incerta : cum igitur Providentia divina sit scientia et quidem meliori jure, quam quælibet humana cognitio, propterea Providentia divina debet esse modo evidens, verum etiam vera et certa ; atqui eorum, quæ libertate humana futura essent, nulla posset esse Providentia evidens, vera et certa; quod hæc non sit nisi de iis quæ necessaria sunt.

quis [a] aliorsum, atque sese res habet, existimet, id non modo scientia non est, sed est opinio fallax, ab scientiæ veritate longe diversa. Quare si quid ita futurum est, ut ejus certus ac necessarius non sit eventus, id eventurum esse præsciri qui poterit? Sicut enim scientia ipsa [b] impermista est falsitati : ita id quod ab ea concipitur, esse aliter, atque concipitur, nequit. Ea namque causa est, cur mendacio scientia careat, quod se ita rem quamque habere necesse est, uti eam sese habere scientia comprehendit. Quid igitur? Quonam modo Deus hæc incerta futura prænoscit? Nam si inevitabiliter eventura censet, quæ etiam non evenire possibile est, fallitur : quod sentire non modo nefas est, sed etiam voce proferre. At si, uti sunt, ita ea futura esse decernit, ut æque vel fieri ea, vel non fieri posse cognoscat, quæ est hæc præscientia, quæ nihil certum, nihil stabile comprehendit? **327** Aut quid hoc [c] refert [1] vaticinio illo ridiculo Tiresiæ? [d] *Quidquid dicam, aut erit, aut non.* [e] Quid etiam divina providentia humana opinione præstiterit, si, uti homines, incerta judicat, quorum est incertus eventus? Quod si apud illum rerum omnium certissimum fontem nihil incerti esse potest, certus eorum est eventus, quæ futura firmiter ille præscierit. Quare nulla est humanis consiliis, actionibusque libertas : quas divina mens sine falsitatis errore cuncta prospiciens, ad unum alligat et constringit eventum. [2] Quo [f] semel recepto, quantus [g] occasus humanarum rerum consequatur, liquet. Frustra enim bonis, malisque præmia, pœnæve proponuntur, quæ nullus meruit liber ac voluntarius motus animorum. Idque omnium videbitur iniquissimum, quod nunc æquissimum judicatur, vel puniri improbos, vel remunerari probos : quos [h] ad alterutrum non propria mittit voluntas, sed futuri cogit certa necessitas. Nec vitia igitur, nec virtutes quidquam fuerint, sed omnium meritorum potius mista atque [i] indiscreta confusio. Quoque nihil sceleratius excogitari potest, cum ex providentia rerum, omnis ordo ducatur, nihilque consiliis liceat humanis, fit, ut vitia quoque **328** nostra ad bonorum omnium referantur auctorem [j]. Igitur nec sperandi aliquid nec [k] deprecandi ulla ratio est. Quid enim vel speret quisquam, vel etiam [l] deprecetur, quando optanda omnia series [m] indeflexa connectit? Auferetur igitur unicum illud inter homines Deumque commercium, sperandi scilicet ac [n] deprecandi. Siquidem [o] justæ humilitatis pretio inæstimabilem vicem divinæ gratiæ promeremur : qui solus modus est, quo cum Deo colloqui homines posse videantur, illique inaccessæ luci prius quoque quam impetrent, ipsa supplicandi ratione conjungi : quæ si, recepta futurorum necessitate, nihil virium habere credantur, quid erit, quo summo illi rerum principi [p] connecti atque adhærere possimus? Quare necesse erit humanum genus, uti [3] paulo ante cantabas, [q] disceptum atque disjunctum suo fonte fatiscere.

INTERPRETATIO.

[a] *Non perinde.*
[b] *Est expers erroris.*
[c] *Differt a divinatione.*
[d] *Apud Horatium, l.* II *Serm., sat.* 5.
[e] *Quomodo divina providentia major erit opinione humana.*
[f] *Quod si concesseris,* nullam scilicet esse in ipsis hominibus libertatem.
[g] *Interitus.*
[h] *Ad utrumlibet.*
[i] *Confusa perturbatio.*
[j] *Deum.*
[k] *Rogandi.*
[l] *Roget.*
[m] *Immutabilis.*
[n] *Rogandi.*
[o] *Recta nostri abjectione meremur Dei gratiam, quæ non potest satis æstimari.*
[p] *Deo.*
[q] *Separatum a suo principio perire.*

NOTÆ.

[1] *Vaticinio illo ridiculo Tiresiæ.*] Et certe si divina providentia esset de futuris istis liberis, sive de iis *quæ æque possint non fieri ac fieri*; eadem opinio foret similis vaticinationi illi ridiculæ Tiresiæ : *quidquid dicam aut erit aut non.* Tiresias fuit vates Thebanus, qui fertur a Junone læsa obcæcatus, et a Jove miserante donatus facultate vaticinandi. Horat. l. II Serm., sat. 5 :

Hoc quoque Tiresia, præter narrata petenti
Responde quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis...
O nulli quidquam mentite vides, ut
Nudus inopsque domum redeam te vate...

Hic autem vates, instar cæterorum, ambigue locutus, solebat dicere : *quidquid dicam, aut erit, aut non* : intelligens, sua dicta fore aut non fore vera; cum tamen aliis intelligendum præberet sua dicta sive aiendo sive negando semper fore vera. Horatius prædicto loco :

O Laertiade, quidquid dicam aut erit aut non :
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

[2] *Quo semel recepto.*] III. Probatur speciatim, ex parte ipsius libertatis humanæ, prædicta concordia non posse stare : quia ubi non est potestas ad utrumlibet, ibi non est hominis viatoris libertas. Sapientissime enim Ecclesia damnavit hanc propositionem : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate; sed sufficit a coactione* : optime etiam nunc dicitur hac potestate sublata fore ut, 1° nec *virtus* esset nec *vitium*, adeoque nec *præmium*, nec *supplicium*; 2° Deus esset *auctor omnium vitiorum*; 3° nec *sperandi* nec *deprecandi ratio* esset, adeoque *auferretur unicum illud inter homines Deumque commercium, sperandi scilicet ac deprecandi*; 4° denique *humanum genus disceptum atque disjunctum suo fonte fatiscat.* Atqui posita divina providentia, nulla erit in homine viatore potestas ad utrumlibet : siquidem divina providentia, ut dictum est, ut pote quæ evidens est, vera, et certa scientia, non est nisi de necessariis, atque, ut loquuntur philosophi, *ad unum determinatis.*

[3] *Paulo ante cantabas.*] Libro videlicet quarto, metro 6, versu 45, ubi Philosophia loquebatur.

329 METRUM * III.

Argumentum. — *Unde, canit Boetius, præsensio divina, et humana libertas, quæ seorsum stant, conjunctim pugnare videntur? Scilicet ut in cæteris, sic in hoc, mens humana nec omnia nescit nec omnia novit, ut a notis progredi nitatur ad ignota.*

Quænam discors fœdera rerum
Causa resolvit? quis tanta Deus
330 Veris statuit bella duobus,
Ut, quæ carptim singula constant,
A Eadem nolint mista jugari?
An nulla est discordia veris,
Semperque sibi certa cohærent?
Sed mens, cæcis obruta membris,
Nequit oppressi luminis igne
Rerum tenues noscere nexus.
331 Sed cur tanto flagrat amore
Veri tectas reperire notas?
Scitne quod appetit anxia nosse?
Sed quis nota scire laborat?

INTERPRETATIO.

Quænam causa discors dirimit concordiam rerum? quis genius ponit tantam pugnam inter duas istas *res veras* divinam scilicet providentiam, et libertatem humanam, *ut cum unaquæque seorsum subsistat, ambæ repugnent consistere simul? Nonne est aliqua discordia inter ea quæ vera sunt, semperne* hæc *certa conveniunt inter se*? Est discordia, nec semper hæc convenire videntur *menti* humanæ, *quippe quæ oppressa corpore cæcante non potest splendore luminis sopiti percipere minimos* etiam *nexus rerum* familiarium. *Quare vero* eadem mens *accenditur tanto studio inveniendi signa occulta veritatis? cognoscitne illud quod sollicita desi-* B *derat cognoscere*? non : *quis* enim *nititur cognoscere* ea quæ jam sibi *nota sunt? Sed si ignorat, quid ignara quærit? nam quis desiderat* id cujus *ignarus* est? *aut quis possit prosequi ignota? quo* modo *aliquis in-*

NOTÆ.

* Quod vocari potest *Pindaricum.* Carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet tetramete nullis videtur teneri legibus : modo enim constat ex quatuor ultimis versus heroici pedibus; modo hos mutat anapæstis. Hoc tamen carmen clauditur versu Adonico, qui dactylum et spondeum habet.

1. *Quænam discors causa.*] I. Boetius, facta divinæ præsensionis et libertatis humanæ comparatione, miratur quod hæc et illa seorsum firmis demonstrari videantur argumentis, conjunctim vero altera ab altera destrui : hinc *causam* tanti mysterii inquirit. *Causa* autem hæc vocatur *discors*, quia videtur fœdus inter divinam prænotionem libertatemque humanam factum, aut saltem faciendum dirimere.

2. *Quis Deus.*] Cum effectum non sit sine sua causa, prædicta divinæ providentiæ et libertatis humanæ discordia, cujus Boetius jam conscius est, causam aliquam abeat, necesse est : quæ causa, ut pote ignota, dubitatur an sit Deus aliquis. Sic antiquis dicebatur *Deus ex machina*, sive ex improviso apparens : quod, inquit Tullius [1] de Natura deorum, *Quia quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis, ut tragici poetæ cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad Deum, cujus operam profecto non desideraretis, si immensum et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis.* Quod Tullius accepisse videtur ex Platonis Cratylo, ubi : *Nisi sane*, inquit, *quemadmodum tragœdiarum scriptores, sicubi hæserint, ad machinas confugiunt, deos sustollentes.*

3. *Veris duobus.*] Nempe *divinæ providentiæ*, et *libertati humanæ* : ut enim verum est, Deum omnia prænoscere, sic etiam verum est, hominibus inesse arbitrii libertatem : alterum tamen ita videtur cum altero pugnare, ut quamvis seorsum stent, conjunctim sese destruere videantur.

6. *An nulla.*] Quasi *an non ulla*? *An* enim quæstio est, qua ita interrogatur, ut tamen interrogans videatur postulare id sibi concedi quod quærit. Sic Terentius : *An non hoc dixi esse futurum? N'ai-je pas bien dit que cela arriverait?* Sic ergo Boetius ait : *Nullane etiam inter ea, quæ vera sunt occurrit discordia? num semper vera omnia ita inter se conveniunt, ut neutrum cum altero pugnet? non certe, non semper ita conveniunt* : quod eleganter exprimitur hac particula proxime sequenti *sed.* Nimirum si insitum menti nostræ lumen esset infinitum, quæ seorsum menti nostræ, ut pote clare et distincte cognita, sunt vera : hæc etiam conjunctim eidem menti viderentur vera : quandoquidem infinitam lucem nihil latet : sic Deo quæ seorsum vera sunt, etiam conjunctim sunt vera. Verum quod idem mentis nostræ lumen suis, et quidem brevissimis contineatur terminis, idcirco fieri potest, ut quæ a nostra mente clare et distincte cognoscuntur, adeoque illi sunt vera seorsum, hæc ab eadem mente ignorentur, adeoque illi non sint vera conjunctim : neque tamen ullum ex his quæ clare et distincte cognoscuntur, propterea negandum est : nam non sunt neganda perspicua ex eo quod obscura animo comprehendi nequeant. S. Aug. l. II de Dono persev., c. 14 : *Nunquid*, inquit, *ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus invenire.*

8. *Sed mens cæcis obruta membris*, etc.] Præterquam quod mens nostra finita est, hoc insitum menti humanæ lumen corpore, cum quo mens humana conjungitur, ita obscuratur, juxta illud sacri textus oraculum Sap. IX : *Corpus quod corrumpitur aggravat ani-* C *mam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, ut eadem mens non possit vel *tenues rerum nexus* (in quo veritas judicii versatur) *noscere* : quomodo igitur eadem mens sublimes divinæ providentiæ et libertatis humanæ nexus comprehendet? *Difficile æstimamus*, continuat Sapiens prædicto loco, *quæ in terra sunt et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore, quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?* Ecce quæstionem Boetii, quam ut solvat, statuit primum mentem nostram non omnia scire ; deinde eamdem non omnia etiam nescire, ut ex notis transeat ad ignota.

11. *Sed cur tanto flagrat amore*, etc.] II. Boetius probat, mentem humanam non omnia scire : quia cum desiderium non sit nisi ejus quod non habetur, si mens humana anxia appetat aliquid nosse certe mens humana non habet illius, quod nosse, appetit notionem : adeoque illud certe mens humana non scit. Atqui experientia probat, mentem humanam anxiam ap D petere *veri tectas reperire notas* : has igitur notas nescit.

14. *Nota scire.*] Observari potest quantitas hujus vocis *nota*, cujus ultima syllaba alioqui brevis, hic longa est, ut aiunt, *positione*, propter duplicem litteram consonantem quæ sequitur : quamvis enim utraque hæc littera consonans ab antecedente vocali dictione separetur, non desinit tamen eamdem vocalem producere, ut apud Virgil. Æn. IX, vers. 37, *tela* :

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.

Et sæpissime apud Catullum et Martialem : hinc autem factum puto, ut veteres poetæ diligentius vitaverint concursum *vocalis* alias brevis, et plurium ejusmodi *consonantium*, quamvis hæ omnes *consonantes* in dictione sequente occurrant : præsertim si utriusque hujus litteræ sonus distincte percipiatur auribus, quarum judicium est superbissimum : ut *omnia stringunt*, *omnia spernunt*, *omnia scribunt*, etc.

At si nescit, quid cæca petit?
Quis enim quidquam nescius optet?
Aut quis valeat nescita sequi?
Quove inveniat, quisve repertam
Queat ignarus noscere formam?
332 An cum mentem cerneret altam,
Pariter summam et singula norat?
Nunc membrorum condita nube,
Non in totum est oblita sui,
Summamque tenet singula perdens.
Igitur quisquis vera requirit,
Neutro est habitu : nam neque novit,
Nec penitus tamen omnia nescit.
333 Sed, quam retinens meminit, summam
Consulit, alte visa retractans,
Ut servatis queat oblitas
Addere partes.

334 PROSA IV.

ARGUMENTUM. — *Philosophia causata, prædictam divinæ providentiæ humanæque libertatis concordiam idcirco videri cum antiquis, tum recentioribus difficilem, quod divina prænotio humanam infinite superans, mente humana non capiatur; explicatisque iis, quibus Boetius movebatur, argumentis, probat, quidquid cognoscitur, non secundum sui vim, sed secundum cognoscentis potius comprehendi facultatem.*

Tum illa [a], Vetus, inquit, hæc est de Providentia querela, [1] Marcoque Tullio, [b] cum divinationem distribuit, vehementer agitata, tibique ipsi res diu pror-

INTERPRETATIO.

veniat, aut dignoscere possit formam inventam, hujus *ignarus? Nonne cum* mens humana *videret mentem supremam, ipsa cognoscebat res tam singulatim quam generatim? nunc vero velata tenebris corporis,* etsi *non est omnino immemor sui,* cætera *non singulatim* quidem, *sed generatim cognoscit. Quicunque ergo investigat veritatem,* is *non afficitur omnino* aut ignoratione aut scientia : *siquidem ille neque cognoscit omnia, neque tamen omnino ignorat omnia : sed consulit summam cujus memor recordatur, recognoscens ea quæ divinitus novit, ut* cognoscendo *possit addere rebus, quas meminit, res quarum oblitus est.*

[a] Philosophia.

[b] *Lib.* II *de Divinat., ubi divinationem, quam Quinctus frater asseruerat, nititur tollere.*

NOTÆ.

15 *At si nescit,* etc.] III. Boetius probat mentem humanam non omnia nescire : quia præterquam quod mens humana optat nosse veritatem ut jam dictum est, nemo vero optat nescius : *ignoti nulla cupido*; præter hoc, inquit Boetius, primum quidem *nemo valet nescita sequi*; cum inquisitio illa, ut pote prima mentis cogitatio, quædam sit cognitio sive perceptio. Deinde quamvis ignarus posset inquirere, hic tamen non posset invenire : *quo* modo *inveniat?* quandoquidem non invenitur nisi notione : ut autem color cæco, sic res omnino ignota menti ignaræ nullam dabit sui notionem. Postremo licet ignarus posset ignotum et inquirere et invenire, hic tamen non posset ignotum dignoscendo a cæteris distinguere. *Quis repertam queat ignarus noscere formam?* Sic argumentatur Plato sub persona Socratis in Menone : *Ponamus,* inquit, *servum fugitivum ab alio servo, a quo omnino prior ignoratur, domino utriusque imperante, quæri : frustra hic servus quæret : quamvis enim idem in servum fugitivum quem quærit, incurrat, eumdem se invenisse ignorans ipsum non poterit dignoscere, sive a cæteris distinguere.*

20. *An cum mentem,* etc.] Plures putant, Boetium in reliquo hoc carmine sequi sententiam Platonis qui ut ex ipsius Menone, pluribusque aliis libris constat, existimavit mentes humanas, antequam hæc cum corporibus conjungerentur, conditas, perfecta omnium intelligentia fuisse divinitus instructas; sed hanc intelligentiam commercio corporeo ita amisisse, ut non nisi multo labore, eorum quæ antea noverant, recordationem sibi compararent : quam quidem Boetii interpretationem admitti posse non inferior : sed quæ nunc ab eodem Boetio dicuntur, hæc etiam refutata illa Platonis sententia, possunt intelligi : posito eo, in quo credimus Adamum conditum fuisse, *innocentiæ statu* : in hoc enim statu mens humana peculiari quodam modo *cernebat mentem altam,* nempe Deum : unde maximam partem rerum cognoscendarum non solum generatim, sed etiam singulatim cognoscebat : *Pariter summam et singula norat.* At ejus posteri, in pœnam peccati hujus sui primi parentis, perturbationibus ita afficiuntur, ut eorum mens, nondum tamen omnino oblita sui, plura non singulatim sed generatim solum cognoscat : *summam* enim *tenet singula perdens* : quatenus etenim Dei sive *ejus qui est* notione informatur, omnia generatim novit : sed quatenus corpore consorte impeditur, plura non percipit singulatim.

25 *Vera requirit.*] *Philosophus* : Philosophia enim, interpretatione nominis, est studium sapientiæ; sive inquisitio veritatis.

26. *Neutro est habitu.*] Habitus, auctore Tullio 2 de Inv. *in aliqua perfecta et constanti animi aut corporis absolutione consistit* : quamobrem habitus generatim, prout hic dici potest et de cogitatione, et de opposita ejus privatione, intelligi potest modus in suo genere absolutus : qua ratione mens nunc dicitur *neutro habitu;* quod videlicet mens humana, neque in absoluta rerum omnium notitia, neque in absoluta rerum omnium ignoratione versetur : nam

26 et 27. *Neque novit nec penitus tamen omnia nescit.*] Contra *Academicos* et *Dogmaticos. Academici* enim, illi videlicet Platonis discipuli, qui ab Academia, collegio Atheniensi, ita vocati sunt, nihil ab hominibus evidenter sciri, adeoque nullum ab hominibus verum, certumque judicium haberi posse arbitrabantur : quod etiam Pyrrhoneis, quos Græci σκεπτικοὺς, *contemplatores,* appellabant, placuit. *Dogmatici* vero, uti loquuntur, e contrario arbitrantur, omnia tam evidenter ab homine cognosci, nullus ut sit de quacunque materia dubitandi locus.

28. *Quam retinens meminit, summam consulit.*] *Insitam* videlicet *et innatam nobis Dei notionem.* Primum enim hanc notionem mens humana semper *retinens meminit :* quandoquidem notio hæc exstingui nescia, tandiu durat, quandiu mens humana, nempe æternum. Deinde eadem notio recte dicitur *summa* cæterorum, quæ ab humana mente cognosci possunt : siquidem notio mentis, notio corporis, notio rei, imo notio *entis* generatim, ut loquuntur logici, nihil aliud est, quam ingenita hæc Dei notio, sive simpliciter, sive modificata. Denique mens humana generalem hanc notionem prius *consulit,* ut quid in hac clare et distincte comprehensum, prius cognoscatur, quam judicium ferat : quod nimirum illa notio, prima sit veri, certique judicii norma : sicut fusius alibi probatur. Quin etiam hanc notionem mens humana magis ac magis attendendo *retractans* doctior fit, et oblita aut a primo parente, aut ab unoquoque homine *momento creationis,* ut putat Vallinus hic, veluti recordatur. *Oblita* porro dicuntur *passive* etiam a Virgil., eclog. IX, v. 53 :

Nunc oblita mihi tot carmina

[1] *Marcoque Tullio.*] I. Philosophia meminit veteres quibus hæc divinæ providentiæ libertatisque humanæ concordia visa est difficilis : inter hos autem excelluit

sus multumque quæsita; sed haud quaquam ab ullo vestrum hactenus satis diligenter ac firmiter expedita. [1] Cujus [a] caliginis causa est, quod humanæ ratiocinationis motus ad divinæ præscientiæ simplicitatem non potest admoveri: quæ si ullo modo cogitari queat, nihil prorsus relinquetur [b] ambigui: quod ita demum patefacere, atque [c] expedire tentabo, si prius ea quibus moveris, [d] expendero. **335** [2] Quæro enim cur illam solventium rationem [e] minus efficacem putes: quæ quia præscientiam non esse futuris rebus causam necessitatis existimat, nihil impediri præscientia arbitrii libertatem putat. Num enim tu aliunde argumentum futurorum necessitatis trahis, nisi quod ea quæ præsciuntur, non evenire non possunt? Si igitur prænotio nullam futuris rebus adjicit necessitatem, quod tu etiam paulo ante fatebare; quid est, quod voluntarii exitus rerum ad certum cogantur eventum? Etenim positionis gratia, ut quid consequatur advertas, statuamus nullam esse præscientiam. Num igitur, quantum ad hoc attinet, quæ ex arbitrio eveniunt, ad necessitatem coguntur? Minime. Statuamus iterum esse, sed nihil rebus necessitatis injungere, manebit, ut opinor, eadem voluntatis integra atque absoluta libertas. Sed præscientia, inquies, tametsi futuris eveniendi necessitas non est, signum tamen est, necessario ea esse ventura. Hoc igitur modo, etiam si præcognitio non fuisset, necessarios futurorum exitus esse constaret. Omne etenim signum, tantum quid sit, ostendit, non vero efficit quod designat. Quare demonstrandum prius est, nihil non ex necessitate contingere, ut prænotionem signum esse hujus necessitatis appareat. Alioquin si hæc nulla est, nec illa quidem ejus rei signum poterit esse, quæ non est. Jam vero probationem firma ratione subnixam constat, non ex signis neque petitis extrinsecus argumentis, sed ex

A convenientibus necessariisque causis esse ducendam. Sed [f] qui fieri potest, ut ea non proveniant, quæ futura esse providentur? Quasi vero nos ea, quæ providentia futura esse prænoscit, non eventura credamus: ac non illud potius arbitremur, licet eveniant, nihil tamen, ut evenirent, sui natura necessitatis habuisse: quod hinc facile perpendas licebit. Plura etenim dum fiunt, subjecta oculis intuemur: ut ea qui in [g] quadrigis moderandis atque flectendis facere spectantur aurigæ: atque ad hunc modum cætera. Num igitur quidquam illorum ita fieri necessitas ulla compellit? Minime. Frustra enim esset artis effectus, si omnia coacta moverentur. Quæ igitur cum fiunt; carent existendi necessitate, eadem priusquam fiant, sine necessitate futura sunt. Quare sunt quæ- B dam eventura, quorum exitus ab omni necessitate sit absolutus. **336** Nam illud quidem nullum arbitror esse dicturum, quod quæ nunc fiunt, priusquam fierent, eventura non fuerint. Hæc igitur etiam præcognita liberos habent eventus. Nam sicut scientia præsentium rerum nihil his quæ fiunt, ita præscientia futurorum nihil his quæ ventura sunt necessitatis [h] importat. Sed hoc, inquis, ipsum dubitatur, an earum rerum quæ necessarios exitus non habent, ulla possit esse prænotio. [i] Dissonare etenim videntur: putasque, si prævideantur, consequi necessitatem: si necessitas desit, minime præsciri, nihilque scientia comprehendi posse nisi certum. Quod si quæ incerti sunt exitus, ea quasi certa providentur, opinio- C nis id esse [j] caliginem, non scientiæ veritatem. Aliter enim ac sese res habeant, [k] arbitrari, ab integritate scientiæ credis esse diversum. [3] Cujus erroris causa est, quod omnia quæ quisque novit, ex ipsorum tantum vi atque natura cognosci existimat quæ sciuntur, quod totum contra est. Omne [l] enim quod cognoscitur, non secundum sui vim, sed secundum

INTERPRETATIO.

[a] *Obscuritatis.*
[b] *Dubii.*
[c] *Explicare.*
[d] *Explicuero.*
[e] Quæ habetur prosa 3 hujus lib., not. 3.
[f] *Quomodo.*
[g] *Curribus.*
[h] *Infert.*
[i] *Pugnare.*
[j] *Obscuritatem.*
[k] *Judicare.*
[l] *Quod cognoscitur, id non ad modum cogniti, sed ad modum potius cognoscentis cognoscitur.*

NOTÆ.

Marcus Tullius Cicero, qui hinc negata divina providentia, inde vero stabilita humana libertate, *dum vult homines facere liberos*, inquit S. Aug. v de Civ. Dei, c. 9, eosdem *facit sacrilegos*. Argumentum Tullii illud est quo supra usus est Boetius, quod nimirum posita humana libertate, quemadmodum experientia probatur ponenda, providentia divina nequeat esse (qualis est, aut nulla), evidens, vera et certa scientia.

[1] *Cujus caliginis causa.*] II. Philosophia ait, adeo veteres recentioresque non posse conciliare providentiam divinam cum humana libertate, quia eorum mens infirmior est quam ut possit divinam prænotionem percipere: unde præcipitatione et præjudicio judicans, negat divinam providentiam, quod eadem philosophia promittit se demonstraturam, postquam argumentis, quibus antea Boetius movebatur, responderit.

[2] *Quæro enim*, etc.] III. Philosophia respondet argumentis quibus supra usus est Boetius; hoc fere

D pacto: si, posita humana libertate, providentia divina possit esse non modo evidens, verum etiam vera et certa futurorum scientia, certe divina providentia recte conciliabitur cum humana libertate: siquidem prædicta omnia argumenta contraria hac propositione continentur, sicut attendenti patebit. Atque res ita se habet: cum enim notio præsentium et prænotio eorumdem futurorum sint idem cogitandi modus, nec differant nisi tempore, cui Deus non subest, propterea ut notio præsentium, sic prænotio futurorum liberorum potest esse evidens, vera et certa, nullamque ipsis affert necessitatem.

[3] *Cujus erroris causa.*] IV. Philosophia ostendit prædicti erroris causam in eo versari, quod cum ad cognoscendum necessaria sit cum mens cognoscens, tum materia cognoscenda, prædicti providentiæ divinæ adversarii prænotionem divinam accipiant secundum naturam materiæ cognoscendæ, cum tamen

cognoscentium potius comprehenditur facultatem. Nam ut hoc brevi liqueat exemplo, eamdem corporis rotunditatem aliter visus, aliter tactus agnoscit [a]. Ille eminus manens, totum simul jactis radiis intuetur : hic vero cohærens orbi atque conjunctus, circa ipsum motus ambitum, rotunditatem partibus comprehendit. Ipsum quoque hominem [1] aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia contuetur. Sensus enim figuram in subjecta materia constitutam. Imaginatio vero solam sine materia judicat figuram. Ratio vero hanc quoque transcendit, speciemque ipsam, quæ singularibus inest, universali **337** consideratione perpendit. [b] Intelligentiæ vero celsior oculus existit. Supergressa namque universitatis ambitum, ipsam illam simplicem formam pura mentis acie contuetur, In quo illud maxime considerandum est: quod superior comprehendendi vis amplectitur inferiorem; inferior vero ad superiorem nullo modo consurgit. Neque enim sensus aliquid extra materiam valet, vel universales species imaginatio contuetur, vel ratio capit simplicem formam : sed intelligentia quasi desuper spectans, concepta forma, quæ subsunt etiam cuncta dijudicat; sed eo modo quo formam ipsam, quæ nulli alii nota esse poterat, comprehendit. Nam et rationis universum, et imaginationis figuram, et materiale sensibile cognoscit, nec ratione utens, nec imaginatione, nec sensibus, sed illo ictu mentis formaliter, ut ita dicam, cuncta prospiciens, Ratio quoque cum quid universale respicit, nec imaginatione, nec sensibus utens, imaginabilia vel sensibilia comprehendit. Hæc est enim quæ conceptionis suæ universale ita definit : homo est animal bipes rationale. Quæ cum universalis notio sit, tum imaginabilem, sensibilemque esse rem nullus ignorat, quod illa non imaginatione, vel sensu, sed rationali conceptione considerat. Imaginatio quoque tametsi ex sensibus visendi, formandique figuras sumpsit exordium, sensu tamen absente sensibilia quæque collustrat, non sensibili, sed imaginaria ratione judicandi. Videsne igitur, ut in cognoscendo cuncta, sua potius facultate, quam eorum quæ cognoscuntur, utantur ? **338** [2] Neque id [c] injuria*:* nam cum omne judicium judicantis actus existat, necesse est ut suam quisque operam non ex aliena, sed ex propria potestate perficiat.

339 METRUM * IV.

ARGUMENTUM.—*Quanquam,inquit Philosophia,Stoici existimaverint, mentem humanam, nihil nisi a corporibus informatam, percipere, hæc tamen ab efficaciori principio informata et insensilia sine ministerio corporum,et sensilia, famulantibus ipsis corporibus, percipit.*

Quondam Porticus attulit
Obscuros nimium senes,

INTERPRETATIO.

[a] *Corpus rotundum visu absens, tactu præsens solummodo percipitur.*

[b] *Intelligentia sublimior est cognoscendi modus.*

[c] *Immerito.*

Porticus Atheniensis *produxit olim philosophos indoctiores, qui existimabant sensus notionesque omnes, ortas ex corporibus exterioribus imprimi mentibus : quemadmodum veteres solebant calamo veloci imprimere litteras in charta æquabili, nullisque antea characteribus insignita. At si mens* nostra *nihil evolvit propria sua cogitatione, sed obnoxia impressionibus corporum ab his solum patitur, et refert imagines inutiles*

NOTÆ.

accipienda sit secundum naturam mentis cognoscentis : sicut Philosophia probat primum pluribus exemplis, deinde ratione.

[1] *Aliter sensus*, etc.] Primum quidem exempla ista sunt sensus speciatim, sensus generatim, imaginatio, ratio, et intelligentia, quæ ita accipi debent ex parte ipsius cognoscentis, ut quamvis sint de eadem materia subjecta, v. g. de eodem corpore rotundo, differant. Nimirum mens humana, quæ non nisi ab alio informari potest, duobus generatim modis informata cognoscit, nimirum a Deo, cujus ipsa est effectum; et a corpore, cujus eadem est forma. Mens humana a Deo informata rursus dupliciter dicitur cognoscere, nempe prima et continuata attentione : prima attentio vocatur *intelligentia:* continuata vero dicitur *ratio*, ut *ratio* nihil aliud sit quam innata notio paulo longius diffusa. Mens autem humana ab ipso corpore informata duobus pariter modis cognoscere potest Primo quatenus mens ipso duntaxat cerebro, cujus est forma, movente percipit: ut cum per somnum mens venatoris silvas et lustra cogitat; idque vocatur *imaginatio*. Secundo quatenus eadem mens ab ipsis etiam aliis corporibus cum interioribus, tum etiam exterioribus commota percipit : quod vocatur *sensus* hic autem vel est interior, ut fames et sitis; vel est exterior, nempe visus, auditus, odoratus, gustus, et tactus. Atque hi omnes cognoscendi modi ita inter se disponuntur, ut quo a paucioribus causis pendent, eo, ut pote ad divinam sapientiam propius accedentes, sint perfectiores : sic gustus tactu, odoratus gustu, auditus odoratu, visus auditu, imaginatio sensu, ratio imaginatione, intelligentia ratione est perfectior : sic probatur exemplis, modum cognoscendi accipi secundum naturam cognoscentis.

[2] *Neque id injuria.*] Deinde idipsum probatur ratione : nam modus rei, ut pote qui non distinguitur a re modificata, accipi debet potius secundum naturam rei modificatæ, quam secundum naturam alterius etiam modificantis. Atqui notio non secus ac judicium est modus ipsius mentis cognoscentis et judicantis. Et certe

* Quod vocatur *Glyconicum.* Carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet trimeter sæpius unum spondeum et duos dactylos habet. Dico sæpius : modo enim idem sit numerus syllabarum, prædicta illarum quantitas aliquando negligitur.

1. *Porticus.*] Nimirum *Atheniensis.* Erat enim Athenis quædam porticus, in quam nonnulli ad disserendum de quacunque materia convenire solebant *:* sic suus Cadomi, Bajocarum, cæterarumque minorum urbium locus, in quem plures dicendarum audiendarumque rerum novarum causa convenire consueverunt. Zeno autem inter veteres Philosophos celeberrimus nactus hanc occasionem, hic instituit docere Philosophiam, illiusque discipuli ab isto loco vocati sunt Stoici : στοὰ enim Græcis est *porticus.* Hos Philosophia nunc vocat *senes obscuros : senes* quidem, quod virtutem præsertim, in qua una vitam beatam versari arbitrabantur, colerent instar sapientissimorum senum : *obscuros* vero, quod hic erraverint; error enim ex obscuritate nascitur. Quia vero iidem Stoici dialecticæ, cujus princeps eorum Zeno fertur esse inventor, præcipue studebant, idcirco Philosophia nunc exposito illorum errore, eosdem refutat

340 Qui sensus et imagines
E corporibus extimis
Credant mentibus imprimi,
Ut quondam celeri stylo
Mos est æquore paginæ,
Quæ nullas habeat notas,
Pressas figere litteras.
Sed mens si propriis vigens
Nihil motibus explicat,
Sed tantum patiens jacet,
Notis subdita corporum.
A Cassasque in speculi vicem
Rerum reddit imagines;
Unde hæc sic animis viget
Cernens omnia notio?
Quæ vis singula prospicit,
Aut quæ cognita dividit?
Quæ divisa recolligit,
Alternumque legens iter
Nunc summis caput inserit,
Nunc desidit in infima,
Tum sese refereus sibi,

INTERPRETATIO.

rerum objectarum *instar speculi, cur cognitio* universalis *omnium, est adeo perspicax iu mentibus* humanis? *quomodo singula cognoscuntur? quomodo cognita dividuntur? quomodo divisa resumuntur? quomodo alternis, modo ab imis ascenditur ad summa, modo a summis descenditur ad ima? quomodo mens sese componens secum, veritate refutat errorem? Causa* istorum omnium *est multo magis efficax,* et *magis potens quam* mens humana, *quæ instar materiæ patitur formas impressas. Ipsa tamen corporis viventis impressio præit*

NOTÆ.

argumentis ex dialectica desumptis; tum quid sentiendum sit, declarat.

3. *Qui sensus et imagines,* etc.] I. Philosophia exponit errorem Stoicorum, qui in hoc versatur, quod putarent, non modo sensus, sed omnes notiones, quas hic Philosophia vocat *imagines*, quasque ipsi Stoici, auctore Tullio in Top. appellabant ἐννοίας καὶ προλήψεις, a corporibus etiam externis imprimi mentibus: non secus ac litteræ currente calamo imprimuntur chartæ. Hinc Stoici, inquit S. Aug. l. VIII de Civ. Dei, c. 7, *posuerunt judicium veritatis in sensibus corporis, eorumque infidis et fallacibus regulis omnia quæ discuntur, metienda esse censuerunt.*

10. *Sed mens si propriis,* etc.] II. Philosophia refutat Stoicorum hunc errorem argumentis ex dialectica, cui illi plurimum studebant, desumptis: nam in dialectica præter notionem tam universalem quam singularem, tractatur divisio, definitio, methodus, et ipsa **341** veritatis norma: quæ omnia fieri non possunt, si mens humana omnes suas notiones corporibus acceptas referat. Primo enim nulla erit notio universalis: sive *cernens omnia notio*: siquidem notio universalis non acquiritur sensibus, quibus quidquid percipitur, illud certo tempore, certoque, loco ita circonscribitur, ut sit singulare. Secundo nulla etiam erit notio singularis, qua mens *singula prospicit*: quia præterquam quod mens humana seipsam singularem non prospicit famulante corpore, qui tactu visuque percipi creditur, triangulus circulusve singularis, hic revera triangulus circulusve non est: quandoquidem triangulus singularis non constat nisi tribus lineis, quæ ita inter se coeant, ut ex his fiant tres anguli æquales duobus rectis: circulus vero non constat nisi una linea circa unum punctum ita circumducta, ut omnes illius partes ab hoc puncto æqualiter distent: cum tamen omnis triangulus circulusve sensilis, sicut exquisitis perspiciliis sive, ut loquuntur, *microscopis* animadvertere possumus, infinitis prope constet lineis, quarum aliæ egressæ, aliæ ingressæ prædictam anguli circulive notionem singularem impediunt. Tertio nulla quoque erit divisio, qua mens *cognita dividit*: cum hæc non fiat nisi mente ea quæ sensibus videntur conjuncta separante, sive ut loquuntur logici, *abstractione.* Quarto nulla erit definitio qua mens *divisa recolligit*: nam, inquit Crassotius, l. II, Post. Anal., cap. 1, art. 1, *si machinalis horologii partes omnes dissolvantur, et post dissolutionem singulæ spectandæ exhibeantur, tum videtur esse quasi specimen divisionis, et partitionis logicæ. Si partes eas omnes clare et distincte apprehendas, sed suo quamque loco et ordine in toto, tunc videtur esse definitionis specimen:* ex quo sequitur vim, quæ non potest cognita B dividere, non posse etiam *divisa recolligere,* sive definire. Quinto nulla erit methodus quæ scilicet monti vallique similis nunc a speciebus subjectis ad genus supremum ascendit; nunc a genere supremo ad subjectos species descendit, suis quæque ordinibus disponendo: nam, ut jam dictum est, genus, species, illorumque ordo sensibus non percipitur. Sexto denique nulla erit veritatis norma, qua mens *falsa redarguit*: (nam regula veritatis Græcis κριτήριον illud est quod tanquam duce fallere et falli nescio, mens humana ita persuadetur, hæc ut verum omnisque dubitationis expers judicium formet: talis autem non potest esse sensus, de quo nunc agitur: siquidem hoc sæpius fallimur: quare Stoici putantes, omnem notionem oriri a sensibus, omnem etiam veritatis normam abjiciebant: ut monuit S. Aug. prædicto lib. VIII de Civit., c. 7, ubi etiam ait: *Cum pulchros dicant non esse nisi sapientes, quibus sensibus corporis* C *istam pulchritudinem viderint, qualibus oculis carnis, formam sapientiæ decusque conspexerint?*

Hanc vero veritatis normam indicat Philosophia dicens mentem *sese referentem sibi*: nam duplex est ejusmodi veritatis norma: una exterior et in genere causæ efficientis, videlicet Deus, qui quod sit infinite sapiens et bonus, idcirco falli et fallere non potest: altera interior et in genere formæ, nempe evidentia, hoc est notio clara et distincta, quam sicuti nunquam errabimus, ut pote ab ipso præceptore Deo docti. Mens ergo nostra *sese referens sibi*, attendat animo ad hanc suam evidentiam sive notionem claram et distinctam: ut quandiu ipsa evidenter, sive clare et distincte, in rebus ad mysteria fidei non pertinentibus, non noverit, tandiu *ascensionem sustineat, ne præcipitet si temere processerit,* ut loquitur Tullius: *turpe enim est,* inquit idem orator *cognitioni et perceptioni assertionem approbationemque præcurrere.* At ubi eadem mens claram distinctam- D que suam notionem clare et distincte perceperit, tum remota omni dubitatione judicium proferat certa non ab hominibus, sed ab ipso Deo intrinsecus doceri: *Si intellexistis*, inquit S. Aug. in Joan. XL, *dictum est et cordi vestro. Munus Dei est intelligentia.*

Notandum in libro de Spiritu et Anima, qui vulgo recensetur inter opera S. Augustini, cap. 11, reperiri hæc verba: *Mens nunc caput summis inserit; nunc decidit in infimis; nunc sese inferens sibi veris falsa redarguit;* cum his etiam scripturæ erroribus *decidit, infimis, inferens*; ex quo, ut ex pluribus aliis argumentis optime Lovanienses concludunt, librum hunc non esse S. Augustini opus, sed cujusdam multo recentioris, forte Hugonis a S. Victore; quippe qui capite 33 ejusdem libri Boetium nominat.

Veris falsa redarguit?
342 Hæc est efficiens magis
Longe causa potentior,
Quam quæ materiæ modo
Impressas patitur notas.
Præcedit tamen excitans,
Ac vires animi movens,
Vivo in corpore passio.
Cum vel lux oculos ferit,
Vel vox auribus instrepit :
Tum mentis vigor excitus,
Quas intus species tenet,
Ad motus similes vocans,
Notis applicat exteris,
Introrsumque reconditis
Formis miscet imagines.

343 PROSA V.

ARGUMENTUM. — *Sicut ergo, inquit Philosophia, neque ex imbecillitate sensus, imaginatio ; neque ex imbecillitate imaginationis ratiocinatio*; *neqae ex imbecillitate ratiocinationis, intelligentia humana : sic neque* A *ex imbecillitate intelligentiæ humanæ, divina futurorum liberorum prænotio neganda est.*

Quod si in corporibus sentiendis, quamvis afficiant [a] instrumenta sensuum [b] forinsecus objectæ qualitates, animique agentis vigorem passio corporis antecedat, quæ in se actum mentis provocet, excitetque interim quiescentes intrinsecus forma : si in sentiendis, inquam, corporibus [1] animus non passione insignitur, sed ex sua vi subjectam corpori judicat passionem, quanto magis ea quæ [c] cunctis corporum affectionibus absoluta sunt, in discernendo non objecta extrinsecus sequuntur, sed actum suæ mentis expediunt? [d] Hac itaque ratione multiplices cognitiones diversis ac differentibus cessere substantiis. [2] Sensus enim solus cunctis aliis cognitio- B nibus destitutus, immobilibus animantibus cessit : quales sunt conchæ maris, quæque alia saxis hærentia nutriuntur. Imaginatio vero mobilibus belluis, quibus jam inesse fugiendi, appetendive aliquis videtur affectus. Ratio vero humani tantum generis est, sicuti intelligentia sola divini : quo fit ut ea notitia cæteris præstet, quæ [e] suapte natura non modo,

INTERPRETATIO.

excitans commovensque vires mentis : ut *cum lumen verberat oculos, aut vox insonat auribus* : *deinde vis illa mentis commota, conferens species sibi insitas cum ejusmodi motibus*, sive speciebus *adventitiis; conjungit utrasque*.

[a] *Organa.*

[b] *Extrinsecus.*

[c] *A corporum commercio libera sunt.*

[d] *Hoc modo diversis rebus diversa insunt cognoscendi genera.*

[e] *Et suam propriam et cæteris cognitionibus subjectam materiam percipit.*

NOTÆ.

26. *Hæc est efficiens magis*, etc.] III. Philosophia declarat quid sit sentiendum. Primum quidem nisi mens humana informaretur a Deo, qui non minus est ejus præceptor quam conditor, eadem mens non posset cognoscere, neque generatim, neque singulatim; non posset dividere, definire, aut in ordinem redigere; nullam etiam haberet normam veritatis : quandoquidem hæc omnia sunt aut ingenita notio Dei *qui est*, aut quidam ejusmodi notionis modus : propterea *hæc est efficiens magis longe causa potentior*. Deinde eadem mens, ut pote quæ est corporis forma, ipso corpore commoto etiam afficitur sentiendo : sensus enim, docente S. Augustino l. de Quant. an., c. 25, est *passio corporis per seipsam non latens animam :* idcirco *præcedit excitans vivo in corpore passio* : ubi observabis hanc vocem, *passio*, non esse ita Latinam, sed aptiorem nullam esse ad significandam hanc Philosophiæ cogitationem. Sic *lux* nihil est aliud quam motus oculi a sole aut aliquo alio simili corpore commoti : commoto oculo nervus hinc ad cerebrum usque productus movetur; unde movetur et cerebrum, quo moto ipsa mens cerebro præsertim conjuncta ita commovetur, ut non modo sentiat, sed etiam videat. Sic etiam *vox* commovet *aures*. Postremo mens conferens hanc ideam adventitiam, cum priori idea innata, tanta libertate judicat, ut possit non modo jungere consentaneas, et dissentaneas separare, verum etiam omnem assensionem sustinere.

[1] *Animus non passione insignitur.*] Tali scilicet, quali corpus cum animo conjunctum insignitur, videlicet figura, quiete, et motu, quibus etiamsi corpus afficiatur, non propterea mens afficitur. Sed id non obstat, quin mens sentiendo dicatur pati, auctore ipso Aristotele ; quatenus videlicet *non latet mentem, corpus pati :* sicut docet S. August.

[2] *Sensus.*] Aliter quidem judicamus de sensu ; aliter noster auctor : sed hoc nihil facit ad præsens institutum. Primo enim nobis sensus videtur debere C definiri, sicut a S. Aug. definitur : *Passio corporis per seipsam non latens animam* : unde sensus accipi potest dupliciter, nimirum *inadæquate*, ut loquuntur philosophi, quatenus est *passio corporis :* quo modo sensus reperitur in bestiis etiam ; et *adæquate*, ut aiunt iidem philosophi; quatenus est *passio corporis per seipsam non latens animam* : qua ratione sensus solius hominis est : quippe qui solus constat ex corpore et mente. Secundo noster auctor ponit *sensum* etiam proprie dictum in bestiis, cum hoc tamen discrimine, ut in conchis sit *sensus* sine *imaginatione* : in bestiis mobilibus etiam *imaginatio* sine *ratione* sicut in homine *sensus, imaginatio et ratio*, sed sine *intelligentia*, quam dicit *divini generis*.. At, inquam, si *sensus* est in conchis, cur non in iisdem fuerit *imaginatio*? cum *sensus* et *imaginatio* non differant, nisi quod *sensus* suo quilibet organo, *imaginatio* organo communi, videlicet cerebro perficiatur : quod cere- D brum etiam in conchis occurrit. Si *imaginatio* fuerit in aliis bestiis, v. g. in vulpe, cur non in his fuerit *ratio* ? quandoquidem ab his plurima fiunt, ad quæ si necessaria fuerit quædam cognitio, etiam illa quæ *sensus* vocatur et *imaginatio*, certe *ratio* necessaria erit, hoc est progressus cognoscentis a notis ad ignota. Si denique *ratio* fuerit in homine, ut revera est, cur non eodem fuerit *intelligentia?* cum ratio non sit sine judicio, nec judicium sine *intelligentia*. Nisi tamen nominata intelligentia Philosophia voluerit intelligi notionem a nullo acceptam et infinitam : hæc enim intelligentia solius Dei est. Tertio hæc eo liberius notavimus, quod ad præsentem Philosophiæ demonstrationem nihil faciunt; sive enim bestiæ proprie sentiant sive non; modo unus homo sentiat, id satis erit ad animadvertendum discrimen ordinemque prædictorum. Similiter quamvis homo intelligentia afficiatur, intelligentia tamen divina, ut pote infinita, intelligentiam humanam ita superat, ut quæ intelligentia humana capi non possunt, hæc intelligentia divina recte comprehendantur.

proprium, sed cæterarum quoque notitiarum subjecta cognoscit. **344** [1] Quid igitur, si ratiocinationi sensus imaginatioque [a] refragentur, nihil esse illud universale dicentes, quod sese intueri ratio putet? quod enim sensibile, vel imaginabile est, id universnm esse non posse : aut igitur rationis verum esse judicium, nec quidquam esse sensibile : aut quoniam sibi notum sit plura sensibus, et imaginationi esse subjecta, inanem conceptionem esse rationis, quæ quod sensibile sit, ac singulare quasi quiddam universale consideret. Ad hæc, si ratio contra respondeat, se quidem et quod sensibile et quod imaginabile sit in universitatis ratione conspicere; illa vero ad universitatis cognitionem aspirare non posse : quoniam eorum notio corporales figuras non possit excedere : de rerum vero cognitione, firmiori potius, perfectiorique judicio esse credendum. In hujusmodi igitur lite, nos, quibus tam ratiocinandi, quam imaginandi etiam, sentiendique vis inest, nonne **345** rationis potius causam probaremus? Simile est, quod humana ratio divinam intelligentiam futura, nisi ut ipsa cognoscit, non putat intueri. Nam ita disseris, si quæ certos ac necessarios habere non videantur eventus, ea certo eventura præsciri nequeunt. Harum igitur rerum nulla est præscientia, quam si etiam in his ecse credamus, nihil erit, quod non ex necessitate proveniat. Si igitur, uti rationis participes sumus, ita divinæ judicium mentis habere possemus, sicut A imaginationem sensumque rationi cedere oportere judicavimus, sic divinæ sese menti humanam summittere rationem justissimum censeremus. [2] Quare in illius summæ intelligentiæ cacumen, si possumus, erigamur; illic enim ratio videbit, quod in se non potest intueri. Id autem est, quonam modo etiam quæ certos exitus non habent, certa tamen videat, ac definita prænotio; neque id sit opinio, sed summæ potius scientiæ nullis terminis inclusa simplicitas.

346 METRUM * V.

ARGUMENTUM EX CICERONE, I DE LEGIBUS. — *Natura, inquit Philosophia, cæteras animantes abjecit ad pastum solum hominem erexit, ad cælique quasi cognationis, et domicilii pristini conspectum excitavit.* B

Quam variis terras animalia permeant figuris!
Namque alia extento sunt corpore, pulveremque [verrunt,
Continuumque trahunt vi pectoris incitata sul- [cum.
Sunt quibus alarum levitas vaga verberetque [ventos,
347 Et liquido longi spatia ætheris enatet vo- [latu;
Hæc pressisse solo vestigia gressibusque gaudent
Vel virides campos transmittere, vel subire sil- [vas.

INTERPRETATIO.

[a] *Adversentur.*

Quam diversis figuris præditæ animantes percurrunt terras : *aliæ enim habent corpus longum, quæ serpentes virtute* sui *pectoris verrunt pulverem et ducunt sulcum continuatum : aliæ errantes pennis levibus percutiunt ventos, et longo volatu transeunt* magna *intervalla aeris liquidi* : *aliæ gestiunt gradiri per terram* : *sive hæ passibus transeant agros virides*; *sive ingrediantur silvas. Quæ* animantes, *licet omnes, ut cernis, differant inter se pluribus modis*, in hoc tamen conveniunt,

NOTÆ.

[1] *Quid igitur si ratiocinationi*, etc.] Accedit tandem Philosophia ad eam, propter quam longa fuerunt præludia, comparationem, quam *proportionis* vocant quasi dicat : ut se habet sensus collatus cum sua subjecta materia ad imaginationem, collatam cum sua materia : aut ut se habet imaginatio collata cum sua materia ad rationem collatam cum sua materia : ita se habet ratio collata cum sua materia ad intelligentiam collatam cum sua materia : sicut ergo ex imbecillitate sensus non est neganda imaginatio, aut ex imbecillitate imaginationis non est neganda ratiocinatio, sic ex imbecillitate ratiocinationis aut intelligentiæ humanæ non est neganda divina futurorum liberorum intelligentia sive prænotio.

[2] *Quare in illius summæ intelligentiæ cacumen*, etc.] *Studeamus accedere ad intelligentiam divinam* : cum enim hac intelligentia divina perfecte comprehendatur prædicta divinæ providentiæ humanæque libertatis concordia, quanto propius ad divinum intelligendo modum accedemus, tanto magis hæc concordia nobis innotescet : sed ad Deum accedere non possumus nisi diligenti ad ipsum Deum facta attentione : ad quod ipsa etiam nostri corporis figura nos videtur hortari : siquidem.

* Quod vocatur *Archilochium*. Carmen constans ex uno genere versuum, quorum quilibet heptameter habet, primum quatuor primos versus heroici pedes deinde tres trochæos.

1. *Quam variis*, etc.] Hominem solum erecto, cætera vero animalia prono vultu incedere dixerunt C plurimi tam oratores quam poetæ : audivisti Tullium, audi Ovidium l. I Metam., fab. 2.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit cœlumque videre
Jussit et erectos ad sidera tollere vultus.

Hic tamen distinguendum videtur inter situm corporis, situmque vultus tam hominis, quam cæterorum animalium : nam erectus homo, cætera vero animalia prona sunt corpore : vultus autem adeoque aspectus tam hominis, quam cæterorum animalium : (saltem si excipiatur piscis ille, qui οὐρανοσκόπος vocatur, quod oculos in superna corporis parte habens, cœlum veluti invitus spectet) non sublimis, sed ad horizontem plus, minus est directus : unde diversa in omnibus animalibus est cerebri constitutio : quod discrimen videtur hic observari : non enim dicitur bestias terram, hominem vero cœlum conversis deorsum sursumve oculis videre : sed tantum cætera animalia D prono, hominem vero recto stare corpore : quod sufficit, ut mens humana peculiari sui corporis figura excitetur ad cogitandum Deum. Bestiæ autem quæ hic numerantur, sunt 1 serpentes, 2 volucres, 3 pedites; quæ vel campos percurrunt, vel silvas ingrediuntur : de quibus nihil occurrit adnotatione dignum.

5. *Liquido longi ætheris volatu.*] Confusio verborum, quæ grammaticis vocatur *hyperbate :* siquidem æther liquidus et volatus longus dici deberet. Sic Virgil, : *Ibant obscuri sola sub nocte: Sceleratam intorserit hastam : Dare classibus austros.*

Quæ variis videas licet omnia discrepare formis,
Prona tamen facies hebetes valet ingravare sensus.
Unica gens hominum celsum levat altius cacumen,
Atque levis recto stat corpore, despicitque terras.
Hæc, nisi terrenus male desipis, admonet figura,
Qui recto cœlum vultu petis, exerisque frontem,
In sublime feras animum quoque, ne gravata pessum
Inferior sidat mens corpore celsius levato.

348 PROSA VI.

Argumentum. — *Philosophia tandem concludit, cognitionem divinam instar Dei cognoscentis æternam, ita esse totam simul, ut sicut notio præsentium, sic prænotio divina futurorum liberorum libertati humanæ non noceat.*

Quoniam igitur, uti paulo ante monstratum est, omne quod scitur, non ex sua, sed ex comprehendentium natura cognoscitur, intueamur nunc quantum fas est [a], quis sit divinæ substantiæ status, ut quænam etiam scientia ejus sit, possimus agnoscere. [1] Deum (5) igitur æternum esse, cunctorum ratione [b] degentium commune judicium est. Quid sit igitur æternitas, consideremus. [c] Hæc enim naturam nobis pariter divinam, scientiamque patefecerit. [2] Æternitas igitur est, [d] interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Quod ex [e] collatione temporalium clarius [f] liquet. Nam quidquid vivit in (10) tempore, id præsens a præteritis in futura procedit : nihilque est in tem-

INTERPRETATIO.

quod *facies* illarum, *inclinata* ad terram, *deprimat* earumdem *sensus obtusos. Sola gens hominum erigit altius caput* suum *sublime, levisque stat corpore erecto, et contemnit terras. Hæc figura te monet, nisi obrutus terra stulte deliras, ut qui tendis ad cœlum vultu recto, et erigis frontem, tu extollas etiam mentem* tuam *in altum, ne mens oppressa jaceat deorsum inferior ipso corpore altius erecto.*

[a] Philosophis.
[b] *Viventium.*
[c] *Æternitate cognita, divina cum natura, tum etiam scientia cognoscatur necesse est.*
[d] *Infinitæ.*
[e] *Comparatione.*
[f] *Patet.*

NOTÆ.

9. *Prona facies hebetes valet ingravare sensus.*] Sensus enim non vigent nisi spiritibus a corde ad cerebrum, et a cerebro per nervos ad reliquas corporis partes diffusis : hi autem spiritus minus libere in pronum, quam in erectum caput a corde diffluunt.

12. *Admonet figura.*] Si corpora generatim possunt esse quædam mentium exempla, ut certe sunt, corpus humanum præcipuum quoddam esse debet mentis consortis exemplum, ut quemadmodum corpus humanum, veluti servatis corporum levium legibus, ad cœlum recta tendit, ita mens humana ad Deum cogitando aspiret : sed est alia ratio : nimirum

14. *Ne gravata pessum*, etc.] Ne mens humana victa perturbationibus ejus, cujus domina esse debet, corporis fiat mancipium. Nam ad Philipp. III : *gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.*

[1] *Deum æternum esse commune judicium est.*] Nam æternitas clare et distincte comprehensa cognoscitur in clara distinctaque Dei notione, quam omnes homines divinitus insitam habent : non secus ac tres anguli cognoscuntur comprehendi in idea trianguli : quare sicut omnes homines judicant, triangulum constare tribus angulis : sic omnes judicant, Deum esse æternum.

[2] *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.*] Hæc æternitatis definitio a S. Thoma et cæteris Theologis admittitur : quare particulatim videtur exponenda.

Dicitur 1° *possessio* : quia æternitas est propria Dei perfectio. Nimirum *possessio* a corporibus ad mentes transfertur : *possessio* autem corporum in hoc versatur, quod illorum ita domini sumus, ut in iis et pedem ponere et sedem figere potes simus : *possidere* quippe videtur dici quasi *potens*, vel *potis*, vel etiam *pos* sedere : cum *pos* pro *potis* vel *potens* remanserit in *compos* et *impos*. Quamobrem *possessio* in mentibus optime vocabitur individua mentis perfectio : æternitas autem est individua Dei perfectio : quandoquidem res summe perfecta cogitari non potest nisi æterna. Sanctus Thomas, 1 p. q. 10, a. 1 ad 6 : *Illud quod possidetur*, inquit, *firmiter et quiete habetur : ad designandam ergo immutabilitatem et indeficientiam æternitatis* Boetius *usus est nomine possessionis.*

Dicitur 2° *vitæ :* ut enim æternitas quidam est modus, sic æternitas, alicujus dici debet æternitas : nullius autem melius æternitas dici potest quam *vitæ*, quippe qua non solum animata corpora ab inanimatis, sed etiam mentes a corporibus, imo et ab aliis mentibus differunt. *Vita* autem cujus æternitas veluti modus est, nihil aliud esse videtur, quam cogitatio; quod æternitas non possit esse nisi mentis, cujus vivere est cogitare. Hinc Aristoteles l. XII Metam., c. 7, *Mentis*, inquit, *cogitatio vita est*, unde *Philosophus ille ibid.*, ait S. Thom., I p., q. 18, a. 3, *ostenso quod Deus sit intelligens, concludit quod habeat vitam perfectissimam et sempiternam, quia intellectus ejus est perfectissimus et semper in actu.*

Dicitur 3° *tota simul* : quia vita illa, cujus æternitas dicitur modus, nihil successionis habet : in quo differt a tempore, quod dicitur diuturnitas rei, quæ ut incœpit sic desinet esse, cujusmodi est forma equi : differentiæ enim temporis, nimirum præsens, præteritum, et futurum nunquam sunt simul, sed sibi invicem succedunt.

Dicitur 4° *interminabilis* : quia æternitas illius est vitæ, quæ neque principio neque fine circumscribitur. in quo etiam differt ab ævo, quod dicitur diuturnitas rei, quæ habuit quidem principium, sed nunquam habitura est finem; cujusmodi est mens mea : ævum quippe illud saltem uno termino circumscribitur, videlicet principio, ex quo incœpit.

Dicitur 5° *perfecta* : quia cum æternitas sit mentis adeoque vitæ perfectæ modus, hæc etiam perfecta sit necesse est, quamobrem hæc nullam agnoscere debet sui causam : in quo æternitas differet adhuc a mundo, si hic ut somniavit Aristoteles, ex æterno exstitisset.

Ex his porro omnibus, in quibus ratio æternitatis versari dicitur a Philosophia, unum est quod eadem Philosophia præsertim explicat, nempe quod sit *tota simul*, atque cæteras diuturnitates videlicet ævum, et tempus, hanc æternitatis proprietatem, quoad possunt, imitari; ut, si non possunt habere, saltem *habere videantur manentem illam præsentiam.*

pore constitutum, quod totum vitæ suæ spatium pariter possit amplecti. Sed crastinum quidem nondum apprehendit : hesternum vero **349** jam perdidit. In hodierna quoque vita non amplius vivitis, quam in illo mobili [a] transitorioque momento. Quod igitur temporis patitur conditionem, licet illud, sicut de mundo censuit Aristoteles, [b] nec cœperit unquam esse, nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est, ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul, infinitæ licet vitæ spatium comprehendit, atque complectitur : sed futura nondum transacta jam non habet. Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit, ac possidet, cui neque futuri quidquam absit, nec præteriti fluxerit, id æternum esse jure perhibetur : idque necesse est, et sui compos præsens sibi semper assistere, et infinitatem mobilis temporis habere præsentem. Unde non recte quidam, qui cum audiunt visum Platoni, mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit : aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam, quod divinæ mentis proprium esse manifestum est. Neque enim Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ. Hunc enim vitæ immobilis præsentarium [c] statum, infinitus ille temporalium rerum motus imitatur; cumque eum effingere, atque æquare non possit, ex immobilitate deficit in motum, ex simplicitate præsentiæ decrescit in infinitam futuri ac præteriti quantitatem; et, cum totam pariter vitæ suæ plenitudinem nequeat possidere, hoc ipso, quod aliquo modo nunquam esse desinit, illud, quod implere atque exprimere non potest, aliquatenus videtur æmulari, alligans se ad qualemcunque **350** præsentiam hujus exigui voluA crisque momenti : quæ, quoniam manentis illius præsentiæ quamdam gestat imaginem, quibuscunque contigerit, id præstat, ut esse videantur. Quoniam vero manere non potuit, infinitum temporis iter arripuit : eoque modo factum est, ut continuaret eundo vitam, cujus plenitudinem complecti non valuit permanendo. Itaque si digna rebus nomina velimus imponere, Platonem sequentes, Deum quidem æternum, mundum vero dicamus esse perpetuum. [1] Quoniam igitur omne judicium secundum [d] sui naturam, quæ sibi subjecta sunt, comprehendit : est autem Deo semper æternus, ac præsentarius status : scientia quoque ejus, omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præsentiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia, quasi jam B gerantur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præsentiam pensare velis, qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius æstimabis. Unde non prævidentia, sed Providentia potius dicitur, quod porro ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat. Quid igitur postulas, ut necessaria fiant, quæ divino lumine lustrentur, cum ne homines quidem necessaria faciant esse, quæ videant? Num enim quæ præsentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? Minime. Atqui, si est divini humanique præsentis digna [e] collatio, uti vos vestro hoc temporario præsenti quædam videtis, ita ille omnia suo cernit æterno [f]. Quare hæc divina prænotio naC turam rerum, proprietatemque non mutat, taliaque apud se præsentia spectat, qualia in tempore olim futura provenient : nec rerum judicia confundit, unoque suæ mentis intuitu [g] tam necessarie, quam non necessarie, ventura dignoscit. Sicuti vos cum pariter ambulare in terra hominem et oriri in cœlo solum videtis, quanquam simul utrumque conspectum, tamen [h] discernitis, et hoc [i] voluntarium, [j] illud esse

INTERPRETATIO.

[a] *Fluxo.*
[b] *Lib.* I *de Cœlo.*
[c] Qui sit totus simul.
[d] *Mentis judicantis.*
[e] *Comparatio.*
[f] Deus.
[g] *Et ea quæ necessario, et ea quæ non necessario ventura sunt, cognoscit.*
[h] *Ponitis discrimen.*
[i] *Hominem ambulare.*
[j] *Solem oriri.*

NOTÆ.

[1] *Quoniam igitur*, etc.] Ex prædictis Philosophia sic nobis videtur argumentari. Cum judicandum sit de notione secundum naturam mentis cognoscentis; cumque Deus cognoscens futura libera, de quibus nunc agitur, natura sua sit æternus, hoc est semper cogitans semperque vivens sine ulla differentia præsentis, præteriti, et futuri; idcirco notio Dei ita cogitari debet æterna sive *tota simul*, ut eodem modo se habeat circa futura libera, quomodo circa præsentia : quo fit ut illa Dei notio *non præscientia quasi futuri, sed scientia nunquam deficientis instantiæ rectius æstimetur : unde non prævidentia, sed providentia potius dicitur, quod porro ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat.* Atqui notio liberorum præsentium, nullam illis imponit necessitatem : non *enim quæ præsentia cernis, aliquam eis* D *necessitatem tuus addit intuitus* : similiter si Deus ignarus futurorum illa non cognosceret nisi dum adsunt præsentia, notio hæc Dei nullam illis afferret necessitatem : essetque idem discrimen quod nunc animadvertimus, inter ortum solis et meam locutionem quod ille necessario, hæc libere fiat. Quamobrem sicut ex notione præsentium, sic ex prænotione divina futurorum liberorum, non potest inferri hæc esse necessaria nisi *sub conditione* : sicut etiam notio præsentium (licet in homine tunc libere agente, illæsa remaneat potestas ad utrumlibet) est evidens, vera, et certa scientia, sic etiam prænotio divina futurorum (quamvis in homine olim acturo intemerata perseveret potestas ad utrumlibet) est evidens, vera, et certa scientia. Atque id eo potius, quod quamvis mea locutio sit causa notionis, qua nunc cognoscis me loqui; nulla

necessarium judicatis. Ita igitur cuncta despiciens divinus intuitus, qualitatem rerum minime perturbat apud se quidem præsentium, ad conditionem **351** vero temporis futurarum. Quo fit, ut hoc non sit opinio, sed [a] veritate potius nixa cognitio, cum exstiturum quid esse cognoscit, quod idem existendi necessitate carere non nesciat. Hic si dicas, quod eventurum Deus videt, id non evenire non posse: quod autem non potest non evenire, id ex necessitate contingere, meque ad hoc nomen necessitatis astringas: Fatebor rem quidem [b] solidissimæ veritatis, sed cui vix aliquis nisi divini speculator accesserit. Respondebo namque idem futurum, cum ad divinam notionem refertur, necessarium: cum vero in sua natura perpenditur, liberum prorsus atque obsolutum videri. Duæ sunt etenim necessitates; simplex una, veluti quod necesse est omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque novit, id esse aliter ac notum est, nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem [c] trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntarie [d] gradientem, quamvis eum tamen, cum [e] graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam naturæ habeat necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur, ad intuitum relata divinum, necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis: per se vero considerata, ab absoluta naturæ [f] suæ libertate non desinunt. Fient igitur procul dubio cuncta, quæ futura Deus esse prænoscit, sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio: quæ quamvis eveniant, existendo tamen propriam naturam non amittunt; quæ priusquam fierent, etiam non evenire potuissent. Quid igitur refert non esse necessaria, cum propter divinæ scientiæ conditionem modis omnibus, necessitatis instar, eveniant? Hoc scilicet, quod ea quæ paulo ante proposui, sol oriens, et [g] gradiens homo, quæ dum fiunt, non fieri non possunt: eorum tamen unum prius quoque quam fieret, necesse erat existere: alterum vero minime. Ita etiam quæ præsentia Deus habet, dubio procul existunt: sed eorum hoc

A quidem de rerum necessitate descendit: illud vero de potestate facientium. [h] Haud igitur injuria diximus, hæc, si ad divinam notitiam referantur, necessaria; si per se considerentur, necessitatis esse nexibus absoluta. Sicuti omne quod sensibus patet, si ad rationem referas, universale est: si ad seipsum respicias, singulare. Sed si in mea, **312** inquies, potestate situm est mutare propositum, [i] evacuabo Providentiam, cum, quæ illa prænoscit, forte mutavero. Respondebo, Propositum te quidem tuum posse deflectere, sed, quoniam et id te posse, et an facias, quove convertas, præsens Providentiæ veritas intuetur, divinam te præscientiam non posse vitare; sicuti præsentis oculi effugere non possis intuitum, quamvis te

B in varias actiones libera voluntate converteris. Quid igitur, inquies? Ex meane dispositione scientia divina mutabitur, ut cum ego nunc hoc, nunc illud velim, illa quoque noscendi vices alternare videantur? Minime. Omne namque futurum divinus præcurrit intuitus, et ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet ac revocat. Nec alternat, ut existimas, nunc hoc, nunc illud prænoscendi vices; sed uno ictu mutationes tuas manens prævenit atque complectitur. Quam comprehendendi omnia visendique præsentiam, non ex futurarum [j] proventu rerum, sed ex propria Deus simplicitate sortitus est. Ex quo illud quoque resolvitur, quod paulo ante posuisti, indignum esse, si scientiæ Dei causam futura nostra præstare dicantur. Hæc enim scientiæ vis præsenta-

C ria notione cuncta complectens, rebus omnibus modum ipsa constituit, nihil vero posterioribus [k] debet. Quæ cum ita sint, manet intemerata mortalibus arbitrii libertas. Nec iniquæ leges, solutis omni necessitate voluntatibus, præmia pœnasque proponunt. Manet etiam spectator desuper cunctorum præscius Deus, visionisque ejus præsens semper æternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis præmia, malis supplicia dispensans. Nec frustra sunt in Deo positæ spes precesque; quæ cum rectæ sunt, inefficaces esse non possunt. Aversamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelsa porrigite. [1] Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis [l].

INTERPRETATIO.

[a] *Certa scientia.*

[b] *Rem quidem esse verissimam, sed ei solum menti perviam, quæ rebus divinis contemplandis assueta est.*

[c] Necessitatem.

[d] *Ambulantem.*

[e] *Ambulat.*

[f] *Non privantur absoluta libertate suæ naturæ.*

D

[g] *Ambulans.*

[h] *Non immerito.*

[i] *Destruam.*

[j] *Eventu.*

[k] *Refert acceptum.*

[l] *Dei.*

NOTÆ.

tamen res, sive præsens, sive futura est causa divinæ seu notionis, seu prænotionis: nam *comprehendendi omnia visendique præsentiam, non ex futurarum proventu rerum, sed ex propria Deus simplicitate sortitus est*: ut nunc dicitur.

[1] *Magna vobis est necessitas indicta probitatis*, etc.] Nam, ut loquitur S. Basilius in Regul. brevioribus, respons. 2, *Mens iners ex eo efficitur seque justo plus dedit otiosæ securitati, quod Deum adesse non credit, qui scrutetur corda et renes. Si enim hoc crederet prorsus illud facere, quod dictum est: providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear.... Quis est enim*, inquit respons. 29, *alterius potestati subjectus, qui in oculis principis sui aliquid ausurus sit unquam eorum quæ ipsi non placent?*

VARIÆ LECTIONES.

(Ex recensione Renati Vallini.)

Prior numerus paginam, posterior lineam notat.

4, 2, *Solantur*. Sic omnes veteres codices : non *solatur*.

11, 1, *indissolubilique. Indissolubili* legunt duo codices Victorini ; prior est e bibliotheca S. Victoris Parisiensis.

11, 9, *abstulerant. Abstulerat* legit codex Victorinus secundus.

14, 1, *innutritum*. Hic variantibus libris, *innutritum* potius quam *enutritum* retinuimus ; quod eodem quo hic sensu ab antiquis sæpius videamus usurpatum : Velleio Paterculo, lib. II, a quo scribitur Tiberius *innutritus cœlestium præceptorum disciplinis* : Apuleio, *virgo deliciis omnibus innutrita*. Et ante Plinius Junior *homines mari innutritos* dixerit.

14, 2, *abite potius. Abite* legit codex Thuanæus primus, e bibliotheca amplissimi viri.

14, 5, *Caligarat, ne. Caligaret nec*, non male.

17, 2, *aucta. Acta* legit Florentina editio.

18, 6, *in numeris*. Id est *in numerato habebat*: quæ lectio est omnium codicum.

24, 3, *prius. Prior*, omnes codices, excepto Florentino.

31, 1, *obversatus*. Solus Florentinus, *versatus*.

32, 2, *nec sarcinam. Ne sarcinam*, Regius codex, qui e bibliotheca Regia.

32, 5, *Et quasi novum*. Sic Victorinus secundus, et Florentinus : reliqui legunt *novi*.

Ibid., *perhorrescerem*. Codex Reg. et Vict. secundus legunt *sic perhorrescerem*.

38, 6, *excitantis æstum*. Codex Th. primus, Reg. et uterque Vict. legunt *exagitantis æstum* ; sed male, et contra rationem versus.

40, 1, *feros tyrannos*. Th. primus et uterque Vict. habent *sævos tyrannos* ; item male,

42, 3, *Oportet vulnus detegas*. Sic Th. primus, Reg., Flor. et uterque Vict. codex.

44, 5, *inferrent*. Th. primus, Reg. et Flor. codex habent *ferrent*.

45, 2, *potentiorum*. Flor. habet *potentum*.

Ibid., 4, *Triguillam*. Codex Vict. secundus habet *Trigguillam* : et is fortasse est quem apud Theodericum gratia pollentem vocat Ennodius *Trigguam*, epist. 21, lib. IX.

Ibid., 5, *perpetrataque*. Reg. et Vict. secundus habet *et perpetrata ;* sed optime Vict. primus, *imperataque jam*.

48, 1, *Palatini*. Th. primus et uterque Vict., *Palatinæ*.

49, 1, *quorum Basilius, olim*. Ita omnes libri. Solus Flor. una voce auctior. *Basilius unus*.

50, 1, *innumeras multiplicesque*. Codex Flor., *injurias atque multiplices*.

Ibid., 4, *ut ni*. Uterque codex Vict., *uti ni*.

Ibid., 6, *eodem die*. Codex Vict. primus, *eo die* Codex Vict. secundus, *in eo die*.

Ibid., 9, *vililatis*. Th. primus et uterque Vict., *vilitas*. Flor., *utilitatis* : male.

52, 9, *concessisse mendacium*. Th. primus. *consensisse mendacio*.

53, 13, *posse vero contra*. Th. primus, et uterque Vict., *posse contra*.

55, 4, *nulla unquam mei laude*. Flor. editio, *nullam unquammei laudem*.

59, 2, *ac tu ipsa*. Deest *ipsa* in codice Vict. primo.

61, 3, *affingitur*. Th. primus, Flor. et Vict. secundus, *affigitur*.

Ibid., 6, *supplicium tuli*. Vict. primus. *supplicium pertuli*.

71, 1, *deblateravi*. Alii legunt *delatravi*, sive *dila-* A *travi* : sed minus bene.

Ibid., 2. *inquit, mæstum*. Vict. primus, *inquit, alumne, mæstum*.

76, 6, *itaque lenioribus*. Th. primus, *itaque levioribus*.

78, 3, *elusus*. Vict. primus, *illusus*.

83, 4, *conditorem*. Vict, primus, *creatorem*.

84, 2, *a Deo*. Vict. uterque, *Deo*.

Ibid. 11, *Verum hi perturbationibus sunt, ea*. Vict. secundus optime, *verum hi perturbationum mores sunt, ea*.

87, 3, *veras*. Vict, primus, *vera ;* ut lib. III. *vera de hinc animum subierint*.

92, 5, *familiaritatem, dum*. Codex Reg. *familiaritatem exercet, dum*.

93, 4, *contingit*. Reg. *contigit*.

Ibid., *vernula*. Th. primus, Vict. uterque, Reg. et Flor., *vernacula*.

94, 2, *tu fortunam*. Flor., *tu si fortunam*.

B Ibid. 3, *mores sunt, ista natura*, Reg., *mores, hæc natura est*.

Ibid., 8, *perfidam*. Vict. secundus, Th. primus, Reg. et Flor., *perfidiam*.

95, 4, *sortem exacerbes*. Th. primus et Reg., *sortem exacerbabis*.

Ibid., 6, *promovereris*. Th. primus et Vict. primus. *promoveres*.

97, 2, *exæstuantis*. Sic a Pomponio Mela scribitur Garumna, *obvius Oceani exæstuantis accessibus adaugeri :* proprium quippe oceani est exæstuare. Vict. uterque, Reg. et Flor., *et æstuantis*.

98. 4, *haud curat*. Th. primus, Reg. et Vict. primus, *aut curat*.

99, 1, *suique magnum. Sic*, inquit Vallinus, *ex conjectura reposuimus : cum id ratio Scazonis necessario postularet : nec mihi dubium quin sic scripserit Boetius*.

181, 4, *matris ex utero*. Vict. uterque et Flor., C *matris utero*.

Ibid., 6, *et omnium*. Vict. uterque, *omniumque* : Th. primus et Reg., *omnium*.

Ibid., 8, *habe gratiam*. Th. primus, Reg. et uterque Vict., *habes gratiam*.

Ibid., 8, *habe gratiam*. Th. primus, Reg. et uterque Vict., *habes gratiam*.,

Ibid., 10, *est allata* Flor., *illata est*.

102, 6, *alligabit*. Vict. uterque, *alligavit*.

106, 8, *altos pandit*. Th. primus, Vict. uterque, et Reg., *alios pandit*.

107, 1. *dives agit*. Vict. secundus, *dives erit*.

111, 1, *medius consulum*. Reg., *medius considens* : male.

Ibid., 6, *perstrinxit*. Th. primus, Reg. et uterque Vict., *præstrinxit*.

118, 2, *luis*. Th. primus, Reg. et uterque Vict., *luas*.

120, 4. *quantum decus ornamentis*. Vict. secundus D et Reg., *quantum ornamentis*.

Ibid., 8, *compositæ*. Vict. secundus, *copiosæ*.

125, 5, *quod ad beatitudinem*. Th. primus, Reg. et uterque Vict., *quin ad beatitudinem*

Ibid., 8, *cæcitate*. Vict. secundus, *cæcitati* : quæ et forsan vera lectio est : judicent docti.

126, 4, *auferre*. Vict. primus et Flor., *afferre*.

131. 3, *momentaria*. Suaserunt sic edere codices Vict. primus, Th. primus et Reg.

Ibid., 4, *perspectum*. Th. primus, *prospectum*.

Ibid., 5, *vestri, vel*. Th. primus, Reg. et Vict. primus, *vestra, vel*.

132, 1, *congesta pecuniæ*. Th. primus, Reg. et Flor., *congestæ pecuniæ*.

133, 4, *atque membrorum compage*. In Thuanæo

primo et utroque Victorino deest *membrorum.*

134, 6, *quæ in tuis*, Th. primus, Reg. uterque Vict. et Flor., *quæ tu in tuis.*

135, 5, *contraque minimo.* Th. primus et uterque Vict., *contraque minimum.*

136, 7, *æstimatione.* Uterque Vict., *existimatione.*

Ibid., 11, *hominibus vero.* In Th. primo, Reg. et utroque Vict. deest *vero.*

137, 5, *nego illud esse.* Reg. et Vict. primus, *nego ullum esse.*

Ibid. 6, *minime, inquies*, Th. primus, Reg. et uterque Vict., *minime inquis.*

Ibid., 7, *eoque alieni.* Vict. secundus, *atque alieni.*

139, 4, *munera norant.* Th. primus et Flor., *munera norat.*

142, 2, *arma* Th. primus, Reg. et uterque Vict., *arva.*

Ibid., a, *hosticus*, ita omnes codices.

143, 1, *primus quis.* Flor., *quis primus.*

146, 1, *Quæ flammis Ætna eructantibus.* Ea lectio fuit veterum omnium codicum, quæ et vera est : tantum pro *Ætnæ*, legendum est *Ætna.*

Ibid., 4, *cupierunt.* Vict. secundus, *cupiverunt.* Th. primus et Reg., *cupivere.*

147, 3, *Nam si.* Th. primus, Reg. et uterque Vict., *Nunc si.*

Ibid.. 9, *Num quidquam unquam.* Th. primus, *Num quid unquam.* Vict. uterque, *Num quidquam libero.*

149, 6, *proveniunt.* Vict. secundus, *perveniunt.*

154, 2, *insani.* Th. primus, Reg, et uterque Vict., *pravi* : sed male.

157, 2, *quæ a nobis.* Uterque Th. et Reg., *quæ a nobis.* Vict. secundus, *quæ nobis cognitis ab animalibus.*

Ibid., 17, *propagare ac dilatare.* Uterque Th. et Vict. uterque, *dilatare ac propagare.*

158, 9, *ejusque quantumlibet.* Uterque Th. et Reg., *ejusque quamlibet.*

Ibid., 10, *ne comparari.* Uterque Th. et Flor., *nec comparari,*

Ibid., 11, *etenim finitis.* Vict. secundus, *etenim si finitis.*

159, 5, *credi vetant.* Vict. secundus *credi prohibent.*

Ibid., 8 *spernet.* Uterque Th. et Reg., *spernat.* Vict. primus, *sperneret.*

163, 1, *jacent.* Uterque Th. Reg. et Vict. primus, *manent.*

166, 12, *nunc amissas.* Vict. secundus, et Reg., *nunc et amissas.*

170, 1, *finierat.* Uterque Th. Reg. et Vict. secundus, *finiverat.*

Ibid., 3, *quantum me.* Th. primus, *quam tu me.*

Ibid., 6, *paulo acriora.* Flor., *paulo ante acriora.*

174, 1, *apium.* Th. secundus et Reg., *apum.*

178, 5, *permutant.* Uterque Th., *permutent.*

Ibid., 10, *qui jucunditatis* Uterque Th. Reg. et Vict. secundus, *quæ jucunditatis.*

Ibid., 18, *definivimus.* Reg., *decrevimus.*

179, 4, *bonum summum repetit.* Uterque Vict., *bonum suum repetit,*

Ibid., 10, *dignissimum putant.* Vict. secundus, *dignissimum putent,*

Ibid.. 12, *Num imbecillum.* Th. primus et Vict. secundus, *nunquid imbecillum.*

187, 3, *vel pecunia, vel honores.* Th. primus, *pecuniæ vel honores.*

Ibid., 11. *angeret.* Uterque Th. Reg. et Vict. secundus, *angerer.*

Ibid., *nequeo*, Reg. et Vict. secundus, *non queo.*

188, 8, *posset amittere.* Uterque Vict., *possit amittere.*

Ibid., 17, *opibus non expletur.* Vallinus ait se edendum putasse *non expletur*, ut ex serie orationis stet Boetii sententia : licet libri repugnent : quanquam, ait, et sensus aliquis esse potest dispuncta negativa dictione.

A 191, 2, *deserit superstitem.* Reg. et Vict. primus : *deseret superstitem.* Vict. secundus : *deserat.*

193, 2, *adjiciant.* Th. primus, *adjiciunt.*

Ibid., 4, *adduci potuisti.* Vict. secundus, *abduci potuisti.*

194, 8, *contingere* ; *si quis.* Flor., *contingere, sic collige ; si quis.*

195, 1, *prætura.* Ea lectio fuit codicis Thuanæi secundi : male alii omnes, *præfectura*, quod nomen nihil, tempore quidem Boetii, significabat.

199, 14, *situm est.* Vict. secundus et Flor., *situs est.*

200, 5, *Antoninus.* Sic Vict. secundus, recte.

205, 6, *æstimas gloriosum.* Uterque Th. Reg. et Vict. secundus, *æstimas esse gloriosum.*

Ibid., 7, *pro maxima parte.* Hactenus editi et uterque Th. habebant *proxima* : sed lectionem codicis Victorini secundi et Regii sequi maluit Vallinus, ut

B e quibus hauriretur sensus præstantior.

210, 2, *lacunam.* Sic omnes libri.

212, 8, *gloriam petis.* Uterque Th. et Reg., *gloriam petas.*

Ibid., 10, *corporis servum.* Sic omnes veteres et recentiores libri,

219, 7, *si quis.* Sic locum hunc restituit Vallinus ex conjectura, quam postea libri confirmarunt.

Ibid., 16, *conabaris.* Th. secundus, *conaris.*

228, 12, *ab diminutis.* Th. primus, *ab imminutis* : uterque Vict. et Reg., *deminutis.*

230, 2, *sed ratione.* Reg. et Vict. secundus, *sed est ratione.*

Ibid., 13, *et ab illis.* Uterque Th. Reg. et Vict. uterque, *et illis.*

231, 2, *quæ πορίσματα.* Reg., *quod πόρισμα* bene.

232, 10, *tamen si.* Uterque Vict., *tamen etsi.*

Ibid., *vera bona sint.* Th. primus, et Vict. primus, *vere bona sint.*

C Ibid., 21. *secure igitur.* Uterque Th. Reg. et Vict. uterque, *securo igitur.*

233, 3, *habitans libido.* Regius, *hebetans libido* : quod verbum quia Boetio familiare est, hæc genuina Vallino loci hujus videtur esse scriptura.

236, 7, *appetuntur a pluribus.* Vict. secundus, *appetuntur pluribus.*

Ibid., 13 *quo inter expetenda.* Th. primus et Vict., secundus, *quod inter expetenda.*

237, 4, *postquam unum.* Reg., *cum unum.*

238, 9, *Quid, quod,* Flor., *quid dicam, quod.*

Ibid., 11, *mollissimum quodque.* Uterque Th. et Vict. uterque, *mollissimum quidque.*

Ibid., 13, *tegitur,* abest in Th. et Vict. utrisque, necnon in Flor. et tuto expungi potest.

239, 5, *sine cogitatione.* Vict. secundus, *sine cognitione.*

240, 1, *is est enim.* Th. primus, *id est enim.*

245, 3, *si superiora.* Uterque Th., Reg. et Vict.

D uterque, *si priora.*

246, 3, *a Deo regi.* Vict. uterque et Flor., *Deo regi.*

Ibid., 17 et 24, *esse concessimus.* Uterque Th., Reg. et Vict. uterque, *esse consensimus*, bene.

Ibid., 19, extrinsecus, deest in Vict. primo et Reg.

247, 3, *voluntarie regantur.* Uterque Vict. et Reg., *voluntaria regantur.*

Ibid., 10, *valeret.* Reg. et Vict. secundus, *valebit.*

Ibid., 16, *magna latrantem.* Uterque Th. et Reg., *magna lacerantem.*

Ibid., 18, *deposuit.* Reg. et uterque Vict., *disposuit.*

248, 8, *quæ nunc quidem.* Sic totum locum Vallinus emendavit, veterum codicum ope : tantum pro *quo introieris* ex conjectura reposuit *qua introieris.*

249, 9 *loquimur rebus.* Omnes recte, *loquuntur rebus.*

253, 9, *longa site.* Omnes *longa siti*

254, 2, *donamus.* Reg., Flor. et Vict. secundus, *donemus.*

257, 3, *tamen ante hac.* Vict. secundus, *tamen hactenus.*

Ibid., 9, *locum facinorum.* Reg. et Vict. secundus, *loco facinorum :* longe melius. Nisi legas *in locum.*

258, 8, *præmittere.* Uterque Th. et Vict. primus, *prætermittere* : male.

Ibid., 12. *revertaris.* Reg. et Vict. secundus, *reveharis.*

259, 2, *conscendant.* Vict. secundus, *conscendunt.*

264, 16, *quem vero effecisse.* Reg. *quem vera, inquit, effecisse.*

265, 3, *id quoque.* Th. uterque, uterque. Vict. et Reg., *illud quoque.*

Ibid., 9, *certum. Adipiscuntur.* Reg., *certum, inquam, adipiscuntur.*

Ibid., 27, *ambigit.* Th. primus et Vict. secundus, *ambigat.*

266, 7, *præcurris.* Uterque *Th.*, *percurris.*

Ibid., 19, *incessui.* Vict. secundus, *incessu.*

Ibid., 22, *scelesti iidem viribus.* Vict. secundus et Flor., *scelesti, viribus.*

267, 5, *deflectuntur.* Vict. secundus, *deflectunt.*

Ibid., 15, *sui natura.* Vict. secundus, *sua natura.*

268, 4, *minime. Est.* Th. primus, *minime inquam. Est.*

272, 19, *inficit.* Vict. secundus, *infecit.*

273, 3, *insidiator occultis.* Uterque Th. Reg. et uterque Vict., *insidiator occultus.*

Ibid., 7, *ab avibus.* Uterque Th., Vict. primus et Reg., *avibus.*

277, 19, *mentis ulcere.* Non *vulnere*; sic exigente metro, et adstipulante non uno codice.

279, 12, *velle posse, perficere.* Hac distinctione, inquit Vallinus, restituimus locum.

281, 12, *liquere esse.* Th. primus, et Reg., *liquere respondi.*

282, 2, *saltem non audienda.* Uterque Th. et Vict. uterque, *saltem audienda.*

283, 2, *faciunt.* Vict. secundus. et Reg., *faciant.*

Ibid., *patiuntur.* Vict. secundus, et Reg., *patiantur.*

Ibid,, 11, *hac igitur.* Th. primus et Reg., *hinc igitur.*

Ibid., 23, *esse dicerent.* Uterque Vict., *esse ducerent* : bene.

Ibid., 27, *Nam si, uti*, etc. Corruptum antea locum, inquit Vallinus, in omnibus impressis, juvantibus partim antiquis libris, sic tandem restituimus suæ integritati.

286, 1, *apri.* Sic, licet repugnent etiam veteres libri, scripsisse videtur potius Boetius, quam immani illa licentia usus, si retinueris, *aper*, quam non admittunt hendecasyllabi.

293, 13, *delibare.* Omnes, *deliberare.*

294, 4, *digerit in motum.* Th. secundus, *digerit immotum*, Th. primus, et Reg., *in motu* : recte.

296, 3, *puncti medium.* Th. uterque, Reg. uterque Vict. et Flor., *punctum medium.*

Ibid,, 9, *proficiscantur.* Vict. uterque et uterque Th., *proficiscatur.*

Ibid., 10, *ipsas quoque immutabiles.* Vict. secundus. *ipsam quoque immutabilem.*

Ibid., 19, *suo quemquam.* Th. uterque, Reg. et Vict. secundus, *suo quoquam* : bene.

297, 3, *censuerit.* Vict. secundus, *censuerunt.*

Ibid., 15, *respicit.* Vict. secunduset Reg., *respexit.*

298, 2, *regenda.* Th. uterque et Vict. primus *regenda.*

Ibid., 5, *agitari sinit.* In omnibus deest *sinit* : male.

Ibid., 22, *conscientiam spectans.* Uterque Th. Reg. et Vict. uterque, *conscientiam exspectans.*

299, 1, *acta felicitas.* Vict. secundus, *aucta felicitas.*

Ibid., 2, *ut exercitii.* Th. primus, *ut exercitium.*

Ibid., 5, *quique dissentiant.* Th., uterque Reg. et uterque Vict., *quisque dissentiant* : male.

Ibid., 13, *ab assignata.* Reg., *a signati*, forte *ab assignati* : recte.

Ibid., *discesserit.* Th. uterque, Vict. secundus et Flor., *decesserit.*

Ibid., 16, *divini operis.* Reg. et Vict. primus, *divinæ operæ.*

301, 9, *tingere flammas.* Uterque Th. et Reg., *tinguere flammas.*

303, 7, *durare queant.* Vict. secundus, *durare queunt.*

304, 3, *qui ? inquit.* Th. primus et Vict. primus, *Et qui ? inquit.*

305, 19, *confirmandæ sapientiæ.* Uterque Th., Reg. et Vict. secundus, *conformandæ sapientiæ.*

Ibid., 24, *quidquid autem.* Th. uterque et Reg., *quidquid aut :* bene.

306, 2, *nisi aut exercet, aut corrigit, punit.* Sic omnes libri : Planudes quoque. Victorini vero, verbo auctiores, *nisi aut exercet, aut corrigit, aut damnat, punit :* sed male.

314, 4, *hoc igitur fortuito.* Th. uterque, Reg. et uterque Vict., *hoc igitur fortuitu.*

Ibid., 7, *eo loci.* Reg., *eo loco.* Th .secundus, *in eo loco.*

Ibid., 11, *quo ille obruit.* Reg. et Vict. secundus, *quod ille obruit*,

316, 5, *conveniant.* Th. secundus, Reg. et Vict. secundus, *convenient.*

319, 3, *quodque discernat.* Ambo tam Th. quam Vict., *quidque discernat.*

320, 2, *quibus inest ratio.* Uterque Th., Reg. et Vict. uterque, *quibus in ipsis inest ratio.*

Ibid., 9, *ceciderunt.* Uterque Th., Reg. et Vict. secundus, *ceciderint.* Flor., *cecidere.*

321, 2, *inscitiæ.* Reg. et Vict. secundus, *inscientiæ.*

323, 5, *quæ sint, quæ fuerint, veniantque uno.* Sic ambo tam Th. quam Vict. et Flor. ; recte : nemo enim non videt transpositionem factam in aliis editionibus omnibus.

325, 1, *si res aliorsum.* Uterque Th., Reg. et uterque Vict., *si aliorsum* : bene.

Ibid., 12, *at nos.* Uterque Th. et Vict. secundus, *ac non.* Reg., *ac nunc.*

326, 12, *atque sese res.* Reg. et Vict. secundus, *quam sese res :* bene.

327, 2, *humana opinione. Humanæ opinione ;* fortasse *humanæ opinioni.*

328, 2, *speret quisquam.* Uterque Th., Reg., Vict. secundus et Flor., *speret quisque.*

332, 5, *at si nescit.* Th. secundus, *aut si nescit.*

335, 10, *arbitrio eveniunt.* Uterque Th. Reg. et Vict. secundus *arbitrio veniunt.*

336, 9, *quæ incerti.* Th. secundus, *quibus incerti :* non male.

Ibid., 10, *opinionis constat id.* Uterque Th., Reg. et Vict. secundus, *opinionis id.*

337, 10 *imaginationis.* Vict. secundus, *imaginis.*

Ibid., 15, *ita definit.* Th. secundus, et Reg., *ita definivit.*

Ibid., 18, *non imaginatione.* Th. secundus, *non in imaginatione.*

Ibid., *sed rationali.* Th. secundus, *sed rationabili.*

340, 21, *desidit.* Uterque Th. et Vict. primus, *decedit.*

344, 7, *quoddam universale.* Uterque Th. et Vict. primus, *quiddam universale.*

Ibid., *consideret.* Uterque Th., *considerat.*

345, 5, *nulla est præscientia.* Th. secundus, *nullam esse præscientiam.*

Ibid., 7, *habere possemus.* Vict. secundus, *habere possimus.*

348, 7, *patefecerit.* Uterque Vict., *patefacit* : et uterque Th., *patefecit.*

349, 16, *præsentiam.* Sic emendavit Vallinus ex consensione omnium veterum codicum.

350, 24, *necessaria, quam non necessaria.* Uterque

Th., Leg. et Vict. secundus, *necessarie quam non necessarie.*

351, 11, *aliquem ambulare.* Th. primus, *aliquem hominem ambulare.*

Ibid., 15, *voluntarie gradientem.* Uterque Th., Reg. et Vict. secundus, *voluntate gradientem.*

Ibid., *eum tamen.* Vict. primus et Reg., *eum tum.*

Ibid., 24, *quæ prius.* Uterque Th., *qua prius.*

Ibid., 27, *proposui.* Th. primus, *posui.*

352, 5, *divinam te præscientiam.* Th. secundus et Reg., *divinam te præsentiam.*

Ibid., 8, *nunc illud velim.* Uterque Th. et Vict. secundus, *nunc aliud velim.*

Ibid., 16, *scientiæ vis.* Th. secundus, *scientia ejus.*

Ibid., *cuncta complectens.* Reg., *cuncta prospiciens vel complectens.*

Ibid., *posterioribus debet.* Th. secundus, *dedit posterioribus.*

Ibid., 23, *rectæ sunt.* Th. primus, *receptæ sunt.*

Ibid., 26, *indicta.* Vict. secundus *indita.*

APPENDIX
AD LIBROS DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ.

VARIA MONUMENTA LITTERARIA
QUÆ LIBRIS DE CONSOLATIONE IN GLAREANI EDITIONE PRÆFIGUNTUR.

JOANNES MURMELLIUS RURÆMUNDENSIS

RODOLPHO LANGIO MONASTERIENSIS ECCLESIÆ CANONICO S. P. D.

Tandem meas in Boetii Severini de Philosophiæ Consolatione, cum primis fructuosum opus enarrationes, Rodolphe Langi, vir omnium (quos novi) humanissime, disertissime, pientissime, studiosorum usui in lucem emitto, tuoque clarissimo nomini dico : non quod ei meis nugis aliquid splendoris accedere posse confidam, sed ut auctoritatis tuæ præstantissimæ tutela, quasi Ajacis clypeo munitæ, sub hominum vultus prodeant tutiores, nec vituperationum linguas cote livoris (ut eleganter ait quidam) naturaliter acuminatas, et aspidum morsu nocentiores reformident. Dignus est profecto Boetius, ut ingenue verum fatear, qui me longe meliorem aliquando commentatorem sortiatur. Verum tantum abest ut in hac commentariorum editione tanto scriptori satisfactum putem, ut vel hoc modo doctiores ad juvanda studiosorum studia maximopere cupiam excitari. Porro de hactenus editis in eumdem enarrationibus nihil attinet dicere : quæ si placerent hominibus eruditis, sane quam libens (ut qui trivialibus olim quotidie prælectionibus, et scholæ moderandæ curis supra modum distringar) hoc lucubrandi labore. et hominum judicia subeundi periculo supersedissem. Cæterum candido lectori operam meam probatum iri confido, non ob hoc solum, quod obscuris lucem intulerim, verum etiam quia Græcis quæ desiderabantur, loco suo repositis (quæ Joannes Cæsarius utriusque linguæ doctissimus, et philosophiæ medicinæque professor egregius ex Italia, Joannes Ædicollius bonarum artium magister, dubium litteratior an humanior, Daventria superiori ad me anno dederunt) mendas complusculas, tum e prosa oratione, tum e versibus sustulerim. Qua quidem in re tua quondam non parum me juvit industria, multijugaque eruditio : super cujus amplissimis laudibus (id quod Salustius de Carthagine ait) silere melius puto quam parum dicere, quoniam alio properare tempus monet. Præmisi autem quædam nostris, quæ diligens lector haud quaquam aspernabitur, spero. Vale, meque (ut facis) ama. Alcmariæ tertio nonas Aprilis, anno a Christi Salvatoris ortu 1514.

JOANNES CÆSARIUS JULIACENSIS

IN QUADAM AD MURMELLIUM EPISTOLA.

Quod scribis te commentaria parare in quinque Boetii libro de Consolatione philosophiæ, nihil sane jucundius audire potui : quod id certe diu jam optaveram, ut videlicet ab aliquo docto homine, et in bonis litteris rite instituto (qualem te et judico et certo scio) talia ederentur commentaria, quæ digna esse possent tanto auctore, ac tantæ etiam rei convenire.

NICOLAUS CRESCIUS FLORENTINUS

MONACHUS CISTERCIENSIS, ANTONIO LANFREDINO FLORENTINO CIVI ILLUSTRI.

Multa quidem sunt, Antoni Lanfredine, et in philosophia et in theologia, cum obscure dicta, tum ad cognoscendum difficilia. Illæ tamen imprimis celebres de fato, de beata vita, de divina prænotione, atque Providentia quæstiones, ancipiti intellectu legentium plerosque in deteriorem sensum transversos agunt. Quæ quanquam sunt a nonnullis ita accurate disputata, atque copiose illustrata, ut nullus videatur relictus dubitandi locus, iis tamen de rebus accuratius, gravius, lucidius nemo quam Severinus Boetius disseruit, vir (me quidem judice) omnium suæ ætatis doctissimus. Qui cum in multiplici disciplinarum genere non pauca scripserit, voluit etiam tum in hoc libro, quem de philosophiæ Consolatione, tum in iis quos de Trinitate et de Duabus Naturis Christi inscripsit, bono periculo experiri, quantum in sacris Litteris profecisset. Sed erat hic liber adeo sæculorum incuria jam depravatus, ut nullus sui auctoris nitor, nullusque prope cultus agnosceretur. Qui cum superioribus annis restitutionem sui posceret, multo pluribus vulneribus affectus est. Namque mutilus, inversus, et a se plurimum mutatus prodiit ab impressoribus in manus hominum, cum commentariis qui falso divo Thomæ Aquinati ascribuntur. Rogatus itaque ut hunc ipsum Boetii librum emendarem, ac pristimæ integritati quoad possem restituerem. Id eo libentius feci, quod materia de qua agebatur ea

profecto est quæ religiosum virum maxime deceat. Usus est autem in hoc opere Boetius eo dicendi genere, quod non minus ornatum quam grave et philosophiæ maxime accommodatum videatur. Et præterea varium eoque jucundum, quod nunc soluta oratione gravissime disputat, nunc metro elegantius ludit. Id igitur opus nostra cura ac diligentia, qualecunqne est, emendatum, tibi Lanfredine vir ornatissime nuncupamus, non ea ratione, ut existimem ejus lectionem posse multum tuæ eruditioni adjicere, sed ut tuo patrocinio in Enchiridii typum astrictum, honestius ac tutius in vulgus exiret: ut inde facile judicari possit, quantum inter priorem illum et hunc nostrum librum intersit. Quod si tu probaveris, satis a me omnibus factum esse judicabo. Vale.

PRÆLECTIO

JACOBI BONONIENSIS IN BOETIUM SEVERINUM.

Constitueram viri clarissimi hoc anno præfatione abstinere, ne semper in eodem vestigio hærerem. Assiduitas enim, ut ait Cicero, fastidium parit et satietatem. Verum ut consilium mutarem, partim vos nimis officiosi et amantes nostri perfecistis (me namque quotannis vestro ornatissimo conspectu honestissimaque præsentia condecoratis) partim illustris et magnifici senatus nostratis magnificentia ac liberalitas, qui me proxime impensiori salario censendum putavit, nec non collegam viro eruditissimo humanissimoque me adjungens, honestiori titulo exornavit. Tantorum igitur meritorum memor (quoniam ingrato homine nihil pejus terra creat, ut ait Menander) recordatus etiam Amyclas tacendo periisse, quodque nemo silens placuit, ut inquit Ausonius, cogor impellorque aliquid novi in præsentia vobis recitare, quod ipsa saltem varietate aures vestras permulceat et oblectet.

Quid frontem contraxistis? quod me recitaturum sum pollicitus? Non meum est exemplum, si recito. Sed hoc veteres alioquin eruditissimi factitarunt. Novum cutem id appello, quod ante me nullus sic contexuit. Habebunt itaque docti, quæ facile cognoscant: indocti, quæ condiscant et admirentur. Hodie igitur verba sum facturus de erroribus pene innumeris, quibus plerique omnes fallimur: nec solum imperiti et profani, quod minus ægre ferendum esset: sed (quod dolorem meum exulcerat) eruditi et, ut ita dicam, Musarum sacerdotes. Cæterum cum morbos et ulcera refricuero, medicinam auditor exspecta. Favete ergo omnes, et adeste æquo animo. Nam, ut ait Hieronymus, beatus est qui loquitur in aures audientis. Omnis mortalium cura et intentio ad unum quietis statum, diverso tamen calle nititur pervenire. Hic itaque se totum fortunæ committit, eam dicens res humanas pro arbitrio flectere et versare. Eamdem observat et veneratur, tanquam numen salutare, maximum omnipotensque. Illectusque primulum blanditiis et lenociniis hujus pellacis et versipellis deæ, cum tandem reflantem videt et adversam, quæritur, suspirat, gemitque, lubricam, inconstantem, cæcam et vagam appellans, nullique convicio parcens. Stultus, inquam, ne dicam insanus, qui vult ut nil intra sit oleam. nil extra in nuce duri. Quoniam enim mentis proposito vitam et spem illi credere est ausus, quæ ab antiquis et A *veteribus nostris ob mobilitatem sedere in pila fingebatur, et quam rotulæ insistentem, quod loco stare nequiret, sapienter dixit et lepide Ausonius. Fortunæ ergo si te regendum dedisti, dominæ moribus, oportet obtemperes. Alius congerendis opibus, cumulandisque divitiis inhiat, totusque incubat, ratus per has solidam felicitatem, et omnia mortalibus commoda et compendia importari, juxta illud:*

Nam si aliquis casus lecto te affixit, habes qui
Assideat, fomenta paret, medicum roget ut te
Suscitet, ac reddat natis charisque propinquis.

Frequenterque illud habet in ore.

Scilicet uxorem cum dote, fidemque et amicos,
Et genus et formam regina pecunia donat,
B *Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.*

Hic etiam putat cœlum deosque auro venales, motus hoc Tertulliani versiculo:

Non licet deos nosse gratis.

Hocque Petronii disticho,

Magna loquor, quidvis nummis præsentibus opta,
Et veniet, clausum possidet arca Jovem.

Sed contra reputando, nihil improbius, nihil perniciosius, nihilque quod magis humanum genus vexet et inquietet. quam opes et pecuniam, invenies. Verum hanc primum si struere cupies, eripies habenti. Unde improbas crescere divitias dixit Flaccus. Hieronymusque, Dives, ait, aut iniquus, aut iniqui hæres. Noxia igitur est et inutilis pecunia, quando inhonesta: vetusque verbum est, Male parta, male dilabuntur. Perniciosæ C *sunt et opes, quarum opera homines evigorantur et emollescuut, morbi gliscunt et ægritudines, pudor, leges, jura, turres, arces, propugnacula, et oppida munitissima expugnantur. Pecuniæ enim (ut ait Cicero) omnes vias norunt. Diogenes ille Cynicus viam virtutis adeo angustam, difficilem et arduam esse aiebat, ut eam vix nudi superare possent ac transmittere, nedum pondere aliquo impediti et auro suffarcinati. Lucretius etiam scriptum reliquit, defunctos vita, nudos et inopes inferna subire. Ex quo Ausonius facete congressum Diogenis et Cræsi apud inferos hoc carmine lusit:*

Effigiem, rex Cræse, tuam ditissime regum,
Vidi apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit, utque procul, solito majore cachinno
Concussus, dixit: Quid tibi divitiæ
D *Nunc prosunt, regum rex o ditissime, cum sis*
Sicut ego, solus me quoque pauperior?
Nam quæcunque habui, mecum fero, cum nihil ipse
Ex tantis tecum, Cræse, feras, opibus.

Alius per gradus magistratuum discurrere contendit: sicque ad honores obrepit, ut postea fascibus conspicuus, illustris ac reverendus appareat. Habet enim (ut ait Cicero) justam venerationem quidquid excellit, et hunc hiantem trigeminus plausus tollit et inflat: sicque populari aura erectus, cœlum se scalpere putat, quem gloria subsequitur dulcis magistratuum et laborum comes, alimentumque cujusque animi generosi. Trahimur enim omnes laudis studio, et optimus quisque maxima gloria saginatur. Pulchrum est digito monstrari, et dicier hic est. Verum quoniam hujusmodi dignitates si-

tæ sunt in arbitrio profanæ multitudinis, idcirco minus exoptandæ videntur. Ut enim præcipit Anneus Seneca:

Vitate quæcunque vulgo placent.

Quam vero improbum sit, et præposterum populi examen et judicium, ut alia prætermittamus, nonne unico Catonis et Vatinii exemplo licebit agnoscere? Cato enim ille vivax imago virtutum, præturæ candidatus, repulsam passus est. Vatinius vero homo levis et nequam illam est assecutus, stupente eodem popello, qui hoc fecerat, et admirante. Hunc vero splendorem livor plerumque comitatur. Nam, ut inquit Æmilius Probus, est hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ sit comes, et libenter his homines detrahant, quos videant altius emergere. Gloria vero quam fallax, quam turpis et inanis sit, ostendit Euripides in Andromache, in hanc sententiam exclamans: O gloria, gloria, nihil aliud es quam aurium inflatio magna. Hujus vero gloriæ et splendoris cupidi plerique cum hoc in pulvere viriliter desudassent, pro munere tandem exsilium, carcerem, aut mortem subiere. Alius stemmate et nobilitate gloriatur, tumescitque, cum fumosas majorum suorum imagines in atrio conspicatur, quarum simile nihil habet ipse præter colorem, ut cum Cicerone loquar. Has ergo frequenter suspicit et admiratur, prætenditque, perinde ac proavorum tituli et elogia eum forte degenerem sordidumque tegere possint et honestare. Contra vero evenit, ut plerumque per hæc monumenta hominis improbitas ac vilitas magis magisque elucescat. Non possunt omnes esse patritii, ut inquit Cicero. Ille vero omni commendatione dignus est, qui sua virtute posteris præluxit. Nam si nobilitas est quædam laus veniens ex meritis parentum, me hercule! aliena est. Miserum vero est, ut ait ille, aliorum incumbere famæ. Unde graviter dixit Boetius:

Quid genus et proavos strepitis?
Si primordia nostra
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener exstat,
Ni vitiis pejora fovens
Proprium deserat ortum.

Alius in summa potentia summum bonum collocat. Hicque aut regnare cupit, aut regibus adhærere: regnum ex Deo esse, hoc Homerico admonitus: Neque tu, Polide, velis contendere cum rege, cui ab ipso Jove, qualis nunquam alteri, collata est dignitas. Hic igitur ut excellat et imperet, nil intentatum, nilque inausum linquens, per fas et nefas ad votum improbus properat, illud Euripidis usurpans: Si violandum jus est, gratia imperii violandum, cæteris rebus pietatem colas. Reges enim proximi sunt diis immortalibus, ut ait Cæsar. Cicero quoque regium nomen sanctum appellat. At vos, terreni homines, nonne consideratis quibus præsidere videamini? Num si inter mures videretis aliquem jus sibi ac potestatem vindicantem,

Spectatum admissi risum teneatis amici?

Si vero corpus hominis pensitatur, quid eo imbecillius, quid fragilius, cum sæpenumero et hora et A momento temporis dissolvatur et intereat? Quam vero sollicitus et miserabilis sit status tyrannorum et principum, rex ille patefecit, qui diadema priusquam capiti suo apponeret, considerans, ait: O nobilem magis quam felicem pannum, quem si quis introspiciat, quam multis periculis et miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet. Et Dionysius ille Siciliæ tyrannus, qui metus et pericula regum principumque expressit ense illo levi filo suspenso, plurimorumque per ora vulgato. Scatet vero exemplis innumeris vetustas, plena est nostri temporis ætas, qui reges et principes felicitatem calamitate mutaverint. Infelicissimum autem genus infortunii est fuisse felicem, ex quo dixit Horatius:

B Fuge magna, licet sub paupere tecto
Reges et regum vita prævertere amicos.

Quid de regum et principum familiaribus loquar? Nonne Tiberius Sejanum illi semper proximum et intimum unco trahi et excarnificari imperavit? Nonne et Domitius Nero Senecam præceptorem ad mortem compulit? Papinianum etiam diu inter aulicos potentem, Antonius militum gladiis objecit? propter quod eleganter dixit idem Flaccus:

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit.

Alius claritatem optimum judicans, gloriosum nomen propagare festinat, in primisque re militari clarescere gestit, Ciceronis memor ita scribentis: Militaris virtus C præstat rebus omnibus. Hæc nomen populo Romano, hæc huic urbi æternam gloriam peperit. Hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit, omniaque urbana sunt in præsidio et tutela bellicæ virtutis. Hic ergo inglorios et sine nomine brutis annumerandos putat, cum præsertim vel pace vel bello clarum fieri liceat, ut ait ille. Sed complures etiam sui temporis clarissimi, ignotis tamen mortibus perierunt, nullos sortiti rerum suarum scriptores. Quid quod scripta et monumenta tempore tabescunt et intereunt? Unde illud est:

Miremur periisse homines, monumenta fatiscunt:
Mors etiam saxis nominibusque venit.

Huc adde quod si toti moriuntur homines, quod tamen a nostris institutis et legibus longe abhorret, nulla est claritas et gloria, cum is omnino non exstet. Si vero D bene mens sibi conscia recti, terreno carcere reclusa, cœlum libera petit, nonne omne negotium terrenum spernet? et cœlo fruens, gaudebit sese his exemptam? Unde illud est:

Nec vixit male, qui moriens natusque fefellit.

Et ille Vergilianus ait,

...Pulcherrima primum
Dii moresque dabunt vestri.

Alius gaudio lætitiaque bonum metitur. Hic felicissimum putat voluptate diffluere, ad quam nos propensos natura impellit, imo præcipites agit. Quod autem secundum naturam est, ut ait Aristoteles, id suave contingit: sequunturque omnia animalia eam voluptatem quæ secundum naturam est. Hic ergo asserit deos propterea esse sempiternos, quod securi voluptate jugiter et conti-

nenter perfruantur. Libens ergo illud Persianum usurpat:

Carpamus dulcia: nostrum est
Quod vivis, cinis et manes, et fabula fies.

Cæterum si homines voluptates abeuntes considerarent, solamque facti pœnitentiam superesse, eas magis declinarent atque effugarent, quam nautæ blandas Sirenes et asperas symplegades. Quis enim non libens spernat et abjiciat vilissimæ fragilissimæque rei corporis servitium? Solitus erat dicere Antisthenes Socraticus: Insanirem potius quam oblectarer. Dicebat etiam Diogenes: Si non ebrii essetis, Socrati pareretis: et aut per omnes ætates continentiæ studeretis, aut suspendio vitam finiretis. Cato quoque in oratione quadam ita homines a voluptate deterret: Si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit. Alius formam et dignitatem corporis præstantissimum putans: Hæc inquit, dos est quæ conciliat homines, quæque deos allicit et invitat, imprudens atque immemor, quid Hippolyto, quid Bellerophonti, quid Hyacintho, quid Hylæ et aliis id genus acciderit, quibus species dispendiosa fuit et noxia? Huc adde quod formæ nitor rapidus est et velox, vernaliumque florum mutabilitate fugacior. Unde Salustius formæ gloriam fluxam et fragilem dixit: et Calphurnius:

Donum forma breve est, nec se tibi commodat annis.

Quamobrem Spurina ille Hetruscus non mediocrem laudem est apud posteros assecutus, quod cum specie sua illustri complurium matronarum oculos sollicitaret, faciem propriam multis inhonestis vulneribus ac fœdis cicatricibus deformavit, ut veram animi pulchritudinem retineret. Verum si (ut inquit Aristoteles) lynceis oculis homines terentur, sic ut eorum visus obstantia transmitteret, et penetraret: nonne introspecti Alcibiadis corpus superficie pulcherrimum, turpissimum videretur? Pulchrum enim aliquid videri non sua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Alius in virtute veram animi quietem, tranquillitatemque mentis reponens grandi passu, omnique impetu ad eam defertur, arbitratus ei omnia inesse, quem penes sit virtus, memor hujus hymni: Virtus, optima venatio vitæ es mortalibus omnibus. Talem tu jacis in pectora nobilem fructum, perpetuo tempore qui manet. Auro tu melior. Nocturnis hic igitur chartis pallescere cupit. Zenonis exemplo stimulatus, qui cum Apollinem consuluisset, quo pacto optime vivere posset, responsum accepit: Si mortuis colore concors esset, hoc est, si ad legendos antiquorum libros magno studio sese contulisset. Cæterum cum variæ sint artes et disciplinæ, est qui grammaticam sectetur: quæ cum in duas partes dividatur, ut inquit Fabius, in bene loquendi scientiam et poetarum enarrationes, posthabitis his et omissis, quæ ad solidam frugem pertinent, levia et ludicra morosus et delicatus scire gestit: exempli causa. Quoties an quotiens sit dicendum, conjunx an conjux, et an amicei numero multitudinis per e *et* i *sit scribendum, ut censebat Nigidius: et an vireis et omneis in plurali* e *assumat, ut asserit Terentianus, aliaque id genus, quæ in Plauto subtilis lector offendet. Quippe quæ haud equidem in magno* A *ponam discrimine, ut cum Livio loquor. Alii enim in litteris et syllabis sint occupati: Tu sententias quære, ut ait Hieronymus. Est qui dialecticam petat, sophismata quædam et gryphos, captionesque labyrintho et Menandro similes tantum percurrens, semperque in veri, et falsi quæstione occupatus. Quod dum facit, tanto fit a veri cognitione remotior, quanto Simonides ille a Dei scientia repellebatur. Qui cum ab Hierone tyranno cogeretur rimari et quærere, qualis Deus esset, primum diem, dehinc biduum, postea tempus duplicari postulabat. Quod cum tyrannus miraretur, philosophus illud respondit: Quanto enim diutius considero, tanto res videtur obscurior. Est qui ad rhetoricam deflectat, eam reginam rerum omnium appellans, quæ rupicos homines et agresteis et dispalanteis in unum congregavit,* B *et ad civilis obsequii pellexit disciplinam, et quæ fora, gymnasia, porticus, theatra, tam Athenis quam Romæ pro arbitrio domuit flexitque. Hic tamen seipso usus pessimo (ut dicitur) præceptore, nulla observans rhetorices catholica ac præcepta, orator vult appellari. Cumque ante omnia apertis ac lucidis nominibus sit utendum, hic majore in litteris jactantia, et σοφιστεία, id est elatione, quam opera, verbis jam pridem desitis, obsoletis, et penitus reconditis abutitur, cacozelarius dici cupiens et antiquarius, ostentator magis doctrinæ quam verus possessor, in quem convenit illa de oratore faceta definitio: Orator est vir malus dicendi imperitus. Orator enim perfectus adhuc desideratur. Alius (ut ad mathemata, id est, ad altiores disciplinas vela dirigam)* C *ad astrologiam contendit, illum judicans ad unguem beatum, supraque vota felicem, qui astrorum siderumque meatus, cœli itinera, occasus et ortus signorum, deliquia solis ac lunæ calleat. Hicque Hercule et Atlante emeritis, jamque fatigatis, supposito vertice, cœlum fulcire cupit. Sic enim petitur cœlum, ut ait Ovidius, Anaxagoram forte demiratus, qui lapidem casurum e sole prædixit. Verum quoniam innumeræ sunt stellæ, quæ nondum in cognitionem mortalium devenerunt, idcirco astrologus plerumque fallitur, et ab arte deseritur. Diogenes, ob hoc, cum quemdam de solis natura ac potestate disserentem, et omnibus persuadentem vidisset, quando, inquit, de cœlo descendisti? Cæterum si reliquos humanæ vitæ errores in cæteris disciplinis enarrare vellem, tertius fortasse Cato, et octavus sophos, nonusque* D *magister morum dicerer, et subsannarer, mihique satietatem, vobis autem fastidium ac nauseam conflarem. Ex quo referam pedem, et ad medicinam (quam me daturum promisi) paucis me convertam. Ante omnia, eminentissimi auditores, necesse est hoc prætendere, nihil apud Deum fieri sine ratione, ut ait Hieronymus. Deus autem qui summa ratio est, hominem hac fine plasmavit, ut magistra ac duce ratione, vitam in terris ageret cœlestem. Hanc vero si omitteret, in præceps collaberetur: unde sapienter dixit Persius:*

Nil tibi concessit ratio, digitum exere, peccas.

Divus quoque Hieronymus dixit, corporis nostri sensus esse quasi equos currentes sine rectore, animam vero et rationem in aurigæ modum retinere frena currentium. Quisquis igitur duce ratione ambulaverit, in primis for-

tunam quæ apud prudentes nullum numen habet) calcabit, et fatum subjiciet pedibus, divitias et opes aspernabitur, contemnetque tanquam intemperantiæ et nequitiæ materiam, omniumque scelerum seminarium: dolium ac peram Diogenis concupiscet, ad naturam vivens, quæ paucis et minimis contenta est. Idem ambitiosa nomina, et inutiles magistratus, tanquam blandos insidiatores reformidabit, conscientia benefacti munitus: hisque bonis gaudens, quæ in ipso sunt, externa despiciens, et non assis faciens, virtute sola contentus. Ut enim Horatius:

Virtus repulsæ nescia sordidæ.
Intaminatis fulget honoribus.
Nec ponit aut sumit secures
Arbitrio popularis auræ.

Et Claudianus:

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Exigitur, plausuque petit clarescere vulgi,
Nil opus externæ cupiens, nil indiga laudis.

Gloriam rem inanem, et bullæ repente tumescenti comparandam, necnon nobilitatem tanquam rem alienam ridebit. Genus suum cœleste, necnon originem sideream hominis contemplatus, dicet illud Anaxagoræ: illa patria mea est, cœlum intuens. Potentiam principumque familiaritates refugiet, juxta illud Lucani:

Exeat aula,
Qui vult esse pius: virtus et summa potestas
Non coeunt.

A voluptate deflectet, tanquam ab hoste blando, quæ suavibus illecebris clanculum omnem succum exsorbet. Voluptas enim veluti hirudo est, quæ non est missura cutem, nisi plena cruoris. Formam contemnet, quæ morbis et ætate defloreseit, quæque horæ momento intercidere potest et evanescere. Quoniamque vera virtus est vitium fugere, ob hoc idem grammaticæ, dialecticæ, rhetoricæ, astrologiæ, et aliis mathematicis hoc animo incumbet et invigilabit, ut per hos leviores gradus sit ad philosophiam aditus, philosophiam, inquam, omnium virtutum magistram. Quippe quæ hominem impellit et cogit rimari secreto naturæ, eumque ad mores cœlestes componens et conformans, Deum ex homine facit. Cumque philosophia sit quædam meditatio mortis, per hanc, inquit Diogenes, solum anima a corpore disparatur. Cum enim videt, audit, olfacit, gustat, adest corpus. Dicebat idem Diogenes: Cum mente non meditamur, molestus vitæ finis est exspectandus: anima namque deliciis amissis mœrore afficitur. Verum ubi optimam meditati erimus meditationem, et vita suavis est, et mors minime molesta. Sed ut semel et opere aliquo reque ipsa verba sanciamus (odi enim hominem ignava opera, philosophica sententia) constitui, auditores clarissimi, diebus festis philosophiam Boetii publice profiteri, ut aliquando opus pene divinum et cœleste relicto situ et squalore, nitidum et emaculatum prodeat in lucem, festis, inquam, diebus. Nam (ut ait Macrobius) si per sacra solemnia rivo deducere nulla religio prohibet, si salubri fluvio mersare oves fas et jura sinunt, cur non religionis honor putetur dicare sacris diebus sacrum studium litterarum? Hoc ergo Boetii opus quisquis perlegerit, aut (quod melius est) audierit (plenius enim alit viva vox, ut dicitur) jucunde et feliciter cum ratione docebitur vivere, calcato expunctoque omni mentis affectu, mortique præludens, eam postea vere venientem non solum non formidabit, sed lætus (uti Socrates) occurret, eamque corde intrepido et hilari fronte suscipiet. Dixi.

JOANNIS MURMELLII PRÆLIBATIO

IN BOETII SEVERINI DE PHILOSOPHIÆ CONSOLATIONE OPUS.

Enarraturo mihi quinque Boetii de philosophiæ Consolatione libros, quædam prælibanda sunt, quibus studiosorum animi ad ea quæ tractanda sunt, non incongrue præparentur. Sunt autem hæc: Boetii vita, titulus operis, styli qualitas, scribentis intentio, numerus librorum, quæ sit operis utilitas, et ad quam id philosophiæ partem referatur.

I. Severini Boetii vita.

Vita Boetii hæc est: Severinus Boetius Romanus, ex nobilissima Torquatorum familia progenitus, generis claritudinem honestissimis a pueritia studiis, virtutumque ac doctrinarum nobilitate superavit. Cum enim non minus Græce quam Latine sciret, universamque philosophiam cum arte oratoria et poetica conjunxisset, se non sibi soli, sed humanæ societati natum arbitratus, rei civilis administrationem suscepit, perque honores amplissimos consul evasit, justitiæ rebus in omnibus cultor maximus, assertorque singularis. Unde et proborum benevolentiam adeptus est, et improborum adversus se odia concitavit. Uxor ei fuit nobilissimi generis femina, insignis tum modestiæ tum pudicitiæ, Rusticiana, Symmachi senatoris et consularis viri filia, ex qua liberos suscepit: habuitque duos filios paterni, avitique ingenii specimen præferentes, quos pater ipse aliquando consulatu honoratos domo provehi sub frequentia patrum et plebis alacritate vidit. Constat autem certis auctoribus, Boetium divi Benedicti amicum fuisse, et in monte Cassino cum Tertullio, Placidi monachi patre Romano senatore, illius mensæ accubuisse. Cum vero jam complures annos tum divitiis, tum honoribus floruisset, et incredibilem virtutum ejus splendorem improborum hominum malitia ferre diutius non posset, iniquis pessimorum delatorum criminibus circumventus, a Theodorico Gothorum rege, Ticinum in exsilium pulsus est, ubi ne inerti otio mœrorisque tædio contabesceret, hoc divinum philosophicæ consolationis opus composuit, et ad postremum incrudescente tyranni vecordia, cum Symmacho socero suo interemptus est, anno ab ortu Christi quingentesimo vicesimo quarto, vel ob suspicionem affectatæ libertatis, vel quod in Arianos invectus esset, quorum labe Theodoricus rex erat inquinatus. Qui in crudelitatis suæ ultionem apoplexi, vel (ut vult Agnellus) ventris profluvio interiit, nonagesimo octavo die postquam ejus jussu Joannes pontifex et Romani consules ac senatores aliquot Ravennæ, famis cruciatu in carcere mortem obierant, atque anno duodequadragesimo, postquam Italiæ domino potitus erat. Quanquam Procopius in belli Italici adversus Gothos princi-

pio refert, Theodorico post occisos Boetium et Symmachum cœnanti, cum esset caput piscis oblatum, horrendam in illo visam Symmachi faciem, quæ labro inferiori mordicus apprehenso, sibi torvis oculis minaretur: eoque consternatum pavore regem incidisse in ægritudinem, in qua levitatem suam confessus fuit, quod scilicet pontificem sanctum virum et cum eo alios illustres Romanos, et tunc præstantissimos viros Symmachum ac Boetium ad perditorum hominum suggestionem occidit, et paulo post eam confessionem illico exspiravit. Simile certiusque testimonium subitæ mortis inflictæ regi Theodorico ad pœnam iniquitatis affert sanctus ecclesiæ doctor Gregorius in Dialogo, ubi scribit: solitarium magnæ virtutis virum apud Liparem insulam in eremo habitantem, qua die defunctus est Ravennæ Theodoricus, Gotho cuidam nobili tunc dixisse, visam a se Theodorici regis animam, quæ a Joanne Romano pontifice et Symmacho, quos per id temporis occiderat, in ollam Vulcani mergenda portaretur. Ejus autem filia fuit Amalasiuntha, teste Cassiodoro gravissimo auctore, inter primarias rarissimasque feminas annumeranda, Græcis et Latinis litteris egregie imbuta, multarum linguarum perita, quam ille dicit, videre venerandum, audire loquentem, fuisse miraculum. Hæc, Theodorico patre suo mortuo, Boetii et Symmachi filiis bona paterna in fiscum delata restituit. Aliquot autem annis post, cum Totilas Gothorum rex urbem Romam cepisset, accusata fuit a Gothis Rusticiana Boetii quondam uxor, quod statuas Theodorici regis confringi delerique curasset ob vindictam Boetii mariti ac Symmachi patris, quos Theodoricus interfici fecerat. Quod objiciebatur mulieri de statuis, verum fuisse putabatur: sed excusabat eam justus dolor, quod magnos illos viros injuste necatos fuisse constabat. Qua ratione Totilas eam absolvit, et ab impetu Gothorum tutam servavit.

II. Boetii opera quæ nunc exstant hæc sunt.

In Porphyrii Isagogen Enarrationes duæ, prima et secunda.

In Aristotelis Prædicamenta commentariorum libri duo.

In ejusdem librum de Interpretatione prima editio, et secunda in sex libros distributa.

Liber de Divisionibus.

Liber de Diffinitionibus.

Introductio ad Categoricos Syllogismos.

In Ciceronis Topica commentariorum libri sex.

De Differentiis topicis libri quatuor.

De Syllogismo categorico libri duo.

De Syllogismo hypothetico libri duo.

De Trinitate libri duo.

De Hebdomadibus liber unus.

De Unitate et uno liber unus.

De Duabus naturis et una persona Christi, liber unus.

De Arithmetica libri duo.

De Musica libri quinque.

De Geometria libri duo ex Euclide translati.

De Consolatione philosophiæ, hoc opus divinum.

Scripsit et alia cum carmine, tum soluta oratione, quæ A *nunc desiderantur. Porro liber ille qui vulgo Boetii de Disciplina scholarium inscribitur, non est ejus, sed barbari nescio cujus, quod cum alia pleraque coarguunt, tum stylus facile indicat, a Boetii cum eruditione tum elegantia sane quam alienus. Non ignoro tamen Pium Baptistam Bononiensem aliter sentire, sed eum facile alias refellemus. Transtulit item Boetius noster in Latinam linguam complures Aristotelis libros, et nonnullos Platonis dialogos, pollicitus etiam utriusque horum philosophorum concordiam se scripturum: quod an præstiterit, compertum non habemus. At hac tempestate nulla Boetii interpretatio exstat, ut bene testatur Leonardius Aretinus in quarto Epistolarum libro, præter quam Porphyrii et Prædicamentorum, et περὶ ἑρμηνείας librorum. Quos si accurate leges, videbis* B *summum illum virum sine ullis ineptiis libros illos transtulisse. Textus est nitidus et planus, et Græco respondens. Ab eodem Leonardo in quinto epistolarum volumine. Boetius vir doctissimus merito dicitur, de cujus præstantia et aliarum honorifica quædam testimonia his apponere libitum est.*

Baptista Mantuanus

Baptista Mantuanus in Apologetico Boetium appellat gravissimum sanctissimumque virum, et omnium scientiarum peritissimum ac præstantissimum veritatis inquisitorem et inventorem.

Angelus Politianus.

Angelus Politianus in Miscellaneis: Nam quis, inquit, Boetio vel in dialecticis acutior, vel subtilior in C *mathematicis, vel in philosophia locupletior, vel in theologia sublimior? Quem tanti juniores etiam philosophi, longe (arbitror) omnium perspicacissimi fecerunt, ut Aquinatem Thomam divum hominem, magnumque illum Thomæ præceptorem (Deus bone quos viros!) habere meruerit enarratores, et ab ipsius sententia ne sit ulla quidem pene provocatio.*

Platina.

Platina in Hormisdæ pontificis maximi Vita, litterarum monumentis hæc prodidit: Boetium et Symmachum Theodoricus ob suspicionem affectatæ libertatis exsilio primo, mox carcere afficit. In hac calamitate constitutus Boetius, multa scripsit quæ adhuc leguntur, Transtulit et pleraque ex Aristotele, eademque commentatus est. In mathematicis doctissimus est habitus, quod D *ejus Musica et Arithmetica ostendunt. Postremo vero cum Symmacho senatore Theodorici jussu necatur. Sunt autem qui scribunt Boetium tantam calamitatem subiisse, quod in Arianos inveheretur, ad quos Theodoricus declinaverat. Superior sententia mihi verior videtur.*

Raphael Volaterranus in Anthropologia.

Boetius, Zenone imperante, ob affectatæ libertatis suspicionem a Theodorico rege exsilio damnatur: deinde custodiæ traditus, plura conscripsit. Tandem simul cum Symmacho senatore socero suo, aliisque præstantibus viris, interficitur. Ejus deinde statuas Amalasiuntha restituit, et hæredibus patrimonium incolume reddidit. Vir omnium unus, qui et doctissimus, et sine genio fuerit in scribendo.

Matthæus Palmerius Florentinus in Chronicis.

Boetius senatorius vir, ob suspicionem affectatæ libertatis a Theodorico exsilio damnatus, moxque in carcerem trusus, plura conscribit.

Idem paulo post.

Boetius jam pridem exsilio revocatus, et prætorio præfectus, Theodorici jussu simul cum Symmacho senatore et cum aliis præstantibus viris interficitur.

Marcus Antonius Sabellicus Enneadis octavæ libro secundo.

Boetii septa longius durant, variæque versatum est illud ingenium per omnes philosophiæ partes tam copiose et eleganter, ut nescias utrum ultimus fuerit eorum qui Romane locuti sunt, an primus qui inclinatam eloquentiam in integrum restituere sit adortus. Scripsit in divinis quædam, sed in mathematicis multo plura. Exstant in dialecticen commentarii, exstat et carmen. Cæterum cum utrumque sit ab altero diversum, jure dubitari possit utrum fuerit illi natura magis proprium. In cunctis tam castus et elegans, ut cum quolibet majorum certet.

Apud Cassiodorum in libris variarum rerum aliquot eruditæ, et cum primis, honorificæ Theodorici Gothorum regis ad Boetium epistolæ leguntur, quarum unam hoc potissimum loco ascribendam putavi :

« *Boetio viro illustri patricio, Theodoricus rex Salutem.*

Spernenda non sunt quæ a vicinis regibus præsumptionis gratia postulantur, dum plerumque res parvæ plus prævalent præstare quam magnæ possunt obtinere divitiæ. Frequenter enim quod arma explere nequeunt, oblectamenta suavitatis imponunt. Sit ergo pro republica, et cum ludere videmur. Nam ideo voluptuosa quærimus, ut per ipsa seria compleamus. Burgundionum itaque dominus a nobis magnopere postulavit ut horologium, quod aquis sub modulo fluentibus temperatur, et quod solis immensi comprehensa illuminatione distinguitur, cum magistris rerum ei transmittere deberemus. quatenus impetratis delectationibus perfruendo, quod nobis quotidianum, illis videatur esse miraculum. Merito siquidem respicere cupiunt, quod legatorum suorum relationibus obstupescunt. Hoc te multa eruditione saginatum ita nosse didicimus, ut artes quas exercent vulgariter nescientes, in ipso disciplinarum fonte potaveris. Sic enim Atheniensium scholas longe positus introisti, sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Græcorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam. Didicisti enim qua profunditate cum suis partibus speculativa cogitetur, qua ratione activa cum sua divisione discatur, deducens ad Romuleos senatores, Quidquid Cecropidæ mundo fecerant singulare. Translationibus enim tuis Pythagoras musicus, Ptolemæus astronomus leguntur Itali. Nicomachus arithmeticus, geometricus Euclides audiuntur Ausonii. Plato theologus, Aristoteles logicus, quirinali voce disceptant. Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddidisti, et quascunque vel disciplinas vel artes fecunda Græcia per singulos viros edidit, te uno auctore, patrio sermone Roma suscepit. Quos tanta verborum luculentia reddidisti claros, tanta linguæ proprietate conspicuos, ut potuissent et illi opus tuum præferre, si utramque plenius didicissent. Tu artem prædictam ex disciplinis nobilibus natam per quadrifarias mathesis januas introisti. Tu illam in naturæ penetralibus considentem auctorum libris invitantibus, cordis lumine cognovisti. Cui ardua nosse usus, miracula monstrare propositum est. Molitur ostendere, quod obstupescant homines se invenisse, miropue modo naturis conversis facti detrahit fidem, cum ostentet et oculis visionem. Facit aquas ex imo surgentes præcipites cadere, ignem, ponderibus currere, organa extraneis vocibus insonare, et peregrini flatibus calamos complet, ut in anima possint arte cantare. Videmus per eam defensiones jam nutantium civitatum subito tali firmitate consurgere, ut machinamentorum auxiliis superior reddatur, qui desperatus viribus invenitur. Madentes fabricæ in aqua marina siccantur. Dura cum fuerint, ingeniosa dispositione solvuntur. Metalla mugiunt. Diomedes in ære gravius buccinatur, æneus anguis insibilat, aves simulate fritinniunt, et quæ vocem propriam nesciunt habere, dulcedinem probantur emittere cantilenæ. Parva de illa referimus, cui cœlum imitari fas est. Hæc fecit secundum solem in Archimedis sphæra decurrere. Hæc alterum zodiacum circulum humano consilio fabricavit. Hæc lunam defectu suo reparabilem artis illuminatione monstravit, parvamque machinam gravidam mundo, cœlum gestabile, compendium rerum, speculum naturæ ad speciem ætheris indeprehensibili mobilitate volutavit. Sic astra, quorum licet cursum sciamus, fallentibus tamen oculis prodire non cernimus. Stans quidam in illis transitus est, et quam velociter currere vera ratione cognoscis, se movere non respicis. Quale est hoc homini, etiam facere, quod vel intellexisse potest esse mirabile? Quare cum vos ornet talium rerum prædicanda notitia, horologia nobis publicis expensis sine vestro dispendio destinate. Primum sit, ubi stylus diei index per umbram exiguam horas consuevit ostendere : radius itaque immobilis et parvus peragens, quod miranda solis magnitudo discurrit, et fugam solis æquiparat, quod motum semper ignorat. Inviderent talibus si astra sentirent, et meatum suum fortasse deflecterent, ne tali ludibrio subjacerent. Ubi est illud horarum de lumine venientium singulare miraculum, si has et umbra demonstrat? Ubi prædicabilis indefecta rotatio, si hæc et metalla peragunt, quæ situ perpetuo continentur? O artis inæstimabilis virtus, quæ dum se dicit ludere, naturæ prævalet secreta vulgare. Secundum sit, ubi præter solis radios hora dignoscitur, noctes in partes dividens : quod ut nihil deberet astris, rationem cœli ad aquarum potius fluenta convertit : quorum motibus ostendit, quod cœlo volvitur, et audaci præsumptione concepta ars elementis confert, quod originis conditio denegavit. Universa disciplinæ, cunctus prudentium labor, naturæ potentiam, ut tantum possint nosse, perquirunt. Mechanema solum est, quod illa ex contrariis appetit imitari, et (si fas est dicere) in quibusdam etiam nititur velle superare. Hæc enim fecisse dignoscitur Dædalum volare, hæc ferreum cupidinem in Dianæ templo sine aliqua illigatione pendere. Hæc hodie facit muta cantare, insensata

vivere, immobilia moveri. Mechanicus (si fas est dicere) pene socius est naturæ, occulta reserans, manifesta convertens, miraculis ludens, ita pulchre similans, ut quod compositum non ambigitur, veritas æstimetur. Et quia te studiosius legisse cognovimus, prædicta nobis horologia ocius transmittere maturabis, ut te notum in illa mundi parte facias, quo aliter pervenire non poteras. Agnoscant per te exteræ gentes, tales nos habere nobiles, quales leguntur auctores. Quoties non sunt credituri, quæ viderint? Quoties hanc veritatem lusoria somnia putabunt? et quando fuerint ab stupore conversi, non audebunt se æquales nobis dicere, apud quos scient sapientes talia cogitasse. Vale.»

III. Operis titulus.

Titulus operis hic in plerisque exemplaribus habetur: Anitii Manlii Severini Boetii viri clarissimi et illustris, e consulum ordine, de Consolatione philosophiæ libri quinque. Anitius Manlius Torquatus et Severinus nomina sunt ex familia genereque Boetii desumpta. Quandoquidem Anitiorum genus nobilissimum fuisse Romæ, et divus Hieronymus in epistola ad Demetriadem testificatur his verbis : Scilicet nunc mihi Proborum et Olibiorum clara repetenda sunt nomina, et illustris Anitii sanguinis genus, in quo aut nullus aut rarus erit, qui non meruerit consulatum. Et Prudentius poeta in libro adversus Symmachum secundo, hunc in modum cecinit :

Fertur enim ante alios generosus Anitius Urbis
Illustrasse caput : sic se Roma inclyta jactat.

Videtur mihi hæc Anitiorum familia ex Manlia gente duxisse originem, cujus auctor fuit Manlius Capitolinus. Torquati autem cognomen ex Titi Manlii virtute accessit, qui Sulpitio dictatore tribunus militum Gallum provocatorem occidit, torquem ei detractum cervici suæ indidit. Ab eodem propagatum est in posteros Severini cognomentum. Fuit enim tam severus, ut bello Latino consul filium suum quod contra patris imperium pugnasset, licet hostis victorem, securi percusserit. Unde Virgilius :

sævumque securi
Aspice Torquatum.

Porro peculiarem et prope genuinam hujus gentis fuisse severitatem, ostendit Cicero in I *de Finibus libro. Proinde ridiculum est quod indocti aiunt Boetium eo dictum Severinum, quod Theodorico regi se opposuerit. Multo autem magis illud quod Boetium tradunt a vescenda boum carne fuisse agnominatum, cum eruditiores a nomine prisci cujusdam philosophi quod est Boetius, censeant Boetium fuisse appellatum. Quod si ita est per* th *aspiratum hoc nomen scribendum est. Interpretatur autem* βοηθὸς, *fautor, adjutor, auxiliator. Cæterum quod hoc opus de Consolatione philosophiæ inscribitur, sciendum est formas sæpe fingi ab illustribus auctoribus et personarum fieri descriptionem : quare Græcis* προσωπογραφία *dicitur. Quemadmodum Prodicus sophista virtutem ac voluptatem apud Herculem inter se decertantes facit, ut auctor est Xenophon. Et mortem ac vitam, teste Fabio, contendentes in satyra tradit Ennius.*

IV. Styli qualitas.

Jam ut styli qualitas innotescat, Boetius in his libris, tum versibus utitur, tum oratione soluta, ut jucunda vicissitudine lectoris tædium levetur. Fecerunt hoc ante Boetium cum alii, tum præclare Petronius Arbiter, et Martianus Capella. Belle autem prius utitur carmine quam prosa : quod (auctore Strabone) primum ante omnia apparatio ipsa poetica processit in medium, et approbata complacuit. Deinde metrum solverunt Cadmus, Pherecydes et Hecatæus. Huc accedit, quod Boetius animo nimium perturbatus, Elegis fortunæ mutationem deplorans, et animi sui patefaciens ægritudinem, peropportunum philosophiæ in soluta oratione ad consolationem inducendæ locum parat. Sciendum orationis duas esse species, metricam et solutam. Metrorum quidem variis generibus in hoc opere usus est, quæ loco suo reddentur. Soluta autem oratio prosa dicitur, quod sit recta, et non certo numero reflexa. Nam prosum veteres rectum dixerunt. Fabius : Facilius versus ediscimus, quam prosam orationem. Sunt qui prosam dictam velint, eo quod sit profusa, vel quod spatiosius prodeat et excurrat, nullo sibi termino præfinito. Stylus est mediocris, et philosophicus magis quam oratorius, non fucatus quidem aut phaleratus, sed qui veritatis inquisitori nequaquam improbetur.

V. Scribentis intentio.

Stylo hujus operis indicato, nunc auctoris intentionem et, ut Græci dicunt, σκόπον *videamus. Quemadmodum M. T. Cicero per bellicos tumultus a senatu forensibusque negotiis semotus, totum se ad philosophiæ studia, librorumque (quibus juvaret posteros) scriptionem contulit; ita et Boetius exul ac in carcerem conjectus, cum bene consulendo et agendo prodesse hominibus nequiret, ut et ipse res adversas æquiori animo ferret, et detecta fortunæ inconstantia, summoque bono patefacto posteritati consuleret, philosophia consolatrice advocata, divinum hoc opus in dialogi morem composuit.*

VI. Librorum numerus.

Est autem id in quinque volumina ad Ciceronis, qui libros quinque de Finibus bonorum et malorum, totidem Tusculanarum disputationum, non admodum dissimili argumento composuit (ni fallor) imitationem distributum. Quorum primo Boetius Philosophiæ lamentationis et ægritudinis suæ causas exponit. In secundo, Philosophia Boetio leviora quædam fomenta prudenter applicat, eumque molliter consolatur, docens fortunæ bona non esse in bonis nostris numeranda. Tertius liber acriora continet remedia, falsæque felicitatis specie rejecta, veram beatitudinem ostendit. Quarti disputatio hæc est, omnes malos infelices et impotentes esse, bonos vero contra felices, votorumque omnium suorum compotes. Quinto denique disserit acutissime de casu, liberoque hominis arbitrio ac providentia divina.

VII. Quæ sit operis utilitas.

Porro quæ sit horum voluminum utilitas, ex his quæ jam dicta sunt facile perspici posse nemini dubium est, cum ea non possint non esse longe utilissima, ex quibus

discamus vera bona discernere a falsis, et contemptis fallacissimæ fortunæ donis, ad solidam perpetuamque beatitudinem bene honesteque vivendo pervenire.

VIII. Ad quam philosophiæ partem hoc opus referatur.

Reliquum est, ut ad quam philosophiæ partem hoc opus pertineat, dicamus. Philosophia trifariam a plerisque dividitur, in moralem, naturalem, rationalem. Prima componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates verborum exigit et structuram. Diducitur et philosophia in contemplativam et activam, quarum hæc quidem in virtutum actionibus versatur, illa vera in contemplatione veritatis. Hoc itaque (ni fallor) opus potissimum ad activam moralemque philosophiam refertur. Nam in eo maxime versatur, ut animum hominis perturbationibus repurgatum, virtutibusque excultum ad summi boni contemplationem perducat. In postremo autem libro sublimius exsurgit disputatio, et metaphysicen theologiamque quodammodo attingit. Sed hæc hactenus: nunc aspirante Spiritu sancto primi carminis enarrationem auspicemur.

JOANNIS MURMELLII ET RODOLPHI AGRICOLÆ
IN LIBROS DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ
* COMMENTARIA

LIBER PRIMUS.

IN METRUM PRIMUM.

Expositurus hoc primo volumine Boetius lamentabiliter ægritudinis suæ causas opportune in elegiacos versus erumpit, quibus fletus potissimum luctusque exprimitur: unde et nomen eis inditum ἔλεγος namque luctus interpretatur. Unde mos inolevit, ut epitaphia et næniæ fere id genus versibus componantur. Vetustissimi sanæ nihil aliud nisi lamentationes suas elegis effuderunt. Procedente dein tempore, versu eo res aliæ quoque scribi cœptæ sunt. Unde Horatius:

Versibus impariter junctis quærimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Et Terentianus:

Hos elegos dixere, solet quod clausula talis
Tristibus (ut tradunt) aptior esse modis.

De eorum autem inventione Horatius hæc ait:

Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor.
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.

Terentianus quoque:

Pentametrum dubitant, quis primus finxerit auctor:
Quidam non dubitant dicere Callinoum.

Pentameter hexametro ita adnectitur, ut vix separatum invenias. Apud unum equidem (quod meminerim) Martianum Capellam libro nono carmen ex meris pentametris legi. Boetius autem noster in hujus operis tertio pentametrum senario iambico subjecit. Hæc de carminis genere: jam quid eo sibi velit narremus. Dejectus ex amplissima opum dignitatumque conditione Boetius, animo nimium perturbato fortunæ mutationem lamentabundus, et gravissimum inde conceptum dolorem exponit, ægre ferens vitam rebus prospere succedentibus pene amissam: nunc adversis, cum mors præoptetur, in miseriarum dolorumque incrementa prolongari.

Carmina] Lyricas odas, et lætitiæ versus. Non enim simpliciter pro quibuslibet accipienda, sed pro lyricis hilarique animo compositis, quemadmodum Horatius quatuor libros carminum scripsit.

Florente] Vigente per fortunatum otium, et mentis tranquillitatem.

Peregi] Composui, perfeci.

Flebilis] Dolens, luctuosus. Ovidius in v Tristium:

Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen,
Materiæ scripto conveniente suæ,
Integer et lætus læta et juvenilia lusi;
Illa tamen nunc me composuisse piget.

Est et flebilis, dignus qui fleatur. Horatius in Odis:

Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quam tibi, Virgili.

Mœstos modos] Tristes et elegiacos versus.

Inire] Inchoare.

Ecce] Ubicunque ponitur ecce, necessario sequitur aliquid, quod vel metum afferat, vel admirationem: propriumque Ciceronis hoc est in rebus improvisis, quod accurate Virgilius et legit et transtulit. Auctor Asconius. Bene igitur et nunc eo adverbio utitur Boetius, repentinam mirabilemque cum fortunæ, tum studiorum mutationem significans.

Laceræ] Perturbatæ, luctuosæ, et quasi ob animi dolorem laceratis vestibus. Nam poetæ Musas tanquam feminas sibi assistentes inducunt.

Dictant] Suggerunt, et ut excipiam scribamque, dicunt. Ovidiana Sappho:

At mihi Pegasides blandissima carmina dictant.

Dictare est id dicere, quod alius excipiens notet Hieron.: Non enim eodem lepore dictamus, quo scribimus. Significat et suggerere. Fabius: Nobis autem et tutissimum est auctores plures sequi, et ita videtur ratio dictare.

Camenæ] Musæ.

Veris] Non simulatis, sed ex animi dolore provenientibus.

Rigant] Madefaciunt. Seneca in Octavia:

Rigat et mœstis fletibus ora.

Virgilius in sexto:

Sic memorans, largo fletu simul ora rigabat.

Idem in nono:

Et vultum lacrymis atque ora rigabat.

* In his commentariis, quæ nomine carebunt noverit lector Joanni Murmellio esse tribuenda.

Has] Camœnas.

Saltem] Quasi dicat, Tametsi cætera me deseruerint, Musæ tamen nullo terrore a me abstrahi potuerunt. Sic Ovid. in IV Tristium :

Me quoque Musa levat Ponti loca jussa petentem.
Sola comes nostræ perstitit illa fugæ.
Sola nec insidias inter, nec militis ensem,
Nec mare, nec ventos, Barbariamque timet.

Subditque non multo post :

Jure deas igitur veneror mala nostra levantes,
Sollicitas comites ex Helicone fugæ,
Et partium pelago, partium vestigia terræ,
Vel rate dignatas, vel pede nostra sequi.

Gloria] Repetatur nominativus pluralis Camœnæ, ut sit appositio, Camœnæ gloria felicis et viridis juventæ olim, Solantur nunc mea fata mœsti senis : hoc est, Musæ quæ mihi olim non mediocri et ornamento et decori fuerunt, pariter tum juventa, tum lætis fortunæ successibus florenti, nunc rebus adversis perturbato, afflicto, et ante legitimum tempus dolore consenescenti, consolationem afferunt. M. Tullius in oratione pro Archia : « Nam cæteræ, inquit, res neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Hæc studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugiunt ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. »

Mea fata mœsti senis] Laurentio Vallensi, qui unus omnium de Latina lingua multo meritus est optime, hæc Boetii locutio vix tolerabilis videtur, eo quod participium desit : quod tamen meo judicio haud difficulter subauditur, puta facti, ut sit sensus, Musæ solantur nunc mea fata, qui ob fortunæ iniquitatem factus sum mœstus senex. Et hoc est quod subjicit.

Inopina] Id est, inopinata senectus, et quæ clanculum mihi opinione citius obrepsit.

Venit properata] Hoc est, propere et festinanter inducta.

Malis] Hoc est, ob mala et fortunæ adversitates. Est enim septimi casus. Apud Erasmum singulare nostri sæculi decus, proverbium est, Mala senium accelerant, desumptum ex illo Homerico :

Quippe repente homines curisque malisque senescunt.

Ovidius in primo de Ponto :

Me quoque debilitat series immensa laborum,
Ante meum tempus cogor et esse senex.

Ætatem suam] Senectutem. Ut enim juventa lætitiæ, sic doloris æstas est senectus.

Intempestivi] Ante justum tempus nati.

Vertice] Per verticem, in capite.

Cani] Capilli cani. Valerius Maxim. lib. II : Pubertas canis suum honorem reddebat.

Effecto] Viribus exhausto, et ob animi dolorem debilitato.

Mors hominum felix] Ut animi perturbati homo, totus ex fortuna pendet, citra cujus successum mortem magis quam vitam optat.

Mors hominum felin] Subaudi est. Felices, inquit, sunt homines quibus cum fortuna permanet et vita, illaque recedente, pariter finitur. Antisthenes ille A Cynicus rogatus quidnam apud homines esset beatius : Felicem, inquit, mori.

Dulcibus] Fortunatis.

Inserit] Immittit, ingerit.

Mæstis] Ab hominibus mœstis, id est tristibus. Maximinianus non omnino contemnendus poeta :

O quam dura premit miseros conditio vitæ.
Nec mors humano subjacet imperio.
Dulce mori miseris, at mors optata recedit,
At cum tristis erit, præcipitata venit.

Obiter his in versibus notanda secunda, dictionis conditio, syllaba, quæ licenter producta est. Miror autem sciolos quosdam Gallo poetæ Virgilii amico elegias, quæ Maximiniani sunt, ob leviculam suspicionem tribuere. Verum de hoc alias latius.

Heu heu quam surda] Heu dolentis est interjectio, B sicut probatissimi grammatici docent. Eheu Latina dictio non est : quod sola partium orationis interjectio nunquam componitur, sed geminatione facta dicendum, heu heu. Tibullus :

Heu heu divitibus video, gaudere puella.

Idem :

Ferreus est, heu heu, quisquis in urbe manet.

Invenitur et heheu, teste Perotto. Potest si versus sic recte legi : Heu quam surda. Servius in secundo Æneidos commentario : Heu modo est una syllaba, sed interdum propter metrum duæ fiunt, ut est,

Heu quam pingui macer est mihi taurus in arvo.

Avertitur] Spernit, aversatur mors a miseris invocata.

Et flentes oculos] Ordina sic, Et sæva mors negat, C hoc est, non permittit, miseros subaudi, claudere flentes oculos. Ant hunc in modum, Sæva mors negat flentes, hoc est, homines ob hujus vitæ calamitatem lacrymantes, claudere oculos, id est mori. Alludit autem ad veterum morem, quo propinquiores mortuorum oculos claudere solebant. In libro Tobiæ, capite ultimo, hæc scripta sunt : Post obitum matris suæ Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua, et filiis, et filiorum filiis, et reversus est ad soceros suos, invenitque eos incolumes in senectute bona: et curam eorum gessit, et ipse clausit oculos eorum, et omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit. Valerius Maximus de muliere Assana : Filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium advocavit. Silius Italicus in nono :

D Atque in fine laborum
Hac condas oculos dextra precor.

Ovidius in tertio de Tristibus :

Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo
Labentes oculos condet amica manus.

Levibus] Mutabilibus, fluxis, caducis.

Malefida] Infida, inconstans.

Faveret] Deest mihi.

Nam levibus bonis] Septimus casus est.

Pene caput tristis] Id est, pene mortuus eram.

Nubila] Obscura et adversa. Sic Ovidius :

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Ingratas] Injucundas : snbaudiendum mihi.

Impia vita] Crudelis in me miserum mori cupientem. Publius Mimographus :

O vita miseris longa, felicibus brevis.

Seneca in Hercule Œtheo;

> Par ille superis, cui pariter dies
> Et fortuna fuit, mortis habet vices,
> Lente cum trahitur vita gementibus.

Idem in eodem:

> Felices sequeris mors, miseros fugis.

Quid me felicem] His versibus ostendit non esse felicem appellandum eum cujus conditionem fortuna mutare potest. Vera namque felicitas finem non habet.

Quid] Propter quid, ad quid, cur. Convertit autem cum quadam animi indignatione sermonem ad amicos.

Jactastis] Insolenter et cum quadam superba ostentatione prædicastis.

Qui cecidit] Verissima hæc est sententia, et ex eo quod contrarium est, facile sic ostenditur: Qui stabili gradu est, is cadere non potest.

IN PROSAM PRIMAM.

Hac prosa tanquam prooemio totius operis argumentum aperit, sane quam pulchra descriptione philosophiam inducens sibi apparuisse, tametsi ob animi perturbationes minus notam, ejectisque levioribus musis, ægrum ejus animum suis gravioribusque curandum ac sanandum suscepisse. Sciendum autem est hoc opus dialogo compositum inter philosophiam per quam recta ratio accipitur, et Boetium, hominem fortunæ adversitatibus afflictum, variisque perturbationibus obnoxium. Dialogus est (ut Laertio placet) ex interrogatione et responsione compositus de ea re, quæ vel philosophiam, vel reipublicæ partes attingat, cum decenti et congrua expressione personarum quæ assumuntur, accurataque compositione verborum.

Hæc] Elegis jam descripta.

Tacitus] Tacens.

Reputarem] Meditarer.

Lacrymabilem] Ad lacrymandum aptam.

Officio styli] Scriptione, litterarum exaratione.

Designarem] Describerem.

Supra verticem] Supra caput.

Mulier] Apte philosophia mulier inducitur, cum sit generis feminini, et formæ nomen: quemadmodum virtus et voluptas a Prodico sophista mulieres finguntur, non viri. Mulier tam virgo quam nupta dicitur, auctore Servio in IX Æneidos commentario, cujus hæc sunt verba: Usus obtinuit, ut innuptas, virgines: nuptas, mulieres vocemus. Nam apud majores indiscrete virgo dicebatur et mulier. Utrumque enim sexum tantum significabat.

Reverendi] Venerabilis. Quidquid enim sapientia præditum est, imprimis est reverentia et honore dignum.

Ardentibus] Ignea vi præditis, et penetrabilibus.

Valentiam] Facultatem. Valentia est potestas, robur, vires. Titinnius: Sapientia gubernator navem torquet, non valentia.

Perspicacibus] Acutis. Perspicax, qui visus acumine res perspicere, perfecteque inspicere potest. A Philosophiæ ignei sunt oculi, et supra communem mortalium valentiam perspicaces: quia sapientiæ studium intellectus oculis intima quæque penetrat, et res vulgo prorsus ignotas latentium causarum investigatione perscrutatur.

Colore vivido] Naturali et sanitatem roburque præferenti. Philosophia enim cum sit optime constituta, vividi nimirum coloris esse dicitur, et egregiæ pulchritudinis.

Inexhausti] Infiniti, nunquam deficientis.

Ævi] Ætatis.

Plena] Abundans.

Nostræ ætatis] Sæculi nostri; quamvis (inquit) philosophia ita esset annosa, ut multo ante nostram ætatem floruisse crederetur, erat tamen vigoris inex- B hausti, minimeque consumpti. Sapientia enim nunquam senescit, nunquam vim suam amittit. Et quo plura ejus studio consecutus fueris, eo plura superesse cognoscenda deprehendes. Priscis profecto sæculis apud Hebræos, Ægyptios, Græcos, Latinos, aliasque gentes philosophi exstiterunt, aliisque successerunt alii, neque vim philosophiæ potuerunt unquam exhaurire, nec ad finem discendi pervenire. Hieronymus ad Nepotianum: Amplexetur me modo sapientia, et Abisag nostra, quæ nunquam senescit, in meo requiescat sinu (*III Reg.* I). Impolluta est, virginitatisque perpetuæ, et quæ in similitudinem Mariæ cum quotidie generet, semperque parturiat, incorrupta est.

C *Statura discretionis ambiguæ*] Mulier (inquit) quæ mihi apparuit, erat statura discretionis ambiguæ, hoc est, eam staturam præferebat, quam nemo facile certa discretione cognosceret. Cujus rei hanc subjicit causam: Nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat, id est aliquando non excedebat communem hominum staturam. Hoc autem dicitur ob eas philosophiæ partes in quibus de iis rebus agitur, quarum capax est humanum ingenium, et quas intellectus hominum certis rationibus assequi potest. Cujusmodi sunt tres philocophiæ rationalis partes, grammatica, dialectica, rhetorica, et mathematicæ disciplinæ præter astronomiam, item physica majori ex parte, et tota moralis philosophia.

D *Nunc vero pulsare cœlum summi verticis cacumine videbatur*] Hoc dictum videtur ob astronomiam, et eam physices partem, in qua de cœlo et mundo agitur.

Quæ cum caput altius extulisset] His verbis significat primam philosophiam, cujus speculatio versatur circa res divinas et causas altissimas, quarum non facile capax est mortalium intellectus, dicente philosopho: Nam ut vespertilionum oculi sese habent ad lucem diei sic et nostræ animæ mens ad ea sese habet, quæ manifestissima omnium sunt natura.

Respicientium] Visum retrorsum flectentium.

Vestes erant tenuissimis filis] Per vestes accipe divinarum humanarumque rerum tractatus, disputationesque ac præcepta philosophorum. Per tenuis-

sima fila, voces simplices et argumentationum elementa. Per subtile artificium, solertem disserendi artem, quæ dialectice nuncupatur. Per indissolubilem materiam, intellige verarum propositionum, assumptionum, conclusionumque congruitatem, quibus philosophicæ disputationes cohærent. Hæc enim materia indissolubilis est. Nam si dissolveris, et disputationis, in utramque partem factæ particulam arripueris, falsum fortasse pro vero credideris affirmaverisque. Quod cum aliis permultis accidit, tum imprimis Aristippo, qui cum audivisset Socratis super corporis voluptate disputationem, relictis veris, apprehendit falsa: hoc est, ea argumenta, quæ voluptatem corporis esse summum bonum ostendere videbantur.

Uti post eadem prodente cognovi] Parenthesis est.

Uti] Quemadmodum.

Post] Postea.

Eadem] Philosophia.

Prodente] Iudicante. Hoc videbitur in hujus libri prosa tertia.

Suis manibus] Cogitationibus et elocutionibus philosophicis. Manus philosophiæ sunt rerum divinarum et humanarum meditationes, ac elocutiones, quibus philosophiæ vestis contexitur, hoc est, disputatio, falsa reprobans, et approbans vera, componitur.

Quarum] Vestium.

Speciem] Formam.

Veluti fumosas imagines solet] Parenthesis est.

Fumosas] Fumo obductas. Seneca: Non facit nobilem, atrium plenum fumosis imaginibus.

Solet] Subaudi caligo neglectæ vetustatis obducere.

Caligo] Obscuritas.

Obduxerat] Obtexerat. His verbis significatur philosophiæ studium diu neglectum jacuisse in tenebris.

Harum] Vestium.

In extremo margine] In ima extremitate.

Π] Per hoc accipitur Πρακτική, id est activa philosophia.

In supremo] Subaudi margine.

Θ] Per hoc significatur θεωρητική, id est contemplativa. Sunt enim duæ philosophiæ partes, contemplativa, et activa: quod homo ad duas potissimm. res natus est, puta ad agendum et contemplandum Aristoteles secundo libro primæ philosophiæ: Nam finis quidem contemplativæ veritas est, activæ autem opus.

Inter utrasque litteas] Π et Θ.

Insigniti] Notati.

Quibus] Gradibus.

Ab inferiore] Elemento Π

Ad superius elementum] Θ Ex Platonica disciplina hoc sumptum est, ut centum alia Boetii. Platonici enim docent tribus gradibus animum hominis pervenire ad divinum intellectum; virtutibus primo civilibus, secundo purgatoriis, tertio animi jam purgati.

Eamdem tamen vestem] Disputationem philosophicam integra veritate cohærentem.

Violentorum quorumdam] Epicureorum et Stoicorum, qui (ut in tertia hujus libri prosa dicetur) post Socratis mortem philosophiæ vim intulerunt et cum totam comprehendere non potuissent, dilacerata ejus veste, particulas quas quisque potuit, abstulerunt. Lactantius in libro de divino præmio, capite septimo docet, quare philosophi nequiverint comprehendere veritatem integre, quam tamen particulatim comprehenderunt.

Libellos] Per hos contemplationem significat, quos recte in dextra collocat, quod philosophia contemplativa longe præstantior est activa, ut docet Aristoteles in secundo libro primæ Philosophiæ.

Sceptrum] Per hoc accipe reipublicæ administrationem et politicam gubernationem.

Ubi] *Postquam.*

Dictantes] Suggerentes.

Paulisper] Parvo tempore. Non enim decuit philosophiam diu ira commoveri, dicente Horatio:

Ira furor brevis est, animum rege.

Paulisper] Parumper, tantisper, quantisper, et aliquantisper compositæ figuræ sunt, ut ait Priscianus, et temporis mensuram significant. Exponuntur autem sic: Paulisper, per paululum temporis. Tantisper, per tantum temporis. Pomponius in Dotata: Possum exorare te, ut decedas a me paulisper modo, quantisper sat est?

Torvus] Terribilibus.

Luminibus] Oculis, Ovidius:

Jam morior, cara lumina conde manu.

Has scenicas meretriculas] Musas poeticas, in scenis et theatris lucri gratia prostare solitas. Scena ex usu magis quam ratione diphthongum habet: Græce namque σκηνὴ tentorium, fraus, tabernaculum interpretatur. Accipitur pro ea parte theatri quæ ab uno ejus cornu ad alterum ducebatur in hemicycli formam. In qua binis pluribusve contignationibus constrata, fabulas poeticas histriones recitabant. Hinc fit *scenicus, a, um.* Unde nunc musas philosophia scenicas, meretriculas, ignominiose vocat. Dedit autem hic locus plerisque minus eruditis insectandi poetas ansam, non animadvertentibus duo esse eorum genera, quorum alterum quidem jure philosophia explodit et eliminat, alterum vero libens amplectitur suumque agnoscit. Est enim illud leve, græculum, meris nugis refertum, et tantum ad aurium spectans voluptatem. Quod genus vulgares sunt versificatores animi perturbationibus succumbentes, amatoria impudicaque carmina meditantes: quorum ut vita, sic et versus a philosophia sunt alieni, et (ut recte Flaccus ait) inopes rerum nugæque canoræ. De hujusmodi poetica dixit Cato in carmine de Moribus: Poeticæ artis bonos non erat, si quis in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat, Grassator vocabatur. Et divus Hieronymus de filio prodigo ad Damasum scribens: Dæmonum, inquit, cibus est carmina poetarum, sæcularis sapientia, rhetoricorum pompa

verborum. Hæc sua omnes suavitate delectant, et dum aures versibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, et pectoris interna devinciunt. Verum ubi cum summo studio fuerint ac labore perlecta, nihil aliud nisi inanem sonum et strepitum suis lectoribus tribuunt. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla refectio justitiæ reperitur : studiosi earum in fame veri, et virtutum penuria perseverant. Hactenus Hieronymus. Hoc vero poetarum genus grave, philosophicum, et sanctum, ex intimis philosophiæ secretariis bene vivendi præcepta depromit, homines a vitiis acriter deterrens, et ad virtutes diligenter incitans : quod honore dignum est maximo, ut sacrum et Philosophiæ penitus amicum, quæ in hoc opere Euripidem et Lucanum familiares suos appellat. Baptista Mantuanus in epistola quadam ad Joannem Franciscum Picum : Poemata, inquit, obscena et impudica sunt, judicio meo inter vera poemata, quales inter probas matronas fornicariæ meretrices. Ego enim poema verum, ei quod omne punctum ferre possit, esse non puto, nisi sit grave, castum ac sanctum : quod Horatius innuit, dicens :

> Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ.

Infructuosis spinis] Translatio est ab re rustica.

Profanum] Sacris nostris non initiatum.

Uti vulgo solitum] Parenthesis est.

In eo] In ea re, in detrahendo profano.

Nostræ operæ] Labores nostri.

Hunc] Boetium.

Eleaticis studiis] Dialecticis. Elea, urbs Græciæ in Æolica regione, ubi natus est Zeno, dialectices inventor. Hinc Eleatica studia dicuntur dialectica. Atticus Platonicus in eo libro quem adversus eos scripsit, qui Aristotelicam habentes scientiam, Platonicam profiteri non audent. Zeno autem et omnes Eleatica disciplina logicæ solummodo studuerunt.

Academicis] Platonicis. Academia locus fuit nemorosus, ab Athenis mille passibus distans, Platonis gymnasio nobilis. Hinc Academici dicti, ejus sectam tenentes.

Enutritum] Educatum, saginatum, excultum. Hic autem subintellige, vestræ blanditiæ nobis detrahere conantur, aut simile quidpiam : et est ἀποσιώπησις figura, vehementer iratæ philosophiæ conveniens, quam Cicero reticentiam, Celsus obticentiam, nonnulli interruptionem, alii præcisionem appellant. Sic apud Virgilium loquente irato deo :

> Quos ego... sed motos præstat componere fluctus.

Deest puniam, vel simile verbum.

Sed abite] Graviter increpans musas ejicit animi perturbationibus servientes.

Sirenes] Græce scribitur Σειρὴν. Falluntur igitur qui per υ scribunt. Nec a σύρω id est traho, sed vel a σείω vel (quod magis probant) ἀπὸ τῆς σειρᾶς derivatur. De Sirenibus fabula notissima est, quas poetæ tradunt suavitate cantus pellexisse navigantes in perniciem. Ovidius :

> Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
> Quaslibet admissas detinere rates.

Martialis eleganter Sirenas vocat hilarem navigantium pœnam, et crudele gaudium. Dino Clitarchi pater affirmat in India Sirenas esse volucres, mulcerique earum cantu, quos stratos somno lacerant. Poetæ fabulantur tres Sirenes fuisse, quarum una voce, tibiis altera, tertia lyra concineret. Secundum veritatem autem meretrices fuisse creduntur, quæ transeuntes, quoniam ad egestatem deducebant, fictæ, sunt illis inferre naufragia.

Usque in exitium dulces] Simile hoc est illis proverbiis. Lethale mulsum, Melle litus gladius, et Mellitum venenum : quæ dicuntur de eo quod ita jucundum est, ut idem sit perniciosum.

Meis musis] Philosophicis, gravibus et sanctis carminibus. Vide, diligens lector, ut philosophia et suas Musas habeat. Taceant igitur scioli theologistæ, qui cum sint a Musis alienissimi, earum studiosos temerario ausu vocant hæreticos.

Ille chorus] Musarum impudicarum, et pravos affectus excitantium.

Dejecit vultum] Sic Maro in tertio Æneid. :

> Dejecit vultum, et demissa voce locuta est.

Humi] Terram versus.

Mæstior] Valde mœstus, aut mœstior quam antea : fuit enim et ab initio mœstus unde illud,

> Laceræ dictant scribenda Camœnæ.

Tam imperiosæ] Imperiosus dicitur nimis severe imperans, crudus, et quasi ostentator imperii.

Auctoritatis] Auctoritas est ex mentis bonis et corporis quædam conflata dignitas, quæ efficit cum sua præsentia, tum etiam oratione, ut cæteri ipsi reverentiam præstent et sequantur exemplum.

In extrema lectuli mei parte] Medicorum morem expressit ægroto assidentium.

IN METRUM II.

Carmen hoc dicitur *Alcmanium*, dactylicum, tetrametrum, hypercatalectum. Alcmanium, ab Alcmane inventore, Ἀλκμὰν poeta lyricus, Laconicus sive Messenius, inventor amatorii carminis, scripsit lingua Dorica. De hoc Papinius in Silvis :

> Obsitus, et tetricis Alcman cantatus Amyclis.

Ridiculus igitur est eorum error a quibus Alcman tribus syllabis profertur. Dactylicum, a pede principali : tetrametrum, a numero pedum : hypercatalectum dicitur, quod syllaba post duos priores pedes in medio superest. Constat cæsura semiquinaria heroica, et dactylo ac spondeo. Simile est illi quod Terentianus affert ex versu Virgilii conciso :

> At regina gravi saucia cura.

Ejusmodi est et apud hymnographum :

> O quam glorifica luce coruscas.

Indigne fert Philosophia mortalium animis tantam ex perturbatione, veri ignorationem accidere, ut contemplationis rerum cœlestium luce relicta, et honestissimarum artium meditatione posthabita, toto in res terrenas ferantur appetitu.

Heu quam præcipiti mersa profundo] Ordina hunc in modum : *Heu quam*, id est quantum ; *mens mersa* hoc est obruta, præcipiti ; *profundo*, profunditate perturbationum, unde non sit facile emergere. Aut sic,

Mersa, immersa; *præcipiti profundo*, id est præceps A profundum.

Quam, inquam *hebet*] Obtusa est, et veræ sapientiæ oblita.

Et propria luce] Id est rationis usu, et gemina sibi veritatis speculatione relicta.

Tendit] Id est contendit et nititur.

Ire] Ferri.

In externas tenebras] In res terrenas ac corporeas illecebras spiritum sua contagione obtenebrantes.

Quoties] Quotiescunque.

Cura] Cupiditas rerum externarum.

Noxia] Intelligentiæ nocens, eamque retardans.

Acta] Excitata.

Flatibus terrenis] Fortuitis casibus, et divitiarum illecebris.

Crescit] Augetur.

In immensum] Ultra modum. Sciendum est hominem interiorem, hoc est, spiritum suapte natura per Dei gratiam ferri in rerum cœlestium comtemplationem : verum ex terreni corporis contagione, et temporalium rerum appetitu, variis perturbationibus affici, et ab officio suo retardari. Spiritus quidem promptus, est, caro autem infirma (*Matth.* XVI). Danda igitur imprimis homini est opera, ut depulsis pravarum affectionum nubibus, spirituale lumen effulgeat, et appetitus jugiter, rectæ rationi subjugetur. Hoc autem est quod nunc philosophia ie Boetii consolationem instituit. Præceps compositum est, ex præ et caput. Proprie enim præceps dicitur, qui ita cadit, aut deorsum mittitur, ut caput præcedat. Hinc et locus altius dicitur præceps, quod inde quis facile præcipitari potest : et rursus id quod profundum est, præceps dicitur, quod in id potest quid præcipitari. Virgilius in undecimo :

> Pars in præcipites fossas urgente ruina,
> Volvitur.

Et sic dictum accipe, præcipiti profundo. Item præceps, festinus, inconsultus, temerarius. Sed de hoc nunc satis.

Cura terrenis flatibus acta] Sane quam eleganti metaphora dictum hoc est. Cum enim cura quasi ignis sit, cor urens, recte terrenis flatibus agi incitarique dicitur. Nam ut ille dicit,

> Nutritur vento, sed aqua restinguitur ignis;
> Lenis alit flammas, grandior aura negat.

Hic quondam cœlo liber aperto] Peculiariter super immutata Boetii mente graviter indignatur, et e cujusmodi status excellentia dejectus sit, docet.

Hic] Boetius.

Liber quondam] Cum nondum passionibus animi serviret.

Suetus] Solitus.

Ire] Ferri contemplatione in æthereos meatus, hoc est, in motus corporum cœlestium, idque cœlo aperto et intellectui patefacto, cernebat lumina rosei, id est rubicundi aut pulchri et lucidi solis. Maro in XI :

> Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Ibero
> Tingat equos, noctemque die labente reducat.

Visebat] Intuebatur.

Sidera] Lumina.

Gelidæ lunæ] Quæ frigidis humidisque noctibus præest. Sol dictus est, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia cum est exortus, obscuratis omnibus, solus apparet. Luna a lucendo nominata est. Eadem est enim Lucina. Cicero auctor in secundo de Natura deorum.

Et victor] Id est voti compos, habebat omnem eam stellam numeris comprehensam, quæcunque, hoc est quæ flexa, mota per varios orbes, quos astrologi ponunt, exercent vagos recursus, id est erraticos motus. Præter eas stellas quæ octavo cœlo infixæ dicuntur, quarum numerus incognitus est astronomis, septem aliæ sunt non in octavo cœlo, ut illæ, sed singulæ in singulis septem cœlis inferioribus, ut in B septimo sit Saturnus, in sexto Jupiter, in quinto Mars, in quarto Sol, in tertio Venus, in secundo Mercurius, in primo Luna. Et hæ stellæ planetæ dicuntur, id est, erratiles (nam πλανάομαι Græce erro significat : unde πλάνη error et πλάνης πλάνητος, planes, planeta, et πλανήτης, vagus, erro), quia et cursu suo feruntur et contra cœli impetum contrario motu ad orientem ab occidente volvuntur. Elinius, Historiæ mundi lib. secundo, cap. sexto, septem ea sidera tradit ab incessu vocari errantia, cum errent nulla minus illis. Unde et Ciceronis exstant versus :

> Quæ verbo et falsis Graiorum vocibus errant,
> Revera certo lapsu spatioque feruntur.

Idem in secundo de Natura deorum : Maxime vero C admirabiles sunt motus earum quinque stellarum, quæ falso vocentur errantes. Nihil enim errat, quod in omni æternitate conservat progressus et regressus, reliquosque motus constantes et raros. Porro planetarum medius sol fertur amplissima magnitudine ac potestate, nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum cœlique rector : hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras, hic reliqua sidera occultat, hic vices temporum annumque semper renascentem ex usu naturæ temperat, hic cœli tristitiam discutit, atque etiam nubila humani animi serenat : hic suum lumen cæteris quoque sideribus feneratur. Hujus annuos cursus spatiis menstruis luna consequitur, cujus tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quis- D que plenissimum. Neque solum ejus species ac forma mutatur, tum crescendo, tum defectibus in initia recurrendo, sed etiam regio, quæ tum est aquilonaris, tum australis. Saturni stella, quæ Φαίνων a Græcis nominatur, a terra abest plurimum, et triginta fere annis cursum suum conficit. Infra autem hanc propius a terra Jovis stella fertur, quæ Φαέθων dicitur, eaque eumdem duodecim signorum orbem annis 12 conficit. Hinc autem proximum inferiorem orbem tenet Πυρόεις, quæ stella Martis appellatur, eaque quatuor et viginti mensibus, sex (ut opinatur Cicero) diebus minus eumdem lustrat orbem quam quæ superiores. Infra hanc autem sole interposito stella Veneris est, quæ Φωσφόρος. Græce, Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur solem : cum subsequitur autem Ἕσπερος,

Latine vesper. Ea anno cursum conficit, et latitudinem lustrans signiferi orbis et longitudinem: neque unquam a sole duorum signorum intervallo longius discedit, tum antecedens, tum subsequens. Hinc Mercurii stella lunœ proxima. Ma Ετίλβων appellatur a Græcis, quæ anno fere vertente signiferum lustrat orbem, neque a sole longius unquam unius signi intervallo discedit, tum antevertens, tum insequens. De his septem planetis eleganter Lucanus in IX Pharsaliæ:

Sideribus, quæ sula fugam moderantur Olympi,
Occurruntque polo, diversa potentia prima
Mundi lege data est, sol tempora dividit anni,
Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.
Luna suis vicibus Tethyn terrenaque miscet.
Frigida Saturno glacies, et zona nivalis
Cessit habet ventos incertaque fulmina Mavors:
Sub Jove temperies et nunquam turbidus aer.
Ad fecunda Venus cunctarum semina rerum
Possidet, immensæ Cyllenius arbiter undæ est.

Per varios orbes] Varios circos accipe. Saturnus enim, Jupiter, Mars et Venus ternos orbes habent cum epicyclo, per quos ex astronomorum doctrina varie moventur; Mercurius autem orbes quinque et epicyclum. Est autem epicyclus circulus parvus per cujus circumferentiam defertur corpus planetæ. Orbis vero nomen est ambiguum, teste Macrobio. Modo enim circulum significat. Cicero: Erat autem his splendidissimo candore inter flammas elucens circulus, quem vos (ut a Graiis accepistis) orbem lacteum nuncupatis. Modo sphæram. Idem: Novem tibi orbibus, vel potius globis connexa sunt omnia. Accipitur et nonnunquam orbis pro regressu et conversione ab eodem loco, in eumdem post emensum ambitum. Idem: Quæ rotundæ et globosæ divinis animatæ mentibus, circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili. Virgilius:

Redit agricolis labor actus in orbem.

Nonnunquam pro mensa figuræ orbicularis. Juvenalis:

Latos nisi sustinet orbes,
Grande ebur.

Quin etiam causas] Ordo est: Quin etiam solitus rimari causas, atque reddere varias causas naturæ latentis.

Unde] Hoc est, quibus de causis.

Sonora flumina] Id est, sonori ventorum flatus.

Sollicitent] Inquietent, exagitent, commoveant.

Æquora] Æquales et planas ante ventorum flatus superficies.

Ponti] Maris. Ventus, aer est commotus et agitatus, sicut flabello brevi potest approbari. Nec aliud ventus intelligitur quam fluctus aeris, qui (ut Clemens ait) ex quibusdam montibus excelsis velut compressus et coangustatus ordinatione Dei cogitur, et exprimitur in ventos ad exercitandos fluctus, æstusque temperandos. Pro diversis autem partibus cœli, nomina diversa sortitur.

Quis spiritus volvat] Id est circumagat.

Orbem] Mundum, id est cœlum.

Stabilem] Perpetuo tenore, et certissima optimi ordinis observatione constantem. Orbes cœlestes (ut

A opinantur nonnulli) a suis formis substantialibus moventur. Verum, ut alii rectius sentire videntur, intelligentiæ, qui et spiritus dicuntur, cœlis divinitus assistentes, eos circumagunt. Platonici Deum opinati sunt toti mundo permistum, omnibusque ejus partibus insitum, tantam molem circumagere, quorum opinionem secutus poeta, cecinit:

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totosque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Et Manlius in primo Astronomicon:

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque naturæ diversa condita forma
Aeris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis;
Vis animæ divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, tacita ratione gubernat,
B Et multa in cunctas dispensat fœdera partes,
Altera, ut alterius vires, faciatque feratque,
Summaque per varias maneat cognata figuras.

Vel cur sidus surgat ab ortu rutilo, casurum in undas Hesperias] Sensus: Boetius, solitus scrutari et reddere causas naturales, quare stellæ oriantur in oriente, et in occidente occidant, juxtaque vulgi opinionem occiduo immergantur Oceano. Hujus autem rei causa est motus circularis primi cœli mobilis, omnes stellas tam erraticas quam fixas secum corripiens ab ortu in occasum, et rursus ab occasu in ortum.

In undas Hesperias] In Oceanum occidentalem. Ab Hespero enim hesperius occidentalis dicitur, et Hesperia ultima Hispania in fine occidentis, cum Hesperia simpliciter accipiatur pro Italia.

C *Quis temperet placidas horas veris*] Id est verni temporis.

Ut] Subintellige id.

Ornet roseis] Purpureis floribus terram.

Deus] Profecto id efficit solis ministerio, qui dum ad superiora conscenderit, ver temperat: Ubi autem ad summum cœli venerit, æstivos accendit calores: descendens rursus autumno, temperiem reddit. Ubi vero ad inferiorem redit circulum, ex glaciali compage cœli rigorem nobis hiberni frigoris derelinquit.

Pleno] Variis frugibus abundanti.

Gravidis] Vineo liquore distentis.

Rimari] Inquirere, scrutari.

Effeto] Debilitato, viribus destituto.

Lumine] Intellectu.

D *Pressus colla*] Habens collum depressum.

Gravibus catenis] Rerum terrenarum cupiditatibus.

Declivem] Pronum, humi inclinatum.

Pondere] Terrestri sollicitudine.

Stolidam] Stolidos facientem. Sic et satyrographus exclamat:

O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes.

IN PROSAM II.

Hac prosa Boetius refert quidnam Philosophia, lamentabili carmine finito, circa eum tentaverit, utque primum molli sermone languentem fuerit allocuta: deinde contracta in rugam veste, oculos ejus lacrymis undantes desiccarit.

Luminibus] Oculis.

Atqui] Sed, dictio est Boetio usitata.

Talia contuleramus arma] Valerius Maximus lib. III: Est et illa vehemens et constans animi militia, litteris pollens, venerabilium doctrinæ sacrorum antistes Philosophia, quæ ubi pectore recepta est hominum, inhonesto atque inutili affectu depulso, totum in solidæ virtutis munimento confirmat, potentiusque metu ac dolore facit. Antisthenes Cynicus dixit virtutem arma esse quæ tolli non possint.

Nisi prior abjecisses] Virtus enim et philosophia hominem non deserit: nisi prior ipse eam voluntario peccato abjiciat.

Pudore] Pudor est timor justæ reprehensionis. Stupor vero est quædam sensuum alienatio.

Lethargum] Lethargus, Græce λήθαργος, est marcor et inexpugnabilis pene somni necessitas, cum alienatione mentis, in quo a phrenitide, non loco, sed materia distat. Phrenitim sanguis, aut bilis flava conciliat, lethargum pituita humidior, et frigidior, qua cerebrum diluitur. Accidit in eo morbo rerum omnium oblivio.

IN METRUM III.

Carmen est *dicolon distrophon*, constans altero versu heroico, altero Alcmanio, dactylico, tetrametro, acatalecto: qui componitur quatuor dactylis, interdum tamen præterquam in quarta regione, spondeum admittit. Hoc autem Boetius ostendit se mox detersis ab ea suis oculis, philosophiam nutricem suam libenter agnovisse. Quod quidem rectissime dictum est. Nemo enim philosophiam ipsam id est sapientiam, qua intellectus veritatem contemplatur, nisi depulsa prius perturbationum caligine et purgatis animi oculis potest intueri.

Tunc] Ubi Philosophia veste sua oculos meos detersit.

Discussa] Disjecta, dissipata.

Nocte] Veri ignoratione, et pravarum affectionum caligine.

Tenebræ] Animi cæcitas et mentis obtenebratio.

Luminibus] Oculis animi.

Rediit] Redditus est, ac restitutus.

Vigor] Vis et facultas veri cognoscendi.

Ut cum præcipiti] Sane quam eleganti congruaque comparatione ostendit pristinam sibi intelligendi vim restitutam esse, quemadmodum obscurato nubibus aere, si flet aquilo, et propellantur, nubes aeris serenitas, solisque lumen continuo reducitur.

Ut] Velut.

Cum] Quando.

Præcipiti] Rapido.

Glomerantur] Involvuntur, obducuntur, et quasi conglobantur.

Coro] Vento occiduo adversus aquilonem flanti.

Polus] Cœlum.

Stetit] Stare videtur præteritum tempus pro præsenti positum.

Sol latet] Non apparet.

Nondum cœlo venientibus astris] Id est, ante legitimum noctis tempus.

Desuper] Superne.

Nox] Noctis obscuritas.

Hanc] Noctem.

Thraicio ex antro] Quia boreas Italis ex antris Thraciæ videtur emitti. Thracius autem, Thraicius, et Threicius in eodem significatu dicuntur. Lucanus:

Quantus piniferæ boreas cum Thracius Ossæ.

Boetius in hujus operis tertio:

Vates Thraicius gemens.

Horatius in primo carminum:

Quod si Threicio blandius Orpheo.

Reseret] Aperiat, patefaciat.

Diem] Lucem.

Emicat] Apparet.

Subito] Repentino.

Vibratus] Motus, agitatus.

Ferit] Percutit.

Mirantes oculos] Id est, oculos hominum mirantium repentinam serenitatem. Brevior sum circa hoc carmen enarrandum, quod visum sit non ab re fore, si Augustini Dathi epistola quædam (qua idem non minus erudite quam eleganter exponitur) hoc loco fuerit apposita, idque illius titulo, cum (qua sum ingenuitate) aliena mihi nolim arrogare:

Est igitur illius hæc epistola.

Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

Augustinus Dathus Bernardino salutem.

Cupis, Bernardine (ut ipse ais), eorum expositionem versuum, quos Severinus Boetius libro de Philosophiæ Consolatione modulatus est, non multo post operis initium, cum ait: Tunc me discussa liquerunt nocte tenebræ. Et reliquum deinceps poema: Laudo te atque ingenium tuum, et quod Severini legendis gaudeas, te, Bernardine, vehementer probo. Fuit enim e nostris, singulari vir doctrina, ac nullius disciplinæ rudis, Latinum eloquium non solum percalluit, sed etiam plurimum illustravit. Quod indicant cum alii libri ejus complures, tum vel is maxime, qui de Philosophiæ Consolatione inscribitur. Quo certe in loco summam ipsius philosophiæ vim et laudem patefacit, quando illa auctore, ignorantiæ tenebræ propelluntur, et veritatis splendor et claritas elucescit. Nam cum homo perturbationum cæcatus caligine magnis implicetur erroribus, philosophia ipsa accedente, quodammodo resipiscit, et ad humanæ naturæ revertitur dignitatem. Duplex namque est veræ sapientiæ gradus, ac primus quidem impedimenta tollit: secundus veritatis cognitionem inducit, qua nulla est homini suavior alimonia. Bene igitur qui antea in maximis ignorationis tenebris versaretur, philosophiæ (quæ sapientiæ studium profitetur) clarescente luce, illa dicit, quæ in proposito poemate continentur:

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebræ,
Luminibusque prior rediit vigor.

Primus sapientiæ gradus est, impedimenti remotio: hinc dicitur. Tunc discussa nocte, id est obscuritate sublata, liquerunt me tenebræ, quod est, ignorantiæ

cæcitas, ac mentis caligo. Secundus gradus infertur sapientiæ, cum additur :

Luminibusque prior rediit vigor,

Lumina sunt hoc loco, animi ac mentis acies. Vigor est veritatis cognitio, per quam viget animus, nec viget solum, sed etiam alitur, crescit, ac vehementissime roboratur. Siquidem nullus animo suavior cibus est, quam veritatis cognitio. Quod autem animi est, et id latens atque invisibile, visibili et pulcherrima similitudine declaratur :

Ut cum præcipiti glomerantur sidera coro.

Nam glomerantur astra per nubium coactionem, præcipue coro occiduo spirante, vento quem caurum appellat Gellius, solentque argestem nominare Græci, qui adversus aquilonem perflat, atque idem (ut nonnulli tradunt) iapix dicitur. Nam venti alii agunt, alii propellunt nubes :

Nimbosisque polus stetit imbribus,
Sol latet.

Polus pars cœli est, et pro cœlo usurpari solet, præsertim pro ea parte, quæ juxta arcticum vel antarcticum polum vertitur. Cœlum autem stare non dicitur, quod rapidissimo semper cietur motu : sed illum nequaquam sentiunt, nec percipiunt homines, nisi per astrorum cursum, quorum motus facile cernitur. Itaque latentibus sideribus, et interpositis nubibus, ac defluentibus in terram imbribus, cœlum stare videtur, sol latere, et ante etiam quam cœlo astra veniant, eripi dies, quem efficit solis præsentia, et nox desuper in terram fundi. Quale et illud apud Maronem est :

Eripiunt subito nubes cœlumque diemque.

Sol significat rationis lucem, atque intelligentiæ claritatem. Corus nimbosus ventus, adversantis fortunæ impetum ac sævissima tela. Nubes atram noctem obducens, graviorem animi perturbationem, atque ægritudinem, quæ obductis tenebris quibusdam, mentis ipsius lumen ac rationem obscurat.

Hanc si Thraicia boreas emissus ab arcto
Verberet.

Nam boreas (ita Græci appellant, quem Latini aquilonem dicunt) flans nubes solvit, et easdem verberando dispellit, atque ita clausum reserat diem. Alii legunt antro Thraicio, quod in antris et cavis ejus regionis speluncis venti creati, spirant exinde vehementiores, ac nubes pellunt. Alii ab arcto legunt potius. Arctus autem septentrionalis plaga est, ut illud in sexto Æneidos :

Gelidas enavit ad arctos.

Græci enim ἀνατολήν orientem, δύσιν occidentem, meridiem μεσημβρίαν, septentrionem ἄρκτον vocant. Igitur rejectis ac depulsis ab aquilone nubibus,

Emicat, et subito vibratus lumine Phœbus,
Mirantes oculos radiis ferit.

Phœbus, idem qui et Sol, quemadmodum Luna Phœbe. Sol autem fons luminis est, ut Cicero inquit, ac subito emicat, non solum cum aurora præeunte cunctas complevit lumine terras, sed et cum abscessu nubium repente diffunditur, et orbem universum sua luce complet. Vibratus, crispatus dicitur, et tam vibratus quam feriens oculos dicitur, a telo translatione sumpta; et fulgenti gladio cujus utrumque proprium est, tum vi-

A *brari, tum etiam ferire. Itaque non gladii solum, sed etiam oculorum acies dicta est. Nostra vero acies ab objecti solis luce circumfunditur, ut solem intuentes diutius, lumen oculorum amittant, et ab excellentiore luce penitus obruantur. Sed (ut redeat ad rem propositam sermo) tota auctoris in poemate circa duplicem sapientiæ gradum versatur intentio, ut primum impedimenta facessant, quæ sunt animi perturbationes, et fortunæ ferientis jacula : deinde perspicua succedat veritatis cognitio, quam philosophia et sapientiæ studium invehit : cum sit illa quidem rerum omnium et divinarum et humanarum cognitio, lux veritatis, atque idcirco dux vitæ, virtutum venatrix, vitiorum expultrix. Animus noster cœlo comparatur, quod nunc nubibus*
B *tenebrescit, nunc serena tempestate nitet. Et animus noster nunc perturbationibus confunditur, et magnis implicatur erroribus, nunc sincera et perspicua veri cognitione claret. Quibus contrariis ex rebus contraria quoque miseriæ et felicitatis oritur ratio. Quod si quæris quid sit luminibus priorem redire vigorem, id non absurdum sit interpretari secundum Platonis sententiam, qui animum divinum et æternum asserit, et rerum omnium cognitione perfectum, carcere vero corporis et carnis ergastulo confundi, atque immemorem fieri, sed studio et exercitatione pristinam recuperare notitiam. Aut (si id non probatur) hominem intelligit Severinus antea in philosophiæ versatum studiis, et idcirco luce veritatis illustratum, sed per animi perturbationem atque mœrorem oblitum prioris claritatis, rursum phi-*
C *losophiæ studia repetentem, pristinam quoque veri cognitionem recipere. Utrum sit probabilius, tuo relinquo judicio. At mea sententia utrumque non injuria probari possit, et præcipuam philosophantis utilitatem ostendit. Nos divinum fatemur animum, et id nobis cum Platone convenit. Sed divinum, hoc est a Deo creatum intelligimus atque infusum corpori, semper vero fuisse negamus, futurum semper non inficiamur. Postremo, ut brevius quæ dicta sunt omnia præstringamus, scito ergo quod dividitur hoc poema in duas partes. In prima declarat Boetius philosophiæ accedentis effectum, in secunda eumdem per similitudinem patefacit. Effectus advenientis philosophiæ duplex est, ignorantiæ tenebras depellere, et lucem inducere veritatis. De primo dicitur : Tunc philosophia interveniente, tenebræ scilicet igno-*
D *rantiæ liquerunt me, discussa nocte, obscuritate sublata. De secundo dicitur : Et prior vigor, id est certa et veri notitia, rediit, recuperatus est luminibus, quod est mentis oculis. Deinde additur similitudo. Animus noster cœlo comparatur. Cœlum nunc tenebrescit nubilo, nunc sereno nitet. Et animus noster nunc perturbationibus et erroribus implicatur atque confunditur, nunc veri cognitione nitescit.* Ut, *id est velut cum sidera conglobantur, præcipiti, rapido.* Coro, *vento ab occidente flante : et* Polus, *id est cœlum hac in parte stetit, stare visus est : cum astrorum cursus maxime ostendat cœli motum, ut latentibus astris stare cœlum videatur.* Nimbosis imbribus, *id est, impetuosioribus pluviis.* Sol latet, *absconditur, nondum cœlo venientibus astris, quod fieri solet post solis occasum.* Nox, *id est nocti,*

obscuritas desuper in terram funditur, emittitur, ante tempus nox terris incubat. AT, *sed econtrario, si boreas emissus ab arcto, a septentrionali plaga, vel Thracio antro, quod ex cavis antris venti proficiscantur.* VERBERET, *scilicet cœlum et nubes* : *et* RESERET, *aperiat, clausum, scilicet per nubium obscuritatem diem, diei claritatem,* PHOEBUS, *sol.* EMICAT *splendescit* : *et* VIBRATUS *crispatus* ; SUBITO, *repentino lumine, fulgore;* FERIT, *verberat;* MIRANTES, *aspectantes oculos;* RADIIS, *suæ luce claritatis. Sed hæc delibavisse satis sit hactenus. Tu vale, et studiis incumbe, et te hujuscemodi exercitationibus vehementer oblecta.*

IN PROSAM III.

Narrat nunc Boetius quemadmodum pristino sibi vigore restituto, agnitam Philosophiam sit allocutus, eaque benevolentissime responderit, docueritque olim ita comparatum esse, ut improbis odio sint virtutum ac sapientiæ studiosi; proinde magis gaudendum illi quam dolendum esse, si ob morum dissimilitudinem pessimo cuique displiceat, et sapientiæ vallo munitus incassum profanæ multitudinis armis impetantur.

Haud aliter] Non alio modo, quam serenitate reducta solis aspectus redditur.

Hausi] Inspexi.

Medicantis] Oculorum caligini remedium afferentis.

Diduxi] Aperui. Diducere enim dividere est, aut aperire. Deducere vero, deorsum ducere. Cave ne hic deduxi legas, nisi intelligas Boetium in editiore lectuli parte cubantem deduxisse (hoc est deorsum duxisse) oculos in Philosophiam ejusdem lectuli extrema in parte considentem.

Ab adolescentia] Ea namque ætas inchoandis philosophiæ studiis est idonea.

O omnium magistra virtutum] Cicero in quinto libro Tusculanarum Quæstionum : O vitæ philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum. quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum et vocum communione junxisti; tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplina fuisti. Ad te confugimus, a te opem petimus. Tibi nos ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Hactenus Cicero.

Super cardine] De cœlo.

An] Subaudi ideo in has exsilii nostri solitudines venisti.

Quoque] Etiam.

Rea agiteris] Accuseris. Reum agere, est accusare. Peragere vero reum, condemnare.

Illa] Philosophia.

Alumne] Boeti, quem alui.

Sarcinam] Onus.

Partirer] Partitam susciperem, aut ultro potius ejus partem subirem.

Quam mei nominis invidia sustulisti] Eo enim improbi Boetium et exosi sunt et criminati, quod philosophus esset et justitiæ cultor.

A

Scilicet] Q. d. Minime.

Censes] Nunquid censes? hæc enim per interrogationem sunt legenda.

Lacessitam] Provocatam, impetitam.

Nostri Platonis] Philosophorum principis, et quem tu quoque in isto opere potissimum imitaris. Plato Atheniensis philosophorum gentilium præstantissimus, Socratis discipulus, Aristotelis præceptor, cujus vitam memoriæ prodidit Diogenes Laertius, deinde Guarinus Veronensis, et Marsilius Ficinus. Plato et ipse in maximis periculis, eo quod philosophus esset, versatus est, super quo M. Tullius in oratione pro C. Rabirio. Virum, inquit, unum totius

B

Græciæ facile doctissimum Platonem, iniquitate Dionysii Siciliæ tyranni, cui se ille commiserat, in maximis periculis insidiisque esse versatum accepimus. Calisthenem doctum hominem, comitem Magni Alexandri, ab Alexandro necatum. Demetrium et ex republica Athenis, quam optime digesserat, et ex doctrina nobilem et clarum, qui Phalereus vocitatus est, in eodem loco, Ægyptio regno, aspide ad corpus admota, vita esse privatum. Hactenus Cicero.

Certamen certavimus] Elegans locutio, qualis illa Lucilii :

Pugnam pugnavimus magnam.

Eodem] Platone.

Superstite] Adhuc vivente.

C

Socrates] Hic Atheniensis philosophus clarissimus, filius Sophronisci marmorarii et Phanaretæ obstetricis, moralem philosophiam abunde tractavit. Hic cum aliquando Anytum Atheniensem virum locupletem et factiosum rideret ob ejus ineptias, Aristophanes comicus doctus quidem, sed homo parum probatus, accepta grandi pecunia ab Anyto, contra Socratem comœdiam scripsit, cujus inscriptio est Νεφέλαι, id est nubes seu nebulæ : qua quidem inter cæteras criminationes illud confinxit, ab eo nebulas coli, et Atheniensium religiones obtrectari, et præter hoc juvenum mentes sic imbui, ut parentibus manus inferre pie et officiose possent. Quæ res accusantibus Anyto, Lycone, et Melito (ut Plato in Apologia pro Socrate scribit (cum universum populum in

D

Socratem concitasset, furore quodam et ira, morte damnatus est, qui pateram cicutæ publicitus datam intrepide hausit, tantumque abfuit, ut ultionem quæreret, ut contenderit semper illum miseriorem esse qui faciat quam qui afficitur injuria. Populus autem Atheniensis mortem ejus mox ita doluit, ut accusatores illius vel morte vel exsilio plecteret, et ipsi Socrati statuam æream dedicaret. Græce scribitur Σωκράτης : hinc prima semper est producenda. Quare obiter studiosum lectorem admonemus, ut emendet versiculum in libro nostro Epistolarum moralium, sic impressum epistola decima :

Mortuus est Socrates, mortuus estque Plato.

Sic enim legendum scripsimus :

Mortuus Isocrates mortuus estque Plato.

Imitati enim sumus Catonem Majorem Ciceronis, ubi et Isocratis et Platonis meminit, quorum uterque longævus fuit. In eadem epistola perperam legitur :

Valida solvit in orbe manu,

pro sævit. Item in secunda epistola. Quamvis parum, pro quamque parum. Sed nunc non erat hic locus : quare hæc missa faciamus, ad institutum revertentes.

Promeruit victoriam injustæ mortis me astante] Nam philosophicis disputationibus approbata animorum immortalitate, intrepide venenum bibit, mortemque injustam vicit, et innocentia sua iniquam sui condemnationem in accusatores retorsit juste condemnatos.

Cujus hæreditatem cum deinceps Epicureum vulgus ac Stoicum, cæterique] Magna laus Socratis, qui veram philosophiæ possessionem habuisse dicitur, unde plerique discipulorum ejus tantum sibi particulas diripuerunt. Socrates enim primus omnium philosophorum de vita et moribus disputavit, sed mira quadam ironia, et singulis de rebus ita vehementer in utramque partem, ut singuli pene ejus discipuli (ut sunt diversi humanorum ingeniorum captus), non quod ille sentiret, sed quod sibi maxime consentaneum videretur, ex hujusmodi disputationibus sibi arriperent. Hinc exortæ sunt variæ diversæque philosophorum sectæ. Disputavit quandoque Socrates de corporis voluptate, sed in utramque partem disputavit. Hi igitur, quorum ingenium in eam fuit propensius, non quæ ille assereret, sed quæ sibi magis placerent, inde sumentes, suavem in sensibus motum, id est voluptatem, summum bonum esse dixerunt. Zeno autem Citticus. et qui ab eo sunt exorti Stoici, in sola virtute felicitatem posuerunt. Alii vero alia sensere, ut erudite Beroaldus explicat in eo quem de Felicitate conscripsit, libello

Epicureum vulgus] Epicurus Atheniensis philosophus, dialecticæ contemptor, corporis voluptatem dixit esse summum bonum. Hinc Epicurei ejus sectatores. Bene autem dixit Epicureum vulgus, quia plurimi sunt. Unde Lactantius in libro de falsa Sapientia, cap. 17 : Epicuri disciplina multo celebrior semper fuit quam cæterorum : non quia veri aliquid afferat, sed quia multos ad populare nomen voluptatis invitat. Nemo enim non in vitia pronus est.

Stoicum] Stoici nomen sortiti sunt a Porticu Atheniensi, in qua Zeno Cittieus, ab oppido Cypri Cittio dictus, disputavit. Στοά enim Græce, Latine dicitur porticus, fornix, testudo. Hinc στωϊκός, ο parvo in magnum mutato, Stoicus.

Pro sua parte] Secundum vires suas.

Quisquis] Figurate subaudiendum moliretur.

Ruptum ire] Incipere rapere.

Molirentur] Tentarent, niterentur.

Reclamantem] Recusantem, refragantem contraque eos clamantem.

Vestem] Philosophi eam disputationem solida veritate cohærentem, de qua supra in prima prosa.

Disciderunt] Hoc ideo quod in multas sectas philosophia divisa est.

Panniculis] Fructulis, particulis.

Nostri habitus] Id est vestis nostræ.

Vestigia] Signa.

Imprudentia] Stultitia quæ philosophiæ semper adversatur.

Nonnullos eorum] Puta Cyrenaicos, Epicureos, et id genus aliquos.

Profanæ] Indoctæ et philosophiæ sacris non initiatæ.

Errore] Falsa opinatione, quod voluptas sit summum bonum et quod divina providentia mundus non gubernetur.

Pervertit] Depravavit, et a veritate alienavit.

Quod si nec Anaxagoræ fugam] Exemplis convincit semper philosophos indoctæ multitudini fuisse invisos atque exosos.

Anaxagoræ] Hic Clazomenius genere, philosophus insignis fuit. Qui Athenis impietatis accusatus, quod solem candentem dixerit laminam, ac penitus ignitam, fuga judicio se subtraxit, ut quidam tradunt. Sunt tamen qui dicunt eum in judicium venisse, et misericordia judicum fuisse relaxatum. Lampsacum postea profectus, illic diem suum obiit, ubi rogantibus eum principibus civitatis nunquid fieri mandaret, jussisse ferunt, ut pueri quotannis quo mense defecisset ludere permitterentur, servarique hactenus eam consuetudinem. Auctor Laertius.

Zenonis] Zenones octo fuisse tradit Laertius : horum duo illustres philosophi, alter de quo dicimus Stoicæ disciplinæ auctor Zeno Cittieus; alter vero (de quo nunc dicendum) Eleates dialectices inventor, ut et supra diximus. Is cum Nearchum tyrannum sive Diomedontem, vel (ut alii tradunt) Phalarim dejicere ac profligare voluisset, comprehensus est. Quo tempore cum de consciis inquireretur, omnes illius amicos conjurationis esse conscios dixit. Deinde cum quidpiam se in aurem tyranni clam loqui velle significasset, eam mordicus correptam non ante dimisit, quam rapta aure populatum caput reliquisset. Valerius Maximus : patientiæ exempla duobus Zenonibus assignat. Laertius et alii, uni Zenoni Eleatæ. Cicero in secundo Tusculanarum Quæstionum : Zeno proponatur Eleates, qui perpessus est omnia potius quam conscios delendæ tyrannidis indicaret. Idem in tertio de Natura deorum : Anarchum Democriteum a Cyprio tyranno excarnificatum accepimus, Zenonem Eleæ in tormentis necatum. Tertullianus in Apologetico : Zeno Eleates consultus a Dionysio, quidnam philosophia præstaret, cum respondisset : contemptum mortis, impassibilibus flagellis tyranni objectus, sententiam suam ad mortem usque servavit. Apud Suidam sic est : Zeno Teleutagoræ filius, Eleates, assectator et æqualis Pythagoræ Democritique (nam floruit olympiade 78) Zenophanis auditor fuit. Is cum tentasset a tyrannide Nearchi, vel (ut alii) Diomedontis Eleam patriam liberare, comprehensus, et indicare conscios jussus, linguam suam mordicus amputavit atque in tyranni

faciem exspuit. Demum conjectus in mortarium, crebris ictibus contusus, expiravit.

Peregrina] Externa.

At] Sed, vel saltem. Est autem hæc particula hoc loco ter legenda, pro qua indocti legunt *aut*. Sic enim repetita, plus ponderis adjicit orationi.

Canios] Plurali numero propria nomina expressa, majorem in oratione vim habent. Quippe non ii tantum significantur quorum illa nomina sunt, sed etiam alii qui similes illorum fuere. Canius Gaditanus poeta fuit, facundiæ lenis et jucundæ, de quo Martialis libro primo Epigrammatum :

Gaudent jocose Canio suo Gades.

Hunc tradunt quidam reprehensum a Livio Patavino, gravi et nobili historiographo, quod multarum gauderet amoribus, his verbis : Nostram philosophiam participare non poteris, dum a tot participaris. Non enim eo jecore Latonam amat Tityus, quod multi vultures multum divellunt. Cui Canius : Si quando labor, resurgo cautius ; si paululum opprimor, alacrius resumo aerem. Vices noctium dies reddunt leniores. Sed tenebrarum perpetuitas, instar inferni est. Sic lilia primæva, verni solis delicata temporibus varietate tum euri, tum noti, tum zephyri lætitia effusiore lasciniunt, quibus uno spiritu fulminans Lybs incumbens, occasum facit. Sic Mars ruptis tendiculis in mensa cœlesti recumbit conviva superum, a qua uxorius Mulciber suo fure longe religatur. Sic levius ligant multa fila, quam sola catena. Sic mihi sit, aphilosophia tibi solatium. Hunc igitur in modum jocose ferunt Canium Livio respondisse. Verum nunc quod ad rem institutam pertinet, referamus. Canius eo quod ab improborum moribus dissentiret, a Caio Cæsare Germanici filio, conscius contra se factæ conjurationis dictus est. Cui sic respondit : Si ego scissem, tu nescisses. Nihilo tamen secius ab illo crudeliter est necatus. De hoc eodem in proxima prosa.

At Senecas] M. Anneus Seneca Cordubensis, Romam venit declamator egregius, quamvis opera ejus ad posteros non pervenerint. Hic statim eques factus, honores meruit, habuitque liberos, quos in Hispania susceperat ex Elbia uxore, L. Anneum Senecam, Junium Anneum Gallionem, et Anneum Meleam : Seneca philosophus simul et declamator, et poeta insignis evasit. Sub Nerone mortuus est. solutis venis. De hoc plura dicentur infra. An autem hic idem fuerit qui tragœdias quæ exstant, scripsit, necne, inter doctissimos nondum convenit : tametsi quid super hoc Sidonius Apollinaris scriptum reliquerit, non ignorem.

At Soranos] Valerius Soranus poeta summopere famigeratus fuit. Qui primus de Deo maximo vera commentatus est, atque ob id creditur ab impiorum manibus in crucem sublatus.

Pervetusta] Nimis antiqua.

Incelebris] Infrequens, non celebris.

In cladem] In perniciem.

In hoc vitæ salo] Id est mari. Sane quam elegans metaphora. Quid enim aliud hoc sæculum quam mare procellosum? Divus Ambrosius in epistola ad Constantium : Suscepisti munus sacerdotii, et in puppe Ecclesiæ sedens, navim adversus fluctus gubernas. Tene clavum fidei, ut te graves hujus sæculi turbare non possint procellæ. Mare quidem magnum et spatiosum, sed noli vereri : quia ipse super maria fundavit eam, et super flumina præparavit eam. Itaque non immerito inter tot mundi freta Ecclesia Domini tanquam supra apostolicam ædificatam petram immobilis manet, et inconcusso adversum impetus sævientis sali perseverat fundamine. Alluitur undis, non quatitur. Salum dicitur mare a sapore salis. Virgil. :

Perque undas superante salo.

Quorum] Pessimorum.

Numerosus] Frequens.

Temere] Inconsulte, sine consilio, absque prudentia.

Passim] Modo huc, modo illuc, nullo certe fine proposito.

Lymphante] Furore vexante.

Lympho] Furore vexo, Vale. Sta. Flaccus :

Lymphaverat urbem.

It lymphante Deo.

Unde lymphati sive lymphatici dicuntur furiosi, vesani, bacchabundi, qui vitium ex aqua contraxerunt, quod est huc atque illuc discurrere.

Qui] Exercitus pessimorum.

Aciem] Ordinem et instructionem militarem ad jam dimicandum.

Struens] Instruens.

Nostra dux] Recta ratio : ea enim dux est philosophorum.

Copias suas] Exercitum suum ex virtutibus scientiisque compositum.

In arcem] In animi intellectum, quem Platonici in cerebro tanquam in arce constituunt. Pulchre autem perstat in metaphora.

Contrahit] Colligit, congregat.

Illi] Pessimi philosophorum hostes.

Inutiles sarcinulas] Bona externa et corporis.

At] Sed.

Desuper] Ex arce contemplationis.

Vilissima quæque rerum] Corporis et fortunæ bona, quæ præ bonis animi sordidissima sunt.

Securi] Nullam curam habentes, contemptores. Securus, tranquillus, qui sine cura est, quasi seorsum a cura. Interdum contemptor. Maro :

Securus amorum

Germanæ.

Vallo] Munimento virtutum.

Quo] Ad quod vallum.

Grassanti] Gradiendo sævienti.

Aspirare] Juxta accedere, adire.

Fas non sit] Id est non liceat. Valerius Maximus. Bonæ mentis usurpatio, nullum tristioris fortunæ recipit incursum.

IN METRUM IV.

Cum vigesimum ætatis annum agens, in frequenti eademque ornatissima Saxonum urbe (cui Monaste-

rio nomen est,) bonas artes audaci (ut inquit Horatius, paupertate impulsus, non infeliciter profiteri cœpissem beneficio Joannis Grovii, Monasteriensis, viri sane quam litterati, et omnibus liberalibus apprime disciplinis eruditi, plurimorumque doctoris laudatissimi, ac vel longiore vita, vel minus miserabili mortis genere digni, pervenerunt in manus meas aliquot paginæ Rodophi Agricolæ Frisii, viri tum doctissimi, tum eloquentissimi, in subsequentem primi hujus libri partem (ultimo carmine excepto) enarrationes autographas continentes, quas ille quodam Groningæ scripserat rogatu Lamberti Groningensis, medicinæ doctoris, singulari et doctrina præditi et experientia, cum (ut ex eo fando familiariter accepi) in patria sua librorum de Philosophiæ Consolatione explanationem auspicatus, ad hoc carmen pervenisset. Quisquis composito serenus ævo. Quo factum est, ut hinc eruditissimus Agricola sumpserit initium, reliqua tractaturus opportuniori tempore si per alias occupationes, et immaturam mortem licuisset. Scripsit aliquanto plura in Boetium, quam ad me pervenerunt, quæ receperat mihi Lambertus idem, cujus modo memini, se commodaturum, ut ea quoque mihi studiosisque exscriberem : commodassetque sane quam libens, nisi repentina ejus transmigratio quominus id fieret, obstitisset. Cum autem hæc quæ transcripta sunt, talia mihi videantur, ut studiosorum Boetii lectione sint dignissima, non possum ea non hoc loco subjicere, ne quid gloriæ mihi credulus lector ex alieno tribuat labore, neve candidissimæ margaritæ diutius in mea dactylotheca sine honore dilitescant. Addam autem quibusdam locis mea qualiacunque eaque paucis perstricta, ne fortasse prolixitas tædium pariat, nauseamque lectori delicato.

Quisquis composito] Metrum est hendecasyllabum, id est undecim syllabarum. Phaleucium, dictum a Phaleuco auctore ejus, pentametrum, constans spondeo, dactylo, tribus trochæis. Sententia ejus dependet ex eo quod prædixit sub persona Philosophiæ sapientem eo virtutum munimento tutum et defensum esse, quod nulla stultorum aut improborum hominum vis et injuria possit perrumpere. Subdit ergo : Quisquis animum suum recte composuit, et casus rerum humanarum contempsit, illum nihil potest deinde perturbare animo, aut mentem ejus commovere : non pericula maris, non terrarum motus aut incendia, non aeris turbines aut perturbationes, nec etiam sævitia aut violentia humana, sed omnia negligit, et pro nihilo ducit. Contra vero, qui non est composito et firmo animo, sed timet aliquid vel optat, ille, quia non est sui juris, sed ex metu alieni mali, vel spe alieni boni pendet, abjecit clypeum, id est munimentum virtutis suæ, et depulsus a loco suo in quo stabat, et quem defendere debebat, nectit catenam, qua valeat trahi, id est, via præbet qua possit sibi noceri : secundum sententiam enim Stoicorum, nemo læditur nisi a seipso. Alii enim res nostras, hoc est divitias vel honores, vel famam, vel reliqua A hujus generis, lædere possunt; nos vero, hoc est mentem nostram, quem est præstantissima pars nostri, lædere non possunt. AGRICOLA.

Quisquis] Id est quicunque; hujusmodi enim dictiones geminatæ hoc ipsum significant. quod cum hac particula cunque conjunctæ. Ut Terentius in Eunuch. Tu quantus quantus es, id est quantuscunque es : et in eadem comœdia. Ubi ubi est, id est ubicunque est. AGRICOLA.

Composito] Componere aliquando ordinare, vel recte instituere significat, ut hoc loco : et Virgilius in primo Æneidos :

Et tandem placida compostus pace quiescit.

Aliquando significat pacare. Virgilius in Bucol.

Non nostrum inter vos tantas componere lites.

B Aliquando comparare. Idem in Bucol. :

Sic parvis componere magna solebam.

Aliquando conjungere. Persius :

Compositum jus fasque animi.

Sic dicimus componere librum, et componere ignem. AGRICOLA.

Serenus] A serendo dictum est, quasi tempus accommodatum sationi. Nam de tempore proprie dicitur serenum, sicut amœnum quod aptum amari, et egenum ab egendo, et plenum a plere inusitato verbo dicitur. AGRICOLA.

Ævum] A Græco αἰὼν dicitur, quod Latine sæculum significat : id alii tempus quinquaginta, alii centum annorum esse volunt. Capitur hic per synecdochen pro vita, quam hic peragimus. AGRICOLA.

C *Fatum*] Dictum est quia Deus id fatus est, id est dixit, hoc est jussit ut fieret. AGRICOLA.

Sub pedibus dedit] Legendum est non egit, sicut plurimi libri habent. Neque enim aliter stabit versus, cujus tertium pedem trochæum esse oportet : qui si egit, et non dedit dicatur, iambus fiet. Fuit autem dicendum Boetio, sub pedes dedit, et non pedibus, ex natura præpositionis subjunctæ cum verbo quod motum ad locum significat. Legendum ergo est figurate, ut sit una dictio sub et dedit, et per tmesim figuram quæ sectio Latine intelligitur, interpositum sit pedibus, ut sit sub pedibus dedit, id est subdidit pedibus. AGRICOLA.

Fortunam] Fortuna a fors dicitur, quem a ferendo D dicta est : quia res humanas ferat, hoc est agitet et regat. Dicimus autem singulariter fortunam vel deam (ut vetustas putavit) vel casum, per quem res hominum volvuntur instabiles et incertæ, pluraliter vero pro nobis fortunæ et præcipue pro divinis dicimus fortunas. AGRICOLA.

Vultum] Vultus a facie differt, quia facies est habitudo naturalis insita cuique. Vultus ex gaudio sive tristitia mutatur, sicut voluntas. Nam a volendi verbo vultus descendit. Facies a faciendo dicta est, quia res sic sit facta : dicimusque non solum hominis, sed et pecudis et loci faciem, hoc est formam vel figuram. Vultus solius est hominis. AGRICOLA.

Pontus] Apud poetas plerumque pro mari accipitur per synecdochen, estque pars maris quædam

ultra Constantinopolim posita, quam hodie naturæ vocant mare Leonis, a qua vicinœ gentes Ponticæ vocantur. Græcum nomen est pontus, dictum quasi laboriosus, quia semper tempestatibus agitatur : nam πόνος Græce laborem significat. AGRICOLA.

Æstum.] Æstus, a quo æstas dicta est, fervorem significat, unde et motus ille maris qui fit per fluxum et refluxum, æstus ab auctoribus Latinis dicitur, quia mare æstuare et tanquam ebullire videtur. Itaque Plinius æstuarium dixit locum in quem se æstus maris effunderet. Ego etiam crediderim (quam hodie barbare stufam vocamus, secundum sonum Germanicæ linguæ) ejus nomen ab æstuario corruptum et depravatum esse, eam Plinius caldariam vocavit. Nam ubi lavamur, balneum proprie dicitur. AGRICOLA.

Caminus] A καίομαι Græce, quod est ardeo, dicitur; eum Latine Martialis fumarium vocavit : hoc loco per metaphoram accipitur pro antro vel caverna, per quam Vesevus flammas emittit. Vesevus mons est in Campania, non longe a Neapoli semper ardens, qui nonnunquam tantis ardoribus agitatur et æstuat, ut omnia vicina terræ motibus maximis concutiantur, agri tegantur cineribus. Est et alius immensæ altitudinis in Alpibus, qui Vesulus, non Vesevus (ut nonnulli indocti dicunt) vocatur. AGRICOLA.

Celsas] A cello inusitato verbo dicitur, unde percello, excello, antecello dicuntur. AGRICOLA.

Turris] Quasi terris, quia hostes terreat, dicta est. AGRICOLA.

Fulmen] Sicut fulgur a fulgendo dictum est. AGRICOLA.

Tyrannos] Græce principem significat. Inde Virgil. dixit in VII Æneid.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni

Quia vero Græci semper cupierunt esse liberi et sine regibus, idcirco tyranni nomen apud eos, et hinc apud omnes inter detestanda est habitum. AGRICOLA.

Exarmaveris] Pro exarmabis, ut fere vult Priscianus accipi in hujusmodi locis conjunctivum pro indicativo, quanquam tamen forte rectius interpretabimur per *poteris exarmare* vel, *est ut exarmes*. AGRICOLA.

Impotens] Impotens dicitur plerumque in malam partem, ut non sit idem quod debilis vel imbecillis, sed qui non potens sui, ut sunt plerumque homines in magna fortuna positi. Ita dicit Plinius in epistolis : Scio quam sit amor impotens semper. Sic etiam dicimus impatientem amoris, impatientem iræ, non quia non patiatur, sed quia non commode patiatur. AGRICOLA.

Abjecit clypeum locoque motus] Periphrasis, id est circumlocutio est desertoris, qui locum in acie sibi a duce assignatum relinquit. Non enim licebat instituto militiæ veteris moveri loco, nisi feriendi hostis causa, vel servandi civis, vel resumendi teli. Quod dicit autem, *abjecit clypeum*, allusit ad Græcum nomen desertoris, quod est ῥίψασπις, id est projector clypei. AGRICOLA.

Metrum quod Agricola et alii non pauci Phaleucium vocant, plerique per œ diphthongon potius Palæcium dicunt : nonnulli Phalecinum, alii Phalenticum : sed cavendum omnino, ne more indoctorum per *n* falencium vocetur.

Serenus] Nubibus perturbationum vacuus; quemadmodum contra in ultimo hujus carmine nubila mens dicitur, pravis affectionibus obducta. Ovid. :

Carmina proveniunt animo deducta sereno.

Marsilius Ficinus in lib. Plotini de Beatitudine, capite 12 : Serenus autem semper est probus, statusque ejus quietus, affectioque sufficiens, quam nullum omnino eorum, qui mala dicuntur, si modo probus ille sit, perturbat.

Factum] Quid sit infra in IV lib. dicitur. Hic autem per fatum accipe, ex fato venientia. Videtur autem imitatus, illud Virgil. in II Georg. :

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes, et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Et illud Senecæ tragici in Hercule Œheo :

Quisquis sub pedibus fata rapacia,
Et puppem posuit luminis ultimi,
Non captiva dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum.

Item ejusdem versus elegantissimos, qui sunt in ea tragœdia, cui titulus Thyestes :

Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis favor
Vulgi præcipitis movet,
Non quidquid fodit occidens,
Aut unda Tagus aurea
Claro devehit alveo,
Non quidquid Libycis terit
Fervens area messibus
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis,
Non eurus rapiens mare,
Aut sævo rapidus freto
Ventosi tumor Adriæ.
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit chalybs,
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia,
Occurritque suo libens
Fato, nec queritur mori.

Egit] Optime placet, quod Agricola sentit, dedit restituendum, ut versus constet.

Fortunam utramqae] Et prosperam et adversam.

Tuens] Intuens.

Rectus] Inflexus. Cleobulus : Dum secunda fortuna arridet, superbire noli : adversa perstrepente, noli frangi. Fortunæ mutationes fortiter disce. Periander : Inter secundas res esto moderatus, inter adversas prudens.

Invictum] Constantem, fortunæ mutationibus non succumbentem.

Non illum rabies, etc.] Sic Horatius in III lib. Carm.:

Justum et tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus,

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Excitantis] Sic legendum, ut rectissime sentit Rodolphus Langius, non exagitantis, ut vulgo contra metri rationem legitur in exemplaribus depravatis.

Vesevus] Hic prope Neapolim mons est in Campania, qui mutato priori nomine Summa dicitur. Is aliquando conflagravit, ut Plinius in epistolis refert, Suetonius et Eusebius, imperante Tito tantum ex se incendii emisit, ut vicinas regiones, et cum hominibus urbes exureret. Divus Hieronymus in quadam epistola: Non etenim ignes, non Vulcania tellus, non Vesevus et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ et dapibus inflammatæ. Dicitur et Vesuvius. Hinc Vesuvinus. Papinius:

Non adeo Vesuvinus apex, et flammea diri
Montis hiems trepidas exhausit civibus urbes.

Celsas terras] Horatius:

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, et celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulgura montes.

Feros tyrannos] Sic legendum est, non sævos, ut Rodolphus Langius duodecim abhinc annos a me consultus, se in exemplari quodam legisse respondit.

Abjecit clypeum] Auctore Philostrato libro secundo, Apollonius ad Damidem comitem suum sic locutus est: Quod si tuis rationibus persuasus hujusmodi pecunias acciperem, nonne me avarum et Philosophiæ contemptorem diceres ac etiam deteriorem quam milites, qui in pugna clypeum abjiciunt? Abjicienti enim clypeum dari rursum potest alius nihilo priore deterior (ut inquit Archilochus) philosophia vero quo pacto recuperari potest ab eo qui semel illam contempserit aut abjecerit? Horatius in epistolis:

Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat et obruitur re.

Est autem translatio a re militari. Nam militi cum primis ignominiosum erat, sit aut locum in acie deseruisset aut viventi sibi arma ab hoste forent erepta.

IN PROSAM IV.

Sentisne, inquit] Hoc loco Boetius, ut ordine quodam ad consolationem malorum suorum perveniat, exponit et deplorat casum suum, ostendique quam injustam hanc et gravem adversitatem fortunæ patiatur, ut qui iniquissime condemnatus sit: quod quidem sic factum esse omni ex parte colligitur: primum ex persona sua, deinde ex persona accusatorum, postea ex criminibus, quæ falso aut injuste objiciebantur: tum ex persona judicum et senatus, præterea ex modo judicii: jam etiam ex falso crimine aut magiæ, aut deorum culturæ conficto; tum demum velut per modum epilogi, ostendit non modo graviter hæc de eo conficta esse, sed etiam ab imperitis credi, et pro veris haberi, et omnibus deinde bonis ex suo casu simile periculum imminere, partes omnes suis loci dicentur. Primo igitur Philosophia, ut evocet querelam Boetii, et eliciat ex eo causam doloris, ex more dialogorum interrogat eum an intelligat ea quæ dixit ipsa superius, hortatur quoque ut plane dicat quid doleat. Hinc Boetius, sumpto initio, dicit nihil opus esse verbis, cum ipsa facile possit ex aspectu loci, hoc est carceris in quo erat, causam doloris sui perspicere: quod eo indignius accidat sibi, cum ad rempublicam administrandam velut jussu Philosophiæ accesserit, et omnia pro æquo et bono in ea conatus sit, nec cujusquam odium timuerit: itaque Conigasto et Terguillæ, et reliquis barbaris semper obstitisse se, ne ubique pro libidine sua imbecilliores opprimerent. Campaniam itidem dicit, ut defenderit ab exitio, cum famis tempore præfectus prætorii omne frumentum coemere voluisset. Sic etiam ut defenderit Paulinum et Albinum viros consulares ab injuria accusatorum, quibus rebus propter amorem justitiæ odium improborum in se concitaverit. Agricola.

Sentis] Sentire proprie dicitur aliquo quinque sensuum percipere: transfertur autem plerumque ad omnem cognitionis perceptionem. Sic Juvenalis, inquit, qualem nequeo monstrare, et sentio tantum, id est intelligo tantum. Quandoque accipitur, ut sit judicare. Persius:

De Jove quid sentis?

Id est judicas. Juvenalis:

Quid sentire putas omnes Calvine recenti
De scelere?

Agricola.

Illabuntur] Ornate dixit, duplex enim translatio. Nam et verba illabi, et illabi animo utrumque per translationem dicitur: nam corporeæ rei proprium est labi. Agricola.

Ἄρα εἶ ὄνος πρὸς λύραν] Græcum proverbium est, quod apud eos vulgo dicitur eis quorum rudes animi parum apti sunt ad ea quæ dicuntur percipienda: significat autem, An es asinus ad lyram? Agricola.

Quid fles] Sic, quid tristis es? quid rides? dicitur per eclipsim, id est prætermissionem vel defectum præpositionis propter, ut sit, propter quid fles? Agricola.

Lacrymis manas] Similiter Hieronymus noster dixit ad Titum Livium lacteo eloquentiæ flumine manantem. Aliter Horatius in epistolis de vino dicit:

Quod cum spe divite manet
In venas, animumque meum.

Sic et in eodem:

Licet illi plurima manet
Lacryma.

Aliter in eodem.

Fidis enim manare poetica mella
Te solum.

Ita videntur posse dicere: mano lacrymis, manant mihi lacrymæ, et mano lacrymas. Agricola.

Ἐξομολόγησαι τε σὲ λυπεῖ] Id est confitere quid te contristet. Agricola.

Operam] Inter opus et operam quid intersit, commodissime videtur Terentius in Heautontimorumeno explicare:

Si quod operæ consumis in opere faciundo :
ut sit opera labor, opus vero fructus et finis operæ, id est laboris. Horatius in primo Epistolarum :

Odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente minister.

Virgilius in primo Æneidos :

Pendent opera interrupta.

AGRICOLA.

Exspectas] Exspectare quandoque desiderare significat. Cicero ad Curionem : Quam exspectationem tui concitasti, eam sustinere ut possis. Quandoque attendere. Ovidius in III Metamorph.

Ultima semper
Exspectanda dies homini.

AGRICOLA.

Vulnus] Id est, quod vi fit, et recens est. Virgilius in duodecimo :

Nec sese Æneæ jactavit vulnere quisquam.

Hulcus quod vetustate computruit, abitque vulnus vetustate in hulcus, quod recte Seneca in consolatione ad Martiam significavit. Nam vulnerum quoque sanitas facilis est, dum a sanguine recentia sunt. Subdit : Ubi corrupta in malum hulcus verterunt, difficilius curantur : id enim quod nos vulgo hulcus dicimus, quod Græci apostema vocant, Latine furunculus vocatur. Plinius in Epistolis videtur clavum dixisse. Erit, inquit, ei natus clavus insanabilis : sique Gallice nunc etiam vocatur. AGRICOLA.

Vires] Vis in singulari et robur significat. Sallustius in Catilina : Magna vi animi et corporis : significat et violentiam. Martialis in IV :

Non de vi, neque cæde, nec veneno lis est mihi.

In plurali robur tantum significat. Cornelius Tacitus autem in genitivo protulit in lib. de Causis corruptæ eloquentiæ, magnæ vis, qua ratione videretur per omnes casus singularis numeri posse declinari. AGRICOLA.

Eminet] Hic posuit pro apparet, quanquam eminere significat proprie supra alia exstare, ab *e* et *maneo*. Virgilius in primo Æneid. :

Gradiensque deas supereminet omnes.

AGRICOLA.

Sævientis] Sævire quandoque significat crudelem esse. Juvenalis :

In chorum atque curum solitus sævire flagellis.

Quandoque non pati rectorem. Livius in XXI : Si quando belluæ sævirent. AGRICOLA.

Asperitas] Asperum, quod absque spe, sicut prosperum quod pro spe, id est secundum spem evenit, dicitur utrumque a sperando. AGRICOLA.

Hæccine] Veteres, ut ait Servius in Donatum, hicce, hæcce, hocce dicebant, inde mutato *e* in *i* hiccine pro hicne dicitur. AGRICOLA.

Blibliotheca] Repositorium librorum : βίβλιον enim Græce librum significat, et θήκη reconditorium : quare libri utriusque Testamenti non *Biblia*, *Bibliæ*, dici deberent, quod nomen nec Græcum nec Latinum est, sed *Biblia*, *orum*, ab eo quod biblion diximus. AGRICOLA.

Sedem] proprie locum dicimus in quo quis residet. A Salustius in Catilina. Qui Ænea duce profugi sedibus incertis vagabantur. Virgilius in primo Æneid. :

Sedes ubi fata quietas
Ostendunt.

Id vero instrumentum, cui insidemus, sella rectius dicitur. Virgil. in IV :

Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

AGRICOLA.

Laribus] Lar dicitur Deus domesticus, qui et penates dicuntur : quia penui præsunt, vel quia penitus, hoc est intra domum coluutur. Virg. in IV Æneid. :

Et sparsos fraterna cæde penates.

Plautus in Aulularia :

Ego sum lar familiaris ex hac familia.

Juvenalis :

B Laribus cristam promittere Galli
Non audent

Accipitur et per synecdochen hic pro domo. Horatius in I Epistolarum :

Gaudentem pravisque sodalibus et lare certo.

AGRICOLA.

Habitus] Non proprie vestis, sicut vulgo dicitur, sed tota velut forma hominis, in quam se composuit. Plinius in Epistolis : Compositus in habitum studentis. Unde Terent. in Eunucho dixit, Si qua paulo habitior, pugilem dicunt, id est paulo corpulentior. Cicero in primo Tusculanar. : Quod si tanta vis est ad habitum mentis in his, quæ gignuntur in corpore. AGRICOLA.

Rimarer] Id est, tanquam per rimas diligenter scrutarer. AGRICOLA. C

Sidus] Nonnulli per *y* Græcam scribi volunt ; ego Latinum a sidendo dictum credo, quia firmiter insidat cælo. Differuntque stella et sidus : stella enim quasi stilla dicta est, unum singulare lumen cœleste. Virg. in I Georg. :

Frigida quo sese Saturni stella receptet.

At sidus quandoque pro stella capitur. Lucanus in I :

Venerisque salubre
Sidus hebet.

Quandoque pro signo cœlesti, quod ex multis stellis constat, ut sidus Arietis, Tauri, et cæterorum. Virg. in Bucol. :

Æthiopum versemus oves sub sidere Cancri.

Astrum autem Græcum est, quod sidus significat, sicut et ἀστήρ, quod stellam. AGRICOLA.

D *Radium*] Puto pro eo quod circinum dicimus, poni a similitudine, a qua radios etiam diximus rotarum. Virgilius in Bucol. :

Descripsit radio totum qui gentibus orbem.

Cicero : Excitabo tibi senem a pulvere et radio. AGRICOLA.

Exemplar] Ab eximo dictum est, quia ab eo aliquid eximatur, estque exemplar res ad cujus similitudinem aliquid fit. Exemplum vero hæc ipsa similitudo, quæ exprimitur. AGRICOLA.

Beatas fore, etc.] Hæc sententia Platonis ab omnibus decantata in eo libro qui Alcibiades prior inscribitur, colligitur. Fore, confore, affore, futuræ semper sunt significationis. Horatius in primo Sermonum.

Neque se fore posthac
Tam facilem dicat.

Forem autem sicut essem, ejusdem significationis. AGRICOLA.

Publicas] Id est, populicas, quæ populi sunt dicimus. AGRICOLA.

Studere] Favere significat, quandoque jungitur dativo. Horatius in primo Epistolarum :

Ne studio nostri pecces.

Id est favore : quandoque conari. Terent. in Eunuch. :

Dum studeo tibi sororem reddere.

Et jungitur accusativo. quandoque discere significat. Cicero in quinto de Finibus bonorum et malorum vel illud ipsum quod studet, facere possit ornatius, sicque promiscue accusativo, et dativo jungitur. AGRICOLA.

Autoritate] Autoritas proprie dicitur honestior aut dignior de homine aliquo opinio, per quam facile quid suadere aut dissuadere potest: sicut autoris dicitur, cujus imperio aliquid fit, cujus nominis multiplex origo apud diversos recensetur. Alii ab augeo scribendum per *c*, quod nominis proprietati parum convenit, Alii ab αὐτὸν Græco deducunt, quod ipsum significat ; sed et hoc longius quæsitum videtur. Alii aliunde. Mihi sine *c* scribendum videtur, et sicut a faveo fautum, sic ab aveo autum, quod est extra usum : et inde autor descendere videtur, quoniam is sit qui rem factam aveat, hoc est cupiat. AGRICOLA.

Magistratum] Magistratus et magisterium differunt, magistratus potestas dicitur, magisterium, artificium. Conscius et conscientia, apud veteres plerumque in malam partem dicuntur. Juvenalis :

Quis nunc diligitur nisi conscius?

Horatius in primo Epistolarum :

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Sallustius in Jugurtha : Ne quis modestiam in conscientiam deduceret. Contra Virgilius dixit : Conscia virtus : et Quintil. in matris infamia : O bonæ conscientiæ incauta simplicitas. AGRICOLA.

Imbecillis] Quasi sine baculo, id est sine adminiculo aut robore. AGRICOLA.

Calumniis] Dicit Priscianus a veteri verbo *calvo*, quod est decipio, calumniam dictam esse quod modo significat falsam accusationem, modo vexationem alicujus in litibus per fraudem et frustrationem. AGRICOLA.

Barbarorum] Omne humanum genus a Græcis in barbaros et Græcos dividi solebat : post hoc Itali quoque humanitate et eruditione a barbaris exempti. Christiani scriptores plerumque nunc pro gentilibus accipiunt barbaros. AGRICOLA.

Vectigalibus] Vectigal tributum dicitur, quod penditur de rebus quæ vehuntur : consuetudo tenuit ut pro omni tributo, deinde pro omni censu accipiatur. Unde vectigalis ager, ex quo redditus capiuntur, vocatur. AGRICOLA.

Campaniam] A Capua urbe fit, dicitur civis Campanus. Unde et Campania, quidquid sub ditione Capuæ olim fuit. Provincia dicitur pars aliqua terrarum quæ subjugata a Romanis, remotis vel principibus vel ma-

A gistratibus suis, sub magistratibus et legibus Romanis tenebatur. Unde Suetonius in Vita Tiberii : Cujus et regnum in formam provinciæ redegit. Dicta est provincia quasi porro, id est prorsus victa. AGRICOLA.

Prætorii] Prætorium in castris dicitur locus ubi tendebat imperator, et inde in urbibus, ubi prætor vel summus magistratus habitabat publice. Præfectus autem prætorii, qui loco imperatoris in prætorio versabatur, et militibus præerat. Consularem eum dicimus, qui fuit consul. Consules enim duo semper in singulos annos creabantur Romæ, qui præerant senatui, hoc est concilio publico, cujus qui particeps erat, senator vocabatur. AGRICOLA.

Palatinos canes] Avidos ministros palatii vocat.
B AGRICOLA.

Ambitione] Hic posuit in propria significatione, quam etymologia nominis reddit, non quomodo more communi Latine loquentium capitur. Ambitio enim cupido honoris est : quia qui petebant honores et magistratus, ambibant et circuibant cives, orantes ut sibi faverent: unde ambitus significat id quod hodie vulgus simoniam vocat. Hic autem dixit, quoniam ambibant judices et sententias emebant. AGRICOLA.

Aulicos] Proprie dicimus eos qui in aulis principum vivunt, quos hodie barbare curiales vocant, Virgil. in II Georg. :

Penetrant aulas et limina regum.

Nam curia a cura dicitur locus, ubi publicum concilium
C habetur. AGRICOLA.

Esne ὄνος πρὸς λύραν] Sic legere est in exemplari quod Joannes Cæsarius homo doctissimus mihi commodavit : quod interpretatur, Asinus es ad lyram. In ejusdem magine hæc habentur ascripta : ἢ πρὸς λύραν ὄνος τελεῖς, id est, An ad lyram asinus es? In epistola vero ab Ædicollio ad me data, An es ὄνος λύρας ? subaudi, ἀκροάτης, id est, es asinus lyræ auscultator. Rodolphus Agricola exaravit Græca Latinis litteris, forsitan eo quod is cujus usui scriberet Græca nesciret. Sunt autem hæc : Ἆρα εἶ ὄνος πρὸς λύραν ; id est, An es asinus ad lyram? Dicitur hoc adagium in eos qui hebeti sunt ingenio, crassis auribus, nulliusque judicii, ita ut ea quæ dicuntur minus intelligant. Divus Hieronymus ad Marcellam :
D Asino quippe lyra superflue canit. Idem adversus Vigilantium : Quanquam stulte faciam, magistro cunctorum magistros quærere, et ei modum imponere, qui loqui nescit, et tacere non potest, Verum est illud apud Græcos proverbium. Ὄνος λύρας. Lucianus de iis qui mercede serviunt : Quid commercii asino cum lyra? ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ. In Cæsarii libello hæc Græca sunt, quæ sic interpretantur : Eloquere, ne occultes intellectui. Quam dedit Ædicollius ad me epistolam hæc habet: Ἐξηγέου ἐμοὶ ἐν μέν ἀδήλῳ τίθεσθαι οὐ πείθω, quæ sic licet interpretari, Expone Rodolphus mihi, in incerto quidem poni non suadeo. Rodolphus legit hæc Græca : Ἐξομολόγησαι, τί σε λυπεῖ, id est, Confitere quid te contristet.

Bibliotheca, Græce βιβλιοθήκη, repositorium libro-

rum. Βιβλος enim interpretatur papyrus, juncus codex, liber, bombyx. Nonnulli scribunt per υ, maxime Theodorus Gaza. Invenitur et Βιβλος urbs Phœniciæ, quæ per υ semper scribitur: differentia cujus plerique βιβλος pro codice per ι scribi affirmant, per mutationem dichroni in dichronum, ut Isaccius in Lycophronis interpretatione testatur. Per diminutionem neutro genere dicitur βιβλιον volumen, libellus; θήκη autem Latine dicitur theca, vagina, sepulcrum, loculus, repositorium. M. Tullius in XIII Epistolarum familiarium: Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. Latine libraria dicitur, quod etiam nomine significatur locus ubi libri venales reponuntur. Aulus Gellius libro Noctium Atticarum quinto, capite quarto: Apud sigillaria forte in libraria ego et L. Paulus poeta, vir memoria nostra doctissimus, consederamus.

Ad cœlestis ordinis exemplar] Sicut enim cœlestia certissimo diriguntur ordine, perpetuo constant tenore summaque conservantur concordia: et in homine corpus est animi imperio subjugandum, et appetitus recta ratione moderandus, atque in omnibus convenientia, ordo, temperamentum, concordiaque diligenter observanda.

Beatas fore respublicas] Valerius Maximus libro septimo: Jam Platonis verbis astricta, sed sensum prævalens sententia: qui tum demum beatum terrarum orbem futurum prædicavit, cum aut sapientes regnare, aut reges sapere cœpissent. Julius Capitolinus in Vita M. Antonii Philosophi Romani imperatoris: Sententia Platonis semper in ore illius fuit, Florere civitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur. Prudentius in Symmachum oratorem:

Nimirum pulchre quidam doctissimus esset
Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
Vel reges saperent, vel regnarent sapientes.

Tu ejusdem viri ore] Exstat Platonis epistola ad Architam Tarentinum, quam Marsilius Ficinus hunc in modum interpretatus est: Plato Architæ Tarentino bene agere. Venerunt ad nos Archippi Philonidisque familiares, ferentes epistolam quam eis dederas, ac de rebus tuis quæ oportuit nuntiantes. Publica quidem civitatis negotia absque difficultate peregerunt. Neque enim admodum laboriosa erant. Te vero narraverunt permoleste ferre, quod a publicis civitatis occupationibus te liberare non valeas. Quod igitur dulcissimum vitæ genus sit agere sua, præsertim si quis talia elegerit facienda, qualia tu, omnibus ferme est manifestum. Sed illud quoque te considerare oportet, nullum nostrum sibi soli natum esse, sed ortus nostri partem sibi patriam vindicare, partem parentes, partem amicos: multa insuper pro temporum diversitate nobis accidere, quibus vita nostra occupata est. Vocante igitur te patria ipsa ad rempublicam gubernandam, absurdum forsan esset non parere, præsertim cum simul accidat, ut aditus pravis hominibus relinquatur: qui nulla ipsius quod optimum est, ratione proficiscuntur ad publica. De

A his ergo jam satis. Checratis autem curam habemus in præsentia, habebimusque in posterum, et tui gratia, et patris ejus Phrynionis, et propter ipsum adolescentem.

Quibus autem deferentibus] Colligit gravitatem casus ex indignitate accusatorum, e quibus Basilius cum esset amotus e domo regis, propter inopiam coactus est eum accusare. Opilio et Gaudentius, cum essent jussi ire in exsilium propter scelera sua, et postea se præsidio locorum sacrorum tuerentur, iterumque statuisset rex, nisi intra certum diem abirent ab urbe Ravenna, stigmata inurerentur frontibus eorum: eodem tamen die quo jusserat ista rex, cum profiterentur accusatores se Boetii, factus est reus ipse, et illi auditi sunt. Quid ergo indignius potuit
B fieri, quam si nec Boetius meruit accusari, et illi indigni erant qui accusarent. AGRICOLA.

Deferentibus] Deferre proprie significat apportare. Virgil. in IV Æneid.:

Eadem impia fama furenti
Detulit armari classem.

Deinde detortum consuetudine id verbum in pejorem significationem, ut significet criminari quemquam, et occulte insimulare. Juvenalis:

Stoicus occidit Boream delator amicum.

AGRICOLA.

Percussi] Melius erit perculsi ut legatur. Sic Cornelius Tacitus: Perculso Seneca, promptum fuit Senium Rufum imminuere. AGRICOLA.

Ministerio] Differunt servitium et ministerium.
C Servitium enim sicut et servitus, conditionem vitæ significat, qua quis libertatem amittit. Tibullus:

Hic mihi servitium video, dominamque paratam,
Jam mihi libertas illa paterna vale.

Ministerium vero omnem operam quæ etiam vel mercede vel quavis conditione præbetur. AGRICOLA.

Alieni æris] Æs alienum apud veteres debitum vocatur. Inde et Horatius in II Epistolarum dixit:

Meo sum pauper in ære.

Quasi diceret, Ipse parum æris, hoc est pecuniæ habeo; sed non habeo æs alienum, hoc est, nulli sum debitor. AGRICOLA.

Fraudes] Aliquando fraus dolum malum, id est deceptionem, significat. Virgil. in VI:

Et fraus innexa clienti.

D Aliquando delictum significat, ut hic. Plinius in primo Naturalis Historiæ: Nemini fraudi fuit, quocunque modo posset deos colere. AGRICOLA.

Censura] Proprie significat magistratum, quem gerit censor. Erant autem duo censores Romæ, qui censendo populo, hoc est numerandis civibus Romanis, et cujusque censui, hoc est divitiis æstimandis, præerant et moribus: unde et magistri morum dicebantur. Unde Juvenalis:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Ubi tamen per synecdochen pro censoribus accipitur, hic itidem per synecdochen pro cognitione vel judicio censoris dicitur. AGRICOLA.

Ædium] Ædes singulari numero pro sacra æde ponitur: sic dicebant veteres: ædem Vestæ, ædem Concordiæ pro templis; plurali vero numero tantum

profertur, quando domum significat : tantumque nobilium domus ædes dicuntur : credo utraque dicta ita, quia templa et domus nobilium editæ, id est altæ sunt. AGRICOLA.

Ravenna urbe] Hoc est, contra superstitionem grammaticorum nostrorum, qui docent in appositione semper communius præcedere debere : hic enim urbe quod communius est, sequitur. AGRICOLA.

Notas insigniti frontibus] Figura lo q uendi Græca est, quam tamen melius et significantius expressisset, si dixisset, notis insigniti frontibus. Nota enim quod velut instrumentum hujus verbi insigniti significat, prorsus illi in ablativo jungi debuit : deinde insignitus frontem, sicut albus pedem, flavus comam, usitatius et intellectius fuisset. AGRICOLA.

Severitati] Severum interpretatur, quasi sequens verum, cujus contrarium proprie est indulgentia : unde et alibi sicut sanctos, ita severos judices in laude ponit. Horatius :

Forum putealque Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare severis.

Astrui, id est adjungi, ab *ad* et *struo*. AGRICOLA.

Suscepta] Accepta commodius dictum fuisset. Nam delationes proprie suscipiunt, id est, subeunt aut sustinent accusationem, judex accipere rectius dicitur. AGRICOLA.

Artes] Artes quandoque pro moribus accipiuntur. Juvenalis :

Quando artibus (inquit) honestis
Nullus in urbe locus.

Quandoque pro doctrinis, ut Juvenalis :

Artem scindens Theodori.

Et Terentius :

Quod forte cecidit, id arte ut corrigas.

Quandoque astum aut dolum. Ovidius in I de Arte :

Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

AGRICOLA.

Itane nihil fortunam puduit? Itane nullius rei puduit fortunam? Nihil puduit, locutio est Græcanica. Sic, teste Prisciano, Terentius in Adelphis novo more secundum Græcos dixit :

Quem neque pudet quidquam.

Et iterum :

Hei mihi, non te hoc pudet.

Si minus] Si non, subaudi puduit fortunam. Innocentiæ, subintellige meæ.

At accusantium vilitatis] Hæc est vera lectio quæ habetur in emendatis exemplaribus, subaudiendum est puduisset eam.

Vilitatis] Improbitatis et impuritatis. Accusantium eorum qui me accusarunt.

At cujus criminis arguimur? Hoc loco ostendit indignitatem damnationis ex eis quæ illi ab accusatoribus objiciebantur usque ad eum locum. Sed fas fuerit nefarios homines. Ponit itaque duo crimina : unum erat quod dicebatur impedivisse nuntium ne ad regem perferret litteras quibus continebatur senatum sentire contra regem, ut sic propter hoc senatus fieret læsæ majestatis regiæ reus. Alterum crimen erat, quod dicebatur litteras scripsisse qui-

A bus continebatur conari eum ut populum Romanum iterum in libertatem restitueret. His utriusque ordine respondet. Primum fatetur, sed dicit recte se fecisse. Secundum negat. Dicit ergo sublevando et contemnendo crimen, quod objicitur sibi. Quale, inquit, est crimen quod objicitur mihi, si vis scire summam, hoc est, totum paucis verbis comprehensum : hoc est crimen nostrum, quod dicimur nos cupivisse ut senatus non damnaretur. Si vis scire quomodo istud fecerimus : dicimur eum qui ibat ad regem impedivisse ne perferret documenta et probationes ad regem, quibus conabatur docere senatum læsisse majestatem regis. Interrogat igitur Philosophiam quid illa jubeat, an debeat negare istud ut maneat salvus, et in persona sua non faciat aliquod

B dedecus Philosophiæ, sed dicit voluisse se istud facere, et semper velle. Contra tamen si fateatur istud, delator jam perficiet hoc quod cogitavit, et non poterit impediri ab accusatione. Subdit deinde rectum esse quod voluit senatum salvum esse : quanquam senatus decretis suis (hoc est statutis) tam male de eo meruerit, ut non deberet amplius merito salutem ejus optare, tamen imprudentia senatus, qui male de eo statuerat: non posse mutare merita rerum, hoc est, ut id quod rectum fieret propter suam sententiam iniquum ; deinde etiam ex consuetudine societatis putabat non licere sibi aliter dicere quam res haberet. Verumtamen utrum ista recte an secus facta sint cæteri docti et sapientes debent

C æstimare : quia rem scriptam reliquit, orationem videlicet qua defensionem scripsit. Deinde, *Nam de compositis*, respondet secundo crimini, dicens nihil opus esse dicere de hoc quod litteræ falsæ erant compositæ, quibus dicebatur ipse voluisse Romam in libertatem vindicare, quod facile potuisset ex verbis ipsis accusatorum, si potuissent illi contra eum audire. Deinde dicit istud se non fecisse, quia Roma jam sit tam oppressa, ut non possit ulla libertas amplius sperari : et si potuisset aliqua spes fuisse libertatis, se hoc tam occulte habiturum fuisse, ut id nequaquam debuerit ad notitiam regis pervenire, quemadmodum Canius, cujus supra fecit mentionem, qui et a Caio Caligula Cæsare occisus est, respondit Cæsari, cum diceret in quadam conjuratione contra

D Cæsarem facta ipsum fuisse conscium, dicens : Si ego scivissem, tu nescivisses, hoc est tam prudenter rem gessissem, ut tu non potuisses percipere. Post ibi, *Qua in re arguimur*. Arguere quandoque reprehendere est, ut hic, et Virgil. in XI :

Meque timoris
Argue, tu Drance.

Quandoque probare significat, ut Juvenalis :

Molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licet ipse negem.

Unde et argumentum definivit Cicero esse probabile inventum ad faciendum fidem. Ovid. in I Metamorph .:

Argumenta damus, qua simus origine nati.

AGRICOLA.

Summam] Summa dicitur collectio rei multiplicis

aut numerosæ in unum principium velut caput quo reliqua omnia continentur. Cornel. Tacitus : Flaccus summan rerum ei permisit ; sic et pecuniæ aut rationum summas dicimus, hoc est, numerum collectum. Juvenalis :

Majorem tertius illo
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ.

Agricola.

Secundum] Dicimus concilium publicum, quem indocti nostri consulatum vocant. Consulatus est enim honor consulis, sicut prætura honor, quem gerit prætor : quem vulgus consultum vocat, dictus est senatus a senio, ut ait Sallustius in Catilina. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum reipub. consulebant. Majestatis reum illum dicunt qui accusatur aliquid, quod in perniciem reipublicæ aut principis vergat, tentasse : vel etiam quod in dedecus insigne, unde dicitur læsa majestas, et reus læsæ majestatis, et inde omissione verbi læsæ majestatis reus dicitur, quoniam sic satis intelligitur. Reum a reor videtur esse dictum, quia remur, id est suspicamur illum quod objicitur id fecisse, diciturque proprie qui in jus vocatus est. Ovid. in II de Arte :

Non tantum trepidos ut tueare reos.

Vocamus etiam quandoque reum eum qui jam obligatus, vel debitor : unde voti reus dicitur qui assecutus est id pro quo votum fecit, solvere cogitur : et jurisconsulti duos reos promittendi vocant, qui promittendo se quisque obligaverunt. Agricola.

Impedisse] Impedire et expedire a pedibus ligandis et solvendis dicta sunt : deinde consuetudine solvere et ligare. Horatius in primo Carminum :

Nunc viridi crinem decet impedire myrto.

Deinde impedire, retinere, vel resistere significat, ut hic. Cicero in primo Officiorum : De rebus ipsis utere tuo judicio, nihil enim impedio. Agricola.

Cessabit] Cessare aliquando significat otiosum esse. Persius :

At si tu cesses, et figas in cute solem.

Sic horatius : Cessator Damus, id est otiosus, piger, cunctator Damus. Aliquando significat desinere, aut finem facere, ut hoc loco. Ovidius in I de Arte :

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor.

Estque frequentativum a cedo, quia cessator labori cedit. Agricola.

Ordinis] Ordo est dispositio certa rerum, qua collocatur quid primum sit, quid secundum, et quid deinceps. Horatius :

Ordinis hæc virtus erit, et Venus.

Erant autem in populo Romano tres ordines, plebis, et patrum, id est senatus, et equester, qui medius erat inter plebem et patres. Equestris ordinis sunt, qui hodie ab indoctis milites vocantur. Nam miles omnem illum significat qui stipendium bello meretur, ergo dicit illius ordinis, id est senatorii.

Nefas] Fas et nefas, sicut damnas et inficias indeclinabilia sunt. Dicimus autem inficias eo, id est inficior vel nego, et jurisconsulti dicunt : Titius hæres meus Teio centum damnas esto, id est obligatus. Fas

A quidem et nefas a fando dicuntur. Unde Virgilius in I Æneid. pro utroque dixit :

At sperate deos memores fandi atque nefandi,

estque fas quod Deo auctore vel naturali æquitate facimus : sicut jus, quod hominum jussu fit.

Merita] Per translationem pro pretio dixit.

Socratico decreto] Quia Socrates, cum esset mos Athenis ut reo civi permitteretur æstimare pœnam quam se crederet meritum, idque accusato illi judices permitterent, dixit meritum se ut publice sibi Athenienses victum darent. Noluit enim cum se sciret nihil pœna dignum fecisse, æstimare aut censere ulla pœna se dignum, quanquam ita esset iram judicum placatiorem habiturus : quo tam libero responso illius commoti judices, quasi, contemneret eos,
B ad mortem eum condemnaverunt.

Decreto] Id est, quod Græce δόγμα dicitur, quod indocti pro doctrina accipiunt : cum apud Græcos etiam quidquid populus, statuit, dogma vocetur, sicut apud nos decretum populi, decretum principis.

Seriem] Series potest esse a serendo dicta, quasi ordo rerum a primo semine, id est origine. Statius in primo Thebaidos :

Longa retro series.

Agricola.

Stylo] A Græco στύλος, id est columna venit, cui simili est stylus, accipiturque pro scriptura. Unde Cicero in I de Oratore dixit stylum optimum dicendi artificem. Prisci ceratis tabulis scribere solebant.
C Ovidius in primo de Arte :

Cera tuæ primum conscia mentis eat.

Agricola.

Memoriæ] Id est commemorationi posteritatis.

Litteris] Littera litteræ in singulari numero apud oratores pro singulari figura aut charactere quo scribimus accipitur : ut est *a*, *b*, vel c. Pro epistola solum in plurali dicitur. Quare Cicero unas semper aut binas aut ternas litteras dicit. Poetæ tamen necessitate metri in singulari pro epistola accipiunt. Ovidius in Epistolis :

Quam legis, a rapta Breyseide littera venit.

Agricola.

Attinet] proprie adhibere vel applicare significat,
D ab *ad* et *teneo*. Plautus in captivis duobus :

Nunc cultros attinet.

Quandoque significat id quod opus est, ut hoc loco Quintil, in XII Institutionum : Quid attinet tam multis annis, etc.

Uti] Utor accusativo jungitur. Quintil. in I Institutionum : Utendum est eum sermonem, hocque vetustius est, ut ablativo jungatur usitatius est. Juvenalis :

Modo sub lodice relictis
Uteris in turba.

Agricola.

Licuisset] Licere proprie dicitur id quod jure non vetatur. Persius :

Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas?

Accipitur etiam pro prosse. Virgil. in IV Æneid.:

Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere more feræ?

AGRICOLA.

Sperari] Sperare proprie significat boni alicujus futuri opinionem habere, ut hic. Virgil. in IV Æneid.:

Spero equidem mediis (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis.

Quandoque pro eo quod est futurum qualecunque exspectare. Virgilius in primo Æneidos:

At sperate deos memores fandi atque nefandi.

Terentius in Heautontimor.:

Una spes est, esurituros non satis.

AGRICOLA.

Caio] Caius et Cneus, sicut curculio quod vermen significat, per *c* scribuntur, sed per *g* leguntur. AGRICOLA.

Cæsare] Hoc non est dignitatis nomen, sed familiæ quæ Romæ fuit, ex qua ortus fuit Julius Cæsar, qui primus libertatem Romanam oppressit: unde omnes qui secuti sunt imperatores hoc sibi nomen tanquam titulum legitimæ successionis sumpsere: ad Neronem tamen usque aut cognatione aut adoptione imperatores huic familiæ annexi fuere: post Neronem reliqui solum usurpatione illud sumpsere. AGRICOLA.

Germanici] Germanicus iste, Drusi Neronis filius, hunc Caium genuit, et Agrippinam Neronis matrem, præterea alios quos nihil attinet enumerare. Hic Caius cognominatus est Caligula, a caliga militari dictus, quam vulgus ocream vocat: quia in castris fuit educatus. Nam quod nos caligam vulgo vocamus, id est quod veteres bracam dicebant: unde bracatæ Galliæ nomen fuit. Braca enim quod a nobis vocatur, id vetustas femorale, vel subligar vocabat. Inquit et inquam verba, ponuntur in oratione duntaxat, quando eos ipsos fingimus loquentes, quibus ea tribuimus. Non recte enim dices: Ille inquit occupatum se esse, nec posse venire; sed dicendum est: Ille inquit, occupatus sum, nec possum venire. Loquendum est enim semper eisdem verbis quibus ipsa persona (quam inducimus) esset locutura. Juvenalis:

Nil actum est (inquit) nisi Pœno milite portas
Frangimus, et media vexillum pono suburra.

Et alio loco:

Quando artibus (inquit) honestis
Nullus in urbe locus.

AGRICOLA.

At cujus criminis] Ordo est: At quæris summam ejus criminis cujus arguimur.

At volui, nec unquam velle desistam] Subaudi, senatum salvum esse.

Socratico decreto] Decreto Socratis, cujus apud Platonem in Theæteto hæc ad hunc sunt verba: Mihi plane nefas esse videtur, admittere falsum, ac verum refellere.

Quoquo modo] Quocunque modo.

Stylo etiam memoriæque mandavi] Hunc Boetii libellum nunc exstare non reor.

Qua in re] Ostendit hic indignitatem fortunæ suæ ex judicibus suis, quibus condemnatus. Quia vero duplices sunt omnium rerum judices, Deus et homines, de divino judicio prius conqueritur, deinde de humano, id est senatus judicio. Dicit itaque: Licet

A dolor adversitatis multum occupaverit et turbaverit mentem, nondum tamen ita expers rationis, ut indigne feram improbos accusatores conatos esse nefandum contra me, quia velle pejora, est fere ex defectu et infirmitate humanæ naturæ; sed illud magis puto mirandum, posse malos perficere ea quæ volunt contra bonos, cum Deus sine cujus permissu nihil potest fieri, id videat; *monstri* enim *simile est*, hoc est, incredibile est id eum debere velle permittere, sicut quidam philosophus ait: Si est aliquis Deus, quomodo potest esse aliquod malum? si non est Deus, unde proveniunt bona? Post ibi, *Sed fas fuerit*, ostendit ex judicio senatus indigne se ab eo condemnatum, idque primum ex persona senatus, quem accusatum apud regem suo periculo servaverat:

B deinde ex ordine judicii, quia absens non auditur, nec cognita causa condemnatus est. Dicit ergo, placuerit licet Deo ut qui bonos omnes oderant, illi etiam me, qui bonos et senatum defendebam, cuperent perire, non tamen merebamur ita de senatu, ut is hoc ipsum vellet: quia cum Veronæ Theodericus rex cuperet crimen quo Albinus accusatus erat in senatum transfundere: scis tu Philosophia, quam magno periculo meo defenderim senatum, pro quo beneficio tamen falsa sententia a senatu condemnatus sum. Deinde, *Et cujus unquam facinoris?* Colligit indignitatem judicii ex modo illius, dicens: Nunquam in judicando ita in apertissimis sceleribus judices consentiunt, ut non aliquis moveatur ad misericor-

C diam ex his, vel propterea quod omnes homines proni sunt ad errandum et ad faciendum quæ non debeant fieri; vel etiam quod fortuna communis est, et nemo certus est quid ipsi sibi possit obvenire. Ego etiam si quantumvis magna scelera voluissem facere, non tamen nisi aut confessus, aut convictus, debuissem puniri. Nunc non audita defensione mea, qui fui quingentis millibus passuum remotus ab urbe, ut pote Papiæ in carcere damnatus sum ad mortem. Exclamat ergo, O meritos patres! hoc est senatum, ut nemo possit de simili crimine convinci, hoc vult dicere: Senatus meritus est ut nemo debeat eum defendere, quia propter hoc crimen quod volui eum defendere, convictus sum, et ab eo damnatus. Sequi-

D tur. Cujus indignitatem reatus. AGRICOLA.

Ita] Hodie omnes fere indocti pro adverbio affirmandi utuntur, quod prorsus corrupte fit: est enim similitudinis potius. Virgilius in undecimo:

Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens.

Ita dixit, id est taliter. AGRICOLA.

Hebetavit] Dixit metaphorice, nam proprie de ferro aut alio quovis ad secandum apto dicitur. AGRICOLA.

Contra virtutem] Per synecdochen dixit accidens pro subjecto, id est contra bonos. AGRICOLA.

Molitos] Moliri, id est cum magna mole, id est difficultate conari. Virg. in IV Æneid.:

Nec super ipse sua molitur laude laborem?

Effecisse] Facere et efficere manifestam habent differentiam. Nam facimus multa sæpe sine effectu: sed efficere, est aliquid quod facis assequi: sic me-

dicus sæpe facit omnia, ut sanet ægrotum, sed tamen non sanat : sed si efficit, ut sit sanus, jam sine dubio sanat. AGRICOLA.

Deteriora] Deterior, a detero verbo dicitur. Unde et Plautus in eamdem significationem detritionem pro improbitate et detrimentum, noxam vel damnum vocamus. AGRICOLA.

Monstri] Monstrum a monstrando : quia veteres putabant quoties monstra proveniebant, ex eis magnum aliquod malum, aut cladem imminentem monstrari, sicut et ostentum ab ostendendo, quod aliquid eo futurum ostendatur, et portentum, quia aliquid protendat, id est pronuntiet, et prodigium a procul agendo dicitur, quia solebant monstrosi partus, siquidem humani essent, deportari in deserta, in silvas : si cæterorum animalium, infodiebantur vivi. AGRICOLA.

Quidem tuorum familiarium] Carneadi claro imprimis auctori novæ Academiæ tribuitur hæc sententia. AGRICOLA.

Familiarium] Familia a famulatu dicta est et familiaris servus : obtinuit deinde consuetudo ut cognationem significaret familia, unde patresfamilias et matres et filiosfamilias. AGRICOLA.

Siquidem] Hic legendum est distinctim, ut sint duæ dictiones : quandoque enim junguntur et uno accentu proferuntur, tunc accipitur pro certe. Plinius in I Naturalis Historiæ. Siquidem coloris mutant. AGRICOLA.

Sanguine petant] Per antonomasiam dictum est, id est exitium cupiunt. AGRICOLA.

Petunt] Peto significat quandoque posco : ut Horat. in II Epist.:

Quod cupide petiit, mature plena reliquit.

Aliquando adeo : sic Valerius in II : Rus petens redeunti in urbem narraverat. Aliquando oro, sicque jungitur accusativo cum ablativo interveniente præpositione. Quintilianus in matris Infamia : Illud a te civitas novissimis precibus peto. Dicimus etiam, peto illum ferro, peto lapidibus, id est jacio in eum, vel vim infero. Virgilius in Bucol. :

Malo me Galathea petit,

id est jacit in me malum. AGRICOLA.

Patribus] Patres vocabantur senatus. Sallustius. Hosque vel ætate vel curæ similitudine vocabant patres. AGRICOLA.

Præsens] Dicitur, qui coram est, dicitur et figurate præsens hoc, quod est efficax. Virg. in Bucol. :

Nec tam præsentes alibi cognoscere divos.

Quintilianus in Veneno effuso, Et virus præsentaneum paro, quod subito, quod statim corrumpat. AGRICOLA.

Veronæ] Verona oppidum est Italiæ transpadanæ, quod medium Athesis fluvius perfluit, in radicibus Alpium Vindelicarum positum. AGRICOLA.

Dicturum quid] Pro aliquid : et legendum est, traducto in præcedentem dictionem accentu, sicut, *que*, *ve*, *ne*, legimus. AGRICOLA.

Exitii] Exitium ab exeundo, sicut initium ab ineundo dictum est figurate, sicut multa pro clade vel pernicie accipitur : quia exitus, hoc est peremptio, sit cuique summa clades. AGRICOLA.

Securitate] Id est neglectu vel contemptu : securus enim sine cura dicitur. AGRICOLA.

Proferre] Id est efferre hoc loco. Juvenal.

Profer Galla caput.

Aliquando significat differre. Plautus in captivis duobus :

Quando prolatis rebus rus homines eunt

Id est, dilatis negotiis vel litibus : significat etiam procul ferre. Virgilius in primo Æneidos :

Super Garamantes et Indos
Profert imperium.

AGRICOLA.

Jactasse] Jactare hic accipit pro eo quod est arroganter vel gloriando commemorare. Quintil. in matris Infamia : Magna pars voluntatis est jactatio. Quandoque significat verbis strepere, per metaphoram dictum. Virg. in X Æneid. :

Nunc sera querelis.
Haud justa assurgis, atque irrita jurgia jactas

Proprie autem significat frequenter jacere. Ovid. in II de Arte :

Jactatas excutiatque faces.

AGRICOLA.

Ostentando] Ostentare sicut jactare dicitur, sed jactare magis verbis est, ostentare rebus. AGRICOLA.

Facinoris] Facinus a faciendo dictum est, et in pejorem partem nunc accipitur evincente consuetudine, apud veteres in utramque accipiebatur partem et bonam et malam. Sallust. in Catilina : Qui præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit.

Jugulari] Jugulare proprie significat jugulum perscindere. Est autem jugulus dictus pars illa quæ proxima collo ab ossibus, quæ pectus determinant : quoniam ea ossa similitudinem jugi, id est summitatis montium, vel veri quod araturis bobus imponitur, habent. AGRICOLA.

Necem] Vulgus grammaticorum dicit hujus nominativum non inveniri. Cicero tamen pro Milone dicit : Insidiatori vero et latroni quæ potest injusta esse nex? Sic et prex etiam Phocas grammaticus dixit. Differunt sane nex et mors quemadmodum necare et mori : ut nex sit mors vi illata, mors qualiscunque hominis interitus. AGRICOLA.

Quingentis passuum millibus] Latini itinera sua millibus passuum numerant, sicut Græci stadiis, Galli leucis. Quinque autem millia passuum tantum spatii efficiunt quantum apud Germanos quod illi milam vocant, quodque Ægyptii parasangam, Persæ schœnum. AGRICOLA.

Propensius] Id est diligentius, vel inclinatius, a propendendo, sicut in libra, qua parte plus appenditur, ea plus propendet : sic et nos propendere, et propensi dicimur in id cujus majori studio tenemur. AGRICOLA.

Proscriptioni] Proscriptionis nomen a bellis civilibus venit, quoniam in civilibus dissensionibus, sicut fuerant Marii et Syllæ, Cæsaris et Pompeii et reliquorum, qui victores erant, nomina eorum qui diversarum partium fuere, in tabulis descripta ponebant,

datis præmiis, si quis eorum quemquam occidisset, et bonis publicatis, postea obtinuit consuetudo, ut relegati in exsilium, proscripti dicerentur. AGRICOLA.

Contra virtutem] Contra homines virtute præditos

Tuorum quidam familiarium] Philosophorum quidam.

Si quidem] Si.

Sanguinem] Sanguinis effusionem.

Propugnare bonis] Defendere bonos.

Quid] Aliquid.

Innulla unquam mei laude jactasse] Tametsi vera sint, ea tamen nunquam se jactasse ait. M. Tul. in I Offic.: Deforme estiam est de seipso prædicare, falsa præsertim, et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum. Divus Cyprianus ad Donatum : In proprias laudes odiosa jactatio est. Plinius ad Pompeium Saturnium : Etenim si alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi solent quam difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se, aut de suis disserentis ?

Minuit enim] Ordo est, quis, id est aliquis, minuit quodammodo secretum conscientiæ probantis se, id est, sibi per virtutem et benefacta placentis, quoties ostentando factum, recipit pretium, id est præmium famæ. Cic. in Tuscul.: Te autem, si in oculis sis multitudinis, tamen ejus judicio stare nolim, nec quod illa putet, idem te putare pulcherrimum. Tuo tibi judicio est utendum : Tibi si recta probanti placebis, tunc non modo tu te viceris (quod paulo ante præcipiebam) sed omnes et omnia. Hoc igitur tibi propone, amplitudinem animi et quasi quamdam exaggerationem quam altissimam animi (qui maxine eminet in contemnendis et despiciendis doloribus) unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, si vacet populo, neque plausum captans, se tantum ipsa delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quem sine venditatione, et sine populo teste fiunt, non quo fugiendum sit (omnia enim benefacta in luce se collocari volunt), sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia majus est. Plinius ad Saturninum : Præterea meminimus quanto majore animo honestatis fructus in conscientia, quam in fama reponatur. Sequi enim gloria, non appeti debet : nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam meruit, minus pulchrum est. Hi vero qui benefacta sua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint, sed ut prædicarent, fecisse creduntur. Sic quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserit recensente, vanescit. Homines enim cum rem destruere non possunt, jactationem ejus incessunt. Ita si silenda feceris, factum ipsum : si laudanda non sileas, ipse culparis. Macrobius in Somnium Scipionis, Conscientia ipsa factorum egregiorum, amplissimum virtutis est præmium. Idem in idem. Virtutis fructum sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria. Divus Ambrosius in quadam epistola : Abundat enim sibi locuples testis conscientia.

Pro vere virtutis præmiis falsi sceleris] Pulchrum antitheton est.

A *Et cujus unquam*] Et, particula interrogationi nunc apta : sic apud Virgil. in Bucolicis :

Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi ?

De simili crimine] Quod fuerit propensioris studii in senatum, eumque salvum esse voluerit.

Cujus indignitatem reatus] Ostendit nunc majorem indignitatem casus sui, quod cum perspicuum esset, nec ista crimina talia esse, quæ vel accusatores cum specie aliqua fidei possent objicere, vel judices ullo colore justitiæ sua laude contra se petitum esse : quia enim Philosophus erat, insimulaverunt magum eum esse. Quia plerumque apud veteres philosophi hac suspicione premebantur. Unde et Apuleius Madaurensis magiæ accusatus fuit, cujus defensionis B adhuc exstant libri, et Apollonius Tyaneus, et Menippus habiti sunt magi, et videri etiam voluerunt, cum uterque philosophus esset. Ergo dicit accusatores objecisse ei propter cupiditatem, ut consulatum et magistratus in urbe consequeretur, cum dæmoniis eum habuisse commercium : quod falsum esse ostendit ex studiis suis, cum fuerit enim deditus philosophiæ, quæ jussit Deo eum et non diis servire, verisimile non esse, ut se pessimis spiritibus jungeret aut eorum ministerio uteretur. Deinde indipsnm coarguit ex modestia domus suæ et probitate amicorum suorum, et affinitate Symmachi : cujus filiam uxorem sibi habebat, qui non potuissent, si tam facinorosæ vitæ fuisset, secum convenire. AGRICOLA.

Commistione] Commistio *s* littera, non *x* dicendum C est. Si enim mixeo in indicativo haberet, possemus mixtum dicere : nunc a misceo, quomodo fiet mixtum ? AGRICOLA.

Fuscarent] Fuscus color est, qualis corporibus ex solo prevenit. Virgil. in Bucol.:

Quid tum si fuscus Amyntas?

Ovidius in secundo de Arte :

Fuscentur corpora campo.

Ater, color est carbonum et vestium : unde et atramentum dicimus, et atratos eos qui luctus causa mutaverunt. Niger est obscurus ille ex rubro vel lucido ad atrum tendens : unde et nigra vina, et sanguinem nigrum dicimus. Virgilius nigrantem nimbum dixit in I Æneid. Confundumtur tamen ista sæpe ab auctori- D bus. AGRICOLA.

Sacrilegio] Sacrilegium dictum est a legendis hoc est, furandis sacris : deinde et pro vi quæ sacris infertur, accipitur. Unde Seneca ad Serenum dixit : Nihil in rerum natura tam sacrum est quod sacrilegum non inveniat. Deinde Boetius ad omnem sacrorum profanationem traducere hoc nomen videtur. Nam omnes incantationes, et ritus invocandorum spirituum sacra vocabantur. Boetius cum ab hoc nomine abhorret, maluit sacrilegium vocare : ea est quam proprie magiam vocamus, quæ est, qua homines mira, et omnem ordinem aut vim naturæ excedentia efficiunt, hoc est, qnam indocti nigromantiam vocant : nam Græce *νεκρομαντία*, vel communius *νεκρομαντία* dicitur : quæ solum divinationem faciebat ex anima-

bus defunctorum per incantationes invocantis. Agricola.

Polluisse] Polluo a porro et luo, id est prorsus luo dicitur, id est maculo. Agricola.

Insita] Id est indita ab insero. Agricola.

Instillabas] Stilla guttam significat : unde et stillicidium locus in quem guttæ pluviæ de tectis decidunt. Inde instillo. Agricola.

Pythagoricum] Pythagoras [ex Samo insula oriundus fuit, versatus est in ea Italiæ parte quæ quondam magna Græcia dicta fuit, circa Tarentum et Crotonam : cumque interrogaretur an σοφός, id est sapiens esset, respondit non, sed φιλόσοφος, id est amator sapientiæ : et cum ante eum qui [insigniori doctrina præditi essent, sapientes vocarentur, postea philosophi cœpti sunt vocari, et a Pythagora secta ea ducta est, quam philosophiam Italicam vocaverunt. Agricola.

Θεῷ, ἀλλ' οὐ θεοῖς] Id est Deo et non diis. Agricola.

Conveniebant] Convenire dicitur hic aptum esse vel accommodatum : aliquando consentire significat. Horat.:

> Et vitæ disconvenit ordine toto,

id est discordat. Ovid. in I de Arte :

> Conveniat nobis, ne quam nos ante rogemus.

Unde dicimus, Convenit nobis de hac re, et, Conveniemus de hac re. Etiam significat congregari, idque proprium est ejus significatum. Sallustius : Postquam Catilina eos quos convocaverat, convenisse videt. Dicitur etiam, conveni illm apud forum, id est allocutus sum. Agricola.

Penetral] Interior pars domus dicitur a penetrando. Virgil. in II Æneid.:

> Apparent Priami et veterum penetralia regum

Commodeque dixit Boetius penetral innocens domus, quoniam solent recondi scelera, et ab hominum conspectu removeri. Agricola.

Cœtus] A coeundo, id est conveniendo dictus est. Agricola.

Socer] Est uxoris vel mariti pater, itidem ut socrus mater, qui filiam tuam in matrimonium habet, gener, quæ filium tuum, nurus vocatur. Agricola.

Affines] Hoc dixit impropria significatione, id est conjuncti. Nam consuetudine accipitur affinis pro eo, qui non est cognatus nobis, sed cognatis nostris matrimonio junctus. Agricola.

Instituti] Id est compositi, vel assuefacti, vel formati. Quintil. in I Institu. : Ante palatum eorum quam mores instituimus. Aliquando docere significat instituere. Juvenal. :

> Instituitque rudes melior locusta propinquas.

Accipitur etiam pro eo quod est proponere vel velle, ut Cicer. in III de Orat. : Instituenti mihi, Quinte frater, id est volenti vel paranti. Agricola.

Lacereris] Figurate per translationem dictum est, id est carparis, reprehendaris. Agricola.

Cujus dignitatem] Tametsi Rodolphus Agricola judicio vir alioquin acerrimo, legere videatur indignitatem, malim tamen legere (sicut et fere exemplaria habet) dignitatem. Fuit enim magna dignitas honestasque ejus reatus, quo Boetius accusatus est studii in senatum propensioris, verum eam falso magiæ crimine fuscare denigrareque delatores conati sunt. Hanc lectionem præter exemplarium fidem astruunt ea quæ proxima prosa subjiciuntur. De objectorum quidem tibi vel honestate vel falsitate cunctis nota memorasti.

Ἕπου θεῷ] Sequere Deum : legitur autem hoc Græcum in exemplari quod mihi commodavit Cæsarius, et in epistola Joannis Ædicollii [ad me data. Habetur idem in II Chiliade Proverbiorum Erasmi, et apud Politianum in Prælectione Homerica. Refertur autem ad Pythagoram, qui Marsilio interprete, sic ait in symbolis : Linguam imprimis coerce, Deum imitans. Porro Rodolphus Agricola videtur hæc Græca ponere. Θεῷ ἀλλ' οὐ θεοῖς, id est, Deo, et non diis (subaudi) servias seu serviendum.

Consimilem Deo faceres] Seneca in epistola ad Lucilium 48 : Hoc enim est quod mihi philosophia promittit, ut parem Deo faciat.

Ultro Insuper.

At vero hoc etiam] Ostendit nunc asperitatem calamitatis suæ ex eo quod sequitur communiter in omnes bonos. Dicit itaque non solum indignum esse hæc omnia, quæ gravissima enumeravit, se pertulisse, sed hoc etiam adhuc restare malis suis, ut ista merito pati videatur, et postquam omnia perdidit, etiam honestatem existimationis et famæ bonæ amittat. Vulgus enim imperitum ea solum credit, et prudenter facta esse, quæ prospere et feliciter eveniunt; nunc ergo quia sibi res omnes adversæ infeliciter cesserunt, credetur dignus his esse, et ista meruisse. Posibi, *Videor autem videre* dicit, quia [nunc innocentia nostra ab improbis victa est et oppressa, futurum est, ut scelerati omnes quibus ergo resistebam gaudeant et similes accusationes contra bonos parent cum videant impune omnia se facere posse : bonos vero non ausuros illis resistere, cum se videant non solum periculis expositos, sed etiam defensione privatos. Exclamat ergo : O stelliferi, etc. Agricola.

Cumulus] Id est explementum. Proprie enim dicitur cumulus, acervus rerum aut strues simul congestarum. Agricola.

Merita] Id est vim vel pretium. Agricola.

Provisa] Dixit quasi providenter et recte facta : secundum philosophos enim, quidquid recte fit, prudenter fit : [contra etiam, quidquid prudenter fit fit et recte. Agricola.

Rumores] Rumor a ruendo dictus, quasi fremitus populi similis sono, quem ruina rerum facit, idem significat quod fama ; sed fama Græcum est, fama tamen qui a φημί Græco (quod apud nos *for* significat) : dicitur, certius aliquid et constantius loqui significat : rumor incertius quiddam habet. Agricola.

Affingitur] Alii affigitur legunt, quod translatum quidem est, sed tamen aptius. Agricola.

Perferunt] Juvenalis :

Lateque sonantem
Pertulit Ionium :

id est perpessa est. Aliquando apportare, ut apud Ciceronem : Litteras ad te perferendas dedi. AGRICOLA.

Officinas) Officina, ab officio dicta, est locus in quo opifices officia, hoc est artes suas exercent. AGRICOLA.

Fluitantes] Id est sese agitantes vel trepidantes vel gestientes. Sic enim Cicero inconsultum gaudium, lætitiam gestientem vocat, id est crebro se moventem et trepidantem, sicuti mos est lætis. AGRICOLA.

Perditissimum] Perditi dicuntur qui non mediocriter aut tolerabiliter sunt mali, et de quibus nulla est amplius spes boni, quos Græci et Cicero nonnunquam usus eo verbo, ἀσώτους vocant. AGRICOLA.

Insontes] Insons a sons dicitur, quod etiam nunc usus habet, veteres tamen sæpius dixerunt : testimonium est Festi Pompeii, qui sonticum justum vult significare, ponens verba Nævii, dicentis :

Sonticam esse oportet causam, quamobrem perdas mulierem :

cum rectius dixisset Festus, gravem aut noxiam. Dictum sontem arbitror, de quo sonus fiat, id est qui in fama et sono hominum versatur. AGRICOLA.

Cumulus accedit] Cumulos malorum proverbialiter dicitur de ingentibus malis et calamitatibus : ut cumulus seu acervus bonorum, de opibus ingentibus. Sunt et illa Ciceroni familiaria, cumulare officiis, cumulatissime satisfacere, cumulus meritorum.

IN METRUM V.

O stelliferi] Boetius hoc carmine deplorat conditionem humanæ naturæ, cum Deus omnia quæ in rerum natura sunt ad certam legem alligaverit, et omnia ita instituerit, ut errare aut peccare nequirent : soli homini dedit libertatem, ut posset bene et male facere, et ei permiserit, ut hac libertate plerumque abuteretur, et mali premerent meliores. Genus metri est anapæsticum et Pindaricum. Anapæsticum a pede dictum, quoniam ille sit ei pes legitimus : recipit tamen et spondeum et dactylum. Pindaricum a Pindaro auctore ejus dicitur. Dicit ergo : *O Deus, qui in cælo habitans, convertis illud veloci cursu, el facis ut stellæ semper ordinem suum servent, et luna plena opposita soli, lumine suo abscondat reliquas stellas : nunc vicina rursus soli, perdat lumen suum. Sic facis etiam ut Hesperus jam post occidentem solem luceat, jam mutato nomine Lucifer dicatur, et orientem solem præcedat : præterea hieme breves dies facis, æstate breves noctes. Nec solum vis tua cælum ordinem tenere cogit, sed terras etiam simili ratione regit, ut frondes autumno decidentes, vere renascantur, et quæ seruntur hieme, æstate maturescant. At cum hæc tam certo cursu dirigas, sola opera hominum permittis errare. Unde enim nisi id ita esset, tanta vis fortunæ, ut ea nunc injustas pænas innocentibus infligeret contra vero malos extolleret? Negligitur et contemnitur virtus, et accasatur, malis autem mala scelera non nocent : quin etiam quando placet fortunæ, potentissimi reges subduntur, et opprimuntur. Ergo etiam, o Deus, rege etiam res hominum, quæ sunt pars mundi non contemnenda, et ordinem qui in cælo est, etiam in terram mitte.* AGRICOLA.

A

Conditor] Condere quandoque facere significat, ut hic, et Virg. in Bucol. :

Pallas quas condidit urbes,
Ipsa colat.

Quandoque significat abscondere, sic infra dicitur.

Condat stellas una minores.

Proprie vero significat congerere aut colligere. Horat. in I Carm. :

Illum si proprio condidit horreo :

et idem in primo Epistolarum :

Condo et compono, quæ mox depromere possim.

AGRICOLA.

Orbis] Dicitur id quod undiquaque rotundum est, quod etiam globum dicimus. Unde et mundum propter rotunditatem orbem vocamus, id est quod sphæram vocant. AGRICOLA.

B

Nixus] Id est firmatus, vel insistens. Quintilian. in Milite Mariano : Ut vitam genu nixus petat. AGRICOLA.

Solio] Solium, regia sella. Unde Seneca in lib. de Tranquillitate, significans mutabilitatem fortunæ : Momentum, inquit, interest inter solium, id est regnum et aliena genua, id est captivitatem. Veteres etiam vas quoddam solium vocabant in balneo, quod implebatur aqua, in quo lavantes sedebant, et se abluebant. AGRICOLA.

Cœlum] Alii quasi cælatum, id est scalptum propter varias stellarum imagines arbitrabantur : unde et mundus ab ornatu dictus videtur : quemodmodum apud Græcos etiam κόσμος, id est mundus, ab ornatu dicitur; alii cœlum ab eo quod Græce dicitur κοῖλον, id est cavum. Si primum dicatur, scribendum erit per æ diphthongum; si secundum, per œ. Nam quod vulgus dicit cœlum quasi casam ἡλίου, id est solis, ineptum est, sicut multa indoctorum. AGRICOLA.

C

Turbine] Id est impetu vel raptu, a turbando dicitur. Unde Virgil. in I Æneid. :

Et terras turbine perflant.

Vocatur etiam turbo, quod Græci τρόχον nos inde assumpto nomine trochum vocamus, a τρέχω, quod est curro, ob eamdem causam, quia turbine, id est impetu, currit. Turbonis autem nomen erat proprium cujusdam gladiatoris. AGRICOLA.

D

Legem] Lex dicta est a legendo, quia prælegebatur ad populum : deinde consul interrogabat, vellent juberentne id ita fieri; quod si populus affirmaret, lex fiebat : quod ipsum si tribunus plebis faceret, id quoque decretum erat, plebiscitum dicebatur : hic autem lex per translationem figurate pro certo ordine accipitur. AGRICOLA.

Pleno cornu] Id est impletis cornibus, quod in plenilunio fit, cum enim opposita est soli, tunc pars ejus quæ est ad nos versa, tota a sole illuminatur. Non enim ex se luna a sole illustrata, lumen habet, sed quod fieri videmus, ut vasa polita acceptum lumen refundant : sic luna a sole illustrata, lumen reddit. Unde cum rursus ad solem accedit, partes aversæ a nobis accipiunt lumen, quod propter rotunditatem ejus paulatim videtur extenuari in cornua. AGRICOLA.

Flammis] A flagr,o id est ardeo dicta est flamma. AGRICOLA.

Fratris] Id est, solis. Fabulæ enim traduut Latonam Jovis concubitu prægnatam, Phœbum, id est solem a φοιβέω, id est ardeo, et Dianam peperisse. AGRICOLA.

Luna] A lucendo dicta videtur, quod inter sidera luceat : sicut solem, quod solus luceat, et omnia sidera lumine suo abscondat, dictum volunt. AGRICOLA.

Lumina perdat] Hoc ad nostrum conspectum videtur, cum nunquam sit magis illuminata luna, aut latius accipiat lumen, quam quando soli proxima est : quod enim ex mathematica ratione clarum est, minus luminosum corpus majori luminoso adhibitum, quanto ad id propius accedit, tanto plures ejus partes illuminantur. AGRICOLA.

Agit] Agere in varias significationes dicitur. Nam et negotiosum esse, aut facere aliquid significat. Horatius in I Epist. :

Quid mihi celsus agit?

Quandoque significat ducere aut propellere. Virg in Bucol. :

Et potum pastas age.

Horatius in secundo Epistolarum :

Navem agere ignarus navis timet.

Quandoque in judicio experiri significat. Unde dicuntur in jure civili actiones, et actor qui reum persequitur : Dicitur etiam histrio agere, id est pronuntiare. Unde Cicero actionem pro pronuntiatione accipit : et agere animam, mori significat : sic Cicero pro Milone : Quem agentem animam reliquerat : et agere gratias dicimus, quod indocti regratiari dicunt. AGRICOLA.

Algentes] Algere Græcum est, sed apud eos dolere significat, apud nos vero frigere. Horat. in Arte :

Multa tulit, fecitque puer, sudavit et alsit

AGRICOLA.

Hesperus et Lucifer] Eadem stella est, Veneris appellata, dicitur ἕσπερος Græce ab eo quod illi hesperam, nos conversa aspirationem in *v*, vesperam vocamus : quoniam post occidentem luceat occidatque : Lucifer autem mane, cum præcedit orientem solem, et tanquam dux ejus ferat lucem. AGRICOLA.

Ortus] Quia varia nomina ortus et occasus astrorum apud auctores inveniuntur, locus videtur exposcere, ut paucis et quam brevissime possumus, eam rem aperiamus. Ante omnia ergo sciamus oportet, duplices esse ortus et occasus astrorum, quorum alii mundani vocantur, alii solares. Mundanus ortus est, quoties astrum voluto cœlo incipit efferri supra terram, ut conspici a nobis nisi sol obstet, possit : contra occasus est, quando astrum occulitur rursus ad occidentem sub terra, et aspectui nostro subtrahitur et hi ortus et occasus omnibus astris quotidie propter integram cœli conversionem contingunt. Solaris autem ortus et occasus quales sunt, sic habeto : sol quandocunque aliquod astrum propius quindecim partibus, vel (ut vulgo loquimur) gradibus alicujus signi conjunctum illi est, tunc magnitu- A dine luminis sui occulit illud, ne possit videri, diciturque astrum sub radiis esse, deinde postquam sol progressus est ultra quindecim aut, ut Plinio placet, undecim gradus, tunc incipit emergere e radiis astrum et apparere mane ante orientem solem, isque vocatur exortus matutinus. Quando autem sol progressus est usque ad gradus centum octoginta ab astro, tunc oppositus dicitur astro, post id vero progressus quindecim gradus post occidentem solem incipit oriri astrum, isque vocatur exortus vespertinus. Rursus appropinquans astro, cum incipit ad quindecim gradus accedere, illud vocatur occasus vespertinus, quoniam occidente sole id astrum proxime occidat. Postremo, cum incipit rursus sol quindecim gradus accedere ad oppositionem proximos, quia B tuuc oriente sole id astrum postremum videtur occidere, dicitur occasus matutinus. In Venere et Mercurio rectius quis ortus vespertinos et occasus matutinos vocaverit emersiones et occultationes : quia semper prosequuntur ista duo solem, et illi adhærent; sed quando mane incipiunt emergere ex radiis et apparere, dicuntur oriri ortu matutino : rursus quando redeunt mane ad solem, et parent occultari dicuntur occidere occasu matutino; similiter et vespere emergentia, oriri et redeuntia sub radios occidere dicuntur : et hoc est quod hic dicit Boetius oriri Venerem vesperi, id est incipere apparere post occidentem solem, quam explicationem diligentius notato, quoniam crebra hujus rei mentio apud litteratos C est, et raro satis exacte explicata. AGRICOLA.

Habenas] Habenæ ab habendo, id est retinendo, dicuntur, quia equi illis cohibeantur et teneantur : hic figurate pro ordine aut cursu ponitur. AGRICOLA.

Frondifluæ] Quia frondes ab arboribus fluant. AGRICOLA.

Brumæ] Bruma a brevitate dicta est, quoniam ea totius anni brevissima sit, sicut solstitium longissima dies, auctor est Plinius. AGRICOLA.

Æstas] Ab æstu, id est calore, dicta est. AGRICOLA.

Agiles] Proprie negotiosos dicimus, qui aliquid agunt. Horat, in I Epist. :

Nunc agilis fio, et versor civilibus undis.

Hic pro celeri ponitur. AGRICOLA.

Horas] Hora Græcum est. AGRICOLA.

D *Boreas*] Ventus est inter septentrionem et ortum solis æstivum, qui Latine Aquilo dicitur. AGRICOLA.

Zephyrus] Quem Latine Favonium dicimus, flat ab occasu æquinoctiali. AGRICOLA.

Arcturus] Græce, interpretatur ursæ cauda, sidus est quod Novembri mense exortus matutinos facit quando agricolæ serunt. AGRICOLA.

Semina et segetes] Differunt, quoniam semina sunt ea quæ serendo in agros spargunt, segetes eæ sunt quæ ex seminibus in agro nascuntur. Persius :

Seges altera in herba est.

AGRICOLA.

Sirius.] Stella ea est quam caniculam vocamus, quæ matutinos ortus in Julio facit, cum maturescunt segetes. AGRICOLA.

Stationis] Statio locus in castris dicebatur cujusque, qui cuique tributus aut ad excubandum aut defendendum erat. Quintilianus in Milite Mariano : Et ab assignata statione miles abducitur, dicitur autem et locus, in quo quis homo vel res consistit. Virgilius in II Æneid. :

Nunc tantum sinus, et statio malefida carinis.

AGRICOLA.

Omnia certo fine, etc.] Indocti, quorum omnia semper sunt plena, hoc loco Boetium reprehendere solent, quasi non satis recte et digne Christiano viro senserit. Cum enim dicat Boetius, *Hominum solos respuis actus*, interpretantur quasi velit dicere Deum res humanas extra curam suam posuisse, neque regere opera hominum sua providentia : cum Boetius non id dicat, sed solum deploret, quod omnia recto ordine regantur, et non errent, neque peccent, soli homini data potestas est bene et male faciendi, idque non est difficile videre ex eo quod in fine hujus carminis dicit, et quo cœlum regis, etc., cujus non est alius sensus, quam ejus quod quotidie oramus : Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. AGRICOLA.

Gubernas] Guberno a Græco κυβερνάω dicit, quod idem significat. AGRICOLA.

Respuis] Id est recusas, spernis, renuis, estque sordidior translatio. AGRICOLA.

Lubricum] A luendo, id est lavando dictum, unde et delubra dicuntur, id est templa : quoniam quæ luta, id est madefacta sunt, lubrica sint. AGRICOLA.

Noxia] A nocendo dicitur. AGRICOLA.

Pœna] A punio, sicut a munio mœnia. AGRICOLA.

Resident] Pro sedent metri causa. AGRICOLA.

Celso] A cello veteri verbo dicitur celsus, unde et excello excelsus, sed procello perculsus facit : dictuque celsus est, quia cellatur, id est alte concitetur, quemadmodum jaculum aut telum missum. AGRICOLA.

Justus] A jure dicitur, quia facit id quod jure præcipitur. Jus autem a jubendo dicitur, quia jussu majoris potestatis jussum sit. Sanctus autem a sanciendo, quoniam quod sanctum sit, id violare non liceat, eumque dupliciter dicimus : nam sanctum vocamus inviolatum a vitiis. Juvenalis :

Egregium sanctumque virum.

Aliquando dicimus, cui non licet vim fieri, sic sanctos legatos dicimus et Virgil. :

Sanctumque senatum.

et Juvenalis :

Præterea sanctum nihil est, aut inguine tutum.

AGRICOLA.

Nil] A nihil per syncopam dictum : sicut mi a mihi, et prendo a prehendo. AGRICOLA.

Compta colore] Hæc translatio parum circumspecte a Boetio facta videtur, licet comere pro ornare apte transferatur ; tamen ut colore comptum dicamus, non convenit, fiuntque translata hæc pugnantia, aut dissidentia inter se, fuisset enim cohærens si dixisset tincta colore, utrumque enim adhuc translatum fuisset ; nunc comi colore non magis convenit quam colorari pectine. Conatus est autem simile illius facere quod Virgilius dixit :

Ferrumque armare veneno.

Verum hoc modestius est : nam serpentem veneno armatum non inepte dicimus ; sed comptum quem colore, parum prudenter dixeris. Sane Theophrastus non sine ratione præcepit translationem verecundam esse debere. AGRICOLA.

Sed cum libuit, etc.] Plerique hos tres versus legunt, ut nocentes dicantur gaudere subdere summos reges, fitque frigidus (ut videtur) et absurdus sensus : rectius erit ergo ut legatur, fortuna gaudet subdere summos reges, cum libuit ei uti viribus, scribaturque gaudet, non gaudent. Duplicem enim potentiam fortunæ ostendit : primum docet quantum possit fraudibus : deinde hic quantum viribus, demonstrat, quæ possit summos reges opprimere. AGRICOLA.

Vilis] Id est contemnendus, facile parabilis : sic dicimus frumentum vile, quando modico venditur. Horat. :

Vilis amicorum est annona bonis, ubi quid deest.

AGRICOLA.

Salo] Salum mare dicitur, a sale dictum est. AGRICOLA.

Immensum.] A metior, quod mensum facit. AGRICOLA.

Carminis hujus genus alii Pindaricum dicunt, alii Archilochium. Est autem anapæsticum, dimetrum, acatalectum. Simile est illi :

Adytum Veneris fuge virgo sagax.

Et illi Senecæ :

Jam rara micant sidera prono
Languida mundo, nox victa vagos
Contrahit ignes : luce renata,
Cogit nitidum phosphoros agmen.

Totis fratris] Hic versus sic legendus est :

Totis fratris et obvia flammis.

Nam in eo trochæus locum non habet. AGRICOLA.

Hesperus] De lucifero et vespere aliud poetæ dicunt, aliud astrologi. Poetæ asserunt quo die Lucifer ante orientem solem apparuit, eodem occidentem solem subsequi. Hoc astrologi quidem eodem die fieri posse negant. Fatentur autem Luciferum modo præcedere mane solem, modo subsequi occidentem, sed diversis diebus. Et poetas fortassis eo potuisse decipi, quod mane Luciferum vidissent, Mercurium vero post solem occidentem. Cinna in Smyrna :

Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem paulo vidit post hesperus idem.

Horatius :

Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum, nec tibi vespere
Surgente decidunt amores,
Nec rapidum fugiente solem,

Virgilius de rosis :

Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum

Manlius in libro primo Astronomicon :

Nec matutinis fulgeret Lucifer horis,
Hesperus immerso dederat qui lumen Olympo

Seneca in Hippolyto :

Qualis est primas referens tenebras
Nuntius noctis, modo lotus undis
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.

Hominum solos respuis actus] Loquitur ut homo perturbati nimis animi, non quod ita sentiat, cum ab Epicureorum opinione longissime absit, sed ut personæ suæ decorum servet, et philosophiæ reprehensioni locum paret. Videtur autem mihi diligenter imitatus tragicum Senecam, cujus hi sunt versus in Hippolyto sane quam elegantes :

O magna parens natura Deum,
Tuque igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sidera mundo,
Cursusque vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas :
Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare vias ætheris alti,
Ut nunc canæ frigora brumæ
Nudent silvas.
Nunc arbustis redeant umbræ,
Nunc æstivi colla leonis
Cererem magno fervore coquant
Viresque suas temperet annus?
Sed cur idem qui tanta regis,
Sub quo vasti pondera mundi
Librata suos ducunt orbes,
Hominum nimium securus ades,
Non sollicitus prodesse bonis,
Nocuisse malis?
Res hamanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera cæca pejora fovens.
Vincit sanctos dira libido,
Fraus sublimi regnat in aula.
Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosdem colit atque odit.
Tristis virtus perversa tulit
Præmia recti, castos sequitur
Mala paupertas, vitioque potens
Regnat adulter,

Hactenus Seneca.

Crimen iniqui] Hic versus monometer est, similis illi Senecæ :

Regnat adulter.

Mendaci colore] Id est falso prætextu seu fuco. Cave ne legas mendacii.

IN PROSAM V.

Hæc ubi continuato] Hic Philosophia, postquam Boetius, querelis suis enarratis, ostendit qua parte adhibenda sibi esset consolatio, tam incipit ordiri consolationem, totumque id quod hinc ad finem usque primi libri est, est prooemium consolationis. Ergo velut lege quadam prooemii primum conciliat sibi auditorem, reprehendens errorem ejus, quod se esse putat in exsilio, et per hoc animum ejus tristem et dolentem confirmat : deinde paucis verbis omnes querelas et causas doloris, quas paulo ante exposuit, repetit ibi. *Et tu quidem de tuis in commune bonum ;* hacque velut confessione et consensu acceptarum injuriarum Boetium benevolum etiam reddit. Deinde ibi, *Sed quoniam plurimis*, docilem eum facit, ostendens ordinem rerum dicendarum, cui subdit carmen id quod sequitur, in eamdem sententiam pertinens. Postremo quoque præparat eum sequentibus argumentationibus et documentis consolationis, inquirendo nonnullis de rebus mentem Boetii, ut illis concessis facilior et firmior fiat aditus Philosophiæ ad consolandum eum : quod etiam ad partem docilitatis in prooemio pertinet, partim etiam attentum facit. Sed sospitatis auctor, quoniam ostendit posse sanari eum, ostendit etiam qua ratione id fieri possit. Dicit ergo Boetius philosophiam, postquam querelas suas audivit, respondisse sibi, statim cum flentem eum vidisset, intellexisse in exsilio esse, sed id exsilium non esse loci nec carceris in quo esset, sed potius a vera et recta sententia mentis suæ. Nam sicut Stoici sentiebant, viro bono totus mundus est patria, cujus Dominus et Rex unus est Deus, et illa neminem posse expelli, nisi qui errore mentis seipsum expellat. AGRICOLA.

Latravi] Id est, cum clamore dixi, per metaphoram dictum ab irrationali ad rationale, latrare enim proprium est canum. AGRICOLA.

Placido] Placidum dicitur, et quod placet : sic Ovid. in Epistolis Heroidum :

Virtus est placidis abstinuisse bonis.

Virgilius in primo Æneidos :

Nunc tandem placida compostus pace quiescit.

Dicitur etiam id cui aliquid placet, ut hoc loco, et Virg. in Bucolicis :

Quam placidum ventis staret mare.

Id est quietum esset, tranquillum, non turbatum. AGRICOLA.

Questibus] Questus quandoque querelam significat, ut hic, diciturque a queror. Quandoque significat lucrum, et tunc dicitur a quæro, et scribitur per æ diphthongon. Cicero in paradoxis . Sin autem per aviditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putas. AGRICOLA.

Ilico] Id est statim. AGRICOLA.

Exsulem] Exsul quasi extra solum dictus est, sicut extorris, qui extra terram suam est. AGRICOLA.

Prodidisset] Protere aliquando significat in apertum dare : sic dicimus memoriæ proditum est, id est traditum. Aliquando significat per perfidiam aliquid tradere : sic dicimus oppidum prodi. AGRICOLA.

Procul] Quasi porro ob oculis, id est longe dicitur· AGRICOLA.

Patria] Dicta est ab habitatione paterna, diciturque relative : ut hæc est mea patria, illa est tua : non bene autem dicitur, est Dominus multarum patriarum, sed multarum regionum vel provinciarum, vel (quo maxime veteres utuntur nomine) terrarum, sic terram Italiam, terram Atticam dicebant. Sane quod Virg. in I Æneid. dicit :

Quæve hæc tam barbara morem
Permittit patria :

subintelligendum vestra : quemadmodum cum aliquem dominum vocamus vel servum, dicentes, O domine, aut o serve, intelligimus semper *mi*. AGRICOLA.

Enim] Neque Cicero, neque post eum quisquam in principio orationis ponit; apud Terentium autem invenitur in principio in Andria : Etenimvero satis spectatum exemplum continentiæ. Sententia est hæc tota Boetii sumpta a Socrate, qui cum interrogaretur cujus esset, respondit esse se mundanum. AGRICOLA.

Quæ non uti Atheniensium, etc.] Dicit mundum non regi arbitrio multitudinis, sicut quondam Athenæ. Sunt enim tres status rerumpublicarum. Nam aliæ reguntur unius dominatu, quod regnum dicitur; aliæ paucorum potentia, quam eptimatium statum dici-

mus; aliæ populi voluntate, quæ popularis status dicitur, qui ipse plerumque turbulentissimus et seditiosissimus est. Græcum quod scriptum est, sic est : Sed his, id est *unus*, kyrios, id est *dominus*, estin, id est *est* : his, id est *unus*, basileus, id est *rex*. AGRICOLA.

Frequentia civium] Id est multitudine : dicimus autem et homines frequentes, quando multi convenerunt : sic Salust. in Catilina : Quia nondum frequentes convenerant : et loca frequentia, in quibus multi homines conveniunt; sic Livius in XXXII : Infrequentissima urbis loca occupat. AGRICOLA.

Cujus agi frenis, etc.] Sententia est accepta a Cicerone pro Cluentio, qui dicit, Legum servi sumus, ut liberi esse possimus. AGRICOLA.

An ignoras, etc.] Vulgus hunc locum non intelligit. Romæ lex, ut quisquis ibi habitaret, quanquam esset expulsus in exsilium e patria sua, tamen quoniam Romam commune domicilium volebant esse orbis terrarum, is non intelligetur fuisse exsul, cum Romæ esset : ad hanc similitudinem jam refert illud quod prædixit oriundum se esse ex mundo. AGRICOLA.

Exsulare] Nomen est exsularis, sicut insularis. AGRICOLA.

At quisquis] Est sententia, neminem posse a civitate sapientis depelli in exsilium, nisi voluerit. Itaque cum primum incipit nolle habitare in ea, tunc etiam incipit non habitare, et fit exsul. Sola enim voluntas est, qua Deo subditi sumus, et qua ab ejus subjectione recedimus. AGRICOLA.

Itaque non tamen, etc.] Hoc dicit Philosophia : Licet hic te videam in carcere extra patriam tuam, tamen non ideo te puto exsulem esse, sed quia ab animi tui constantia et tranquillitate recessisti. AGRICOLA.

Ebore ac vitro] Ita mos erat veterum accuratissime omnibus omnium generum imaginibus insignium virorum aut ducum bibliothecas suas exornare. Ebur autem dicitur dens elephanti, qui ex utraque oris parte singuli nascuntur, ad longitudinem nonnunquam decem pedum, quod alii cornu elephanti vocant. AGRICOLA.

Sententias] Sententiam aliquando vocamus breve dictum universaliter aliquid pronuntians, quod ad vitam hominum pertineat, ut : talis quisque est, qualibus amicis gaudet; avaro tam deest quod habet quam quod non habet. Aliquando dicimus sententiam omnem cogitationem aut constitutionem animi nostri. Sic Virg. :

Nunc quæ te jurata, pater, sententia vertit.

Quandoque etiam sententiam vocamus sensum aut mentem verborum quæ dicimus diciturque sententia a sentiendo, quoniam ita sentiamus, id est judicemus. AGRICOLA.

Et tu quidem] Repetit breviter Philosophia querelam Boetii, et per capita commemorat, captatque (ut prædiximus) benevolentiam, cum fatetur vera esse ea quæ clare in textu patent. AGRICOLA.

In commune bonum] Id est in utilitatem publicam. AGRICOLA.

Pauca] Inter paucum et parvum hoc interest, quod paucum ad numerum magis pertinet, parvum ad quantitatem refertur. Duo enim gigantes pauci homines sunt, non parvi : contra vero mille pygmæi parvi sunt, non pauci. AGRICOLA.

Honestate] Quia pleraque abjiciebantur ei quæ fuisset Boetio turpe negare, ut quod voluerit senatum esse salvum, et reliqua ejus generis. AGRICOLA.

Strictim] Id est breviter, a stringendo, id est arctando vel colligando. AGRICOLA.

Vulgi] Vulgus masculini et neutri generis invenitur. Virgil. in II Æneid. :

Hinc spargere voces
Invulgum ambiguas.

Horatius in odis :

Odi profanum vulgus et arceo.

AGRICOLA.

Damna] Damnum a dando, id est expendendo dictum puto, sicut scamnum a scandendo, scribendumque est sine *p*, quemadmodum scamnum, somnus, temno : et ut semel dicatur, nunquam *p* inter *m* et *n* litteras in Latinis dictionibus intervenit. Ipsum *m*, teste Quintil. in I Institut., Latine loquendi more sonandum est tanquam esset *n* littera. AGRICOLA.

Postremo adversus, etc.] Hoc fecit Boetius in carmine :

O stelliferi conditor orbis.

AGRICOLA.

Incanduit] Id est exarsit. Candere proprie est album esse, et propemodum fulgorem reddere. Virgil. in I Æneid. :

Candentis vaccæ media inter cornua fudit.

Horatius in Odis :

Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.

Inde per translationem deductum est, ut quæ ignita sunt, cadentia dicantur. Horat. :

Ventres lamina candente nepotum
Diceret urendos.

Hinc demum sicut ardere ira, sic excandescere et incandescere dictum est. AGRICOLA.

Musæ] Id est carminis, per synecdochen, causam pro effectu posuit. AGRICOLA.

Pax] A vetere verbo pago dicta est, unde et compages et pactum, quod præteritum habuit pegi : unde et impigo, impegi dicendum esse videtur, et non impingo, quod impigi media brevi syllaba facere deberet : sicut pepigi, a quo id componitur, facit. AGRICOLA.

Vota] Aliquando votum significat quod Deo promittitur alicujus rei impetrandæ vel exorandæ gratia, aliquando desiderium aut preces : sic dicimus rem evenisse ex voto, et hinc vota dicit, id est preces posuisti. AGRICOLA.

Sed quoniam plurimus] Hoc loco docilem facit Philosophia, ostendens quo ordine velit de rebus ad consolandum Boetium pertinentibus disserere, et quod primum, hoc est in secundo libro, velit uti lenioribus remediis, ut quasi præparet eum ad acriora remedia percipienda. Plurimus, id est valde multus, hocque

magis ex usu loquendi hominum, quam ex virtute verbi aut vera significatione dicitur. AGRICOLA.

Affectuum] Affectus dicitur id quod Græci vocant πάθος, quod nostri hodie ignari Ciceronis et aliorum auctorum Latine loquentium, passionem animi vocant. Est autem affectus major quidam animi motus, desinens tandem : nam si duret, jam nomen affectus amittit, et consuetudo dicitur. Itaque ira affectus est, iracundia vero assuetudo : affectionem autem Cicero vocat omnem permotionem non animi solum, sed et corporis, id quod dialectici nostri dispositionem vocant : quemadmodum quod illi habitum vocant, melius consuetudinem, vel usum, vel assuetudinem vocarent, ut sit affectio tremor, qui ex metu provenit, assuetudo vero tremor qui ex senio vel morbo relictus. AGRICOLA.

Incubuit] Per metaphoram dictum est, id est invasit : proprie enim super aliud jacere. Virg. :

Incubuitque toto.

AGRICOLA.

Uti nunc mentis] Dictum est ad illam figuram, sicut dicimus, sum lætæ mentis. Ovidius :

Et vultus melioris eris.

habetque gratiam non indecoram illa forma dicendi. AGRICOLA,

Nondum te validiora, etc.] Longe et crebræ translationes conjunctæ sunt, et prope in allegoriam vertitur oratio. AGRICOLA.

Non quidem pulsus es, sed aberrasti] Loquitur ex Stoicorum sententia, qui aiunt hominem sapientem civitate depelli non posse, nisi ipse pravis cupiditatibus victus aberret ab ea. Cicero in Paradoxis : Sapientis animus magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemplatione fortunæ, virtutibus denique omnibus ut mœnibus septus vincetur et expugnabitur, qui ne civitate quidem pelli potest ?

Ἀλλὰ εἷς βασιλεὺς ἔστιν, εἷς κοίρανος] Hæc verba sunt in exemplari quod doctissimus Cæsarius mihi commodavit. Interpretantur autem sic. Sed unus rex est, unus Dominus. Habentur et sic in eodem margine ascripta, Ἀλλά εἷς κοίρανός ἔστιν, εἷς βασιλεύς : Sed unus dominus est, unus rex. In epistola vero Ædicollii paulo aliter, Εἷς κοίρανος ἔςτω, εἷς βασιλεύς : Unus dominus sit, unus rex. Agricola vero hunc in modum legit, εἷς κύριός ἐστιν, εἷς βασιλεύς.. Sumptum est ex Homero, qui in secunda Iliados rhapsodia sic inquit :

Οὐκ ἀγαθὸν πλουκοιρανίμ, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς :

id est, non bonum multorum dominatio ; unus dominus sit, uuus rex, quod (ut Philippo Beroaldo placet) uno versu sic reddi potest,

Non opus ut multi, sed princeps imperet unus,
Rex unus.

Possumus et sic reddere,

Non bona multorum dominatio, sit dominus, sit
Rex unus.

Tuæ civitatis] Civitatis sapientum. Cicero in III de Finib. de Stoicis hæc tradit : Mundum autem censent regi numine deorum, eumque esse quasi communem urbem, et civitatem hominum et deorum, et unumquemque nostrum ejus mundi esse partem. Idem in Paradoxis : Mors terribilis est iis quorum cum vita omnia exstinguuntur, non his quorum laus emori non potest. Exsilium autem terribile his quibus quasi circumscriptus est habitandi locus, non his qui omnem orbem terrarum unam urbem esse dicunt. Idem in Tusculanis Quæstionibus : Itaque ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest : Patria est ubicunque est bene. Socrates quidem cum rogaretur cujatensem esse diceret, mundanum inquit. Totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. Prosper, eruditus et Christianus poeta :

Non metuo exsilium, mundus domus omnibus una est.

Divus Ambrosius in 6 epist. : Quocunque accesserit sapiens, ubique civis est, ubique sua omnia intelligit, nusquam se peregrinum, nusquam hospitem judicat. Theophrastus dicere solebat doctum hominem, ex omnibus solum, neque in alienis locis peregrinum esse, neque inopem amicorum. Vetus adagium est : Quævis terra patria, quo admonemur virum sapientem ac bonum, ubicunque gentium vixerit, felicem esse. Ovid. in Fastis :

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Papinius in Thebaide :

Omne homini natale solum.

Ei jus exsulare non esse] Id est non licere ei exsulem esse, seu pati exsilium. Meo judicio exsulare hic verbum est, tametsi secus sentiat Agricola. Potest et sic exponi, jus exsulare, hoc est jus exsulandi, ut apud Horatium :

Tempus abire tibi ;
id est tempus abeundi.

IN METRUM VI.

Cum Phœbi radiis] Carmen hoc ex præcedentibus pendet : quia enim prædixit Philosophia velle se primum mala et dolores Boetii mitioribus remediis mollire, ut sic deinde ad acriora medicamina percipienda aptior fieret. In hoc carmine velut, communi quadam sententia, ostendit in omnibus rebus ita debere fieri, ut quodque suo tempore peragatur : quod si ante tempus festinemus, vel extra tempus conemur aliquid, frustra nos et sine effectu laboraturos esse. Metrum est Glyconium, dictum ab auctore Glycone : trimetrum, hoc est tribus pedibus constans, spondeo et duobus dactylis. Dicit qui per æstatem, cum omnia fervent caloribus, serere volet, frustra sperabit messem : sic etiam per hiemem violas non esse legendas, nec uvas colligendas vere ; Deus enim omnibus rebus tempora sua dedit, quæ qui non sequetur, non habebit lætum finem rerum suarum. AGRICOLA.

Cum Phœbi radiis grave, etc.] Totum periphrasis est, id est circumlocutio æstatis. AGRICOLA.

Cancri] Cancer est signum cœleste, in quo sol æstate facit solstitium, quo tempore fervidissima æstas est. AGRICOLA.

Negantibus] Negare dicitur et verbis abnuere, ut Terent. in Eunucho :

Ait, aio ; negat, nego.

et opere non obsequi. Lucanus in primo :

Summisque negatum
Stare diu.

AGRICOLA.

Sulcis] Sulcus est cavitas oblonga illa quæ inter terram utrinque ab aratro disjecta in agris relinquitur. AGRICOLA.

Credidit] Credere proprie significat alicui fidem adhibere, unde eredere dicimus, aliquando committere aliquid alteri, vel tradere, ut pecuniam vel secretum : quia cujus fidei non credimus, illi fere non tradimus ullam rem. AGRICOLA.

Quernas]Sic proprie facimus possessivum a quercu, non quercinas, ut vulgus barbare dicit. Est autem quercus arbor glandifera, ignota nostris regionibus : quod enim nos quercum vocamus, proprie robur dicitur. AGRICOLA.

Purpureum nemus] Non satis considerate posuit Boetius hoc adjectivum. Describitur enim hiemem, quo tempore dicit ad legendas violas purpureum nemus non esse petendum : verum eo tempore nunquam nemus est purpureum, quoniam nulli tunc sunt flores. Ergo parum circumspecte, cum orationem ad illud tempus referat, videtur dixisse purpureum nemus, nisi ad Græcam hujus verbi proprietatem allusit. Illi πορφύρεον, id est porro φυρόμενον, hoc est prorsus mistum et agitatum dicunt : inde etiam hic purpureum nemus dixerit hiemis velut ventis turbidum et inquietum. AGRICOLA .

Nemus] A Græco νέμω id est pasco, dicitur. Quoniam prisci per nemora, quemadmodum adhuc multis regionibus fit, armenta pascebant. AGRICOLA.

Lecturus] Lego proprie id quod colligo significat : unde et legere litteras dicimus : quoniam colligendo et conjungendo eas, verba, et ex his, sententias efficimus. AGRICOLA.

Inhorruit] Id est concussus est vel exasperatus. Horrere proprie est metu vel frigore concuti. Juvenalis :

Simplex ne furor, sestertia centum
Perdere, et horrenti tunicam non reddere servo ?

AGRICOLA.

Vernos] Ver sicut pleraque Latina a Græco ἦρ ductum est, præposita littera ; sicut illi ἴς, nos vis dicimus. AGRICOLA.

Palmites] Dicuntur rami vitium, quoniam velut palpando adminiculis quibus sustentantur adhærent. AGRICOLA.

Autummo] Autumnum dictum credo, quod is auctor laborum omnium qui per totum annum colendæ terræ suscipiuntur, quia autumnus est qui fructum laborum refert. AGRICOLA.

Bacchus] Græcum nomen est quod Deum vini significat, et Latine Liber pater dicitur. AGRICOLA.

Tempora] Tempus a tendendo dictum videtur, quoniam per omnia tendatur, et complectatur omnia. AGRICOLA.

Aptans] Id est accommodans, dictum est a vetere verbo apo, apis, apere, quod significat connecto, unde et apiscor, a que adipiscor dicitur : sicut a facio faciscor, et tamen proficiscor. Hinc et apex di-A ctus est, qui teste Festo Pompeio, filum erat laneum, quo flamen, caput circumligans, crines, ne spargerentur, continebat. AGRICOLA.

Officiis] Officium aliquando meritum significat vel beneficium. Cicero in I Epistol. : Ego omni officio ac potius pietate cæteris erga te satisfacio omnibus. Unde et officiosus dicitur in hac significatione. Quandoque significat id quod quisque ex professione sua facit : sicut officium medici est sanare, officium fabri struere, officium boni viri recte facere. Sic Cicero librum Officiorum appellavit, quoniam illic de officiis boni viri disserit. AGRICOLA.

Præcipiti] A præ et caput dictum est, diciturque mitti præceps, qui sic mittitur ab alto, ut caput ejus B præcedat et sequantur pedes. Deinde et locus dicitur præceps, qui directe et ad perpendiculum in altum tendit, et non fastigiate et molliter. AGRICOLA.

Via] Ut ait Varro, a vehendo dicta est, quasi veha, quia per eam res vehuntur, sicut iter ab eundo dicitur. AGRICOLA.

IN PROSAM VI.

Primum igitur] Hic Philosophia interrogationibus quibusdam præparat animum Boetii ad ea quæ in consolationem illius prolatura est, melius accipienda. Itaque quemadmodum geometræ solent suppositiones quasdam proponere, quibus concessis possint adversario id quod volunt ex illis demonstrare, ita hic Philosophia facit. Quia enim duo sunt præcipua ad C ostendendum quod nihil debeamus moleste ferre, quidquid nobis accidat adversi, quorum primum est quia Deus mundum providentia sua regit, certum est nihil ab eo in mundo nisi benefieri. Ergo quidquid ab illo nobis immittitur, bonum est, nec debemus propter id, qualecunque fuerit, dolere. Secundum vero est quia homo est sortitus animam quæ immortalis est et ad æternam beatitudinem consequendam facta est ; non debet ergo quisquam dolere propter ulla adversa, quia illa brevia sunt, et per illa ad beatitudinem aperitur nobis via. Sane Boetio horum utrumque concedendum fuit, non solum quia Christianus erat, sed etiam ex secta philosophiæ quam sequebatur, quæ erat vetus Academia ex institutione Platonis. Epicurei quidem utrumque et providentiam D et animæ immortalitatem negabant, et item omnes fere physici veteres, quorum sententiam apud nos Lucretius in poemate copiose explicuit. Stoici providentiam Dei regentem mundum ponebant, immortalitatem animorum negabant. Ergo si cum his disputandum fuisset, utrumque earum aut alterum probandum ante erat, ne ex non confessis procederetur : nunc Boetium credentem ista satis fuit admoneri. Primum ergo horum Boetius celeriter concedit. Ad secundum vero cum Philosophia id multis interrogationibus conetur elicere, ut servet decorum persona Boetii, qui tristis et perturbato animo erat, nec poterat præ mœrore intelligere quid diceret Philosophia, nihil certum respondet, cum id etiam philosophia non aperte proponat, sed tamen elicere ex aliis interrogationibus cupiat. Et secundum quidem hoc in

duas partit suppositiones. Ex hoc enim quod anima immortalis est, conjuncto cum eo quod providentia regitur mundus, consequitur finem animæ Deum esse, hoc est beatitudinem, ad quam a Deo ordinata est. Interrogat igitur primum Philosophia Boetium an credat divina ratione mundum regi, quod quidem expedite Boetius fatetur, quemadmodum jam in proximo carmine cecinerat. Deinde perquirit Philosophia an sciat Boetius quibus gubernaculis mundus regatur. Ad quod respondet vix se intelligere quid dicat Philosophia; itaque non facile posse se respondere ad interrogata: quare subjicit Philosophia non mirum esse si in ea ignorantia aut errore perturbationes aliquæ animum ejus invaserint. Est autem (ut verum dicatur) post priorem interrogationem hæc posterior supervacua, neque videtur Boetius satis diligenter naturam quæstionum istarum distinxisse. Nam si conceditur mundum non regi fortuitis casibus, sed divina ratione, quid opus erat deinde interrogare quibus gubernaculis mundus regeretur, cum certum jam sit ex priori confessione divina ratione, id est providentiam esse, per quam regitur mundus? Sane primum interrogandum erat an crederet esse ullum Deum, quod nonnulli omnino negabant: alii (ut Epicurus et sectatores sui) dicebant esse Deum, sed otiosum et non curantem res humanas, Utrique igitur isti ponebant. fortuitis casibus regi, ergo cum concessisset Boetius esse Deum, tamen inquirendum erat crederetne providentia illius regi mundum. Nemo enim omnium inventus est qui, cum crederet Deum conditorem præsidere mundo, qui pûtaret fortuitis casibus res agitari, sed credebat omnia providentia gubernari. AGRICOLA.

Sed dic mihi, meministi, etc,] Hic conatur elicere secundam suppositionem, quæ est, hominem ad beatitudinem consequendam factum esse: interrogat ergo Philosophia an meminerit Boetius quis sit finis rerum, quod quale sit Boetius dicit oblitum se esse. Id rursus tentat Philosophia alia percontatione elicere, quæritque an quod sit omnium principium sciat: qui respondit Deum esse, ut paulo ante dixit. Dicit ergo Philosophia mirum esse, cum sciat principium omnium rerum, ut finem ignoret. Hoc ideo est, quoniam enim scit Deum principium omnium esse, debebat scire Deum omnia fecisse, ut essent bona, quia bonitas cujusque, beatitudo ejus est; ergo omnia voluit esse beata, quatenus natura uniuscujusque (ut ait Plato) capax beatitudinis esse poterat. Deinde ibi, *Sed hoc quoque*, etc., tertium de animi immortalitate perquirit. Quærit ergo an meminerit hominem se esse, deinde an sciat quis sit homo. Ad quod respondet Boetius, ex sententia Porphyrii, hominem esse animal rationale mortale, cum rectius definivisset hominem esse animal ex corpore et rationali immortali anima compositum. Cum enim oblitus sit Boetius constare se ex anima immortali, non est mirandum si brevibus istis adversitatibus perturbetur: dicit ergo hanc etiam esse vel præcipuam mali sui causam, quod sui oblitus sit, desieritque seipsum nosse. Colligit ergo has tres suppositiones more suo ab ultima incipiens. Quoniam enim oblitus est sui, hoc est, nescit ad immortalem se beatitudinem destinari, idcirco tanquam exsulem et bonis suis spoliatum se deflet. Quod fieri non potest, nam immortali nihil mortale bonum vel malum esse potest. Deinde, quia ignoret finem rerum, decipi eum ut felices putet eos quorum prospera sunt scelera, cum potius infelicissimos eos putare deberet, ut quos gravissimæ pœnæ maneant scelerum suorum. Postremo, quia putet providentiam non esse quæ mundum regat, putat omnia incerta sorte et fortuito evenire: qui errores ad omnem subversionem et perniciem mentis satis magni sunt. AGRICOLA.

Pateris] Patior quandoque significat permitto, ut hic, et Cicero in Catilinam: Non patiar, non feram, non sinam: quandoque significat male affici. Juvenal.:

> Lateris vigili cum febre dolorem
> Si cœpere pati.

AGRICOLA.

Statum] Status quandoque dicitur habitus corporis in pedes erecti, ut dicimus, status, sessio, accubatio: quandoque significat conditionem. Virgil.

> Qui status antiquo Latio?

AGRICOLA.

Curationis] Curare proprie curam adhibere significat, inde quoniam præcipua est medici circa ægrotum sanandum cura; curare etiam pro sanare; quandoque non sanare, sed curam sanitatis habere: unde etiam ut non sanetur æger, medicus curare dicitur; tamen Horat. in II Epistol. ait:

> Fugeres, radice vel herba
> Proficiente nihil curarier.

Potest ergo curari radice nihil proficiente, sed nequaque sanari. AGRICOLA.

Arbitratu] Id est voluntate vel judicio. Arbitrari veteres dicebant inspicere vel cognoscere, unde remotis arbitris loqui dicitur, qui solus cum aliquo loquitur, et arbiter judex vocatus. AGRICOLA.

Ullum] Ab uno nonnulli ullus dictum volunt. AGRICOLA.

Conditore] Condere quandoque significat facere, ut hic et supra:

> O stelliferi conditor orbis.

Quandoque colligere. Horatius in I Carminum:

> Illum si proprio condidit horreo.

Quandoque abscondere. Virgil. in Bucolicis:

> His ego sæpe lupum fieri et se condere silvis,

AGRICOLA.

Exsortes] Exsors ab ad et sors dicitur, quasi extra sortem, id est partem, qui prorsus privatus est re. AGRICOLA.

Papæ] interjectio stupentis vel admirantis est, a Græco Βαβαί ducta. AGRICOLA.

Sententia locatus] Frigida et segnis videtur esse ista translatio, locari in sententia; rectius erat utcunque aut locatam in eum sententiam; melius utique et modestius erat, cur tam salubrem habens sententiam: aut fretus, aut præditus, vel nixus sententia ægrotet. AGRICOLA.

Conjecto] Id est suspicor : unde conjectores dicuntur somniorum, aut similium rerum interpretes, quoniam suspicionibus futura colligunt. AGRICOLA.

Ambigis] Ambigere, ab am quod circum in compositione, et ago dictum per interpositionem *b* litteræ. AGRICOLA.

Num inquit, etc.] Sententia est. Non dubitabam quin error esset aliquis in te, qui causa esset ut dolor iste rerum adversarum posset intrare in animum tuum. AGRICOLA.

Hiante valli robore] Similitudo a munitionibus ducta est; quando enim aliquid deest vallo ut hiet, id est apertum sit, datur aditus hostibus in munitiones. AGRICOLA.

Morbus] hic per translationem dictus est : credo dictum a morte, quoniam morbus ad mortem ducat. AGRICOLA.

Exstirpare] A stirpe dicitur, quod masculino genere radicem significat, quasi stirpitus evellere. AGRICOLA.

Vel maximam] Vel hic non disjunctive ponitur, sed id fere quod etiam significat : sic Propertius :

Nocte una quivis vel Deus esse potest.

AGRICOLA.

Reconciliandæ sospitatis.] Dura translatio, sicut Boetii pleræque, pro reparandæ vel recuperandæ est dictum. Reconciliantur enim proprie qui ex amicis inimici facti, rursus redeunt in gratiam. A concio enim concilium dictum est, id est, conventus hominum : unde conciliare homines ad consensum perducere. Fuit sane modestior aliquanto translatio, nec isti multum dissimilis tamen quam in Tyrone suo graviter castigat Cicero, quod ille dixerat, valetudini fideliter serviendo. AGRICOLA.

Nequam] Id est non cujusquam, hoc est, qui nihili homo est et nullius pretii : cujus contrarium est, qui dicitur frugi, qui frugem aliquam bonam et utilitatem sui præbet. Itaque Plantus nummum nequam dixit, qui bonus non esset. AGRICOLA.

Vices] Id est, vicissitudines, permutationes. AGRICOLA. *

Reliqua Rodolphi Agricolæ quæ in Boetium scripsisse fertur in manus meas non pervenerunt, quæ utinam pervenissent! Nam ut hæc, ita et illa sane quam libens tibi communicarem. Cæterum te, candide lector, oratum velim ut his nostris qualibuscunque tantisper contentus sis, dum fueris adeptus meliora.

Sed sospitatis auctori grates] Attentum simul et benevolum reddit Boetium, dicens non omnino de ejus salute desperandum esse, sed Deo gratias agendas, quod elementa recuperandæ salutis sint relicta.

Sospitatis] Incolumitatis.

Auctori] Deo.

Grates] Gratias subaudi agamus.

Sed quoniam firmioribus] Ostendit qua ratione Boetio sanitas restitui possit.

Tempus uti] Pro utendi, figurata locutio est.

Hanc] Perturbationum caliginem.

Fomentis] Remediis. Duplicia autem remedia Boetio Philosophia promittit. Primum quidem lævia et mediocria ad removendam perturbationum caliginem, quæ impedimento est animo quo minus queat speculari veritatem. Deinde vero acriora firmioraque, ut falsæ felicitatis specie perspecta, veræ beatitudinis formam possit intueri.

IN METRUM VII.

Carmen est adonium, dactylo constans et spondeo: quo docet Philosophia tribus pulcherrimis comparationibus ita mentem hominis perturbationum caligine confundi, et passionem vinculis obstringit, ut nonnunquam in servitutem redacta, veritatem minime possit intueri. Sciendum est quatuor principales esse animæ perturbationes, quæ et affectiones dicuntur, et a junioribus passiones. Harum duæ quidem ex opinione boni nascuntur, gaudium et spes : duæ vero ex opinione mali, dolor et metus. Gaudium, quæ et voluptas gestiens (id est præter modum elata lætitia) dicitur, est animi affectio proveniens ex opinione præsentis magni cujuspiam boni, rationi non obtemperans. Spes quæ et cupiditas vocatur, est animi affectio proveniens ex opinione futuri cujuspiam boni, rationi non obtemperans. Dolor seu ægritudo est animi affectio proveniens ex opinione magni mali præsentis rationi non obtemperans. Metus est animi perturbatio, accidens ex opinione magni mali impendentis, præter rectam rationem. Has perturbationes magnus poeta paucis complexus est, in Æneidos sexto :

Hunc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, nec auras
Respiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco.

Ex his vitium omne nascitur : unde Francis. Philelp. in Satiris :

Dedecus omne audet mens perturbata nefasque.

Danda igitur cum primis opera est nobis ut eas vel exstirpemus, vel certe rationis subdamus imperio, ut compotes beatitatis evadamus. Divus Ambrosius in II Epistolarum : Insurgit enim sapiens quasi, victor debellatis a se ac triumphatis, libidini, timori, ignaviæ, mœstitudini, cœterisque vitiis, donec ea de possessione suæ mentis eliminet, et omnibus terminis finibusque suis propulset, atque arceat. Joannes Bocacius in Bucolicis :

O Damon, Damon, quantum sibi quisque beavit,
Qui potuit mentis rabidos sedare tumores.

Baptista Mantuanus :

Ardua res, vicisse alios : victoria major
Est animi fluctus composuisse sui.
Subjecisse metus, et debellasse tumores
Gaudia, spemque gravi supposuisse jugo.

Nos quoque annos abhinc septem in Eclogis moralibus hunc in modum lusimus :

Fortibus bellis animos domate,
Vinculo pacis reprimatur ira,
Cura sit mordax procul, arceatur
Prava cupido.
Nemo captores rutilis in armis
Urbium jactet, celebres triumphos
Nemo miretur, quibus intumescunt
Sæpe tyranni.
Gestiens quiquis pepulit quiete
Gaudium et duros animo dolores,
Spes anhelantes, pavidumque vicit
Corde timorem

* Deficiunt Agricolæ commentaria : solus deinceps commentabitur Murmellius. EDIT.

Solus hic lauri meruit coronam,
Purpuram solus, placide triumphans.
Proximam sedem cui dat beato
Vera voluptas.

Et in quarto Elegiarum libro :

Splendida non faciunt fortunæ munera regem,
Blattea nec vestis, nec generosa domus.
Rex est qui sese, rectæ rationis habenis
Compescens animi noxia vota, regit.
Non merito fortis censetur, qui nimis audax
Tristia terriblii corpore bella gerit.
Fortis eximio virtutis prædita dono
Mens pia, mens almæ conscia justitiæ,
Quæ domat affectus recto moderamine pravos,
Corporeas vincens gnaviter illecebras.
Cujus ad imperium fugit illecebrosa voluptas,
Et dolor impigra spesque metusque fuga.

Volvens] Exagitans.

Turbidus auster] Turbulentus ventus, species pro genere posita.

Æstum] Maris motum.

Vitrea] perspicua.

Par] Similis.

A *Visibus obstat*] Visum non transmittit.

Defluus] Deorsum fluens.

Resistit] Remoratur.

Obice] Objectione.

Saxi soluti rupe] Dissoluti a rupe.

Lumine] visu.

Cernere] videre.

Verum] Veritatem.

Carpere callem] Ire. Sic Ovidius :

Si rota defuerit, tu pede carpe viam.

Nubila] Obscurata, perturbata.

Ubi] In qua mente.

Hæc] Hæ perturbationes, de quibus Philelphus in Satiris :

Hic timet, ille cupit, dolor hinc furit, inde voluptas,

B Et nos in primo Elegiarum :

Languida conficiunt mordaces pectora curæ,
Hinc spes, inde metus, lætitia atque dolor.

Regnant] Dominantur.

LIBER SECUNDUS.

IN PROSAM PRIMAM.

Superiori volumine Boetii querelæ dolorisque et ægritudinis causæ sunt expositæ, quibus penitus introspectis, Philosophia peritissima languentium animorum medica, nunc hoc in libro remedia confert (ut supra pollicita est) ea quæ sunt leviora, quo in subsequenti volumine commodius acriora possit adhibere. Tota autem disputatio nunc spectat eo, ut ostendat fortunæ bona minime nostris in bonis esse numeranda.

Post hæc] Post decantatum proximum carmen.

Ubi] Postquam.

Modesta] Moderata.

Collegit] Refecit.

Exorsa est] Cœpit loqui.

Habitum] Affectionem, disputationem.

Tabescis] Consumeris.

Pervertit] Perturbat.

Illius prodigii] Monstrosæ fortunæ.

Fucos] Fraudes. Terentius in Eunuch :

Per impluvium fucum factum mulieri.

Quos eludere nititur] Joannes Campanus :

Dat fortuna manus quibus est nocitura secundas :
Ridet ut alliciat, porrigit ut capiat.

Seneca.

Fortuna cum blanditur, captatum venit.

Incessere] Impetere, insectari. Gellius : Cum me maledictis incesseret.

Adyto] Adytum locus est secretior templi, ad quem non nisi sacerdoti dabatur accessus. Virgilius :

Isque adytis hæc tristia dicta reportat.

Hic intellige Philosophiæ secretarium, quæ tanquam numen sacra est, et veneranda.

Verum omnis subita mutatio rerum, non sine quodam quasi conflictu contingit animorum] Pulchra et verissima hæc est sententia, a qua non discrepat illa Senecæ :

Gravius nocet, quodcunque inexpertum accidit

Et ejusdem illa :

Grave est malum omne quod sub aspectu latet.

Conflictu] Commotione, cruciatu.

Tempus haurire] Pro hauriendi. Sic Horatius in epistolis :

Tempus abire tibi.

Propertius :

Nunc est discedere tempus.

Suadela] Vis et facultas suadendi.

Nostra instituta] Philosophiæ præcepta.

C *Musica*] Poetica, quam et Terentius musicam appellavit.

Hæc natura] Ut sit mutabilis.

In ipsa sui mutabilitate constantiam] Ovid. in Tristibus :

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.
Sed modo læta manet, vultus modo sumit acerbos,
Et tantum constans in levitate sua est.

Ambiguos vultus] Incertos, modo hilares modo tristes.

Cæci numinis] Fortunæ, quam veteres deam cæcam sunt fabulati. Plinius lib. II Naturalis Historiæ, capite 7 : Toto quippe mundo, et locis omnibus, omnibusque horis, hominum vocibus fortuna sola invocatur, D et una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur et cum convitiis colitur : volubilisque, a plerisque vero et cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit. M. Tullius in Lælio : Non enim solum ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos quos complexa est. Franciscus Petrarcha in Bucolicis :

Cæca rotat fortuna fidem, rotat omnia fatum.

Auctore Cebete Thebano, Fortuna super lapide quodam rotundo consistere videtur, et non solum cæca, sed insana etiam et surda est. Obambulat quocunque gentium, et aliis quidem facultates eripit, aliis tradit, ab eisdemque rursus aufert illico quæ tradiderat, atque aliis temere instabiliterque concedit. Pacuvius :

Fortunam insanam esse et brutam perhibent philosophi,
Saxique ad instar globosi prædicant esse volubilem.
Quia quo saxum impulerit fors, eo cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem esse vocant, quia nihil cernat quo sese applicet.
Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta instabilisque sit;
Brutam, quia dignum aut indignum nequeat internoscere.

Apuleius in septimo de Asino aureo. Subibatque me non de nihilo veteris priscæque doctrinæ viros finxisse ac pronuntiasse cæcam et prorsus exoculatam esse fortunam, quæ semper suas opes et malis et indignis conferat, nec unquam judicio quemquam mortalium eligat; imo vero cum his potissimum diversetur quos, procul si videret, fugere deberet; quodque cunctis est extremius, varias opiniones, imo contrarias nobis attribuat, ut et malus boni viri fama glorietur, et innocentissimus contra noxiorum ore plectatur.

An vero tu pretiosam] Ostendit in fortunæ bonis veram felicitatem non consistere, quod illa minime stabilis sit, discessuque suo longe plus mœroris afferat, quam adventu lætitiæ secum attulerit.

Nec manendi fida] Valerius Max. lib. VI: Caduca nimium et fragilia puerilibusque consentanea crepidis sunt ista, quæ vires atque opes humanæ vocantur: affluunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt, sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos sublime extulerunt, improviso recursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque debent existimari, neque dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinem desiderio sui duplicant.

Allatura mœrorem] Baptista Mantuanus in prima Parthenice:

Tristem sperata, superbum
Jam præsens, amissa facit fortuna dolentem.

Rerum exitus prudentia metitur] Memorabilis hæc est sententia, cui concordat illud Terentii in Adelphis:

Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa quæ futura sunt
Prospicere.

In alterutro] Vel in adversitate, vel in prosperitate.

Nec formidandas fortunæ minas] Seneca tragicus:

Nemo confidat nimirum secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet hæc illis prohibetque Cloto
Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam divss habuit faventes,
Crastinum ut posset sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatis
Turbine versat.

Baptista Mantuanus in prima Parthenice:

Id quoque nonnunquam mentes solatur amaras,
Quod durare nihil patitur fortuna, vicesque
Mobilis alternat, ventoque simillima proram
Nunc premit, a puppi placida modo murmurat aura.

Postremo æquo animo] Aliud affert argumentum Philosophia, quo Boetio non esse de fortuna lamentandum ostendit hunc in modum: Quicunque semel fortunæ dominio se commisit, id æquo animo ferat necesse est. Acceptis autem ab ea opibus et dignitatibus, te fortunæ subdidisti, feras igitur patienter, si deponere coactus fueris ea quæ tibi tradita fuerunt ea conditione, ut non possent apud te perpetuo permanere.

Intra fortunæ aream] Intra locum ubi fortuna dominatur. Videtur translatio sumpta ab area in qua a bobus jugum gestantibus quondam tritura fieri solebat. Tametsi quidam non inconcinne legant aleam, prior tamen lectio magis mihi comprobatur.

Si ventis vela committeres] Probat aptissimis similitudinibus ferenda esse, non culpanda, quæ mutare non possumus.

Volventis] Circumageutis se, aut volubilis.

Conaris] Interrogative legendum hoc, et cum stomacho.

IN METRUM PRIMUM

Hoc carmine iambico quod σκάζον, id est claudicans appellatur, in superiorum confirmationem dicit fortunam sibi nunquam melius placere quam quoties una eademque hora potentissimum quempiam viderit, eumdemque miserrimum. Carmen hoc simile est illi Persiano:

Nec fonte labra prolui caballino.

Hæc] Fortuna.

Cum] Postquam.

Verterit] Mutaverit.

Vices] Rerum conditionumque permutationes.

Exæstuantis] Ultra modum fluctuantis. Vetus adagium est, τύχη Εὔριπος, fortuna Euripus, sive volubilis, seu æstuaria, quod vicissim nunc huic favere soleat, nunc illi, a maris Euripi prodigiosa quadam reciprocandi celeritate ducta metaphora. Est autem Euripus maris pars inter Phocidem Bœotiæ partem et Eubœam insulam, cujus meminit Plin. lib. II. Et quorumdam tamen, inquit, privata natura est, velut Taurominitani Euripi, sæpius et in Eubœa septies die ac nocte reciprocantis, tam rapida conversione, ut (quemadmodum auctor est Pomponius Mela) ventos ac etiam plena ventis navigia secum portet. Neque dum hujus tam stupendæ rei causa satis idonea pervestigata est a scriptoribus, etiam si Titus Livius, secundi belli Punici lib. VII, a ventis quibusdam illic flantibus ita rapi credit. Seneca in Hercule Œtheo:

Euripus undas flectit instabilis vagas,
Septemque rursus flectit et totidem refert,
Dum lassum Titan mergit Oceano jubar.

Cicero pro Plancio: Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, et quantos æstus habet ratio comitiorum? Euripos etiam lacus temporarios manu factos, in qnibus navalem pugnam committebant veteres, quos etiam Nilos appellabant, notum est ex Tranquillo, Tacito, Seneca et aliis.

Dudum] Paulo ante.

Tremendos] Ob potentiam formidandos.

Proterit] Pessundat.

Sublevat] Sursum levat, et attollit.

Dura] Inexorabilis.

Probat] Ostendit.

Ostentum] Prodigium, miraculum.

Visatur] Videatur.

Stratus] dejectus, miser.

IN PROSAM II.

Hoc loco fortuna inducitur severe cum Boetio id expostulans, quod ob amissa doleat non secus ac si sua ipsius bona perdidisset : quæ si propria possedisset, nunquam sane potuisset amittere. Proinde fortuna sibi vindicat opes, honores, et id genus alia, secumque pariter advenire discedereque ait. Et quo minus justæ videantur Boetii querelæ, pollicetur ejus fuisse quæcunque abstulerit, se continuo concessuram, si cujusquam mortalium quidquam illorum proprium esse demonstrarit. Postea inconstantiam suam vires suas esse fatetur, a qua si prohibeatur, iniquissime secum agi. Postremo docet exemplis quibusdam jus sibi semper fuisse volubili orbe rotam circumagere suoque arbitrio versare.

Agitare] Tractare, disputare.

Quid tu o homo] Verba fortunæ adversus Boetium.

Ream agis] Accusas. Reum agere est accusare. Peragere vero, condemnare.

Quid] Aliquid.

Nudum rebus omnibus] Nudi enim nascimur, nudi morimur, Plinius in prœmio septimi Naturalis Historiæ : Hominem tantum nudum et in nuda humo natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum. Lucretius :

Tum porro puer, ut sævis projectus ab nudis
Navita, nudus humi jacet, infans, indignus omni
Vitali auxilio, cum primun in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profundit.
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.

Prona] Propensa.

Mei juris] Subditione mea.

Affluentia] Abundantia.

Habe gratias] Sis gratus animo.

An ego sola] Singulatim colligit unicuique licere jure suo naturali semper uti : cum igitur sui juris volubilem rotam assiduo versare circumactu, iniquissime secum agere queritur, indignaturque inexplebili cupiditate mortales, qui ab eo cui naturalis sit inconstantia mutabilitasque constantiam et perpetuum prosperitatis tenorem requirant.

Condere] Componere, claudere, finire.

Vultum] Aspectum, faciem. Metaphora est satis audax ab homine ad rem inanimam, eamque gravissimam et immobilem.

Redimire] Ornare.

Confundere] Perturbare.

Strato] Composito.

Æquore] Planitie, æquali superficie.

Alligabit] Inexplebilis, insatiabilis.

Inexpleta] Cum interrogatione et vultuose pronuntiandum, quasi dicat, minime poterit unquam alligare,

Hæc nostra vis est] Ut nullam servemus constantiam.

Continuum] Sine intermissione.

Rotam] Fortunæ simulacrum. Nonnulli veterum cum copia et gubernaculo finxerunt, tanquam hæc opes tribunal, et humanarum rerum regimen obtineat. Cui opinioni et Virgilius assensit, qui fortunam omnipotens vocat. Et historicus qui ait: Sed profecto

A fortuna in omni re dominatur Alii eam super lapide quodam rotundo consistere lepide commenti sunt. Alii rotam illi volubilem versatilemque appingunt cum quatuor hominum imaginibus, primi jam sursum ascendentis, secundi summum tenentis, tertii rursum descendentis, quarti vero in rotæ imo depressi : super quibus hic est versiculus :

Regnabo, regno, regnavi, sum sine regno.

Volubili orbe] Celeri conversione. Apud Baptistam Mantuanum in Epigrammatis ad Falconem hi sunt versus

Fidite virtuti, fortuna fugacior undis
Non manet, et certam nescit habere domum.
Gaudia dum simulat, subvertere cogitat orbem,
Insidias ridens exitiumque parat.

B Ubi animadvertendum obiter perperam sciolos per orbem mundum accipere, cum hic sit sensus : Fortuna dum simulat gaudia, et dum videtur blanda, cogitat subvertere, id est clanculum et præter hominum spem vertere orbem, hoc est, rotam suam orbicularis figuræ.

Infima summis] Seneca tragicus :

Ima permutat brevis hora summis

Exstat carmen sane non illepidum, nescio cujus de fortuna, quod hoc potissimum loco subjiciendum putavi :

O fortuna potens! quam variabilis.
Quantum juris atrox, quæ tibi vindicas?
Evertis meritos, eligis improbos.
Nec servare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus,
Fortuna innocuos cladibus afficit.
C Justos illa viros pauperie gravat.
Indignos eadem divitiis beat.
Hæc aufert juvenes, et retinet senes,
Injusto arbitrio tempora dividens.
Quod dignis adimit, transit ad impios.
Nec discrimen habet, rectaque judicat.
Inconstans, fragilis, perfida, lubrica,
Nec quos clarificat perpetuo fovet.
Nec quos deseruit perpetuo premit.

Ausonius :

Fortuna nunquam sistit in eodem statu.
Semper movetur, variat ac mutat vices.
Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

Ea lege] Ea conditione.

Uti ne] Ut non.

Descendere] Descensum, subaudi esse injuriam.

Crœsum] Crœsus rex fuit Lydiæ ditissimus, captus autem a Cyro rege Persarum; vinctus compedibus, D super ingentem (quam struxerat) lignorum struem ab eo imponitur, ut vivus cremaretur. Crœso autem super pyram stanti venisse in mentem ferunt, quod sibi nutu Dei a Solone fuisset dictum : ex viventibus beatum esse neminem. Quibus auditis Cyrum tradunt pœnituisse, cum se quoque hominem esse cognosceret, qui alium hominem olim se non inferiorem vivum rogo traderet : præterea veritum ob id pœnam ac reputantem nihil esse in rebus humanis stabile, jussisse ignem celerrime exstingui jam incensum; qui cum ab hominibus adhibitis exstingui non posset, Crœsus Apollinem invocasse dicitur, et magna vi pluviæ cœlitus effusa liberatus. Super hoc latius legatur Herodotus libro primo.

Paulum Persi] Perses ille rex Macedonum famigeratus, cui plus auri fuit quam animi, victus supe-

ratusque bello a Romanis, se Cn. Octavio dedidit, orans ut ad Paulum Æmelium imperatorem duceretur, qui illi obviam cum amicis venit, assurrexit, et (ut historici tradunt) illacrymavit, varietatem scilicet fortunæ secum reputans, quæ regem ex summo dignitatis fastigio in præceps detraxerat. Perses autem ductus in triumphum est una cum filiis, periitque in carcere animi mœrore confectus, vel (ut alii tradunt, vigiliis insomnioque maceratus. Persi propter ὁμοιοτέλευτον detraxit *s* litteram, quæ plerumque pro sibilo habetur, non solum necessitatis, sed etiam euphoniæ causa. Ut Salustius : A principio Urbis ad bellum Persi Macedonicum, pro Persis. Detrahitur autem *s* tertiæ declinationis genitivo. Virgil. in I Æneidos :

Troas relliquias Danaum atque immitis Achilli.

Tragœdiarum] Tragœdia est heroicæ fortunæ in adversis comprehensio. Hujus tristitia et frequens clamor propria sunt. Ideoque Euripides petente Archelao rege ut de se tragœdiam scriberet, abnuit, ac precatus est ne accideret Archelao aliquid tragœdiæ proprium, ostendens nihil aliud esse tragædiam quam miseriarum comprehensionem. Nonne adolescentulus δύο τοὺς πίθους, τὸν μὲν ἕνα κακῶν, τὸν δὲ ἕτερον ἀγαθῶν. Hæc Græca misit ad me Joannes Ædicollius ex pervetusto exemplari, quæ sic redduntur Latine. Duo dolia, malorum quidem unum, alterum autem honorum. In Cæsarii nostri libello hæc insunt, οὐ μειράκιον ὢν ἔτι δύο πίθους, τὸν μὲν ἕνα κακῶν, τὸν δὲ ἕτερον ἀγαθῶν. Quæ ad verbum sic possumus interpretari : Non adolescentulus adhuc etiam duo dolia, unum quidem malorum, alterum autem bonorum. Ubi animadvertendum est, non pro nonne positum, petereque sibi reddi affirmationem. Est autem hoc sumptum ex Homeri libro Iliadis ultimo, in quo hæc insunt, interprete Laurentio Valla : Duo enim dolia in Jovis limine sidunt plena munerum, quæ nobis danda constituit, malorum alterum, alterum bonorum. Ex quibus Jupiter, nunc homini mala, nunc bona exhibet. Cui mala, eum ad injuriam exponit, ut in miseria vitam agat. Vivit enim neque diis, neque hominibus honoratus. Homericos versus Nicolaus Valla sic Latinos reddidit :

Binaque præterea Jovis esse in limine dicunt
Vasa, quibus sortem Deus ipse emittit utramque
Ille miser, cui sors fati contingit amara,
Heu quantos etiam gemitus, quam dura videbit
Exitia, atque omnem mistam mœroribus atris
Vitam aget, hunc homines odio superique sequentur.

Hanc Homeri opinionem Socrates apud Platonem in secundo de Republica libro graviter improbat, aiens non admittendum esse Jovem nobis pennarium esse bonorum atque malorum. Loquitur autem hoc loco Philosophia non ex sua, verum fortunæ persona, neque rem ita se habere, sed Boetium adolescentulum ex Homero didicisse refert.

Quid] Subaudiendum dices.

Sperandi meliora] Juxta illud Tragici,

Nemo desperet meliora lapsis.

IN METRUM II.

Hoc carmine, cujus alter versus est Asclepiadeus, A alter Pherecratius, tandem mortalium iniquis moribus graviter offensa fortuna, in eorum insatiabilem avaritiam invehitur, qui quo plura congesserint, eo longe plura concupiscant.

Quantas] Quot, vel quam magnas. Melius tamen est ut pro quot accipias. Silius Italicus in XV :

Quantas ipse Deus lætos generavit in usus,
Res homini

Claudianus :

Conveniunt animæ, quantas truculentior auster
Decutit arboribus frondes.

Terentianus :

Maurus item quantos potui cognoscere Graios.

Rapidis] Impetuosis.

Pontus] Mare.

Versat] Crebro vertit.

B *Edita*] In lucem data.

Copia] Hanc fabulantur fertilitatis esse deam, cui cornu ab Hercule Acheloo in tauri speciem mutato detractum omnium fructuum primitiis refertum Naiades consecrarint, unde apud Ovid. Achelous :

Rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaque a fronte revellit
Naiades hoc pomis et odoro flore repletum
Sacrarunt, divesque meo bona copia cornu est.

Lucianus de mercede servientibus : Et habebis copiæ cornu, et lac gallinaceum emulgebis. Horatius :

Beata plena copia cornu.

Idem :

Aurea fruges
C Italiæ pleno diffudit copia cornu.

Ideo] Ob eam affluentiam opum.

Prodigus] Largus. Accipitur nunc in bonam partem. Clanculum tamen videtur alludere ad prodigi hominis mores, qui sæpe ultra modum pecuniam largitur indignis. Claudianus :

Munificus laudis, sed non es prodigus auri.

Nil jam parte videntur] Id est, ea quæ, dum desiderantur, magna cupidis videbantur, postea quam in eorum venere possessionem, pro nihilo habentur, semper ulteriora sitienter inhiantibus.

Quæ frena] Quasi dicat nulla.

Retentent] Retinere possint.

Sitis habendi] Ecclesiastes capite V : Avarus non implebitur pecunia : et qui amat divitias, fructum D non capiet ex eis. Juvenalis :

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Prudentius :

Auri namque fames parto fit major ab auro.

Horatius.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames

Divus Ambrosius in tertio Epistolarum ad Simplicianum : Quis autem ante Deum dives, nisi quietus et modestus spiritus, qui nunquam corrumpitur? Nonne tibi videtur dives, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, et nova quærat, et semper desiderando fiat in summis divitiis inops? Idem in eodem libro ad eumdem : At vero insipiens et quod putat se habere nequa-

quam possidet. An putas illum possidere, qui thesauro suo die et nocte incubans, avara et misera torquetur sollicitudine? Ille vero eget, et si alii dives videtur, sibi pauper est, qui non utitur eo quod habet, qui adhuc alia rapit, alia desiderat. Ubi enim nullus cupiditati modus qui fructus divitiarum? Nemo est dives, qui quod habet secum hinc auferre non potest. Quod enim hic relinquitur, etc. Idem non multo post : Duos finitimos vetus historia describit, regem Achab, et pauperem Nabuthan (*III Reg.* XXI), Quem horum pauperiorem, quem ditiorem credimus? Alter regali fulcro divitiarum præditus, inexplebilis, insatiabilisque opibus suis, exiguam pauperis vineam desideravit. Alter aspiciens animo βασιλέων τὰς πολυχρύσους τύχας, imperialesque gazas, suo erat contentus palmite. Nonne videtur hic magis dives, hic magis rex, qui sibi abundabat, suas regebat cupiditates, ut nihil alienum concupisceret? Ille autem egentissimus, cui aurum suum vile, alienus palmes pretiosissimus existimabatur. Idem in decimo Epistolarum : Quo plus unusquisque acquisierit, plus siti, et quasi quadam inardescit ebrietate cupiditatum suarum. Idem in libro de Nabutha : O dives, nescis quam pauper sis, quam inops tibi ipsi videaris, qui te divitem dicis. Quanto plus habueris, plus requiris : Et quidquid acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet, quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat, unde fit gravis ruina lapsuro. Et paulo post hæc subjicit : Quis igitur tibi pauper videtur, qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? Alter certe pauper est affectu. Affectus dives egere non novit, census abundans nequit avari pectus explere. Ideoque dives cupidus. In invidiam possessionis, et paupertatis querelam, Ambrosii libro, cujus modo meminimus, nescio a quo adjectum est epigramma, non indignum sane quod et his apponatur :

Plurima habere cupit, qui possidet omnia dives,
Nempe inopes reddit copia magna viros,
Unde habeant cura est paucis, sed oportet habere
Per scelus atque nefas, pauper ubique jacet,
Hoc pater Ambrosius Nabuthæ testatur in umbra
Qui pro rure suo rege volente cadit.

Addidimus et nos aliquot ab hinc annos, cum idem opus discipulis enarrandum suscepissemus, hoc qualecunque carminis simulacrum :

Mens hominis dives, non gaza, nec arca putanda est,
Cui satis est nunquam, semper avarus eget.
Crescit ut indulgens potum sibi luridus hydrops,
Sic augetur opum, dum cumulantur, amor.
Fas et jura facit nihili vesana cupido,
Quoque libet, cæca mente licere putat.
Inter opes inopem noris ut, lector, avarum.
Hoc lege divini nunc opus Ambrosii.

Agit] Vivit.

Egentem] Horatius :

Magnas inter opes inops.

Periander : Præstat eum qui bonis non utitur mori, quam viventem egere.

IN PROSAM III.

Supra Boetio fortuna sic locuta est. Quid si uberius de bonorum parte sumpsisti? Nunc igitur Philosophia recenset ea omnia quibus a fortuna fuerit A ornatus, aitque minus eum juste de illa queri, cum adhuc se felicem negare non possit, qui inita ratione plus bonorum quam malorum tulisse convincatur atque retinere.

Hisceres] Loquereris. Hisco significat submisse loquor, sive os ad loquendum aperio. Plautus :

Ne hiscere quidem audet.

Accius :

Hem vereor plus quam fas est captivum hiscere.

Musicæ dulcedinis] Poeticæ delectationis.

Tum] Tunc.

Cum] Quando.

Altior] Profundior.

Mœror] Tristitia.

Contumacis] Rebellis, inobedientis.

B *Fomenta*] Mitigamenta, et quæ Græci vocant μαλάγματα.

Penetrent] Penitus immittant.

Desolatum] Orbatum.

Parente] Patre.

Quod] Prius carum esse quam proximum.

Carus] Ob præclaram indolem amatus.

Proximus] Affinis. Sensus est : Principibus civitatis ante carus fuisti ob virtutis studium, quam per affinitatem propinquus.

Socerorum] Symmachi et uxoris ejus, aut etiam fratrum filiorumve illius. Maro in Æneidos II :

Infelix quæ se dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.

C In libro Tobiæ : Post obitum matris suæ Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua, et filiis et filiorum filiis et reversus est ad soceros suos. Socer nomen ad aliquid est : refertur enim ad generum. Unde Ovidius.

Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero.

Cojungis] Uxoris tuæ Rusticianæ.

Fructus] Usus cum quadam delectatione.

Lucis] Diei.

Quantalibet] Quantumvis magna.

Ingruentum] Imminentium.

Malorum] Adversitatum.

Consules] Fuerunt quondam apud Romanos leges D annales, quibus non licebat consulatum inire, nisi tertium et quadragesimum annum agenti. At vero (ut in quinta dicit Cicero) apud antiquos Rulli, Decii, Corvini, multique alii, recentiore autem memoria superior Africanus, T. Flaminius admodum adolescentes consules facti, tantas res gesserunt, ut populi Romani imperium auxerint, nomen ornaverint. Proinde nemo miretur, si post imperii ruinam, barbaris jam tenentibus Italiam, et plerisque legibus Romanorum abolitis, duo filii Boetii propemodum pueri, fortuna potissimum suffragante, pariter ob patriæ virtutis et sapientiæ meritum consules evaserint, idque jussu Theodorici Gothorum regis, qui diu in bonos viros bene fuit animatus.

Curules] Hæ sellæ fuerunt eboreæ, quibus majores magistratus utebantur in curru, quo honoris gratia in curiam vehi soliti erant.

Insidentibus] Insideo sellæ et sellam dicimus, sed hoc rarius.

Regiæ laudis] Laudis Theodorici regis.

In circo] Circus Romæ locus fuit admodum spatiosus, et turbæ capax, spectandis ludis idoneus, in quo et munera (quæ missilia dicebantur) ab ædilibus consulibusve in populum, ad ejus favorem sibi magis conciliandum, spargebantur.

Duorum] Filiorum tuorum.

Medius] Medius quondam locus fuit honoratus, hodieque apud nonnullos est. Unde Ovidius de seniore, Fastorum lib. quinto :

Et medius juvenum, non indignantibus ipsis,
Ibat et anterior, si comes unus erat.

Exstat apud Spartianum locus Hadriani dignus memoratu, qui cum servum suum inter duos senatores medium ambulare vidisset, misit, qui ei colaphum daret, et diceret : Noli inter eos ambulare, quorum esse adhuc potes servus.

Triumphali largitione] Magnifica et consulari munerum donatione.

Dedisti verba fortunæ] Fortunam blandis verbis decepisti. Dare verba (ut vulgo notissimum) significat decipere, idque verbis et promissis inanibus. Martialis :

Cui nihil ipse dabas, is tibi verba dedit.

Ut suas delicias] Delicias alicujus dicimus, qui ei in deliciis est. Maro in Bucolicis :

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin
Delicias Domini.

Privato] Privatus dicitur is qui publico munere aut principatu non fungitur.

Calculum ponere] Rationem inire. Nam calculis fieri solet supputatio : unde Martiali dictus calculator.

Liventi oculo] Hactenus, inquit, tibi favit fortuna, nunc primum cœpit adversari. Quod autem ait liventi oculo, videtur alludere ad mulieres visu fascinantes, quæ interimant quos diutius intueantur, iratus præcipue oculis, quod earum malum teneriori ætati magis nocet. Fortuna igitur, inquit, quæ hucusque indulgentissimæ matris more te suas delicias fovit, nunc te primum fascinavit more Africanæ vel Illyricæ muliercuIæ.

Perstrinxit] Læsit, corrupit, vitiavit.

Liventi] Minime candido, pestifero, et lividos vapores emittenti.

In hanc vitæ scenam] Eleganti metaphora scenam vitæ dixit, cum hæc sit fabulæ simillima, quæ solet in scena ab histrionibus agi. Seneca epistola 77 : Quomodo fabula, sic vita. Non quam diu, sed quam bene acta sit refert. Moria apud Erasmum in Encomio : Porro mortalium vita omnis quid aliud est quam fabula quæpiam, in qua alii aliis obtecti personis procedunt, aguntque suas quisque partes, donec choragus educat e proscenio, qui sæpe tamen eumdem diverso cultu prodire jubet, ut qui modo regem purpuratum egerat, nunc servulum pannosum gerat. Adumbrata quidem omnia, sed hæc fabula non aliter agitur, Cicero in Catone Majori : In hoc

A sumus sapientes, quod naturam optimam ducem tanquam Deum sequimur, eique paremus, a qua non verisimile est, cum cæteræ partes ætatis bene descriptæ sint, extremum actum tanquam ab inerti poeta esse neglectum. Idem in eodem : Quæ sunt igitur voluptates corporum cum auctoritatis præmiis comparandæ quibus qui splendide usi sunt, ii mihi videntur fabulam ætatis peregisse, nec tanquam inexercitati histriones in extremo actu corruisse. Rursus in eodem : Neque enim histrioni ut placeat peragenda est fabula solummodo. In quocunque fuerit actu, probetur. Nec sapiendi usque ad plaudite videndum. Item sub finem ejusdem dialogi ; Senectus autem peractio ætatis est tanquam fabulæ, cujus defatigationem fugere debemus, præsertim adjuncta
B satietate.

Subitus] Repentinus.

Hospes] Peregrinus.

Ullamne humanis rebus] Argumentatur ab eo quod est magis. Homo ipse corruptionem effugere non potest, cum sæpe repentina morte dissolvatur. Multo igitur minus rebus humanis inest constantia. Horat. in Arte poetica :

Debemur morti nos nostraque.

Velox hora] Vetus est illud Varronis adagium. Homo bulla. Faustus :

Subdita sint certo mortalia corpora fato.
Cunctaque præcipiti tempora fluxa ruunt.
Tam nimis humanum celeri genus interit hora,
Turgida quam pluviæ bulla liquescit aquæ.

C Quid est homo ? inquit Seneca. Quodlibet quassum vas, et quodlibet fragile jactatu. Quid est homo ? imbecillissimum corpus et fragile, nudum suapte natura, inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, frigoris est et laboris impatiens, ex infirmis fluidisque contextum. Odor ibi saporque, et lassitudo, et vigilia, humor, et cibus, sine quibus vivere non potest, mortifera sunt. Quocunque se movet, infirmitatis suæ statim conscius tenuissimis causis atque offensionibus morbidus ac putris. Merito itaque cecinit sapientissimus poetarum :

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.

Fortuitis] Bonis fortunæ. Valerius Maximus libro sexto, Caduca nimium et fragilia puerilibusque
D consentanea crepidis sunt ista, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt, sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos sublime extulerunt, improviso recursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque debent existimari, neque dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinem desiderio sui duplicant.

Ultimus tamen vitæ dies mors quædam fortunæ est etiam manentis] Sic Prosper in epigrammatis :

Terrenis opibus cum dives gaudet iniquus,
Veris se miserum nescit egere bonis.
Nam quid erit quod non momento temporis uno
Perdere mundana conditione queat,
Cum licet, adversis cessantibus, omnia pareant,
Lege tamen mortis sit faciendus inops ?

IN METRUM III.

Carmen est dicolon, constans Sapphico et Glyconico, quo satis evidenter ostenditur non solum rebus humanis nullam inesse constantiam, ut jam dictum est, sed nihil fere in hoc mundo esse immutabile, cum omne id quod sit genitum necesse sit aliquando corrumpi.

Phœbus] Sol.

Rosei] Rubicundis.

Hebetata] Majus enim lumen offuscat minus: unde et Ovidius:

Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, et plena rosarum
Atria, diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, et cœli statione novissimus exit.

Flammis] Splendoribus solis.

Prementibus] Obscurantibus stellas.

Spiret] Deest *si*.

Insanum] Insalubriter, nomen pro adverbio.

Nebulosus auster] Hic ventus est flans a meridie, nebulosus atque humectus; unde et a Græcis dicitur νότος, ab eo quod est νότος, humiditas, humor, Latine auster, quod aures sternat habetatque, vel hauster, ab hauriendis aquis. De hoc Cornelius Celsus libro Medicinæ secundo, capite primo: Auster aures hebetat, sensus tardat, capitis dolores movet, alvum solvit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum. Horatius in Sermonibus:

Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus auster.

Ovidius in septimo Metamorphoseos:

Lætiferis calidi spirarunt æstibus austri

Decus] Rosarum pulchritudo et ornamentum.

Tranquillo sereno] Tranquilla serenitate.

Immotis] Non motis.

Aquilo] Ventus est ab impetuoso aquilæ volatu nominatus, septentrionalis quidem et frigidissimus, quem Græci βορέαν appellant.

Ferventes] Æstuantes.

Verso] Subverso, diruto, exagitato.

Æquore] Aquarum planitie. Æquor enim ab æqualitate dictum esse constat.

Rara si constat sua forma mundo] Argumentum profert ab eo quod magis est. Magis enim mundo videtur inesse constantia, et perpetuus tenor, quam rebus mortalium fortunæ mutationique subjectis: sed mundo, ut ex particularibus exemplis collectum est, non inest semper eadem facies, perpetuaque constantia. Multo igitur minus mirandum est, si res humanæ casuum varietatem vicesque recipiant.

Crede] Ironia est, quasi dicat: Minime tibi credendum est. Sic poeta:

I nunc, et verbis virtutem illude superbis.

Et Horatius:

I nunc et versus tecum meditare canoros.

Bonis] Iambus est, nam sicut Terentianus docet, Glyconicus versus quemadmodum et Phalæcius, pro spondeo modo iambum, modo trochæum admittit. Septimus:

Geritque intus in oppidum
Anhelos Panope greges.

Idem:

A Purpuræ leguli senes,
Intus hic ubi consitum est.

Horatius in Odis:

Ignis Iliacas domos.

Catullus:

Dianæ sumus in fide
Puellæ et pueri integri.

Idem:

Metiens iter annum
Rustica agricolæ bonis
Tecta frugibus expleas.

Constat æterna] Pulchra verissimaque conclusio, qua ostenditur omne id quod genitum est corruptioni esse obnoxium. Aristotelem in primo de Cœlo et Mundo: Genitum enim et corruptibile sese mutuo consequuntur. Seneca epistola 88: Cui nasci contigit, mori restat. Idem alibi: Lex utilis est, quæ jubet nasci et mori.

B

Constat] Certum et firmum, hoc est, ut nihil genitum constet, id est perpetuo duret atque permaneat. Maximianus:

Ortus cuncta suos repetunt, matremque requirunt.

Baptista Mantuanus:

Unda, solum, pereunt, perit humidus æther, et ignis
Occidit, et quidquid quatuor ista creant.

IN PROSAM IV.

Superiori prosa Boetio Philosophia quantis a fortuna bonis præditus auctusque fuisset ostendit: quorum relatione facile probavit plura ei fortunam contulisse quam abstulisse. Nunc autem docet tanta illi superesse bona, ut si qua sit in fortunæ rebus felicitas, nondum eam perdidisse videatur. Deinde familiariter virum reprehendit, nimis animo conturbatum ob partem bonorum amissam, cum mortalium nemo sit omni ex parte fortunatus. Postea docet veram felicitatem in fortunæ bonis minime consistere. Proinde beatitudinem expetenti nulla ratione esse dolendum, quod amiserit ea quæ vere beatum efficere non possunt.

C

Recolentem] Reminiscentem, et animo repetentem.

Coquit] Angit. Ennius:

Curamve levasso,
Quæ nunc te coquit.

Infelicissimum genus est infortunii fuisse felicem. Plautus in Rudentibus;

Miserum istuc verbum et pessimum est,
Habuisse, et nihil habere

Maximianus:

Dura satis miseris memoratio prisca bonorum,
Et gravius summo culmine mersa ruunt.

Igitur si] Memorare incipit bona Boetio etiamnum reliqua.

Divinitus] A Deo.

Atqui] Sed.

Incolumis] Salvus.

Symmachus socer] Hic locus dilucide ostendit Boetium aliquanto prius in exsilium fuisse missum quam Symmachus ejus socer fuerit captus, et in vincula conjectus quo tempore composuit hoc divinum opus. Fuit autem hic Symmachus vir disertissimus, et summis ornatus virtutibus, qui Boetio patre orbato, ob ejus summum ingenium et optimam indolem, Rusti-

cianam suam filiam uxorem dedit. Ad hunc Symmachum compluscula etiamnum exstant Boetii nostri scripta. Tollendus est autem multorum insignis error, opinantium hujus Symmachi esse epistolas, quæ exstant breves quidem et elegantes, sed ab impio homine et Christianorum inimico conscriptæ. Fuit enim alter Symmachus orator, et urbis Romæ præfectus, cujus illæ sunt epistolæ et oratio ad Valentinianum imperatorem, qua persuadere conatus fuit aram Victoriæ restituendam, cui Prudentius poeta Christianus, et divus Ambrosius, hic oratione, duobus ille poeticis libris responderunt. Boetii autem socer multis annis post, hoc est tempore Justini majoris floruit, vir Christianissimus, et divi Gregorii pontificis testimonio sanctus. Quisquis igitur recte sentire super hoc vult, mecum sentiat oportet.

Quod] Decus humani generis pretiosissimum.

Non segnis] Impiger et festinabundus.

Ex sapientiæ virtutibus factus] Huic contrarium est illud Ciceronis in oratione pro Cluentio : Et qui esset totus ex fraude et mendacio factus.

Suarum] Injuriarum.

Securus] nullam habens curam.

Uxor] Rusticiana Symmachi filia.

Pudicitiæ pudore præcellens] Hieronymus in Jovinianum : Doctissimi viri vox est, pudicitiam imprimis esse retinendam; qua amissa, omnis virtus ruit. In hac muliebrium virtutum principatus est. Hæc pauperem commendat, divitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram. Bene meretur de majoribus, quorum sanguinem furtiva sobole non vitiat; bene de liberis, quibus nec de matre erubescendum, nec de patre dubitandum est; bene imprimis de se, quam a contumelia externi corporis vindicat.

Vel] Etiam.

Tui desiderio] Eo quod te desiderat. Desiderantur enim ea quæ absunt.

Quid] Propter quid vel ad quid.

Liberos] Filios tuos.

Consulares] Qui consules (ut supra dictum est) fuerunt.

Quorum] Filiorum tuorum.

Specimen] Proprie est id quod de re venali ostenditur emptori ut inde possit cæteras merces æstimare : ut particulæ panni, aut parum frumenti, vel vini gustus.

Ingenii paterni] Boetiani.

Aviti] Symmachiani.

Ut] Ut pote.

In pueris id ætatis] Id est eam ætatem, agentibus, figurata locutio est. Id ætatis enim, sicut id genus cuilibet casui figurate apponitur, et significat per eam ætatem, seu ejus ætatis. Plautus in Asinaria :

Neque puduit eum id ætatis sycophantias struere.

Livius : Quem cum percontaretur Scipio, quis, et cujas, et cur id ætatis in castris fuisset, Numidam se esse ait, Massium populares vocare.

O te si tua bona cognoscas felicem] O, nunc interjectio est admirantis, et est imitatio illius Virgiliani
A in secundo Georgicorum :

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolæ.

Quæ vita nemo dubitat esse cariora] Symmachus socer, uxor, et liberi.

Ad unum omnis] Omnes, nemine excepto. Livius : Consul Romanus in Algido consecutus, ad unum omnes occidit.

Nimium] Ultra modum.

Valida] Impetuosa.

Quando] Quandoquidem.

Tenaces ancoræ] Pulchre permanet in metaphora, a navigantibus et tempestate laborantibus sumpta. Anchora. Græce dicitur ἄγκυρα. Vetus adagium est : Anchora domus pro familiæ refugio. Quidquid enim
B illud est cui innitimur, cujusque fulcimur fiducia, anchora vocatur : sumpta a navibus translatione, quæ cum anchoris fultæ sunt, veluti defensæ a fluctibus quiescunt. Euripides in Hecuba de Polydoro :

Qui jam solus generis superest anchora nostri.

Utcunque] Quocunque modo.

Enatabimus] Evademus mortis periculum. Perstat in translatione.

Promovimus] Profecimus.

Ferre] Pati.

Quis est enim] Sententia est verissima, eleganter per interrogationem prolata. Cui concordat illa quæ est apud Hermogenem rhetorem : Non potest inveniri vita hominis carens molestia. Seneca : nulla est tam bona fortuna de qua nihil queri possis. Idem in
C lib. de Ira III : Nulli fortuna tam dedita est, ut multa tentanti ubique respondeat. Horat. :

Nihil est ab omni
Parte beatum.

Erasmus e Græco :

Felix per omnia nullus est mortalium.

Eamdem sententiam idem et sic extulit :

Haud vivit ullus omnibus felix modis.

Euripides :

Si quidem universis rebus in mortalium,
Nil continenter et undiquaque prosperum est.

Plinius lib. VII : Mortalium nemo est felix. Idem in eodem libro : Nemo mortalium omnibus horis sapit. Maharbal ad Annibalem apud Livium : Non omnia
D eidem dii dedere. Vincere scis, Annibal, victoria uti nescis. Ulysses apud Homerum, interprete Philelpho.

Non uni dat cuncta Deus, formosus ut idem
Sit simul et prudens, ac multa laude disertus.
Qui specie caruit, Deus hunc venerabilis ornat
Viribus eloquii, quo fit mirentur et unum
Hunc alii suavis linguæ dulcedine capti.
Hic autem fidens orat, lenique pudore
In cœtus excellit agens, quem numinis instar
Suspiciunt (urbem quisquis patiere) loquentem.
Ast alium formæ bonitas, quem cominus æquat.
Cœlitibus, penitus defecit gratia linguæ

Claudianus in Panegyrico Stiliconis :

Etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam sincera bonorum
Sors ulli concessa viro : quem vultus honestat
Dedecorant mores; animus quem pulchrior ornat
Corpus destituit; bellis insignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis; in publica felix,
Sed privata minus : partitu singula quemque
Nobilitant, hunc forma decens, hunc robur in armis,

Hunc rigor, hunc pietas illum solertia juris,
Hunc soboles, castique tori.

Rixetur] Litiget, disconveniat, discrepet.

Huic census] Ostendit in hac vita nemini totam felicitatem provenire.

Degener sanguis] Generis ignobilitas.

Utroque] Et census et generis nobilitate.

Vitam cælibem] Uxore carentem. Horatius in primo Epistolarum :

Lectus genialis in aula est,
Nil ait esse prius, melius nil cœlibe vita.
Si non est, jurat bene solis esse maritis.

Inexpertus] Non expertus.

Adde quod felicissimi] Ostendit quo magis [sint fortunæ successibus assueti, eo [minus adversos casus ferre posse mortales.

Ad nutum] Ex animi sententia, et ad voluntatem.

Insolens] Insuetus.

Prosternitur] Affligitur,

Adeo] In tantum.

Per exigua] Valde exigua.

Summam] Perfectionem.

Cœlo proximos] Supra modum fortunatos. Proximum cœlo seu in cœlo esse, seu cœlum digito attingere, significat supra modum fortunatum esse ac gloriosum. M. Tullius : Bibulus in cœlo est, nec quare scio, sed ita laudatur. Idem : Nostri autem principis digito se cœlum putant attingere, si nullis barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant.

Adeo nihil est miserum, nisi cum putes] Sic Menander :

Nihil admodum atrox passus es,
Nisi id tu tibi fingis.

Æquanimitate] Patientia. Plautus :

In re mala animo si bono utare, adjuvat.

Horatius :

Sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

Dederit manus] Submiserit se. Translatum ab iis qui bello capti manus suas victori præbent vinciendas.

Quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est] Plautus in Amphitryone :

Ita cuique comparatum est in ætate hominum;
Ita diis placitum voluptati ut mœror comes consequatur.
Quin incommodi plus malique illico adsit, boni si obtigit quid,

Plato ex eodem vertice censet dulcedinem amaritudinemque defluere voluptatem et [dolorem. Apuleius in quarto Floridorum libro : Sed verum verbum est profecto quod aiunt : Nihil quidquam homini tam prosperum divinitus datum, quin etiam admistum sit aliquid difficultatis, ut etiam in amplissima quaque lætitia subsit quæpiam vel parva quærimonia, conjugatione quadam mellis et fellis. Ubi uber, ibi tuber. Ovidius :

Usque adeo nulla est sincera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis intervenit.

Salomon Proverbiorum capite XIII : Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. Lucretius de libro Rerum Natura quarto :

Convivia, ludi,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta parantur

A Ne quidquam quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

Extra] In rebus externis, hoc est extra vos positis.

Intra vos] In animis vestris. Cicero in Paradoxis : Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua ponit omnia.

Inscitia] Ignorantia. Persius :

Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.

Cardinem summa felicitate tibi] Id in quo vertitur et consistit maxima et vera beatitudo.

Cardo] Quasi cor januæ, id quo vertitur illa. Virgilius :

Foribus cardo stridebat ahenis.

Accipitur interdum pro opportunitate. Idem :

B Haud tanto cessabit cardine rerum.

Et circa id verti cardinem dicimus, in quo summa rei consistit.

Si tui compos fueris] Sui compos est, qui compositis affectibus animi, rectæ rationi subjecit appetitum.

Si beatitudo] Argumentatur summum bonum in fortuitis rebus non esse positum, hoc modo : Quocunque præstantius aliud bonum est, id non est summum. Est autem fortunæ successu bonum præstantius, id puta quod eripi non potest. Non est igitur fortunæ successus summum bonum. Unde fit ut nec beatitudinem conferre possit, cum ea nihil sit aliud quam summum bonum naturæ ratione degentis.

Ad hæc] Addit aliam argumentationem in hunc sensum : Non potest summum bonum esse, quod nullo C modo intelligitur : Sed bona fortunæ si intelligantur, fallacia fluxaque cognoscuntur; unde continuus amittendi timor nascitur, quæ felicitatem non recipit. Sin autem non intelliguntur, rursus excluditur beatitudo, a qua procul abest ignorantiæ cæcitas, quæque potissimum in bonorum speculatione verorumque contemplatione consistit.

Et quoniam tu idem es] Superioribus aliam adjungit rationem, qua docet evidentissime felicitatem cum fortuna non cohærere. Non est, inquit, summum hominis bonum, quod ab eo potest separari. Verum morte corporis ab immortali hominis animo fortuita felicitas separatur. Aut igitur hæc non est summum hominis bonum, aut confitendum est omne mortaD lium genus in miseriam mortis fine prolabi. Sed hoc non ita esse præclara multorum facinora docuerunt, qui pro Christi nomine tyrannis alacriter reclamantes, doloribus suppliciisque beatitudinem sibi comparavere. Proinde in fortuitis hujus vitæ successibus vera felicitas consistere non potest.

Permultis demonstrationibus] Non Platonicis solum, sed et Christianis.

Hæc] Mors.

Multos] Non Stoicos, neque Cynicos, sed magis Christianos martyres accipe.

Doloribus] Baptista Mantuanus :

Pauca pari satius, brevibusque æterna parare
Gaudia suppliciis, quam dum fugientia frustra
Complexi bona conamur retinere, laborem
Perdere et infernos demum descendere ad amnes.

Idem alio in loco :

Si genus humanum saperet, nec inertia tantum
Illecebris captum, vitæque fugacibus annis
Corpora curaret, labentia regna, lutumque
Casurasque habitare domos, et vile pudere
Hospitium, quod cuncta sinu cœlique marisque
Purgamenta legit, tristes ubi sidera casus,
Assiduasque pluunt infesto lumine mortes.

IN METRUM IV.

Carmen est dicolon, distrophon, cujus primus versus est Anacreontius, dimeter, acatalecticus, iambicus, constans tribus pedibus et syllaba, similis illi Prudentiano :

Cultor Dei memento.

Secundus est Pherecratius, constans ex spondeo vel anapæsto, dactylo et spondeo. Docet autem tutissimum esse minime bonis externis inhiare. Nam si fortuna magna conferre videatur, maximos quoque dolores discedens est allatura. Suadet igitur vitandam esse nimiam claritatem, quod hæc invidiæ sit obnoxia, quemadmodum montium cacumina perpetuis ventis infestantur. Fugiendas quoque inopiæ sordes, quæ pondus arduæ virtutis sustinere nequit, ob idque bibulis arenis comparatur. Medium itaque optimum esse, quod per humile saxum significatum est, maximopereque amplectendum est. Ut enim Aristotele auctor est Politicorum libro quarto, in omni civitate sunt tres hominum species : divites, pauperes et mediocres ; quorum optimi sunt mediocres, eo quod medium semper est optimum. Idem scribit mediocres cives magis salvari, quoniam nec insidias patiuntur, nec fraudes faciunt, ut alii, quapropter sine periculo vivunt. Ait et eodem in libro : Quanto magis aliquid accedit ad medium, tanto esse melius ; quanto magis distat a medio, tanto pejus. Horatius Carminum lib. II :

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, et celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulgura montes.

Ovidius in tertio de Tristibus :

Visibus edocto si quidquam credis amico,
Vive tibi, et longe nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes prælustria vita,
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

Idem non ita multo post :

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Quisquis] Quicunque.

Perennem] Perpetuam, diuturnam, durabilem.

Ponere] Ædificare.

Sedem] Habitaculum, habitandi locum.

Euri] Venti.

Pontum] Mare.

Bibulas arenas] Siccas et humoris capaces. Apud Matthæum evangelistam (*Matth.* VII) Christus humani generis servator hæc loquitur : Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram ; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt

A venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit. Fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam ; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina ejus magna. Rem eamdem Juvencus hisce luculentis versibus explicavit :

Quisque meis monitis auresque et facta dicabit,
Hunc æquabo viro, solidis fundamina saxis
Ponenti, librata super quæ mœnia surgent :
Illa domus pluviis ventisque illæsa manebit,
Torrentumque minas firmato robore vincet.
Hærent immoto quoniam fundamine petræ.
Qui vero auditu tantum mea jussa tenebit,
Diversisque procul factis per lubrica perget,
Hunc similem faciam volucri qui fulcit arena
B Fundamenta domus : cui mox ut flamina venti,
Et pluvia effusis cœpere incumbere rivis,
Omnis subverso procumbit pondere moles,
Insequiturque gravi tectorum strage ruina.

Græcum proverbium est : εἰς ψάμμον οἰκοδομεῖς, In arena ædificas : quo usus erit, ubi quis negotium aggreditur inutile futurum, utpote non recte jactis ante fundamentis.

Illud] Cacumen alti montis.

Protervus] Valde torvus et terribilis.

Auster] Ventus.

Urget] Infestat, concutit. Ovidius :

Summa petit livor, perflant altissima venti.

Seneca in Hippolyto :

Admota æthereis culmina sedibus,
Euros excipiunt notos,
Insani Boreæ minas,
Imbriferumque corum.
C Humida vallis raro patitur fulminis ictus.

Hæ] Arenæ.

Pendulum] Pendens.

Ferre] Sustinere.

Periculosam sortem] Periculorum plenam conditionem.

Amœnæ sedis] Voluptuosæ in montis summitate habitationis.

Figere] Condere, ædificare.

Tonet] Vehementer et terribiliter sonet.

Ruinis] Eversionibus.

Robore] Firmitate.

Duces] Ages.

Serenus] Quieta mente compositus.

D *Ævum*] Tempus vitæ.

Ridens] Parvi faciens.

Iras] Tempestates aeris.

IN PROSAM V.

Hactenus Philosophia disseruit fortunæ bona apud unum eumdemque perpetuo non permanere. Nam licet aliquando viventem non deserant, mortis tamen necessitate separantur. Nunc vero argumentatur etiamsi sint firma, stabiliaque, tamen hominis propria bona dici non posse, neque conferri humanæ dignitati, quæ longe præstantior est universis fortunæ divitiis.

Rationum] Argumentationum.

Fomenta] Remedia, medicamenta. Fomenta proprie dicuntur applicationes rerum calidarum sive humidarum ad partes corporis læsas, idque medendi gratia.

Fomes dicitur assula ex arbore excussa dum cæditur. Item quæcunque materia sicca, in qua facile ignis inflammatur. Per metaphoram autem fomitem appellamus, quidquid accendit nos atque excitat ad aliquid agendum.

Validioribus] Efficacioribus rationibus.

Age] Nunc est adverbium captantis attentionem.

Earum] Divitiarum.

Potius] Melius, præstantius.

Aurumne] An aurum, inquit, quod ab aura, id est fulgore, dictum est, potius est.

An vis] Id est multitudo pecuniæ.

Congestæ] Id est coacervatæ.

Atqui] Sed.

Hæ] Pecuniæ.

Nitent melius effundendo] Cum effunduntur.

Quam coacervando] Cum coacervantur.

Siquidem avaritia semper odiosos, claros largitas efficit] Præclara sententia est et philosophiæ gravitate digna.

Et vox quidem tota] Ostendit vocis naturam præstantiorem esse quam divitiarum; cum vox tota et integra pariter multorum repleat auditum, divitiæ vero nisi diminutæ et distractæ, in plures transire non possint. Boetius noster in primo de Musica libro, capite 14 : Nunc quis modus audiendi sit, disseramus. Tale enim quiddam fieri consuevit in vocibus, quale cum paludibus, vel quietis aquis jactum eminus mergitur saxum. Prius enim in parvissimum orbem undam colligit, deinde majoribus orbibus undarum globos spargit, atque eousque dum fatigatus motus ab eliciendis fluctibus conquiescat. Semperque posterior et major undula pulsu debiliore diffunditur. Quod si quid sit, quod crescentes undas possit offendere, statim ille motus revertitur, et quasi ad centrum, unde profectus fuerat, eisdem undulis rotundatur. Ita igitur cum aer pulsus fecerit sonum, pellit alium proximum, et quodammodo rotundum fluctum aeris ciet. Itaque diffunditur et omnium circumstantium simul ferit auditum. Atque illi est obscurior vox qui longius steterit, quoniam ad eum debilior pulsi aeris unda pervenit.

An gemmarum fulgor] Ut supra de auro, ita nunc de gemmis agit, easque nihil habere ostendit, quod sit hominibus vel mirandum vel expetendum.

Gemmarum est lux illa, non hominum] Sic divus Ambrosius in lib. de Nabutha : Non abnuo gratiam quamdam lapidum istorum esse fulgorem, sed tamen lapidum.

An vos agrorum pulchritudo] Docet itidem agrorum pulchritudinem minime hominum esse propriam.

Quidni?] Cur non, respondet Boetius.

Pulcherrimi operis] Mundi.

Pulchra portio] Pars speciosa.

Facie] Specie, forma, aspectu.

Vernis floribus] Divus Ambrosius in tertio lib. Operis sex dierum : Quid tibi describant purpurascentes violas, candida lilia, rutilantes rosas, depicta rura, nunc aureis, nunc variis, nunc luteis floribus,

A in quibus nescias utrum species amplius florum, an vis odora delectet ? Pascuntur oculi grato spectaculo longe lateque odor spargitur, cujus suavitate complemur.

Ubertas] Fertilitas.

Animantium] Animalium.

Alimentis] Nutrimentis.

Quod naturæ satis est] Parenthesis est.

Quod] Replere indigentiam.

Paucis enim minimisque natura contenta est] Sententia est cum primis celebrata. Sex. Turpilius poeta comicus :

Profecto, ut quisque omnino contentus fuit,
Ita fortunatam vitam duxit maxime,
Ut philosophi aiunt isti, quidvis sat est.

B Seneca Philosophus epistola quarta : Parabile est quod natura desiderat, et appositum parvo constat, et ad supervacua sudatur. Illa sunt quæ togam conterunt, quæ nos senescere sub tentorio cogunt, quæ in aliena littora impingunt ; ad manum est, quod sat est. Qui cum paupertate bene convenit, dives est. Lucanus in quarto Pharsaliæ :

O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæsitorum pelago terraque ciborum
Ambitioso fames, et lautæ gloria mensæ.
Discite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat, non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus.

Idem non multo post :

Satis est populis fluviusque Ceresque.

Id est panis et aqua. Euripides apud A. Gellium :

C Nam quid mortalibus sit usui præter duo illa modo.
Cereris munus, et aquæ poculum, quæ adsunt,
Ac nos queunt alere, quorum saties nunquam est ?
Luxus autem sunt cæterarum epularum indagines.

Cicero in quinto Tuscul. Quæstionum : Dies deficiet, si velim paupertatis causam defendere. Aperta enim res est, et quotidie nos ipsa natura admonet quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus. Divus Ambrosius in x libro Epistolarum : Satis enim dives omnibus naturæ lex est, cui cito invenias quod abundet. Cupiditatibus autem omnis divitiarum abundantia inopia est. Hieronymus in Jovinianum : Cito expletur naturæ necessitas, frigus et fames simplici vestitu et cibo expelli potest. Unde et Apostolus : Habentes, inquit, victum et vestitum, his contenti sumus. Prudentius in Psychomachia :

D Summa quies nil velle super quam postulat usus
Debitus, ut simplex alimonia, vestis et una
Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus,
Expletumque modum naturæ non trahat extra.

Jam vero pulchrum] Vestium quoque pulchritudinem hominibus alienam esse, et vel materiæ vel artificii propriam docet ; tametsi vetus sit illud εἵματα ἀνήρ, vestes vir, et vulgo tritum sit. Vestitus virum reddit, qui habet, induat.

An vero te] Probat felicitatem non consistere in longo famulorum comitatu.

Sarcina] Proprie est utensilium et eorum quæ ad cultum pertinent, veluti fascis, quem quis in itinere faciendo portare possit. Hinc milites cum castra movere volunt, sarcinulas colligere dicuntur, qui in aliam domum migrant, sarcinas suas componere. Per meta-

phoram tamen sarcinam pro inutili onere ponimus. Aurelius : Et hanc corporis sarcinam aliquando deponerem. Ambrosius : Quid enim aliud est peccatum, nisi sarcina?

Ex quibus omnibus] Per modum inductionis ex particularibus antecedentibus, colligit universalem conclusionem.

Quid id tua refert] Quid ad te id pertinet? Ut in Vita Solonis a Laertio relatum est, aiunt quidam Crœsum, cum se exquisitissime omnium ornamentorum genere composuisset, sublimique in solio sederet, interrogasse Solonem an pulchrius unquam spectaculum viderit, illumque dixisse Gallos Gallinaceos, Phasianos atque Pavones. Naturali enim eos flore et incredibili speciositate vestiri.

Sequestrata] Separata, seposita.

Quid autem tanto] Increpat mortales tantopere fortunæ bonis inhiantes, ostenditque eos maximis laboribus pro sufficientia, quam dies et noctes affectant, indigentiam reportare.

Adminiculis] Adjumentis.

Permultis indigere eos] Ecclesiastes capite quinto : Ubi multæ sunt opes, multi qui comedunt eas. Aulus Gellius libro octavo : Verum est profecto, quod observato rerum usu sapientes viri dixere : multis egere, qui multa habeat, magnamque indigentiam nasci, non ex inopia magna, sed ex magna copia : multa enim desiderari ad multa, quæ habeas, tuenda. Apud Xenophontem in Cyri Pædia libro octavo Pheraulas : Num enim ita, inquit, Saca, existimas me nunc eo vivere jucundius, quo plura possideo? An ignoras me et comedere, et bibere, et dormire nullo modo mihi jucundius, quam tunc cum eram pauper? Quod autem hæc sunt mihi permulta, tantum mihi est lucri, quod plura me oportet custodire, plura aliis tribuere et quo plura me oportet custodire, plura aliis tribuere et quo plura curo, eo mihi plura esse negotia. Nunc enim famuli multi cibum a me petunt, multi potum, multi amictus, alii egent medicis. Venit etiam aliquis, qui ferat pecudes a lupis absumptas, aut boves præcipitium passos, aut morbum pecora dices invasisse. Itaque mihi videor magis tristari, quod nunc plura possideam, quam antea, quod pauca haberem.

Itane autem nullum est proprium vobis] Pulcherrima hæc sunt ad finem usque, et semper in memoria tenenda.

Merito] Per meritum.

Haud immerito] Merito, jure.

Tum] Tunc.

Cum se cognoscit] Vetus est illud γνῶθι σεαυτόν Cognosce teipsum. Divus Ambrosius in ultimo libro Hexaemeron. Nunc quoniam et elephantos vides tibi subditos, et leones esse subjectos, nosce teipsum, o homo. Quod (ut ferunt) Appollinis Pythii, sed Salomonis sancti est, qui ait : Nisi scias te formosam in mulieribus ; quanquam multo antea Moses in Deuteronomio scripserit, Attende tibi, o homo. Attende tibi, ait lex. Et propheta ait : Nisi scias te.

Ego vero nego illud] Syllogismum affert ad ostendendum divitias non esse bonas. Est autem hujus-

A modi : Quidquid habenti nocet, non est bonum. Divitiæ autem plerumque nocent habenti. Non sunt igitur bonæ. Assumptio quotidiana probatur experientia, et Juvenalis auctoritate. Valerius etiam Maximus, libro VII, hæc sane quam eleganter nobis scripta reliquit. Socratis humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent : quia hi demum scirent quid unicuique esset utile : nos autem plerumque votis id expetere quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quam late patentem errorem cæcas precationes tuas spargis? Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt. Honores concupiscis, qui complures pessundederunt. Regna tecum

B ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur. Splendidis conjugiis injicis manus, at hæc ut aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos evertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, teque totam cœlestium arbitrio permitte ; quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissime possunt. Juvenalis satyra decima :

> Sed plures nimia congesta pecunia cura
> Strangulat, et cuncta exsuperans patrimonia census,
> Quanto Delphinis balæna Britannica major.

Cum pessimus quisque] Ordo est : Cum pessimus quisque avidus magis æris alieni, id est alienæ pecuniæ, putat se solum dignissimum, qui habeat quidquid

C auri gemmarumque est usquam.

Contum] Hastam. Contus, sudes, sive hasta longior duriorque, ad percutiendum apta. Virgilius :

> Assueti longo muros defendere conto.

Accipitur et pro pertica ferrum in capite habenti, qua nautæ utuntur ad loca navibus opportuna exploranda. Idem :

> Ipse ratem conto subito.

Pertimescis] Valde times. Proverbialiter δειλὸς πλοῦτος dicitur, hoc est timidæ divitiæ. Nam in omni negotio formidolosior est dives quam pauper. Cautius munit ædes furum metu. Metuit tempestates propter frumenta, quæ habet in agris ; propter merces, quas habet in mari. Metuit amicos, ne quid rogantibus donare cogatur. Metuit inimicos, ne quid noceant.

D Timidius convitiatur metu mulctæ. Omnia circumspectius et facit et dicit metu calumniæ, quæ potissimum divitibus strui solet : quippe quibus est quod auferri possit. Si bellum immineat, dives in primis discruciatur. Denique nec superstitione vacat, ne quod numen parum amicum damnum immittat. Hæc doctissimus vir Erasmus in Proverbiorum Chiliade prima.

Vacuus viator] Totus hic locus ex Juvenale sumptus est, cujus hi sunt versus :

> Pauca licet portes argenti vascula puri,
> Nocte iter ingressus, gladium contumque timebis,
> Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.
> Cantabit vacuus coram latrone viator.

O præclara] Ironia est. Irridet enim opes caducas, et curarum molem secum trahentes, juxta illud :

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames.

IN METRUM V.

Carmen est monocolon, anapæsticum, partheniacum, dimetrum, catalecticum. In prima et secunda regione anapæstum, recipit et spondeum, in tertia solum anapæstum, postea superest syllaba. Simile est illi :

Adytum Veneris fuge, virgo.

Laudat autem mores ætatis primæ, quam poetæ ob morum præstantiam et virtutes auream vocaverunt, idque in avaritiæ mortalium detestationem, quæ nunquam satiari potest.

Prior] Prima, de qua legatur in primo Metamorphoseos. Maro in Georgicis, et Tibullus.

Ætas] Subaudiendum *fuit.*

Fidelibus arvis] Quæ depositum semen fideliter et cum fenore reddunt.

Facili] Parabili.

Sera] Diuturna et in vesperam durantia.

Solvere] Frangere.

Glande] Nam ante frumenti inventionem mortales glandibus vescebantur; unde Ovidius :

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fetus, montanaque fraga legebant,
Cornaque et in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.

Bacchica munera] Vina.

Norat] Noverat, sciebat, perita erat.

Confundere] Miscere.

Melle] Ex vino et melle conficitur potionis genus, quod Latine dicitur mulsum, Græce μελίκρατον,

Lucida] Candida.

Serum] Hi populi sunt Asiæ Scythicæ, de quibus in Georgicis poeta :

Velleraque foliis depectant tenuia seres.

Solinus : Seres aquarum aspergine inundatis frondibus, vellera arborum adminiculo depectunt liquoris et lanuginis teneram sublimitatem humore domant ab obsequium. Hoc illud est sericum, in usum publicum damno severitatis admissum, et quo ostentari potius corpora quam vestire, primo feminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido. Seres ipsi quidem mites et inter se quietissimi, alios reliquorum mortalium cœtus refugiunt adeo, ut cæterarum gentium commercia abnuant. Primum eorum fluvium mercatores ipsi transeunt, in cujus ripis nullo interpretis linguæ commercio, sed depositarum rerum pretia oculis æstimantes, sua tradunt, nostra non emunt. Hactenus ille. Singularis hujus dictionis nominativus est, Ser. Sidonius :

Assyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabæus.

Ausonius :

Jam pelago volitat mercator vestifluus Ser.

Vermiculus et ipse (ut auctor est Pausanias) ser appellatur.

Tyrio veneno] Purpura, purpureo liquore. Tyrus, urbs est Phœniciæ, ubi optima est purpura. Venenum pro colore ponitur, eo quod vestem ita percurrat ut venenum corpus. Nam Latini id venenum vocant, quod Græci φάρμακον. Virgilius :

A Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.

Somnos salubres] Salutem conservantes. Alludit autem ad medicinales herbas. Potest et salubris legi. Maro :

Mollesque sub arbore somni.

Lubricus] Fluens, mobilis.

Alta] Profunda. Tibullus :

Nondum cæruleas pinus contempserat undas,
Effusum ventis præbueratque sinum :
Nec vagus ignotis repetens compendia terris,
Presserat externa navita merce ratem.

Undique] Omni ex parte.

Lectis] Collectis.

Nova littora viderat hospes] Ovid. :

Nullaque mortales præter sua littora norant.

Tunc] In aurea ætate.

B *Classica sæva*] Tubæ quibus sævi milites in prælium excitantur.

Tacebant] Non resonabant. Classicum, auctore Servio, tam tubam ipsam, quam ejus sonitum significat. Maro :

Nec dum etiam audierant inflari classica, nec dum
Impositos duris crepitare incudibus enses.

Horrida] Terribilia, horrorem incutientia. Tibullus

Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses,
Immiti sævus duxerat arte faber.

Quid enim] Cur, propter quid.

Utinam] Optat antiquos mores, et priscam illam mortalibus vitæ integritatem reddi.

Ætna] Montis Siciliæ perpetuo ardentis incendio, de quo Virgilius II ; Claudianus multa.

C *Amor habendi*] Avaritia. Ovidius :

Et amor sceleratus habendi.

Heu primus quis fuit ille] Exsecratur auri inventorem, sicut Tibullus armorum :

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses ?
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit.

Auri tecti] In terræ cavernis delitescentis, quod non nisi maximis laboribus eruitur. De cujus inventione si placet, vide Lucretium. Ovidius :

Eruimus terra solidum pro frugibus aurum.
Possidet inventas sanguine miles opes.

Plautus :

Odi ego aurum : multa multis sæpe suasit perperam

Tibullus :

Sæpe solent auro multa subesse mala.

Propertius :

D Aurum omnes, victa jam pietate, colunt,
Auro pulsa fides auro venalia jura.
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Phocylides, interprete Aldo Manutio : Avaritia mater malitiæ universæ. Aurum semper dolus est et argentum hominibus : O aurum malorum princeps, vitiperda, omnia minuens. Utinam non mortalibus esses nocumentum amabile. Tua enim causa pugnæque, prædæque, cædesque. Inimici vero filii parentibus, fratresque Germanis. Diodorus Siculus libro sexto de insulis Balearibus hæc memoriæ prodidit : Aureo nummo aut argento non utuntur, quæ afferri ad insulam prohibent causam afferentes. Geryonem Chrysauri filium auro atque argento opulentissimum quondam ab Hercule bello expugnatum. Existimant enim eo pacto, cum auro atque argento careant, sese

facile omnes vitæ insidias evasuros, ut Solinus auctor est, a Susis Barbitæ oppidum centum trigenta quinque millibus passuum distat, in quo mortales universi odio auri coemunt hoc genus metalli, et abjiciunt in terrarum profunda. Ne polluti usu ejus avarita corrumpant æquitatem. Silius Italicus libro primo :

> Sed scelerum causas operit Deus, Astur avarus
> Visceribus laceræ telluris mergitur imis,
> Et redit infelix effosso concolor auro.

Plinius libro Naturalis Historiæ xxxiii, capite primo : Utinamque posset e vita in totum abdicari aurum, sacra fames, ut celeberrimi auctores dixere, proscissum conviciis ab optimis quibusque, et ad perniciem vitæ repertum.

Latere volentes] In terræ cavernis reconditas, in cujus (teste Plinio) viscera imus, et in sede manium opes quærimus. Pretiosa pericula, per appositionem : superioribus hoc addit, id est, res quidem pretiosas, sed periculorum causas, ob quas plurimi quidem mortales sæpe periclitantur. Ovidius :

> Sed itum est in viscera terræ,
> Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat umbris,
> Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Plinius lib. ii, cap. 65 : Penetramus in viscera, auri argentique venas, et æris ac plumbi metalla fodientes : gemmas etiam, et quosdam parvulos quærimus lapides, scrobibus in profundum actis viscera terræ extrahimus, ut digito gestetur gemma, quam petimus. Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus !

Ut hactenus docuit divitias non esse homini expetendas, ita nunc pulcherrimis verissimisque argumentis ostendit dignitates et potentiam nihil habere quod vel expetendum sit, vel veram beatitudinem conferre possit.

Inscii Ignari.

Cœlo exæquatis] Summis rebus comparatis, æqualesque judicatis.

Quæ incendia] Quasi dicat nulla.

Eructantibus] Erumpentibus.

Strages] Calamitates, devastationes.

Dederit] Intulerit.

Uti] Quemadmodum.

Consulare imperium] Ostendit dignitatibus hujus sæculi nullam inesse constantiam, cum rei Romanæ status sæpe sit immutatus. Primum enim Roma sub regibus fuit, quorum septimus Tarquinius, cui cognomen Superbo, ex moribus datum, regno exactus est, ubi ad ejus superbiam liberorum libido accessisset, quorum cum alter ornatissimæ feminæ Lucretiæ stuprum intulisset, populus Romanus Bruto Collatinoque ducibus et auctoribus, rege repente destituto, imperium in eosdem libertatis suæ vindices transtulit, consulesque appellavit pro regibus, ut consulere civibus suis debere meminissent. Postea tamen et consulare imperium cupivit abolere, et nunc dictatori, nunc decemviris, consulatu prorsus sublato, nunc tribunis plebis permisit principatum.

Quod perrarum est] Parenthesis est. Valde rarum est probis honores deferri. Ut enim apud Sallustium in Catilinario est : Inter Bonos et malos discrimen A nullum est, omnia virtutis præmia ambitio possidet.

Quæ vero est ista vestra] Irridet mortalium potentiam, ut irritam et imbecillem.

Inter mures Alludere videtur ad Homericum poema, cui titulus Batrachomyomachia, quo describit ille ranarum et murium pugnam, et horum regem Troxartem facit.

Quanto] Maximo.

Imbecillius homine] Proverbialiter dicitur homo fictilis, id est mollis, imbecillis, fragilis. Ductum est a vasis testaceis, quæ facile comminuuntur. Homerus :

> Nihil homine enutrit tellus infirmius alma.

Homine quos] Notanda hæc locutio ; discordant enim numero antecedens et relativum. Sic supra in prosa hujus libri quinta : An vis congestæ pecuniæ, singu-
B lariter protulit. Deinde subjunxit pluraliter : Atqui hæ nitent. Sic et Catullus, ut alios nunc sileam :

> Tum jam nulla viro juranti femina credat,
> Nulla viri speret sermones esse fideles
> Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
> Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.

Quo vero quisqum] Ostendit tyrannis nihil juris esse in animi libertatem, nec eos ultra quam in corpus sævire posse, idque cujusdam philosophi exemplo memorabili comprobat.

Quo] Qua re, quo modo, quo instrumento.

Imperabis] Aliquis imperabit.

Liberum quemdam virum] Anaxarchum significare videtur, qui Abderites genere, professione philoso-
C phus, inimicum habuit Nicocreontem Cypri tyrannum. Cum enim illum Alexander Magnus aliquando in convivio rogasset, quidnam de cœna illa sentiret, dixisse fertur : Cuncta permagnifice, o rex, verum oportebat jam caput satrapæ cujusdam apponi, Nicocreontem intuens. Hoc ille audito indignatus, post mortem regis cum navi ferretur Anaxarchus, invitusque applicuisset Cyprum, comprehensum eum in saxum concavum conjecit, jussitque ferreis malleis cædi. Illum pœnæ suæ negligentem, celebre id dictum ingeminasse aiunt : Tunde, tunde Anaxarchi vasculum : nam Anaxarchum nihil teris. Jubente vero illo ipsius præcidi linguam, fama est, præcisam mordicus in ejus faciem conspuisse. Rectius tamen hoc ad Zenonem Eleatem (de quo dictum est abunde in
D primo commentario) refertur eo quod conjurationis hic fit mentio, quæ ad Anaxarchum non pertinet. Eusebius quoque, libro de Præparatione evangelica, hæc tradit : Zenon Eleata, quem aiunt cum tyrannidem deponere conaretur, linguam, dum a tyranno, ut conscios diceret, torqueretur, dentibus abscissam, in faciem ejus spuisse.

Quid autem est, etc.] Argumentatur perexiguam esse mortalium potentiam, eo quod vim quam aliis inferunt, ne sibi quoque invicem ab aliis inferatur, prohibere non possunt.

Ab alio] Vetus apud Senecam sententia est : Ab altero exspectes, alteri quod feceris.

Busiridem] Busiris rex fuit Ægypti, qui cum susceptos hospites immolaret, ab Hercule interemptus

est, cum etiam eum voluisset occidere. Virgilius :

Quis aut Euristhea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Regulus] Marcus Attilius Regulus consul fusis Salentimis triumphavit, primusque Romanorum ducum in Africam classem trajecit, quassatas de Amilcare naves longas tres et sexaginta accepit. Oppida ducenta, et hominum ducenta millia cepit. Absente eo, conjugi ejus et liberis ob paupertatem sumptus publice datus. Mox arte Xantippi Lacedæmonii mercenarii militis captus, in carcerem missus, legatus de permutandis captivis Romam missus, dato jurejurando, ut si non impetrasset, ita demum rediret : in senatu conditionem dissuasit ejectis a se conjuge et liberis, Carthaginem regressus, ubi in arcam ligneam conjectus, clavis introrsum adactis, vigiliis ac dolore punitus est.

Ad hæc] Præterea. Probat alia ratione nihil naturalis ac proprii boni dignitatibus ac potestatibus inesse, eo quod plerumque pessimis proveniant.

Natura respuit] Id est, non admittit ut contraria quæque jungantur. Divus Cyprianus adversus Novatianum : Cohærere et conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Franciscus Philelphus in Satyris :

Tenebras lux respuit omnes,
Nec patitur secum vitium coalescere virtus,
Stultitiam semper ratio aspernatur, eodem
Nunquam stare loco pariter contraria possunt.

Quod quidem de cunctis] Ostendit fortunæ munera nulla recte dici bona, cum plerumque malis adhæreant, nec possint eos bonos efficere, quibus fuerint adjuncta. Redolet autem hoc, ut alia Boetii permulta, Platonis doctrinam, apud quem Socrates in Gorgia sic ait : Est autem voluptas, qua præsente gaudemus : bonum vero, quo præsente boni sumus. Prorsus boni vero sumus et nos, et quæcumpue alia bona sunt, ob virtutem quamdam quæ adsit.

IN METRUM VI.

Carmen est Sapphicum, quo Philosophia Neronis exemplo docet, dignitates et potentiam malis quibus adjunctæ fuerint, mores non solum non corrigere sed plus truculentiæ et turpitudinis afferre.

Novimus] Scimus.

Dederit] Intulerit hominibus.

Ruinas] Strages. Designat autem his versibus Neronem omnium mortalium longe crudelissimum Hic natus est patre Domitio Ænorbarbo, matre Agrippina Germanici filia : quæ cum postea Claudio Cæsari nupsisset, ab hoc Nero adoptatus est. Nero fuit olim nomen laudis, quod ostendit in Tiberio Suetonius his verbis : Inter cognomina autem et Neronis assumpsit, quo significatur lingua Sabina fortis ac strenuus. Nunc autem summæ crudelitatis nomen est Nero qui rabie ita efferatus est, ut plurimam senatus partem interfecerit, equestrem ordinem pene destituerit, sed ne parricidiis quidem abstinuit, matrem, fratrem, sororem, uxorem, cæterosque cognatos et propinquos sine hæsitatione prostravit. Auxit hanc molem

A facinorum ejus temeritas impietatis in Deum. Nam primus Romæ Christianos suppliciis et mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit, ipsumque nomen exstirpare conatus, beatissimos Christi apostolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit.

Urbe flammata] Incendio consumpta. Nero, ut scribit Tranquillus, quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, et angustiis flexurisque vicorum, palam incendit urbem. Per sex dies septemque noctes ea clade sævitum est, ad monumentorum bustorumque diversoria plebe compulsa. Tunc præter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt hostilibus adhuc spoliis exornatæ, deorumque
B ædes ab regibus ac deinde Punicis et Gallicis bellis votæ dedicatæque, et quidquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat. Hoc incendium e turre Mecœnatica prospectans, lætusque flammæ (ut aiebat) pulchritudine, halosin Ilii decantavit in illo scenico habitu. Eutropius et Eusebius tradunt Neronem incendisse urbem Romam, ut spectaculi ejus imaginem cerneret, qualis olim Troja capta arserat.

Patribusque cæsis] Senatoribus occisis. Multos enim ex senatoribus occidit, aperte etiam significans, ne reliquis quidem se parsurum, eumque ordinen sublaturum quandoque e republica ac provincias et exercitus equiti Romano ac libertis permissurum.

Fratre] Britannico Claudii et Messalinæ filio. Fratre igitur per adoptionem, nam a Claudio, ut diximus,
C Nero adoptatus fuit non naturali.

Interempto] Veneno sublato : de quo lege Sueton.

Matris] Nero matrem Agrippinam, eo quod trux et minax esset, et dicta factaque ejus exquireret acerbius ac corrigeret, varie interficere tentavit, primum veneno : sed cum antidotis sentiret præmunitam, lacunaria quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent, paravit. Hoc consilio per conscios parum celato, solutilem navem, cujus vel naufragio, vel cameræ ruina periret, commentus est. Atque ita reconciliatione simulata, jucundissimis litteris Baias evocavit, ad solemnia quinquatrium simul celebranda, paratoque negotio trierarchis, qui liburnicam, qua advecta erat, velut fortuito concursu con-
D fringerent, protraxit convivium, repetentique Baulos, in locum corrupti navigii machinosum illud obtulit : unde cum enatasset mater, impientissimus filius eam missis militibus occidi jussit. Quo nefando facinore non contentum quidam auctores scribunt, ad visendum interfectæ cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, laudasse alia, sitique interim oborta bibisse. Latius hæc a Tranquillo et Cornelio Tacito perscripta sunt.

Non tinxit] Non rigavit.

Censor] Arbiter, judex.

Decoris] Decori corporis.

Exstincti] Mortui.

Condens radios] Occidens, significat autem totius orbis terrarum gentes, per quatuor ejus plagas.

Phœbus] Sol.

Triones] Prisca lingua triones boves dicebantur A aratorii. Septem autem stellæ ita in ea parte cœli sunt collocatæ, ut plaustrum cum bobus effingere videantur, quæ et septentriones vocantur, et illi regioni septentrioni nomen imposuerunt. Ovid. l. I Metam.:

> Scythiam, septemque triones
> Horrifer invasit boreas.

Notus] Auster.

Sicco æstu] Calore. Sciendum est, teste Macrobio, quod auster ita in origine sua gelidus est, ut apud nos septentrio, sed quia per flammam torridæ zonæ ad nos commeat, admistus igni calescit, et qui incipit frigidus, calidus pervenit.

Num] Nunquid.

Celsa potestas] Egregia potentia.

Vertere] Mutare. Hoc verbum producit hic ultimam positionem ob duas consonantes insequentis dictionis initio positas, tametsi negent id fieri scioli grammatistæ, qui nec Juvenalem, nec Prudentium, nec hunc auctorem unquam diligenter evolverunt.

Rabiem] Efferatam truculentiam.

Heu gravem sortem] Pulchra exclamatio, nec minus vera. Heu asperam, inquit, et intolerabilem conditionem, quando iniquus gladius, id est, injusta potentia, et iniquum imperium additur sævo veneno, id est immani et truculento ingenio, moribusque corruptissimis. Seneca: Fulmen est, ubi cum potestate iracundia habitat. Aristoteles in I Politicorum: Ut enim perfectione suscepta, optimum cunctorum animalium est homo: ita si alienus fiat a lege et a judi- D ciis, pessimum est omnium animalium. Sævissima est enim injustitia habens arma. Lactantius lib. de Justitia, cap. 11: Quis Caucasus, quæ India, quæ Hyrcania tam immanes, tam sanguinarias bestias unquam aluit? quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, fameque sedata, protinus conquiescit. Illa enim vera bestia, cujus una jussione

> Funditur ater ubique cruor, crudelis ubique
> Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago

Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, qui uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit, et non tantum artus hominum dissipat, sed et ossa ipsa comminuit, et in cineres fundit, ne quis exstet sepulturæ locus. Baptista Mantuanus in secunda Parthenice

> Nulla sub indigno virtus est principe tuta,
> Nulla sub incesto castis est gloria rege.

IN PROSAM VII.

Disputatum est hactenus, neque in divitiis, neque in dignitatibus et potentia veram felicitatem consistere: nunc quam inanis et irrita sit gloria, quam plerique omnes summopere sectantur, pulcherrimis verissimisque rationibus demonstrat. Quo autem convenientius ad id perveniat, Boetius ipse interloquitur, fateturque sese non tam mortalium rerum ambitione captum fuisse, quam famæ propagandæ, comparandæque gloriæ cupiditate inflammatum.

Tum] Ordinis adverbium est.

Minimum] Differunt minimum et minime: minimum enim quantitatis adv. est, minime vero negandi.

Ambitionem] Cupiditatem.

Gerendis] Administrandis.

Quone] Ut non. Horatius in Sermonibus:

> Quone pervacuum Romano incurreret hostis.

Tacita] Ignota. Claudianus:

> Major et utilior facto conjuncta potenti.
> Vile latens virtus: quid enim submersa tenebris
> Proderit obscuro, veluti sine remige puppis,
> Vel lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus?

Ad extremam manum] Ad absolutum finem. Extremam manum imponere, significat rem omnibus ejus partibus absolvere, metaphora ab artificibus translata: qui primum rude quoddam operis simulacrum effingunt, atque hanc primam appellant manum, deinde B formant expressius, postremo summa cura expoliunt, atque hanc extremam, supremam, seu summam manum vocant.

Gloriæ scilicet cupido] M. Tullius pro Archia: Trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt in eo ipso in quo prædicationem nobilitatemque despiciunt, prædicari de se ac nominari volunt. Idem in eadem: Nulla enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat præter hanc laudis et gloriæ: qua quidem detracta, judices, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo et tam brevi, tantis nos laboribus exerceamus? Loquitur autem Cicero nimis impie, ut homo veræ religionis expers et sapientiæ, cui spes æternæ vitæ, contemptusque inanis gloriæ non esset.

Omnem terræ ambitum] Ex summa totius mortalium habitationis angustia, quam sit exilis famæ divulgatio, quamque irritus proferendi nominis conatus sane evidenter ostendit.

Sicuti astrologicis demonstrationibus accepisti] Parenthesis est, astrologi respectu firmamenti terram puncti vicem habere sic demonstrant. Ubicunque enim existentibus nobis in terræ superficie, et considerantibus stellas diversis in locis, non videntur magnitudines, neque earum inter se distantiæ variari. Unde et eas æqualiter a terra remotas haberi comprobatur, sensu id æstimante. Terra igitur cen- D trum est sphæræ, sicque puncti sortietur officium. Idem accidet terræ ad solis sphæram comparatæ, quod et aliis comperitur indiciis. Nam corpora in centris instrumentorum circularium posita, umbras projiciunt, easque longe motas, qua et sol ipse radians motu primo circumfertur. Ex regularitate itaque motus umbræ, quam sensu deprehendimus, elicitur solem circa centrum instrumentorum regulariter moveri: ideoque centra hujusmodi instrumentorum centri mundi, circa quid motus primus, regulariter vicem obtinere. Cum itaque terræ crassitudo nihil in his rebus immittat varietatis, verum propositum videtur. Præterea horizon oculo in se existenti dimidium cœli occultat, dimidiumque videri sinit. Quod profecto nulli superficiei planæ, nisi per centrum sphæræ transeunti proprium est. Secus autem eveniret si qua esset terræ respectu cœli magnitudo.

M. Tullius Quæstionum Tusculanarum libro primo : Persuadent enim mathematici terram in medio mundo sitam ad universi cœli complexum, puncti instar obtinere, quod κέντρον illi vocant. Seneca : Punctum est, et adhuc puncto minus, quod incolimus. Lege Plinium libro II Naturalis Historiæ, cap. 70, cujus titulus est : Quæ portio terræ habitetur.

Puncti] Macrobius in somnium Scipionis hæc tradidit : Punctum dixerunt esse geometræ quod ob incomprehensibilem brevitatem sui in partes dividi non possit, nec ipsum pars aliqua, sed tantummodo signum esse dicatur. Physici terram ad magnitudinem circi, per quem sol volvitur, puncti modum obtinere docuere.

Ptolemæo] Hic astrologus fuit Ægyptius genere, studuit Alexandriæ, et liberalium artium ac Græcarum litterarum studiis clarissimus evasit temporibus Antonini imperatoris, quod ipsemet in opere magno demonstrat. In astrologiæ scientia priorum nulli cessit. Primus enim apud Græcos cœli rationem omnem diligentius explicuit, inventaque ab Hipparcho instrumenta clarius monstravit. Edidit magnam illam compositionem, quam Almagestum vocant ; opus item quatuor tractatuum. Scripsit centiloquium super his quæ ad practicam pertinent astrorum prognosticam, centum videlicet canones, quos Græci κάρπους vocant, quod fructum et experimentum prognosticorum esse dicant. Sed et de musica tres composuit libros, deque geographia, quod astrologi more conscripsit. Enarratores habet præcipuos ex barbaris Haly et Albumazer, ex Græcis Tappum et Theonem. Sepulchri elogium tetrastichum ipse posuit Græcum, quod quidam sic interpretatus est :

Mortalem quamvis me norim sorte creatum,
Deum tamen astrorum scrutor in orbe vias,
Sum pedibus tellure procul, juxtaque Tonantem
Assideo divus, pascor et ambrosia.

Incolatur] Inhabitetur.

Siti] Siccitate.

Vasta] Deserta.

Area] Regiuncula.

Limitibus] Terminis.

Arctata] Cohibita, constricta.

Adde] Ostendit ex gentium diversitate distantiaque famam non longe propagari posse.

Ratione] Modo.

Distantes] Differentes· Græcorum adagium est, Νόμος καὶ χῶρα, Mos sive lex et regio, quod significat unicuique genti suas quasdam esse leges et instituta vivendi.

Sicut ipse quodam loco significat] Apud Ciceronem in Somnio Scipionis, Africanus ad nepotem sic inquit : Ex his ipsis cultis notisque terris num aut tuum, aut cujusquam nostrum nomen vel Caucasum hunc (quem cernis) transcendere potuit, vel illum Gangem transnatare ?

Caucasum] Caucasus, Scythiæ mons est, dictus quasi graucasus, hoc est nive candidus, ut Plin. ait lib. VI. Caucasus mons est editissimus idemque asperrimus et inhospitalis, Indiam a Scythia separans in finibus Assyriorum.

Parthis] Hi populi sunt Asiæ majoris prope Medos, Hyrcanos, Arios, et id genus vicinas gentes : fuerunt autem Scytharum exsules. Nam Scythico sermone Parthi, exsules dicuntur, primum quidem inter Orientales populos obscurissimi, postea per virtutem ad summam gloriam provecti sunt. Pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus ; sæpe etiam fugam simulans, ut incautiores adversus vulnera insequentes habeant. Plura de his lege apud Justinum libro XLI, et apud Plutarchum in Vita Crassi.

Id locorum] Eo loco habitantibus. Eorum locorum, figurata locutio, similis illi supra positæ, ut in id ætatis pueris.

Formidolosa] Formidabilis. Formidolosus modo significat meticulosum. Terentius :

Egon' formidolosus?

Id est, egone sum qui timeam? modo eum qui aliis timorem infert. Sallustius : Regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est.

Romani nominis] Romani hominis. Paranomasia est, quæ Latine dicitur agnominatio. Depromit autem argumentum ex loco qui dicitur ab eo quod magis est : quod et hunc in modum potest explicari. Magis videtur Romæ reipublicæ quam uniuscujuslibet hominis Romani, nomen ultra Caucasum progredi posse ; sed non illud, proinde nec hoc.

Quid quod diversarum gentium] Probat ex discrepantia morum et institutorum, quibus diversæ gentes utuntur, non conducere cuipiam nomen in plurimos populos proferre, cum quod apud hos dignum laude apud illos supplicio dignum judicetur.

Mores atque instituta discordant] De his legatur Eusebius libro VI de Præparatione evangelica, capite octavo ; Valerius Maximus libro secundo ; Hieronymus in Jovinianum ; Bessarion libro quarto, in calumniatorem Platonis, capite 3 ; Philippus Beroaldus in oratione proverbiali, et Erasmus noster in explicatione illius adagii : Lex et regio. Hæc mihi nunc indicasse studiosis earum rerum satis sit ad alia properanti.

Præclara illa] Irrisio est vanæ gloriæ.

Sed quam multos clarissimos] Arguit gloriam irritam esse, tum ob scriptorum defectum, tum ob eorum inconstantiam et minime durabilem infirmitatem.

Scriptorum inops] Multarum gentium et imprimis Germanorum pleræque laudes et res gestæ latent ignoranturque, quod priscis illis temporibus, cum nondum mores externis deliciis essent emolliti, paulatim atque corrupti scriptores, qui præclara facinora litterarum monumentis proderent, defuerunt. Sed et nunc libri Plinii de Bellis Germaniæ et procul dubio permulta quondam scripta, quorum ne tituli quidem ad nos pervenere, desiderantur.

Vos vero, etc.] Argumentatur disertissime, quamlibet diuturni temporis famam, cum finem aliquando admittat, nulla ratione cum æternitate esse comparandam,

Quod] Tempus.

Pertractes] Intellectu perpendas, et animo revolvas.

Decem millibus annis] Annorum decem millibus. Sciolis litteratoribus nonnullæ videntur orationes parum congruæ, quæ non congruæ solum sunt, sed etiam cum primis elegantes et probatissimis scriptoribus usurpatæ. Cujusmodi est hæc : Decem millibus annis per appositionem. Sic Latine dicimus : Hic mercator decem millia debet aureos. Hieronymus cum alibi id genus abundat, tum in Jovinianum sic scripsit : Aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem. Florus : Cum statim decem amplius millia coissent homines, non modo effugisse contenti, jam vindicari etiam volebant. Idem : Ex ipso equestris ordinis flore ac senatu duo millia electi qui mori juberentur. Ubi subintelligendum est homines seu viri, ut desinant improbare illud in sacris Litteris : Duodecim millia signati.

Ejusque quantumlibet multiplex] Et is numerus quantumlibet multiplicatus, ut millies mille annorum millia, vel plus minusve.

Collatio] Comparatio, proportio. Aristoteles I libro de Cœlo et Mundo : Portio autem nulla est finiti ad infinitum.

Quantumcunque] Adverbium nunc est.

Prolixi] Longi.

Inexhausta] Infinita, interminabili.

Vos autem nisi] Increpat mortalium stultitiam, qui eo fere sunt ingenio, ut magis hominum laudes et famæ celebritate, quam suæ conscientiæ puritatem, veramque virtutum securitatem sectentur. Nam, ut rectissime dictum est, Multi famam, conscientiam pauci verentur.

Ad populares auras] Ad favores et applausus populi, quos, teste Donato, non quærunt sapientes. Aura splendorem significat. Horatius :

Tua ne retardet aura maritos.

Ponitur pro aere, statu ventorum, afflatu, aspiratione seu favore. Maro in Æneidos sexto :

Nunc quoque jam nimium gaudes popularibus auris.

Hieronymus : Plus debet Christi discipulus præstare, quam mundi philosophus gloriæ animal et popularis auræ atque rumorum venale mancipium.

Sermunculis] Rumusculis. Sermunculus parvus sermo, ut rumusculus parvus rumor. Hieronymus Nepotiano : Cave ne hominum rumusculos aucuperis, ne in offensam Dei populorum laudem commutes. Idem Paulino : Rumusculos et gloriolas et palpantes adulatores quasi hostes fuge.

Accipe] Audi, cognosce.

In hujusmodi levitate] Vanitate : legitur et levitatem, quod placet, ut sic contra ejusmodi vanitatem superbiæ.

Quam festive] Quam jucunde, lepide et facete.

Illuserit] Jocatus sit.

Adortus esset] Legitur etiam adorsus : quod etiam apud Ambrosium et Hieronymum invenio.

Tolerasset] Passus fuisset.

Paulisper] Ad pauxillum temporis.

Ira] Per iram.

Ille] Tentatur et falsi philosophi illusor.

Si tacuisses] Salomon in Proverbiis : Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est, et pretiosi spiritus vir eruditus. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur : et si compresserit labia sua, intelligens. Diogenes cuidam philosopho qui contentiosius aliquid disserebat, Miser, inquit, quod optimum est in vita philosophi, ac præcipuum verbis philosophando corrumpis. Thales : Non multa verba, prudentis animi indicium sunt. Salomon Proverbiorum cap. X : In multiloquio non deerit peccatum. Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Ecclesiastes : Stultus verba multiplicat. Seneca : Tene semper vocis et silentii temperamentum. Tacere qui nescit, nescit loqui. Macrobius lib. VII Saturnalium : Cum orator non aliter nisi orando probetur, philosophus non minus tacendo pro tempore quam loquendo philosophatur. Valerius Maximus lib. VII : Quid Xenocratis responsum quam laudabile, cum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, uno ex his quærente cur solus linguam suam cohiberet : Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. Lege, si placet, pulchram super hoc Maronis sententiam apud Donatum in ejus Vita.

Quid autem est] Ostendit gloriam mortuis nihil prodesse. Unde quidam eleganter :

Post cineres gloria sera venit.

Quod] Totos et corpore et anima mori homines.

Nostræ rationes] Philosophicæ argumentationes.

Vetant] Non permittunt.

Terreno carcece] Corpore, quod est quasi carcer, vel sepulcrum, vel vinculum animi.

Exemptam] Liberatam.

IN METRUM VII.

Carmen est dicolon distrophon, cujus primus versus est archilochius, iambicus, senarius, acatalectus : secundus iambicus dimeter et ipse acatalectus. Hortatur eo Philosophia mortales ad inanis gloriæ contemptum, quæ rerum omnium vanissima facile illis videbitur, si terrarum augustias contemplati, amplissimam cœli immensitatem suspexerint.

Præcipiti] Festina, inconsulta, temeraria.

Summum] Bonum summum, rem summam, bonorum finem.

Æthæris Cœli.

Cernat] Contempletur.

Plagas] Regiones.

Arctum] Angustum, constrictum. Africanus apud Ciceronem in Somnio Scipionis, unde fere hoc carmen cum prosa jam enarrata desumptum est : Omnis autem terra quæ colitur a vobis, angustata verticibus lateribus latior, parva quædam insula est circumfusa illo mari quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum appellatis in terris, qui tamen tanto nomine quam sit parvus, vides. Hinc Petrarcha in II lib. Africæ suæ :

Augustis arctatus finibus orbis
Insula parva situ est, curvis quam flexibus ambit.
Oceanus, viden' ut parvus cognomine magno?

Brevem replere] Ordo est, Pudebit, subaudi eum, qui terrarum angustias ac cœlorum immensa spatia contemplatus sit, nominis aucti, id est prolati et amplificati, non valentis tamen replere brevem ambitum, id est angustum terrarum habitaculum. Scipio apud Ciceronem lib. de Repub. VI : Jam vero ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, pœniteret. In eodem avus sic eumdem nepotem suum alloquitur : Igitur alte spectare si voles, atque hanc sedem et æternam domum contueri, neque te sermonibus vulgi dederis, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum, suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alii loquantur ipsi videant, sed loquentur tamen. Sermo enim ille omnis, et angustiis cingitur his regionum, quas vides, nec unquam de ullo perennis fuit, obruitur omnium interitu, oblivione posteritatis, exstinguitur.

Quid] Ad quid.

O] Mirantis interjectio, vel miserantis et condolentis errori mortalium. Ordo est : O quid superbi gestiunt frustra levare colla mortali jugo ! hoc est : Quid superbi et fastu inflati homines conantur in vanum nomine suo divulgando se reddere immortales?

Levare colla jugo] Alludit ad boves jugum detrectantes ac abjicere non valentes, juxta illud :

Non juga taurus amat, quæ tamen odit habet.

Mortali jugo] Mortalitatis conditione, cui sunt obnoxii.

Licet] Quamvis, tametsi.

Means] Transiens.

Explicet] Interpretetur.

Domus] Gens, familia genus.

Mors spernit altam gloriam] Seneca epistola 91 : Æquat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur. Idem epistola 99 : In tanta volutatione rerum humanarum nil cuiquam, nisi mors, certum. Horatius in Odis :

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Lucretius :

Scipiadas belli fulmen, Carthaginis error
Ossa dedit terræ, proinde ac famul infimus esset.
Adde repertores doctrinarum atque leporum,
Adde Heliconiadum comites.

Idem :

Inde alii multi reges, rerumque potentes,
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.

Idem .

Quæ mala nos subigit vitæ tanta cupido?
Certa quidem finis vitæ mortalibus adsit,
Nec devitari letum pote quin obeamus.

Fidelis Fabricii] Hic consul Romanus fuit, qui fidelis eo dicitur quod fidem vel hosti servandam putavit, nihilque per fraudem vel insidias agendum. Cum enim (ut M. Tullii verbis utar) rex Pyrrhus populo Romano bellum intulisset, cumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potenti, perfuga ab eo venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, si præmium ei proposuisset, se ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque ejus factum a senatu laudatum est. Super hoc plura Valerius Maximus, Aulus Gellius, et in Vita Pyrrhi Plutarchus.

Jacent] Legitur et [illegible].

Quid Brutus] Subaudi nunc est. Junius Brutus primus Romanorum consul, exactis regibus urbem liberavit, filios suos, quod cum Aquiliis et Vitelliis ad racipiendos in urbem Tarquinios conjuraverunt, virgis cæsos secure percussit. Deinde singulari certamine cum Arunte Tarquinii filio congressus est, quo se ambo mutuis vulneribus occiderunt. Marcus Brutus, vir prætorius, tum scientia, tum virtute præditus ad recuperandam libertatem Julium Cæsarem occidit, postea victus in prælio ab Octavio sibi mortem conscivit.

Rigidus] Severus, inflexibilis.

Cato] Multi Romæ Catones fuerunt, verum duo præ cæteris illustrati sunt, Marcus Porcius Cato Censorius, et Cato Stoicus, qui post mortem quam sibi Uticæ conscivit, Uticensis dictus est. Horum uterque justitia, severitate, morumque summa gravitate fuit clarissimus.

Quid] Ad quid.

Decora vocabula] Pulchra nomina.

Novimus] Scimus, tenemus.

Num] Nunquid.

Consumptos] Mortuos.

Jacetis] Subaudi vos homines post mortem.

Prorsus] Omnino.

Ignorabiles] Ignobiles.

Trahi] Protrahi.

Aura] Splendore.

Nominis mortalis] Morti et corruptioni subjecti. Ausonius :

Miremur periisse homines, monumenta fatiscunt ;
Mors etiam saxis, nominibusque venit.

Cum] Quando.

Sera dies] Tempus aliquando venturum.

Hoc] Nomen.

Secunda mors] Qua nomen exstinguitur, sicut prima morte vita exstincta est. Apud Petrarcham lib. Africæ II, Scipionem Africanus hunc in modum alloquitur :

Transibunt que cito, quæ vos mansura putatis.
Una manere potest occasus nescia virtus.
Illa viam facit ad superos, hac pergite fortes,
Nec defessa gravi succumbant terga labori
Quod si falsa vagam delectat gloria mentem,
Aspice quid cupias, transibunt tempora, corpus
Hoc cadet, et cedent indigno membra sepulcro.
Mox ruet et bustum, titulusque in marmore sectus
Occidet, hic mortem patieris nate secundam.

IN PROSAM VIII.

Hactenus fortunæ inconstantiam, fraudulentiamque et perfidiam Philosophia detexit, et in eis muneribus nihil veri boni inesse demonstravit : nunc ait adversam plus hominibus quam prosperam prodesse fortunam, cum hæc quidem blanditiis allectos a vero bono fallaciter abstrahat, illa vero plerumque errantes ad veram beatitudinem quærendam reducens, velut unco retrahat.

Inexorabile] Quod nullis precibus componi possit.

Est] Evenit.

Illa] Fortuna.

Tum] Tunc.

Cum] Quando.

Gestio] Cupio.

Eoque] Et ob id.

Illa] Prospera fortuna. Rationes affert quibus id quod dixit verum esse probat.

Hæc] Adversa. Seneca Tragicus :

Malam bonæ præferre fortunam licet.

Ventosam] Inconstantem. Horatius :

Romæ Tibur amem, ventosus Tibure, Romam.

Fluentem] Luxuriantem, diffluentem, vagabundam. Ovidius :

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est æqua commoda mente pati.

Suique semper ignaram] Homines enim fortunæ successibus elati, nimis superbiunt, seque ipsos nequaquam cognoscunt.

Sobriam] Temperantem.

Succinctam] Cohibitam, non diffluentem.

Adversitatis exercitatione] Baptista Mantuanus lib. Silvarum secundo :

Rebus adversis agitata virtus
Crescit, et robur cruciata longo
Sumit attritu, meliusque terso
Candicat ore.

A vero bono]Divus Ambrosius in lib. de Interpellatione : Magna enim illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum. Supina extollit, oblivionem auctoris infundit. Mimographus :

Fortuna quem nimium fovet, stultum facit.

Baptista Mantuanus in prima Parthenice :

Enervare solent securas otia mentes,
Et vitiis umbrare animas, ut pulvis aquoso
Imbre coit, levibusque rapi jam nescit ab Euris,
Sic adversa premit sensu fortuna rebelles,
Et cogit parere Deo, morbosque latentes
Pellit, et ardentes in pectore mitigat æstus.
Ut sale consperso longos servantur in usus
Viscera, nec lædi sanie, nec tempore possunt,
Sic duris animi rebus firmantur, et omnem
Abjiciunt pestis causam, sors aspera tutum
Præbet iter, via sidereas hæc ducit in arces.

Amicorum fidelium] Ennius :

Amicus certus in re incerta cernitur.

Hinc nos hunc versiculum lusimus :

Rebus in incertis ce.tus spectatur amicus.

Ovidius :

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Suos] Sodales, ii enim qui fortunam sequuntur non veri sunt amici, sed sodales et fortunæ comites.

Imteger] Nondum læsus, nondum rebus tuis spoliatus.

Desine] Pulchra conclusio est ex contrariis ornatum ducens.

Amicos invenisti] Nunc enim novercante fortuna veros tuos amicos cognoscis. Argumentum enim veræ amicitiæ est, non deserere amicum tempore adversitatis.

IN METRUM VIII.

Carmen est Glyconicum, simile sexto primi libri. Eo docet, amore omnia conjungi, totiusque mundi constare concordiam : amore quoque populos fœ-

A dere conjunctos, amore conjuges, et amicos convenire. Franciscus Philelphus in Satyris :

Omnia perpetuo firmat concordia nexu.
Quidquid amor jungit, sæclum perdurat in omne

Slaudianus ad Honorium :

Non sic excubiæ, nec circumstantia pila.
Quam tutatur amor, non extorquebis amari.
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.
Nonne vides operum qui se pulcherrimus ipse
Mundus amore ligat ? nec vi connexa per ævum
Conspirant elementa sibi, qui limite Phœbus
Contentus medio, contentus littore Pontus,
Et qui perpetuo terras, ambitque vehitque,
Nec premat incubens oneri nec cesserit aer ?

Ut Plato docet in Timæo, mundus seipsum amicitia concordi complectitur, atque ita apte cohæret, ut nequeat dissolvi ullo modo, nisi ab eodem a quo est
B colligatus. Mundus Latine a puritia vocatur, cœlum a cælatura, Græce ab ornatu κόσμος. C. Plinius libro secundo : Quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellaverunt, eum et nos a perfecta absolutaque elegantia mundum. Cœlum quidem haud dubie cælati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro.

Stabili fide] Perpetua constantia.

Vices] Permutationes.

Semina] Elementa. Plinius libro secundo capite quinto : Nec de elementis video dubitari quatuor ea esse, ignium summum, inde tot stellarum collucentium illos oculos, proximum spiritus, quem Græci nostrique eodem vocabulo aera appellant, vitalem hunc, et per cuncta rerum meabilem, totoque consertum. Cujus vi suspensam cum quarto aquarum ele-
C mento librare medio spatii tellurem. Ito mutuo complexu diversitatis effici nexum, et levia ponderibus inhiberi, quo minus evolent. Contraque gravia, ne ruant, suspendi, levibus in sublime tendentibus. Sic pari in diversa nisu, vi sua quæque consistere, irrequieto mundi ipsius constricta circuitu, quo semper in se currente, imam atque mediam in toto terram, eamdemque inverso cardine stare pendentem, librantem per quæ pendeat. Ita solam immobilem, circa eam volubili universitate, eamdemque ex omnibus necti, eidemque omnia inniti.

Pugnantia] Contraria.

Fœdus perpetuum] Perpetuam pacem. Ovid.:

Dissociata locis concordi pace ligavit.

Manlius Astronomicon libro primo :

D Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque naturæ diversa condita forma
Aeris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis.
Vis animæ divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, et tacita ratione gubernat,
Et multa in cunctas dispensat fœdera partes,
Altera ut alterius vires, faciatque feratque,
Summaque per varais maneat cognata figuras.

Idem libro tertio :

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Longaque per certos signantur tempora cursus,

Phœbus] Sol.

Roseum] Pulchrum, fulgidum, rubicundum.

Aureo] Lucido, claro, illustri.

Quas] Noctes.

Duxerit Hesperus] Hesperus dux noctis est, nam eam præcedit, cum vesperi solis occasum subsequitur.

Phœbe] Luna.

Avidum] Cupidum et vorax.

Coerceat] Cohibeat.

Vagis] Præscriptum finem transeuntibus.

Tendere] Extendere.

Seriem] Connexionem, continuatam progressionem.

Pelagus] Mare.

Imperitans] Imperans.

Hic] Amor.

Frena remiserit] Regimen et moderationem deseruerit. Translatio est sumpta ab iis qui frenis equos cohibent.

Continuo] Mox, absque dilatione.

Socia fide] Mutua concordia.

Incitant] Movent.

Certent] Certatim contendant.

Solvere] Dissolvere, corrumpere.

Machinam] Mundi corpus.

Hic] Amor.

A *Sanctos*] Justos, pacis amantes, Christi sanguine confirmatos. Vel sanctos, factis sacris et juramentis præstitis consociatos.

Et] Etiam.

Conjugii] Matrimonii.

Sacrum] Sacramentum.

Castis amoribus] Pudicis affectibus amatoriis.

Triplex est amor] Turpis quidem solam corporis voluptatem sequitur, ideoque brutorum passio est. Generosus vero mundum respicit animum, ad virtutis officia promptum. Medius utramque diligit, tum corporis, tum animi pulchritudinem.

Dictat]Præscribit, suggerit.

Fidis soda] Veris amicis.

O felix hominum genus] Subintellige esses. Si amor
B quo cœlum regitur, regat animos vestros, id est hominum animos. Felices (inquit) vos homines essetis, si per amorem tanta foret inter vos concordia, quanta est in rebus cœlestibus. Verum, ut ait poeta,

> Lege deum minimas rerum discordia turbat,
> Pacem summa tenent.

LIBER TERTIUS.

IN PROSAM PRIMAM.

Secundo volumine fallaces fortunæ mores Philosophia luculentis verbis aperuit, ejusque munera vera bona non esse demontravit. Hoc autem tertio falsæ felicitatis formam describit, et deinde contrariam illi veræ beatitudinis pulchritudinem inducit, et ubi consistat, quodque unum sit summum bonum : item quod Deus beatitudo et summum bonum non differant, luculentis rationibus ostendit. Præterea docet eum qui beatitudinem sit assecutus, simul sufficientiam, reverentiam, potentiam, celebritatem, lætitiam esse consecutum. Ad hæc ostendit horum nominum, quamvis voce differant, sufficientia, reverentia, potentia, celebritas, lætitia, tamen unam eamdemque esse vim. Unde hominum errior liquido deprehenditur, qui tanquam ea differant, unum illorum præter cætera ducunt expetendum. Et in diversis suam felicitatem constituunt, in quibus minime inveniri potest. Alii namque in opibus, alii in dignitatibus, alii in regnis, multi in gloria, plurimi in voluptate beatitudinem se adepturos existimant, sed falluntur : quandoquidem nec opibus sufficientia, nec dignitatibus reverentia, nec regnis potentia, nec gloriæ nominis immortalitas, nec voluptati sincera lætitia contingere potest. Sic cum longe diversa sentiant, et in felicitate investiganda mortales aberrent a vero bono, nihilo tamen minus in summo bono appetendo conveniunt omnes, atque consentiunt. Quo fit ut unus rerum sitomnium finis Deus, cum beatitudo summum bonum, et Deus, nomina quidem diversa, res vero sit una. Sic autem Boetio in mentem revocatur id quod ex tribus ante se confessus est ignorare, puta quis rerum finis sit omnium.

Avidum] Cupidum.

Stupentem] Mirantem.

Mulcedo] Suavitas, delinimentum, delectatio a mulcendo. Divus Cyprianus ad Donatum : Prolectet auris religiosa mulcedo : Usus est et hac dictione Sidonius Apollinaris in Epistolis suis.

Defixerat] Attentum reddiderat.

C *Lassorum fatigalorum*] Curis est et doloribus confectorum.

Solamen] Consolatrix.

Refovisti] Recreasti.

Adeo] In tantum.

Imparem] Desistere non potentem.

Non perhorresco] Non reformido.

Efflagito] Expeto.

Sensi] Cognovi te audiendi avidum acriora remedia vehementer efflagitare.

Habitum] Affectionem, dispositionem.

Quæ restant] Remedia quæ reliqua sunt.

Flagrares] Arderes·

Quonam] Quo, ad quid.

Somniat] Veluti per somnium imaginatur, et con-
D jectat.

Ad imagines] Ad species felicitatis.

Ipsam illam] Veram felicitatem.

Sine cunctatione] Absque mora.

Specimen] Exemplum, formam, probationem.

IN METRUM PRIMUM.

Carmen est ityphallicum, dactylicum, tetrametrum, acatalectum, constans tribus dactylis et pyrrichio. Scanditur autem hoc modo :

> Qui sere, ringenuum, volet, agrum.

Terentianus hoc metri genus phaliscum nominat, cum ait :

> Talia dicta phalisca legimus.

Quatuor autem similitudinibus, eleganter probat prius falsæ beatitudinis speciem verbis esse desi-

gnandam, ut postea veræ forma commodius possit agnosci.

Qui serere] Prius (inquit) noxiæ herbæ et frutices exstirpandi sunt, quam semina telluri credenda. Faustus Andrelinus :

Pessima sollicito vellenda est herba colono,
Ne pereat sola plurimo labe seges.

Divus Hieronymus : Ager spinosus nisi ante cultoris labore fuerit exstirpatus, non nutrit in se jacta semina, sed suffocat.

Serere] Seminibus implere.

Ingenuum] Fertilem.

Fruticibus] Frutices medii sunt inter arbores et herbas. Nam et minores arboribus sunt, nec hieme ut herbæ arescunt.

Filicem] Filix herba est vulgo nota, segeti cum primis noxia. Horatius :

Neglectis urenda filix innascitur agris.

Ceres] Seges. Et licenter hic ultimam corripuit : ut Horatius in Arte poetica, palus, est enim natura longa : Virgil.

Flava Ceres alto nequiquam spectat Olympo.

Fortasse Boetius scriptum reliquit seges, cum ex altera dictione in alteram facilis sit prolapsus. Est autem ordo : Ut nova Ceres eat, id est proveniat gravis, id est plena fruge. Ceres dicta est frugum dea tanquam geres, prima littera mutata.

Apium labor] Mel.

Mage] Magis.

Malus sapor] Amaritudo. Sic Hieronymus : Amaritudo præeuntis doloris, commendat amplius gaudia secutura. Claudianus :

Semperque vicissim
Gaudia præmissi cumulant inopina dolores,
Commendat placidum maris inclementia portum.

Edat] Mordeat, cruciet.

Astra] Stellæ.

Ubi] Postquam.

Notus] Auster.

Imbriferos] Imbrem afferentes.

Ut] Postquam.

Roseos] Rubicundos ob auroram.

Agit] Producit.

Tuens] Intuens.

Jugo] Servituti.

Retrahere] Subducere.

Vera] Subaudi bona.

Subierit] Subibunt.

IN PROSAM II.

Docet natura mortales omnes summum bonum petere, et beatitudinem sectari viis quidem diversis, eoque variis erroribus ab illa turpiter abduci, dum in divitiis, dignitatibus, regnis, gloria et voluptatibus felicitatem se adepturos opinantur, quod fieri minime potest.

Tum] Deinde.

Defixo] Exprimit gestum hominis rem quampiam penitissima speculatione meditantis.

Defixo] Demisso, et in eumdem locum conjecto. Virgilius.

Constitit et Libyæ defixit lumina regnis.

Mortalium] Hominum.

Multiplicium studiorum] Terentius :

Quot homines, tot sententiæ :
Suus cuique mos est.

Persius :

Mille hominum species, et rerum discolor usus.
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Horatius in Sermonibus :

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis : quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia.

Idem primam omnium odam hujus argumento sententiæ conscripsit, aliis studiis alios duci, aliis alia cordi esse. Euripides in Hippolyto Coronato :

Aliis alia placent.

Homerus in Odyssea :

Namque aliis aliæ res arridentque placentque.

Plinius Junior : Varia sunt hominum judicia, variæ voluntates. Hermannus Buschius Pasiphilus noster amicus :

Nam hominum par est studium, non una voluntas,
Et fruitur voto quilibet usque suo.

Sed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire] Divus Aurelius Augustinus libro de Civitate Dei decimo, capite primo : Omnium certa sententia est, qui ratione quoquo modo uti possunt, beatos esse omnes homines velle. Qui autem sint, vel unde fiant, dum mortalium quærit infirmitas, multæ magnæque controversiæ concitatæ sunt, in quibus philosophi sua studia et otia contriverunt. Hactenus Augustinus. Nos autem juventa quondam satis audaces, hunc locum versiculis expressimus libro moralium Elegiarum quarto, quos hic apponere libitum est :

Clare Modersoni, qui consuetudine dulci
Docta simul mecum cudere verba soles :
Cernis, ut ad finem cuncti contendimus unum
Quam variis vitæ consiliique viis.
Hic inhiat gazis, congesto pauper in auro,
Divitiisque putat pulchrius esse nihil.
Ille sibi magnos petit ambitiosus honores,
A venerabundis gaudet ubique coli.
Sunt quibus esse bonum præclara potentia visa est,
Quos juvat innumeris imperitare viris :
Hi se vel reges optant, vel regibus addi,
Omnibus et votis plurima posse petunt.
Sunt quos dilatæ delectat gloria famæ,
Hi clarant nomen qualibet arte suum.
Implicat illecebris fallax plerosque voluptas,
Qui nimio studio deliciosa petunt.
Pars hominum florent, quibus est sapientia cordi,
Et qui se rerum cognitione beant.
Nonnulli tanquam finem sectantur honestum,
Pro virtute quibus vix datur umbra boni.
Nam dum prudentes per se justique videri
Conantur, pereunt, præque tumore crepant.
Hic certe nemo dicetur jure beatus.
In cœli summum permanet arce bonum.
Illud in æterna pax est (ut sentio) vita,
Ipse vel exundans fons bonitate Deus.
Illuc justitiæ gradibus nitamur amice.
Qui fruitur tali, nil cupit ille, bono.

Id] Is finis beatitudinis.

Quis] Aliquis.

Adepto] Comparato.

Abforet] Deesset.

Liquet] Constat, perspicuum est.

Beatitudinem statum] Ponit beatitudinis definitionem hujusmodi : Beatitudo est status bonorum omnium aggregatione perfectus. Speusippus in libro de

Platonis Definitionibus hæc tradit huic bene convenientia : Beatitudo est bonum ex bonis omnibus accumulatum, potestas ad bene vivendum se ipsa sufficiens, perfectio secundum virtutem, sufficiens vitæ commoditas. Beatitudo et beatitas in eodem significatu dicuntur. Ciceroni vero utrumque omnino durum visum est vocabulum, sed usu molliendum. Augustinus libro de Civitate Dei quinto, capite primo : Quoniam constat omnium rerum optandarum plenitudinem esse felicitatem. Quibus ex verbis sumitur hæc finitio. Felicitas est omnium rerum optandarum plenitudo. Philippus Beroaldus : Magna res est viri ornatissimi, et omnibus horis omnium votis expetita felicitas; huc tendunt cunctorum vota mortalium, hæc est summa rerum expetendarum; felicitate terminantur nostra desideria, Cui felicitas adest, huic nihil prorsus deest. Inveniuntur qui regna non optent, qui vero felicitatem repudiet, nullus existit : nemo enim non felix esse vult, nemo non felicitatem summum bonorum esse consentit. Cicero in v de Finibus : Beate enim vivendi cupiditate incensi omnes sumus. Divus Augustinus lib. de Civitate Dei quarto, capite 23 : Potior est felicitas regno. Nemo enim dubitat facile inveniri hominem, qui se timeat fieri regem. Nullus autem invenitur qui se nolit esse felicem.

Naturaliter inserta] Per naturam seu a natura insita. Natura (ut ait Cicero Tusculanarum Quæstionum libro tertio) parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic exstinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.

Quorum quidem alii] Ponit diversa in summo bono quærendo mortalium studia.

Affluant] Abundent.

Adeptis] Comparatis. A verbo deponenti participium præteriti temporis passiva significatione posuit.

Regnantibus adhærere] Seneca in Hercule Œtæo :

> Cupit hic regi proximus ipsi
> Clarusque altas ire per urbes.

Claritas] Nominis celebritas, famæ nobilitas. Plinius Epistolarum libro octavo : Alius aliud, ego beatissimum existimo, qui bonæ mansuræque famæ præsumptione perfruitur, certusque posteritatis cum futura gloria vivit.

Propagare] Proferre, extendere.

Plurimi vero] In hanc sententiam agminatim pedibus eunt, docti pariter et indocti, voluptatem studiose sectantes. Legatur de his bonorum finibus Aristoteles in primo Ethicorum, Cicero de Finibus bonorum et malorum, Augustinus libro de Civitate Dei decimo, et Philippus Beroaldus in opusculo de Felicitate.

Sunt qui etiam] Sensus est : Sunt qui quod ex his petunt, non ob id ipsum, sed propter alterum petunt: ut hi divitias ob potentiam aut voluptates concupiscunt, illi potentiam propter pecuniam vel nominis claritudinem appetunt. Ovidius :

> Creverunt et opes, et opum furiosa libido,
> Et cum possideant plurima, plura petunt.
> Quærere ut absumant, absumpta requirere certant,
> Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices.

Sunt] Subaudi nonnulli.

Horum] Bonorum.

Alterutro] Ex duobus altero.

In his] Divitiis, dignitatibus, potentia, gloria, voluptate.

Cæterisque talibus] Reliquis ejusmodi, ut in nobilitate favoreque populari, re uxoria et liberis, amicis item ac bonis, quæ facile possunt ad superiora referri.

Votorum] Cupiditatum, optionum, appetitionum.

Nobilitas favorque popularis] Subintellige *sunt*. Potuisset autem ea ponere casu septimo, sed uti nominativo maluit, ob relativum quod eodem casu subjunxit.

Favor popularis] Populi favor.

Liberi] Proles.

Amicorum vero] Ut Aristoteles Ethicorum libro octavo docet : Tres sunt amicitiæ species, honesta, utilis, atque jucunda. Amicitiæ autem ob utilitatem atque voluptatem, non per se, sed per accidens sunt amicitiæ, et facile dissolvi queunt. Bonorum vero amicitia, probitate virtuteque similium perfecta est amicitia et jugis atque permanens. Et hæc eadem maxime amicitia, atque optima amicitia est. Idem secundo libro Magnorum Moralium : Constantissima igitur ac stabilissima et honestissima quæ inest probis amicitia : quippe quod propter virtutem, ac per se bonum. Nam virtus incommutabilis, et quæ per eam conciliatur amicitia, constantissima est : at quæ ex commodo, stabilis non est amicitia, quippe quæ commodo elabitur, similiter etiam quæ propter voluptatem. Optimorum igitur amicitia, quæ per virtutem excitata est : multorum autem, quæ propter commodum, et quæ propter voluptatem, in oneribus quæque obveniunt.

Vel potentiæ] Amicitia utilis, vel potentiæ vel etiam divitiarum gratia assumitur; jucunda vero, delectationis gratia.

Jam vero corporis bona] Ostendit quemadmodum bona corporis ad superiora referantur. Academici, id est Platonici et Peripatetici, id est Aristotelici, tria genera bonorum esse tradiderunt, ex quibus felicitas perficeretur. Prima, animi bona, ut virtutes et doctrinas. Secunda corporis, ut sanitatem, robur, magnitudinem, pulchritudinem, velocitatem, sensuum integritatem. Tertia externa, quæ fortunæ ascribuntur, ut divitias, honores, potentiam, auctoritatem, gloriam.

Præstare] Conferre.

Valentiam] Potentiam.

Pulchritudo] Corporis pulchritudo est partium con-

gruentia cum quadam coloris suavitate, ut docet Aurelius Augustinus libro de Civitate Dei ultimo.

Celebritatem] Nominis præclaram frequentiam.

Salubritas] Sanitas.

Præ cæteris] Ante alia bona.

Epicurus] Philosophus Atheniensis summum bonum, non (ut Aristippus) in voluptate corporis, sed animi et doloris vacuitate ponebat, de quo lege Laertium.

Caligante] Deficiente, et quasi caligine ac tenebris obducta.

Num enim videntur errare hi] Ostendit homines non falli in boni cupiditate, sed in ejus acquisitione, dum ibi quærunt ubi minime possunt illud invenire.

Atqui] Sed.

Labuntur] Errant.

Minime] Nequaquam.

In bonis] Inter bona.

Sequestrari] Segregari. Sequester est apud quem plures eamdem rem, de qua controversia est, deposuerunt : dictus (ut Gellius docet) quod ejus qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. Est enim medius inter duos altercantes, apud quem aliquid seponitur. Hinc sequestro, apud sequestrum depono. Unde sequestrata res dicitur. Interdum significat separo, sepono, segrego. Divus Hieronymus : Quod petitis, ut vobis diversos psalmos per ordinem sequestrem.

Sufficientiam] Sufficientia, teste Speusippo, est perfecta honorum possessio, habitus quo unusquisque sui ipsius dominus fit.

IN METRUM II.

Carmen est anapæsticum, simile illi,

O stelliferi conditor orbis,

quo quanta sit naturæ vis ostenditur multis eisdemque convenientissimis similitudinibus, et quod nihil suæ naturæ possit omnino oblivisci. Unde probat hominis originem cœlestem esse, et a summo bono profectam ; nec quiescere, nisi eo fuerit reversa. Est autem ordo :

Placet] Subaudi mihi.

Promere] Proferre in lucem et evidenter enuntiare.

Lentis fidibus] Flexibilibus chordis lyræ.

Arguto] Hoc est, sonoro cantu.

Quantas habenas] Id est moderationes rerum.

Potens natura flectat] Id est dirigat, deest, etc.

Quibus legibus] Id est conditionibus et pactis.

Provida servet immensum orbem et ligans stringat] Id est connectat.

Singula irresoluto nexu] Hoc est indissolubili colligatione. Habena proprie est retinaculum equi, quod equus ea habeatur, id est teneatur.

Natura] Dicta est ab eo quod nasci aliquid faciat. Hanc quidam Deum esse dixerunt, a quo omnia sunt creata. Seneca lib. quarto de Beneficiis : Quid enim aliud est natura quam Deus, et divina ratio toti mundo et partibus ejus inserta? Accipitur interdum pro vi naturali, et pro genitalibus tam virilibus quam

A femineis. Natura item pro forma seu essentia capitur. Philosophi naturam hunc in modum definiunt : Natura est principium et causa movendi et quiescendi, ejus in quo est primum, per se, et non secundum accidens. Definitur et sic : Natura est vis insita rebus, ex similibus similia procreans.

Quamvis Pœni] Leonum exemplo, quanta sit vis naturæ demonstrat.

Pœni] Libyci, Marmarici.

Trucem magistrum] Crudelem et plagosum mansuefactorem.

Ferre] Pati.

Horrida] Terribilia.

Ora] Leonum.

Resideres] Latitantes, quiescentes, segnes.

B *Reses*] Qui residet, quiescens, segnis, otiosus. Virgil. lib. VI :

Otia qui rumpet patriæ residesque vocabit
Tullus in arma viros.

Olim] Jamdiu.

Animi] Feritatis impetus, naturales ad sæviendum effectus.

Fremitu] Rugitu.

Gravi] Horribili, magno.

Meminere] Memores sunt.

Sui] Naturæ suæ.

Laxant] Liberant.

Nodis] Vinculis.

Lacer] Laceratus.

Domitor] Mansuefactor.

C *Imbuit rabidas iras*] Initium sæviendi præbet efferatis leonibus. Martialis lib. II :

Verbera securi solitus leo ferre magistri,
Insertamque pati blandus in ora manum,
Dedidicit pacem subito feritate reversa,
Quanta nec in Libycis debuit esse jugis.

Quæ canit] Aviculæ in cavea conclusæ probat exemplo, naturæ vim esse maximam.

Ramis] Deest *in*.

Ales] Avis.

Caveæ] Cavea est fossa subterranea, superne tecta. Accipitur pro ferarum receptaculo. Martialis :

Exeat e cavea ne male pastus aper.

Caveæ item dicuntur septa ex ligno sive ebore aut alia materia, in quibus aviculas tenemus. Ovid, lib. I de Ponto :

D Cum bene sint clausæ cavea Pondione natæ,
Nititur in silvas quæque redire suas.
Assuetos tauri saltus, assueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.

Huic] Aliti.

Largas dapes] Abundantes escas. Dapes sunt magnifici et opipari apparatus. Martialis :

Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis.

Dapes hominum, esca tam brutorum animalium quam hominum. Sed Boetius jam recte dixit dapes, ut rem vehementer augeret. Plerique enim tanto studio suis aviculis escam exquisitissimam ministrant, ut non avibus, sed hominibus delicatissimis servire videantur ; nihilominus si facultas detur, malint illæ (tanta naturæ vis est) in silvas evolare.

Arcto tecto] In angusta cavea.

Mœsta] Tristis, quod inclusa non possit evolare.

Silvis] ad silvas. et silvarum desiderio.

Validis] Per virgæ naturalem vin ea quæ dixit confirmat.

Quondam] Aliquando.

Acta] Mota, incurvata.

Pronum] Inclinatum.

Flectit] Flecti patitur.

Hanc] Virgam.

Recto] Erecto ut ante incurvationem. Consimiliter dixit Horatius in Epistolis :

Naturam expellas furca, tamen usque recurrit.

Ducta (ut videtur) a ramis metaphora, qui furca torquentur alio quam natura posuerat. Qua sublata, rursum vergunt eodem quo prius.

Cadit] Occidit. Addit solis exemplum, ex ortu in occasum tendentis, et rursus clam nobis per inferius hemisphærium in orientem recurrentis.

In Hesperias undas] In Occidentalem oceanum. Loquitur more poetarum ex vulgi opinione.

Repetunt] Concludit, universali sententia, res omnes in naturalem originem reverti, et suo quamque reditu delectari, ut dixit ille :

Ortus quæque suos repetunt, matremque requirunt.

Cum igitur hominis animus sit a summo bono creatus, beari non potest, nisi divina gratia ei reconcilietur, et in id per ipsum reducatur.

Nisi quod fini junxerit ortum] Nisi ei quod naturalem et originis suæ proprium finem fuerit assecutum.

Sui] Naturæ suæ.

Orbem] Circuitum.

IN PROSAM III.

Hactenus disseruit ab omnibus hominibus naturali intentione summum bonum peti, tametsi ubi positum sit, non omnes consentiant, aliis in dignitate, aliis in potentia, aliis in nominis celebritate, aliis in gaudio et lætitia. Nunc in horum nullo summum illud bonum, veramque beatitudinem inveniri disputat : primum luculentis rationibus docens, divitias hominem beatum non efficere.

Vos quoque, o terrena] Proxime de sole dedit exemplum, quem cum cœlis Platonici cœlestia dixerunt animalia. Continuans igitur sermonem, subdit:

Vos etiam, homines terrena animalia, somniatis] Id est, quasi per somnium videtis.

Vestrum principium] Id est Deum creatorem et summum bonum.

Licet] Quamvis.

Tenui imagine] Exigua cognitione.

Prospicitis] Procul aspicitis.

Eo] Ob id, quia summum bonum qualicunque cognitione prospicitis, sed non perspicaci.

Adeptione] Comparatione.

Liquido] Manifeste, evidenter.

Species] Apparentia.

Primum] Arguit opes non conferre beatitudinem, eo quod nec statum omnium bonorum congregatione perfectum præstent : nec veram sufficientiam quam promittere videntur, cuiquam mortalium afferant.

Affluebas] Abundabas.

Confudit] Perturbavit.

Quin] Ut non.

Aliquid semper angeret] Ob aliquid semper turbarer. Divus Ambrosius in sexto libro Hexaemeron : Divitiæ ut epulis ventrem, ita animum curis sollicitudinibusque distendunt.

Illius] Quod aberas.

Hujus] Quod aderat.

Usquequaque] Omnino. Usquequaque significat omnino, passim, assidue, semper, quasi in unoquoque loco, sive unoquoque tempore. Cicero Trebatio : Usquequaque sapere oportet.

Quidni] Cur non.

Atqui hoc quoque] Probat pecuniam facile invitis dominis auferri posse.

Valentior] Potentior.

Forenses querimoniæ] Querelæ quæ in foro judiciario fiunt; subaudi *sunt*.

Nisi] Subintellige ex eo quod pecuniæ ereptæ a nolentibus, ab invitis possessoribus vel vi, id est, violentia, vel fraude, dolo malo repetuntur.

Egebit igitur] Satyrographus :

Misera est magni custodia census.

Strabo lib. IX : Cum invidiosæ sint divitiæ, laboriosa est earum custodia, etiamsi cuipiam numini attributæ consecratæque fuerint.

Quis autem modus] Ostendit divitiis non auferri indigentiam, sed tantum consolari, et relevari nonnihil.

Consolari] Relevari. Consolor verbum commune est. Dicimus enim consolor te. Cicero Familiarium Epistolarum libro quinto : Etsi egomet qui te consolari cupio, consolandus ipse sum.

Taceo quod de naturæ] Pulcherrima sententia est. Seneca : Potius excitandus ex somno, et vellicandus est animus admonendusque naturam nobis minimum constituisse. Nemo nascitur dives, quisque erit in lucem, jussus est lacte et panno esse contentus. Idem : Panem et aquam natura desiderat. Ad hæc nemo pauper est, inter quæ quisque desiderium suum clausit, cum ipso Jove de felicitate contendat. Libitum est nobis hoc loco subjicere Claudiani poetæ versus in avarum Rufinum, non minus utiles quam luculentos :

Quo, Vesane, ruis ? teneas utrumque licebit
Oceanum, laxes rutilos tibi Lydia fontes,
Jungantur solium Cyri Crœsique tiaræ,
Nunquam dives eris, nunquam satiabere quæstu.
Semper inops, quicunque cupit : contentus honesto
Fabricius parvo, spernebat munera regum,
Sudabatque gravi consul Seranus aratro :
Et casa pugnaces Curios angusta tenebat.
Hæc mihi paupertas angustior, hæc mihi tecta
Culminibus majora tuis : tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos, mihi donat inemptas
Terra dapes, rapiunt Tyrios tibi vellera succos,
Et picturatæ saturantur murice vestes.
Hic radiant flores, et prati viva voluptas
Ingenio variata suo, fulgentibus illic
Surgunt fulcra toris : hic mollis panditur herba
Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba salutantum lætas tibi perstrepit ædes.

Hic avium cantus labentis murmura rivi,
Vivitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus esse dedit: si quis cognoverit uti
Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu:
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret:
Non ventus quateret puppes, non machina muros.

Avaritiæ nihil satis est] Aristoteles primo Politicorum: Omnes enim in infinitum augent, qui pecuniis student. Ecclesiastes: Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. Seneca: Avaro tam deest quod habet quam quod non habet, Salomon Proverbiorum capite XIII: Est quasi dives, cum nihil habeat; et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit. Divus Ambrosius in primo de Interpellatione: Modum non habet avaritia, nec rapiendo expletur, sed incitatur: hoc egentior, quo plura quæsierit. Seneca: Quæ sunt maximæ divitiæ? Non desiderare divitias. Quis plurimum habet? B Qui minimum cupit.

IN METRUM III.

Carmen est dicolon, constans iambico senario et elegiaco pentametro. Taxat eo mortalium cupiditatem inexplebilem, docens opes, nec avarum dum vivit satiare, nec ubi mortuus fuerit, comitari.

Fluente] Affluente.

Auri gurgite] Aurifero fluvio, cujusmodi dicuntur in Lydia Pactolus et Hermus, Tagus in Lusitania, Durius in Hispania. Horatius in Epodo:

Sis pecore et multa dives tellure licebit,
tibique Pactolus fluat.

Non expleturas] Non satiaturas ejus animum.

Baecis] Gemmis, lapillis pretiosis. Bacca, fructus lauri, oleæ, corni, myrti, et id genus arborum. Per similitudinem pro lapide pretioso accipitur. Sic dicimus baccas succini vel coralii. Horatius in Epodo:

Nec sit marita, quæ rotundioribus
Onusta baccis ambulet.

Hinc baccula, parva bacca.

Rubri littoris] Littoris Erythræi maris. Rubrum mare dicitur, quod a Persico sinu in Arabiam extenditur. Nearchus et Onesicritus, Alexandri Magni comites, tradiderunt stulte persuasum esse vulgo, rubras alicubi esse maris aquas, quin ab Erythro rege nomen pelago inditum credere se cujus sepulcrum ejus gentis litteris insignitum, in insula haud procul a terra intuiti essent. Alii aquam videri rubram, etsi non sit, affirmant, seu quia rubens sit area, qua leviter commota, talis existat in fluctibus color: aut quod montium qui argillosi sint, repercussu pacata pelagi facies ruffescat. Constat ibi plurimos lapides pretiosos conchasque inveniri. Tibullus:

Et quascunque niger Rubro de littore gemmas
Proximus Eois colligit Indus aquis

Idem:

Quidve in Erythræo legitur quæ littore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat?

Centeno bove] Centum bobus. Posuit autem numerum finitum pro infinito.

Scindat] Aratro proscindat.

Opima] Pinguia, fertilia.

Cura mordax] Cor assidue urens et quasi, morsu conficiens. Unde quidam:

A Languida mordaces consumunt pectora curæ.

Et alius: Vacuus viator et nudus non timet latronis insidias. Securus a nocturnis furibus dormit pauper, etiamsi claustra non muniat: diviti vero opes suæ latronis semper imaginantur occursum, jugi sollicitudine noctium somnum adimunt. Claudianus:

Fœdaque avaritiæ complexæ pectora matris,
Insomnes longo veniunt examine curæ.

Defunctum] Mortuum. Propertius:

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas.
Nudus ab inferna stulte vehere rate.

Divus Ambrosius Hexaemeron lib. ultimo: Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla discretio inter cadavera mortuorum, nisi forte quod gravius fetent divitum corpora distenta luxurie. Ludovicus Bigus:

Nil secum moriens locuples, nil portat egenus.
Morte relicturi plusque minusque sumus.
Tollit in immensum se divitis error avari,
Nec se ubi pacifica mente reponat, habet.

Idem:

Huc nihil intulimus, nihil hinc auferre valemus.
Oppida rex moriens, frivola linquit inops.
Exiguum natura petit, qui congruus illi
Vixerat, haud unquam hic indigus esse potest.

IN PROSAM IV.

Quemadmodum jam docuit divitias veram sufficientiam non conferre, ita nunc argumentatur dignitates eos quibus provenerint honorabiles reverendosque non reddere: quæ sæpe collatæ improbis eos despectiores faciunt, dum illorum vitia pluribus ante ignota revelant.

Dignitates] Magistratus, honores. Dignitas modo significat honorem alicui propter merita vel impen-C sum, vel debitum. Gellius: Cujus dignitas nec augeri laudibus, nec minui detractionibus potest. Accipitur interdum pro magistratuum administratione et honore. Cicero: Ut omnibus in rebus ei te commendes quoad fides dignitasque tua patietur. Interdum sumitur pro virili pulchritudine. Idem libro primo Officiorum: Pulchritudinis duo sunt genera: unum muliebre, quam venustatem appellamus: alterum virile, quam dignitatem dicimus.

Reddunt] Cum interrogatione legendum.

Num] Nunquid: quasi dicat minime.

Atqui] Sed.

Illustrare] Notam reddere, nobilitare.

Nequitiam] Improbitatem.

Indignemur] Ægro et iniquo animo feramus.

D *Catullus*] Hic poeta, genere Veronensis, scripsit multa lepidissima carmina, quorum nonnulla desiderantur, exstant alia: de quo dixit Ovidius:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Et Martialis:

Verona docti syllabas amat vatis.

Licet] Quamvis.

In Curuli] In sella eborea. Curulis sella erat ex ebore, qua majores magistratus utebantur in curru. Horatius in epistolis:

Cuilibet hic fasces dabit, eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur.

Nam senatores, qui curulem magistratum, id est majorem honorem gessissent, honoris gratia in cu-

riam vehi soliti erant curru, in quo [erat eburnea sella, super qua considerent.

Nonium] Nonius Struma Romanus fuit, genere quidem nobilis, sed luxu et desidia notabilis, in quem et Vatinium exstant versus Catulliani :

Quid est, Catulle, quod moraris emori ?
Sella in curuli Struma Nonius sedet.
Per consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle ? quid moraris emori ?

Loquitur autem poeta ad seipsum indignabundus, quod indignissimis hominibus tantæ a populo collatæ sint dignitates. Animad vertendum autem est id quod abhinc annos tredecim Rodolphus Langius canonicus Monasteriensis, vir genere, scientiis, virtutibus multo clarissimus, me tum adolescentem admonuit, non ideo Catullum, Nonium hunc Strumam appellare, quasi ignominiæ quodam elogio hoc eum nomine notet, ut Boetii verba prætendunt, sed cognomen Nonii, et ejus familiæ Struma fuit : quod et Plinii verba in . xxxvii Naturalis Historiæ ostendunt, cum ait, de opalio gemma pretiosissima scribens : Siquidem exstat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus Nonius senator est, filius Strumæ Nonii, quem Catullus poeta iu sella curuli visum indigne tulit, avusque Servilii Novianii, quem consulem vidimus. Struma vero genus morbi est, tumor scilicet, in quo subtus concretæ quædam ex pure et sanguine quasi glandulæ oriuntur. Strumosi dicuntur qui id vitii patiuntur, et strumosa pars corporis quæ eo læsa est.

Cum Decorato] Decoratus tempore Boetii scurra nequissimus et sycophanta fuit, cum quo Boetius magistratum gerere recusavit.

Putares] Velles. Puto, teste Acrone, pro volo accipitur. Horat. in Sermonibus :

Ut vitales putes :

id est velis.

Inest enim dignitas propria virtuti.] Horatius :

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus.

Despectiores potius improbos dignitas facit] Seneca : Loco ignominiæ est apud indignum dignitas. Claudian.:

Sævit in auctorem prodigiosus honor.

Veteri proverbio dicitur, Simia simia est, etiamsi aurea gestet insignia.

Verum non impune] Sed, inquit, quod dignitates improbos despectiores reddunt, id non impune, hoc est non sine noxa sua faciunt : nam vicissim illorum contagione maculantur. Divus Hieronymus in epistola consolatoria ad Pammachum : Quamvis clarus honor vilescit in turba, et apud viros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possident. Unde egregie de Cæsare Tullius : Dum quosdam, ait, ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turbavit. Cicero in secunda Philippica de Marco Antonio : In homine enim turpissimo obsolebant dignitatis insignia.

Umbratiles] Inanes, umbræ similes.

Si quis multiplici] Pulchre ratiocinatur dignitates non facere quempiam ubique venerandum, neque id esse munus eis naturale. Quidquid rei naturale est, ubique ei convenit. Facere autem quempiam reverendum non convenit ubique dignitatibus : non est igitur eis naturale. Propositionem quam multi majorem vocant, ostendit exemplo seu inductione imperfecta, quæ facile perfici possit. Calor ligni naturalis ubique inest ei : proinde quidquid rei naturale est nusquam eam deficit. Assumptionem vero quæ vulgo minor dicitur, hunc in modum veram esse docet. Si quis enim sæpius Romæ consulatu functus, devenerit forte in barbaras nationes, ubi fuerit ignotus, minime barbaris videbitur venerandus, qui nec virum norint, nec ejus mirati fuerint dignitates.

Quoquo] Ubicunque.

Sed hoc] Subaudi evenit, vel accidit, vel simile quidpiam.

Inter eos vero] Disserit nec apud quos ortæ sunt, perpetuo dignitates permanere, idque exemplis probat evidenter.

Præfectura] Romulus unum elegit quem urbanis negotiis præfecit, ut Dionysius ait. Hunc præfectum Urbis fuisse satis constat. Longo post tempore tantum sibi juris præfectura vindicavit Cæsarum temporibus, ut crimina omnium in urbe cognosceret, et demum cum Cæsares ab Urbe abessent, præfectus velut alter Cæsar imperabat, de rebus omnibus quæ ad Urbem pertinebant, censebat. Tempore autem Boetii, Theoderico Gothorum rege Italiam tenente, præfectura non erat, nisi inane nomen, et senatorii census gravis sarcina, quod senatores sua pecunia præfectum Urbis alere cogebantur, qui titulo tenus erat præfectus, nec antiquam retinebat auctoritatem.

Nunc ea præfectura] Dicunt quidam annonæ præfecturam habuisse initium 15 anno post exactos reges, Appio Claudio Sabino et P. Servilio Prisco consulibus ; sed verius constat anno 18, T. Secanio et P. Minutio consulibus, quo tempore annonæ maxima caritas fuit, missique in Siciliam fuere P. Valerius et L. Geganius pro advehendo frumento. Volunt et alii L. Minutium fuisse primum annonæ præfectum, satisque constat, non nisi ex indigentia frumenti hunc magistratum fuisse creatum.

Proprii decoris] Propriæ pulchritudinis.

Nunc] Interdum.

Si igitur reverendos] Brevi epilogo jam dicta repetit, et dignitatibus nihil expetendæ pulchritudinis inesse concludit.

IN METRUM IV.

Carmen est dicolon, cujus primus versus est phalecius hendecasyllabus, secundus alcmanius, vel (ut aliis placet) archilochius tetrameter acatalectus, constans duobus dactylis et totidem trochæis. Docet Neronis exemplo dignitates sæpe corruptissimis moribus adhærere, et honores cum a miseris tribuantur, beatitudinem conferre nemini posse.

Tyrio ostro] Tyria purpura. Ostrum est purpura. Virgilius in Georgicis :

Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro.

Comeret] Ornaret.

Niveis] Candidis.

Vigebat] Vivebat.

Vim] Id est violentiam exercebat.

Luxuriæ Nero sævientis] Divus Augustinus libro de Civitate Dei quinto, capite 19 : Qui autem contemptor gloriæ dominationis est avidus, bestias superat, sive crudelitatis vitiis, sive luxuriæ. Tales quidam Romani fuerunt. Non enim cura existimationis amissa, dominationis cupiditate caruerunt. Multos tales fuisse prodit historia. Sed hujus vitii summitatem et quasi arcem quamdam Nero Cæsar primus obtinuit : cujus fuit tanta luxuries, ut nihil ab eo putaretur virile metuendum : tanta crudelitas, ut nihil molle habere crederetur, si nesciretur.

Improbus] Sceleratissimus Nero.

Verendis] Reverendis.

Patribus] Senatoribus.

Indecores] Inhonestas, turpes ob ejus qui dabat eas, summam improbitatem. Maro :

Cur indecores in limine primo
Deficitis ?

Nominativus singularis est indecor, sive indecoris. Accius :

Cujus sit vita indecoris,
Mortem fugere turpem haud convenit.

Cursules] Dignitates.

Quis illos] Hujus versus primus pes iambus est. Utitur autem argumento dialectico, deprompto ex eo loco qui est a causa efficiente : Qui dant honores, et efficiunt dignitates, ob vitiorum colluviem plerumque miseri sunt. Dignitates igitur nec beatæ sunt, nec eos quibus proveniunt beatos reddunt.

IN PROSAM V.

Hactenus disseruit nec pecuniis sufficientiam, nec dignitatibus veram reverentiam comparari, nunc disputat in regnis quoque et regum familiaritate veram potentiam non consistere.

Quid ni] Cur non.

Quando] Quando quidem : et est ironia, quod facile indicat subsequentia.

Felicitatem calamitate mutaverint] Ex felicibus et fortunatis facti sint calamitosi.

O præclara] Ironia est, irridet enim hujus sæculi infirmissimam potentiam, quæ ne se ipsam quidem conservare potest.

Quod si hæc regnorum potestas beatitudinis auctor est] Acute per locum a contrariis argumentatur, concluditque regibus plus impotentiæ quam potentiæ, et majorem miseriæ quam felicitatis inesse portionem.

Expertus sortis] Ordo est, Tyrannus expertus periculorum suæ sortis simulavit, hoc est significavit, effinxit, expressit terrore gladii pendentis supra verticem, id est caput assentatoris, metus regni, id est timores et sollicitudines regnantium. Hoc autem de Dionysio Syracusiorum tyranno intelligendum est, cui (ut refert Eusebius in Præparatione Evangelica) qui Siculam conscripserunt historiam, vel amantissimam uxorem adeo suspectam fuisse dicunt, ut tabulis cubiculum straverit, quo major sonitus, cum ad eum iret, excitaretur, nudumque ita, ut nihil occulte ferre posset, aditumque ipsum fovea intercepisse, ut vel saltibus, vel longis gradibus, vel ascensu de A scensuque pergendo, nullum posset telum occultare. Quot quantisque igitur animus hominis, qui vel uxorem ita suspectam habebat, malis refertus erat ? Illis certe mihi simillimus videtur fuisse qui cum ad alta præcipitia, scandant, antequam nec altiora petunt jam fessi, nec descendere audent, cum ad hiatum et profunditatem despexerint. Tyrannidem nempe quasi divinam rem aggressus, cum pericula ejus cognovisset, et standi in proposito innumerabilia videbat in dies pericula, et ob ea mortem imminere non dubitabat, omnibus etsi non corporibus, sed animo tamen adversus eum armatis, quod et ipse Dionysius ita esse significavit. Nam cum quidam vitam tyrannorum apud eum, quasi beatam laudibus efferret, vocasse ad cœnam regio apparatu constructam, hominem dicitur, ac B supra caput illius sedentis acutum gladium tenuissimo filo suspendisse : quem posteaquam repente conviva ille respexit, nec surgere inde ausus timore tyranni, nec bibere, aut comedere potens, periculo perculsus, cervice ac oculis ad pendentem gladium directis, mortem exspectabat. Quod cum vidisset Dionysius, Num (inquit) intelligis quam beata sit vita nostra? Talis enim est nisi velimus nobismetipsis adulari. Omnium enim rerum copiam habentes propter frequentiam periculorum et impendentem formidinem, nulla frui possumus, illis similes qui a deformibus sæpe meretricibus decipiuntur, quæ veste atque auro valde ornatæ, et fuco faciei deformitatem occultantes quasi hamo pisces, his insidiis captos attrahunt adoC lescentes. Hac infelicitate nos premimur, qui multis felices videmur : et sicut tormentis multi coguntur mentis suæ arcana pandere, sic interdum hujus vitæ molestia victi, verissimas voces de miseria nostra emittimus. Illis enim certe similes animalibus tyranni sumus, quæ saginantur, quibus comedendi bibendique non aliud quam ad perniciem suam copia solet offerri Horat. Carminum lib. II :

Districtus ensis cui super impia.
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium, citharæque cantus,
Somnum reducent.

Supra verticem] Supra caput Democlis seu Damoclis assentatoris, de quo latius Cicero Tusculanarum Quæstionum libro ultimo.

D *An tu potentem censes*] Plus vehementiæ habet interrogatio quam si simpliciter argumentum protulisset.

Satellite] Stipatore.

Ambit] Circumdat.

Qui quos terret, ipse plus metuit ?] Seneca in Œdipode :

Qui sceptra duro sævus imperio regit,
Timet timentes, metus in auctorem redit.

Laberius mimographus : Necesse est multos timeat quem multi timent. Claudianus :

Qui terret, plus iste timet, sors ista tyrannis.
Convenit, invideant claris, fortesque trucident
Muniti gladiis vivant, septique venenis.
Ancipites habeant artes trepidique minentur.

Divus Hieronymus : Antiqua sententia est, Quem metuit quisque, odit : quem odit, periisse cupit. M. Tullius libro Officiorum secundo : Rerum autem om-

nium nec aptius est quidquam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi, nec alienius quam timeri. Præclare enim Ennius :

> Quem metuunt, oderunt : quem quisque odit, periisse
> Expedit.

Et post non multo : Etenim qui se metui volent, a quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi, necesse est. Quid enim censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum, qui cultros metuens tonsorios, candente carbone sibi adurebat capillum? Quid Alexandrum Phereum, quo animo vixisse arbitramur, qui (ut scriptum legimus) cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum et eum quidem (ut scriptum est) compunctum notis Thraciis, districto gladio jubebat anteire, præmittebatque de stipatoribus suis, qui perscrutarentur arculas muliebres, et ne quod in vestimentis occultarentur telum, exquirerent? O miserum, qui fideliorem barbarum et stigmaticum putabat, quam conjugem. Nec eum fefellit opinio. Ab ea est enim ipse propter pellicatus suspicionem interfectus.

Nam quid ego de regum Per locum ab eo quod magis esse videtur, argumentatur regum familiaritatem potentem neminem facere, cum reges ipsi tam sint imbecilles.

Nero Senecam] Suetonius de Nerone : Senecam præceptorem ad necem compulit, quamvis sæpe commeatum petenti bonisque cedenti persancte jurasset, suspectum se frustra, periturumque potius quam nociturum ei.

Papinianum] Hic Serbidii Scævolæ auditor, et libros ad Pandectas affert quæstionum triginta septem, responsionem undeviginti, definitionum duos, de adulteriis unum, ædilitium unum. Hic habitus est omnium juris conditorum acutissimus, eumque vocant historiæ juris asylum, doctrinæ legalis thesaurum, sicut ab illo studiosi legum qui profecissent appellati Papinianistæ quandoque fuerint. Amicus et Severo principi, sed a condiscipulatu, neque non affinis per secundam uxorem, successor eidem quoque in administratione fisci. Denique moriens Severus, filios suos non alii magis quam Papiniano commendavit. Erat autem præfectus Urbi Papinianus, ac plus potens in aula quam volebat. Itaque sæpe deponere nocituram potentiam frustra conatus, tandem ab Antonio Caracalla Severi filio, militum gladiis objectus, et securi percussus est, quod excusare parricidium noluisset.

Antonius] Aurelius Antonius Bassianus Caracalla, Severi filius, patri successit in imperio. Bassianus ex avi materni nomine dictus est. Caracallæ nomen accepit a vestimento quod populo dederat demisso usque ad talos, ut auctor est Spartianus. Hic fratrem suum Getam, et complures alios præclaros viros occidi jussit. Papinianus autem in ejus conspectu securi percussus, a militibus occisus est : quo facto, percussori dixit : Gladio te exsequi oportuit meum jussum.

Moles ipsa] Dignitatis et potentiæ nimia, et ob id A noxia magnitudo.

Quæ] Quasi dicat *nulla*.

An præsidio sunt amici] Supra dictum est utilem amicitiam potentiæ gratia nonnunquam assumi. Nunc igitur paucis ostendit fortunæ amicos facillime alienari, nec ullam esse pestem ad nocendum efficaciorem quam familiarem inimicum.

Sed quem felicitas] Sententia est notissima, et ab Ovidio sæpius decantata, cujus versus ex primo de Tristibus libro passim omnibus litteratis sunt in ore :

> Donec eris felix, multos numerabis amicos.
> Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Idem in secundo de Ponto :

> Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est :
> Quæ simul intonuit proxima quæque fugat.
> B En ego non paucis quondam munitus amicis,
> Dum flavit velis aura secunda meis :
> Ut fera nimboso tumuerunt æquora vento,
> In mediis lacera nave relinquor aquis.

Divus Hieronymus : Amicitia quæ desinere potest vera nunquam fuit.

Quæ vero pestis] Quasi dicat nulla. Divus Hieronymus : Levius est professum inimicum cavere, quam hostem latentem sub amici nomine sustinere : sub amici nomine, inimici insidias deprehendi. Idem : Adulator quippe blandus inimicus est. Solon, auctore Laertio, præcipiebat hunc in modum : Caute singulos observa, ne forte odium in corde tegant, dum blanda et arridenti facie te alloquuntur, duplexque illis lingua atra ex mente sonet. Diogenes, interrogatus quænam perniciosissime morderet bellua, Ex feris C (inquit) obtrectator, ex mitioribus autem adulator. M. Tullius in Lælio, dixit nullam in amicitiis pestem esse majorem quam adulationem, blanditias assentationem.

IN METRUM V.

Carmen ejusdem rationis est cum quinto libri secundi. Admonet autem eo nos Philosophia veram potentiam nemini contingere posse, nisi, depulsis perturbationibus, animo suo dominetur, et, amotis vitiis, sit virtutis regnum (quod unum stabile est, idemque liberrimum) invicta fortitudine feliciter consecutus. Seneca Lucilio : Si vis omnia tibi subjicere, subjice te rationi. Multos reges, si ratio te rexerit. Ab illa disces quid et quemadmodum aggredi debeas. Apud Livium Scipio ad Massinissam. Non est, inquit, mihi D crede, tantum ab hostibus armatis ætatis nostræ periculum, quantum a circumfusis undique voluptatibus, Qui eas sua temperantia victoriam sibi peperit, quam nos Syphace victo habuimus. Salomon Proverbiorum capite XVI : Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Horatius Carminum lib. II :

> Latius regnes avidum domando
> Spiritum quam si Lybiam remotis
> Gadibus jungas, et uterque Pœnus
> Serviat uni.

Valerius Maximus libro quarto : Multo enim, multo seipsum quam hostem superare operosius est, nec adversa propera festinatione fugientem, nec secunda effuso gaudio apprehendentem. Baptista Mantuanus :

> Dignior est qui se quam qui fortissima vincit
> Oppida, nec virtus altius ire potest.

Seneca Tragicus in Thyeste :

Quis vos exagitat furor
Alternum dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi ?
Ne sitis cupidi arcium,
Quo regnum jaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris.

Et post aliquot versus subdit :

Mens regum bona possidet.

Et iterum :

Rex est, qui metuit nihil,
Hoc regnum sibi quisque dat.

Animos] Animi affectus.

Feroces] Immoderatos, rectæ rationi non obtemperantes.

Domet] Mitiget, rectæ rationis imperio subjiciat.

Libidine] Immoderata cupiditate. Libido, teste Aurelio libro de Civitate Dei XIII, est generale vocabulum omnis cupiditatis. Verbi gratia, est libido ulciscendi, quæ ita dicitur. Est libido habendi pecuniam, quæ avaritia. Est libido quomodocunque vincendi, quæ pervicacia ; est libido gloriandi, quæ jactantia nuncupatur. Idem libro undevigesimo ejusdem operis : Felicius servitur homini quam libidini, cum sævissimo dominatu vastet corda mortalium, ut alias omittam, libido ipsa dominandi.

Fœdis habenis] Turpissimæ servituti. Macrobius Saturnalium libro I : Alius libidini servit, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes spei, omnes timori. Et certe nulla servitus turpior quam voluntaria. Divus Ambrosius libro Epistolarum secundo : Stulto et imperare servitus est, et (quod pejus est) cum paucioribus præsit, pluribus dominis et gravioribus servit. Servit enim propriis passionibus, servit cupiditatibus suis, quarum dominatum nec nocte potest fugere, nec die, quia intra se dominus habet, intra se servitium patitur intolerabile. Gemina enim servitus est, altera corporis, animarum altera. Domini corporis quidem homines : animarum autem malitiæ et passiones, a quibus sola animi libertas sapientem vindicat, ut servitio ei liceat exire. Sidonius Apollinaris Epistolarum libro secundo : Nam dici nequit quantum per horas fert in hac vita miseriarum vita felicium illorum, si tamen sic sunt pronuntiandi, qui sibi hoc nomen (ut Sylla) præsumunt : nimirum qui supergressi jus fasque commune, summam beatitudinem existiment summam potestatem, hoc ipso satis miseriores, quod parum intelligunt, inquietissimo se subjacere famulatui. Nam sicut hominibus reges, ita regibus dominandi desideria dominantur.

Submittat] Subjiciat.

Licet] Tamesti. Claudianus Honorio :

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent :
Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Alterius leges : tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex esse tui.

Tua jura] Potestatem tuam, imperium tuum.

Tremiscat] Timeat.

A *Serviat*] Subaudi tibi.

Ultima Thule] Hemistichium est Virgilianum Georgicorum libro primo :

Tibi serviat ultima Thule.

Ut Servius tradit, Thule insula est Oceani inter septentrionalem et occidentalem plagam ultra Britanniam et Orchades, quæ insula in Oceano ultima est, in qua cum sol in Cancro est, perpetui dies sine noctibus esse dicuntur. Scribendum est per *u* post *th*, testibus Georgio, Merula, Christophoro Landino et Antonio Mancinello, tametsi vulgo Thyle per *ypsilon* scribatur. Græce enim Θουλὴ scribitur.

Atras] noxias. Alexander Hegius præceptor quondam meus in frequentissima nobilis Daventrianæ civitatis schola :

B
Est ut perpetuis hominum mens anxia curis,
Nec valet illa sui non meminisse mali.
Hanc si tranquillare velis, fomenta relinque
Curæ, nil æquo plus cupe, liber eris.

Idem :

Libertas summa est tua, Christe, facessere jussa,
Nemo est ingenuus, nisi qui tibi servit Iesu.
Nemo est qui regnat, famulus nisi fidus Iesu.

IN PROSAM VI.

Docet quam fallax et inanis sit gloria, quam plerique mortales tanto studio petunt, et nominis celebritate beatum evadere posse neminem. Gloriam definit, Aurelius libro de Civitate Dei quinto, capite 12, his verbis : Gloria est judicium hominum bene de hominibus opinantium. Idem ejusdem libri cap. 19 : Virtutes habenti, magna virtus est contemnere gloriam. C Ab auctore autem Rhetoricorum ad Hærennium sic finitur : Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. M. Tullius autem in oratione pro M. Marcello hunc ei finem dedit : Gloria est illustris ac pervagata, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.

Turpis] Indecora, inhonesta.

Non injuria] Jure.

Tragicus] Euripides, qui Andromacham sic exclamantem inducit :

Ὦ δόξα, δόξα μυρίοισι δὴ βροτῶν
Οὐδὲν γεγῶσι βίοτον ὤγκωσας μέγαν.

Id est, interprete Antonio Codro Urceo : O gloria, gloria, infinitis jam mortalibus nullius pretii vitam D tumefecisti magnam ! Sunt tamen qui hæc paulo aliter legant et interpretentur sic : O gloria, gloria, decem millibus hominum, nihil aliud facta nisi tumor magnus seu inflatio magna. Sed quoniam nobis prope Germanici Britannicique Oceani littora nunc vitam degentibus, Græcorum poetarum præter admodum paucos, codices non suppetunt, studiosos remittimus ad ipsum Euripidem et Græcæ linguæ professores.

Quo] Qua magni nominis ablatione per falsas vulgi opiniones.

Quid] Quasi dicat *nihil.*

Erubescant] Verecundentur, pudore et rubore afficiantur. Symmachus in Epistolis : Ut vera laus ornat, ita falsa castigat.

Quem] Laudes.

Quid] Quasi dicat *nihil.*

Adjecerint] Addiderint.

Non populari rumore] Non populi inani prædicatione,

Qui stultus honores
Sæpe dat indignis, et famæ servit ineptus.

Sed conscientiæ veritate metitur] Sed definit et determinat bonum suum suæ conscientiæ veritate, qua contentus populares auras non quærit. Seneca Lucillio suo : Intus teipsum considera, non qualis sis, aliis credas. Persius :

Tecum habita, et noris quam sit tibi curta supellex.

Id est, tuapte supellectile te metire, ac tuis ipsius malis bonisve teipsum expende. Horatius :

Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

Eo monemur, ne nos ex assentatorum laudibus aut vulgi opinione verum propriis ac veris dotibus animique virtutibus æstimemus. Franciscus Philelphus satyra quinta :

Atque bono lætare tuo, vulgique fugaces
Contemnens auras, ex te pendere memento.

Ludovicus Bigus :

Felix o nimium qui se scrutatur in imo,
Nec nisi vult proprio credere judicio.
Nec sua ab instabili probitas ut pendeat aura
Sustinet, et soli vult bonus esse Deo.

Quod si hoc ipsum] Argumentum depromit a contrariis, ei simile quod de potestate et impotentia supra protulit, vel potius ab oppositis secundum affirmationem et negationem. *Si*, inquit, *propagasse nomen suum videtur pulchrum et honestum, non propagasse id, turpe inhonestumque judicandum est. Oppositis enim opposita conveniunt. Sed multo plures sunt gentes, apud quas nomen cujuslibet ignotum est, quam apud quas notum. Proinde qui gloriosus creditur, magis inglorius est judicandus.*

Uti] quemadmodum.

Paulo ante] Prosa septima libri secundi.

Disserui] disputavi.

Inter hæc vero] Geminis de causis ostendit popularem gloriam ne commemoratione quidem dignam, cum nec vero judicio proveniat, sed nimis corrupto, ut indoctæ et stultæ, ac (ut ita loquar) multivolæ multitudinis, quæ sæpe laudat nocentes, vituperat innocentes, nec unquam constans permaneat, verum levissimo huc illuc que momento transferatur. Michael Fernus ad Sabinum :

Hei mihi ! quam vana est spes hæc et gloria famæ :
Pro fama morimur, docte Sabine, fame.
Stet sua per totum virtutis gloria mundum,
Recte vive Deo, cætera fumus erunt.

Jam vero quam sit inane] Disserit generis nobilitatem non conferre veram et propriam claritudinem, quam sola virtus affert, juxta illud Satyrographi :

Nobilitas sola est atque unica virtus.

Sunt autem tria nobilitatis genera : nobilitas ex genere, nobilitas ex virtute, et nobilitas ex utroque. Est præterea nobilitas, seu potius famositas ex vitiis, nam nonnulli sceleribus et fœdissimis facinoribus innotuerunt. Joannes Campanus : *Præcipua est nobilitas quæ propria ornata virtute et sua, cum majorum sit splendore, dignitate, gloria, vetustate conjuncta.*

Claritudinem] Claritatem et nominis splendorem.

Aliena] Non propria, cum clari sint illi, puta parentes aut progenitores, qui ob virtutes suas et præclara facinora prædicantur : non is qui ex genere progenitus, eorum virtutes non æmulatur.

Videtur namque] Definit generis nobilitatem hoc modo : Nobilitas est quædam laus veniens de meritis parentum.

Aliena claritudo] Joannes Campanus : *Alienis laudibus niti nihil aliud est quam suas proferre non posse.* Seneca : *Quid enim stultius est quam aliquem eo sibi placere, quod non fecit.* Idem : *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, neque quo ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere.*

Quod si quid est] Ostendit cui sit usui generis nobilitas. Baptista Mantuanus : *Est profecto (ut videre videor) magnum virtutis adjumentum, claris ortum esse parentibus. Solent enim juvenes qui aliquid indolis habent, ne degenerare videantur majorum suorum dignitatem æmulari et ad paternarum laudum aspirare felicitatem. Sic Philippi nomen Alexandrum, sic majoris Africani gloria minorem Scipionem, sic Cæsaris Julii fama Octavium excitavit, sic denique Pyrrhus Achillides erat animosus imagine patris.* Faustus Andrelinus :

Est aliquid clarus magnorum splendor avorum :
Illud posteritas æmula calcar habet.
Ceu tener instantem catulus cum viderit ursum,
In patrias vires æmula corda movet.
Scilicet ut nullus tantis sit degener actis,
Magnaninum pectus strenua facta movent.

IN METRUM VI.

Carmen est dicolon, cujus alter versus dicitur alcmanius, dactylicus, trimeter, hypercatalectus, constans tribus pedibus heroici versus et syllaba : ita tamen ut non sit ex meris spondeis. Alter vero est Pherecratius, ex spondeo seu anapæsto, dactylo et spondeo. Docet unum eumdemque esse omnium patrem, a quo communis universi generis humani sit origo. Proinde neminem esse degenerem, nisi eum qui vitiis deformatus, ab illo pulcherrimo optimo maximoque parente deficiat. Divus Hieronymus : *Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis : summa apud Deum nobilitas, clarum esse virtutibus.*

Ab ortu simili] Ex consimili origine.

Unus enim rerum] Malachias propheta, capite II : *Nunquid non pater unus omnium nostrum ? Nunquid non Deus unus creavit nos ?* Lactantius libro de Justitia, capite 15 : *Deus enim qui homines generat et inspirat, omnes æquos, id est pares, esse voluit. Eamdem conditionem vivendi omnibus posuit, omnes ad sapientiam genuit, omnibus immortalitatem spopondit, nemo enim beneficiis ejus cœlestibus segregatur. Nam sicut omnibus unicum suum lumen æqualiter dividit, emittit omnibus fontes, victum subministrat, quietem somni dulcissimam tribuit, sic omnibus æquitatem virtutemque largitur. Nemo apud eum servus est, nemo dominus. Si enim cunctis idem pater est, æquo jure omnes liberi sumus. Nemo Deo pauper est, nisi qui justitia indiget : nemo dives, nisi qui virtutibus plenus est : nemo denique egregius, nisi qui bonus et innocens fuerit ; nemo clarissimus, nisi qui opera misericordiæ largiter*

fecerit; *nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleverit.* Pindarus, ut refert Eusebius libro Præparationis Evangelicæ XIII: *Unum*, inquit, *hominum genus est, et ab una matre cuncti, unum patrem creatorem summum atque optimum artificem habemus qui progressus singulis diversos secundum merita præbet.*

Unus cuncta ministrat] Cave ne legas contra metri rationem, unus qui cuncta ministrat.

Clausit] Inclusit.

Membris] Corporibus.

Celsa sede] Ecœlo.

Edit] Producit.

Nobile germen] Nobilis origo, præclarum genus.

Strepitis] Jactatis. Alloquitur autem homines generis nobilitate gloriabundos.

Primordia vestra] Tuam et cæterorum mortalium originem.

Spectes [Consideres, o Boeti. Indocti depravarunt hunc locum, legentes spectetis, in metri contaminationem pro spectes, idque videtur ortum ex eo quod dixit vestra. Timuerunt enim ut esset oratio congrua, non animadvertentes, *spectes* ad unum Boetium esse referendum, *vestra* vero *primordia* ad Boetium et alios homines.

Ni] Nisi.

Fovens] Amplectens.

Pejora] Mala, comparativum loco positivi.

Vitiis] Hic casus septimus est, verbo deserat subdendus, ut sit ordo: Deserat vitiis proprium ortum, hoc est, per vitia ab origine propria degeneret.

IN PROSAM VII.

Voluptates ait, non solum felicitatem non afferre, sed multarum etiam ægritudinum morborumque causas esse.

Quarum] Voluptatum.

Appetentia] Appetitas.

Anxietatis] Sollicitudinis. Joannes Picus Mirandula: *Quid enim optabile in voluptatibus mundi, quæ, dum quæruntur, fatigant*; *cum acquiruntur, infatuant*; *cum amittuntur, excruciant* ? Bigus :

> Quid præsentis habent optabile gaudia vitæ?
> Quæ si quis pelago quærat terrave, fatigant
> Partaque cor hebetant, amissaque duriter angunt.

Horatius:

> Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Divus Hieronymus: *Libido transacta semper sui relinquit pænitudinem, id est pœnitentiam. Græcorum proverbium est, Voluptati soror est tristities.*

Quantos morbos] Anneus Seneca severissimus vitiorum castigator, perorans in voluptatem gulonum, sic scripsit prope divinitus: *Inde*, inquit, *pallor est, et nervorum vino madentium tremor, et miserabilior ex cruditalibus quam ex fame macies. Inde incerti labentium pedes, et semper qualis in ipsa ebrietate titubatio. Inde intra cutem humor admissus, distentusque venter, dum male assuescit plus capere quam poterat. Inde suffusio luridæ bilis, et decolor vultus, tabesque in se putrescentium, et retorti digiti articulis obrigescentibus, nervorum sine sensu jacentium torpor, aut palpitatio corporum sine intermissione vibrantium. Quid capitis*
A *vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta, et cerebri æstuantis verminationes, et omnia per quæ exoneremur internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu subeuntium, aliarum tenui peste repentium, aliarum cum horrore et multa membrorum quassatione venientium. Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ?*

Tristes vero esse] Voluptati mœrorem succedere cum norunt omnes, tum maxime libidinosi: nam, teste Philosopho, omne animal a coitu triste est. Seneca Lucilio: *Voluptates præcipue exstirpa, inter res vilissimas habe, quæ latronum more in hoc nos amplectuntur, ut strangulent.* Aristotelis, teste Valerio Maximo, utilissimum est præceptum, ut voluptates
B abeuntes consideremus, quas quidem sic ostendendo minuit: fessas enim pœnitentiæque plenas animis nostris subjicit, quominus cupide repetantur.

Quæ si beatos explicare possint] Si (inquit) voluptates corporis beatitudinem afferrent, jam et pecudes beatæ forent, quibus eæ nobiscum sunt communes, sed indignissimum est summum bonum pecudibus tribuere. Proinde corporis voluptates, quæ, teste philosopho lib. Moralium III, pecuinæ sunt et ferales, nulla ratione quempiam beatum possunt efficere.

Quin] Cur non?

Corporalem lacunam] Ventrem. Lacuna fit a lacu, et est aquæ collectio. Servius: *Lacunæ sunt fossæ in quibus collecta aqua stare consuevit.* Maro:

> Unde cavæ tepido sudant humore lacunæ.

C Per metaphoram sumitur pro ventre seu alvo quo cibi potusque congeruntur. Sunt exemplaria in quibus est legere lasciviam, et est sensus sat apertus.

Honestissima quidem] Supra dixit, uxor ac liberi, qui jucunditatiis gratia petuntur, quibus verbis significavit conjugia gratia voluptatis expeti. Nunc dicit quod voluptas ea foret honestissima, nisi et ipsa nimium sollicitudinis et dolorum secum traheret.

E natura] Contra naturam.

Nescio quem filios invenisse tortores] Baptista Mantuanus.

> Sæpius in natis sævum pater educat hostem,
> Cumque suo ignorans interfectore jocatur.
> Sæpe sibi lacrymas, sperant dum gaudia matres,
> Atque suæ pascunt ventura opprobria genti.

D *Mordax*] curarum et sollicitudinis plena.

Quæcunque conditio] Etiam bona.

Alias] Alio tempore, subaudi *necesse fuit admonere*

Te expertum] Qui filios habes, et quanta sollicitudine sint educandi, vel experientia nosti.

Anxium] Tristem et sollicitum. Non enim nunc anxietati tuæ plus addendum est, sed potius detrahendum.

Euripidis mei] Poetæ docti et philosophiæ peritissimi.

Qui carentem liberis infortunio dixit esse felicem] Nam qui liberis caret, tametsi videtur infortunatus, quod alieno censum servet, augeatque hæredi, tamen eo infortunio felix est, quod ex liberis (ut alii plerique) nihil capiat molestiæ, nec ullum metuat opprobrium. Sophocles in Antigone, Erasmo interprete ,

Inutiles quicunque liberos serit,
Quid aliud hunc, quam sibi creare dixeris
Ipsi dolores, atque risum malevolis?

Congressis olim Solone et Thalete Milesio, de re uxoria deque liberis ortus est sermo; cum utrumque ultra modum probaret Solon, mirareturque Thaletem eum esse qui nunquam procreationi operam dedisset, rem ille commentus est haud memoratu indignam. Hominem subornavit qui se Athenis illis ipsis diebus Miletum applicuisse diceret. Inde de civitatis statu appellatus, omnia ibi florere diceret, unum duntaxat sub id tempus quo inde solvisset lugubrem casum accidisse, quod clarissimi viri filius unicus, cujus pater peregrinari diceretur, adolescens præclaræ indolis, fato consumptus esset, cujus funus tota civitas magno esset luctu prosecuta. Tum demum de patris nomine rogatus, excidisse id sibi diceret: quod si subjiceretur, posse se facile reminisci. Postridie igitur cum frequenti foro ambo de more inambularent, obtulit se ille ex composito. Hic ad primam funeris mentionem, cum Solonis animum perculisset, moxque fabulæ progressu hospes ille eo pervenisset, ut tantum patris nomen reticeret, cætera haud dubie filii interitum Soloni nuntiarent: cum jam amenti similis ipse suum nomen subjecisset, atque ipsum esse nauta affirmasset, doloris magnitudine victus, personæ simul suæ atque loci oblitus, sese humi affligit, capillumque et barbam ululatu alternis manibus convellit, mugitu ejulatuque totum complet forum. Omnis multitudo fœditate rei confestim in eum unum conversa est. Thales vanæ illius conflictationis conscius, aliquandiu passus est hospitem insana illa muliebrique lamentatione debacchari. Postremo afflictum humo leviter attollens: *Sis* inquit, *bono animo, Solon, vivit filius tuus. At volui te non ignorare ad quod insaniæ liberorum amor parentes adigat, et quam non inepte faciant qui hæc animorum vincula, cum honeste possint, effugiant.*

IN METRUM VII.

Carmen est Anacreontium, dimetrum, catalecticum, constans anapæsto, duobus iambis et syllaba. Nonnunquam tamen habet spondeum pro iambo, ut est videre in primo versu, qui tamen transpositis dictionibus sic recte legi potest:

Habet omnis hoc voluptas.

Nonnulli hoc metrum vocant anapæsticum, eo quod primus pes sit anapæstus; mihi tamen potius iambicum dicendum videtur, posseque etiam vel iambum vel spondeum in prima regiuncula recipere, ut apud Prudentium:

Ades, pater supreme.

Significat voluptatis comites esse dolores, fastidium et anxietatem.

Stimulis] aculeis.

Agit] Afficit, pungit.

Fruentes] Eos qui voluptate fruuntur.

Par] Similis.

Ubi] Postquam.

Fugit] Ocissime abit

Tenaci] Diuturnum dolorem inferenti.

A *Ferit*] Percutit, lædit.

Icta] Tacta. Solon: *Voluptatem fuge: ipsa namque postremo dolorem parit.* Plato juventutem ad beatam vitam hac ratione sæpissime incendebat: *Contrariam virtutis ac voluptatis naturam animadvertite. Hujus enim momentaneam dulcedinem subita pœnitentia sequitur, dolorque perpetuus. Illius autem breves labores æterna voluptas.* Claudianus ad Stiliconem:

Nec te jucunda fronte fefellit
Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus,
Membraque Circes effeminat acrius herbis.
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior ulla
Interius, fucata genas, et amicta dolosis
Illecebris torvos aura circum ligat hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis.

B Baptista Mantuanus:

Non insidiosa voluptas
Decipiat quemquam, blanda sub imagine semper
Ingreditur, nardi succos, unguenta, sapores
Mellifluos præfert, vultuque applaudit amico.
Sed nihil est sine fraude, latent sub melle venena.
Quæ postquam imprudens biberis, fugit illa repente
Læta dolis, manet infixum sub pectore vulnus.

Joannes Franciscus Picus in voto pro salute conjugis:

O miserum mortale genus, cui tristia rebus
Succedunt lætis, et amaro perlita felle,
Pocula de calicis melliti margine manant.
Quidquid enim præsens dulci oblectavit amore,
Amissum querimur, et amaro verba dolore
Saucia mens fundit, renovatque in pectore vulnus.

Nos quoque quondam Elegiarum moralium lib. III sic lusimus:

C Sane quam brevis est, quam mista dolore libido:
Aufugit hæc raptim, sed dolor usque manet.

Et post pauca:

Quid tibi blanditur tantum? quid dulce videtur,
Cui modicum mellis, sævus amaror inest?
Succedit saties, succedunt tædia, mœror,
Anxietas, culpam maxima pœna manet.
Continuo fugiunt, quæ sensus tempore parvo
Molliter afficiunt, nec remanere queunt,
Conscia mens miseris se moribus ipsa remordet,
Sanarique nequit, ni ferat auctor opem.

Item:

Lætitiam carpit sollicitudo comes.

IN PROSAM VIII.

Hæc prosa prius summatim repetit ea quæ supra disputavit, aiens voluptates, gloriam, regna, dignitates et divitias, nec ad beatitudinem quasi quasdam vias ferre, nec beatos efficere. Deinde docet corporis D bona cum primis esse fragilia, nec magno prudentibus hominibus æstimanda.

Hæ viæ] Quas vulgus stulte ad felicitatem vias opinatur.

Quædam devia] Loca avia et a recta via nimis diversa.

Quid enim] Particula est interrogatoria, id est cur non? et est comicum, teste Acrone. Faccus lib. Sermonum I;

Militia est potior, quid enim? concurritur horæ
Momento.

Sensus est: quare non monstravero brevissime, quantis malis hæ viæ sint implicitæ. Potest et simpliciter accipi, ut sit præparatiuncula quædam futuræ interrogationi, quod et ipsum frequens est apud comicos et in sermone quotidiano.

Poscendi] Ambiendi et petendi magistratus.

Degas] Degere velis.

Corporis servitium] Seneca Lucilio : *Major sum et ad majora genitus quam ut mancipium sim corporis mei : quod equidem non aliter aspicio quam pondus ac pœnam vinculumque libertati meæ circumdatum.*

Jam vero] Concinne transit ad corporis bona, quæ ad superiora (quemadmodum supra dictum est) facile referri possunt.

Præ se ferunt] Ostentant eisque quasi feliciores aliis præferri cupiunt.

Num] Nunquid.

Elephantes] Animalium terrestrium, Plinio teste, maximum est elephas, proximumque humanis sensibus. Elephantes domiti militant et turres armatorum in hostes ferunt, magnaque ex parte Orientis bella conficiunt. Prosternunt acies, proterunt armatos. Nascuntur in Africa ultra Syrticas solitudines, et in Mauritania, item in Æthiopia et apud Troglodytas, sed maximi in India, quos Afri pavent, nec contueri audent. Nam et major Indicis magnitudo est. Lege Plinium libro Naturalis Historiæ VIII.

Tauros] Taurus bos ad procreandum reservatus. Accipitur et pro quocunque robusto bove. Maro :

Ergo age terræ
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni,
Fortes invertant tauri.

Tigres] Tigrin Hyrcani et Indi ferunt animal velocitatis tremendæ et maxime cognitæ, dum capitur. Totus ejus fetus, qui semper numerosus est, ab insidiante rapitur equo quam maxime pernici atque in recentem subinde transfertur. At ubi vacuum cubile reperit feta (maribus enim cura non est sobolis) fertur præceps, odore vestigans. Raptor, appropinquante fremitu, abjicit unum ex catulis. Tollit illa morsu, et pondere etiam ocior acta remeat, iterumque consequitur, et subinde, donec in navem regresso irrita feritas sævit in littore. Hæc ex Plinio. Plura ex aliis de eadem tradentur infra.

Respicite] Considerate.

Spatium] Amplitudinem.

Firmitudinem] Firmitatem.

Celeritatem] Velocitatem.

His] Spatio, firmitudine, celeritate.

Sua ratione] Spiritu divino.

Formæ vero nitor] Ostendit corporis pulchritudinem sane quam fluxam esse, et celerrime mutabilem.

Ut] Quantum.

Rapidus] Cito præteriens. Domitianus apud Suetonium : Scias nec gratius quidquam decore, nec brevius. Ovidius lib. de Arte amandi II.

Ingenii dotes corporis adde bonis.
Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, et spatio carpitur illa suo,
Nec semper violæ, nec semper lilia florent.
Et riget amissa spina relicta rosa,
Et tibi jam venient cani formose capilli,
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Jam molire animum, qui duret, et astrue formam.
Solus ad extremos permanet ille rogos.
Nec levis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit, et linguas edidicisse duas.

A Rursus idem :

Ergo age fallaci timide confide figuræ.
Quisquis es, atque aliquid corpore majus habe.

Isaias cap. LX : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Merito forma hominis flori comparatur, eodem pene momento virescens et arescens. M. Varo : *Quem puerum vidisti formosum, hunc vides deformem in senecta.* Apuleius in Deo Socratis, significare volens nihil esse brevius decore, sic ait : *Formosus est, exspecta paulisper, et non erit.* Calphurnius in Bucolicis :

Donum forma breve est, nec se tibi commodat annis.

Seneca in Hippolyto .

Anceps forma bonum mortalibus.
Exigui donum breve temporis.
Ut velox celeri pede laberis.

B Rursus idem :

Ut fulgor teneris qui radiat genis,
Momento rapitur nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax : quis sapiens bono
Confidat fragili?

Idem, vel ut quibusdam videtur, alius Seneca in Octavia :

Sola perpetuo manent,
Subjecta nulli mentis atque animi bonæ
Florem decoris singuli carpunt dies.

Salustius : *Nam divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis est : virtus clara æternaque habetur.* Divus Ambrosius in tertio Hexaemeron : *Surrexerat ante floribus immista teneris sine spinis rosa, et pulcherrimus flos sine ulla fraude vernabat : postea spina sepsit* C *gratiam floris, tanquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suavitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat. Vallata est enim elegantia vitæ nostræ, et quibusdam sollicitudinibus obsepta, ut tristitia adjuncta sit gratiæ. Unde cum unusquisque aut suavitate rationis, aut prosperioris cursus successibus gratulatur, meminisse culpæ eum convenit, per quam nobis in paradisi amœnitate florentibus, spinæ mentis, animique sentes jure condemnationis ascripti sunt. Irrutiles igitur, o homo, licet aut splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis, semper inferiora tua respice, semper spinas germinas, nec prolixa gratia manet. Brevis unusquisque decurso ætatis flore marcescit.* Aristoteles Stagerita Nicomachi medici filius, Platonis auditor, præceptor Alexandri D Magni, plurima scripsit non solum nervose, sed et eleganter contra quorumdam vulgo sordide philosophantium opinionem.

Lynceis oculis] Acutissimis et perspicacissimis. Sunt qui opinantur oculos lynceos appellari acutissimos a lyncibus, quæ (ut Plinius testatur lib. Naturalis Historiæ XXXII ; cap. 8) clarissime omnium quadrupedum cernunt. Aliis videntur potius dicti a Lynceo uno ex Argonautis, acutissima oculorum acie prædito qui (ut est in fabulis et tradit Hieronymus) dicebatur videre trans parietem : qui (ut historici ferunt) conspexit novissimam lunam primamque eodem die in signo Ariete : quod paucis mortalium contigit vidisse : et inde fabula orta est cernendi Lynceo, ut docet Plinius. De hoc ait Flaccus :

Solus transibit nubila Lynceus :

Hujus meminit Horatius in Epistolis et in Sermonibus dixit :

Ne corporis optima lynceis
Contemplere oculis.

Lyncei mentio fit apud eruditos frequens, et imprimis apud Ciceronem et Apuleium et Senecam. Meminit et hujus Plato in epistola quadam. Aristoteles in primo de Generatione et Corruptione libro : *Nam quæ debilem visum habenti mista essent, acute videnti (ut lynceum habenti oculum) non essent mista.* Aristophanes in Pluto :

Faxo videas vel lynceo ipso acutius.

Lucianus in Hermotimo : *Tu vero nobis ipso etiam lynceo perspicaciores, qui (sicuti videtur) per pectus ipsum, quæ sunt intus cernis.* Sunt qui tradant Lynceum primum reperisse fodinas metallorum æris, argenti, auri, et hinc vulgo natam fabulam, quod ea quoque videret, quæ sub terra forent. Apollonius in Argonauticis scribit hunc Lynceum usque adeo fuisse perspicacem, ut etiam terram ipsam oculorum acie penetraret, quæque apud inferos fierent, pervideret. Versus ejus Erasmus vir doctissimus, idemque disertissimus sic interpretatus est :

At miro visus pollebat acumine Lynceus,
Si modo vera est fama, virum quæ prædicat illum,
Perfacile inspexisse sub altis condita terris

Eusebius libro de Evangelica Præ paratione octavo, capite quinto : *Ad hæc longe absis a veritate, si malorum aliquem felicem arbitraris, etiamsi Crœso ditior, acutior visu quam Lynceus, majoribus corporis viribus quam Crotoniata ille Milo, Ganymede formosior sit, omnibusque aliis corporis exterioribus bonis abundet. Qui enim mentem suam plurimorum dominatui ac pessimorum subjecit, cupidinis, doloris, timoris, stultitiæ, inscitiæ, felix atque beatus esse nullo modo poterit, etiamsi vulgo beatus appelletur. Nam si animi oculos parumper volueris elevare, atque (ut possibile homini est) de vero bono considerare, omnia quæ nunc admirari videris, magno risu prosequeris. Semper enim cum meliora lateant, in locum eorum mala irrumpentia laudantur. Cum vero in medium adsunt bona, tunc quæ contraria sunt, hac luce dilucidius turpidinem suam ostendunt. Si ergo divinum illud bonum mente conceperis, nihil eorum quæ dixisti facile apud vitiosos inveniri, inter bona collocabis. Pretiosissima nempe illorum argenti atque auri metalla sunt, quæ a pessima terrarum parte solent prodire. Permultum namque profecto interest inter metallorum sterilitatem et fecunditatem terræ non metallosæ. Longe quippe abest argenti atque auri natura a bonitate frugum, sine quibus vivere nequimus : quod maxime in annonæ patet caritate. Omnes enim thesauros pro modici temporis alimento recte propter necessitatem judicantes libenter omnes projicere solent. Quando autem necessaria nobis cumulate affluunt, naturæ bonis abundantes, contenti esse non possumus, sed argento atque auro inhiantes, et quasi oculis capti, terreno pondere huc atque illuc propter avaritiam ferimur, continuoque pecuniæ gratia bello vexamur. Vestes etiam magnificas cupimus, quæ nihil aliud sunt quam textoriæ artis laudes et flos ovium, ut nonnulli poetæ dixerunt. Qui vero gloriæ adeo cupidus est, ut vel a*

A *malis laudari cupiat, hunc improbum esse necesse est : quippe unum quodque suo simili gaudet. Bonam autem valetudinem aurium quæret, si didicerit, non parvos animi morbos ab auditu oriri. Qui viribus corporis cervicem elevat, atrocissimas ante oculos belluas ponat. Ita enim intelliget turpissimum esse ferarum viribus hominum gloriari. Formositatem corporis jactare, mentis compos nemo poterit, quæ brevi adeo exstinguitur tempore, ut antequam florescant, defloruisse videatur : præsertim cum etiam inanimata artis opera picta, ficta, texta non parva videat exstare pulchritudine. Quorum omnium nihil unquam apud Deum inter bona enumeratum est : quid dico apud Deum, cum neque periti homines, qui recte philosophantur, bona caducas has* B *res, aut arbitrentur, aut appellent?* Hactenus Eusebius.

Alcibiades] Alcibiades Atheniensis non solum dux inclytus, sed in dicendo etiam eloquentissimus fuit, ut Demosthenes et Theophrastus tradiderunt. Ut Probus ait, fuit omnium ætatis suæ multo formosissimus ad omnes res aptus, consiliis plenus, terra marique summus imperator, cujus tanta erat oris atque orationis commendatio, ut nemo ei dicendo posset resistere, dives, cum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minus in vita quam in victu, affabilis, blandus, temporibus callidissime serviens. Idem simul atque se remittebat, ita luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam C esse dissimilitudinem, atque tam diversam naturam. Multa de eo refert Thucydides. Vitam ejusdem habes apud Plutarchum, et quem modo citavi Probum Æmilium. Apud Marsilium Ficinum in Commentario Socratem inter alia diotima his alloquitur : *Si oculos tibi lynceos natura dedisset, mi Socrates, ut aspectu quælibet occurrentia penetrares, formosissimum illud extrinsecus Alcibiadis tui corpus tibi turpissimum videretur.*

Triduanæ febris] Febris trium dierum. Sciendum, teste Servio, febrem, licet a fervore dicta sit, esse etiam frigidam. Per diminutionem dicitur febricula.

Dissolvi] Corrumpi. Divus Ambrosius libro Hexaemeron tertio : *Hodie videas adolescentem validum,* D *pubescentis ætatis virtute florentem, grata specie, suavi colore. Crastina die tibi facie et ore mutatus occurrit, et qui pridie tibi lautissimus decore formæ visus est gratia, alio die miserandus apparet, ægritudinis alicujus infirmitate resolutus.* Divus Bernardus in libello de morum Institutione : *Qualis est ista pulchritudo, quam levis febricula, et rugosa senectus ita totam dissolvit, ut nec fuisse putetur?*

IN METRUM VIII.

Carmen dicolon est, constans altero versu Asclepiadeo, choriambico, altero dimetro iambico. Mortales ait cæteras res quonam loco quæsituri sint, probe callere : beatitudinem vero, ubi nancisci possint, prorsus ignorare.

Quæ ignorantia] Quanta. Sunt exemplaria, in

quibus legitur quanti, quantum vel miseros, vel devio A tramite.

Capreas] Silvestres capras. Caprea dicitur silvestris capra. Martialis :

Pendentem summa caprena de rupe videbis.
Casuram speres, decipit illa canes.

Tyrrhena vada] Mare Tuscum. Tyrrheni dicti sunt Hetrusci a Tyrrheno rege, cum quo ex Lydia quondam in Italiam transmigrarunt.

Recessus] Spatia.

Niveis] Candinis.

Feracior] Fertilior.

Tenero pisce] Molli piscium genere.

Asperis echinis] Convenienti usus est epitheto, echinus enim est pisciculus ex cancrorum genere, spinas habens, quibus pro pedibus utitur, de quo B Martialis :

Iste licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito mollis echinus erit.

Juvenalis :

Et semel aspecti littus dicebate echini.

Horatius in Sermonibus :

Sed non omne mare est generosæ fertile testæ,
Murice Baiano melior Lucrina peloris,
Ostrea Circeis, Miseno oriuntur Echini,
Pectinibus patulis jaclat se molle Tarentum.

Vetus adagium est, Echino asperior : quod dicitur in hominem intractabilem et insuavibus moribus. Sciendum autem est esse et terrestrem echinum, spinis undique obsitum.

Quonam] Quo loco, ubi.

Nescire] Subaudi se.

Sustinent] Patiuntur.

Stelliferum polum] Anastrophe est. Ludovicus Bigus :

Contentus nemo vivit, meliora sed optat.
Hoc magis assequitur, quo meliora magis.
Ad summum natura bonum cum nostra feratur,
Hoc explere sitim mens nequit in pelago.
Ad superas opus est, ut libera transvolet arces,
Gutture se pleno si satiare cupit.
Natus ad æthereæ solatia spiritus aulæ,
Terrena nunquam sede quietus erit.

Stulte igitur mortales rerum terrenarum cupiditate demersi, in tellure quæritant, quod supra cœlum stelliferum est collocatum.

Ambiant] Ambiendo appetant. Ambire, teste Nonio, significat interdum ambitionibus aqpetere. Divus Hieronymus : *Divitiæ non secuturæ post hominis mortem amantur. Honor fascium, qui per successorem exolescat, ambitur.*

Cum] Postquam.

Falsa] Fallacia hujus sæculi bona.

Gravi mole] Summa difficultate et maximis laboribus.

Paraverint] Comparaverint.

Tum] Tunc, deinde. Vera bona, ut ita beatitudinem consequantur, a qua falsa bona mentes avocant et abducunt. Nam, teste Lactantio, sicut ad verum bonum per fallacia mala, sic ad verum malum per bona fallacia pervenitur.

IN PROSAM IX.

Hactenus Boetio Philosophia falsæ formam felicitatis ostendit. Jam causas reddit cur in his quæ mortales appetunt summum bonum non possit inveniri, aitque inde maximum hominibus errorem accidere, quod pravitate sua id, puta summum, distraxerint, quod suapte natura simplex et individuum, nullam patitur sectionem. Nam vera beatitudo ea quæ separat stultum vulgus, omnia simul complectitur, sufficientiam, potentiam, reverentiam, celebritatem et lætitiam : quorum unum quidlibet absque reliquis nemo unquam potest obtinere.

Hactenus] Hucusque.

Mendacis] Falsæ.

Perspicaciter] Acute.

Deinceps] Deinde, gradatim.

Veluti rimula] Pulchra translatio.

Malim] Malo, ut velim pro volo.

Atqui] Unde sit ortus error evidenter ostendit, et gradatim certis colligit argumentis unam eamdemque esse naturam sufficientiæ, potentiæ, reverentiæ, celebritatis atque lætitiæ.

Egere claritudine] Subaudi *videatur.*

Abjectius] Contemptius.

Dispertit] In partes dividit.

Rei] Veræ felicitatis.

Qua minime affectat] Atqui supra dictum est, omnes summum bonum veramque felicitatem appetere : quomodo igitur nunc dicit, aliquem rem ipsam minime affectare? Ut hic scrupulus exanimatur, nequem male forsitan habeat, animadvertendum est C duplicem esse hominis appetitum, alterum quidem naturalem, confusum et inordinatum, eoque omnes mortales (quod supra dictum est) in summum bonum ferri, veramque beatitudinem appetere : alterum vero rationalem, discretum et ordinatum, eoque paucos in summum bonum divina gratia dirigi, puta eos duntaxat, qui norunt, ubi id et quomodo quærendum sit, rectaque via, fide, spe et caritate freti tendunt, ut illud tandem consequantur. Expone igitur quam minime affectat, id est appetit, et quærit appetitu proximo, directo et ordinato, eoque modo et via qua summum illud bonum est investigandnm.

Qui divitias] Dilucide docet quemadmodum mortales, a recta via insipienter aberrantes, conentur ejus rei quæ partes non habet, partem unam quamlibet D cæteris neglectis adipisci.

Solum posse] Solam potentiam.

Profligat] Dissipat, prodigit, profundit.

Mordeatur] Contristetur.

Summam perfectionem] Absolutam integramque rationem.

In adversum] In contrariam mentis partem.

Hæc] Vera felicitas.

Vel] Etiam.

Perspicua] Patens. Perspicuum dicitur quod visui pervium est.

Ea vera est] Definitio est beatitudinis, verbis quidem differens ab ea quæ data est supra, re vero consentiens.

Uti] Quemadmodum.

In Timæo] In nobilissimo illo dialogo. Timæus Locrensis philosophus Pythagoræus, nobilitate et opibus præstantissimus, summis magistratibus et honoribus functus est, et ad summa totius philosophiæ fastigia feliciter ascendit. Hujus nomine Plato pulcherrimum librum suum inscripsit, in quo Socrates Timæum sic alloquintur : *Tua ergo interest, o Timæe, invocatis secundum legem diis, disputationem jam exordiri.* Cui Timæus hunc in modum respondet : *Probe consulis Socrates. Nam cum omnes qui mentis quoquo modo compotes sunt, in operis cujuslibet vel magni, vel parvi principio invocare Deum soleant, quanto nos æquius est de universo, sive genitum sit, sive ingenitum disputaturos* (*nisi forte desipimus*) *inuocare divinam opem?* Divus Augustiuus libro Academicorum secundo : *Imprimis divinum auxilium omni devotione atque pietate implorandum est.* Plato in epistola ad Dionis propinquos et amicos : *Omnibus enim in rebus et dicendis et cogitandis, principium semper a diis est faciendum.*

Rite] Recte, bene.

Modulata est] Cecinit.

IN METRUM IX.

Merito nunc et heroico carmine utitur, cum Deum invocet omnium rerum creatorem, conservatorem, patrem optimum, maximum, pulcherrimum, potentissimum, ac (ut semel dicam) inenarrabilem, et ab exclamatione sumit initium, quæ summam admirationis vim habet : qua quidem tum solemus uti, cum significare volemus tantas esse laudes ac merita cujuspiam, ut ea pro dignitate nullis verbis consequi valeamus. Carmen autem hoc multo pulcherrimum eruditissimumque ex Platonis fere Timæo mirabili ingenio depromptum est.

O] Interjectio est admirantis immensam, infinitam et incomprehensibilem Dei majestatem.

Perpetua ratione] Æterna dispositione, sempiterna providentia.

Sator] Creator.

Tempus ab ævo ire jubes] Id est, post ævum tempus quasi ejus imaginem fluere imperas. Tria enim cum sint, æternitas, ævum et tempus, primum eorum solius Dei est, qui nec principium habet, nec finem, sed ipse principium et finis est omnium. Secundum angelis tributum est, qui principium habent et fine carent, quod et rebus omnibus permanentibus tribui quoque debere nonnullis placuit. Tertium, puta tempus, postremo loco statutum est, eorum quæ et generationi et corruptioni sunt obnoxia, tametsi ad alia quoque transferatur. Joannes Franciscus Picus hymno primo :

> Longinquo primum tempus tunc fluxit ab ævo,
> Ex motu fluitans nunquam cessantis Olympi.

Timæus apud Platonem : *Cum igitur* (inquit) *hoc a se factum sempiternum deorum simulacrum moveri et vivere pater ille qui genuit, animadverteret, delectatus est opere, et hac ductus lætitia, opus suum multo etiam magis primo illi exemplari simile reddere cogitavit. Itaque quemadmodum illud sempiternum animat est,* A *ita universum hoc pro viribus tale facere statuit. Illius quidem animalis æterna natura est, quod genito operi congruere omnino non potest. Idcirco imaginem ævi mobilem effingere decrevit, ac dum cœlum exornaret, fecit æternitatis in unitate manentis æternam quamdam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. Dies porro et noctes et menses et annos, qui ante cœlum non erant, tunc, nascentes mundo, nasci jussit quæ omnia temporis partes sunt.* Hæc Timæus. Jam quid sit tempus videamus. Auctore Speusippo, tempus a Platone hunc in modum definitum est. *Tempus est solis motus, progressionis mensura.* Teste Plutarcho in lib. de Placitis philosophorum, Pythagoras dixit tempus sphæram extremi ambientis esse ; Plato B ævi effigiem mobilem, vel mundanæ motionis intercapedinem ; Eratosthenes, solis ; iter Plato, essentiam temporis, cœli motum ; Stoicorum plerique, motionem ipsam. Macrobius lib. Saturnalium I : *Tempus est*, inquit, *certa dimensio, quæ ex cœli conversione colligitur.* Aristoteles lib. Physicæ auscultationis IV : *Tempus est numerus motus secundum prius et posterius*, Quæ quidem definitio hunc in modum solet exponi : *Tempus est numerus numeratus ipsius motus localis, non cujuscunque, sed primi mobilis secundum partem priorem successionis et posteriorem.* Rodolphus autem Agricola Phrisius, acutissimo vir ingenio et eruditione singulari, volumine Dialectieorum primo : *Tempus*, inquit, *definiri solet esse numerus motus secundum prius et posterius. Nos apertius dicemus esse* C *cœli solisque vertigine deductum spatium, quo rerum omnium agitationem vicissitudinemque metimur.* Hæc Agricola. Divus Aurelius Augustinus, omnium mortalium longe doctissimus, lib. Confessionum II se ignorare quid sit tempus confitetur, tametsi videat id quamdam esse distentionem. In eodem libro inter alia temporis Platonicam Aristotelicamque definitionem improbans : *Nemo ergo*, inquit, *mihi dicat cœlestium corporum motus esse tempora, quia et cujusdam voto cum sol stetisset, ut victor Josue prælium perageret, sol stabat, sed tempus ibat.*

Stabilis] Marsilius Ficinus lib. Theologiæ III : *Deus per se movet, agitque omnia, ipse quidem stabilis per seipsum.* Baptista Mantuanus in III Calamitatum D libro :

> Sed solum videat patrem, et reverenter adoret.
> Qui sedet et stabilis solo movet omnia nutu.

Divus Augustinus lib. Confessionum I : *Tu autem, Domine, qui et semper vivis, et nihil moritur in te, quoniam primordia sæculorum, et ante omne quod vel ante dici potest, Tu es, et Deus es Dominusque omnium quæ creasti, et apud te rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines et omnium irrationabilium et temporalium sempiternæ vivunt rationes.* Psalmographus : *Mutabis ea, et mutabuntur : tu autem idem ipse es.* Divus Jacobus apostolus : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Et ipse apud Malachiam prophetam : *Ego Dominus*, inquit, *et non mutor.*

Externæ causæ] Id est, causæ extra divinam men-

tem sitæ, cum nullæ forent, nec Deus ab ullo alio moveri possit. Aristoteles quatuor posuit causas, quibus omnia fiunt: primam, quæ movendi principium est; secundam, ex qua fit aliquid, quam materiam vocat; tertiam, rationem ac speciem, qua unumquodque formatur; quartam, finem, propter quem unumquodque efficitur. His quintam Plato adjicit, exemplar, quam εἰδέαν vocat, hoc est enim id ad quod respiciens opifex, id quod destinat, efficit. Deus autem intra se rerum omnium exemplaria habet. Hic autem mundum ex nihilo creavit, nullis externis causis excitatus, sed ad internum exemplar, et propter summam bonitatem. Et hoc est quod subdit.

Verum] Sed.

Forma] Idea, exemplar.

Summi boni insita] Interna, intus sita.

Livore carens] Expers invidiæ. Philo Judæus ex sententia Mosæ de mundi creatione scribens, ait opificem rerum omnium Deum bonum esse, nec ulli eorum quæ sunt invidere, propterea mundum condidisse. Timæus vero Platonicus: *Dicamus*, inquit, *quam ob causam ille rerum auctor generationem et hoc universum constituit. Bonus erat. Bonus autem nulla unquam aliqua de re invidia tangitur. Ergo cum livor ab eo alienissimus esset, omnia sibi (quantum fieri poterant) simillima fieri voluit.* Et post pauca: *Totumque ita mundum constituit, ut pulcherrimum natura opus, optimumque foret.*

Ducis] Producis.

Ab exemplo superno] Ex æterna idea. Sunt autem ideæ principales quædam formæ, et æternæ, quæ divina intelligentia continentur, ut Augustinus ait in libro octoginta trium Quæstionum: quæ cum ipsæ nec oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. Sunt autem hæ in mente divina et exemplaria dici possunt, auctore Thoma, qua (ut inquit) rerum factionis principia sunt: rationes vero habentur, qua dicuntur principia cognoscendi. Quandoquidem ipse Deus essentiam suam omni quo cognosci potest modo, perfecte cognoscit, et non solum qua in se est, sed qna participari similitudine quadam a rebus creatis potest: Quæcunque vero creata sunt, propriam habent speciem, qua similitudinem divinæ essentiæ participant.

Pulchrum pulcherrimus ipse] Timæus Platonicus: *Cum vero et mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, et ejus auctor causarum omnium optimus, dubium non est quin sempiternum sit secutus exemplum. Sic igitur generatus, ad id effectus, quod ratione et sapientia sola comprehendi potest, et immutabile permanet.*

Perfectasque jubens] Ordo est: Et jubes perfectum mundum absolvere, id est absolutas habere partes perfectas. Idem Timæus: *Quatuor igitur earum rerum quamlibet integram mundus accepit. Ex omni quippe igni, aere, aqua, terra, ipsius faber ita ipsum composuit, ut nullam cujusquam istorum partem aut*

A *vim extra relinqueret. Idque ea ratione fecit; primum quidem, ut totum hoc animal quam maxime perfectum ex perfectis partibus esset: deinde ut esset unum, cum nihil extra relictum fuerit, ex quo alterum generetur; postremo, ne quis ipsum morbus, aut senectus attingeret.*

Tu numeris elementa ligas] Timæus idem: *Quoniam vero corporeus, spectabilisque et tractabilis mundus erat futurus, ac sine igni videri nihil potest, nihilque sine solido tangi, et solidum absque terra nihil, ideo in operis hujus exordio Deus ignem primo terramque creavit, Sed duo sola absque tertio quodam commode cohærere non possunt, mediumque aliquod vinculum utrorumque desiderant. Vinculum vero id est aptissimum atque pulcherrimum ex se et iis quæ astringit,*
B *quam maxime unum efficit. Hoc maxime proportio ratioque alternæ comparationis assequitur. Quando enim in tribus numeris aut molibus, aut viribus medium ita se habet ad postremum, ut primum ad medium, vicissimque ut postremun cum medio, ita medium cum primo congruit, tunc qnod medium est, et primum fit et postremum, postremum quoque et primum media fiunt. Ita necessitas cogit, ut omnia quæ sic devincta fuerint, eadem inter se sint. Eadem vero cum facta sint, efficitur, ut omnia sint unum. Quod si universi corpus latitudinem habere debuisset, nullam vero profunditatem, unum sane tum ad seipsum, tum ad extrema vincienda interjectum medium suffecisset, Sed cum soliditatem mundus requireret, solida vero non*
C *uno, sed duobus semper mediis copulentur, inter ignem et terram Deus aerem aquamque locavit, eaque ita inter se invicem (quoad fieri poterat) comparavit, ut quemadmodum ignis ad aerem, ita aer ad aquam: ut aer ad aquam, sic aqua ad terram congrue conferatur. Qua ex conjunctione ita constitutus est mundus, ut aspici tangique possit. Propterea ex hujusmodi rebus numero quatuor mundi corpus conflatum est, ea connexum comparatione, qua dixi. Ex quo seipsum amicitia concordi complectitur, atque ita apte cohæret, ut nequeat dissolvi ullo modo, nisi ab eodem a quo est colligatum.* Severinus noster, lib. de Musica I, cap. 2: *Jam vero quatuor elementorum diversitates contrariasque potentias, nisi quædam harmonia conjungeret, qui fieri posset ut in unum corpus ac machinam convenirent? Sed*
D *hæc omnis diversitas ita et temporum varietatem parit et fructuum, ut tamen unum anni corpus efficiat. Unde si quid horum quæ tantam varietatem rebus ministrant, animo et cogitatione discerpas, cuncta pereant, nec (ut ita dicam) consonum quidquam servent. Et ut in gravibus chordis hic vocis modus est, ut non ad taciturnitatem gravitas usque descendat, atque in acutis ille custoditur acuminis modus, ne nervi nimium tensi vocis tenuitate rumpantur, sed totum sibi sit consentaneum atque conveniens, ita etiam in mundi musica pervidemus nihil ita esse nimium posse, ut alterum propria nimietate dissolvat. Verum quidquid illud est, aut suos affert fructus, aut aliis auxiliatnr ut afferant. Nam quod constringit hiems, ver laxat, torret æstas, maturat autumnus, temporaque vicissim vel ipsa suos afferunt*

fructus, vel aliis, ut afferant, subministrant. De elementorum per numeros connexione, plura lege apud Macrobium sane quam jucunda in I lib. Commentariorum, quos in Scipionis Somnium composuit.

Numeris] Quaternario elementorum numero et ternario interstitiorum. Tribus enim interstitiis convenientissime quatuor connexa sunt elementa, quorum primum est a terra ad aquam, secundum ab aqua ad aerem, tertium ab aere ad ignem.

Frigora flammis] Frigida calidis.

Arida] Sicca.

Liquidis] Humidis.

Purior] Sincerior.

Evolet] Extra locum præscriptum nimia gravitate.

Deducant] Deprimant.

Tu triplicis mediam] Ordo est : Tu connectens animam mediam triplicis naturæ moventem cuncta, resolvis, id est expandis, subaudi eam, et repete mediam per consona membra.

Triplicis naturæ] Quia (ut Platoni visum est) ex tribus rerum generibus, essentia, eodem et altero, Deus unam animæ mundi conflavit naturam, tam exacta commistione, ut in essentia ejus ubique idem inesset alterum, atque vicissim in ipso ejus eodem inesset et alterum, et essentia : rursus in ipso ejus altero et essentia lateret, et idem. Vel naturæ triplicis ideo, quod anima mundi sublimes causas cum infimis connectens effectibus, in seipsa manet, et declinat ad effectus, et ad causas ascendit.

Mediam] Ut Platoni placet, Deus animam in medio rerum constituit, protenditque eam inde per totum, et interim aliquid ejus eduxit extra mundum : quo videlicet dum provideret mundo, converteretur ad Deum. Ita anima est medius rerum gradus, atque omnes gradus tam superiores quam inferiores connectit in unum, dum ipsa et ad superos ascendit, et descendit ad inferos. Timæus apud Platonem : *Ex ea substantia quæ individua et semper eadem similisque est, et* ex ea rursus quæ circa corpora dividua fit, tertiam substantiæ speciem commiscuit mediam : quæ rursus esset naturæ ipsius ejusdem, et naturæ ipsius alterius particeps, eamque per hæc mediam constituit inter individuam substantiam, et eam quæ circa corpus dividitur. Ea cum tria sumpsisset, in unam speciem omnia temperavit.

Cuncta moventem] Virgilius Æneidos lib. VI :

> Totamque infusa per artus
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Per consona membra] Per mundi partes harmonia quadam conjunctas et congruentes. Timæus Platonicus : *Postquam igitur secundum creatoris illius mentem tota animæ constitutio absoluta fuit, mox omne corporeum intra ipsam effinxit, mediumque mediæ accommodans, apto modulamine copulavit. At illa a medio per omne usque ad cœli extrema se porrigens, eique extrinsecus circumfusa, seque in seipsa convertens, ita sempiternæ sapientisque vitæ in universum tempus divinum dedit exordium. Et corpus quidem cœli specta-* A *bile factum est, anima vero oculorum effugit obtuitum. rationis et modulaminis compos, ab auctore suo omnium, quæ semper sunt, et ad intelligentiam pertinent, optimo, ipsa quoque optima omnium quæ genita sunt effecta.*

Quæ] Mundi anima.

Secta] Divisa in duo quæ refertur ad motum.

Glomeravit] Orbiculariter egit.

In orbes duos] In geminos circulos, puta in firmamentum non errans, et in orbes pervagantium planetarum. Anima mundi adeo processit perfecta, ut suam ferme ideam impleverit. Divisio in longum ostendit proprium animæ motum naturaliter esse rectum, scilicet in sensum, et vegetandi sive movendi naturam. Item ob id secat in duo, ut ostendat B tum in anima duplicem esse rectum motum, scilicet ad sentiendum atque movendum, tum ab anima in corpora similiter esse geminum, scilicet uniformem atque multiformem. Intersecat vero lineas duas ad animam figurandam, deinde eas reflectit in gyrum, indicans naturam animæ ex se ad rectum motum procliviorem, ab ipso Deo per intelligentiæ munus circulari motui prorsus accommodari, geminis, inquam, circulis, firmamento scilicet non erranti, ac post firmamentum orbibus pervagantium planetarum. Firmamenti quidem circuitus ipsam identitatis intelligentiæque naturam proprie refert. Anfractus autem multiplices planetarum proprie naturam alteritatis, inferiorumque animæ partium repræsentant.

C *In semet*] In seipsam.

Meat] Movetur.

Mentem] Profundam intelligentiam. Revolutio enim animæ orbem intelligentiæ comitatur. Motus quidem animæ, si ab intelligentia penitus deseratur, statim tam in percipiendo quam in agendo, solum transibit in rectum. Quod autem repetat semetipsam, similesque per alia gyros glomeret, sortitur ab intellectu quodam superiore, qui et manens in se et subito conversus in causam, largitur intelligentiam animæ, per quam quasi porrectam manum sistit animam natura propria vagabundam, motumque ejus irrequietum, et ad rectam extra se lineam naturaliter proniorem, retorquet in orbem medium inter motum rectum D atque quietem. Hinc anima :

> In semet reditura meat, mentemque profundam
> Circuit, et simili convertit imagine cœlum.

Tu causis animas paribus] Rationalem hominis animam ait Plato a Deo ex eisdem rerum generibus eodem in cratere commistis, atque mundi animam fuisse conflatam. Crater significat ipsam vitæ rationalis ideam, sed adjungit ex reliquiis superioris commistionis fuisse confectam, significans particulares vitas universali vita inferiores esse. Tum vero Deus animas, id est singulos ordines animarum singulis stellis accommodat. Adhibet et vehicula, id est ætherea corpora. Docet et fatales leges, dum animabus infundit formulas idearum, per quas animæ in se quandoque conversæ, rationes rerum agnoscere possint. Timæi Platonici, Marsilio Ficino in-

terprete, hæc sunt verba : *Hæc fatus, in eodem rursus cratere, in quo mundi totius animam permiscens temperaverat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit, modo quodam eodem, non tamen perfectas similiter, sed et secundo et tertio gradu a primis deficientes. Denique cum universum constituisset, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisque tanquam vehiculo impositis monstravit universi naturam, ac leges fatales edixit.*

Animas] Hominum subaudi.

Causis paribus] Consimili ratione et causis, rerumque generibus eisdem quibus anima mundi facta est,

Vitasque minores] Ignobiliores animas, ut brutorum animalium et plantarum.

Provehis] Producis.

Levibus] Celeriter mobilibus.

Sublimes] Præstantiores animas.

Curribus] Vehiculis. Ut enim Platoni visum est, Deus animis corpora, quasi vehicula subdidit.

Seris] Seminas, et hoc ex opinione Platonica dictum, cui placuit Deum spirituum alios in terram, alios in lunam, alios in alia temporis instrumenta spargentem quasi sevisse.

Leges benigna] Ut homines violentas passiones ex corporis conjunctione in anima excitatas superent, justeque vivant.

Reduci] Reduces facienti, reducenti. Reduces proprie dicuntur qui magna pericula evaserunt.

Igne] Amore Marsilius Platonicus in Commentario, oratione quarta, cap. 6 : *Æternus igitur amor, quo semper in Deum afficitur animus, efficit ut Deo semper tanquam novo spectaculo gaudeat. Amorem hunc eadem Dei bonitas semper accendit in animo, quæ et beatum facit amantem. Tria igitur (ut brevi complectar) amoris beneficia collaudabimus, quod nos olim divisos in integrum restituendo, reducit in cœlum : quod suis quemque collocat sedibus, facitque omnes in illa distributione quietos, quod omni expulso fastidio, suo quodam ardore oblectamentum quasi novum jugiter accendit in animo, redditque illum blanda et dulci fruitione beatum.*

Lectorem hoc loco, antequam ad alia progrediar enarranda, velim admonitum, Boetianam in hoc carmine Philosophiam, non solum diligenter, verum et caute Platonem imitari : cujus opiniones de anima mundi cæterisque, hominum puta, et pecudum, et arborum, non usquequaque Christianis hominibus probantur, tametsi nos Latinis fere singula ex Platonis doctrina non indiligenter exposuerimus. Porro cœlestes sphæras habere animas, non modo Platonici, sed omnes etiam Peripatetici confitentur. Quod Aristoteles docet lib. de Cœlo II, rursus V et VIII Natural., II de Anima, XI Divinorum, Theophrastus etiam discipulus Aristot. lib. de Cœlo. Quod Avicenna et Algazeles summopere confirmarunt. Augustinus Aurelius in lib. cui titulus Enchiridion, et Thomas Aquinas in libro contra gentiles secundo, tradunt nihil (quantum ad Christianam doctrinam spectat) interesse, cœlestia corpora animas habere, vel non habere. Paulus Cortesius libro Sententiarum secundo. distinctione quarta : *Platone*, inquit, *principe multi sidera animantia esse voluerunt. Stoicis autem placet astris vim et mentem inesse divinam. At Anaxagoræ ab Atheniensibus est negotium exhibitum, quoniam solem flagrantem lapidem, nec Deum, nec animantem esse dixisset. Apud nostros vero Origenes a Platone non discedens, animantia sidera putavit, quem pedetentim et dubitanter subsequi videtur Hieronymus. Divus autem, Augustinus tanquam arbiter in re ambigua, dum medium persequi non potest, neutri sententiæ assentitur. At Apollo Christianorum, divus Thomas, scientius genus hoc totum ratione astringit, probat enim divisione operum animæ, nullam corporum cœlestium animæ consentaneam esse operam, præter intelligentiam et motum. Dicitque animam corporibus, non ut formam annecti, sed virtutis appulsu, ut mobili agitatorem applicari, quamadmodum si lagena in prono vi pedum impulsa moveatur.*

Da pater] Sic Martianus Capella ad solem :

Da, pater, æthereos menti conscendere cœtus.

Augustam sedem] Sacram, divinam et majestatis plenissimam summi boni sedem. Augustum proprie, teste Servio, est tectum augurio consecratum. Abusive augustum nobile, quasi majestatis plenum. Virgil. lib. Georgicon IV :

Si quando sedem augustam, servataque mella
Thesauris relines.

Sic enim Servius legit : *Alii quidam per angustam, et ita legunt etiam nonnulli hoc loco, ut dicat angustam sedem, ad quam non nisi angusta et arcta via pervenitur, sed meo judicio legendum est per u augustam.*

Terrenæ molis] Corporeæ contagionis.

Nebulas et pondera] Perturbationes ex gravitate corporis animo accidentes.

Tuo splendore] Tua tibi interna et ineffabili incomprehensibilique luce.

Tu] Subaudi *es*.

Serenum] Serenitas.

Te cernere] Contemplatio tui, subintellige *est*.

Finis] Summum bonum. Apud Joannem evangelistam, capite XV, Jesus Christus ad Patrem : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Thomas Aquinas theologorum decus libro adversus gentes tertio : *Summa et perfecta felicitas intellectualis naturæ in Dei visione consistit.*

Principium] Joannes in Apocalypsi, cap. I *Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens.* Deus est principium, medium et finis omnium : principium quidem, ut producit ; medium autem, ut producta retrahit ad seipsum ; finis, prout redeuntia perficit.

Vector] Provector ad felicitatem.

Dux] Ductor per iter angustum.

Semita] Sane quam angusta via, per quam pauci faciunt iter.

Terminus] Finis omnium.

IN PROSAM X

Hactenus Boetio Philosophia perfectæ atque imperfectæ formam felicitatis ostendit. Nunc ubi consistat felicitas vera, seu beatitudo, sive summum bonum, acute diligenterque disserit, ostendens hoc esse in Deo, penitus ei idem, divsrsisque vocibus unam et eamdem significari substantiam. Postremo concludit Dei quoque in ipso bono sitam esse substantiam.

Quonam] Ubi. Apud Boetium compluries quo pro ubi, hoc est, in quo loco positum invenies.

Aliquod hujusmodi bonum] Summum et bonorum omnium congregatione perfectum.

Cassa] Inanis, irrita, vana.

Imago] Species.

Quin] Quod.

Omne] *enim*] Firmissine verissimeque concludit summum bonum esse.

Effeta] Viribus exhausta et defecta.

Quo] Ubi.

Communis conceptio] Boetius libro de Hebdomadibus, capite primo. Communis animi conceptio est enuntiatio, quam quisque probat auditam.

Ne hunc rerum omnium] Evidenter probat Dei summique boni unam et eamdem esse substantiam.

Præcellentissimum] Præstantissum.

Fingat qui potest] Q. d. nemo fingere potest.

Postremo quod a qualibet] Idem quod modo, nunc nova ratione probat.

Geometræ] Professores geometriæ, quæ est bene mensurandi scientia.

Porismata] Corollaria. Georgius Valla libro Expetendorum et Fugiendorum II : *Est et porisma cum ex demonstratis aliud aliquid apparet, simul et theorema nobis non proponentibus : unde et nomen habuit, quasi lucrum quoddam existens scientialis demonstrationis, id Latine corollarium nominatur, Græce scribitur* πόρισμα.

Corollarium] Corollarium (ut auctor est M. Varro libro primo de Lingua Latina) significat id quod additum est, præterquam quod debitum, tanquam auctarium quoddam. Ita enim dicebant antiqui : et dixit Plautus id quod supra mensuram vel pondus justum adjiciebatur. Vocabulum corollarii est a corollis : quod eæ, cum placuerant actores, in scena dari solitæ sint. Unde et corollaria dicuntur ipsæ coronæ apud Plinium. Suetonius : *Itaque corollaria et præmia, alienis quoque muneribus ac ludis, et crebra et grandia de suo offerebat.* Seneca libro de Beneficiis sexto : *Sordidissimorum quoque artificiorum institoribus supra constitutum aliquid adjecimus si nobis opera illorum enixior visa, et gubernatori, et opifici vilissimæ mercis, et in diem se locanti corollarium aspersimus.*

Deos fieri] Divus Augustinus libro de Civitate Dei nono, capite vigesimo tertio : *Sed homines quoque in populo Dei eadem Scriptura deos appellat. Ego dixi, inquit, dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Hieronymus in sermone de Nativitate dominica : *Deus factus est homo, ut homo Deus fieret.*

Cum multa] Docet bonum beatitudinis substantiam A complere, et ad illud quidquid beatitudo continere videtur, veluti ad verticem referri.

Substantiam] Essentiam, rationem.

Jucunditate] Voluptate. Franciscus Philelphus in oratione ad viros Papienses voluptatem, jucunditatem nominat : quippe quæ et mentem et sensum juvet.

Omnium igitum expetendarum summa] Aristoteles Moralium lib. : *Omnis ars, omnisque doctrina atque actus, itidem et electio, bonum quoddam appetere videtur.* Quapropter bene veteres bonum ipsum id esse dixerunt quod omnia appetunt. Dionysius quarto cap. de Divinis Nominibus : *Omnia,* inquit, *bonum et optimum concupiscunt.*

IN METRUM X.

B Carmen est constans alternis phaleciis et sapphicis excepto secundo versu, qui phalecius est, qui sic posset in sapphicum mutari, verum una dictione transformata :

Quos ligat fallax gravibus catenis,

sicut ex quarto liceret mutato dictionum ordine facere phaleciun :

Hic vobis requies erit laborum.

Verum Boetius noster prius tres phalecios continuos cecinit, deinde sapphicum addidit, syllabarum numero et temporum proportione hendecasyllabo æqualem. Postquam autem Philosophia summi boni beatitudinisque eamdem cum Deo substantiam indicavit, nunc mortales alacriter invitat et adhortatur, C ut ad hanc veram felicitatem pariter contendant, relictis terrenis fallacibusque vilium bonorum studiis, quæ mentem excæcant, non illuminant; ligant, non absolvunt; irritant cupiditatibus, non satiant.

Capti] Divus Hieronymus in epistola ad amicum ægrotum consolatoria : *Liberos tu judicas, aut a moribus alienos, quos voluptates barbaræ devinxerunt. Non habent catenam, sed eos luxuria ferali mordacitate in vinculis tenet. Ita inciderunt in laqueos feralium voluptatum, sicut aves aucupali fraude captivæ : quæ quo magis conantur evadere, eo innumeris se nexibus illigant, et in profundiores sinus demergunt.* Divus Ambrosius lib. Epistolarum II : *Renuntiemus luxuriæ ac deliciis, quæ nos quibusdam astringunt nexibus cupiditatum. Nihil enim prosunt deliciæ stulto.* Marsilius D Platonicus : *Moderata juventus facilem efficit senectutem, immoderata difficilem. Qui corporis obsequitur libidinibus, procul dubio insanis servit tyrannis.*

Terrenas] Terrenarum rerum cupiditatibus obrutas.

Hebetans] Obtundens, hebetes et inertes reddens. Aristoteles in septimo Ethicorum hinc probat voluptatem non esse summum bonum, quoniam (inquit) voluptates impediunt prudentiam : et quanto majores sunt, tanto magis obnubilant, quod in aphrodisiis, id est in rebus Venereis, patet. Nemo enim dum Veneri operatur, perspicere mente quidquam potest.

Hic] In summo bono. Asylum Græce ἄσυλον, intemeratum templum est consecrationis lege concessum, ab α privativa particula, et συλάω rapis, spolio aufero, violove; aut, sicut exponit Servius, dicitur

asylum quasi ἄσυλον, quod inde per vim extrahi nullus posset. Nam in id fugientes, tuti erant, nec inde extrahi poterant : quod prius Athenienses, post Romulus construxit. Divus Augustinus libro de Civitate Dei primo : *Romulus et Remus asylum constituisse perhibentur, quo quisquis confugeret, ab omni noxa liber esset, augere quærentes creandæ multitudinem civitatis.* Hæc ille. Pulchra igitur translatione locum beatitudinis asylum vocat. Patens autem miseris haud eo dicit, quod id miseri possint ingredi; sed subintelligendum alioqui, qui miseri forent manerentque, nisi in veræ felicitatis asylum ad evitandum miseriam se reciperet.

Tagus] Fluvius aurifer Lusitaniæ.

Hermus] Fluvius Lydiæ aurifer. Virgilius :

Aut auro turbidus Hermus.

Rutilante] Aureis arenis resplendente.

Indus] Maximus Indiæ fluvius, variis gemmis abundans.

Calido orbe] Plagæ Orientali, ubi sol oritur.

Illustrant] Illuminant.

Aciem] Visum animi.

Cæcos] Prava cupiditate cæcatos.

In suas tenebras] Sibi proprias : nam metalla et lapilli plerumque in obscuris terræ cavernis delitescunt.

Viget] Vim habet.

Vitat] Non admittit.

Obscuras ruinas] Perturbationes, errores, in scelera per ignoratium vel imprudentiam prolapsus.

Notare] Videre.

Hanc lucem] Summi boni claritatem.

Candidos Phœbi radios negabit] Id est, præ ea solem nihil lucis aiet habere.

IN PROSAM XI.

Hactenus Philosophia disseruit summum bonum esse, et in quo consistat : jam docebit quid sit bonum concludens nihil esse bonum nisi idem sit unum. Sublata enim unitatis ratione, quidquid est, bonum esse desinit.

Infiniti] Subaudiendum æstimabo.

Boni participatione] Socrates Platonicus in Gorgia : *Est autem voluptas. qua præsente gaudemus : bonum vero, quo præsente boni sumus. Prorsus boni vero sumus, et nos, et quæcunque alia bona sunt, ob virtutem quamdam quæ adsit.*

Simili ratione] Quia, ut concessum est, tum unitatis adeptione bona fiunt, quæcunque sunt bona, tum boni participatione. Quorumcunque naturaliter idem est affectus, eorum eadem est substantia. Unius autem et boni, naturaliter idem est affectus. Unius igitur et boni eadem est substantia.

Nostine igitur] Docet unumquodque subsistere, dum unum est : cum vero unum esse desinit, interire. Quod spectat eorsum, ut ostendat omnia naturali intentione unum desiderare, et cum unum id ipsum sit quod bonum, bonum ab omnibus appeti. Et ita Boetio in mentem revocat, quod se paulo ante confitebatur ignorare, bonum esse rerum omnium finem.

A *Omne quod est, tandiu manere atque subsistere, quandiu sit unum*] Exstat pulcherrimus et aureolus de unitate et uno Boetii nostri libellus, quem studiose lector (si habeas) ad hunc locum penitus intelligendum, lectita diligenter : ex quo et hæc nobis libitum est apponere, ut etiam librorum copiosa supellectile carentibus industriæ nostræ labor prosit : *Unitas est qua unaquæque res dicitur esse una : sive enim sit simplex, sive composita, sive spiritualis, sive corporea, res unitate una est, nec potest esse una nisi unitate, sicut nec alba nisi albedine, nec quanta nisi quantitate. Non solum autem unitate una est, sed etiam tandiu est, quidquid id quod est, quandiu in se unitas est. Cum autem desinit esse unum, desinit esse id quod est. Unde est hoc : Quidquid est, ideo est, quod unum est. Quod sic*
B *ostenditur : Omne enim esse ex forma est in rebus creatis : sed nullum esse ex forma est, nisi cum forma materiæ unitas est. Esse enim non est, nisi ex conjunctione formæ cum materia. Unde philosophi dicunt illud describentes : Esse est existentia formæ in materia. Cum autem forma materiæ unitur, ex conjunctione utriusque necessario aliquid unum constituitur : in qua constitutione illud unum non permanet, nisi quandiu unitas formam cum materia tenet. Sed destructio rei non est aliud quam separatio formæ a materia. Sed separatio et unitio contraria sunt : igitur separatione si res destruitur, profecto in suo esse non nisi unitate contraria conservatur.* Divus Aurelius Augustinus libro de Ordine rerum secundo : *Lapis ut esset lapis, omnes ejus partes,*
C *omnisque natura in unum consolidata est. Quid arbor ? nonne arbor non esset, si una non esset? Quid membra cujuslibet animantis, ac viscera, et quidquid est eorum quibus constat? certe si untiatis patiantur divortium, non erit animal. Omnia quid aliud, quam unum esse conantur ?* Divus Bernardus libro ad Eugenium secundo : *Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate.*

Atqui non est quod de hoc] Boetio dubitationis scrupulum eximit, id quod de animalibus confessus est, et de plantis quoque et ininamatis luce clarius ostendens.

Nam aliæ quidem campis] Maro libro Georgicon secundo :

D
Nec vero terræ ferre omnes omnia : possunt
Fluminibus salices, cassisque paludibus alni
Nascuntur ; steriles saxosis montibus orni.
Littora myrtetis lætissima : denique apertos
Bacchus amat colles, aquilonem et frigora taxi.

Ovidius Libro de Arte amandi primo :

Nec tellus eadem parit omnia : vitibus iila
Convenit, hæc oleis, hic bene farra virent,

Veluti in terras ore demerso, trahunt alimenta radicibus] Aristoteles libro de Anima secundo : *Quod est os et caput in animali, radix est in arbore.*

Nobilissimum quidque] Legitur et mollissimum quidque.

Tuetur] Defenditur. Passive protulit verbum deponens.

Jam vero quanta] Docet summa diligentia naturam curare, ut propagatione rerum seminibus multiplica-

ta, cum singula subsistere nequeant, saltem species conserventur atque incolumes perdurent. Officiorum vegetabilis animæ (aut auctor est Aristoteles libro de Anima secundo) naturalissimum et præcipuum est, sibi simile generare omnibus viventibus (modo sint perfecta, non capta membris, non depravata, neque spontaneam generationem habentia) conveniens, ut animali animal simile generare, et plantæ similem plantam. Sic enim semper secundum suum simile (cum ea ipsa eadem in numero manere non possint) perseverant, assimilationem conditionemque assequuntur divinam, quantum eis conceditur, quam appetunt omnia, cujusque gratia agunt omnia quæ sunt in natura.

Generatim] Per singula genera.

Neque nunc nos] Ait se non ne voluntariis animæ cognoscentis motibus, verum de naturali intentione disseruisse.

Sed unum id ipsum] Descriptio boni ex libro Moralium Aristotelis primo desumpta, ut supra relatum est.

Uno] Unitate.

Vertice] Capite.

Ipsam enim mediæ veritatis notam mente fixisti] Elegantissima allusio seu metaphora a sagittariis sumpta : qui tum demum voti compotes fiunt, cum scopum attigerunt.

Notam] Scopum, hoc est signum in medio propositum, ut in id sagittæ conjiciantur.

Mente] Non sagitta, sed animi conjectura et cogitatione.

IN METRUM XI.

Carminis iambici genus est, quod scazon (id est claudicans) appellatur. Habet enim in sexto regione spondeum. Simile est illi Persiano :

Nec fonte labra prolui caballino.

Antequam Philosophia eo perveniret ut ostenderet Boetio rerum omnium finem esse bonum, longiuscula disputatione usa (veluti qui aurum in penitissimas terræ venas demersum tandem vix magno labore assequitur) rem patefecit. Docet igitur nunc veritatem obscuris ambagibus involutam, falsisve sæpius opinionibus demersam, non nisi exacta mentis contemplatione comprehendi. Vult etiam eam non in externis rebus esse frustra quærendam, sed in intimis animi thesauris diligenter (remotis impedimentis) investigandam. Sunt enim animis nostris insita, tam virtutum quam scientiarum semina.

Profunda mente] Penitissima contemplatione.

Vestigat] Inquirit.

Verum] Veritatem.

Inde] Sic legendum, non ille, ut vulgo legitur.

Inde] A veri vestigatione.

Intimi visus] Intellectus.

Longos motus] Actus animæ in longum tendentes.

In orbem] In circulum.

Inflectens] Incurvans.

Retrusum] Ad se conversum.

Thesauris] Potentiis, memoria scilicet et intellectu.

Dudum] Paulo ante.

Atra] Obscura.

Texit] Obduxit.

Lucebit] Evidenter apparebit, dilucide emicabit.

Perspicacius] Clarius.

Phœbo] Sole.

Non omne namque mente depulit lumen] Platonicum dogma est, animas e cœlo descendentes, hauriendi oblivionem rerum divinarum, quarum in cœlo erant consciæ, alias vero magis, alias minus. Et ideo in terris non discere, sed reminisci, quod illic ante cognoverint. Hinc est quod quæ apud Latinos lectio, apud Græcos vocatur repetita cognitio; qua cum vera discimus, ea recognoscimus quæ naturaliter noveramus, antequam materialis influxio in corpus venientes animas ebriaret. Et ita Plato in dialogo de virtute, qui inscribitur Menon a Menone cum Socrate sermocinante : *Quærere*, inquit, *ac discere*, *reminiscentia est* : et Hieronymus testatur a philosophis dici, discentias esse reminiscentias. Hanc Platonis opinionem improbat, et confutat divus Aurelius lib. de Trinit. XII, cap. 15.

Obliviosam molem] Gravitatem perturbationum et oblivionem, non eorum quæ quis in alia vita novit (nam homini antequam nasceretur, aliam vitam fuisse sentire vanissimum est), sed eorum quæ apta esset suapte natura (nisi corpori infunderetur, conjungereturque) anima cognoscere. Sapientiæ lib, 1, cap. IX, ita scriptum est : *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Hæret] Inest.

Profecto] Certe.

Semen] Principium et inchoatio quædam qua est homo veritati percipiendæ et acquirendæ scientiæ naturaliter aptus.

Introrsum] Interiora versus, intrinsecus, intus.

Quod] Semen.

Excitatur] Metaphora ab igni sumpta, qui ventilatione in fomentis excitatur.

Ventilante] Movente, discutiente. Ventilo, moveo ad ventum captandum. Ventilare triticum, est purgare. Ventilare faciem, est ventulo refrigerare, et ventilare aurum digitis sudantibus, dixit Juvenalis.

Doctrina] Doctoris actione.

Cur] Quare.

Rogati] Interrogati. M. Tullius libro Tusculanarum Quæstionum primo : *Habet primum memoriam, et eam infinitam rerum innumerabilium.* Quàm quidam Plato recordationem esse vult vitæ superioris. Nam in libro qui inscribitur Menon, pusionem quemdam Socrates interrogat quædam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet ut puer, et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut, gradatim respondens eo perveniat quasi geometrica didicissat. Ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit quam recordari. Quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die quo excessit e vita. Docet enim quemvis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem decla-

rare se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere : nec vero fieri ullo modo posse ut a pueris tot rerum atque tantaram insitas et quasi consignatas in animis notiones (quas ἐννοίας vocant) haberemus, nisi animus (antequam corpus intrasset) in rerum cognitione viguisset.

Recta] Vera.

Censetis] Opinamini, respondetis.

Ni] Nisi.

Mersus] Insitus.

Alto corde] In profunda mente.

Fomes] Semen et principium scientiæ.

Si Platonis musa personat verum] Recte dubitat in re ambiguitatis plena, verumne an falsum dixerit Plato. Musa autem ideo dicitur quod Plato usus est summa et incredibili eloquentia, ob quam et Xenophon Attica Musa cognominatus est. Vel per musam Platonis accipe carmen ex Platonis doctrina compositum, et hujus opinione imbutum.

Immemor] Oblitus.

IN PROSAM XII.

Hæc ultima hujus tertii voluminis prosa continet quibus gubernaculis mundus gubernatur, quod etiam ante Boetius ignorabat. Unde opinabatur bonos suppliciis affici, malos vero præmiis ad flagitia invitari. Nunc autem Philosophia docet bonitate divina mundum regi, eumque qui summum bonum est, quia Deum, nullius mali causam esse, nec id quidem posse. Proinde malum nihil esse nisi a bono defectionem : hujus is qui potest omnia, non possit malum. Quo fit ut mali nequaquam floreant, sed miseri potius sint et infelices, ut proximo volumine latius disseretur.

Vehementer] Valde.

Horum] Quod discere nostrum sit reminisci, et quod lumen animi corporis caligine sit obnubilatum.

Commemoras] Memorem facis. Et notanda est hæc locutio.

Corporea contagione] Corporis cum anima conjuntione.

Mole] Gravitate.

Quin] Ut.

Dudum] Paulo ante.

Inscitiam] Ignorantiam.

Accedam] Assentiar.

Divelleret] Distraheret.

Sospes] Incolumis.

Revisas] Repetas.

Alioquin] Nisi hoc ita se habeat.

Vigilantius] Diligentius.

Diducis] Aperis.

Cum Deus inquit] Docet a Deo suaviter et convenientissime omnia disponi, cum voluntarie divinæ bonitati obtemperent seque subjiciant.

Detractantium jugum] Metaphora a bobus sumpta. Unde poeta :

Non juga taurus amat, quæ tamen odit, habet.

Deo contraire] Contra Dei voluntatem.

Jure beatitudinis] Quæ ut cætera, sic et summam potentiam complectitur.

Fortiter] Potenter.

Suaviter] Ordinare, bona contemperantia, convenientissime.

Lacessentes] In bellum provocantes,

Cœlum] Deos cœlestes.

Gigantes] Hi, vatissimorum corporum fuisse dicuntur, terræ filii, sine patre, qui cum deos cœlo pellere conarentur, ab Jove fulminibus missis sunt interempti. Macrobius lib. Saturnalium primo : *Gigantes autem* (inquit) *quid aliud fuisse credendum est quam hominum quamdam impiam gentem, deos negantem, et ideo existimatam deos pellere de cœlesti sede voluisse. Horum pedes in draconum volumina desinebant : quod significat nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente.*

Uti condignum fuit] Parenthesis, id est sicut decuit.

Benigna] Meritis benefica, male autem meritis infesta

Fortitudo] Potentia divina.

Rationis] Argumentationes.

Collidamus] Valde committamus, acriter conseramus.

Ex hujusmodi conflictatione] Ex ejusmodi philosophico certamine.

Scintilla] Translatio ab iis qui, chalybe et silice collisis, ignis scintillam excutiunt, quam dissilientem in fomitem excipiunt ad lumen excitandum.

Arbitratu] Arbitrio.

Malum igitur] Concludit malum nihil esse hujus modi ratione : Quidquid est aliquid, Deus omnipotens id potest. Malum autem Deus omnipotens non potest. Malum igitur nihil est. Beatus Augustinus libro de Civitate Dei XI, cap. 9 : *Mali enim nulla natura est, sed amissio boni mali nomen accepit.*

Labyrinthum inextracabilem] Insolubilem, indeprehensibilem, unde nemo se facile possit expedire. Labyrinthus, locus est viarum ambagibus adeo implexus, ut eum ingresso non pateat exitus. Hoc autem loco metaphoricos posuit.

Orbem] Circulum.

Munusculum] Corollarium.

Dudum] Paulo ante.

Exegimus] Absolvimus. Ovidius :

Jamque opus exegi.

De ea] Divina substantia.

Parmenides] Hic Eleates Anaxagoræ discipulus, ut Suidas ait : ut vero Diogenes, Xenophanis : cujus meminit Plato, qui ejus nomine dialogum scripsit, vocavitque Parmenidem, sive de Ideis. Hic carmine physiologiam expressit, sicut Empedocles et Hesiodus, duplicemque eam esse dixit, unam quæ veritate constaret, alteram quæ opinione. Emicuit Olympiade LXVIII. Hujus Græcus versus est,

Πάννοθεν ἐν κύκλοισι φέρεις ἐναλίγκιον ὄγκον.

Id est, undique in circulis ducis similem acervum. Quod autem in vulgatis exemplaribus additum est, id est, rerum orbem mobilem rotat, dum se immobilem conservat, non est Boetii, sed glossema nescio cujus, prius in margine adjectum, deinde Boetii verbis insertum. Parmenidis dictum Iamblicus Platonicus hunc in modum exponit : *Omnia ex Deo ita sunt,*

ut nusquam vel minima quæque deserantur a Deo. Ubique enim divina viget unitas, per quam res quæque consistunt, ac perpetuo quodam, intimoque circulo ad Deum ipsum, a quo et in quo sunt, mirabiliter revolvuntur. Alioquin in nihilum repente proruerent.

Cum Platone sanciente didiceris] Timæus apud Platonem : *Rationes utique cum iis rebus quas exprimunt cognationem quamdam habere videntur. Ergo cum de re firma et stabili, et mente comprehendenda disseritur, stabiles similiter immutabilesque et quam maxime fieri potest, inexpugnabiles rationes esse oportet. Cum vero de ipsius rei firmæ stabilisque simulacro disputatur, verisimiles rationes sufficiunt : quæ ita se ad superiores habeant rationes, ut simulacrum ad exemplum. Nempe quod est ad generationem essentia, id ad finem est veritas.*

IN METRUM XII.

Metrum est Glyconium, simile sexto primi voluminis. Hortatur Boetium Philosophia ut summi boni præstantiam contemplari perseveret, ne prava cupiditate victus, ad rerum terrenarum desideria relabatur. Nam ut quidam non ineleganter ait, Deo mente defixus, a passionibus dum titillatur, a cœlo in terram devolvitur. Ad hoc autem ostendendum lepidissime inducitur Orphei fabula, quæ a Diodoro Siculo copiose refertur, et elegantissime a Virgilio libro Georgicon ultimo, et a Nasone libro Metamorphos. decimo. Quam quidam sic interpretantur : Orpheus uxorem habuit Eurydicen, quæ dum Aristeum fugeret per loca herbis floribusque ornata, latentem serpentem calcavit, cujus venenato morsu extincta, ad inferos descendit. Est autem Eurydice humana anima, quæ dicitur Eurydice, id est latum judicium habens, propterea quod rationalis est. Hæc nubit Orpheo, cum corpori conjungitur, et amatur ab Aristeo, id est ab optimo. Illa autem corporeis voluptatibus irretitur. Id enim sunt flores atque herbæ quæ terræ sunt pulchritudines. Optimum quod est Deus, per illa fugit, atque a serpente, id est a peccato, quod inter illas voluptates latet, interimitur, et ad inferos demergitur. Sed conceditur Orpheo, ut illam sono citharæ, id est actionum optima compositione, quæ maxima harmonia est, unde virtus exoritur, ab inferis revocet, id est a vitiis liberet, sed ea lege, ne respiciat, hoc est ne in vitia relabatur.

Felix] Beatus, subaudi *est is.*

Visere] Videre, ad videndum pervenire, intueri.

Lucidum fontem boni] summum bonum, longe clarissimum.

Solvere] Abjicere, deponere.

Vincula] Nexus rerum terrenarum, quibus plerique nimis astringuntur.

Vates Thraicius] Orpheus Thrax, Apollinis et Calliopes, vel (ut alii scribunt, Æagri fluvii et Polymniæ musæ filius, vates musicusque præstantissimus. Legitur autem recte, Thraicius per *a*, et more Ionico per *e* Threicius. Dicitur et Thracius et Thracensis in eodem significatu.

Flebilibus modis] Flebili cantu.

Silvas currere mobiles] Virgilius :

Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus.

Seneca in Hercule furente :

Immites potuit flectere cantibus
Umbrarum dominos, et prece supplici
Orphæus, Eurydicen dum recipit suam.
Quæ silvas et aves saxaque traxerat.
Ars quæ præbuerat fluminibus moras,
Ad cujus sonitum constiterant feræ,
Mulcet non solitis vocibus inferos,
Et surdis resonat clarius in locis.
Deflent et lacrymis difficiles dei
Deflent Eurydicen Threiciæ nurus
Et qui fronte nimis crimina tetrica
Quærunt, ac veteres excutiunt reos,
Flentes Eurydicen juridici sedem.
Tandem mortis ait, vincimur, arbiter :
Evade ad superos, lege tamen data.
Tu post terga tui perge viri comes,
Tu non ante tuam respice conjugem,
Quam cum clara deos obtulerit dies,
Spartanique aderit janua Tænari.
Odit verus amor, nec patitur moras.
Munus dum properat cernere, perdidit.

Idem in Hercule Œtæo :

Tunc solamina cantibus
Quærens, flabilibus modis,
Hæc Orphæus cecinit Getis.

Perperam igitur in nonnullis exemplaribus legitur debilibus, pro flebilibus.

Amnes] Fluvios.

In repidum] Cerva ipsa intrepida. Figurate, quod totius est parti dedit. Seneca in Hercule Œteo :

Juxtaque impavidum pecus
Sedit marmaricus leo :
Nec damæ trepidant lupos,
Et serpens latebras fugit
Tunc oblita veneni.

Flagrantior] Ardentior.

Intima] Partes intimas.

Fervor] Ignis amoris.

Subegerant] Viserant.

Modi] Moduli, cantus.

Querens] Prima correpta, a deponendi queror, id est querimonia testificans superos subaudi *esse immites*, id est inexorabiles.

Illic] Apud inferos.

Chordis] Fidibus.

Deæ] Matris Calliopes.

Impotens] Non potens se cohibere, vel nimium et supra modum potens querimoniis et lamentis effundendis.

Deflet] Deflendo effundit.

Tænara] Inferos. Tænarus Laconiæ promontorium, per cujus horribilem specum fabulantur iter esse ad inferos, pro quibus interdum accipitur.

Veniam] Beneficium. Ovidius :

Quod si fata negant veniam pro conjuge.

Umbrarum dominos] Deos inferos.

Tergeminus] Triceps, id est trium capitum. Idem libro de amandi Arte tertio :

Saxa ferasque lyra movit Rodopeius Orpheus,
Tartareosque lacus, tergeminumque canem.

Tergeminus modo triformis. Maro :

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Modo tergemini dicuntur tres nati eodem partu.

Captus] Delectatus.

Janitor] Januæ custos, qui vestibulum servat.

Cerberus] Typhonis filius et Echidnæ, frater Hydræ ac Orthri, canis Geryonis, ut est apud Hesiodum qui

pro foribus Orci custos excubat. Tibullus :

Nunc niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet, et æratas excubat ante fores.

Claudianus :

Latratum triplicem compescuit ingens
Janitor.

Sontes] Nocentes, qui turpia facinora perpetrarunt.

Agitant] Vexant, persequuntur.

Deæ] Furiæ infernales. Furias tres Hesiodus et Epimenides, easque e sanguine pudendorum Saturni (quæ patri Jupiter amputavit) editas aiunt. Nocte genitas autumat Æschylus et Maro :

Hunc mihi da proprium virgo sata nocte laborem.

Statius Acherontem patrem tribuit :

Totidemque satis Acheronte nefasto
Virginibus.

Non Ixionum caput] Ixion, ut Euripides ait, Phlegya patre natus : ut Pherecydes, Æthone, cum de medio sustulisset Eioneum, cujus filiam nomine Dian uxorem duxerat : quod ista genero debita promissaque munera veteri more flagitaret, atque supposito tigno in accensam foveam excepisset, ab ea cæde cum cæteris nec aquæ aspersione, neque sufficionibus, aut dierum numero tolli posse videretur, ab Jove expiatus est. Sed is eam rem parum gratam habuit, ausus ad stuprum Junonem provocare. Dea communicato cum Jove consilio, immisit nubem, quam pro Junone complexus, Centauros genuit, et damnatus apud inferos assidua rotæ vertigine rapitur. Tibullus :

Illic Junonem tentare Ixionis ausi,
Versantur celeri noxia membra rota

Velox] Celeri vertigine versatilis.

Præcipitat] Dejicit.

Site] Siti. Perperam indocti legunt hoc loco siti, contra metri rationem, cum licentia poetica Boetius site conscripserit, ut libro Æneido VI Virgil. :

Gaude cognomine terra.

pro cognomini, teste Servio, et Ovid. in Fastis :

Extaque de porca cruda bimestre tenet :

pro bimestri. Idem libro de Tristibus quinto :

Exiguum pleno de mare demat aquæ.

pro mari.

Longa] Diuturna.

Perditus] Excruciatus.

Spernit] Contemnit. Cantu enim musico delinitus, siti non laborat.

Tantalus] Hic Smyrnam Phrygiæ vel (ut alii tradunt) Sypilum tenuit. Is apud inferos (ut canit Homerus) aquis ori allabentibus perpetua siti laborat. Supplicii causam non omnes eamdem tradunt. Nam quidam dicunt eum pœnas luere, quod Pelopem filium diis hospitibus epulandum apposuerit. Nonnulli referunt canem templi Jovis in Creta custodem a Pandareo Milesio surreptum, ad Tantalum pervenisse, quem cum repetenti Mercurio abjurasset, hac affectum pœna. Canis aureus erat et spirans. Ut Asclepiades ex Fabula refert, quoniam deorum secreta mortalibus revelarit. Ovidius ;

Quærit aquas in aquis, et poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Euripides ait in aere suspensum impedimenti saxo

A torqueri. Sunt qui subjectum Sypilo monti tradant in Lydia. Petronius in Tantalo repræsentari avaros autumat, quibus opes usui non sunt, et siccis faucibus conditis pecuniis incubant. Versus ejus apud Fulgentium hi sunt :

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt,
Divitis hæc magni facies erit, omnia late
Qui tenet, et sicco concoquit ore famem.

Modis] Cantu Orphei.

Tityi] Hic (ut ait Pherecydes) Jovis et Elaræ filius fuit, ejus quam genuit Orchomenus. Telluris tamen dictus est, quod eo gravida mater Elara, Junonis metu terræ cavernam subiens, illic puerum peperit. Indicat in Beotia Strabo specum Elaram a re gesta

B nominatam. Alii sentiunt ideo terræ filium dici, quod ex hominum genere servos et immanes (cujusmodi Tityus fuit) fabulæ ex terra natos fingunt, et Callimachus atrocissimas quasque bestias terræ genus appellat. In novem jugera distentus apud inferos pascit vultures, ut auctor est Homerus, quoniam vim Latonæ inferre tentavit, vel (ut canit Euphorion) Dianæ vitium intulit : quapropter Apollinis et Dianæ telis exstinctum refert Pindarus.

Vultur] Homerus geminos vultures admotos Tityo canit, Ovidius et Claudianus unum. Sic et Seneca in Hercule furenti :

Præbet volucri Tityus æternas dapes.

Veteres theologi (ut refert Macrobius in Somnium Scipionis) vulturem jecur immortale tundentem, ni-

C hil aliud intelligi voluerunt quam tormenta conscientiæ obnoxia flagitio, viscera interiora rimantis, et ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere forte tentaverint, excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ulla sibi miseratione parcentis, lege hac qua se judice nemo nocens absolvitur, nec de se suam potest vitare sententiam. Illos autem epulis ante ora positis excruciari fame et inedia tabescere, quos magis magisque acquirendi desiderium cogit præsentem copiam non videre, et in affluentia inopes egestatis mala in ubertate patiuntur, nescientes parta respicere dum egent habendis. Illos radiis rotarum pendere districtos, qui nihil consilio prævidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explican-

D tes, seque et actus suos omnes fortunæ permittentes, casibus et fortuitis semper rotantur. Saxum ingens volvere, inefficacibus laboriosisque conatibus vitam terentes. Atram silicem lapsuram semper, et cadenti similem, illorum capitibus imminere qui arduas potestates et infaustam ambiunt tyrannidem, nunquam sine timore victuri, et cogentes subjectum vulgus odisse, dum metuant, semper sibi videntur exitium (quod merentur) excipere. Hic Macrobius.

Arbiter] Dominus, judex.

Umbrarum] Animarum.

Viro] Orpheo.

Emptam] Redemptam.

Conjugem] Eurydicen.

Dum tartara liquerit] Dum inferorum sedem exierit.

Lumina flectere] Respicere.

Quis legem det amantibus] Quis (inquit) tam crudelis est, ut amantibus legem imponat? Amor enim major lex est sibi quam ulla lex præscripta, ac si dicat, Tanta vis amoris est ut legem aliam non admittat.

Heu noctis prope terminos] Id est, sub ipsius lucis accessum. Sic Maro:

> Eurydicenque suam jam luce sub ipsa
> Immemor heu, victusque animi, respexit.

Perdidit] Amisit.

Occidit] Media contracta legendum. Sensus est. Orpheus ipse Eurydices amissione una cum ea periit. Virgilius:

> Illa. Quis et me, inquit, miseram et te perdidit, Orpheu.

In superum diem] In summi boni lucem.

LIBER QUARTUS.

IN PROSAM PRIMAM.

Dixerat primo volumine Boetius, Videre autem videor nefarias sceleratorum officinas gaudio lætitiaque fluitantes, perditissimum quemque novis delationum fraudibus imminentem, jacere bonos nostri discriminis terrore prostratos, flagitiosum quemque ad audendum quidem facinus impunitate, ad efficiendum vero præmiis incitari, insontes autem non modo securitate, verum ipsa etiam defensione privatos. Itaque libet exclamare:

> O stelliferi conditor orbis.

In quo quidem carmine, ut animi nimium perturbatus, inter cætera et hæc subdit:

> Premit insontes
> Debita sceleri noxia pœna.
> At perversi resident celso
> Mores solio, sanctaque calcant
> Injusta vice colla nocentes.

Et reliqua in eamdem sententiam. Hoc igitur libro Philosophia (ut morbi radicem penitus exstirpet) eam Boetii opinionem graviter redarguit atque confutat, docens semper quidem potentes bonos esse, malos vero abjectos semper atque imbecilles, nec sine pœna unquam esse vitia, nec sine præmio virtutes; bonis felicia, malis semper infortunata contingere. Super quibus lege Gorgiam Platonis, divi Gregorii Moralia, caput quintum octavi libri Cæsariensis Eusebii de Præparatione evangelica, Lactantii Firmiani de Justitia caput 23, epistolam divi Hieronymi ad virginem exsulem consolatoriam, et ejusdem alteram ad amicum ægrotum, et rursus aliam quæ inscribitur ad Oceanum, Baptistæ Mantuani lib. V de Patientia, et id genus alia.

IN METRUM PRIMUM.

Carmen est dicolon distrophon, constans altero versu Alcmanio dactylico tetrametro acatalecto, altero Archilochio iambico dimetro acatalecto. Pendet autem eo, quod proxima prosa dixit: *Pennas etiam tuæ menti, quibus se in altum tollere possit, affigam.* Nunc igitur ait Philosophia ad veram beatitudinem pervenire neminem posse, nisi animo virtutum alis sublato, terrenisque omnibus despectis cœlos transcendat, et summo bono contemplatione se conjungat.

Pennæ volucres] Vires mentis per veritatis speculationem sublevandæ.

Celsa] Altas partes.

Poli] Cœli.

Quas] Pennas.

Qui] Ignis.

Agili motu] Ob velocissimam conversionem.

Ætheris] Cœli.

Verticem] Summitatem.

In astriferas domos] In orbes planetarum.

Phœbo] Soli.

Conjungat vias] Appropinquet et sese applicet.

Aut comitetur] Ordo est: Aut donec mens ipsa miles, id est ministra et comes. Translatio inde sumpta, quod sicut miles ducem suum comitatur, ita mens divinarum rerum contemplationi philosophiæ studiis dedita, eas indefesso labore prosequitur. Corusci sideris, id est Jovis, cujus fulgor (M. Tullio teste) hominum generi prosperus est et salutaris; comitetur iter gelidi senis, id est Saturno se adjungat planetarum summo, qui apud priscos pingebatur homo senex, canus, prolixa barba, curvus, tristis, pallidus, tecto capite: et qui dextra falcem, et in eadem serpentis imaginem caudam suam ore mordentis, sinistra infantem filium ori devoraturus admovebat. Virgilius in Georg.:

> Frigida Saturni sese quo stella receptat.

Vel quocunque] Ordo est: Vel recurrat circulum astri, quocunque micans nox pingitur.

Recurrat] Repetat, revisat. Recurrat autem ideo, quod animæ cœlestis origo sit: itaque contemplatione in patriam suam recurrat, tametsi quidam legant *percurrat*. Per astri circulum cœlum significat stelliferum, quod et firmamentum dicitur.

Ubi] Postquam.

Exhausti] Exhaustionis, finitionis, exactæ speculationis. Imitatio est Virgiliani illius in libro Georg. II:

> Cui nunquam exhausti satis est.

Perperam igitur indoctis legitur exhaustum.

Polum extimum] Supremum cœlum. Lucretius lib. de Rerum Natura I:

> Ergo vivida vis animi pervicit, et extra
> Processit longe flammantia mœnia mundi,
> Atque omne immensum peragravit mente animoque.

Divus Hieronymus contra Jovinianum ex Theophrasto: *Sapiens autem nunquam solus esse potest, habet secum omnes qui sunt, quisque unquam fuerunt boni, et animum liberum quocunque vult transfert. Quod corpore non potest, cogitatione complectitur: et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo. Nunquam minus solus erit quam cum solus fuerit.* Rodolphus Agricola in Protreptico: *Quæ potest autem major esse, quæ certior philosophiæ divinitas, quam nulli claudi terminis, nullo spatio contineri? Vadit enim sacer viri animus liber, solutus, nullisque coercitus metis: et quacunque rerum natura potest, vagatur: nec terras et maria solum, sed sidera ipsa cognatosque cœlos pererrat. Non tenuissima resistunt: comprehendit, exsuperat, penetratque cuncta.*

Verendi luminis] Divinæ lucis.

Hic] Ultra supremum cœlum.

Regum] Omnium principum.

Sceptrum] Dominium, imperium.

Habenas] Moderamina.

Temperat] Dirigit.

Volucrem currum] Cœlum quod certissima conversione circumagitur.

Rerum coruscus arbiter] Deus Dominus, inspector et judex omnium longe illustrissimus.

Huc] Illuc, puta ad sedem veræ beatitudinis.

Reducem] Incolumem, salvum.

Referat] Reducat.

Quam] Patriam.

Immemor] Corporea contagione oblitus.

Sistam] Stare faciam, nec ultra tendam.

Torvos] Terribiles.

Cernes tyrannos exsules] A vera patria procul aberrantes. Seneca in Thebaide : *Regna cum scelere, omnibus sunt exsiliis graviora.*

IN PROSAM II.

Affert rationes pulcherrimas firmissimasque Philosophia, quibus arguit bonos et virtute præditos semper potentes esse : contra vero malos imbecilles et omnibus veræ potentiæ viribus destitutos.

Nam cum bonum malumque contraria sint] Teste Cicerone libro Tusculanarum Quæstionum quinto : Contrariorum contraria sunt consequentia.

Veramque illam Platonis] Hæc sententia est apud Platonem in Gorgia, ubi Socrates ad Polum hæc ait : *Assero equidem, o Pole, tam rhetores quam tyrannos minimam in civitatibus habere potentiam, quemadmodum paulo ante dicebam. Nihil enim (ut ita dixerim) facere ex his quæ volunt, facere tamen, quod sibi opinantibus optimum videatur.*

IN METRUM II.

Carmen est dicolon, distrophon, altero versu constans Alcmanio trochaico dimetro acatalecto, altero Pherecratio. Docet tyrannos, tametsi vulgo videantur judicenturque, minime tamen potentes esse : cum gravissima cupiditatum suarum jugiter opprimantur servitute. Diogenes Cynicus recte servos quidem dominis, malos autem cupiditatibus servire dixit. Teste Joanne evang. : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). Divus August. libro de Civitate Dei quarto, capite tertio : *Malorum vero regnum magis regnantibus nocet, qui suos animos vastant scelerum majore licentia.* Et non multo post subdit : *Proinde bonus, etiamsi serviat, liber est; malus autem, etiamsi regnet, servus est. Nec unius hominis, sed (quod est gravius) tot dominorum quot vitiorum.*

Septos] Circumdatos, constipatos.

Tristibus] Tristitiam inferentibus.

Torvo] Terrifico.

Rabie] Feritate.

Intus] In eorum conscientia.

Hinc] Ex una parte.

Versat] Exagitat.

Avidis venenis] Illecebrosis affectionibus.

A *Hinc*] Ex alia parte.

Flagellat] Verberat, concutit. Ordo est : Ira turbida tollens fluctus, flagellat mentem.

Fluctus] Motus et animi æstus.

Turbida] Turbulenta.

Tollens] Suscitans.

Captos] Vi tristitiæ victos.

Lubrica] Instabilis, inconstans, metui cedens.

Ergo] Ordo est : Ergo ipse pressus iniquis dominis non facit quod optat, cum cernas unum ferre tot tyrannos.

Unum caput] Unum flagitiosum hominem.

Tot tyrannos] Tot vitia ei dominantia.

Ferre] Pati.

B *Non facit quod optat*] Non efficit quod vult, eoque nec liber nec potens esse convincitur.

IN PROSAM III.

Acute et dilucide disserit, nunquam bonis præmia, nunquam sua sceleribus deesse supplicia : docetque virtutum splendore mortales eo præstantiæ pervenire ut ab improbis nihil neque detrimenti, neque offuscationis pati queant, et (quod longe plus est) deos evadere. Contra vero scelerum infectione adeo ab humanæ naturæ dignitate degenarare, ut in bestias transformentur.

In stadio] In curriculo. Stadium Græce στάδιον seu στάδιος, Latine curriculum, locus est in quo equi hominesve currunt, et certant athletæ, dictum ἀπὸ τοῦ στάδιος hoc est, a statione, quod Hercules eo C spatio uno spiritu confecto constitisset. Stadium continet octavam mille passuum partem. Divus Hieronymus : *Stadium est hæc vita mortalibus. Hic contendimus, ut alibi coronemur.* Divus Ambrosius, libro Officiorum primo, capite decimo sexto : *Quid alibi poscis, quod alibi debetur ? Quid præpropere coronam exigis, antequam vincas ? Quid detergere pulverem, quid requiescere cupis ? Quid epulari gestis antequam stadium solvatur ? Adhuc populus spectat, adhuc athletæ in stemmate sunt, et tu jam otium petis ? Sed forte dicas, cur impii lætantur ? cur luxuriantur ? cur etiam mecum non ipsi laborant ? quoniam qui non subscripserint ad coronam, non tenentur ad laborem certaminis. Qui in stadium non descenderint, non se perfundunt oleo, non oblinunt pulvere. Quos manet gloria, exspectet* D *injuria : unguentati spectare solent, non decertare ; non solent æstus, pulverem, imbresque perpeti. Dicant ergo et ipsi athletæ : « Venite, nobiscum laborate. » Sed respondebunt spectatores : « Nos hic interim de vobis judicamus, vos autem sine nobis coronæ (si viceritis) gloriam vindicabitis. » Isti igitur qui in deliciis, qui in luxuria, rapinis, quæstibus, honoribus studia posuerunt sua, spectatores magis sunt quam præliatores. Habent lucrum laboris, fructum virtutis non habent. Fovent otium astutia, et improbitate aggerant divitiarum acervos, sed exsolvent (seram licet) nequitiæ suæ pænam.*

Neque enim bonus ultra jure vocabitur, qui careat bono] Sententia est Socratis Platonici in Gorgia, quia *bonum* (inquit) *est, quo præsente boni sumus. Prorsus boni vero sumus et nos, et quæcunque alia bona sunt,*

ob virtutem quamdam quæ adsit. Socraticæ Platonicæque sententiæ M. Tullius subscribit libro Tusculanarum Quæstionum quinto his verbis : *Omnes bonos semper beatos volumus esse. Quos dicam bonos, perspicuum est. Omnibus enim virtutibus instructos et ornatos, tum viros bonos dicimus. Videamus qui dicendi sint beati. Equidem hoc existimo, qui sunt in bonis, nullo adjuncto malo. Nec ulla alia huic verbo* (*cum beatum dicimus*) *subjecta notio est, nisi secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio.* Hactenus Cicero. At Laurentius Valla, vir alioqui doctissimus et acris tum ingenii tum judicii, libro de Vero Falsoque Bono tertio, nimia cavillandi libidine percitus, nimis quam insipienter in Boetium nostrum fertur, ubi contendit eum in boni vocabulo errasse, quod tum virtutem tum felicitatem significet, perperamque ita collegisse : *Quicunque est bonus, is habet bonum. Verum* (*quod bona venia dictum sit*) *Valla ipse pudendo errore labitur, cum Boetium insectans, scribit virtutem ac vitium actiones esse, felicitatem vero atque infelicitatem qualitates, res etiam effectu ipso inter se longissime distantes. Non enim* (*ut ille somniat*) *virtus et vitium actiones sunt, sed qualitates et* (*quod plus est*) *in eodem qualitatis genere cum felicitate et infelicitate, in eo scilicet, quod Aristoteli habitus et dispositio vocatur. Sed ne quis erret, animadvertendum est duplicem esse felicitatem, alteram quidem inchoatam, quam Dei gratia homo in hac vita virtutum studiis consequitur, et hanc dicimus esse in prima specie qualitatis : alteram vero perfectam et omnibus numeris absolutam, cujus nemo ante mortem compos fit, quæ et cum summo bono Deoque ejusdem est substantiæ, ut supra probatum est : eamque ob infinitatem sub nullo prædicamento collocandam censemus. Proinde recte dixit Boetius non bonum ultra jure vocari, qui careat bono, hoc est, quicunque bonus est, eum habere bonum, sive virtutem, sive malis felicitatem accipere, non perfectam quidem illam, sed inchoatam, quæ non differt a virtute, sed ei est eadem : quod et propheta testificans : Beatus vir, inquit, cui, non imputavit Dominus peccatum nec est in spiritu ejus dolus* (*Psal.* XXXI). Et beatus Ambrosius libro de officiis secundo : *Certum est solum et summum bonum esse virtutem, eamque abundare solam ad vitæ fructum beatæ, nec externis aut corporis bonis, sed virtute sola vitam præstari beatam, per quam vita æterna acquiritur.* Et subdit idem eodem in libro : *In quo una virtus est, concurrunt cæteræ. Quod ideo apposui, ne quis forsan stultus et impius opinetur virtuti vitia, quæ miseros homines reddunt, cohærere.* Socrates apud Platonem : *Quamobrem omnino necessarium est*, inquit, *o Callicles, temperatum virum, cum* (*ut diximus*) *justus et fortis sit et pius, esse perfecte bonum. Bonum vero bene honesteque agere, quidquid agat. Eum autem qui bene agit, felicem esse atque beatum. Improbum vero ac male agentem, esse miserum.*

Quare probos mores sua præmia relinquunt] Divus Ambrosius Officiorum libro primo : *Ergo impius ipse sibi pœna est, justus autem ipse sibi gratia. Et utrique aut bonorum aut malorum operum merces ex* A *seipso solvitur.* Silius Italicus libro decimo tertio :

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

Evenit igitur] Joannes Franciscus Picus in commentariis secundi hymni heroici : *Dicuntur in ea homines bruta converti, quorum affectus nimia voluntatis propensione, usuque rationis posthabito, consequuntur. Sic in leonem iracundus, in vulpem astutus, in suem venereus converti dicitur. Hinc apud Pythagoreos et Platonicos hominum transformationes in bruta, quas lepide quoque Severinus adnotans subindicavit.* Antonius Codrus sermone primo : *Sicut anima rationalis et proba formam præstat homini, et illum divinitatis participem facit : sic irrationalis, et improba pecori formam tribuit, et hominem a recto discedentem transformat in belluam.* B *Corpus ergo* (*ut vobis ostendo*) *non facit hominem, sed anima. Unde recte Plato* (*ut reor*) *dicere solebat,* οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος τὸ ὁρώμενον, *id est non est homo id quod videtur. Quare vos Codrum non videtis, sed faciem, sed manus et membra Codri. Ergo alienarum opum violentus ereptor, lupum se facit. Qui insidiator est et fraudulentus, astutam vapido portat sub pectore vulpem. Qui libidinosus est et spurcis voluptatibus immersus, in hircum se vel in suem transformavit. Qui linguam hunc et illum mordendo exercet, canis est. Ita et in alias belluas hominem mutari dicimus, cum deserta ratione irrationalem sumit appetitum.*

IN METRUM III.

Carmen est Glyconium, simile sexto primi voluminis, verum in hoc fere primus pes trochæus est, ultimo C tantum versu excepto, ubi spondeus primam regionem tenet : quem si quis ita legerit. Mentis ulcere sæviunt, ubique primæ regioni trochæum dederit, at ea communis est spondeo, trochæo, et iambo, ut et supra docuimus, et facile nobis astipulabitur, quicunque diligenter Catullum, Horatium, Senecam tragicum, Terentianum, et ex recentioribus Marullum legerit. Ait autem Philosophia, multo pestilentiora esse animi vitia Circes magicis incantationibus et veneficiis, quæ corporibus tantum, non etiam mentibus nocuisse traduntur. Vitia vero teterrima animis perniciem inferunt.

Neritii ducis] Ulyssis. Neritus (ut lib. x docet Strabo) mons est frondosus in insula Ithaca, quam tenuit D Ulysses, qui dicitur inde dux Neritius. Ovidius :

Pro duce Neritio docti mala nostra poetæ
Scribite, Neritio nam mala plura tuli.

Pelago] Mari, per mare.

Rates] Naves.

Qua] In qua insula.

Dea] Circe Hæc (ut Homerus scribit) filia fuit Solis ex Perse Oceani filia, soror Œtæ Colchorum regis, magicæ sapientiæ peritissima. Habitavit autem in Aæa insula editiori in loco, quem circum errabant et ursi et leones, quos illa veneficiis cibo et potui immistis ex hominibus feras fecerat, tamen in homines non sæviebant, sed veluti canes adulabantur. Ille socios Ulyssis vertit in porcos, præter Eurylochum, qui fraudem in ædificio esse suspicatus, non intravit. Legatur Homerus libro Odysseæ x, Virgilius Ænei-

dos VII, Ovidius XIV Metamorph., Diodorus vero Siculus lib. V.

Solis edita semine] Vel filia Solis, ut ait Homerus, cui Maro subscribit :

Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu :

et Ovidius :

Venerat in silvas et filia Solis easdem

Vel (ut Diodoro placet) ex patre Solis neptis, ex matre Hecate proneptis ejus.

Carmine] Incantatione. Virgilius :

Carminibus Circe socios mutavit Ulyssei.

Quos] Hospites.

Ut] Postquam.

In varios modos] In diversas belluarum formas.

Vertit] Mutavit.

Herbipotens] Herbis potens.

Marmaricus] Ab Africæ regione, ubi plurimi sunt leones.

Dente crescit et unguibus] Majores sibi et dentes et ungues transformatus in leonem accepit.

Superadditus] Perperam legunt indocti, nuper additus.

Ululat] Prima extenta positum, quam Maro contraxit :

Ac formæ magnorum ululare leonum.

Tigris Indica] Sic Juvenalis satyra 15.

Indica Tigris agit rabida cum tigride pacem.

Pomponius Mela libro tertio : *Silvæ alia quoque dira animalia, verum et Tigres ferunt utique Hyrcaniæ sævum ferarum genus, et usque eo pernix, ut illis longe quoque progressum equitem consequi, nec tantum semel, sed aliquoties etiam cursu unde cœperit, subinde repetito, solitum et facile sit. Causa ex eo est quod ubi ille interceptos earum catulos citus cœpit avehere, et rabiem appropinquantium frustraturus, astu unum de pluribus omittit, hæ projectum accipiunt, et ad cubilia sua referunt, rursumque et sæpius remeant, atque idem efficiunt, donec ad frequentiora, quam adire audeant, profusus raptor evadat.* Tigris (ut divus Ambrosius libro Hexaemeron sexto refert) *ubi vacuum raptæ sobolis cubile reperit, illico vestigiis raptoris insistit. At ille quamvis equo vectus fugaci, videns tamen velocitate feræ se posse præverti, nec evadendi ullum suppetere sibi posse subsidium, technam hujusmodi fraude molitur ; ubi se contiguum viderit, sphæram de viro projicit. At illa imagine sui luditur, et sobolem putat, revocat impetum, colligere fetum desiderans. Rursus inani specie retenta, totis se ad comprehendendum equitem viribus fundit, et iracundiæ stimulo velocior, fugienti imminet. Ille iterum sphæræ objectu sequentem retardat. Nec tamen sedulitatem matris memoria fraudis excludit. Cassam versat imaginem, et quasi lactatura fetus residet. Sic pietatis suæ studio decepta, et vindictam amittit et prolem.*

Mitis] Nemini vim inferens. Sic ex Homeri sententia Ovidius :

Mille lupi, mistique lupis ursique leæque
Occursu fecere metum, sed nulla timenda.
Nullaque erat nostro jactura in corpore vulnus,
Quin etiam blandas movere per aera caudas.
Nostraque adulantes comitant vestigia.

Licet] Quamvis.

Numen] Potentia.

Arcadis alitis] Mercurii in Arcadiæ monte Cyllene geniti, qui fingitur a poetis alatus.

Ducem] Ulyssem.

Solverit] liberaverit.

Peste] Pernicie, in suem transformatione.

Hospitis] Circes. Mercurii enim tum consilio, tum beneficio (ut refert Homerus) Ulysses ne in belluam transformaretur, servatus est. Unde Ovidius Homerum imitatus.

Pacifer huic dederat florem Cyllenius album,
Moly vocant superi, nigra radice tenetur
Tutus eo, monitisque simul cœlestibus intrat
Ille domum Circes.

Remiges] Ulyssis socii.

Mala] Noxia, venefica, perniciosa.

Traxerant] Biberant.

Cerealia pabula] Panes.

Glande] Porcorum pabulo.

Verterant] Mutaverant.

Voce] Loquela.

Corpore] Deest *et*.

Nihil] Subaudi *præter mentem*.

Super] Insuper.

Monstra] Transformationes. Virgilius :

Quæ ne monstra pii paterentur talia manes.

Levem] Parum efficacem.

Manum] Potentiam.

Licet] Quamvis.

Corda] Animos.

Hæc venena] Vitia.

Potentius] Efficacius quam Circes venena.

Sibi] Ei ipsi. Acyrologia est metri gratia.

Dira] Pestifera.

Penitus] Intra animum.

Mentis vulnere] Quod profecto maxime lædit hominem. Divus Ambrosius libro Epistolarum quinto : *Nullus enim major est dolor quam is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam : neque ullum gravius est onus quam peccatorum sarcina et pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram, ne se erigere possit. Gravia fili, gravia nimis delictorum pondera.* Idem libro de Officiis primo : *Vides convivium peccatoris, interroga conscientiam ejus. Nonne gravius omnibus fetet sepulcris? Intueris lætitiam ejus, et salubritatem miraris corporis, filiorum atque opum abundantiam. Introspice ulcera, et vivacis animæ ejus, cordisque mœstitudinem.* Rursus Officiorum III : *Quæ enim pœna gravior quam interioris vulnus conscientiæ.* Lodovicus Bigus :

Brevi damnosa voluptas
Nequitiæ transit, sed vulnerat ossa, medullas,
Mentem, animumque simul.

Idem :

Fallimur heu miseri, non est extrinsecus ullum
Flagitium : in medio pectore regna tenet.
Vulnus hiat lethale, tamen medicina paratur
Nulla, nec a nobis curritur ad medicum.
Ilia si doleant, terris peragramus et æquor,
Curam animi nullus deficientis habet.

Nos quoque olim juvenes admodum, in elegiis mora-

libus sic lusimus super re minime ludicra :

Splendida magnifici cernis convivia regis,
Astantes pueros, aurea vasa vides.
Illius mentem si forte videre liceret,
Ulcera perspiceres sordidiora luto,
Innumeras pestes, et plurima monstra videres,
Inferno longe plus fugienda cane.

IN PROSAM IV.

Hac prosa primum quidem fatetur Severinus vitiosos, tametsi speciem humani corporis retineant, animorum tamen qualitate in belluas transformari. Verum id sibi mirabile cum primis, indignumque videri ait, in tantam vilitatem abjectos in bonorum perniciem grassari posse, et male concupita perpetrare : cui verissimis rationibus occurrens Philosophia, duo disserit a vulgari quidem opinione longe aliena, nec tamen minus vera. Quorum alterum est, multo miseriores improbos fieri, cum libidini suæ fecerunt satis, quam cum perperam appetita exsequi nequiverint. Alterum vero, minus miseros esse malos, facinorum suorum pœnas expendentes : tametsi nulla correctionis ratio, nullus exempli respectus habeatur, quam si eo impune ad tempus elabentes nulla justitiæ pœna coerceat.

Convenienti loco] In hujus libri prosa sexta.

Multo igitur infeliciores] Socrates apud Platonem in Gorgia : *Secundum vero sententiam meam, o Pole, qui injuriatur, injustusque est, omnino est ante alios miser : miserior autem, si injuriam pœnas nunquam luat ; minus vero miser, si luat, suppliciumque jussum apud deos hominesque reportet.* Divus Augustinus libro de Civitate Dei XII, capite 3 : *Et cum in pœnis est natura vitiosa, excepto eo quod natura est, etiam hoc ibi bonum est, quod impunita non est : hoc enim est justum, et omne justum, procul dubio bonum.*

IN METRUM IV.

Carmen est dicolon distrophon, altero versu hendecasyllabo constans, altero elegiaco pentametro. Exsecreatur eo Philosophia mores hominum efferatos, qui cum plurimis periculis sint obnoxii, nihilo secius invicem bellis gerendis mortem properant, et mutua strage deseviunt : cum boni jure sunt diligendi, mali vero magis miserandi, quam insequendi.

Fatum] Mortem.

Ense] Gladio. Legatur elegia Tibulli, cujus initium :

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses ?

Miseresce] Miserere. Miseresco deductum est a misereo, quod apud veteres fuit personale verbum. Ennius libro Annalium quinto :

Cogebant hosteis lacrymantes, ut misererent.

IN PROSAM V.

Hactenus disseruit malos omnes miseros esse et animorum qualitate degenerare in belluas, bonos autem beatos et deos evadere. Verum his Severinus nondum omni ex parte consolatus, pristinæ suæ dignitatis memor, et exsilium acceptamque contumeliam etiamnum ægre ferens (quanquam ante probatum est fortunæ bona non esse vera) neminem tamen vel sapientum vivere dicit, qui non fortunæ bona calamitatibus et suppliciis anteponat, quæ passim ab improbissimo quoque virtute præditis infligi lamen-

A tatur, ut vincula, ut carceres, squalores, ut verbera, quæ ex legum præscripto perniciosis constituta sunt. At hi impune evadunt, insontes autem plectuntur. Cujus causam confusionis admirabundus ex Philosophia Boetius sciscitatur.

IN METRUM V.

Exemplis colligit e causarum ignoratione admirationem oriri, quibus acceptis et penitus cognitis, hæc e medio tollitur, succeditque scientia. Carmen dicolon est distrophon, tametsi Nicolaus Perottus vir alioqui doctissimus, parum perpensa versuum ratione, tradiderit hoc carmen esse dactylum, alemanium tetrametrum hypercatalectum, cujusmodi est illud primi libri.

Heu quam præcipiti mersa profundo.

B Ab eo namque differt hoc (quantum ad primum versum pertinet) quod hic in prima regione semper trochæus, ibi non trochæus, sed spondeus vel dactylus est. Primus igitur hujus carminis versus mistus videtur ex Sapphico et Alcmanio, constans primo trochæo, secundo spondeo vel dactylo, ac spondeo seu trochæo. Secundus autem versus Alcaicus est tetrameter, iambicus, constans pentemimeri iambica, dactylo et spondeo, differens ab illo Horatii tantum postremo pede :

Vides ut alta stet nive candidum.

Nam illic dactylus est, hic spondeus temporibus ei respondens. Quid si dixerimus et secundum versum compositum ex Alcalico dimidiato Alcmanio ? Sed hæc nemini miranda videantur, si Severinus noster arti C musicæ longe doctissimus, suo jure versibus novis utatur, qui apud alios Latinos poetas minime inveniantur ; cum eum constet temporum proportiones diligenter observasse, et ex arte musica modulatos hos versus sane quam dulciter cecinisse.

Cardine] Cardini. Antiptosis est : casus enim pro casu ponitur. Sic Virgilius :

Et magno se corpore miscet :

pro corpori.

Legat] Prætereat.

Bootes] Arctophylax. Bootes oritur tertio idus Februarias, ut docet Ovidius in Fastis. Arctophylax autem interpretatur Ursi custos. Idem etiam appellatur Bootes. Manlius :

A tergo nitet Arctophylax, idemque Bootes.

D Et Cicero de Natura deorum Arati versum ita refert :

Arctophylax vulgo qui dicitur esse Bootes ;
Quod quasi temone adjunctam præ se quatit Arcton.

Dicitur etiam Arcturus, ut docet Lactantius grammaticus. Servius tamen scribit Arcturum proprie esse stellam in signo Boote, cujus ortus et occasus tempestates gravissimas facit. Bootes autem non oritur, aut occidit, ut alia signa. Sed cum plaustro proximus sit, quod vertitur circa cardinem, in ipsa vertigine videtur occidere et, cum se elevat, oriri. Hujus manum sinistram (auctore Higino) circulus arcticus includit, ut neque occidere, neque oriri videatur. Ipse enim positus ab arctico circulo ad æstivum definitur, inclinatus in longitudinem dextro pede, æstivo circulo nixus. Hujus humeros et pectus a reli-

quo corpore dividit circulus, qui per utrosque polos transiens tangit Arietem et Chelas. Hic quidem cum Tauro, Geminis, et Cancro, et Leone occidit. Ideo sero occidere dicitur, quod magis erectus a pedibus pervenit ad terram. At exoriens citius, quam Chelæ videtur. Unde a poetis modo tardus, modo piger appellatur. Hujus enim occasus quatuor signorum zodiaci tempus absumit, ut diximus.

Palleant] Deest *si* vel *cur*.

Palleant] Obscurentur deliquio.

Infecta] Obscurata.

Metis] Objectu.

Noctis opacæ] terræ obscurantis. Deliquium enim lunæ fit ex interpositione terræ inter solem et lunam.

Quæque] Et quæ.

Fulgenti ore] Clara facie.

Texerat] Occuluerat, condiderat, offuscaverat. Natura enim fert, ut majus lumen offuscet minora.

Confusa] Defectione laborans.

Detegat] Splendere permittat.

Lassantque crebris pulsibus æra] Nam, ut scribit Plinius libro secundo, capite duodecimo : *Viri ingentes inter quos fuit Stesichorus, et Pindarus, crediderunt lunam eclipsim et quasi mortem pati ex cantationibus : unde ne id luna pateretur, dissono crepitu succurrebant.* Hinc de clamosa muliere satyra sexta Juvenalis :

Jam nemo tubas atque æra fatiget :
Una laboranti poterit succurrere lunæ.

Auctore Plutarcho, Aganice Agetoris Thessali filia, quod pleniluniorum defectuum esset gnara, tempusque præsnosceret, quo lunam ab umbra terræ intercipi contingeret, mentem mulierum exturbabat, illisque se lunam deducere persuadebat.

Cori] Venti.

Frementi] Graviter resonanti.

Tundere] Percutere.

Solvier] Solvi, liquefieri.

Latentes] Subaudiendum causæ.

Inscitiæ] Ignorantiæ Et animadvertendum in versus scansione per syneresim ex tetrasyllaba trisyllabam factam dictionem, ita ut *i* posterior sit consonans, ut apud Senecam tragicum in Sapphico :

Cuncta divitias metuitque casus.

IN PROSAM VI.

Hæc prosa Philosophia causas eorum reddit quæ supra Boetius attigit, sibique supra modum miranda videri dixit, nisi ratio deprehendatur. Ait autem hæc omnia a divinæ intelligentiæ providentia, seu fato progressus suos sortiri, et quid inter Dei providentiam, ac fatum intersit, docet.

Tui muneris] Officii tui.

Evolvere] Excutere.

Velatas] Obductas.

Caligine] Tenebris ignorantiæ.

Quæso] rogo. Petit sibi causas explicari eorum quorum admiratione tenetur.

Exhausti] exhaustionis.

Hydræ] Latine dicitur excetra, quam Simonides A nonaginta capita habuisse canit, Alcæus quinquaginta, ex quibus si quod amputaretur, duo renascebantur. Hanc Hercules adjutus ab Iolao superavit, qui recisum continuo caput subjectis flammis inurebat Herculis jussu, ut est apud Hesiodum. De hac meminit Ovidiana Dejanira :

Quæque redundabat fecundo vulnere serpens
Fertilis, et damnis dives ab ipsa suis.

Seneca Tragicus :

Quid sæva Lernæ monstra numerosum malum,
Non igne demum vicit, et docuit mori ?

Quidam scribunt hydram in Lerna Argivorum palude exstitisse, aquas evomentem, quæ vastabant vicinas civitates, in qua uno meatu clauso, multi erumpebant. B Quod Hercules videns, loca ipsa exussit, et sic aquæ meatus clausit. Socrates in Euthydemo Platonico : Hercule quidem multo sum imbecillior, qui pugnare simul non valuit adversus hydram sophisticam, cui propter sapientiam pro uno sermonis capite amputato, multa repullulabant : ac etiam adversus Cancrum sophistam quemdam ex mari adventantem, et nuper (ut arbitor) advectum navi, a quo cum Hercules ad sinistram angeretur, verbisque acriter morderetur, nepotis sui Iolai auxilium imploravit, qui summopere illi succurrit.

Mentis igne] Intellectus vigore.

In hac] Materia.

De providentiæ simplicitate] Quinque quæstiones recenset, easque obscurrissimas, et nunquam satis ex- C plicatas, ad propositam materiam pertinentes.

Sed quoniam hæc quoque] Promittit Philosophia se explicaturam rei petitæ causas.

Septi] Circumdati tu et ego.

Omnium generatio rerum] Acutissima pariter et jucundissima dissertatio de divina providentia et fato.

Stabilitate] Constantia, immutabilitate.

Sortitur] Nanciscitur.

Hæc] Divina mens.

In arce] Summitate.

Gerendis] Administrandis, efficiendis.

Statuit] Præscribit.

Puritate] Simplicitate.

D *Conspicitur*] Consideratur.

Quæ] Providentiam et fatum.

Nam providentia] Describit prius providentiam, deinde et fatum.

Fatum vero inhærens] Ex Chrysippi Stoici sententia, fatum est sempiterna quædam et indeclinabilis series rerum, et catena volvens semetipsa sese, et implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque est. De facto qui plura nosse cupit, legat M. Tullium et Marcilium Ficinum Platonicum, Landinum in sexto Æneidos Commentario, Gellium libro sexto, et Eusebium libro sexto de Præparatione evangelica.

Providentia namque] Ostendit quid intersit inter providentiam et fatum.

Quæ licet diversa sint, alterum tamem pendet ex al-

tero] Docet quo participent ea quæ modo diversa esse censebat·

A

Quædam vero] Ait quædam tametsi divinæ providentiæ subjecta sint, fatalem tamen seriem superare.

Nam ut orbium] Pulcherrima orbium similitudine docet alia majoribus fati nexibus implicari, alia minoribus, nonnulla vero fatalem supergredi necessitatem.

Extimus] Extremus orbis.

Illi] Puncto.

Cogitur] Constringi:ur.

Tanto] Subaudi *Magis*.

Igitur uti] Graphica comparatio. Quemadmodum (inquit) ratiocinatio est ad intellectum, et id quod gignitur, ad id quod est, et tempus ad æternitatem et circulus ad punctum medium : ita mobilis fati series est ad stabilem et immobilem providentiæ simplicitatem.

Ea series] Quatenus fati vis se explicet ostendit.

Indeclinabilem] Inevitabilem.

Fluituras] Fluctuaturas.

Quo fit] Pulcherrima conclusio, et Philosophia sane quam digna.

Quæ vero inquies] Occurrit tacitæ objectioni, quam Boetii verbis subjicit, et ostendit longe aliter Deum atque mortales judicare, Deique judicia esse abyssum multam, et sensibus nostris cogitationibusque inaccessam.

Num] Nunquid.

Degunt] Vivunt.

Censuerint] Existimaverint.

Uti] Quemadmodum.

Temperiem] Temperatam constitutionem.

Num enim dissimile] Pulcherrimam offert comparationem.

A scienti] Deo.

Ignorantes] Homines.

Pestringam] Colligam et breviter complectar.

Æqui] Æquitatis, imitatione Maronis

Lucanus] M. Anneus Lucanus natione Hispanus, patria Cordubensis fuit. Scripsit opus de bello Cæsaris et Pompeii cui titulus Pharsalia, Saturnalia, Silvarum libros decem, tragœdiam Medeam, quam non absolvit, de Incendio Trojæ cum Priami calamitate, Orpheum, fabulas complures et epistolas. Ex libris Pharsaliæ tres primos emendavit cum uxore Argentaria, reliquos imperfectos, atque inemendatos reliquit propter intempestivum interitum a Nerone imperatum. Versus ejus sunt in lib. Pharsaliæ primo :

Nec quidquam jam ferre potest, Cæsarve priorem,
Pompeiusve parem : quis justius induat arma,
Scire nefas, magno se judice quisque tuetur,
Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni.

M. Tullius in oratione pro Quinto Ligario : Causa tamen dubia, quod erat aliquid in utraque parte quod probari posset. Nunc melior certe judicanda est, quam etiam dii adjuverunt.

Familiaris noster] Veri enim poetæ de Philosophiæ familia sunt. Unde ait Horatius :

Scribendi recte sapere est et principium et fons.

Citra spem] Prætor spem et exspectationem tuam.

Sed sit aliquis] Ostendit varias et diversas divinæ dispensationis rationes.

Quidam me quoque excellentior] Theologus Græcus, eoque philosophia præstantior. Nam quod aiunt indocti, excellentior me, id est, per me, plane ridiculum est. Subjecit autem Græcum theologi, quem non dubito inter Christianos præstantem fuisse, versum :

Ἀνδρὸς ἱεροῦ σῶμα δυνάμεις οἰκοδομοῦσι.

In quo animadvertendum ε in dictione ἱεροῦ produci ob liquidam sequentem, ut apud Homerum et Persium μέλος prima syllaba legitur extenta, tametsi quidam mutent ε in η, legentes ἱηροῦ. Latine sic sonat ad verbum facta interpretatio : Viri sacri corpus

B

virtutes ædificavere. Versus autem hunc in modum reddi potest :

Sacri hominis corpus virtutes ædificarunt.

Mista] Partim prospera, partim adversa.

Ne longa felicitate luxurient] Nam ut ait Ovidius :

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est æqua commoda mente pati.

Alios duris agitari sinit] Baptista Mantuanus libro Silvarum secundo :

Rebus adversis agitata virtus
Crescit, et robur cruciata longo
Sumit attritu, meliusque terso
Candicat ore.
Otium clari fugiunt honores.
Nobiles ducit labor ad triumphos,
Sudor insignes iter ad coronas
Monstrat apertum.

C

Tristibus] Adversis.

Probris] Vitiis.

Exercitii] Subaudi *causa*.

Nam ut probis atque improbis] Pulchre ait improbos non solum a probis discordare, sed inter se quoque nullam habere convenientiam : at cum semetipsis discordare, vitiis conscientiam discerpentibus,

Ἀργαλέον δ' ἐμὲ ταῦτα θεῶν ὡς πάντ' ἀγορεύειν.

Græcus versus heroicus est (ni fallor) Homeri, qui ad verbum interpretatus sic sonat : Difficile autem est me sermone explicare, quemadmodum Deus omnia regat, et sua providentia disponat. Versus Latino sermone sic reddi potest :

Difficile est sic hæc me dicere cuncta deorum.

D

Proditor] Productor, conditor.

Haustu] Metaphora ab iter facientibus sumpta, qui haustu vini accepto refecti, pergunt in itinere instituto.

IN METRUM VII

Carmen hoc ejusdem generis est cum quinto primi voluminis. Probat eo Philosophia id quod paulo ante dixit, omnia videlicet mala Deum omnium principem extra reipublicæ suæ terminos eliminare, et omnia in officio continere, ac res omnes alioqui temerariis motibus fluitaturas, optimo temperamento coercere. Revide supra eamdem propemodum materiam in ultimo secundi voluminis carmine.

Celsi] Altissimi.

Jura] Potentiam.

Tonantis] Dei.

Pura] Perturbationibus et vitiis purgata.

Solers] Ingeniosus, perspicax, acuta contemplatione utens.

Cernere] Videre.

Culmina] Sublimes partes.

Illic] In cœlo.

Veterem pacem] Antiquam concordiam.

Phœbes] Lunæ.

Axem] Currum, vehiculum.

Summo vertice] Apud polum septentrionalem, de quo poeta :

Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.

Rapidos meatus] Veloces motus.

Ursa] Græce Ἄρκτος. Higinus scribit effigiem Ursæ stellis figuratam, non occidere. *Negant* (inquit) *Oceani uxorem id recipere, cum reliqua sidera eo perveniant in occasum, quod Tethys Junonis sit nutrix, cui Calisto succubuerat, ut pellex.* Idem etiam docet Ovidius libro secundo Metamorph. Ideo autem revera non occidit, quia cum supra nos sit polus arcticus, semper a nobis videtur. Sic Maro :

Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Oceano tingere flammas] Occidere.

Astrigeris] Cœlestibus.

Vicibus] Per vices.

Sidant] Deorsum vergant, deprimantur.

Iisdem causis] Ex eadem mundi concordia.

Spirat] Spirando emittit.

Florifer] Flores ferens.

Annus] Hic æqualiter in quatuor dividitur partes, juxta illud poeticum :

Temporibusque parem diversis quatuor annum.

Sunt autem ver, æstas, autumnus, hiems. Utque Macrobius ait libro septimo : *Ver Deus omnium fabricator calidum fecit et humectum ; sicca est æstas et calida, autumnus siccus frigidus, hiems humida pariter et frigida est.*

Pomis] Ovidius libro de Remedio amoris primo :

Poma dat autumnus, formosa est messibus æstas.
Ver præbet flores, igne levatur hiems.

Gravis] Plenus, abundans,

Defluus] Deorsum fluens.

Hæc temperies] Moderatio et concordia.

Vitam spirat] Vivit.

Eadem] Temperies.

Condit] Abscondit.

Obitu] Occasu, morte.

Mergens] Obruens.

Conditor] Creator.

Æqui] Æquitatis.

Concitat] Imperat, cogit.

Ire] Moveri.

Sistit] Stare jubet.

Retrahens] Ad se vocans.

Vaga] Mobilia.

Firmat] Stabilit.

Itus] Motus.

Iterum] Rursum.

In orbes flexos] Motus circulares, qui rectis longe A sunt perfectiores.

Discepta] Separata.

Suo fonte] A Deo principio suo.

Fatiscent] Dissolvantur.

Non aliter] Non alio modo.

Refluant] Revertantur.

Causæ] Ad causam primam.

Esse] Essentiam, Sic et supra libro tertio cecinit :

Repetunt proprios quoque recursus,
Redituque suo singula gaudent,
Nec manet ulli traditus ordo,
Nisi quod fini junxerit ortum,
Stabilemque sui fecerit orbem.

Marsilius Ficinus in Commentario, oratione secunda, capite primo : *Trinitatem Pythagorici philosophi omnium mensuram esse voluerunt, ob eam arbitror rationem,* B *quod Deus ternario numero res gubernat, atque etiam res ipsæ ternario numero terminantur.* Hinc Maronis illud :

Numero Deus impare gaudet.

Nempe summus ille auctor primo singula creat, secundo capit, tertio perficit. Singula quoque imprimis ab illo perenni fonte effluunt, dum nascuntur ; deinde in eumdem refluunt, dum suam illam originem repetunt ; postremo perficiuntur, postquam in suum principium redierunt.

IN PROSAM VII.

Ex iis quæ supra eruditissime cum de divina providentia, tum de fatali serie disseruit, pulchram nec minus veram deducit illationem, aiens : Tametsi C vulgo aliter videatur, omnem quidem fortunam esse bonam, cum vel justa sit, vel utilis. Proinde viro sapienti non esse graviter ferendum, si in fortunæ certamen adducatur, quo ejus exercitata virtus magis ac magis enitescat,

Qui] Quomodo.

Nixa] Firmata, sustentata, suffulta.

Inopinabiles] Incredibiles, a vulgi opinione semotas.

Paulo ante] Prosa quarta et sexta hujus libri.

Qui] Cur, quomodo.

Ut] Quomodo, sicut.

Nonne igitur bonum censes] Syllogismus et tertii primæ figuræ modi. Quidquid prodest, bonum est. Fortuna autem exercens aut corrigens, prodest. Est D igitur bona.

Hæc] Fortuna, quæ vel exercet vel corrigit.

Inopinabile] Incredibile et alienum ab opinione sapientum.

Quare inquit] Ex jam dictis infert, viro sapienti minime dolendum, cum adversus asperam fortunam certare cogitur, sic enim virtus et probatur, et magis elucescit. Unde Ovidius :

Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.

Et Silius Italicus libro quarto de Romanis :

Juvat ire periclis
Ad decus, et dextra memorandum condere nomen,
Quale dedit nunquam rebus fortuna secundis.

Rursus in eodem :

Explorant adversa viros, perque aspera duro
Nititur. ad laudem virtus interrita clivo.

Gloriæ propria] Faustus Andrelinus :

Fortia difficiles superantia pectora casus,
Inclyta perpetuæ nomina laudis habent.

Virtus vocatur] Unde virtus appellata sit ostendit, quod suis scilicet viribus nitens, non superetur adversis. M. Cicero libro Tusculanarum Quæstionum secundo : *Appellata est enim ex viro virtus. Viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio. Utendum est igitur his, si virtutis compotes, vel potius si viri volumus esse, quoniam a viris virtus nomen est mutuata.* Lactantius libro de Opificio : *Vir*, inquit, *nominatus est, quod in eo major vis est quam in femina. Et hinc virtus nomen accepit.*

IN METRUM VII.

Trium fortissimorum exemplis ostendit, non nisi per difficilia et ardua iter esse ad virtutem et gloriam. Non igitur detrectandum est certamen, non recusandus labor, quo virtutis et sapientiæ nobis materia suggeritur, juxta poeticos illos versus :

Quisquis enim duros casus [virtutis amore
Vicerit, illi sibi laudemque decusque parabit.
At qui desidiam, luxumque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis, inopsque simul miserabile transigit ævum.

Bis quinis] Decem.

Ultor] Vindex, raptor Helenæ.

Atrides] Agamemon Atrei filius. Horatius in Epist.

Nestor componere lites
Inter Peliden festinat et inter Atridem.

Phrygiæ] Trojæ.

Ruinis] Excidio.

Fratris] Menelai.

Amissos | *thalamos*] Ereptam conjugem Helenam, mulierum longe pulcherrimam.

Piavit] Purgavit. Maro :

Et culpam miserorum morte piabunt.

Sensus est, Raptum Helenæ quem libidinosus Paris perpetravit, Agamemnon vindice bello et Trojæ subversione purgavit. Scelera enim vindicta purgantur emoliunturque.

Ille] Agamemnon. Hic ad bellum Trojanum proficiscens, cum apud Aulidem reliquos Græciæ principes exspectaret, imprudens Dianæ cervam occidit. Quare dea irata, in tantam tempestatem mare excitavit, ut Græcorum classis inde discedere non posset. Cum autem etiam peste laborarent, consultus Calchas, respondit : *Dianæ iram Agamemnonio sanguine esse placandam.* Tandem igitur Agamemnonis quoque consensu adducta Iphigenia, et mactata est. Virgil. Æneidos libro secundo :

Sanguine placastis ventos et virgine cæsa,
Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras.

Alii tradunt Iphigeniam a Diana fuisse sacerdoti subreptam, ac illius loco cervam suppositam.

Graiæ classi] Græcorum navibus.

Redemit] Emit.

Ventos] Subaudi *prosperos.*

Cruore] Sanguine filiæ suæ.

Exuit] Deposuit.

Patrem] Paternam pietatem. Sic Naso.

Postquam pietatem publica causa
Rexque patrem vicit, castumque datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris.

Fœderat] Fœdere facto incidit et mactat.

Natæ] Iphigeniæ.

Itachus] Ulysses.

Sodales] Socios. Propertius :

Paulatim sociam jacturam flevit Ulysses.

Ferus] Truculentus, ab humanitate nimis alienus.

Mersit] Absorpsit, recondidit.

Polyphemus] Hic fuit Neptuni filius ex Thoa Phorci filia, ad quem cum Ulysses in Sicilliam profectus cum duodecim comitibus pervenisset, tres cados optimi vini secum portans, admiratus est magnitudinem, formamque hominis unicum oculum in fronte habentis, qui solus sub antro tollebat lapidem, qualem viginti boum juga vix movere potuissent. Ab eo igitur sciscitatus est Ulysses quod genus hominum, qui mores essent, et per Jovem obsecravit ut liceret sibi tute abire. Ille vero superbe respondens, non timere Jovem dixit, duosque ex comitibus Ulyssis apprehendens, ritu fere immaniter devoravit, totidemque postridie absumpsit prima luce : idem etiam vesperi fecit. Quamobrem Ulysses sibi jam et reliquis timens, cadum optimi vini, quod secum tulerat Polyphemo obtulit, et ut sibi ac cæteris parceret, obsecravit. Quod Cyclops se facturum promisit, si rursus sibi vinum offerret. Oblato itaque tertio poculo mente alienatus, in medio antro immane corpus dormiturus extendit. Hunc igitur Ulysses vino somnoque sepultum animadvertens, immisso in oculum telo excæcavit. Sed exsurgens tandem Cyclops, cum aperire antri ostium gregibus cogeretur, immanem exinde lapidem amovit, verumtamen exeuntes pecudes manibus palpabat. Quod cum Ulysses cum comitibus animadvertisset, induti pecudum pelles, Cyclops manus effugere. Lege Homerum libro Odysseæ nono.

Herculem] Hercules Jovis et Alcmenæ filius fuit, qui robore ac fortitudine cæteris hominibus supra quam credibile est, præstitit. Hujus variæ res gestæ traduntur a Diodoro Siculo, Ovidio, Seneca Tragico, Nicolao Perotto in Cornucopiæ, et cæteris.

Duri labores] Herculei labores proverbialiter celebrantur, de quo noster Erasmus abunde Adagiorum chiliade tertia, proverbio primo.

Centauros] Hi fuerunt Thessali ex anteriori parte viri, ex posteriori equi. Hercules optabat eos e Peleo monte depellere, sed ipse prior injustum bellum nolebat inferre. Curavit igitur a Pholo susceptus hospitio, ut præstantissimi vini cadus promeretur. Odore tracti Centauri, vinum rapere tentaverunt. Hercules occasionem nactus, omnes aut interemit, aut inde fugavit.

Spolium] Pellem, qua pro scuto usus est.

Leoni] Vastus hic et immanis leo fuit, et qui armis domari non poterat. Hercules observato speluncæ aditu, egredientem comprehendit, et strangulavit.

Fixit] Trajecit.

Certis] Inevitabilibus.

Volucres] Stymphalides. Claudianus :

Solus Amazonio cinctus Stymphalidas arcu
Appetis.

Hercules Stymphalides aves ab ipsis nubibus sagittis petiit, enectasque dejecit. Erant autem aves aquaticæ in Stymphalo palude Arcadiæ, tantæ magnitudinis, ut solis radios obumbrare dicerentur.

Poma] Hercules mala aurea ex hortis Hesperidum tulit, dracone, qui ea die noctuque pervigil custodiebat, interempto.

Cernenti] Vigilanti.

Læva] Sinistra manu.

Cerberum] Hurcules audiens Pirithoum a Cerbero infernali cane exstinctum, et Thesea apud inferos detentum, eo properavit, et capto Cerbero, triplicique (quod tria capita haberet) catena devincto, Thesea liberavit.

Victor immitem] Diomedem Thraciæ regem, qui equos suos advenarum carne pascebat occidit: eumque jumentis comedendum objecit.

Hydra] De hac diximus supra : et Claudianus :

Non cadere Antæo, non crescere profuit Hydræ.

Fronte] Cum Hercules et Achelous propter Dejaniram certarent, Achelousque se in varias formas transmutaret, tandem cum in taurum frustra se transformasset, victus Achelous, alteroque cornu mutilatus, pudore se in suum fluvium conjecit. Statius libro Thebaidos quarto :

Et Hercules turpatus gymnade vultus
Amnis, adhuc imis vix truncam attollere frontem
Ausus aquis, glaucoque caput submersus in antro
Mœret, anhelantes ægrescunt pulvere ripæ.

Antæum] Hic Neptuni filius ex terra susceptus, sexaginta cubitis adolevit, ut auctor est Pherecydes. Id diu fabulosum visum est, antequam suprema ejus ossa Olympiam allata miraculo fidem fecissent. Plutarchus ait Romanorum ducem Sertorium apud Tigennam oppidum Libyæ, effosso sepulcro, quod incolæ Antæi dictitabant, humanum cadaver inusitatæ molis invenisse. Antæus (ut fabulantur (pro-

A stratus, a terra matre vires accipiebat, et quidem majores. Ea re cognita, a terra abstinuit Hercules, et sublime domuit. Describit hoc certamen eleganter Lucanus libro Pharsaliæ quarto.

Cacus] Hic secundum Fabulam Vulcani filius fuit, ore ignem ac fumum vomens, qui vicina omnia populabatur. Veritas tamen secundum philologos et historicos hoc habet, hunc fuisse Evandri nequissimum servum ac furem. Sunt qui dicunt eum, occupato circa Vulturnum et Campaniam regno, dum tractat etiam ea quæ concesserant in Evandri Arcadum regis jura, duce Hercule, qui tum forte aderat, oppressum fuisse. De hoc Virgilius libro octavo.

Setiger] Aper. Erymantheum aprum vivum cepit
B Hercules astu, quod narrat Polyenus. Versabatur (inquit) Erymantheus aper in quadam valle nivibus oppleta : quod ubi animadvertit Hercules ex eo vallis supercilio, qua major nivium vis erat, feram jactis lapidibus incessebat : ita irritata, dum in Herculem conatur irruere, incidens in altitudinem nivium, demersaque nullo negotio ab Hercule capta est, quam tergo impositam Mycenas detulit, et in media concione dimisit, cum summa omnium trepidatione (ut canit Apollonius) et in primis Eurysthei, qui se conjecisse dicitur in vas æneum.

Ultimus cœlum]Hercules pro Atlante cœlum humeris sustinuisse dicitur. Claudianus :

Te maximus Atlas
Horruit, imposito cum premerere polo.

C Ad Atlantem profectus est Hercules, cum didicisset a Nereo se malis Hesperidum potiri non posse sine illius ope. Sed interim dum Atlas Herculi operam navat, ipse cœlum subiit : cumque jam recepturus Atlas non videretur, Herculis astu elusus est. Impetrat, ut ille tandiu cœlo succedat, quo afferendo oneri pulvillum sibi aptet, atque ita correptis malis, quæ humi jacebant, evestigio victor abiit.

Pretium] Præmium.

LIBER QUINTUS.

IN PROSAM PRIMAM.

Proximo volumine disseruit Philosophia solos quidem bonos potentes esse, malos autem omnes imbecilles, malum item nihil esse : cum optimi maximi regis providentia, et fatalis necessitatis serie in bonum (ut in finem suum) omnia dirigantur. Ex quo fit quod (uti Boetio perperam videbatur) bonis nunquam mala accidant, quod adversitas eis potissimum virtutis exercendæ materia est juxta Ovidianum :

Scilicet adversis probitas exercita rebus,
Materiam tristi tempore laudis habet.

Verum cum supra dictum sit fatum ab immobilis providentiæ exordiis proficisci, et ita ipsas quoque fatales connexiones immobiles esse oportere, dubium fit, quomodo stare possit humani libertas arbitrii, cum inevitabili divinæ providentiæ fatique necessitate. Frustra quoque credi videtur, casum quidpiam esse : cum nihil cadere possit, quod Dei providentiam non promeruerit. Toto igitur hoc libro de casu liberoque hominis arbitrio disputatur. Primum autem quid sit casus exponitur, idque hunc in modum :
D Casus est inopinatus ex confluentibus causis in his quæ ob aliud geruntur eventus.

Sed quod tu dudum de Providentia dixisti, re experior] Ita est legere in codicibus antiquis. Est autem sensus. Sed experior re, id est, experientia verum cognosco id quod tu dixisti dudum de Providentia, puta talem esse materiam, ut una dubitatione succisa innumerabiles aliæ, velut hydræ capita succrescant. In aliis exemplaribus, additis quibusdam, hæc leguntur. Sed quod tu dudum de Providentia quæstionem pluribus aliis implicatam esse dixisti, re experior.

Hæc] An casus aliquid sit, et quid sit.

Tramite] Methodo, via compendiosa.

Decerno] Statuo.

Nihil ex nihilo existere] Puta naturaliter et per causas particulares. Nam Deus universalis omnium causa ex nihilo mundum creavit.

De operante principio] De causa efficienti.

Rationum] Formarum.

In Physicis] Libro Physicorum secundo.

IN METRUM PRIMUM,

Hoc elegiaco pulchra quadam similitudine docet Philosophia, casum non esse de nihilo, tametsi non sit de agentis intentione. Quemadmodum enim, si duorum fluminum cursus jungantur, naves quoque et trunci in diversis adhuc alveis ab aqua recepti, necessitate fluviorum in unum tandem alveum defluentium conjunguntur, licet hoc præter spem intentionemque accidat: ita et casus, etsi non ex agentis animo fit, suas tamen peculiares causas habet.

Rupis Achemeniæ] Montis Armeniæ aut Parthiæ. Achemenem Parthorum regem Porphyrio voluit esse, et ex Achemenidarum progenie derivatos Persarum reges Herodotus scripsit. Hinc Achemenius Persicus, Parthicus, vel Armenius. Lucanus :

Passus Achemeniis longe decurrere campis.

Scopulis] Saxis prominentibus.

Ubi] Ordo est, Ubi pugna fugax versa figit spicula pectoribus sequentum. Sensus est, E monte majoris Armeniæ, cui juncti sunt Parthi, qui, teste Trogo, cominus in acie præliari, aut obsessas expugnare urbes nesciunt : pugnant itaque aut procurrentibus equis, aut terga dantibus, sæpe etiam fugam simulant, ut incautiores adversum vulnera insequentes habeant : plerumque in ipso ardore certaminis prælia deserunt, ac paulo post pugnam ex fuga repetunt. Unde poeta :

Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis ?

Uno eodemque fonte Tigris et Euphrates oriuntur.

Pugna fugax] Gens Parthorum fugiendo pugnans.

Tigris] Hic a celeritate et cursu nuncupatus est. Nam Tigris Medorum lingua (ut Solinus aliique tradunt) sagittam significat, omniumque fluviorum velocissimum canit Dionysius. Alii tamen a tigride animali dictum volunt Tigrim. Divus Hieronymus : *Tigris*, inquit, *fluvius de paradiso exiens juxta Scripturæ fidem, pergensque contra Assyrios, et post multos circuitus* (*ut vult Josephus*) *in mare Rubrum effluens. Vocatur autem hoc nomine propter velocitatem, instar bestiæ nimia pernicitate currentis.* Hoc nomen, teste Francisco Pico, facit genitivum Tigrios, Tigritos, Tigridos, et Attice Τίγρεως.

Euphrates] Nomen sumpsit ex eo quod bona ferret. De hoc Hieronymus : *Euphrates fluvius Mesopotamiæ, in paradiso oriens.* Porro Sallustius auctor certissimus asserit tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari. Ex quo animadvertimus aliter de paradiso et fluminibus ejus intelligendum. Diodorus Siculus libro tertio : *Post Nilum enim et Gangem flumina totius Asiæ nobiliora, Euphrates ac Tigris ex Armeniæ montibus fontes habent. Distant autem ab invicem stadiis mille et quingentis, delatique per Mediam et Paretanos, descendunt in Mesopotamiam, quam undique circumdantes, regioni nomen indiderunt. Deinde per Babyloniam fluentes, in mare Rubrum deferuntur.* Strabo lib. Geographiæ II : *Crescit Amanus multum in latum et altum, et multifidus est. Pars australior est Taurus, qui Armeniam disterminat a Mesopotamia. Hinc fluunt Tigris et Euphrates, qui Mesopotamiam circumdant, et apud Babylonios invicem cohærent. Deinde in mare Persicum emittunt, quorum Euphrates major est, et plus regionis flexuoso alveo percurrit. Fontes habet in parte Tauri boreali, fluit ad occidentem per Armeniam* (*quæ major appellatur*) *usque in Armeniam minorem, quam a dextris habet, a sinistris vero Lisanam. Deinde ad austrum flexus confiniis jungitur Cappadocum, quæ ad dextram relinquit, ad sinistram Comagenorum confinia, rursumque a Sicinsina, etiam Sophina majoris Armeniæ ad sinistram relicta, progreditur in Syriam, atque iterum flexum alium capit in Babylonios, et Persicum sinum. Tigris ex eodem monte Seleuciam illatus, ad Euphratem accedit, ibique efficit Mesopotamiam : deinde in eumdem sinum intrat. Euphratis ac Tigridis fontes inter se distant ad stadia duo millia et quinquaginta.* Hactenus Strabo.

Uno fonte] Fontibus unius et ejusdem Armeniæ montis, cui teste Strabone nomen est Tauro.

Abjunctis] Separatis.

Quos tamen] Ordo est, Quos vagos casus declivia, id est declivitates terræ, subaudi *tegunt*, et quos casus vagos defluus ordo gurgitis lapsi regit.

IN PROSAM II.

Dubitat hoc loco Boetius sciscitaturque, sitne ulla humani libertas arbitrii, an ipsos quoque animarum motus fatalis necessitas constringat. Cui Philosophia respondet, omni rationali naturæ libertatem adesse arbitrii, sed supernis divinisque substantiis majorem, deinde tametsi non æqualem, tamen proximam humanis animis se in divinitatis contemplatione conservantibus : minus vero liberas eas esse, cum ad corpora dilabuntur, minusque etiam, cum terrenis artubus colligantur. Animadvertendum autem hoc totum ex Platonis opinione dictum, quasi animæ sint, antequam corporibus conjungantur. Extremam vero servitutem esse dicit earum quæ sceleribus mancipatæ propriam amiserint libertatem.

Inscitiæ] Ignorantiæ.

Caligant] Obscurantur, tenebrescunt.

Πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει.

Homerici versus pars est posterior ex Iliados libro tertio, id est, omnia videt, et omnia inaudit :

Aspicit omnia, et omnia inaudit.

IN METRUM II.

Carmen hoc ejusdem generis est cum penultimo quarti voluminis. Præfert eo Philosophia divinæ providentiæ perspicacitatem solis claritati, de quo Homerus :

Sol qui cuncta videt, quique omnia maximus audit.

Hic enim tametsi maximo splendore mirifice refulgeat, terrarum tamen intima penetrare nequit. Providentiæ vero lumen immensum cuncta non inspicit

solum, sed etiam penitissima quæque eorum perspicit. Neque ei ulla vel noctis caligo, vel terræ moles obsistere valet.

Phœbum] Solem.

Melliflui] Melle fluentis.

Canit] Carmine laudat, cum aliubi tum in Iliados tertio, ut et paulo ante dictum est : Et tu, sol, qui universa et vides et audis. Vide Plinium libro Naturalis Historiæ II, cap. 6.

Perrumpere] Penetrare.

Cuncta tuenti] Omnia intuenti. Prisca Sibylla in lib. Justini philosophi et martyris, interprete Francisco Pico :

Unus enim Deus est, solus non editus, ingens,
Omnia conspiciens, non visilis, induperator,
Quem moritura caro potis est comprendere nunquam.

IN PROSAM III.

Hac prosa dubitabundus Boetius de libero hominis arbitrio et Dei præscientia disserit, quæ quo modo simul possint consistere, ut alteri alterum non officiat, minime videt. Nam recepta divinæ præscientiæ necessitate, omnia serie quadam indeflexa constringi tenerique videntur. Quod si ita esset, frustra sperarent homines, aut deprecarentur, quæ futuræ necessitatis legibus implicata mutari alioque converti nequirent.

Aut quid hoc refert vaticinio illo ridiculo Tiresiæ] Sensus est, aut quid, quasi dicat, nihil hoc distat ab illo ridiculo Tiresiæ vaticinio, quod est apud Horatium libro Sermonum secundo :

O Laertiade, quidquid dicam, aut erit, aut non :
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

Tiresias Thebanus, cum forte duos angues coeuntes percussisset, in feminam fuit conversus, ac septem annos in eo sexu durasse fertur. Rursusque cum eosdem serpentes verberasset, in pristinum sexum reversus est. Quod quidem ne quis omnino fabulosum putet, legat et Plinium in septimo Naturalis Historiæ, et divum Augustinum de conjugiis veteris ac novæ, legis, qui asserunt quibusdam id accidisse. Cæterum Tiresias, ab Jove Junoneque contendentibus utrius major in coitu voluptas sit, maris an feminæ, judex electus, majorem esse feminæ voluptatem affirmavit. Qua sententia Juno irata, illum obcæcavit. Jupiter vero pro oculis ademptis ei,

Scire futura dedit, pœnamque levavit honore.

Callimachus et Propertius eo dicunt obcæcatum Tiresiam, quod Pallada nudato corpore se levantem in aquis aspexisset. Hinc proverbium, Τυφλότερος Τιρεσίου, Cæcior Tiresia, de eo qui supra modum cæcutit.

Uti paulo ante cantabas] Carmine sexto quarti libri.

IN METRUM IV.

Carmen est ejusdem generis cum proximo, quo Severinus admirabundus obstupescit, causam desiderans, cur ea duo vera, alterum de divina præscientia, alterum de arbitrii nostri libertate, separatim secretimque perpensa, fidem admittant ; eadem autem conjuncta minime nobis cohærere videantur.

Carptim] Separatim.

Jugari] Conjungi.

Sed mens] Ignorantiæ animi nostri imputat, quod rerum veritatem perspicere non valemus.

Obruta] Oppressa.

Cæcis membris] Corpore caliginem oblivionemque animo inferenti.

Luminis] Intellectus.

Igne] Vigore.

Tenues nexus] Subtiles conjunctiones.

Sed cur] Platonicum hoc est. In dialogo enim Platonis de virtute, qui Menon inscribitur, Socrates Menonem Aristippi et Georgiæ auditorem ad id perducit, quod impossibile est nos investigando aliquid cognoscere ; aut si investigando assequimur cognoscimusque, illud alias cognovimus. Itaque id cognoscere non aliud esse quam reminisci et in memoriam revocare. *Quo enim tramite* (inquit Menon) *investigabis, o Socrates, quod quidem quid sit omnino ignoras, quale tibi proponens, id quod ignoras inquires ; aut etiam si in illud incidas, quonam signo id quod ignoraveras illud esse agnosces*? Cui Socrates, *Intelligo* (inquit) *quid velis, o Menon*; *at tu animadvertisne quam litigiosam argumentationem in medium adduxisti, quod scilicet homo neque quod noscit, neque quod ignorat, inquirit* : *nam si noscit, nulla inquisitione opus est, sed neque quod nescit, id investigat. Non enim novit quid quærat. Quare tandem colligit, nihil investigando nos discere posse, nisi quæ antea scivimus, etiam eodem modo.*

Mentem altam] Divinam.

Cerneret] Contemplaretur.

Summam] Universalem propositionem.

Singula] Singularia.

Neutro est habitu] Boetius cum magis sit Platonicus quam Aristotelicus, medium tamen se præbet inter utrumque philosophum, et eorum concordiam se traditurum aliquando pollicitus est : quod an præstiterit Deus novit. Aristotelis sententia est, nihil incommodi accidere, aliquo modo scire, quod quis discit, et aliquo modo ignorare. Nam nihil absurdi est, si scit quodammodo, ut in universali, quod peculiariter et proprie discit. Sed si hoc modo, ut quatenus discit, sic et scit, inconveniens est. Scit igitur in universali quod ignorat in particulari, et discit in particulari quod scit in universali.

Consulit] In consilium adhibet.

Alte] In divina mente.

Visa] Perspecta.

Retractans] Reminiscens.

Oblitas] Oblivioni traditas. Passive dixit. Sic Maro :

Nunc oblita mihi tot carmina.

Addere partes] Adonius versus, cæteris in carminis fine subjectus.

IN PROSAM IV.

Diluit ea Philosophia quæ Severinus hæsitabundus objecit, et singulatim objectionum nodos enodat, ostendens Dei præscientiam et humani arbitrii libertatem simul consistere. Divus Hieronymus in Jovinianum capite trigesimo secundo : *Liberi arbitrii nos*

condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est. Sicut in bonis operibus perfector est Deus (*non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis et adjuvantis Dei* [*Rom.* IX]) *ut pervenire valeamus ad calcem, sic in malis atque peccatis semina nostra sunt incentiva, et perfectio diaboli, cum viderit nos super fundamentum Christi ædificare fenum, ligna, stipulam* (*I Corinth.* III), *tunc supponit incendium.*

Quod ita demum] Quod Boetius liberum arbitrium per Providentiam nobis auferri suspicabatur, ejusmodi ratione colligit : Quidquid est futurum, aut necessario est futurum, aut contingenter. Si necessario, perit libertas arbitrii. Si contingenter, qui potest esse præscientia, cum de contingentibus non sit scientia, sed magis conjectura ? Primum igitur incipit Philosophia ostendere præscientiam futuris rebus necessitatem non imponere, deinde probat de contingentibus et incertis certam apud Deum esse posse præscientiam.

Quæro enim] Hoc loco Philosophia tuetur aliquo modo rationem eam quam supra Boetius omnino improbavit, non eo futura evenire quod Deus ea prævidit, sed quia futura sunt, Deum prævidisse. Hæc ratio bona est in eo quod liberum arbitrium a necessitate vindicat ; verum in hoc falsa, quod futura præscientiæ causam ponit.

Quæ quia præscientiam] Sensus est, Quæro ex te, Severine, cur illam solventium rationem minus efficacem putes, an ideo quod præscientiam futuris rebus causam necessitatis esse non existimes : verum age modo si necessario res futuras sentis, unde trahis istius causam necessitatis, nisi ex præscientia ? Si igitur tibi demonstravero hanc prænotionem divinam non imponere futuris necessitatem, [quod et tute paulo ante fatebaris, nihil erit quo liberum arbitrium impediri putes.

Quantum ad hoc attinet] Id est ad hanc conclusionem, quæ ait, præscientiam esse necessitatis futurorum causam.

Sed præscientia, inquies] Tacitæ questioni occurrit, Si forte Severinus objecisset hunc in modum : Esto ut nulla sit futuris ex præscientia necessitas, est tamen signum ea necessario esse futura. Huic Philosophia sic respondet. Pari ratione etiam si nulla foret prænotio, necessarius futuri constaret eventus. Cujus rei ratio hæc est. Signum non efficit rem eam cujus est signum, sed tantum quid sit ostendit. Verbi gratia : Hedera ante cauponam suspensa vinum venale significat, non efficit ut id sibi venale habeatur.

Quasi vero] Sensus est, Non laboramus an eventura sint quæ præsciuntur, sed an suapte natura ut eveniant necessitatis aliquid patiantur.

Sed hoc, inquies] Solvit eam dubitationem Philosophia quam Severinus supra his verbis proposuit. Si quid ita futurum est, ut ejus certus ac necessarius non sit eventus, id eventurum esse præsciri qui poterit ?

Cujus erroris causa] Nunc Philosophia tollendæ alteri

A Boetianæ dubitationi se accingit, quæ est, an de incertis ulla possit esse præscientia, cum scientia nihil nisi certum comprehendatur. Proinde si incerta pro certis prævideantur, id non esse præscientiam, sed opinionis caliginem putat. Diluens autem hæc objecta, Philosophia dicit hujus erroris causam esse quod opinamur omnia quæ cognoscuntur, suapte natura, non vi aut facultate cognoscentium, comprehendi, quod falsum est. Si enim cognitio rei quidem quæ cognoscitur, non autem cognoscentis facultatem sequeretur, res ab omnibus uno eodemque modo cognoscerentur, neque foret divinæ humanæque intelligentiæ discrimen ullum, quod quam sit falsum quis non videt ?

B *Ille*] Visus.

Eminus] E longinquo.

Jactis] Emissis. Hoc loco Platonis opinionem sequitur, cui reclamat Aristoteles : quem impudentissima theologistarum turba contra veterum eorumdemque doctissimorum theologorum sententiam nihil verita est in cœlum recipere. Sed supra hoc alibi commodius. Stoici causas esse videndi dicunt, radiorum ex oculis in ea quæ videri queunt emissionem, aerisque simul intentionem. Democritus et Epicurus opinantur per imaginum insertus visualem potentiam accidere, radiosque quosdam ab oculis exertos, simul atque subjectæ rei institerint, rursus in eosdem redire insertarique. Aristoteles acutissimo vir ingenio, sed Platone inferior, existimat visionem fieri rei visibilis specierum intra oculos receptu. Empedocles imaginibus

C radios immiscuit, idque conjunctim imaginis radios vocavit. Hipparchus autumat ab utroque oculo ad corporum lineamenta exporrectos, perinde atque manuum admotu corpora summa pertrectante apprehensionem eorum ad visualem vim referre. Plato per corradiantiam visum fieri existimat, lumine ab oculis quidem exerto ad aliquantum intervalli per cognatum sibi aerem effluente, a corporibus vero illato occursante illi, aeremque intermedium diffusum amolituque facilem cum visuali igne intendente. Hæc enim dicitur corradiantia Platonica.

Hic] Tactus.

Orbi] Corpori rotundo.

Intelligentia] Intellectus incorporeus et a materia

D sejunctus. Exemplis ostendit in cognoscendo omnia suapte potius facultate quam eorum quæ cognoscuntur uti.

IN METRUM V.

Hoc carmine Glyconico Stoicos erroris jam dicti seminatores, puta quod res ex sua potius natura quam cognoscentium facultate comprehendantur, acriter incessit Philosophia, eorumque opinionem confutat. Aiebant ii cognitionem solum ab exteriorum corporum similitudinibus animo impressis perfici. Quod si verum foret, mens pateretur ab externis rebus, sed in confesso est apud omnes qui recte philosophantur, intellectum esse activum, mentemque, quando intelligit agere, non pati.

Porticus] Stoicos significat, de quibus in primo commentario diximus.

Obscuros] Ex quorum verbis implicatis vix potest colligi sententia.

Qui] Stoici.

Sensus] Sensiones.

E corporibus extimis] Ex rebus exterioribus. Licenter autem produxit, quæ corripienda est. Sed videtur veteres imitatus, qui dixerunt corpus et corpor, sicut decus et decor, algus et algor, frigus et frigor.

Ut] Quemadmodum.

Quondam] Aliquando.

Æquore] In planitie, superficie, plano spatio.

Notis] Prima contracta, id est signis qua corpora extrinsecus imprimunt.

In vicem] Ad similitudinem.

Notio] Cognitio.

Quæ vis] Potentia. Sciendum tria esse genera intellectionum, quorum primum dicitur simplicium apprehensio : hinc est quod ait, Singula prospicit, hoc est, singulatim et secretim rem unamquamque et simpliciter intelligit. Secundum, compositio aut divisio, unde est : Aut quæ cognita dividit ? Quæ divisa recolligit ? Tertium, ratiocinatio, qua ex notis ea quæ ignota erant : assequimur. Hinc dicit Tum sese referens sibi, Veris falsa redarguit.

Legens] Transiens, percurrens.

Alternum iter] Modo ascendendo ab infimis ad suprema, modo descendendo a summis ad ima.

Desidit] Media externa, id est descendit.

Tum] Deinde.

Referens] Reducens, et quasi in orbem ratiocinando recolligens.

Præcedit] Hoc loco, ut fere solet, Platonem exprimit, qui rerum species ab initio animæ insitas existimavit, sed contagione terreni corporis eam sopitam degravatamque non agere, nisi externorum sensuum passione excitetur ; excitatam vero specie, quam sensus exterior impressit, evocari ; et conjuncta specie interna cum ea quam extrinsecus accepit, tum demum intelligere.

IN PROSAM V.

Ex eo quod supra tractatum est, cognitionem non rei quæ noscitur naturam, sed cognoscentis vim facultatemque sequi, ostenditur Deum incerti eventus futura ut certa præscire, tametsi hoc humana ratio minime concipiat. Nam si cognoscentis naturam sequitur, tenendum est diversis substantiis diversas esse cognoscendi facultates, quarum alia præstet alii : ita ut quæ perfectio sit, inferiores quoque in se habeat, imperfectiores ad eam quæ præstantior est, aspirare non queant. Neque enim sensus et imaginatio ad rationis judicium sese attollunt, neque ratio potest comprehendere divinæ intelligentiæ modum, qui longe est absolutissimus, et futura nobis incerta certissima præscientia complectitur.

IN METRUM VI.

Carmen est Archilochium dactylicum constans dactylico bucolico tetrametro, id est tribus dactylis, A vel spondeis, vel alternis, et quarto pede tantum dactylo partem orationis finiente, deinde tribus trochæis. Et Philosophia humanæ naturæ dignitatem præstantiamque commemorat, atque hominem ex fortunæ habitudine staturaque ad cœlestium rerum amorem contemplationemque admoneri, ut qui ex omni animantium genere solus despectet humum, vultuque sublato cœlum suspectet.

Alio extento] Ut serpentes et animalia reptilia.

Enatet] Evolet ; metaphora est notissima.

Transmittere] Transire. Veteres dixerunt tramitto pro transmitto.

Prona] Terram versus inclinata. Ovidius :

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
B Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

M. Tullius Cicero libro de Legibus primo : *Artes innumerabiles repertæ sunt docente natura, quam imitata ratio res ad vitam necessarias solerter consecuta est. Ipsum autem hominem de eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed et sensus tanquam satellites attribuit, figuramque corporis habilem atque aptam ingenio humano dedit. Nam cum cæteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit ad cœlique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit : tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditores effingeret.* Silius Italicus libro XV .

Nonne vides hominum ut celsos ad sidera vultus
Sustulerit Deus, ac sublimia finxerit ora,
Cum pecudes, volucrumque genus, formasque ferarum
Segnem atque obscenam passim stravisset in alvum?
C Ad laudes genitum capiat si munera divum,
Felix ad laudes hominum genus.

Lactantius libro secundo de Origine erroris, capite item secundo : *Juvat ergo velut in aliqua sublimi specula constitutum, unde universi exaudire possint, Persianum illud proclamare* :

O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes.

Cœlum potius intuemini, ad cujus spectaculum vos excitavit ille artifex verus Deus. Ille vobis sublimem vultum dedit, vos in terram curvamini. vos altas mentes, et ad patrem suum cum corporibus suis erectas, ad inferiora deprimitis, tanquam vos pœniteat non quadrupedes esse natos. Fas non est cœleste animal cum terrenis in terramque vergentibus versari. Quid vos beneficiis cœlestibus orbatis, pronique in terram vestra sponte pro- D *cumbitis ? Humi enim miseri volutamini, cum deorsum quæritis quod in sublimi quærere debuistis ?* Divus Ambrosius, libro Hexaemeron sexto : *Cave, o homo, pecudum more curvari, cave ne in alvum te non tam corpore quam cupiditate deflectas. Respice corporis tui formam, et speciem congruentem celsi vigoris assume. Si sola animalia prona pascantur, cur te in edendo sternis ipse, quem natura non stravit ? Cur eo delectaris in quo naturæ injuria est ? Cur noctes et dies cibo intentus pecorum more terrena depasceris ? Cur illecebris corporalibus deditus ipsum te inhonoras, dum ventri atque ejus passionibus deservis ? Cur intellectum tibi adimis, quem tibi creator attribuit ? Cur te jumentis comporas, a quibus te voluit Deus segregari. dicens : Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus ? Aut si*

te edacitas equi, intemperantiaque delectat, et adhinnire ad feminas voluptati est, delectet in freno maxillas tuas chamoque constringi. Si crudelitate pasceris, ferarumque hæc rabies est, quæ propter sævitiam trucidantur, vide ne in te quoque crudelitatis tuæ vertatur immanitas.

IN PROSAM VI.

Hac ultima hujus eruditissimi cultissimique operis prosa, docet ex Dei providentia consiliis hominum actionibusque nihil necessitatis imponi, idque vel potissimum hac ratione. Deum æternum esse, cunctorum ratione degentium commune est judicium. Æternitas autem est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio : in qua quidem nihil est præteritum, nihil futurum, verum præsentia sunt omnia. Cognitio vero (ut paulo ante disputatum est) modum sequitur et naturam cognoscentis ; at modus cognoscendi in Deo est tum æternus, tum præsentarius. Omnia igitur tanquam præsentia scit Deus : unde et providentia potius quam prævidentia dicitur, quasi ab excelso rerum culmine infima quæque prospiciat. Sed quæ præsentia videntur, nullam ab his a quibus conspiciuntur necessitatem accipiunt, cum nihil rebus, dum geruntur, necessitatis imponat intuitus. Proinde divina providentia res futuras, quas tamquam præsentes conspicit, nulla necessitate astringit. Uti enim nos temporario hoc nostro præsenti quædam sine necessitate videmus, ita Deus omnia simul suo æterno contuetur, nec ob id vel rerum naturam proprietatemque mutat, vel judicia confundit. Divus Gregorius libro Moralium x : *Præscire dicitur qui unamquamque rem antequam veniat videt, et id quod futurum est prius quam præsens fiat prævidet. Quomodo Deus est præscius, dum nulla, nisi quæ futura sunt, præsciantur ? Et scimus quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita non transeunt, futura non veniunt, quippe quia omne quod nobis fuit et erit in ejus prospectu præsto est, et omne quod præsens est scire potest potius quam præscire. Et quia ea, quæ nobis futura sunt videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur : quamvis nequaquam futurum prævidet, quod præsens videt. Nam et quæcunque sunt, non in æternitate ejus ideo videntur, quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur. In illo enim nec præterita. nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant : et quæ in seipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo præterit, quod transit quia in æternitate ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumina sæculorum transeuntia manent, currentia stant.* Hæc ex Græegorii Moralibus carptim desumpta collegimus, eo quod ad hunc locum non nihil facere videbantur.

Deum quidem æternum] Differunt æternum et perpetuum. Æternum enim dicitur quod interminabilis vitæ plenitudinem simul complectitur permanendo. Perpetuum, quod vitam eundo continuat.

Scientia quoque ejus] Divo Aurelio auctore, libro de Civitate Dei undecimo, capite vigesimo primo : *Deus non more nostro vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit, vel quod præteritum est respicit, sed alio modo quodam a nostrarum cogitationum consuetudine longe lateque diverso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt, ita ut illa quidem quæ temporaliter fiunt, et futura nondum sint, et præsentia jam sint, et præterita jam non sint : ipse vero hæc omnia stabili ac sempiterna præscientia comprehendat, nec aliter oculis, aliter mente. Non enim ex animo constat et corpore. nec aliter nunc, aliter antea, aliter postea : quoniam non sicut nostra, ita ejus quoque scientia trium temporum, præsentis videlicet et præteriti vel futuri varietate mutatur, apud quem non est immutatio, nec momenti obumbratio. Nec enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cujus incorporeo contuitu simul adsunt cuncta quæ novit : quoniam tempora ita novit nullis suis temporalibus notionibus, quemadmodum temporalia movet nullis suis temporalibus motibus.*

Hic si dicas] Repetit objectionem supra motam, eamque diluit ejusmodi ratione, quam nemo nisi divinorum speculator intelligat.

Duæ sunt etenim necessitates] Dilutionem objecti, tum latius, tum planius exponit, ostendens duo esse necessitatis genera, alteram quidem simplicem et absolutam, alteram vero necessitatem conditionis.

Quia igitur refert] Id est interest.

Hoc scilicet] Subaudi refert, et diluit motam dubitationem.

Sed si in mea, inquies] Aliam affert objectionem, quam pro materiæ qualitate sat luculento sermone diluit.

Quid igitur, inquies] Rursus aliam proponit dubitationem, quam et mox removet, et refellit.

Quæ cum ita sint] Concludit humani libertatem arbitrii et divinam præscientiam simul consistere : super qua re latius lege et relege Dialogum Laurentii Vallæ, qui juste ne taxet Severinum nostrum, meliusque eo hanc materiam expediat, an sophisticis cavillis agat, et oratoriis fucis obducat veritatem, non est nunc meæ facultatis judicare. Verum id censuræ doctioribus relinquo.

Spectator] Salomon Proverbiorum cap. xv : *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos*, Hieronymus in quadam epistola : *Omnium speculatorem Deum crede, et cave ne quid quod divinis oculis indignum sit, aut opereris, aut cogites.*

Bonis præmia] Baptista Mantuanus :

Et scelus a superis, et habet sua præmia virtus.

Aversamini] Pulcherrima adhortatio ad pulcherrimas virtutes sub hujus operis pulcherrimi finem.

Judicis cuncta cernentis] Aurelius Prudentius in Hymnorum libro :

Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, aut manus,
Oculive peccent lubrici :
Ne noxia corpus inquinet.
Speculator astat desuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter.
Hic intuetur quidquid

Humana quod mens concipit.
Hunc nemo fallit judicem.

Ludovicus Gibus ad Titum :

Vivere flagitio si vis, Tite, liber ab omni,
In desolato sit tua vita loco.
Atque ibi quidquid ages, fortimve palamve, memento
Inspectatorem semper adesse Deum.

PROTESTATIO

In his Commentariis et cæteris quæ vel edidimus, vel Dei gratia sumus edituri, nihil omnino approbamus nisi quod a catholica tantum Ecclesia decretum atque assertum fuerit, semper parati et verum a recte sentientibus edoceri, et superbis sophistis, veritate patrocinante, refragari.

CATALOGUS

AUCTORUM TAM GRÆCORUM QUAM LATINORUM

QUORUM PULCHERRIMA DICTA IN HIS COMMENTARIIS MURMELLII IN LIB. BOETII DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ VEL RECITANTUR VEL EXPLICANTUR.

A

Accius.
Acron.
Æmilius Probus.
Agnellus.
Alexander Hegius.
Algateles,
Ambrosius.
Anaxagoras.
Angelus Politianus.
Antonius Codrus Urceus.
Antonius Mancinellus.
Apollo Pythius.
Apuleius.
Aratus.
Aristippus.
Aristophanes.
Aristoteles.
Asconius.
August. Dathus.
Aulus Gellius.
Aurelius Augustinus.
Ausonius.
Avicenna.

B

Baptista Mantuanus.
Bessarion.
Bocatius.

C

Callimachus.
Calphurnius.
Cassiodorus.
Cato.
Catullus.
Cebes Thebanus.
Christoph. Laudinus.
Cicero.
Cinna.
Claudianus.
Clemens.
Cleobulus.
Cornelius Celsus.
Cornelius Tacitus.
Cyprianus.

D

David psalmographus.
Democritus.
Demosthenes
Diodorus Siculus.
Diogenes Cynicus.
Diogenes Laertius.
Donatus.

E

Ecclesiastes.
Empedocles.
Ennius.
Epimenides.
Erasmus Roterodamus.
Eratosthenes.
Euripides.
Eusebius.
Eutropius.

F

Faustus Andrelinus,
Festus Pompeius.
Florus.
Franciscus Petrarcha.
Franciscus Philelphus.
Fulgentius.

G

Georgius Merula.
Georgius Valla.
Georgius Magnus.
Guarinus Veronensis.

H

Hermannus Buschius.
Herodotus.
Hesiodus.
Hieronymus.
Higinus.
Hipparchus.
Homerus.
Horatius.

I

Isaccius.
Isaias propheta.

J

Jacobus apostolus
Jacobus Bononiensis.
Jamblicus Platonicus.
Joannes Ædicollius
Joan. Cæsarius.
Joan. Campanus.
Joan. Evangelista.
Joan. Franciscus Picus.
Joan. Picus Mirandula.
Josephus.
Julius Cæsar.
Julius Capitolinus.
Justinus.
Juvenalis.
Juvencus.

L

Lactantius.
Laurentius Valla.
Leonardus Aretinus
Lucanus.
Lucianus.
Lucilius.
Lucretius.
Ludovicus Bigus.

M

Macrobius.
Malachias propheta
Manlius Antiochenus poeta.
Mar. Antonius Sabellicus.
Marcus Varro.
Marsilius Ficinus.
Martialis.
Martianus Capella.
Matthæus evangelista.
Matth. Palmerius.
Maximianus poeta.
Menander.
Michael Fernus.
Moses.

N

Nicolaus Crescius.
Nicolaus Perottus.
Nicolaus Valla.
Nigidius.

O

Origenes.
Ovidius.

P

Pacuvius.
Papinius.
Permenides.
Paulus Cortesius.
Pausanias.
Periander.
Persius.
Petronius Arbiter.
Pherecydes.
Philippus Beroaldus.
Philo Judæus.
Philostratus.
Phocas grammaticus.
Phocylides.
Pindarus.
Pius Baptista Bononiensis.
Platina.
Plato.
Plaustus.
Plinius.
Plutarchus.
Polienus.
Pomponius Mela.
Prisca Sibylla.
Priscianus.
Procopius.
Prodicus sophista
Propertius.
Prosper.
Prudentius.
Ptolemæus.
Publius mimograph.
Pythagoras.

Q

Quintilianus.

R

Raphael Volaterranus.
Regum Historia sacra.
Rudolphus Agricola.
Rudolphus Langius.

S

Sallustius.
Salomon.
Sapientiæ liber.
Seneca.
Septimius.
Servius.
Sext. Turpilius.
Sinodius Apollinaris.
Silius Italicus.
Simonides.
Socrates.
Solinus.
Solon,
Spartianus.
Speusippus.
Statius.
Stesichorus.
Strabo.
Suetonius
Suidas.
Symmachus.

T

Terentianus.
Terentius.
Tertullianus.
Theodoricus rex.
Theophrastus.
Thomas Aquinas.
Thucydides.
Tibullus.
Titinnius.
Titus Livius,
Tobiæ liber.
Tranquillus.
Trogus.

V

Valerius Maximus.
Virgilius.

X

Xenophon.

Z

Zeno.

AN. MANL. SEV. BOETII
DE UNITATE ET UNO.

Unitas est qua unaquæque res dicitur esse una: sive enim sit simplex, sive composita, sive spiritualis, sive corporea, res unitate una est, nec potest esse una nisi unitate, sicut alba nisi albedine, nec quanta nisi quantitate. Non solum autem unitate una est, sed etiam tandiu est quidquid id quod est, quandiu in se unitas est. Cum autem desinit esse unum, desinit esse id quod est; unde est hoc: Quidquid est, ideo est quod unum est, quod sic ostenditur. Omne enim esse ex forma est in rebus creatis, sed nullum esse ex forma est, nisi cum forma materiæ unita est. Esse enim non est nisi ex conjunctione formæ cum materia. Unde philosophi dicunt illud describentes: Esse est existentia formæ in materia. Cum autem forma materiæ unitur, ex conjunctione utriusque necessario aliquid unum constituitur. In qua constitutione illud unum non permanet, nisi quandiu unitas formam cum materia tenet. Sed destructio rei non est aliud quam separatio formæ a materia; sed separatio et unitio contraria sunt, igitur separatione si res destruitur, profecto in suo esse non nisi unitate conservatur. Unitio autem non fit nisi ab unitate qua est, ab unitione quod erat unum dissolvitur. Soluta autem unione, destruitur essentia ejus, quod ex earum unitione provenerat, et fit non unum. Quapropter sicut unitate res ad esse ducitur, sic et in illo esse custoditur. Unum esse et unum inseparabiliter comitantur se, et videntur simul natura, quia enim creator unus est, ideo rebus quas condidit hoc in munere dedit, ut unaquæque esset etiam una. Ac per hoc ex quo res habet esse, una est: ideo motus substantiarum est ad unum, et propter unum, et nihil eorum quæ sunt appetit esse, sed omnia sicut appetunt. Habere autem esse non possunt nisi unum, ideo omnia ad unum tendunt. Unitas enim est quæ unit omnia et tenet omnia diffusa in omnibus quæ sunt. Quapropter quia materia non habet esse nisi per unionem sui cum forma, forma autem non tenet unitatem cum materia, nisi unitas sit, ideo materia eget unitate ad uniendum se, et de natura sua habet multiplicari, dividi et spargi. Unitas vero retinet, unit et colligit, ac per hæc ne materia dividatur et spargatur, necesse est ut ab unitate retineatur. Quidquid autem per se non unitur, per se utique spargitur, quia omnis quæ facit aliquam rem contrariam agenti, facit contrariam factæ rei. Contrariorum enim contrarii sunt effectus: quia unitas facit unum, profecto materia facit divisionem, ac per hoc unitas per se retinet materiam. Sed quidquid per se retinet, non potest facere separationem. Forma ergo existens in materia est quæ perficit et custodit essentiam cujuslibet rei. Unitas est descendens a prima unitate quæ creavit eam. Prima enim et una unitas, quæ est

A unitas sibiipsi, creavit aliam unitatem quæ est infra eam. Sed quia omne creatum diversum est a quo creatum, profecto creata unitas a creante omnino diversa esse debuit, et quasi opposita. Sed quia creatrix unitas non habet principium neque finem, nec permutationem, nec diversitatem, ideo creatæ unitati accidit multiplicitas, diversitas, et mutabilitas, ita ut in quadam materia sit habens principium, ut in generatis, et finem, in quodam vero ut in creatis principium et finem, quia in quibusdam subjacet permutationi et corruptioni. In quibusdam enim materia est subtilis, simplex, remota a contrarietate et separatione, perficitur autem ei unitas et unitur cum ea sicut hæc et illa. Sicut non divisibile in actu, sicut B in cœlestibus corporibus, in quibusdam unitas a materia inseparabilis est, et ideo carent fine, quia perpetua sunt. In quibus vero materia fuerit spissa, debilis non adæquatur eis unitas, sed debilitatur in uniendo eorum essentiam, et ob hoc dissolvitur essentia eorum, quia non retinetur ab unitate sicut in generatis quæ habent principium et finem. Quanto enim unaquæque unitas propinquior fuerit primæ et veræ unitati, tanto materia formata per illam erit magis una et simplex; et e converso, quanto remotior fuerit a prima unitate, tanto erit multiplicior et compositior, et ob hoc unitas quæ duxit ad esse materiam intelligentiæ est magis una, et simplex, et non multiplex, nec divisibilis essentialiter: sed si divisibilis est, hoc siquidem accidentaliter est, et ideo C hæc unitas simplicior, et magis una est omnibus unitatibus quæ ducunt ad esse cæteras substantias, eo quod immediate adhæret primæ unitati quæ creavit eam. Sed quia unitas subsistens in materia intelligentiæ est unitas simplicitatis, ideo necessario unitas subsistens in materia animæ, quia infra eam est, crescit et multiplicatur, et accidit ei mutatio et diversitas, et sic paulatim descendendo a superiori per unum gradum materiæ inferior unitas augetur et multiplicatur quousque pervenietur ad materiam quæ sustinet quantitatem, scilicet, substantiam hujus, quæ quia a prima unitate remotissima est, et propter spissitudinem crassitudine sua opposita substantiæ superiori quæ est subtilis et simplex, quoniam illa est subjectum principii et initii unitatis. Finis vero D multum distat a principio, quoniam finis non est dictus nisi defectus virtutis principii et terminus, unde secundum descensum unitatis a superiore ad inferius fit degeneratio, sive simplicitatis et minorationis suæ virtutis, ad similitudinem aquæ quæ in ortu suo subtilis et clara nascitur, sed paulatim deorsum fluens in paludibus et stagnis inspissatur et obscuratur: sic paulatim variatur unitas propter varietatem materiæ quæ sustinet eam; nam quia aliquid est materiæ,

spirituale et aliquid corporale, est aliquid ejus purum et lucidum et aliquid ejus spissum et obscurum, et hoc propter qnantitatem, ejus partes in aliquibus sunt rariores, ut in aere; in aliquibus vero strictiores, ut in lapide. Ideo unaquæque res materiæ, secundum gradum suæ elongationis, a prima unitatis origine recipit unitatem, quæ dignior est ex sua aptitudine: inde est quod videmus partes ignis nimis unitas, simplices et æquales adeo, quod forma ejus videtur una, non habens in se diversitatem. Partes vero aeris et aquæ invenimus magis diversificatas et separatas, adeo quod partes eorum et unitates discerni possunt. In duris autem corporibus et spissis unitatis jam major diversitas et obscuritas est. Quia igitur materia in supremis formata est intelligentiæ forma, et forma rationalis animæ, deinde postea forma animæ sensibilis, deinde forma animæ vegetabilis, deinde forma naturæ, ad ultimum autem finis est forma corporis, hic non accidit ex diversitate virtutis agentis, sed ex aptitudine materiæ suscipientis. Forma enim est quasi lumen, eo quod sicut per lumen res videtur, sic per formam cognitio et scientia rei habetur, non per materiam; sed hoc lumen in quibusdam est clarius, in quibusdam obscurius, prout materia cui infunditur forma est clarior et obscurior. Quo enim materia fuerit sublimior, fit subtilior et penetratur tota a lumine, et ideo substantia ipsa sapientior et perfectior, sicut intelligentia et rationalis anima. Et e converso quo materia fuerit inferior, fit spissior, et obscurior, et non ita penetratur a lumine, quo materia magis descendit, sicut jam supra dictum est, constringitur, et spissatur et corpulentatur, et partes ejus mediæ prohibent ultimas perfecte penetrari a lumine. Non enim est possibile ut tantum luminis penetret secundam, quantum primam, nec ad tertiam tantum luminis perveniat quantum ad mediam, et sic paulatim donec pervenietur usque ad partem materiæ infimam. Quæ quia remotissima est a fonte luminis, lumen debilitatur in illa, nec tamen hoc, sicut dictum est, propter lumen in se, sed propter multam debilitatem et obscuritatem materiæ in se. Quemadmodum lumen solis, cum admiscetur tenebroso aeri, non est illius virtutis cujus est admistum claro aeri; vel quemadmodum pannus albus tenuissimus cum induitur a corpore nigro occultatur candor ejus propter abundantiam nigredinis; vel quemadmodum si tres vel plures fenestræ vitreæ una post aliam recte contra radium solis disponantur in ordine, constat siquidem quod secunda minus recipit luminis quam prima, et tertia minus quam secunda; et sic usque ad ultimam fit defectus luminis non propter lumen in se, sed propter elongationem fenestræ vitreæ a lumine: ita ut lumen formæ unitatis quod infusum est materiæ descendendo fiat debile et obscurum, ita primum ejus multum discrepet a medio, et medium ab ultimo, et propter hanc diversitatem formæ unitatis, non uno modo, sed pluribus, dicitur aliquid ab unitate unum. Unum enim aliud est essentiæ simplicitate

A unum, ut Deus; aliud simplicium cognitione unum, ut angelus et anima, quorum unumquodque est unum conjunctione materiæ et formæ. Aliud est continuitate unum, ut arbor et petra. Aliud est compositione unum, ut ex multis tabulis una arca, vel ex multis parietibus una domus. Alia dicuntur unum aggregatione, ut populus, grex, congeries lapidum, vel acervus tritici. Alia dicuntur propositione unum ut rector navis, et gubernator civitatis dicuntur unum, similitudine officii. Alia dicuntur unum accidente, ut diversa subjecta ejusdem qualitatis dicuntur unum in ea qualitate, sicut nix et cygnus unum sunt albedine. Alia dicuntur unum numero, ut diversa accidentia quæ eidem subjecto insunt dicuntur unum B numero, id est in numerando, ut hoc dulce, et hoc ceruleum, vel hoc longum, vel hoc latum. Alia dicuntur unum ratione, sed hoc duobus modis, quia ratione consortii, ut ens, intellectus et res, aliquid et vocabulum unum genus; vel ratione unius sacramenti, ut spiritus, aqua et sanguis dicuntur unum. Alia dicuntur natura unum, ut participatione speciei plures homines unus. Alia dicuntur unum natione vel lingua, ut multi homines dicuntur una gens vel una tribus. Alia dicuntur unum more, sed hoc duobus modis, vel quia secundum consensum virtutis et dilectionis, ut multitudinis credentium erat cor unum et anima. Vel secundum consensum ejusdem vitii plures homines dicuntur unum, ut qui adhæret meretrici unum corpus efficitur. Sic omnia unitatem C appetunt, ut etiam ea multa sunt quæ unum dici volunt. Quæcunque enim sunt idem quod sunt ut vera unitate esse nituntur, ut eam simulando nituntur. Quidquid enim vel est unum, vel est plura. Pluralitas autem non est nisi ex aggregatione unitatum; quæ unitates si sunt disgregatæ, faciunt multitudinem; sin vero fuerint continuæ in materia, faciunt magnitudinem. Quapropter inter unitates quantitatis discretæ et unitates quantitatis continuæ subsistentis in materia nihil interest, quia illæ disgregatæ sunt et illæ continuæ. Continuum genus non est nisi ex discreto, quia intellectus continuitatis non est in continuo, nisi continuatio disgregatorum. At propter hoc necesse est ut continua quantitas non D adveniat in substantia nisi ex unitatibus. Quando enim partem quantitatis signaveris, necesse est ut sit unum vel plura. Sed omnis pluralitas (ut dictum est) ex unitatibus est. Unde aperte datur intelligi quod discretæ et continuæ quantitatis radix una est, eo quod composita sunt ex una re, et resolvuntur ad unum. Et etiam quia corporis partes quo magis fuerint sibi conjunctæ et constrictæ, ipsum corpus erit spissius et magis quantum, ut lapidis: et e converso quo magis fuerint partes corporis dissolutæ et latæ, ipsum erit subtilius et levius et minus quantum, ut aer. Verum est igitur quod continua quantitas non venit in substantiam, nisi ex conjunctione et constructione unitatum in illa. Unitas igitur est qua unaquæque res una est, et est id quod est.

AN. MANL. SEV. BOETII
DE ARITHMETICA
LIBRI DUO.

PRÆFATIO.

In dandis accipiendisque muneribus, ita recte officia, præcipue inter eos qui sese magnifaciunt, æstimantur, si liquido constabit, nec ab hoc aliud quod liberalius afferret inventum, nec ab illo unquam, quod jucundius benevolentia complecteretur acceptum. Hæc ipse considerans, attuli non ignava opum pondera, quibus ad facinus nihil instructius est, cum habendi sitis incanduit. Ad meritum nihil vilius, cum ea sibi victor animus calcata subjecit, sed ea quæ ex Græcarum opulentia litterarum, in Romanæ orationis thesaurum sumpta conveximus. Ita enim mei quoque operis mihi ratio constabit, si quæ ex sapientiæ doctrinis elicui, sapientissimi judicio comprobentur. Vides igitur ut tam magni laboris effectus, tuum tantum exspectet examen, nec in aures prodire publicas, nisi doctæ sententiæ astipulatione nitatur. In quo nihil mirum videri debet, cum id opus quod sapientiæ inventa persequitur, non auctoris sed alieno incumbit arbitrio. Suis quippe instrumentis res rationis expenditur, cum judicium cogitur subire prudentis. Sed huic munusculo, non eadem quæ cæteris imminent artibus munimenta constituo. Neque enim fere ulla, sic cunctis absoluta partibus, nullius indiga, suis tantum est scientia nixa præsidiis, ut non cæterarum quoque artium adjumenta desideret. Nam in effigiandis marmore statuis, alius excidendæ molis labor est, alia formandæ imaginis ratio. Nec ejusdem artificis manus, politi operis nitor exspectat. Ac depingendæ manibus tabulæ commissæ fabrorum, ceræ rustica observatione decerptæ, colorum fuci mercatorum solertia perquisiti, lintea operosis elaborata textrinis, multiplicem materiam præstant. Nonne idem quoque in bellorum visitur instrumentis? Hic spicula sagittis exacuit, illi validus thorax nigra gemit incude. Ast alius crudi umbonis tegmina, proprii laboris orbi infigenda mercatur, tam multis artibus ars una perficitur. Ast nostri laboris absolutio longe ad faciliorem currit eventum. Tu enim solus manum supremo operi impones, in quo nihil de decernentium necesse est laborare consensu. Quamlibet A *enim hoc judicium multis artibus probetur excultum, uno tamen cumulatur examine. Experiare igitur licet quantum nobis in hoc studio longis tractus otiis labor adjecerit. An rerum subtilium fugas exercitatæ mentis velocitas comprehendat? Utrum jejunæ macies orationis, ad ea quæ sunt caligantibus impedita sententiis, expedienda sufficiat? Qua in re mihi alieni quoque judicii lucra quæruntur, cum tu, utrarumque peritissimus litterarum, possis Graiæ orationis expertibus, quantum de nobis judicare audeant, sola tantum pronuntiatione præscribere. At non alterius obnoxius institutis, arctissima memetipse translationis lege constringo, sed paululum liberius evagatus, alieno itineri, non vestigiis insisto. Nam et ea quæ de numeris a Nicomacho diffusius disputata sunt, moderata brevitate collegi. Et quæ trans-* B *cursa velocius angustiorem intelligentiæ præstabant aditum, mediocri adjectione reseravi, ut aliquando ad evidentiam rerum, nostris etiam formulis ac descriptionibus uteremur. Quod nobis quantis vigiliis ac sudore constiterit, facile sobrius lector agnoscet. Cum igitur quatuor matheseos disciplinarum, de arithmetica, quæ est prima, præscriberem, tu tantum dignus eo munere videbare, eoque magis in errato opus esse intelligebam Nam etsi apud te facilis venire locus esset, aliquando tamen ipsam formidabat facilitatem suspecta securitas. Arbitrabar enim nihil tantæ reverentiæ oblatum iri oportere, quod non elaboratum ingenio, perfectum studio, dignum postremo tanto otio videretur. Non igitur ambigo quin pro tua in me benevolentia supervacua re-* C *seces, hiantia suppleas, errata reprehendas, commode dicta, mira animi alacritate suscipias. Quæ res impulit pigram consilii moram. Nimios enim mihi fructus placitura restituent. Novi quippe quanto studiosius nostra quam cæterorum bona diligamus. Recte ergo quasi aureos Cereri culmos, et maturos Baccho palmites, sic ad te rudimenta novi operis transmisi. Tu tantum paterna gratia nostrum provehas munus, ita et laboris mei primitias doctissimo judicio consecrabis, et non majore censebitur auctor merito quam probator.*

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Divisio mathematicæ.

Inter omnes priscæ auctoritatis viros qui, Pythagora duce, puriore mentis ratione viguerunt, constare manifestum est haud quemquam in philosophiæ disciplinis ad cumulum perfectionis evadere, nisi cui talis prudentiæ nobilitas quodam quasi quadrivio vestigatur, quod recte solertiam intuentis non latebit. Est enim sapientia rerum quæ sunt suique immutabilem substantiam sortiuntur comprehensio veritatis. D Esse autem illa dicimus, quæ nec intentione crescunt, nec retractione minuuntur, nec variationibus permutantur, sed in propria semper vi, suæ se naturæ subsidiis nixa custodiunt. Hæc autem sunt qualitates, quantitates, formæ, magnitudines, parvitates, æqualitates, habitudines, actus, dispositiones, loca, tempora, et quidquid adunatum quodammodo corporibus invenitur. Quæ ipsa quidem natura incorporea sunt,

et immutabilis substantiæ ratione vigentia, participatione vero corporis permutantur, et tactu variabilis rei, in vertibilem inconstantiam transeunt. Hæc igitur (quoniam ut dictum est, natura immutabilem substantiam vimque sortita sunt) vere proprieque esse dicuntur. Horum igitur, id est, quæ sunt proprie, quæque suo nomine essentiæ nominantur, scientiam, sapientia profitetur. Essentiæ autem gemiuæ partes sunt, una continua, et suis partibus juncta, nec ullis finibus distributa, ut est arbor, lapis, et omnia mundi hujus corpora, quæ proprie magnitudines appellantur. Alia vero disjuncta a se, et determinata partibus, et quasi acervatim in unum redacta concilium, ut grex, populus, chorus, acervus, et quidquid eorum quorum partes propriis extremitatibus terminantur, et ab alterius fine discretæ sunt. His, proprium nomen est multitudo. Rursus multitudinis alia sunt per se, ut tres vel quatuor, vel tetragonus, vel quilibet numerus, qui, ut sit, nullo indiget. Alia vero per seipsa non constant, sed ad quiddam aliud referuntur ut duplum, ut dimidium, ut sesquialterum, vel sesquitertium, et quidquid tale est, quod nisi relatum sit ad aliud, ipsum esse non possit. Magnitudinis vero, alia sunt manentia, motuque carentia, alia vero, quæ mobili semper rotatione vertuntur, nec ullis temporibus acquiescunt. Horum ergo, illam multitudinem quæ per se est, arithmetica speculatur integritas. Illam vero, quæ ad aliquid, musici modulaminis temperamenta pernoscunt. Immobilis vero magnitudinis, geometrica notitiam pollicetur. Mobilis scientiam, astronomicæ disciplinæ peritia vindicavit. Quibus quatuor partibus si careat inquisitor, verum invenire non possit, ac sine hac quidem speculatione veritatis nulli recte sapiendum est. Est enim sapientia earum rerum quæ vere sunt, cognitio et integra comprehensio. Quod hæc qui spernit, id est, has semitas sapientiæ, ei denuntio non recte philosophandum. Siquidem philosophia est amor sapientiæ, quam in his spernendis ante contempserit. Illud quoque addendum arbitror quod cuncta vis multitudinis ab uno progressa termino, ad infinita progressionis augmenta concrescit. Magnitudo vero, a finita inchoans quantitate, modum in divisione non recipit. Infinitissimas enim sui corporis suscipit sectiones. Hanc igitur naturæ infinitatem, indeterminatamque potentiam philosophia sponte repudiat. Nihil enim quod infinitatum est vel scientia potest colligi, vel mente comprehendi. Sed hinc sumpsit sibi ipsa ratio, in quibus possit indagatricem veritatis exercere solertiam. Delegit enim de infinitæ multitudinis pluralitate, finitæ terminum quantitatis, et interminabilis magnitudinis sectione rejecta, definita sibi ad cognitionem spatia depoposcit. Constat igitur quisquis hæc prætermiserit, omnem philosophiæ perdidisse doctrinam. Hoc igitur illud quadrivium est, quo iis viandum sit, quibus excellentior animus a nobiscum procreatis sensibus, ad intelligentiæ certiora perducitur. Sunt enim quidam gradus certæque progressionum dimensiones, quibus ascendi progredique possit, ut animi illum oculum, qui (ut

A ait Plato) multis oculis corporalibus salvari constituique sit dignior, quod eo solo lumine vestigari vel inspici veritas queat. Hunc, inquam, oculum demersum, orbatumque corporeis sensibus, hæ disciplinæ rursum illuminent. Quæ igitur ex his prima discenda est, nisi ea quæ principium matrisque quodammodo ad cæteras obtinet portionem? Hæc autem est arithmetica. Hæc enim cunctis prior est, non modo quod hanc ille hujus mundanæ molis conditor Deus, primam suæ habuit ratiocinationis exemplar, et ad hanc cuncta constituit, quæcunque fabricante ratione, per numeros assignati ordinis invenere concordiam; sed hoc quoque prior arithmetica declaratur, quod quæcunque natura priora sunt, his sublatis simul posteriora tolluntur. Quod si posteriora pereant, nihil de B statu prioris substantiæ permutatur, ut animal prius est homine. Nam si tollas animal, statim quoque hominis natura deleta sit. Si hominem sustuleris, animal non peribit. Et econtrario ea semper posteriora sunt quæ secum aliud quolibet inferunt, ea priora quæ, cum dicta sunt, nihil secum de posterioribus trahunt, ut in eodem quoque homine. Nam si hominem dixeris, simul quoque animal nominabis. Idem est enim homo quod animal. Si animal dixeris, non speciem simul hominis intulisti. Non est enim idem animal quod homo. Hoc idem in geometrica vel in arithmetica videntur incurrere. Si enim numeros tollas, unde triangulum vel quadratum, vel quidquid in geometria versatur? quæ omnia numerorum denoC minativa sunt. At vero, si quadratum triangulumque sustuleris, omnisque geometrica consumpta sit, tres et quatuor, aliorumque numerorum non peribunt vocabula. Rursum cum aliquam geometricam formam dixero, est illi simul numerorum nomen implicitum. Cum numeros dixero, nondum ullam formam geometricam nominavi. Musica vero quam prior sit numerorum vis, hinc maxime probari potest, quod non modo illa natura priora sunt, quæ per se constant, quam illa quæ ad aliquid referuntur, sed etiam ea ipsa musica modulatio numerorum nominibus adnotatur. Et idem in hac evenire potest quod in geometrica prædictum est. Diatessaron enim et diapente et diapason ab antecedentis numeri nominibus nuncupantur. Ipsorum quoque sonorum adversus se proporD tio, solis neque aliis numeris invenitur. Qui enim sonus in diapason symphonia est, idem duplicis numeri proportione colligitur. Quæ diatessaron est modulatio, epitrita collatione componitur. Quam diapente symphoniam vocant, hemiolia medietate conjungitur. Qui in numeris epogdous est, idem tonus in musica. Et ne singula persequi laborem, hujus operis sequentia, quanta prior sit arithmetica, sine ulla dubitatione monstrabunt. Sphæricam vero atque astronomicam tanto præcedit, quanto duæ reliquæ disciplinæ hanc tertiam natura præcedunt. In astronomica enim, circuli, sphæra, centrum, parallelique circuli, mediusque axis est, quæ omnia geometricæ disciplinæ curæ sunt. Quare est etiam ex hoc ostendere seniorem geometricæ vim, quod omnis motus est post quietem,

et natura semper statio prior est. Mobilium vero astronomica, immobilium geometrica doctrina est, vel quod harmonicis modulationibus motus ipse celebratur astrorum. Quare constat quoque musicæ vim, astrorum cursus antiquitate præcedere, quam superare natura arithmeticam dubium non est, cum prioribus, quam illa est, antiquior videatur. Proprie tamen ipsa numerorum natura, omnis astrorum cursus, omnisque astronomica ratio constituta est. Sic enim ortus occasusque colligimus, sic tarditates velocitatesque errantium siderum custodimus, sic defectus et multiplices lunæ variationes agnoscimus. Quare quoniam prior, ut claruit, arithmeticæ vis est, hinc disputationis sumamus exordium.

CAPUT II.

De substantia numeri.

Omnia quæcunque a primæva rerum natura constructa sunt, numerorum videntur ratione formata. Hoc enim fuit principale in animo conditoris exemplar. Hinc enim quatuor elementorum multitudo mutuata est, hinc temporum vices, hinc motus astrorum, cœlique conversio. Quæ cum ita sint, cumque omnium status numerorum colligatione fungatur, eum quoque numerum necesse est, in propria semper sese habentem æqualiter substantia, permanere, eumque compositum non ex diversis. Quid enim numeri substantiam conjungeret, cum ipsius exemplum cuncta junxisset? sed ex seipso videtur esse compositus. Porro autem nihil ex similibus componi videtur, nec ex his quæ nulla rationis proportione junguntur, et a se omni substantia naturaque discreta sunt. Constat ergo quoniam conjunctus est numerus, neque ex similibus esse conjunctum, neque ex his quæ ad se invicem nulla ratione proportionis hærent. Erunt ergo, numeros, prima quæ conjungant, ad substantiam quidem quæ constant, semperque permaneant. Neque enim ex non existentibus effici quidquam potest, et sunt ipsa dissimilia et potentia componendi. Hæc autem sunt quibus numerus constat, par atque impar. Quæ divina quadam potentia cum disparia sint contrariaque, tamen ex una genitura profluunt, et in unam compositionem modulationemque junguntur.

CAPUT III.

De diffinitione et divisione numeri, et diffinitione paris et imparis.

Et primum quid sit numerus diffiniendum est. Numerus est unitatum collectio, vel quantitatis acervus ex unitatibus profusus. Hujus igitur prima divisio est in imparem atque parem. Et par quidem est, qui potest in æqualia duo dividi, uno medio non intercidente. Impar vero quem nullus in æqualia dividit quin in medio prædictus unus intercidat. Et hæc quidem hujusmodi diffinitio vulgaris est et nota.

CAPUT IV.

Diffinitio numeri paris et imparis secundum Pythagoram.

Illa autem secundum Pythagoricam disciplinam talis est. Par numerus est, qui sub eadem divisione A potest in maxima parvissimaque dividi. Maxima spatio, parvissima quantitate, secundum duorum istorum generum contrarias passiones. Impar vero numerus est, cui hoc quidem accidere non potest, sed cujus in duas inæquales summas naturalis est sectio. Hoc est autem exemplar. Ut si quilibet latus par numerus dividatur, major quidem (quantum ad divisionis spatia pertinet) non invenietur quam discreta medietas; quantitate vero nulla minor sit, quam in gemina facta partitio, ut si par numerus qui est 8, dividatur in 4 atque alios 4, nulla erit alia divisio, quæ majores partes efficiat. Porro autem nulla erit alia divisio quæ totum numerum minore dividat qnantitate. In duas enim partes divisione, nihil minus est. Cum enim totum quis fuerit trina divisione partitus, spatii B quidem summa minuitur, sed numerus divisionis augetur. Quod autem dictum est, secundum duorum generum contrarias passiones, hujusmodi est. Prædocuimus enim quantitatem in infinitas pluralitates accrescere, spatia vero, id est magnitudines, in infinitissimas minui parvitates, atque ideo hic contra evenit; hæc namque paris divisio, spatio est maxima, parvissima quantitate.

CAPUT V.

Alia secundum antiquiorem modum diffinitio paris et imparis.

Secundum antiquiorem vero modum, alia est paris numeri definitio. Par numerus est qui in duo C æqualia, et in duo inæqualia partitionem recipit, sed ut in neutra divisione, vel imparitati paritas, vel paritati imparitas misceatur, præter solum paritatis principem binarium numerum, qui inæqualem non recipit sectionem, propterea quod ex duabus unitatibus constat, et ex prima duorum quodammodo paritate. Quod autem dico, tale est: si enim ponatur par numerus, potest in duo æqualia dividi, ut denarius dividitur in quinos. Porro autem et per inæqualia, ut idem denarius in 3 et in 7. Sed hoc modo, ut cum una pars fuerit divisionis par, alia quoque par inveniatur, et si una impar, reliqua ab ejus imparitate non discrepet, ut in eodem numero qui est denarius. Cum enim divisus est in quinos, vel cum in 3 et in 7 utræque in utraque portione partes, impares exstiterunt. D Si autem ipse vel alius numerus par dividatur in æquales, ut octonarius in 4 et in 4, et item per inæquales, ut idem octonarius in 5 et in 3, in illa quidem divisione utræque partes pares factæ sunt, et in hac utræque impares exstiterunt. Neque unquam fieri potest, ut cum una pars divisionis par fuerit, alia impar inveniri queat, aut cum una impar sit, alia par possit intelligi. Impar vero numerus est qui ad quamlibet illam divisionem, per inæqualia semper dividitur, ut utrasque species numeri semper ostendat, nec unquam altera sine altera sit, sed una pars paritati, imparitati alia deputatur, ut 7 si dividas in 3 et in 4, altera portio par, altera impar est. Et hoc idem in cunctis imparibus numeris invenitur. Neque unquam in imparis divisione, præter se esse possunt

hæ gemmæ species, quæ naturaliter vim numeri substantiamque componunt.

CAPUT VI.

Diffinitio paris et imparis per alterutrum.

Quod si hæc etiam per alterutras species diffinienda sunt, dicetur imparem numerum esse, qui unitate differt a pari, vel incremento, vel diminutione. Item par numerus est, qui unitate differt ab impari, vel incremento, vel diminutione. Si enim pari unum dempseris vel unum adjeceris, et impar efficitur, vel si impari idem feceris, par continuo procreatur.

CAPUT VII.

De principalitate unitatis.

Omnis quoque numerus circum se positorum et naturali sibimet dispositione junctorum medietas est. Et qui super duos illos sunt, qni medio junguntur, si componantur, etiam ipsorum supradictus numerus media portio est, et rursus illorum qui sunt super secundo loco junctos, cum ipsi quoque sint compositi, prior his numerus medietatis loco est, et hoc erit usque dum occurrens unitas terminum fecerit Ut si ponat quis quinarium numerum, altrinsecus circa ipsum sunt, supra 4, inferius 6. Hi ergo si juncti sunt, faciunt 10, quorum 5 numerus medietas est. Qui autem circa ipsos, id est circa 6 et 4 sunt, 3 scilicet et 7; idem si juncti sunt, eorum quinarius numerus medietas est. Rursus istorum, qui altrinsecus positi sunt, si jungantur, etiam hi quinarii numeri dupli sunt. Nam super 3 sunt 2, super 7 sunt 8. Hi ergo si juncti sunt faciunt 10, quorum quinarius rursus medietas est. Hoc idem in omnibus numeris evenit usque dum ad unitatis terminum perveniri queat. Sola enim unitas circum se duos terminos non habet, atque ideo ejus, qui est prope se, solius est medietas. Nam juxta unum solus est binarius naturaliter constitutus, cujus unitas media pars est. Quare constat primam esse unitatem, cunctarum qui sunt in naturali dispositione numerorum, et etiam rite totius quamvis prolixæ, genitricem pluralitatis agnosci.

CAPUT VIII.

Divisio paris numeri

Paris autem numeri species sunt 3. Est enim una quæ dicitur pariter par, alia vero pariter impar, tertia impariter par. Et contraria quidem, locaque obtinentia summitatum, videntur esse pariter par, et pariter impar. Medietas autem quædam quæ utrorumque participat, est numerus qui vocatur impariter par.

CAPUT IX.

De numero pariter pari ejusque proprietatibus.

Pariter par numerus est qui potest in duo paria dividi, ejusque pars in alia duo paria, partisque pars in alia duo paria, ut hoc totiens fiat, usque dum divisio partium ad indivisibilem naturaliter perveniat unitatem. Ut 64 numerus habet medietatem 32, hic autem medietatem 16, hic vero 8, hunc quoque quaternarius in æqua partitur, qui binarii duplus est, sed binarius unitatis medietate dividitur quæ unitas naturaliter singularis, non recipit sectionem. Huic numero videtur accidere, ut quæcunque ejus fuerit pars, A cum nomine ipso vocabuloque pariter par inveniatur, tum etiam quantitate. Sed ideo mihi videtur hic numerus pariter par vocatus, quod ejus omnes partes et nomine et quantitate pares pariter inveniantur. Quomodo autem et nomine et quantitate pares habeat partes hic numerus, post dicemus. Horum autem generatio talis est. Ab uno enim quoscunque in duplici proportione notaveris, semper pares pariter procreantur. Præter hanc autem generationem ut nascantur aliter, impossibile est. Hujus autem rei tale videtur per ordinem descriptionis exemplum. Sint itaque cuncti duplices ab uno 1, 2, 4, 8, 16, 32, 64, 128, 256, 512, atque hinc si fiat infinita progressio, tales cunctos invenies. Factique sunt ab uno in duplici B proportione, et omnes sunt pariter pares. Illud autem non minima consideratione dignum est quod ejus omnis pars, ab una parte quacunque quæ intra ipsum numerum est denominatur, tantamqne summam quantitatis includit, quota pars est alter numerus pariter paris, illius qui eum continet quantitatis. Itaque fit ut sibi partes ipsæ respondeant, ut quota pars una est, tantam habeat altera quantitatem, et quota pars ista est, tantam in priore summam necesse sit multitudinis inveniri. Et primum fit, si pares fuerint dispositiones, ut duæ mediæ partes sibi respondeant, post vero quæ super ipsas sunt sibi invicem convertantur, atque hoc idem fiat donec uterque terminus extremitates incurrat. Ponatur enim pariter paris ordo, ab uno usque 128, hoc modo 1, 2, 4, 8, 16, C 32, 64, 128, et ea sit summa maxima. In hoc igitur quoniam pares dispositiones sunt, una medietas non potest inveniri. Sunt igitur duæ, id est 8 et 16, quæ considerandæ sunt, quemadmodum ipsæ sibi respondeant. Totius enim summæ, id est 128, octava pars est 16, sexta decima 8. Rursus super has partes quæ sunt, ipsæ sibi invicem respondebunt, id est 32 et 4. Nam 32 quarta pars est totius summæ, 4 vero trigesima secunda. Rursus super has partes 64, secunda pars est, 2 vero sexagesima quarta. Donec extremitates limitem faciant, quas dubium non est eadem responsione gaudere. Est enim omnis summa, semel 128, unus vero, centesimus vigesimus octavus. Si autem impares terminos ponamus, id est summas (idem enim termiuos, quod summas, nomino), secun- D dum imparis naturam, potest una medietas inveniri, atque una sibi ipsa est responsura. Si enim ponatur hic ordo 1, 2, 4, 8, 16, 33, 64, una erit sola medietas, id est 8. Qui 8 summæ totius pars est octava, et sibi ipsi ad denominationem quantitatemque convertitur. Eodemque modo, sicut superius, circa ipsum qui sunt termini, donant sibi mutua nomina, secundum proprias quantitates, vocabulumque permutant. Nam 4 sexta decima pars est totius summæ, 16 vero quarta. Et rursus super hos terminos, 32 secunda pars est totius summæ, 2 vero trigesima secunda, et semel tota summa 64 sunt, sexagesima quarta vero uuitas invenitur. Hoc igitur est quod dictum est, omnes ejus partes et nomine et quantitate pariter pares inveniri. Hoc quoque multa consideratione,

multaque constantia divinitatis perfectum est, ut ordinatim dispositæ minores summæ in hoc numero et super seipsas coacervatæ sequenti minus uno semper æquentur. Si enim unum jungas his qui sequuntur duobus, fiunt 3, id est, qui uno minus quaternario cadunt. Et si superioribus addas 4, sunt 7, qui ab octonario sequente sola unitate vincuntur. Sed si eosdem 8 supradictis adjunxeris, 15 fient, qui par 16 numeri existeret quantitati, nisi minor unitas impediret. Hoc autem prima etiam numeri progenies servat atque custodit. Namque unitas quæ prima est, duobus subsequentibus sola est unitate contractior. Unde nihil mirum est, totum summæ crementum proprio consentire principio. Hæc autem nobis consideratio maxime proderit, in his numeris cognoscendis quos superfluos vel imminutos imperfectosque monstrabimus. Illic enim coacervata quantitas partium numeri totius termino comparatur. Illud quoque nulla possumns oblivione transmittere, quod in hoc numero respondentibus sibi invicem partibus multiplicatis, major extremitas ejusdem numeri summaque conficitur. Et primum si pares fuerint dispositiones, medii multiplicantur, atque inde qui super ipsos sunt, usque ad supradictos extremitates. Si enim fuerint pares dispositiones, secundum naturam paris duos in medio terminos continebunt, ut in ea dispositione numerorum in qua extremus terminus 128 finitur. In hoc enim numero medietates sunt 8, scilicet, et 16 quæ in se multiplicatæ majoris summam crescente pluralitate conficient. Octies enim 16, vel sedecies 8 si multiplices, 128 summa concrescit. Atque hi numeri qui super eosdem sunt, si multiplicentur idem faciunt. Nam 4 et 32 in se si multiplices supradictam facient extremitatem, (4 enim trigies et bis, vel quater 32 ducti, 128 immutabili necessitate complebunt Atque hoc usque ad extremos terminos cadit, id est 1 et 128. Semel enim extremus terminus 128 est. Centies vigies atque octies unitate multiplicata, nihil de priore quantitate mutabitur. Si autem impares fuerint dispositiones, unns medius terminus invenitur, atque ipse sibi propria multiplicatione respondet. In eo namque ordine numerorum, ubi extremus terminus 64 pluralitate concluditur, sola invenitur una medietas, id est 8 Quam si octis, id est in semetipsam multiplices 64 explicabit. Atque idem reddunt illi qui super hanc medietatem sunt, ut dudum hi qui super duas positi faciebant. Nam quater 46, 64 sunt, et sedecies 4 idem complent. Rursus bis 32, facti a 64 non discedunt, et trigies bis duo, eosdem cumulant, et semel 64, vel unitas sexagies quater multiplicata, eumdem numerum sine ulla varietate restituent.

CAPUT X.

De numero pariter impari ejusque proprietatibus.

Pariter antem impar numerus est qui et ipse quidem paritatis naturam substantiamque sortitus est, sed in contraria divisione, naturæ numeri pariter paris opponitur. Docebitur namque quam longe hic dissimili ratione dividatur. Nam quoniam par est, in partes æquales recipit sectionem, partes vero ejus mox indivisibiles atque insecabiles permanebunt, ut sunt 6, 10, 14, 18, 22, et his similes. Mox enim hos numeros si in gemina fueris divisione partitus, incurris in imparem, quem secare non possis. Accidit autem his quod omnes partes contrarie denominatas habent, quam sunt quantitates ipsarum partium quæ denominantur. Neque unquam fieri potest ut quælibet pars hujus numeri ejusdem generis denominationem quantitatemque suscipiat. Semper enim si denominatio fuerit par, quantitas partis erit impar, et si fuerit denominatio impar, quantitas erit par, ut in 18. Secunda ejus pars est, id est medio, quod paritatis nomen cst 9, quæ impar est quantitas. Tertia vero quæ impar cst denominatio sex, cui par pluralitas est. Rursus si convertas, sexta pars quæ par est denominatio, tres sunt, sed ternarius impar est. Et nona pars, quod impar est vocabulum, 2 qui par numerus est. Atque idem in aliis cunctis qui sunt pariter impares invenitur. Neque unquam fieri potest, ut cujuslibet partis, sit ejusdem generis nomen et numerus. Fit autem horum procreatio numerorum, si ab uuo disponantur, quicunque duobus differunt, id est omnibus imparibus naturali sequentia atque ordine constitutis. Namque hi si per binarium numerum multiplicentur, omnes pariter impares, rite pluralitas dimensa efficiet. Ponatur enim prima unitas, id est 1, et post hanc qui ab hac duobus differt, id est 3 et post hunc qui rursus a superiore duobns, id est 5, et hoc in infinitum. Et sit hujusmodi dispositio 1, 3, 5, 7, 9, 11, 13, 15, 17, 19. Hi ergo naturaliter sequentes impares sunt, quos nullus in medio par numerus distinguit : hos si per binarium numerum multiplices, efficies hoc modo, bis unum, id est qui dividitur quidem, sed ejus partes indivisibles reperiuntur propter insecabilis unitatis naturam. Bis 3, bis 5, bis 7, bis 9, bis 11, et deinceps, ex quibus nascuntnr hi, 2, 6, 10, 14, 18 22. Quos si dividas, unam recipiunt sectionem, cæteram repudiantes, quod secunda divisio ab imparis medietate partis excluditur. His autem numeris ad se invicem quaternarii sola distantia est. Namque inter 2 et 6 numeros, 4 sunt. Rursus inter 6 et 10, et inter 10 et 14, et inter 14 et 18, idem quaternarius differentiam facit. Hi namque omnes quaternaria sese numerositate transcendunt. Quod idcirco contingit, quoniam primi qui positi sunt, hoc est eorum fundamenta, binario se numero præcedebant, quos quoniam per binarium multiplicavimus, in quaternarium numerum crevit illa progressio. Duo enim per bis multiplicati quaternarii faciunt summam. Igitur in naturalis numeri dispositione, pariter impares numeri quinto loco a se distant, solis 4 se præcedunt, 3 in medio transeuntes, per binarium numerum multiplicatis imparibus, procreati. Contrariæ vero esse dicuntur hæ species numerorum, id est pariter par et pariter impar, quod in numero pariter impari sola divisionem recipit major extremitas, in illo vero solus minor terminus sectione solutus est, et quod in forma pariter paris nu-

meri ab extremitatibus incipienti, et usque ad media progredienti, quod continetur sub extremis terminis, idem est illi quod continetur sub intra se positis summulis, Atque hoc idem usque dum ad duas mediatates fuerit ventum, in dispositionibus scilicet paribus. Si autem fuerint impares dispositiones, quod ab una medietate conficitur, hoc idem sub altrinsecus positis partibus procreatur. Atque hoc usquedum ad extremitates processio fiat. In ea enim dispositione quæ est 2, 4, 8, 16, idem reddunt 2 per 16 multiplicati, quod 4 per octonarium numerum ducti. Utroque enim modo 32 fient. Quod si impar sit ordo, ut est 2, 4, 8, idem facient extremi quod medietas. Bis enim 8 sunt 16, quatuor quater sunt 16, qui numerus a quaternario in se ducto perficitur. In numero vero pariter impari, si fuerit unus in medio terminus, circum se positorum terminorum si in unum redigantur medietas est. Et idem eorum quoque qui super hos sunt terminos medietas est. Atque hoc usque ad extremos omnium terminorum, ut in eo ordine qui est pariter imparium numerorum 2, 6. 10 junctus binarius cum denario 12 explet, cujus senarius medietas invenitur. Si vero fuerint duæ medietates junctæ, ipsæ utræque æquales erunt super se terminis constitutis. Ut est in hoc ordine, 2, 6, 10, 14, Juncti enim 2 et 14, in 16 crescunt, quos senarius cum denario copulatus efficiet. Atque hoc in numerosioribus terminis initio sumpto a mediis evenit, usque dum ad extrema veniatur.

CAPUT XI.

De numero impariter pari ejusque proprietatibus, et descriptionis ad impariter paris, in latitudine, in longitudine, ad pariter paris naturam pertinentis, expositio,

Impariter par numerus est ex utrisque confectus, et medietatis loco gemina extremitate concluditur, ut qua ab utroque discrepet, eadem ad alterutrum cognatione jungatur. Hic autem talis est qui dividitur in æquas partes, cujusque pars in alias æquas dividi potest, et etiam aliquando partes partium dividuntur, sed non ut usque ad unitatem progrediatur æquabilis illa distinctio, ut sunt 24 et 28. Hi enim possunt in medietates dividi, et eorum rursus partes in alias medietates, sine aliqua dubitatione solvuntur. Sunt etiam quidam alii numeri, quorum partes alias recipiunt divisiones, sed ipsa divisio ad unitatem usque non pervenit. Igitur in eo quod plus quam unam suscipit sectionem, habet similitudinem pariter paris, sed a pariter impari segregatur. In eo vero quod usque ad unum sectio illa non ducitur, pariter imparem non refutat, sed a pariter pari disjungitur. Contingit autem huic numero et utraque habere quæ superiores non habent, et utraque quæ illi recipiunt obtinere. Et habet quidem quod utrique non habent, quod cum in uno solus major terminus divideretur, in alio vero solus minor terminus non divideretur, in hoc neque solus major terminus divisionem recipit, neque minor solus terminus a divisione sejungitur. Nam et partes solvuntur, et usque ad unitatem

A sectio illa non pervenit, sed ante unitatem invenitur terminus, quem secare non possis. Obtinet autem quæ illi quoque recipiunt, quod quædam partes ejus respondent, denominanturque secundum genus suum ad propriam quantitatem, ad similitudinem, scilicet pariter paris numeri. Aliæ vero partes contrariam denominationem sumunt propriæ quantitatis, ad pariter imparis scilicet formam. In 24 enim numero, par est quantitas partis a pari numero denominata. Nam quarta 6, secunda vero 12, sexta vero 4, duodecima 2, quæ vocabulo partium a quantitatis paritate non discrepant. Contrariæ vero denominantur, cum tertia pars octo, octava vero 3, vigesima autem quarta 1, quæ denominationes cum pares sint inveniuntur impares quantitates, et cum sint pares summæ, sunt impares denominationes. Nascuntur autem
B tales numeri ita, ut substantiam naturamque suam in ipsa etiam propria generatione designent, ex pariter paribus et pariter imparibus procreati. Pariter enim impares, cunctis dudum ordinatim positis imparibus, nascebantur, pariter vero pares ex duplici progressione. Disponantur igitur omnes in ordinem naturaliter impares, et sub his a quatuor inchoantes omnes duplices, et sint hoc modo:


3	5	7	9	11	13
4	8	16	32	64	128

His igitur ita positis, si primus primi multiplicatione concrescat, id est si quaternarii ternarius, vel si idem primus secundi, id est octonarii ternarius, vel si
C idem primus tertii, id est 16 ternarius, et idem usque ad ultimum, vel si secundus primi et secundi, vel si secundus tertii, et eadem usque ad extremum multiplicatio proferatur, vel si tertius a primo inchoans usque in extremum transeat. Atque ita quartus et omnes in ordinem superiores multiplicent eos qui sub ipsis in dispositione sunt, omnes impariter pares procreabunt. Hujus autem rei tale sumamus exemplum, si tres quater multiplices, 12 fient; vel si 5 quatuor multiplicent, 20 numerus excrescet; vel si item 7 multiplicent 4, 28 succrescet, atque hoc usque in finem. Rursus si 8 multiplicent 3, nascentur 24. Si 8 in 5, fiunt 40; si 8 in 7, colligentur 56. Atque ad hunc modum si omnes inferiores duplices, a superioribus multiplicentur, vel si superiores eosdem
D inferiores multiplicent, cunctos qui nati fuerint impariter pares invenies. Atque hæc est admirabilis hujus numeri forma, quod cum fuerit ipsa dispositio descriptioque perspecta numerorum, ad latitudinem pariter imparium, ad longitudinem pariter parium numerorum proprietas invenitur. Sunt enim in latitudinem duabus medietatibus æquales duæ extremitates, vel una medietate duæ duplices extremitates. In longitudinem vero, pariter paris numeri rem proprietatemque designat. Quod enim sub duabus medietatibus continetur, æquale est ei quod sub extremis conficitur, vel quod ab una medietate nascitur, æquale est illi quod sub utrisque extremitatibus continetur. Descriptio autem quæ supposita est, hoc modo facta est. Quantoscunque in ordine pariter parium nume-

rorum ternarius multiplicavit, quicunque ex eo procreati sunt, primo sunt versu dispositi. Rursus qui eosdem multiplicante quinario nati sunt, secundo loco constituti sunt. Post vero quos septenarius cæteros multiplicando procreavit, eosdem tertio conscripsimus loco, atque idem reliqua descriptionis parte perfecimus.

In hac formula sequenti, similitudo pariter paris et pariter imparis, ad impariter parem, ostenditur.

3	5	7	9	Impares.
4	8	16	32	Dupli.



CAPUT XII.

Descriptionis ad impariter paris, in latitudine, in longitudine, ad pariter paris naturam pertinentis expositio.

Superius igitur digestæ descriptionis hæc ratio est. Si ad latitudinem respicias, ubi est duorum terminorum una medietas, ipsosque terminos jungas, duplos eos medietate propria reperies, ut 36 et 20 faciunt 56, quorum medietas est 28, qui medius est inter eos terminus constitutus. Et rursus 28 et 12, si jungas, faciunt 40, quorum 20 medietas, medius eorum terminus invenitur. At vero ubi duas medietates habent, utræque extremitates junctæ, utrisque medietatibus æquales fiunt, ut 12 et 36 cum junxeris fiunt 48, horum si medietates sibimet applicaveris, id est 20 et 28, idem erit, atque in alia parte latitudinis, eodem ordine qui fiant numeri, notati sunt. Neque ulla in re ratio utrisque latitudinis discrepabit, idemque in eodem ordine in cæteris numeris pernotabis, et hoc secundum formam pariter imparis numeri fit, in quo hanc proprietatem esse supra jam scriptum est. Rursum si ad longitudinem respicias, ubi duo termini unam medietatem habent, quod fit ex multiplicatis extremitatibus, hoc fit si medius terminus suæ capiat pluralitatis augmenta. Nam duodecies 48 faciunt 576. Medius vero eorum terminus, id est 24, si multiplicetur, eosdem rursus 576 procreabit. Et rursus si 24 in 96 multiplicentur, faciunt 2304. Quorum me- A dius terminus, id est 48, si in semetipsum ducatur, idem 2304 procreatur. Ubi autem termini duo duas medietates includunt, quod fit multiplicatis extremitatibus, hoc idem redditur in alterutram summam medietatibus ductis. Duodecies enim 96 multiplicatis 1152 procreantur, duæ vero eorum medietates, id est 24 et 40, si in semetipsas multiplicentur, eosdem 1152 restituent. Atque hoc est, ad imitationem cognationemque numeri pariter paris, a quo participatione tracta, hæc ei recognoscitur ingenerata proprietas. Et in alio vero latere longitudinis, eadem ratio descriptioque notata est. Quare manifestum est hunc numerum ex prioribus duobus esse procreatum, quoniam eorum retinet proprietates.

B

CAPUT XIII.

De numero impari ejusque divisione

Impar quoque numerus est, qui a paris numeri natura substantiaque disjunctus est. Siquidem illi in gemina membra æqua dividi potest, hic ne secari queat, unitatis impedit interventus. Tres habet similiter subdivisiones, quarum una ejus pars est is numerus qni vocatur primus et incompositus. Secunda vero, qui est secundus et compositus. Et tertia is qui quadam horum medietate conjunctus est, et ab utriusque cognatione aliquid naturaliter trahit, qui est per se quidem secundus et compositus, sed ad alios comparatus, primus et incompositus invenitur.

C

CAPUT XIV.

De primo et incomposito.

Et primus quidem et incompositus est, qui nullam aliam partem habet, nisi eam quæ a tota numeri quantitate denominata sit, ut ipsa pars non sit nisi unitas, ut sunt 3, 5, 7, 11, 13, 17, 19, 23, 29, 31. In his ergo singulis nulla unquam alia pars invenietur, nisi quæ ab ipsis denominata est, et ipsa tantum unitas, ut supra jam dictum est. In tribus enim una pars sola est, id est tertia, quæ a tribus scilicet denominata est, et ipsa tertia pars unitas. Eodemque modo quinarii sola quinta pars est, et hæc unitas, atque idem in singulis consequens reperietur. Dicitur autem primus et incompositus, quod nullus eum alter numerus metiatur, præter solam, quæ cunctis mater est, unitatem. D Namque ternarium 2 non numerant, idcirco quoniam si solos duos contra tres compares, pauciores sunt. Sin vero binarium bis facias, ampliorem tribus concrescit in 4. Metitur autem numerus numerorum, quoties vel semel, vel bis, vel tertio, vel quotieslibet numerus ad numerum comparatus, neque diminuta summa, neque aucta, ad comparati numeri terminum usque pervenit, ut duo si ad 6 compares, binarius numerus senarium tertio metietur. Primos ergo et incompositos nullus numerus metietur, præter unitatem solam, quoniam ex nullis aliis numeris compositi sunt, sed tantum ex unitatibus in semetipsis auctis multiplicatisque procreantur. Ter enim unus 3, et quinquies unus 5, et septies unus 7 fecerunt. Et alii quidem, quos supra descripsimus, eodem modo

nascuntur. Hi autem in semetipsos multiplicati faciunt alios numeros velut primi, eosque primam rerum substantiam vimque sortitos, cunctorum a se procreatorum velut quædam elementa reperies, quia scilicet, et incompositi sunt, et simplici generatione formati, atque in eos omnes quicunque ex his prolati sunt numeri resolvuntur, ipsi vero neque ex aliis producuntur, neque in alia reducuntur.

CAPUT XV.

De secundo et composito.

Secundus vero et compositus, et ipse quidem impar est, propterea quod eadem imparis proprietate formatus est, sed nullam in se retinet substantiam principalem, compositusque est ex aliis numeris, habetque partes, et a seipso et ab alieno vocabulo denominatas, sed a se ipso denominatam partem, solam semper in his invenies unitatem, ab alieno vero vocabulo, vel unam, vel quodlibet alias quanti fuerint scilicet numeri quibus ille compositis procreatur, ut sunt hi, 9, 15, 25, 27, 33, 39. Horum ergo singuli habent quidem a se denominatas partes, proprias scilicet unitates, ut 9, nonam, id est 1; 15, quintam decimam, eamdem rursus unitatem, et in cæteris quos supra descripsimus idem convenit. Habent etiam ab alieno vocabulo partem, ut 9, tertiam, id est ternarium, et 15, tertiam, id est 5, et quintam, id est, 3; 21 vero tertiam, id est 7, septimam, 3, et in omnibus aliis eadem consequentia est. Secundus autem vocatur hic numerus, quoniam non sola unitate metitur, sed etiam alio numero a quo scilicet conjunctus est. Neque habet in se quidquam principalis intelligentiæ. Nam ex aliis numeris procreatur, 9 quidem ex 3, 15 vero ex 3 et 5, et 21 ex 3 et 7, et cæteri eodem modo. Compositus autem dicitur, eo quod resolvi potest in eosdem ipsos a quibus dicitur esse compositus, in eos scilicet qui compositum numerum metiuntur. Nihil autem quod dissolvi potest incompositum est, sed omni rerum necessitate compositum.

CAPUT XVI.

De eo qui per se secundus et compositus, ad alium primus et incompositus est.

His vero contra se positis, id est primo et incomposito et, secundo et composito, et naturali diversitate disjunctis, alius in medio consideratur, qui ipse quidem compositus sit, et secundus, et alterius recipiens mensionem, atque ideo, et partis alieni vocabuli capax, sed cum fuerit ad alium ejusdem generis numerum comparatus, nulla cum eo communi mensura conjungitur, nec habebunt partes æquivocas, ut sunt 9 ad 25, nulla hos communis numerorum mensura metitur, nisi forte unitas quæ omnium numerorum mensura communis est. Et hi quidem non habent æquivocas partes. Nam quæ in 9 tertia est, in 25 non est, et quæ in 25 quinta est, in novenario non est. Ergo hi per naturam utrique secundi et compositi sunt, comparati vero ad se invicem primi incompositique redduntur, quod utrosque nulla alia mensura metitur, nisi unitas quæ ab utrisque denominata est. Nam in novenario nona est, in 25 vigesima quinta.

CAPUT XVII.

De primi et incompositi, secundi et compositi, et ad se quidem secundi et compositi, ad alterutrum vero primi et incompositi procreatione.

Generatio autem ipsorum atque ortus hujusmodi investigatione colligitur, quam scilicet Eratosthenes cribrum nominabat, quod cunctis imparibus in medio collocatis, per eam quam tradituri sumus artem, qui primi, quive secundi, quique tertii generis videantur esse, distinguitur. Disponantur enim a ternario numero cuncti in ordinem impares, in quamlibet longissimam porrectionem, 3, 5, 7, 9, 11, 13, 15, 17, 19, 21, 23, 25, 27, 29, 31, 33, 35, 37, 39, 41, 43, 45, 47, 49. His igitur ita dispositis considerandum primus numerus quem eorum qui sunt in ordine positi primum metiri possit, sed duobus præteritis, illum qui post eos est positus, mox metitur. Et si post eumdem ipsum quem mensus est, alii duo transmissi sunt, illum qui post duos est rursus metitur. Et eodem modo si duos quis reliquerit, post eos qui est, a primo numero metiendus est. Eodemque modo relictis semper duobus, a primo in indefinitum pergentes metientur. Sed id non vulgo neque confuse. Nam primus numerus illum qui est post duos secundum se locatos per suam quantitatem metitur. Ternarius enim numerus tertio 9 metitur. Si autem post novenarium duos reliquero, qui mihi post illos incurrerit, a primo metiendus est, per secundi imparis quantitatem, id est per quinarium. Nam si post 9 duos relinquam, id est, 11 et 13, ternarius numerus 15 metietur per secundi numeri quantitatem, id est per quinarii, quoniam ternarius 15 quinquies metitur. Rursus si, a quindenario inchoans, duos intermisero, qui posterior positus est, ejus primus numerus, mensura est per tertii imparis pluralitatem. Nam si post 15 intermisero 17 et 19, incurrit 21, quem ternarius numerus secundum septenarium metitur, 21 enim numeri ternarius septima pars est. Atque hoc in infinitum faciens, reperio primum numerum, si binos intermisero, omnes sequentes post se metiri secundum quantitatem positorum ordine imparium numerorum. Si vero quinarius numerus, qui in secundo loco est constitutus, velit quis cujus prima ac deinceps sit mensura invenire, transmissis 4 imparibus, quintus ei, quem metiri possit, occurrit. Intermittantur enim 4 impares, id est 7 et 9 et 11 et 13, post hos est quintus decimus, quem quinarius metitur, secundum primi scilicet quantitatem, id est ternarii, quinque enim 15, tertio metiuntur. Ac deinceps si quatuor intermittat, eum qui post illos locatus est, secundus, id est quinarius quantitate metitur. Nam post quindecim intermissis 17 et 19 et 21 et 13, post eos 25 reperio, quos quinarius scilicet numerus sua pluralitate metitur. Quinquies enim quinario multiplicato, 25 succrescunt. Si vero post hunc quilibet 4 intermittat, eadem ordinis servata constantia, qui eos sequitur, secundum tertii, id est septenarii

numeri summam, a quinario metietur. Atque hæc est infinita processio. Si vero tertius numerus quem metiri possit exquiritur, sex in medio relinquentur, et quem septimum ordo monstraverit, hic per primi numeri, id est, ternarii quantitatem metiendus est. Et post illum sex aliis interpositis, quem post eos numeri series dabit, per quinarium, id est per secundum, tertii eum mensura percurret. Si vero alios rursus sex in medio quis relinquat, ille qui sequitur, per septenarium numerum ab eodem septenario metiendus est, id est per tertii quantitatem. Atque hic usque in extremum ratus ordo progreditur. Suscipient ergo metiendi vicissitudinem, quemadmodum sunt in ordinem naturaliter impares constituti. Metientur autem, si per pares numeros a binario inchoantes, positos inter se impares rata intermissione transiliant, ut primus 2, secundus 4, tertius 6, quartus 8, quintus 10. Vel si locos suos conduplicent, et secundum duplicationem terminos intermittant, ut ternarius qui primus est numerus et unus (omnis enim primus, unus est), bis locum suum multiplicet, faciatque bis unum. Qui cum duo sint, primus duos medios transeat. Rursus secundus, id est quinarius, si locum suum duplicet, 4 explicabit : hic quoque 4 intermittat. Item si septenarius, qui tertius est, locum suum duplicet, sex creabit : bis enim 3 senarium jungunt; hic ergo in ordinem sex relinquat. Quartus quoque si locum suum duplicet, 8 succrescent : ille quoque 8 transiliat ; atque hoc quidem in cæteris perspiciendum. Modum autem mensionis secundum ordinem collocatorum ipsa series dabit. Nam primus, primum quem numerat, secundum primum numerat, id est secundum se, et secundum primus quem numerat, per secundum numerat, et tertium per tertium, et quartum item per quartum. Cum autem secundus mensionem susceperit, primum, quem numerat, secundum primum metitur, secundum vero quem numerat, per se, id est per secundum, et tertium per tertium, et in cæteris eadem similitudine mensura constabit. Alios ergo si respicias, vel qui alios mensi sunt, vel qui ipsi ab aliis metientur, invenies omnium simul communem mensuram esse non posse, neque ut omnes quemquam alium simul numerent, quosdam autem ex his ab alio posse metiri, ita ut ab uno tantum numerentur, alios vero ut etiam a pluribus, quosdam autem ut præter unitatem eorum nulla mensura sit. Qui ergo nullam mensuram præter unitatem recipiunt, hos primos et incompositos judicamus, qui vero aliquam mensuram præter unitatem, vel alienigenæ partis vocabulum sortientur, eos pronuntiemus secundos atque compositos. Tertium vero illud genus per se secundi et compositi, primi vero et incompositi ad alterutrum comparati, hac inquisitor ratione reperiet. Si enim quoslibet illos numeros secundum suam in semetipsos multiplices quantitatem, qui procreatur ad alterutrum comparati, nulla mensura communione junguntur. Tres enim et 5 si multiplices, tres tertio 9 faciunt, et quinquies 5 reddent 25. His igitur nulla est cognatio communis mensuræ. Rursus 5 et 7, quos procreant si compares, hi quoque incommensurabiles erunt. Quinquies enim quinque (ut dictum est) 25, septies 7 faciunt 49. Quorum mensura nulla communis est, nisi forte omnium horum procreatrix et mater unitas.

CAPUT XVIII.

De inventione eorum numerorum, qui ad se secundi et compositi sunt, ad alios vero relati, primi et incompositi.

Qua vero ratione tales numeros invenire possimus, si quis nobis eosdem proponat, et imperet agnoscere utrum aliqua mensura commensurabiles sint, an certe sola unitas utrosque metiatur, reperiendi ars talis est. Datis enim duobus numeris inæqualibus, auferre de majore minorem oportebit, et qui relictus fuerit, si major est, auferre ex eo rursus minorem, si vero minor fuerit, eum ex reliquo majore detrahere. Atque hoc eo usque faciendum, quoad unitas ultima vicem retractionis impediat, aut aliquis numerus impar necessario, si utrique numeri impares proponantur. Sed eum qui relinquitur numerum, sibi ipsi videbis æqualem. Ergo si in unum incurrat vicissim ista subtractio, primi contra se necessario numeri dicentur, et nulla alia mensura nisi sola unitate conjuncti. Si vero ad aliquem numerum (ut superius dictum est) finis diminutionis incurrerit, erit ejus numerus qui metiatur utrasque summas, atque eumdem ipsum qui remanserit dicemus utrorumque communem esse mensuram. Age enim duos numeros propositos habeamus, quos jubeamur agnoscere an eos aliqua mensura communis metiatur. Atque hi sint 9 scilicet et 29, hoc igitur faciemus modo reciprocam diminutionem. Auferamus de majore minorem, hoc est de 29 novenarium, relinquentur 20. Ex his ergo 20 rursus minorem detrahamus, id est 9, et relinquentur 11. Ex his rursus detraho 9, relicti sunt 2. Quos si detraho novenario, et relicti sunt 7. Quod si duo rursus septenario dempserim, supersunt 5, atque ex his alios duos, tres rursum exuberant, quos alio binario diminutos, sola unitas superstes egreditur. Rursus si ex duobus unum auferam, in uno terminus detractionis hærebit, quem duorum illorum numerorum, id est 9 et 29, solum neque alium constat esse mensuram. Hos ergo contra se primos vocabimus. Sed sint alii numeri nobis eadem conditione propositi, id est 21 et 9, ut quales hi sint investigentur cum sibimet fuerint invicem comparati. Rursus aufero de majore minoris numeri quantitatem, id est 9 de 21, relinquentur 12. Ex his rursus demo 9, supersunt 3. Qui si ex novenario retrahantur, senarius relinquetur. Quibus item si quis ternarium demat, 3 relinquentur, de quibus tres detrahi nequeunt, atque hic est sibi ipsi æqualis. Nam 3 qui detrahebantur, usque ad ternarium numerum pervenerunt, a quo, quoniam æquales sunt, detrahi minuique non poterunt. Hos igitur commensurabiles pronuntiabimus, et est eorum qui est reliquus ternarius mensura communis.

CAPUT XIX.

Alia partitio paris secundum perfectos, imperfectos et ultra quam perfectos.

Ac de imparibus numeris, quantum introductionis permittebat brevitas, expeditum est. Rursus numerorum parium sic fit secunda divisio. Alii enim eorum sunt superflui, alii diminuti, secundum utrasque habitudines inæqualitatis. Omnis quippe inæqualitas, aut in majoribus, aut in minoribus consideratur. Illi enim immoderata quodammodo plenitudine, proprii corporis modum, partium suarum numerositate præcedunt. Illos autem veluti paupertate inopes oppressosque, quadam naturæ suæ inopia, minor quam ipsi sunt partium summa componit, atque illi quidem quorum partes ultra quam satis est sese porrexerunt superflui nominantur, ut sunt 12 vel 24. Hi enim suis partibus comparati, majorem partium summam toto corpore sortiuntur. Est enim duodenarii medietas 6, pars tertia 4, pars quarta 3, pars sexta, 2, pars duodecima 1 est. Omnisque hic cumulus redundat in 16, et totius corporis sui multitudinem vincunt. Rursus 24 numeri medietas est 12, tertia 8, quarta 6, sexta 4, octava 3, duodecima 2, vicesima quarta 1, qui omnes triginta et sex rependunt. In quare manifestum est quod summa partium major est, et supra proprium corpus exundat. Atque hic quidem quoniam compositæ partes totius summam numeri vincunt, superfluus appellatur. Diminutus vero ille, cujus eodem modo compositæ partes totius termini multitudine superantur, ut 8 vel 9: habet enim octonarius partem mediam, id est 4; habet et quartam, id est duo; habet et octavam, id est unum quæ cunctæ in unum redactæ 7 colligunt, minorem scilicet summam toto corpore concludentes. Rursus 14 habent medietatem, id est septenarium; habent septimam, id est 2; habent quartam decimam, id est 1, quæ in unum si collectæ sint, denarii numeri summa concrescit, toto scilicet termino minor. Atque hi quidem hoc modo sunt, ut prior ille quem suæ partes superant talis videatur, tanquam si quis multis super naturam manibus natus, ut centimanus Gigas, vel triplici conjunctus corpore, ut Geryon tergeminus, vel quidquid unquam monstruosum natura in partium multiplicatione surripuit. Ille vero ut si naturaliter quadam necessaria parte detracta, aut minus oculo nasceretur, ut Cyclopæ frontis dedecus fuit, vel quo alio curtatus membro, naturale totius suæ plenitudinis dispendium sortiretur. Inter hos autem, velut inter æquales intemperantias, medii temperamentum limitis sortitus est ille numeros qui perfectus dicitur, virtutis scilicet æmulator, qui nec supervacua progressione porrigitur, nec contracta rursus diminutione remittitur, sed medietatis obtinens terminum, suis æquus partibus, nec crassatur abundantia, nec eget inopia, ut sex vel 28. Namque senarius habet partem mediam, id est 3, et tertiam, id est 2, et sextam, id est 1, quæ in unam summam si redactæ sint, par totum numeri corpus suis partibus invenitur. 28 vero habet medietatem 14, et A septimam 4, nec caret quarta, id est 7, possidet quartam decimam 2, et reperies in eo vicesimam octavam 1, quæ in unum redactæ, totum partibus corpus æquabunt, 28 enim junctæ partes efficient.

CAPUT XX.

De generatione numeri perfecti.

Est autem in his quoque magna similitudo virtutis et vitii. Perfectos enim numeros raro invenies, eosque facile numerabiles, quippe qui pauci sunt, et nimis constanti ordine procreati; at vero superfluos ac diminutos longe multos infinitosque reperies, nec ullis ordinibus passim inordinateque dispositos, et a nullo certo fine generatos. Sunt autem perfecti numeri, intra denarium numerum 6, intra centenarium B 28, intra millenarium numerum 496, intra decem millia 8128. Et semper hi numeri duobus paribus terminantur 6 et 8, et semper alternatim in hos numeros, summarum fines perveniunt. Nam et primum sex, deinde 28. Post hos 496, idem senarius qui primus, post quem 8128, idem octonarius qui secundus. Generatio autem procreatioque eorum est fixa firmaque, nec quo alio modo fieri possint, nec ut si hoc modo fiant, aliud quiddam ullo modo valeat procreari. Dispositos enim ab uno omnes pariter pares numeros in ordinem quousque volueris, primo secundum aggregabis, et si primus numerus et incompositus ex illa coacervatione factus sit, totam summam in illum multiplicabis, quem posterius aggregaveras. Si vero coacervatione facta, primus et incompositus C non inventus fuerit, sed compositus et secundus, hunc transgredere, atque alium qui sequitur aggregabis. Si vero necdum fuerit primus et incompositus, alium rursus adjunge, et vide quid fiat. Quod si primum incompositumque reperies, tunc in ultimæ multitudinem summæ coacervationem multiplicabis. Disponantur enim omnes pariter pares numeri, hoc modo: 1, 2, 4, 8, 16, 32, 64, 128. Facies ergo ita: pones 1, eique aggregabis 2; tunc respicies ex hac aggregatione qui numerus factus sit: sunt 3, qui scilicet primus et incompositus est, et post unitatem ultimum binarium numerum aggregaveras. Si igitur ternarium, id est qui ex coacervatione collectus est, per binarium multiplices, qui est ultimus aggregatus, perfectus sine ulla dubitatione nascetur. Bis enim 3 D faciunt 6, qui habent unam quidem a se denominatam partem, id est sextam, tres vero medietatem secundum dualitatem, at vero duo secundum coacervationem, id est secundum ternarium, quoniam coacervati tres, multiplicati sunt. Viginti octo autem eodem modo nascuntur. Si enim super unum et duo, qui sunt tres, addas sequentem pariter parem, id est 4, septenariam summam facies; sed ultimum numerum quaternarium consequenter adjunxeras; per hunc igitur si illam coacervationem multiplicaveris, perfectus numerus procreatur. Septies enim 4, 28 sunt qui est suis partibus par, habens unum a se denominatum, id est vigesimum octavum; medietatem vero secundum binarium 14, secundum quaternarium 7, septimam vero secundum septenarium 4, secundum

omnium collectionem, quartum decimum, duo, qui vocabulo medietatis opponitur. Ergo cum hi reperti sint, si alios invenire secteris, eadem oportet ratione ut vestiges. Ponas enim unum licebit, et post hunc 2 et 4, qui in septenarium cumulantur, sed de hoc dudum exstitit 28 perfectus numerus. Huic igitur qui sequitur pariter par, id est 8, continens jungatur accessio, qui prioribus superveniens, 15 restituit. Sed hic primus et incompositus non est. Habet enim generis alterius partem super illam, quæ est a semetipsa denominata, quintam decimam, scilicet unitatem. Hunc igitur, quoniam secundus est compositus præterito, et adjunge superioribus continentem pariter parem numerum, id est 16. Qui cum 15 junctus unum ac 30 conficiet. Sed hic primus rursus et incompositus est. Hunc igitur cum extremi aggregati summa multiplica, ut fiant sedecies 31, qui 496 explicant. Hæc autem est intra millenarium numerum perfecta, et suis partibus æqua numerositas. Igitur prima unitas virtute atque potentia, non etiam actu vel re, et ipsa perfecta est. Nam si primam ipsam sumpsero de proposito ordine numerorum, video primam atque incompositam, quam si per seipsam multiplico, eadem mihi unitas procreatur. Semel enim unum solam efficit unitatem, quæ partibus suis æqualis est potentia solum, cæteris etiam actu atque opere perfectis. Recte igitur unitas propria virtute perfecta est, quod et prima est et incomposita, et per seipsam multiplicata sese ipsa conservat. Sed quoniam de ea quantitate quæ per se sit dictum est, operis sequentiam ad illam quæ refertur ad aliquid transferamus.

CAPUT XXI.

De relata ad aliquid quantitate.

Ad aliquid vero quantitatis, duplex est prima divisio. Omne enim, aut æquale est, aut inæquale, quidquid alterius comparatione metitur. Et æquale quidem est, quod ad aliquid comparatum, neque minore summa infra est, neque majore transgreditur, ut denarius denario, vel ternarius ternario, vel cubitum cubito, vel pes pedi, et his similia. Hæc autem pars relatæ ad aliquid quantitatis, id est, æqualitas, naturaliter indivisa est. Nullus enim dicere potest quod æqualitatis hoc quidem tale est, illud vero hujusmodi. Omnis enim æqualitas unam servat in propria moderatione mensuram. Illud etiam quod quæ ei quantitas comparatur, non alio vocabulo atque ipsa cui comparatur edicitur. Nam quemadmodum amicus amico amicus est, vicinusque vicino, ita dicitur æqualis æquali. Inæqualis vero quantitatis gemina divisio est. Secatur enim quod inæquale est in majus atque minus, quæ contraria sibimet denominatione funguntur. Namque majus minore majus est, et minus majore minus est, et utraque non eisdem vocabulis, quemadmodum secundum æqualitatem dictum est, sed diversis distantibusque signata sunt, ad modum discentis scilicet, vel docentis, vel cædentis, vel vapulantis, vel quæcunque ad aliquid relata, aliter denominatis contrariis comparantur.

A

CAPUT XXII.

De speciebus majoris inæqualitatis et minoris.

Majoris vero inæqualitatis quinque partes sunt. Est enim una quæ vocatur multiplex, alia superparticularis, tertia superpartiens, quarta multiplex superparticularis, quinta multiplex superpartiens. His igitur quinque majoris partibus, oppositæ sunt aliæ quinque partes minoris, quemadmodum ipsum majus minori semper opponitur, quæ minoris species, ita singillatim speciebus quinque majoris his quæ supradictæ sunt opponuntur, ut eisdem nominibus nuncupentur, sola tantum sub præpositione distantes, Dicitur enim submultiplex, subsuperparticularis, subsuperpartiens, multiplex subsuperparticularis, et
B multiplex subsuper partiens.

CAPUT XXIII.

De multiplici ejusque speciebus, earumque generationibus.

Rursus multiplex est prima pars majoris inæqualitatis, cunctis aliis antiquior naturaque præstantior, ut paulo post demonstrabimus. Hic autem numerus hujusmodi est, ut comparatus cum altero, illum contra quem comparatus est, habeat plus quam semel. Quod primum in naturalis numeri dispositione conveniet, namque ad unum cuncti qui sequuntur, omnium ordine multiplicium sequentias varietatesque custodiunt. Ad primum enim, id est unitatem, 2 duplus, 3 triplus, 4 quadruplus, atque ita in ordinem progre-
C dientes, omnes texuntur multiplices quantitates. Quod autem dictum est, plus quam semel, id a binario numero principium capit, et in infinitum per ternarium quaternariumque et cæterorum ordinem sequentiamque progreditur. Contra hunc vero discriminatus est ille qui vocatur submultiplex, et hæc quoque prima minoris quantitatis species est. His autem numerus hujusmodi est, qui in alterius comparatione productus, plus quam semel majoris numerat summam, sua scilicet quantitate cum eo æqualiter inchoans, æqualiterque determinans. Idem autem dico numerat quod metitur. Si igitur his solum majorem numerum minor numerus metiatur, subduplus vocabitur, si vero ter subtriplus, si quater subquadruplus, et fit per hæc in infinitum progressio, addi-
D taque eos semper sub propositione nominabis, ut unus duorum subduplus, trium subtriplus, 4 subquadruplus appelletur, et consequenter. Cum autem naturaliter multiplicitas et submultiplicitas infinita sit, eorum quoque species per proprias generationes in infinita consideratione versantur. Si enim positis in naturali constitutione numeris, singulos per suas consequentias pares eligas, omnium ab uno parium atque imparium sese sequentium duplices erunt, et hujus speculationis terminus non deficit. Ponatur enim naturalis numerus hoc modo, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20. Horum ergo si primum sumas parem, id est 2, primi duplus erit, id est unitatis. Si vero sequentem parem, id est 4, secundi duplus est, id est duorum. Si vero tertium

parem sumas, id est 7, tertii numeri in naturali constitutione duplus est, id est ternarii. Si vero quartum parem inspicias, id est 8, quarti numeri, id est quaternarii duplus est. Idem in cæteris in infinitum sumentibus, sine aliquo impedimento procedit. Triplices autem nascuntur, si in eadem dispositione naturali duo semper intermittantur, et qui post duo sunt ad naturalem numerum comparentur, excepto ternario, qui ut unitatis triplus sit, solum binarium prætermittit. Post unum et duo, 3 sunt, qui triplus unius est. Rursus post 4 et 5, sunt 6, qui secundi numeri, id est duorum triplus est. Rursus post 6, sunt 7 et 8, et post hos 9, qui tertii numeri, id est ternarii triplus est. Atque hoc idem in infinitum si quis faciat, sine ulla offensione procedit. Quadruplorum vero generatio incipit, si quis tres numeros intermittat. Post unum quippe et 2 et 3, sunt 4, qui primi, id est unius, quadruplus est. Rursus si intermisero quinarium, senarium, et septenarium, octonarius mihi quartus occurrit, tribus scilicet intermissis, qui binarii, id est secundi numeri, quadruplus est. At vero si post octo tres terminos intermisero, id est 9 et 10 et 11, duodenarius qui sequitur ternarii numeri quadruplus est. Atque hoc idem in infinitum progressis necesse est evenire, semperque una terminorum intermissione si crescat adjectio, ordinatas te multiplicis numeri vices invenire miraberis. Si enim 4 intermittas, quincuplus invenitur, si quinque sexcuplus, si sex septuplus, semperque ipsius multiplicitatis nomine uno minus intermissionis vocabulo procreantur. Nam duplus unum intermittit, triplus 2, quadruplus 3, quincuplus 4. Et deinceps ad eumdem ordinem sequentia est. Et omnes quidem dupli secundum proprias sequentias parium numerorum pares sunt. Tripli vero, unus semper par terminus, impar alius invenitur. Quadrupli vero, rursus semper parem custodiunt quantitatem. Constituunturque a quarto numero, uno ex prioribus per ordinem positis paribus intermisso, primo pari binario, post hunc 8 intermisso senario, post hunc 12 transmisso denario. Atque hoc idem in cæteris. Quincupii vero propositio, secundum triplicis similitudinem, alternatim paribus atque imparibus positis, ordinatur.

CAPUT XXIV.

De superparticulari, ejusque speciebus, earumque generationibus,

Superparticularis vero est numerus ad alterum comparatus, quotiens habet in se totum minorem et partem ejus aliquam. Qui si minoris habeat medietatem, vocatur sesquialter, si vero tertiam partem, vocatur sesquitertius, si vero quartam, vocatur sesquiquartus, et si quintam, vocatur sesquiquintus. Atque his nominibus in infinitum ductis, in infinitum quoque superparticnlarium forma progreditur. Et majores quidem numeri hoc modo vocantur, minores vero qui habentur toti et eorum aliqua pars, unus subsesquialter, alter subsesquitertius, alius subsesquiquartus, alius vero subsesquiquintus, atque idem secundum majorum normam multitudinemque pro- A tenditur. Voco autem majores numeros duces, minores comites. Super particularium quoque infinita est multitudo, ob eam rem quod ejusdem species interminabili progressione funguntur. Namque sesquialter habebit quidem duces omnes post ternarium numerum naturaliter triplices. Comites vero, omnes post binarium naturaliter pares, hoc modo, ut primus primo, secundus secundo, tertius tertio comparetur, et deinceps. Describantur enim longissimi versus triplicium naturalis numeri atque duplicium, et sit hoc modo :

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
3	6	9	12	15	18	21	24	27	30
2	4	6	8	10	12	14	16	18	20

B Primus igitur versus continet numerum naturalem, secundus ejus triplicem, tertius vero duplicem, atque in eo si ternarius binario, vel si senarius quaternario. vel novenarius senario comparetur, vel omnes triplices superiores si duplicibus numeris consequentibus opponantur, hemiolia, id est sesquialtera proportio nascetur, tres enim habent intra se duo, et eorum mediam partem, id est 1, sex quoque continent intra se 4, et eorum medietatem, id est 2, et novem intra se senarium claudunt. et ejus mediam partem, id est 3, eodemque modo in cæteris. Dicendum vero si quis secundam speciem superparticularis numeri considerare desideret, id est sesquitertiam, quali ratione reperiat. Ac definitio quidem hujus comparationis talis est. Sesquitertius est, qui C minori comparatus, habet eum semel et ejus tertiam partem ; sed hi inveniuntur si, omnibus a quaternario numero continuatim quadruplis constitutis, a ternario numero triplices comparentur, eruntque duces quadrupli, comites tripli. Sit enim in ordine hoc modo numerus naturalis, ut sub eo quadrupli, et sub eo tripli sint, supponatur sub primo quadruplo primus triplus, sub secundo secundus, sub tertio tertius, et eodem modo cuncti ejusdem primi versus tripli in ordinem dirigantur.

1	2	3	4	5	6	7	8
4	8	12	16	20	24	28	32
3	6	9	12	15	18	21	24

Igitur primum primo si compares, sesquitertia ratio continebitur. Nam si 4 tribus compares, habebunt in D se 4, totum ternarium et ejus tertiam partem, id est 1, et si secundum secundo, id est octonarium senario compares, idem invenies : habebit enim octonarius senarium totum, et ejus tertiam partem, id est 2, et per eamdem sequentiam usque in infinitum progrediendum est. Notandum quoque est quod 3 comites sunt, duces 4. Rursus 6 comites, duces 8, et in eodem ordine cæteri simili modo vocantur duces sesquitertii, comites subsesquitertii, et in cunctis secundum hunc modum posita convenit servare vocabula.

CAPUT XXV.

De quodam utili ad cognitionem superparticularibus accidente.

Hoc autem admirabile profundissimumque in istorum ordinibus invenitur, quod primus dux primus-

que comes ad se invicem nulla numeri intermissione copulantur. Nam primi se nullo in medio posito transeunt, secundi interponunt 1, tertii duos, quarti 3, et deinceps una semper minore quam ipsi sunt intermissione succrescunt. Atque hoc vel in sesquialteris vel in sesquitertiis, vel in aliis superparticularis partibus necesse est inveniri. Namque ut quaternarius contra ternarium comparetur, nullum intermisimus, post 3 enim mox 4 sunt. At vero 6 contra 8, in secundo scilicet sesquitertio, una facta est intermissio. Inter 6 enim et 8 solus est septenarius qui transmissus est numerus. Rursus ut 9 contra 12 comparemus, qui sunt in dispositione tertii, duorum mediorum est facta transmissio. Inter 9 enim et 12 sunt 10 et 11; secundum hunc modum quarta dispositio 3, quinta 4 intermittit.

CAPUT XXVI.

Descriptio per quam docetur cæteris inæqualitatis speciebus ontiquiorem esse multiplicem, et digestæ formulæ ratio et expositio.

A Quoniam autem naturaliter et secundum propriam ordinis consequentiam, multiplicem inæqualitatis speciem cunctis præposuimus, primamque speciem esse monstravimus, licet hoc nobis posterioris operis ordine clarescat, hic quoque perstringentes id quod proposuimus planissime breviterque doceamus. Sit enim talis descriptio, in qua ponatur in ordinem, usque ad denarium numerum, continui nnmeri ordo naturalis, et secundo versu, duplus ordo texatur, tertio triplus, quarto quadruplus, et hoc usque ad decuplum. Sic enim cognoscemus quemadmodum super particulari et superpartienti, et cunctis aliis princeps erit species multiplicis, et quædam alia simul inspiciemus et ad subtilitatem tenuissima, et ad scientiam utilissima, et ad exercitationem mentis jucundissima. B

Tetragona Longitudo Secunda unitas

Prima unitas — Latitudo (left); Latitudo — Tertia unitas (right)

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
2	4	6	8	10	12	14	16	18	20
3	6	9	12	15	18	21	24	27	30
4	8	12	16	20	24	28	32	36	40
5	10	15	20	25	30	35	40	45	50
6	12	18	24	30	36	42	48	54	60
7	14	21	28	35	42	49	56	63	70
8	16	24	32	40	48	56	64	72	80
9	18	27	36	45	54	63	72	81	90
10	20	30	40	50	60	70	80	90	100

Secunda unitas Longitudo Tetragona

CAPUT XXVII.

Ratio atque expositio digestæ formulæ.

Si igitur duo prima latera propositæ formulæ quæ faciunt angulum, ab uno ad 10, et 10 procedentia respiciantur, et his subteriores ordines comparentur, qui scilicet a 4 angulum incipientes, in vigenos terminum ponunt, duplex. id est prima species multiplicatis ostenditur, ita ut primus primum sola superet unitate, ut duo unum, secundus secundum binario supervadat, ut quaternarius binarium, tertius tertium tribus, ut senarius ternarium, quartus quartum, quaternarii numerositate transcendat, ut 8 quaternarium, et per eamdem cuncti sequentiam sese minoris pluralitate prætereant. Si vero tertius angulus aspiciatur, qui ab 8 inchoans, longitudinem latitudinemque tricenis altrinsecus numeris extendit, et C hic cum prima latitudine et longitudine comparetur, triplex species multiplicitatis occurrit, ita ut ista comparatio per X litteram fiat. Hique se numeri superabunt secundum paritatis factam naturaliter connexionem. Primus enim primum duobus superat, ut unum 3, secundus secundum quaternario, ut binarium senarius, tertius tertium sex, ut ternarium novenarius, et ad eumdem cæteri modum progressionis augescunt.

Quam rem nobis, scilicet, et ipsa naturalis objecit integritas, nihil nobis extra machinantibus, ut in ipso modulo descriptionis apparet. Si quis autem quarti anguli terminum qui sedecim numeri quantitate notatus est, et longitudinem latitudinemque in quadragenos determinat, velit superioribus comparare, per X litteræ formam proportione collata, quadrupli mul-

titudinem pernotabit. Hisque est ordinabilis super se progressio, ut primus primum tribus superet, ut 4 unitatem. Secundus secundum senario vincat, ut octo binarium. Tertius tertium novenario transeat, ut duodenarius ternarium, et sequentes summulæ trium se semper adjecta quantitate transiliant. Et si quis subteriores aspiciat angulos, idem per omnes multiplicitatis species, usque ad decuplum dispositissima ordinatione perveniet. Si quis vero in hac descriptione, superparticularis species requirat, tali modo reperiet. Si enim secundum angulum notet, cujus est initium quaternarius, eique superjacet binarius, atque hunc sequentem quis accommodet ordinem, sesquialtera proportio declarabitur. Nam tertius secundi versus, sesquialter est, ut tres ad duo, vel sex ad quatuor, vel 9 ad 6, vel 12 ad 8. Itemque in cæteris qui sunt in eadem serie numeri, si talis conjugatio misceatur, nulla varietatis dissimilitudo surripiet. Eadem tamen summarum supergressio est in hoc quoque, quæ in duplicibus fuit. Primus enim primum, id est ternarius binarius uno superat, secundus vero secundum, duobus tertius, tertium tribus, et deinceps. Si vero quartus ordo tertio comparetur, ut 4 ad 3, et eodem cæteros ordine consecteris, sesquitertia comparatio colligitur, ut 4 ad 3,vel 8 ad 6, et 12 ad 9, videsne ut in omnibus his sesquitertia comparatio conservetur ? Præterea eos qui sub ipsis sunt, si idem faciens sequentes versus alterutris comparaveris, omnes sine ullo impedimento species superparticularis agnosces. Hoc autem in hac est dispositione divinum, quod omnes angulares numeri tetragoni sunt. Tetragonus autem dicitur, ut brevissime dicam, quod post latius explicabitur, quem duo æquales numeri multiplicant, ut in hac quoque descriptione est ; unus enim semel, unus est, et est potestate tetragonus. Item bis duo 4 sunt. Ter 3 9, quos in semetipsas multiplicationes primi ordinis perfecere. Circum ipsos vero qui sunt, id est circum angulares, longilateri numeri sunt. Longilateros autem voco, quos uno se supergredientes numeri multiplicant. Circum 4 enim 2 sunt et 6, sed duo nascuntur ex uno et duobus, cum unum bis multiplicaveris, sed unitas a binario unitate præceditur. Sex vero a duobus et tribus, bis enim tres senarium reddunt. Novenarium vero, sex et 12 claudunt, qui 12 ex tribus nascuntur et 4. Ter enim 4 fiunt 12. Senarius vero, ex duobus et tribus, bis enim 3 faciunt 6. Qui omnes, uno majoribus lateribus procreati sunt. Nam cum 6 ex binario ternarioque nascuntur, tres binarium numerum uno superant. Cunctique alii ejusdem modi sunt, ut primo et secundo ordine ad alterutrum multiplicatis terminis procreentur, ita ut quod nascitur ex duobus longilateris altrinsecus positis, et bis medio tetragono, tetragonus sit. Et rursus quod ex duobus altrinsecus tetragonis, et uno medio longilatero bis facto nascitur, ipse quoque tetragonus sit. Et ut angulorum totius descriptionis ad angulares tetragonos positorum unius anguli sit prima unitas alterius vero qui contra est tertia. Bini vero altrin- A secus anguli, secundas habeant unitates et duo angularium tetragonorum anguli, æquum faciunt quod sub ipsis continetur, illi quod fit ab uno illorum qui est altrinsecus angulorum. Multa enim sunt alia quæ in hac descriptione utilia possunt admirabiliaque perpendi, quæ interim propter castigatam introducendi brevitatem ignota esse permittimus. Nunc vero ad sequentia propositum convertamus.

CAPUT XXVIII.

De tertia inæqualitas specie quæ dicitur superpartiens, deque speciebus ejus earumque generationibus.

Igitur post duas primas habitudines multiplices et superparticulares, et eas quæ sub ipsis sunt submultiplices et subsuperparticulares, tertia inæqualitatis B species invenitur, quæ a nobis superius superpartiens dicta est. Hæc est autem, quæ fit cum numerus ad alium comparatus, habet eum totum infra se, et ejus insuper aliquas partes, vel duas, vel 3, vel 4, vel quot ipsa tulerit comparatio. Quæ habitudo incipit a duabus partibus tertiis. Nam si duas medietates habuerit, qui illum intra se totum coercet, duplus pro superpartiente componitur. Habebit autem vel duas tertias, vel duas quintas, vel duas septimas, vel duas nonas, et ita progredientibus si duas solas partes minoris numeri superhabuerit, per easdem partes imparibus numeris minorem major summa transcendit. Nam si eum habeat totum et duas ejus quartas, superparticularis necessario reperitur. Nam duæ quartæ medietas est, et fit sesquialtera compa- C ratio. Si vero duas sextas, rursus est superparticularis. Duæ enim sextæ, pars tertia est. Quod si in comparatione ponatur, sesquitertiæ habitudinis efficiet formam. Post hos nascuntur comites, qui subsuperpartientes vocantur ; hi autem sunt qui habentur ab alio numero, et eorum vel duæ, vel 3, vel 4, vel quotlibet aliæ partes. Si ergo numerus alium intra se numerum habens, ejus duas partes habuerit, superbipartiens nominatur ; si vero tres, supertripartiens ; quod si 4, superquadripartiens, atque ita progredientibus in infinitum fingere nomina licet. Ordo autem eorum naturalis est, quoties disponuntur a tribus omnes pares atque impares numeri naturaliter constituti, et sub his aptantur alii qui sunt a quinario numero incipientes omnes impares. His D igitur ita dispositis, si primus primo, secundus secundo, tertius tertio, et cæteri cæteris comparentur, superpatiens habitudo procreatur. Sit enim dispositio hoc modo :

3	4	5	6	7	8	9	10
5	7	9	11	13	15	17	19

Si igitur quinarii numeri ad ternarium comparatio consideretur, erit superpartiens ille qui vocatur superbipartiens. Habet enim quinarius totos in se tres, et eorum duas partes, id est 2. Si vero ad secundum ordinem speculatio referatur, supertripartiens proportio cognoscetur, atque in sequentibus per omnes dispositos numeros omnes in infinitum species hujus numeri convenientes ordinatasque respicies. At vero quemadmodum singuli procreentur, si in infi-

nitum quis curet agnoscere, hic modus est. Habitudo enim superbipartientis, si utrisque terminis duplicetur, semper superbipartiens proportio procreatur. Si enim quis duplicet 5, faciet 10 ; si tres, faciet 6 : qui 10 contra senarium comparati, superbipartientem faciunt habitudinem, et hos ipsos rursus si duplicaveris, idem ordo proportionis accrescit. Idemque si in infinitum facies, statum prioris habitudinis non mutabit. Si vero supertripartientes invenire contendas, primos supertripartientes, id est 7 et 4 triplicabis, et hujusmodi nascentur. Si vero qui ex his nati fuerint, ternarii multiplicatione produxeris, idem rurses efficient. Quod si superquadripartientes quemadmodum in infinitum progrediantur optes addiscere, primas eorum radices in quadruplum multiplices licet, id est 9 et 5, et eos qui illa multiplicatione proferentur, rursum in quadruplum, et eamdem fieri proportionem inoffensa nimirum ratione reperies. Et cæteræ species una semper plus multiplicatione crescentibus radicibus oriuntur. Radices autem proportionum voco, numeros in superiore dispositione descriptos, quasi quibus omnis summa supradictæ comparationis innititur. In hoc quoque videndum est quoniam, cum duæ partes minore plus in majoribus sunt, tertii semper vocabulum subauditur. Ut superbipartiens qui dicitur, quoniam duas minoris numeri tertias partes habet, dicatur superbipartiens tertias ; et cum dico supertripartiens, subaudiri necesse sit supertripartiens quartas, quoniam tribus superquartis exuberat. Et superquadripartienti, subauditur superquadripartiens quintas, et ad eumdem modum in cæteris, uno semper adjecto super habitas partes, subauditio facienda est, ut eorum germana convenientiaque his nomina hæc sint, ut qui dicitur superbipartiens, idem dicatur superbitertius. Qui dicitur supertripartiens, is sit supertriquartus, et qui dicitur superquadripartiens, idem dicatur superquadriquintus, eademque similitudine usque in infinitum nomina producantur.

CAPUT XXIX.

De multiplici superparticulari.

Igitur relatæ ad aliquid quantitatis, simplices et primæ species hæ sunt. Duæ vero aliæ, ex his velut ex aliquibus principiis componuntur, ut multiplices superparticulares, et multiplices superpartientes, horumque comites submultiplices superparticulares, et submultiplices superpartientes. Namque in his ut in prædictis proportionibus, minores numeri, et eorum quoque species omnes, addita *sub* præpositione, dicuntur. Quorum definitio talis reddi potest : multiplex superparticularis est, quotiens numerus ad numerum comparatus, habet eum plus quam semel et ejus unam partem, hoc est, habet eum aut duplum, aut triplum aut quadruplum, aut quotienslibet, et ejus quamlibet aliquam partem, vel mediam, vel tertiam, vel quartam, vel quæcunque alia partium exuberatione contigerit. Hic ergo et multiplici et superparticulari consistit. Quod enim comparatum

A numerum plus quam semel habet, multiplicis est. Hoc vero quod minorum in habenda parte transcendit, superparticularis. Ita ex utroque nomine facto vocabulo, est, speciesque illius ad illarum, scilicet, fiunt imaginem proportionum, ex quibus ipse numerus originem trahit. Nam prima pars hujus vocabuli quæ multiplicis nomine possessa est, multiplicis numeri specierum vocabulo nominanda est. Quæ vero superparticularis est, eodem vocabulo nuncupabitur, quo superparticularis numeri species vocabantur. Dicetur enim qui duplicem habuerit alium numerum, et ejus mediam partem, duplex sesquialter ; qui vero tertiam, duplex sesquitertius ; qui quartam, duplex sesquiquartus, et deinceps. Si vero ter eum totum contineat et ejus mediam partem, vel tertiam, vel
B quartam, dicitur triplex sesquialter, triplex sesquitertius, triplex sesquiquartus, et eodem modo in cæteris. Diceturque quadruplus sesquialter, quadruplus sesquitertius, quadruplus sesquiquartus, et quotiens totum numerum in semetipso continuerit, per multiplicis numeri species appellatur, quam vero partem comparati numeri clauserit, secundum superparticularem comparationem habitudinemque vocabitur. Horum autem exempla hujusmodi sunt : duplex sesquialter est, ut quinque ad duo, habent enim 5, binarium numerum bis et ejus mediam, id est 1. Duplex vero sesquitertius est septenarius ad ternarium comparatus. At vero novenarius ad quaduplex sesquiquartus. Et hi semper nascentur, dispo-
C sitis in ordinem a binario numero omnibus naturaliter paribus imparibusque terminis, si contra eos omnes a quinario numero impares comparentur, ut primum primo, secundum secundo, tertium tertio, caute et diligenter apponas, ut sit dispositio talis :

2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
5	7	9	11	13	15	17	19	21	23

Si vero a duobus paribus omnibus dispositis terminis, illi qui a quinario numero inchoantes, quinario numero rursus sese transiliunt comparentur, omnes duplices sesquialteros creant, ut est subjecta descriptio.

2	4	6	8	10	12
5	10	15	20	25	30

D Si vero a tribus inchoent dispositiones, et tribus sese transiliant, et ad eos aptentur qui a septenario inchoantes, septenario sese numero transgrediuntur, omnes duplices sesquitertii, habita diligenter comparatione, nascuntur, ut subjecta descriptio monet.

3	6	9	12	15	18	21
7	14	21	28	35	42	49

Si vero omnes in ordinem quadrupli disponantur, hi qui naturalis numeri quadrupli sunt, ut unitatis quadruplus, et duorum, triumque et quatuor, atque quinarii, et cæterorum sese sequentium, ut ad eos aptentur a novenario numero inchoantes, semper sese novenario præcedentes, tunc duplicis sesquiquartæ proportionis forma texetur.

4	8	12	16	20	24
9	18	27	36	45	54

Ea vero species hujus numeri, quæ est triplex sesquialtera, hoc modo procreatur; si disponantur a binario numero omnes in ordinem pares, et ad eos septenario numero inchoantes. septenario sese supergredientes, solito ad alterutrum modo comparationis aptentur.

2	4	6	8
7	14	21	28

Si autem a ternario numero ingressi, cunctos naturalis numeri triplices disponamus, et eis a denario numero denario sese supergredientes ordine comparemus, omnes triplices sesquitertii in ea terminorum continuatione provenient.

3	6	9	12
10	20	30	40

CAPUT XXX.

De eorum exemplis in superiore formula inveniendis.

Horum autem eorumque qui sequuntur exempla integre planeque possumus pernotare, si in priorem descriptionem, quam fecimus cum de superparticulari et multiplici loqueremur, ubi ab uno usque in denarium multiplicationum summa concrevit, diligens velimus acumen intendere. Ad primum enim versum omnes qui sequuntur collati, ordinatas convenientesque multiplicis species reddent. Si vero ad secundum cunctos qui tertii sunt ordinis aptaveris, ordinatas species superparticularis agnosces. Quod si tertio ordini, quicunque sunt in quinto versu compares, superpartientis numeri species positas convenienter aspicies. Multiplex vero superparticularis ostenditur, cum ad secundum versum omnes qui sunt quinti versus serie comparentur, vel qui sunt in septimo, vel qui sunt in nono, atque ita si in infinitum sit ista descriptio, in infinitum hujus proportionis species procreabuntur. Manifestum autem etiam hoc est, quod horum comites semper cum *sub* præpositione dicentur, ut est subduplex sesquialter, subduplex sesquitertius, subduplex sesquiquartus, et cæteri quidem ad hunc modum.

CAPUT XXXI.

De multiplici superpartiente.

Multiplex vero superpartiens est, quoties numerus ad numerum comparatus habet in se alium numerum totum plus quam semel, et ejus vel duas, vel 3, vel quotlibet plures particulas, secundum numeri superpartientis figuram. In hoc quoque propter causam superius dictam, non erunt duæ medietates, neque duæ quartæ, neque duæ sextæ, sed duæ tertiæ, vel duæ quintæ, vel duæ septimæ, ad priorem similem consequentiam. Non est autem difficile secundum priorum exempla positorum, hos quoque et præter nostra exempla numeros invenire. Vocabunturque hi, secundum proprias partes, duplex superbipartiens, vel duplex supertripartiens, vel duplex superquadripartiens. Et rursus triplex superbipar-

A tiens, et triplex supertripartiens, et triplex superquadripartiens, et similiter. Ut 8 ad 3 comparati faciunt duplicem superbipartientem, et 16 ad 6, et omnes quicunque ab 8 incipientes, octonario sese numero transgrediuntur, comparati ad eos qui a tribus inchoantes, ternarii sese quantitate prætereunt. Nec erit difficile alias ejus partes secundum prædictum modum diligentibus reperire. Hic quoque illud meminisse debemus quod minores et comites non sine *sub* præposititione nominantur, ut sit subduplex superbipartiens, subduplex supertripartiens.

CAPUT XXXII.

Demonstratio quemadmodum omnis inæqualitas ab æqualitate processerit.

Restat autem nobis profundissimam quamdam B tradere disciplinam, quæ ad omnem naturæ vim rerumque integritatem maxima ratione pertineat. Magnus quippe in hac scientia fructus est, si quis non nesciat quod bonitas definita est et sub scientiam cadens, animoque semper imitabilis et perceptibilis prima natura est, et suæ substantiæ decore perpetua. Infinitum vero malitiæ dedecus est, nullis propriis principiis nixum, sed natura semper errans a boni definitione principii, tanquam aliquo signo optimæ figuræ impressa componitur, et ex illo erroris fluctu retinetur. Nam nimiam cupiditatem iræque immodicam effrenationem, quasi quidam rector animus, pura intelligentia roboratus, astringit, et has quodammodo inæqualitatis formas, temperata bonitate constituit. Hoc autem erit perspicuum, si intel- C ligamus omnes inæqualitatis species, ab æqualitatis crevisse primordiis, ut ipsa quodammodo æquitas, matris et radicis obtinens vim, ipsa omnes inæqualitatis species ordinesque profundat. Sint enim nobis tres æquales termini, id est tres unitates, vel tres bini, vel tres terni, vel tres quaterni, vel quantos ultra libet ponere. Quod enim in unis tribus terminis evenit, idem contingit in cæteris. Ex his igitur, secundum præcepti nostri ordinem, videas primum nasci multiplices, et in his duplices prius dehinc triplos, deinde quadruplos, et ad eumdem ordinem consequentes. Rursus, multiplices si convertantur, ex his superparticulares orientur, et ex duplicibus quidem, sesquialteri, ex triplicibus sesquitertii, ex D quadruplis sesquiquarti, et cæteri in hunc modum. Ex superparticularibus vero conversis, superpartientes nasci necesse est, ita ut ex sesquialtero nascatur superbipartiens, supertripartientem sesquitertius gignat, et ex sesquiquarto superquadripartiens. Rectis autem positis, neque conversis prioribus superparticularibus, multiplices superparticulares oriuntur. Rectis vero superpartientibus, multiplices superpartientes efficientur. Præcepta autem tria hæc sunt, ut primum numerum primo facias parem, secundum vero primo et secundo, tertium primo, duobus secundis et tertio. Hoc igitur cum in terminis æqualibus feceris, ex his qui nascentur duplices erunt. De quibus duplicibus si idem feceris, triplices procreantur, et de his quadruplices, atque in infinitum om-

nes formas numeri multiplices explicabit. Jaceant igitur 3 termini æquales.

[illegible]	[illegible]	1

Ponatur itaque primo primus æqualis, id est unus. Secundus vero, primo et secundo, id est 2; tertius vero primo, duobus secundis et tertio par sit, id est uni et duobus unis et uni, qui sunt 4, ut est descriptio.:

1	1	1
1	2	4

Videsne ut duplici proportione sequens ordo texatur? Fac rursus idem de duplicibus, ut sit primus primo æqualis, id est uni; secundus primo et secundo, id est uni et duobus, qui sunt 4; tertius primo, id est uni, duobus secundis, id est 4, et tertio, id est quatuor, qui simul 9 fiunt, et venit hæc forma :

1	1	1
1	2	4
1	3	9

Rursus, si de triplicibus idem feceris, continuus quadruplus procreabitur. Sit enim primus primo æquus, id est unus; sit secundus primo et secundo æqualis, id est 4; sit tertius primo, duobus secundis et tertio æqualis, id est 16.

1	1	1
1	2	4
1	3	9
1	4	16

Et in cæteris quidem ad hanc formam, tribus his præceptis utemur. Si vero qui ex æqualibus nati sunt multiplices, eos disponamus, et secundum hæc præcepta vertamus, ita ut converso sint ordine, sesquialter ex duplici procreabitur, sesquitertius ex triplici, sesquiquartus ex quadruplo. Sint enim 3 duplices termini, qui ex æqualibus creati sunt, et qui ultimus est, primus ponatur hujusmodi :

[illegible]	[illegible]	[illegible]

Et constituatur primo in hoc ordine, primus par, id est 4, secundus vero primo et secundo par, id est 6, tertius vero primo, duobus secundis et tertio, id est 9.

4	2	1
4	6	9

Ecce tibi illa sesquialtera quantitas ex termino duplicitatis exoritur. Videamus nunc ad eumdem modum ex triplici qui nascatur; disponantur enim triplices superiores, converso scilicet ordine sicut duplex, hic est quoque ordo dispositus :

9	3	1

Ponatur ergo primus primo æquus, id est 9; sesundus primo et secundo, id est 12; tertius primo, duobus secundis et tertio æquus, id est 16.

9	3	1
9	12	16

A Rursus secunda species superparticularis numeri, id est sesquitertius procreatus est. Quod si idem de quadruplo quis facere velit, sesquiquartus continuo nascetur, ut monstrabit subjecta descriptio :

16	4	1
16	20	16

Ac si quis idem ne cunctis in infinitum paribus multiplicatis faciat, convenienter ordinem superparticularitatis inveniet. Quod si conversos superparticulares aliquis secundum hæc præcepta convertat, continuo videat superpartientes accrescere, et ex sesquialtero quidem superbipartiens, ex sesquitertio supertripartiens procreatur, et cæteri secundum communes denominationis species, sine ulla ordinis interpolatione
B nascentur. Disponantur igitur sic :

9	6	4

Superioris igitur descriptionis, primo primus æquus numerus ascribatur. id est 9, secundus vero primo et secundo, id est 15, tertius vero primo, duobus secundis et tertio, id est 25.

9	6	4
9	15	25

Si ergo sesquitertium eodem modo vertamus, ordo supertripartiens invenitur. Sit enim prima propositio sesquitertii.

16	12	9

Ponatur secundum priorem modum, primo par pri-
C mus, id est 16; secundus primo et secundo. id est 28; tertius primo, duobus secundis et tertio, id est 49. Omnis ergo summa disposita supertripartientes efficiet.

16	12	9
16	28	49

Rursus si sesquiquartum eodem modo verteris, superquadripartiens statim quantitas procreabitur, ut est ea forma quam suppositam vides.

25	20	16
25	45	18

Restat quemadmodum ex superparticularibus et superpartientibus multiplices superparticulares et multiplices superpartientes nascantur, ostendere. Quorum
D binas tantum faciam descriptiones; namque si rectum et non conversum sesquialterum ponimus, duplex superparticularis excrescit; fit enim hoc modo :

4	6	9

Ponatur secundum superiorem modum primo, primus æqualis, id est 4; secundus primo et secundo, id est 10; tertius primo, duobus secundis et tertio æqualis, id est 25.

4	6	9
4	10	25

Atque hæc quidem duplex sesquialtera summa producta est. Si vero sesquitertium non conversum ponamus, duplus sesquitertius invenitur, ut subjecta descriptio docet.

9	12	16
9	21	49

At vero si ad superpartientes animum convertamus, eosque ordinatim secundum superiora præcepta disponamus, multiplices superpartientes ordinatim progenitos reperiemus. Disponatur enim superpartientis hæc formula :

9	15	25

Ascribatur ergo primus, primo æquus, id est 9 ; secundus primo et secundo, id est 24 ; tertius primo, duobus secundis et tertio, id est 64.

9	15	25
9	24	64

A Videsne ut ex superbipartiente duplus superbipartiens exortus sit? At vero si supertripartientem ponam, duplex sine dubio tripartiens invenitur, ut in subjecta descriptione perspicuum est :

16	28	49
16	44	121

Sic ergo de superparticularibus vel de superpartientibus multiplices superparticulares vel multiplices superpartientes oriuntur. Quare constat omnium inæqualitatum æqualitatem esse principium, ex eadem enim inæqualia cuncta nascuntur. Ac de his quidem hactenus disserendum esse credidimus, ne vel infinita sectemur, vel circa res obscurissimas ingredientium animos detinentes, ab utilioribus moraremur.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Quemadmodum ad æqualitatem omnis inæqualitas reducatur.

Superioris libri disputatione digestum est quemadmodum tota inæqualitatis substantia a principe sui generis æqualitate processerit. Sed quæ rerum elementa sunt, ex eisdem principaliter omnia componuntur, et in eadem rursus resolutione facta resolvuntur. Ut quoniam articularis vocis elementa sunt litteræ, ab eis est syllabarum progressa conjunctio, et in easdem rursus terminatur extremas, eamdemque vim obtinet sonus in musicis. Jam vero mundum 4 corpora non ignoramus efficere. Namque (ut ait) ex imbri terraque omnia gignuntur et igni ; sed inhæc rursus ejus 4 elementa fit postrema resolutio. Ita igitur, quoniam ex æqualitatis margine cunctas inæqualitatis species proficisci videmus, omnis a nobis inæqualitas ad æqualitatem rursus, velut ad quoddam elementum proprii generis resolvatur. Hoc autem trina rursus imperatione colligitur, eaque resolvendi ars. Datis quibuslibet tribus terminis, inæqualibus quidem, sed proportionaliter constitutis, id est, ut eamdem medius ad primum vim proportionis obtineat quam qui est extremus ad medium in qualibet inæqualitatis ratione, vel in multiplicibus, vel in superparticularibus, vel in superpartientibus, vel in iis quæ ex his procreantur, hoc est multiplicibus superparticularibus, vel multiplicibus superpartientibus, eadem atque una ratione indubitata constabit. Propositis enim tribus (ut dictum est) terminis, æquis proportionibus ordinatis, ultimum semper medio detrahamus, et ipsum quidem ultimum, primum terminum collocemus, quod de medio relinquitur, secundum. De tertia vero propositorum terminorum summa auferemus unum primum, et duos secundos eos qui de medietate relicti sunt, et id quod ex tertia summa relinquitur, tertium terminum constituemus. Videbis igitur hoc facto, in minorem modum summas reverti, et ad principaliorem habitudinem compara-

B tiones proportionesque reduci, ut si sit quadrupla proportio, primo ad triplam, inde ad duplam, inde ad æqualitatem usque remeare. Et si sit superparticularis sesquiquartus, primo ad sesquitertium, inde ad sesquialterum postremo ad tres æquales terminos redire. Hoc autem nos exempli gratia in multiplicitantum proportione docebimus Solertem vero, in aliis quoque inæqualitatis speciebus id experientem, eadem ratio præceptorum juvabit. Constituantur enim tres ad se termini quadrupli.

8	32	128

Aufer igitur ex medio minorem, id est ex triginta duobus, octonarium, relinquuntur 24, et primum octonarium terminum pones, secundum vero, quod C reliquum fuerit ex medio, id est 24, ut sint hi duo termini, 8 et 24. De tertio vero, id est 128, aufer unum primum, id est 8, et duos secundos qui sunt reliqui, id est bis 24, et relinquuntur 72. His dispositis terminis, ex quadruplis propinquior æquitati proporio, tripla redacta est. Sunt enim termini :

8	24	72

Ex his autem ipsis idem si feceris, ad duplum rursus comparatio remeabit. Pone enim primum minori æquum, id est 8, et ex secundo aufer primum, 16 relinquentur. Sed ex tertio, id est ex 72, aufer primum, id est 8, et duos secundos, id est bis 16, et erit reliqua pars 32. Quibus positis, ad duplas proportiones habitudo redigitur.

D

8	16	32

Idem vero ex his si fiat, rem omnem ad æqualitatis summas eliquabimus. Pone enim primum minori æquum, id est 8, et aufer ex 16 octonarium, remanent 8, quibus dispositis, ex tertio, id est 32, sumptis primo, id est 8, et duobus secundis, id est duobus octonariis, supersunt 8. Quibus dispositis, prima nobis æqualitas cadit, ut subjectæ summulæ docent.

8	8	8

Hinc igitur si quis ad alias inæqualitatis species ani- A mum tendat, eamdem convenientiam intitubanter inveniet. Quare pronuntiandum est, nec ulla trepidatione dubitandum, quod quemadmodum per se constantis quantitatis unitas principium et elementum est, ita et ad aliquid relatæ quantitatis æqualitas mater est. Demonstravimus enim. quod hinc et ejus procreatio prima foret, et in eam rursus postrema solutio est.

CAPUT II.

De inveniendo in unoquoque numero quot numeros ejusdem proportionis possit præcedere, eorumque descriptio, descriptionisque expositio.

Est autem quædam in hac re profunda et miranda speculatio, et (ut ait Nicomachus) ἐννοιόφατον θεώρημα B perficiens, et ad Platonicam in Timæo animæ generationem, et ad intervalla harmonicæ disciplinæ. Ibi enim jubemur perducere atque extendere tres vel quatuor sesquialteros, vel quotlibet sesquitertias proportiones, et sesquiquartas comparationes, eas quæ secundum propositum ordinem, sæpe continuas jubemur extendere. Ne autem hoc, labore quodam semper quidem maximo, frequentius inferaci fiat, hac nobis ratione, in quot numeris quanti possint esse superparticulares investigandum est. Omnes enim multiplices, tantarum similium sibimet proportionum principes erunt, quoto ipsi loco ab unitate discesserunt. Quod autem dico, sibimet similium tale est, ut dupli semper multiplicitas (ut superius dictum est) sesquialteros creet, et triplex sit dux sesquiter- C tiorum, quadruplus sesquiquartis. Primus ergo duplex unum solum habebit sesquialterum, secundus duos, tertius tres, quartus quatuor, et secundum hunc ordinem eadem fit in infinitum progressio. Neque unquam fieri potest ut vel superet proportionum numerum, vel ab eo sit diminutior æquabilis ab unitate locatio. Primus ergo duplex est binarius numerus, qui unum solum sesquialterum recipit, id est ternarium. Binarius enim contra ternarium comparatus sesquialteram efficit proportionem. Ternarius vero, quoniam medietatem non recipit, non est alter numerus ad quem in ratione sesquialtera comparetur. Quaternarius vero numerus, secundus duplex est, hic ergo duos sesquialteros præcedit. Est enim D ad ipsum quidem comparatus senarius numerus, ad senarium vero, quoniam medietatem habet novenarius, et sunt duo sesquialteri, ad 4 scilicet 6, ad sex vero 9. Novenarius vero, quoniam medietate caret. ab hac comparatione seclusus est. Tertius vero duplex est 8, hic ergo 3 sesquialteros antecedit. Comparatur enim ad ipsum duodenarius numerus, ad duodenarium 18, ad 18 rursus 27. At vero 27 medio carent. Idem quoque in sequentibus evenire necesse est quod nos cum propria ordinatione subdidimus. Semper enim hoc, divina quadam nec humana constitutione. speculationibus occurrit, ut quotienscunque ultimus numerus invenitur, qui loco duplicis ab unitate sit par, talis sit ut in medietates dividi secarique non possit.

Latitudo.

1	2	4	8	16	32
	3	6	12	24	48
	An	9	18	36	72
		gu	27	54	105
			la	81	162
				ris	143

Idem contingit etiam in triplicibus, ex illis enim sesquitertii procreantur. Nam quoniam primus triplex est ternarius numerus, habet unum sesquitertium, id est 4. Cujus quaternarii tertia pars non potest inveniri, atque ideo hic epitrito caret. Secundus vero, qui est novem, habet ad se duodenarium numerum sesquitertium. Duodenarius autem, quoniam habet tertiam partem, in sesquitertia proportione comparatur ad eum numerus sedecim, qui tertiæ partis sectione solutus est. Viginti septem autem, quoniam tertius est triplex, habet ad se sesquitertium triginta sex, et hic rursus ad quadraginta octo eadem proportione comparatur. Cui si sexaginta quatuor appositi fuerint, eamdem rursus vim proportionis explebunt. Quos sexaginta quatuor ad nullum sesquitertium rursus aptabis, quoniam parte tertia non tenentur. Atque hoc in cunctis triplicibus invenitur, ut extremus ejusdem proportionis numerus, tantos ante se præcedentes habeat, quanto primus eorum ab unitate discesserit. Et qui tot super se ejusdem proportionis habuerit numeros, quotus ab unitate primus eorum jacet, ejus pars qua illi comparatus numerus, possit eamdem facere proportionem, inveniri nequeat. Et triplicis quidem hæc est descriptio :

Latitudo.

1	3	9	27	81	243
	4	12	36	108	324
	An	16	48	144	432
		gu	64	192	576
			la	256	768
				ris	1024

At quadrupli secundum hanc formam descriptio est, ad quam scilicet, qui a prioribus instructus accesserit, nulla ratione trepidabit, et de cæteris quidem multiplicibus, eamdem convenientiam pernotabit.

Latitudo.

1	4	16	64	256	1024
	5	20	80	3[illegible]0	1080
	An	25	100	400	1600
		gu	125	500	2000
			la	625	2500
				ris	2125

Hinc quoque perspicuum est, superparticularium (quemadmodum prius ostensum est) primos esse multiplices. Siquidem duplices sesquialteros, triplices sesquitertios, et cuncti multiplices cunctos in ordinem superparticulares creant. Est etiam in his hoc quoque mirabile. Namque ubi prima latitudo fuerit duplex, et sub eisdem qui sunt versus continui alternatim positi, secundum seriem latitudinis duplices erunt. Si vero fuerint triplices et inferiores ordines,

tripla se in suis terminis multiplicatione superabunt At in quadrupla, quadrupli, atque hoc infinita ductum speculatione non fallit. Angulares autem omnium multiplices evenire necesse est. Erunt autem duplicium quidem triplices, triplicium quadruplices, quadruplorum vero quincupli, et secundum eamdem ordinis incommutabilem rationem, sibimet cuncta consentient, quibus expositis, ad sequentem operis seriem competens disputatio convertatur.


A

CAPUT III.


Quod multiplex intervallum ex quibus superparticularibus medietate posita, intervallis fiat, ejusque inveniendi regula.

Si igitur duæ primæ superparticulares species conjungantur, prima species multiplicitatis exoritur. Omnis autem duplex ex sesquialtero sesquitertioque componitur, et omnis sesquialter et sesquitertius duplicem jungunt. Nam ternarius, sesquialter est duorum, quatuor vero, sesquitertius ternarii, sed 4 duplus duorum.


B




Sic igitur sesquialter et sesquitertius unum duplicem componunt. At vero si fuerit medietas et duplus, inter duplicem et medium potest una medietas talis inveniri, quæ ad alteram extremitatem sesquialtera sit, ad alteram sesquitertia. Altrinsecus enim positis senario et ternario, id est duplici et medietate, si quaternarius in medio collocetur, ad ternarium numerum sesquitertiam continet rationem, ad senarium vero sesquialteram.



Recte igitur dictum est, et duplicem a sesquialtero sesquitertioque conjungi, et has duas superparticularis species duplicem procreare, id est primam speciem multiplicis quantitatis. Rursus ex prima muliplicis specie, id est ex duplici, et prima superparticulari, id est sesquialtera, continens multiplicis species, id est tripla conjungitur. Namque 12 senarii numeri duplus est, decem vero et octo, ad duodenarium sesquialter. qui ad senarium numerum triplus est.




Et positis eisdem, 6 et 18, novenarius in medietate ponatur, erit ad senarium sesquialter, qui ad 18. Subduplus est, et ad senarium 18 triplus est.




Ex duplici igitur et sesquialtero, triplex ratio proportionis exoritur, et in eas rursus resolutione facta revocatur. Si autem hic, id est triplus numerus, qui est species secunda multiplicis secundæ speciei superparticularis aptetur, quadrupli continuo forma contexitur, et in easdem rursus partes naturali partitione solvetur, secundum modum quem superius demonstravimus.


C



D Si vero quadruplus sese ac qesquiquartus agglomerent, quincuplus continuo fiet :



Et si quincuplus cum sesquiquinto, mox sescupli proportio conjugabitur.



Atque ita secundum hanc progressionem cunctæ multiplicitatis species sine ulla rati ordinis permutatione nascentur. Ita vero ut duplus cum sesquialtero triplicem creet, et triplus cum sesquitertio, quadruplum quadruplus cum sesquiquarto, quincuplum, et cæteri eodem modo, ut nullus hanc continuationem finis impediat.

CAPUT IV.

De per se constante quantitate, quæ in figuris geometricis consideratur; communis ratio omnium magnitudinum.

Hæc quidem de quantitate quam secundum ad aliquid speculamur, ad præsens dicta sufficiant. Nunc autem in hac sequentia, quædam de ea quantitate quæ per seipsam constat, neque ad aliquid refertur, expediam, quæ nobis ad ea prodesse possunt, quæ post hæc rursus de relata ad aliquid quantitate tractabimus. Amat enim quodammodo matheseos speculatio alterna probationum ratione constitui. Nunc autem nobis de his numeris sermo futurus est, qui circa figuras geometricas et earum spatia dimensionesque versantur, id est de linearibus numeris, et de triangularibus vel quadratis, cæterisque quos sola pandit plana dimensio, nec non de inæquali laterum compositione conjunctis. De solidis etiam, id est cubis et sphæricis vel pyramidicis, laterculis etiam vel tignulis et cuneis, quæ omnia quidem geometricæ propriæ considerationis sunt. Sed sicut ipsa geometricæ scientia ab arithmetica velut quadam radice ac matre producta est, ita etiam ejus figuraram semina in primis numeris invenimus. Planum siquidem fecimus quod omnes disciplinas hæc interempta consumeret, quas minime constituta infirmaret. Hoc autem cognoscendum est quod hæc signa numerorum posita quæ nunc quoque homines in summarum designatione describunt, non naturali institutione formata sunt; ut enim quinarii subjectam notulam signant de v. vel denarii, quam descripsimus de x, et alias hujusmodi, non natura posuit, sed usus affinxit. Quinque enim vel decem, vel quotlibet alios illis notulis pro compendio notare voluerunt, ne quotiens unitates quis monstrare vellet, totiens ei virgulæ ducerentur. Nos autem quotienscunque aliquid monstrare volumus, in his præsertim formulis, ordinatarum virgularum multitudinem non gravamur apponere. Cum enim quinque volumus demonstrare, facimus quinque virgulas, ducimusque eas hoc modo, 1 1 1 1 1, et cum 7 totidem, et cum 10 nihilominus quia naturalius est quemlibet numerum quantas in

A se retinet, tot unitatibus designare quam notulis. Est igitur unitas vicem obtinens puncti, intervalli, longitudinisque principium, ipsa vero nec intervalli, nec longitudinis capax, quemodmodum punctum principium quidem lineæ est atque intervalli, ipsum vero nec intervallum nec linea. Neque enim punctum puncto superpositum ullum efficit intervallum, velut si nihil nulli jungas. Nihil enim est quod ex nullorum procreatione nascatur. Eadem quippe etiam circa æqualitates proportio manet. Nam si quotlibet fuerint termini pares, tantum quidem est a primo ad secundum, quantum a secundo ad tertium. Sed inter primum et secundum, vel secundum et tertium, nulla est intervalli longitudo vel spatium.
B Si enim tres senarios ponas hoc modo 6, 6, 6, quemadmodum primus est ad secundum, sic est secundus ad tertium. Sed inter primum et secundum nihil interest, 6 enim et 6 nulla spatii intervalla disjungunt. Ita etiam unitas in seipsa multiplicata nihil procreat. Semel enim in unum nihil aliud ex se gignit quam ipsa est. Nam quod intervallo caret, etiam vim gignendi intervalla non recipit, quod in aliis numeris non videtur evenire. Omnis enim numerus in seipsum multiplicatus alium quemdam efficit majorem quam ipse est, idcirco quoniam intervalla multiplicata majore sese spatii prolixitate distendunt. Id vero quod sine intervallo est, plus quam ipsa est, pariendi non habet postestatem. Ex hoc igitur principio, id est unitate prima omnium longitudo succrescit, quæ
C a binarii numeri principio in cunctos sese numeros explicat, quoniam primum intervallum linea est, duo vero intervalla sunt longitudo et latitudo, id est linea et superficies. Tria ergo intervalla sunt, longitudo, latitudo, altitudo, id est linea, superficies atque soliditas. Præter hæc autem alia intervalla inveniri non possunt. Aut enim unum intervallum erit quod longitudo est, aut aliquid quod duobus intervallis expositum est, ut si qua res longitudinem habeat et latitudinem, vel trina intervalli dimensione porrigitur, si longitudine, altitudine, latitudineque censetur, supraque adeo nihil inveniri potest, ut ipsorum sex motuum formæ ad intervallorum naturas et numerum componautur. Unum
D enim intervallum duos in se continet motus, ut in tribus intervallis sex sese motuum summa conficiat hoc modo. Est enim in longitudine ante et retro. in latitudine sinistra et dextra, in altitudine sursum ac deorsum. Necesse est autem ut quidquid fuerit solidum corpus, hoc habeat longitudinem, latitudinemque et altitudinem, et quidquid hæc tria in se continet, illud suo nomine solidum vocetur. Hæc enim tria circa omne corpus inseparabili conjunctione versantur, et in natura corporum constituta sunt. Quare quidquid uno intervallo caret, illud corpus solidum non est. Nam quod duo sola intervalla retinet, illud superficies appellatur. Omnis enim superficies sola longitudine et latitudine continetur, et hic eadem illa conversio remanet. Omne enim quod superficies est, longitudinem et latitudinem retinet,

et quod hæc retinet, illud est superficies. Hæc autem superficies uno tantum intervallo solidi corporis dimensione superatur, quæ uno rursus intervallo lineam vincit, quæ longitudinis naturam retinens, latitudinis expers est. Quæ linea eo quod unius est intervalli sortita naturam, a superficie uno intervallo, a soliditate duobus spatiis vincitur. Punctum igitur alio rursus intervallo a linea vincitur, ipsa scilicet quæ reliqua est longitudine. Quare si punctum uno quidem intervallo a linea supergreditur, idem a superficie vincitur duobus, tribus vero intervalli dimensionibus a soliditate relinquitur, constat punctum ipsum sine ulla corporis magnitudine vel intervalli dimensione, cum et longitudinis et latitudinis et profunditatis expers sit, omnium intervallorum esse principium, et natura insecabile, quod Græci atomon vocant, id est ita diminutum atque parvissimum, ut ejus pars inveniri non possit. Est igitur punctum primi intervalli principium, non tamen intervallum, et lineæ caput, sed nondum linea. Sicut linea quoque superficiei principium est, sed ipsa superficies non est, et secundi intervalli caput est, secundum tamen intervallum ipsa non retinet. Idem quoque et in superficiei rationem cadit, quæ et ipsa solidi corporis et triplicis intervalli naturale sortitur initium, ipsa vero nec trina intervalli dimensione distenditur, nec ulla crassitudine solidatur.

CAPUT V.

De numero lineari.

Sic etiam in numero unitas quidem cum ipsa linearis numerus non sit, in longitudinem tamen distenti numeri principium est. Et linearis numerus cum ipse totius latitudinis expers sit, in aliud tamen spatium latitudinis extenti numeri sortitur initium. Superficies quoque numerorum cum ipsa solidum corpus non sit, addita tamen altitudini solidi corporis caput est. Hoc autem planius his exemplis liquebit. Linearis numerus est a duobus inchoans, adjecta semper unitate in unum eumdemque ductum quantitatis explicata congeries, ud est id quod subjecimus.




CAPUT VI.

De planis rectilineis figuris, quodque earum principium sit triangulus.


D Plana vero superficies in numeris invenitur, quotiens a tribus inchoatione facta addita descriptionis latitudine, sequentium se naturalium numerorum multitudine anguli dilatantur, ut sit primus triangulus numerus, secundus quadratus, tertius qui sub quinque angulis continetur, quem pentagonum Græci nominant; quartus hexagonus, id est qui sex angulis includitur; quintus heptagonus, sextus ogdogonus, id est qui 7 vel 8 angulorum terminis dilatantur, et cæteri eodem modo singillatim per naturalem numerum angulos augeant, in plana scilicet descriptione figurarum. Hi vero idcirco a ternario numero inchoant, quod latitudinis et superficiei solus ternarius principium est. In geometrica quoque idem planius invenitur. Duæ enim lineæ rectæ spatium non

A continent, et omnis triangularis figura, vel tetragoni, vel pentagoni, vel hexagoni, vel cujuslibet qui pluribus angulis continetur, si a medietate per singulos angulos lineæ producantur, tot eum dividunt trianguli, quot ipsam figuram angulos habere contigerit. Quadratum enim ita ductæ lineæ in 4, pentagonum in 5, hexagonum in 6, heptagonum in 7, et cæteros in suorum angulorum modo mensuraque per triangulos partiuntur, ut est subjecta descriptio.



B

At vero triangula figura cum eam quis ita diviserit, in alias figuras non resolvitur nisi in seipsam, in tria enim triangula dissipatur.




C Adeo hæc figura princeps est latitudinis, ut cæteræ omnes superficies in hanc resolvantur, ipsa vero quoniam nullis est principiis obnoxia, neque ab alia latitudine sumpsit initium, in sese ipsa resolvatur. Idem autem et in numeris fieri sequens operis ordo monstrabit.

CAPUT VII.

Dispositio triangulorum numerorum.

Est igitur primus triangulus numerus qui solis tribus unitatibus dissipatur, secundum superficiei positionem, triangula scilicet descriptione, et post nunc quicunque æqualitatem laterum, in trina laterum spatia segregant.



CAPUT VIII.

De lateribus triangulorum numerorum.

Ad hunc modum infinita progressio est, omnesque ordine trianguli æquilateri procreabuntur, et primum omnium ponent, id quod ex unitate nascitur, ut hæc vi sua triangulus sit, non inde etiam opere atque actu. Nam si cunctorum est mater numerorum, quidquid in iis qui ab ea nascuntur numeris invenitur, necesse est ut ipsa naturali quadam potestate contineat, et hujus trianguli latus est unitas. Ternarius vero qui primus est opere et actu ipso triangulus, crescente unitate binarium numerum latus habebit. Vi enim et potestate primi anguli, id est unitatis, unitas latus est, actu vero et opere trianguli primi, id est ternarii dualitas, quam Græci dyada vocant. Secundi vero trianguli qui opere atque actu secundus est, id est senarii, crescente naturali numero in lateribus ternarius invenitur. Tertius vero, id est denarii, quaternarius latus continet, et quarti vero, id est 15, quinarius latus tenet, et quinti senarius. Idemque usque in infinitum.

CAPUT IX.

De generatione triangulorum numerorum.

Nascuntur autem trianguli disposita naturali quantitate numerorum, si prioribus semper multitudo sequentium congregetur. Disponatur enim naturalis numerus hoc modo :


1	2	3	4	5	6	7	8	9

Ex his igitur si primum numerum sumam, id est unitatem, habeo primum triangulum, qui est vi et potestate, nondum etiam actu nec opere. Huic si secundum aggregavero, qui in naturali numerorum dispositione descriptus est, id est binarium, primos mihi triangulus opere et actu nascitur, id est ternarius. Si vero huic tertium ex naturali numero adjecero, secundus mihi opere et actu triangulus procreatur. Super unum enim et duo si tertium, id est ternarium, aggregavero, senarius extenditur, secundus scilicet triangulus. Huic vero si consequentem quaternarium superposuero, denarius explicatur, qui est tertius actu triangulus, quos per latera disponens, ad superioris descriptionis exemplar, cunctos triangulos numeros sine ullius dubitationis erroribus pernotabis, et quantas ultimus numerus in se unitates habet, quem superioribus aggregabis, tot ipse qui fit triangulus unitates habebit in latere. Nam ternarium, qui est primus actu triangulus, adjecto binario unitati feceramus ; at hic duos habet in latere, et senarium his adjecta ternarii quantitate produximus, cujus latus soli tres continent, et idem in aliis cunctis quot unitates habentem numerum superioribus aggregabis, tot unitatibus ejus latera continebuntur.

CAPUT X.

De quadratis numeris.

Quadratus vero numerus est qui etiam ipse quidem latitudinem pandit, sed non in tribus angulis ut
A superior forma, sed quatuor. Ipse quoque æquali laterum dimensione porrigitur. Sunt autem hujusmodi :



CAPUT XI.

De eorum lateribus.

Sed in his quoque secundum naturalem numerum, laterum augmenta succrescunt. Primus enim vi et potentia quadratus, id est unitas, unum habet in la-
B tere. Secundus vero, qui actu primus, id est 4, duobus per latera positis continetur. Tertius vero, id est novem, qui secundus est opere, tribus in latere positis aggregatur. Et ad eamdem sequentiam cuncti procedunt.

CAPUT XII.

De quadratorum generatione, rursusque eorum lateribus.

Nascuntur autem tales numeri ex naturalis numeri dispositione, non quemadmodum superiores trianguli, ut ordinatis ad se invicem numeris congregentur, sed uno semper intermisso, qui sequitur, si cum superiori vel superioribus colligatur, ordinatos ex se quadratos efficiet. Disponatur enim naturalis nume-
C rus hoc modo :

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

Ex his igitur si unum respiciam, primus mihi natus est potestate quadratus. Quod si uno relicto priori tertium junxero, secundus mihi quadratus efficitur. Nam si uni relicto binario quinarium apposuero, quaternarius mihi quadratus exoritur. Quod si rursus, relicto medio quaternario, quinarium similiter aggregavero, quadratus mihi tertius, id est novenarius procreatur. Unus enim et 3 et 5 novem colligunt. At vero si his, intermisso senario. septenarium jungam, tota in 16 ejus summa concrescit, id est quarti quadrati numerositas. Et ut breviter hujus forma procreationis appareat, si cuncti impares sibimet appo-
D nantur, collocato scilicet naturali numero, quadratorum ordo texetur. Est etiam in his hæc naturæ subtilitas et immobilis ordinatio, quod tot unitates unusquisque quadratorum retinebit in latere, quanti fuerint numeri ad conjunctionem propriam congregati. Nam in primo quadrato, quoniam ex uno fit, unus est in latere. In secundo, id est quaternario, quoniam ex uno et tribus procreatur, qui duo sunt termini, binario latus texitur, et in novenario, quoniam tribus numeris procreatur, latus ternario continetur. Atque idem in aliis videri licet.

CAPUT XIII.


De pentagonis eorumque lateribus.

Pentagonus vero numerus est qui ipse quidem in

latitudinem secundum unitatem descriptis quinque angulis continetur, cunctis scilicet lateribus æquali dimensione dispositis. Sunt autem hi :

1	5	12	22	35	51	70

Eodem quoque modo eorum latera succrescunt. Nam primi potestate pentagoni, id est unius, idem unus spatium lateris tenet. Secundi vero quinarii, qui est actu ipso atque opere primus pentagonus, bini per latera fixi sunt. Tertius vero, id est 12, tribus in latus auctus est. Quartus 22, 4 numerorum in latere quantitate distenditur. Atque idem in cæteris secundum unitatis progressionem, in naturali scilicet numero, secundum superiorem figurarum incrementa tenduntur.



CAPUT XIV.

De generatione pentagonorum.

Nascuntur autem hi numeri qui extensi in latitudinem, quinque angulos pandunt, ab eadem naturalis numeri quantitate in sese coacervata, ita ut duobus semper interjectis numeris superiori vel superioribus, vincens ternario eum cui jungendus est aggregetur. Namque unitate, intermissis duobus et tribus, si quatuor jungas, qui tribus ipsam superent unitatem, quinarius pentagonus procreabitur. Post 4 vero si, intermisso quinario et senario, 7 aggreges, duodenarium pentagonum procreabis. Namque 1 et 4 et 7 numeri 12 explebunt. Hoc etiam in aliis fiet. Nam si 10, vel 13, vel 16, vel 19, vel 22, vel 25 superioribus cunctis adjunxeris, eodem quo superius modo pentagoni fient, secundum superiorem descriptionem.

22	35	51	70	92	117

CAPUT XV.

De hexagonis eorumque generationibus.

Hexagoni autem, qui sex angulis, et heptagoni, qui 7 rursus lateribus continentur, secundum hunc modum eorum laterum augmenta succrescunt. Namque in trianguli numeri natura procreationeque ipsos numeros jungebamus, qui sese in naturali dispositione sequerentur, et se tantum unitate transirent; quadrati vero numeri, id est tetragoni procreatio, fiebat ex numeris qui uno intermisso copulabantur,

A cum se binario superarent; pentagoni vero natura fuit ex duobus interpositis relictisque qui se ternario vincerent. Secundum quoque talia augmenta hexagonorum, vel octogonorum, vel 9 laterum figura, vel 10, vel quotlibet aliorum, competenti progressione conficitur. Ut enim in pentagono, duobus intermissis eos jungebamus qui se ternario superarent, ita nunc in hexagono, tribus intermissis eos jungemus qui se quaternario transeant, et erunt quidem eorum radices et fundamenta, ex quibus junctis omnes hexagoni nascuntur.

1	5	9	13	17	21

Et ad eumdem ordinem consequentes, atque ab his sexangulorum formæ nascuntur.

B

1	6	15	28	45	66

Quos ad superiorem modum, scilicet descriptos, in propriis ordinibus pernotabis.

CAPUT XVI.

De heptagonis eorumque generationibus, et communis omnium figurarum inveniendæ generationis regula, descriptionisque.

Septem vero angulorum figura est, cum ad eumdem ordinem progressionis uno plus quam in sexangulorum figura numero intermisso superiori conjunxeris. Nam si quatuor interpositis, qui sese quinario vincant, aggregaveris, heptagoni continuo figura nascetur, ut hi numeri sint eorum radices, et (ut superius dictum est) fundamenta.


C


1	6	11	16	21

Qui vero ex his constant hi sunt.

1	7	18	34	55

Novem vero angulorum secundum eumdem ordinem forma procreatur, ita ut secundum æqualem progressionem primi quoque eorum numeri distent. Nam in triangulo qui sunt numeri, quæ prima superficiei figura est, uno sese tantum numeri præcedunt, qui scilicet eorum naturam descriptionemque perficiunt. In tetragono vero qui secundus est, duobus sese juncti numeri vincunt, et in pentagono 3, et in hexagono 4, et in heptagono 5, hujusque rei
D nullus est modus. Hoc autem nos subjectarum formarum descriptiones docebunt.





CAPUT XVII.

Descriptio figuratorum numerorum in ordine.

Similiter autem licebit et aliarum formarum, quæ pluribus angulis continentur, quantitates ascribere. Sed quoniam facilius oculis subjecta retinentur, supradictarum formarum numerositas in subteriore descriptione ponatur.

Trianguli	1	3	6	10	15	21	28
Quadrati	1	4	9	16	25	36	49
Pentagoni	1	5	12	22	35	51	70
Hexagoni	1	6	15	28	45	66	91
Heptagoni	1	7	18	34	55	81	112

CAPUT XVIII.

Qui figurati numeri ex quibus figuratis numeris fiant atque quod triangulus numerus omnium reliquorum principinm sit.

His igitur ita sese habentibus, quid in hac re sit consequens investigemus. Omnes enim tetragoni qui A sub triangulis sunt naturali ordinatione dispositi, ex superioribus triangulis procreantur, illorumque 'collectione qnadrati figura componitur. Quatuor enim tetragonus fit ex uno et tribus, id est ex duobus superioribus triangulis. Novem vero, ex tribus et 6, sed utrique sunt trianguli. At 16 ex 6 et 10, et 25 ex 10 et 15. Idemque in sequenti ordine quadratorum constans atque immutabile reperitur. Pentagonorum vero summæ conficiuntur ex uno super se tetragono, et altrinsecus triangulo constituto. Namque 5 pentagonus, ex quatuor super se posito tetragono, et ex uno qui in triangulorum ordine ponitur, aggregatur. Duodecim vero pentagonus, ex novenario super se quadrato, et tribus secundo triangulo nascitur. Viginti B duo vero ex 16 et 6, quadrato scilicet atque triangulo, et 35 ex 25 et 10, et in ordinem ad eumdem modum intuentem nulla cunctatio contrarietatis impediet. At vero si hexagonos librata examinatione perspicias, ex eisdem triangulis et super se positis pentagonis procreantur. Namque sex hexagonus ex quinario pentagono et uno qui est in triangulorum ordine dispositus nascitur. Nec alia est origo 15 hexagoni, nisi ex duodenario pentagono et ternario triangulo. Quod si 28 rursum hexagonum ex quibus superioribus nascatur addiscas, nullos invenies nisi 22 pentagonum senariumque triangulum. Atque hoc in cæteris. Nec hunc geniture ordinem heptagonorum procreatio refutabit. Namque ex super se hexagonis, et ex eminus positis triangulis procreantur. C Septem enim heptagonus nascitur ex senario hexagono, et uno potestate triangulo, 18 vero heptagonus ex 15 hexagono et ternario triangulo conjungatur, et 34 ex 28, scilicet hexagono et senario triangulo, atque hoc in cunctis inoffensum reperire licet. Videsne igitur ut primus omnium triangulus cunctorum summas efficiat, et omnium procreationibus misceatur?

CAPUT XIX.

Pertinens ad figuratorum numerorum descriptionem speculatio.

Hi vero omnes si ad latitudinem fuerint comparati, id est trianguli tetragonis, vel tetragoni pentagonis, vel pentagoni hexagonis vel hi rursus heptagonis, sine aliqua dubitatione triangulis, sese su- D perabunt. Namque si ternarium triangulum quaternario, vel quaternarium tetragonum quinario, vel quinarium pentagonum senario hexagono, vel senarium septenario heptagono compares, primo se triangulo, id est sola transeunt unitate. At vero si senarius contra novenarium, vel hic contra 12, vel hic contra 15, vel 15 contra 18 pro inveniendis differentiis comparentur, secundo se triangulo, id est ternario, superabunt. Decem vero ad 16, et 19 ad 22, et 22 ad 28, et 28 ad 34 si componas, tertio se triangulo vincent, id est senario. Atque hoc rite notabitur in aliis cunctis sequentibus esse perspectum, omnesque se triangulis antecedent. Quare perfecte, ut arbitror, demonstratum est omnium formarum principium elementumque esse triangulum.

CAPUT XX.


De numeris solidis.

Hinc vero ad figuras solidas facilior via est. Præcognito enim quid in planis numerorum figuris vis ipsa quantitatis naturaliter operetur, ad solidos numeros non erit ulla cunctatio. Sicut enim longitudini numerorum aliud intervallum, id est superficiem, ut latitudo ostenderetur, adjecimus, ita nunc latitudini si quis addat eam quæ alias altitudo, alias crassitudo, alias profunditas appellatur, solidum numeri corpus explebit.

CAPUT XXI.

De pyramide quod ea sit solidarum figurarum princi-
B *pium, sicut triangulus planarum et de speciebus*

Videtur autem quemadmodum in planis figuris triangulus numerus primus est, sic in solidis qui vocatur pyramis profunditatis esse principium. Omnium quippe ratarum in numeris figurarum necesse est invenire primordia. Est autem pyramis alias a triangula basi in altitudinem sese erigens, alias a tetragona, alias a pentagona, et secundum sequentium multitudines angulorum ad unum cacuminis verticem sublevata. Posito enim triangulo atque disposito, si per tres angulos singulæ rectæ lineæ stantes ponantur, hæque tres inclinentur ut ad unum medium punctum vertices jungant, fit pyramis. Quæ cum a triangula basi profecta sit, tribus triangulis
C per latera concluditur hoc modo : Sit a, b, c, triangulum, si huic igitur triangula per tres angulos erigantur lineæ, et ad unum punctum convertantur, quod est d, ita ut d punctum non sit in plano sed pendens, illæ scilicet lineæ ad ipsum erectæ verticem, et quodammodo cacumen d facient, et erit basis a, b, c. unum triangulum, per latera vero, tria triangula, id est unum triangulum a, d, b, aliud vero b, d, c, tertium vero c, d, a.




CAPUT XXII.


De his pyramidis quæ a quadratis vel a cæteris multiangulis figuris proficiscuntur.

Item si a tetragona basi proficiscatur, et ad unum verticem ejus lineæ dirigantur, erit pyramis quatuor triangulorum per latera, uno tantum tetragono in basi posito, super quam figura ipsa fundata est, et si a pentagono surgant quinque lineæ, quinque rursus
A pyramis triangulis continebitur, et si ab hexagono, sex triangulis nihilominus, et quantoscunque angulos habuerit figura super quam pyramis residet, tot ipsa per latera triangulis continetur, ut in subjectis descriptionibus palam est.

Pyramis ex tetragono — Pyramis ex pentagono



Pyramis ex hexagono — Pyramis ex ogdogono — Pyramis ex heptagono



CAPUT XXIII.

Solidorum generatio numerorum

Dicuntur autem hujusmodi pyramides hoc modo : Prima pyramis de triangulo, secunda pyramis de tetragono, tertia pyramis de pentagono, quarta pyramis de hexagono, quinta pyramis de heptagono. Idem in cæteris constat numeris. Nam quoniam lineares numeros esse diximus qui ab uno profecti in infinitum currerent, ut sunt :

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

His autem ordinatim compositis, et in se invicem
D cum distantia junctis, superficies nescabantur, ut si unum et duo jungeres, primus triangulus nasceretur, id est 3, et cum his adjungeremus tertium, id est ternarium, senarius triangulus rursus ocurreret, et post hos, tetragoni, uno intermisso, peutagoni vero duobus, hexagoni tribus, heptagoni, relictis quatuor, nascebantur. Nunc vero ad solidorum corporum procreationem, ipsæ nobis superficies naturaliter figuratæ provenient, et ad faciendas quidem pyramidas a triangulo ipsi nobis trianguli componendi sunt. Ad procreandas vero pyramidas a tetragono, tetragoni, ad eas vero quæ sunt a pentagono, pentagoni copulandi sunt, et illæ quæ sunt ab hexagono vel heptagono, non nisi hexagonorum vel heptagonorum copulatione nascentur. Primus ergo potestate triangulus, unitas est, eamdemque etiam ponemus virtute pyra

midem ; secundus vero triangulus est ternarius, quem si cum primo conjunxero, id est cum unitate, quaternaria mihi profunditas pyramidis excrescit. At vero si iis tertium senarium junxero, denaria pyramidis procreabitur altitudo. His si denarium junxero, 20 numerorum pyramis veniet, atque ita in cunctis aliis eadem ratio copulationis est.

Trianguli.

1	3	6	10	15	21	28	36	45	55

Pyramides a triangulis.

1	4	10	20	35	56	84	120	165	220

In hac igitur conjunctioue necesse est ut semper qui ultimus sit conjugatorum numerorum, is quasi quodammodo basis sit. Cunctis enim latior invenitur ; et qui ante ipsum numeri conjunguntur, minores esse necesse est, usque dum ad unitatem detractio rata perveniat, quæ puncti quodammodo et verticis obtineat locum. Namque in 10 pyramide super sex additi sunt 3 atque unus, qui senarius superat ternariam quantitatem, ipsi vero tres unum pluralitate transcendunt, qui unus extremum terminum progressionis offendit. Similis quoque ratio in cæteris prospici potest, si eorum procreationes diligentius volueris perscrutari. Illæ vero quæ sunt a tetragono pyramides, eadem tetragonorum super se compositione nascuntur. Descriptis enim cunctis tetragonis,, id est :

1	4	9	16	25	36	49	64	81	100

si unitatem primam ex hac dispositione præsunam, erit mihi potestate et vi pyramis ipsa unitas, nondum etiam opere atque actu. At si huic tetragonum superponam, id est 4, nascetur pyramis quinque numerorum quæ duobus tantum numeris per latera positis continetur. Sin vero his sequentes 9 adjecero, fiet mihi 14 numerorum forma pyramidis, quæ per latera trtbus unitatibus concludatur. Atque huic si sequentem tetragonum 16 superponam, tricenaria mihi pyramidis forma producitur. In his quoque omnibus pyramidibus tot erunt unitates per latera quantæ in se fuerint numerorum aggregatæ quantitates. Nam unitas, quæ prima pyramis est, unum solum id est seipsam, gerit in latere. Quinque vero quæ constant ex 1 et 4, duobus per latera designatur, et 14, quæ ex tribus numeris compositis fit, ternario numero in latere posito constituitur. Hanc autem pyramidum generationem monstrat subjecta descriptio :

Tetragoni.

1	4	9	16	25	36	49	64	81	100

Pyramides a tetragonis.

1	5	14	30	55	91	140	204	285	385

Et ad eumdem modum cunctæ a cæteris multiangulis profectæ formæ, in altioris summæ spatia producuntur. Omnis enim multorum angulorum forma, ex sui generis figura unitati superposita, ab uno ingredientibus ac pyramidum constituendas figuras usque in infinita progreditur. Et ex hoc equidem apparere necesse est triangulas formas cæterarum figu-A rarum esse principium, quod omnis pyramis a quacunque basi profecta, vel a quadrato, vel a pentagono, vel ab hexagono, vel ab heptagono, vel a quocunque similium, solis triangulis usque ad verticem continetur.

CAPUT XXIV.

De curtis pyramidis.

Scire autem oportet quæ sunt curtæ pyramides, vel quæ bis curtæ, vel quæ ter curtæ, vel quater, et deinceps secundum numerorum adjectionem. Perfecta enim pyramis est quæ, a qualibet basi profecta, usque ad primam vi et potestate pyramidum pervenit unitatem. Sin vero, a qualibet basi profecta, usque ad unitatem altitudo illa non venerit, curta vocabitur. B Recteque hujusmode pyramis tali nuncupatione signatur, si usque ad extremitatem punctumque non venerit. Hæe autem est, ut si quis 16 tetragono adjiciat 9, atque huic 4, et ab ulterioris sese adjectione unitatis suspendat, pyramis quidem figura est, sed quoniam usque ad cacumen verticis non excrevit, curta vocabitur, et habebit summitatem non jam punctum quod unitas est, sed superficiem, quod est quilibet numerus secundum basis illius angulos porrectus, atque ultimus aggregatus. Nam si tetragona fuerit basis, quadrata diminutione semper ascendit, et si pentagona basis similiter, et si hexagona, illa quoque ultima superficies erit hexagona. Ergo in curta pyramide, tot erit angulorum superficies quot fuerit basis. Si vero illa pyramis non solum ad unitatem C extremitatemque non pervenit, sed nec ad primum quoque opere et actu multiangulum ejus generis cujus fuerit basis, bis curta vocabitur, ut si, a 16 tetragono proficiscens, usque in 9 terminum ponat, neque excrescat ad 4, et quotcunque tetragoni defuerint, totiens eam curtam esse dicemus. Ut si unitas defuerit primus quadratus, curtam, quam Græci koluron vocant. Si vero duobus tetragonis, deficit, id est unitate et eo qui sequitur, vocatur bis curta, quam Græci dikoluron appellant. Quod si tribus tetragonis, ter curta dicitur quam Græci tricoluron nominant, et quotcunque tetragoni fuerint minus totiens illam pyramidem curtam esse proponimus. Hoc autem non solum a tetragono pyramidis, sed in omnibus ab omni multiangulo progredienti-D bus speculari licet.

CAPUT XXV.

De cubis, vel asseribus, vel laterculis, vel cuneis, vel sphæricis et parallelipipedis numeris.

Ac de solidis quidem quæ pyramidis formam obtinent æqualiter crescentibus, et a propria velut radice multianguli figura progredientibus, dictum est. Est alia rursus quædam corporum solidorum ordinabilis compositio, eorum qui dicuntur cubi vel asseres, vel laterculi, vel cunei, vel sphæræ, vel parallelipipedi, quæ sunt quotiens superficies contra se sunt, et ductæ in infinitum nunquam concurrent. Dispositis enim in ordinem tetragonis.

1	4	9	16	25

quoniam hi solam longitudinem latitudinemque sortiti sunt, et altitudine carent, si per latera solam unam multiplicationem recipiant, æqualem provehunt profunditatem. Nam quatuor tetragonus, duos habet in latere, et natus est ex bis duobus. Bis enim duo quatuor faciunt. Hos ergo duos ex ipsius latere si multiplices æqualiter, cubi forma nascetur. Nam si bis binos bis facies, octonaria quantitas crescit, et est primus hic cubus. Novem vero tetragonus, quoniam 3 habet in latere, et factus est ex tribus in se multiplicatis, si enim unam lateris multiplicationem adjunxeris, rursus alius cubus æquali laterum formatione crescit. Ter enim tres si tertio duxeris, 27 cubi figura producitur. Et 16, qui est ex 4, si quater augescat, sexaginta quatuor cubus pari laterum dimensione crassabitur, et sequentes quidem tetragoni, secundum eumdem modum, multiplicatione facta, provehuntur. Tot autem necesse est unitates cubus habeat in latere, quot habuit primus ille tetragonus ex quo ipse productus est. Nam quoniam 4 tetragonus duos tantum numeros habet in latere. duos quoque habet octonarius cubus, et quoniam novem tetragonus tribus per latus unitatibus figurabatur, solo ternario 27 cubi latus urgetur. Et quoniam 16 tetragonus quatuor unitatum latus habebat, totidem 64 cubus in latere gestabit unitates. Quare etiam vi et potestate cubi, quod est unitas, unus erit in latere. Omnis enim tetragonus una quidem superficies est quatuor angulorum, totidemque laterum. Omnis autem cubus qui ex tetragonorum superficie in profunditatem corporis crevit, per tetragoni scilicet latus multiplicatus, habebit quidem superficies 6, quarum singula planitudo tetragono illi priori æqualis est. Latera vero 12, quorum unumquodque singulis his quæ superioris fuere tetragoni æquum est, et, ut superius demonstravimus, tot unitatum est. Angulos vero 8, quorum singulus sub tribus hujusmodi continetur, quales priores fuere tetragoni unde cubus ipse productus est. Ergo ex naturaliter profuso numero, qui in subjecta forma descripti sunt, subjecti tetragoni nascuntur, et ex his tetragonis qui subnotati sunt cubi provehuntur.

Numerus naturalis.

1	2	3	4	5	6	7

Tetragoni.

1	4	9	16	25	36	49

Cubi.

1	8	27	64	125	216	343

Et quoniam omnis cubus ab æquilateris quadratis profectus, æquus ipse omnibus partibus est, nam et latitudini longitudo, et his duobus compar est altitudo, et secundum sex partes, id est sursum, deorsum dextera, sinistra, ante, post, sibi æqualem esse necesse est : huic oppositum contrariumque esse oportebit, qui neque longitudinem latitudini, neque hæc duo profunditati gerat æqualia, sed cunctis inæqualibus, quamvis solida figura sit, ab æqualitate cubi longissime distare videatur. Hi autem sunt, ut si quis faciat bis tres quater, vel ter quater quinquies, et alia hujusmodi, quæ per inæquales spatiorum gradus inæqualiter provehuntur. Hæc autem forma Græco nomine scalenos vocatur, nos vero gradatam possumus dicere, quod a minore modo velut gradibus crescat ad majus. Vocant autem eamdem figuram Græci quidam sperniscon, nos autem cuneum possumus dicere. Etenim quos ad quamlibet illam rem constringendam cuneos formant, neque latitudinis, neque longitudinis, neque altitudinis habita ratione, quantum commodum fuerit, tantum vel altitudini minuitur, vel crassitudini profunditatis augetur. Atque ideo hos plerumque necesse est omnibus partibus inæqualibus inveniri. Quidam vero hos bomiscos vocant, id est quasdam arulas quæ in Ionica Græciæ regione (ut ait Nicomachus) hoc modo formatæ fuerunt, ut neque altitudo latitudini, neque hæc longitudini convenirent. Vocatur autem aliis quibusdam nominibus, quæ nunc prosequi supervacuum judicamus. Igitur cubi æqualibus spatiis se porrigentibus et hujus formæ, quam diximus, gradata distributione disposita, medietates sunt, quæ neque cunctis partibus æquales sunt, neque omnibus inæquales, quos Græci parallelepipedos vocant. Latini nomen hoc ita uniformiter compositum habere non possunt. Ut tamen idem pluribus dictum sit, ea namque hoc nomine vocatur figura, quæ alternatim positis latitudinibus continetur.

CAPUT XXVI.

De parte altera longioribus numeris, antelongioribus, eorumque generationibus.

Hujusmodi vero formas quales sunt quæ vocantur a Græcis heteromikeis, nos dicere possumus parte altera longiores, quarum figurarum numerus quoque hoc modo diffiniendus est. Parte altera longior est numerus, quem si in latitudinem describas, et ipse quidem 4 provenit laterum et 4 angulorum, sed non cunctis æqualibus, sed semper minus uno. Namque nec latera lateribus, cuncta cunctis æqua sunt, nec longitudini latitudo, sed (ut dictum est) cum hinc altera pars major fuerit, uno tantum minorem præcedit ac superat. Si enim numerum naturalem disponas in ordinem, et secundum per primum multiplices, talis nascetur numerus; vel si secundum per tertium, vel si tertium per quartum, vel si quartum per quintum omnesque hi unitate tantum addita multiplicentur, nascentur parte altera longiores. Disponatur enim numerus naturalis.

1	2	3	4	5	6	7

Et tunc quidem hactenus. Si quis igitur faciat unum bis, faciet duo. Et rursus bis tres faciet 6, ter quater faciet 12, quater 5 faciet 20, et hoc modo ad eumdem ordinem. Quicunque igitur ita facti sunt, procreabuntur parte altera longiores, ut subjecta descriptio docet. In qua, ex quibus numeris multiplicati nascuntur parte altera longiores, supra ascripti sunt. Qui vero nascantur, subterius subnotati.

1	2	3	4	5	6

2	6	12	20	30
	1 1	1 1 1	1 1 1 1	1 1 1 1 1
			1 1 1 1	1 1 1 1 1
		1 1 1		1 1 1 1 1
	1 1		1 1 1 1	1 1 1 1 1
1 1		1 1 1	1 1 1 1	1 1 1 1 1
	1 1	1 1 1	1 1 1 1	1 1 1 1 1

CAPUT XXVII.

De antelongioribus numeris, et de vocabulo numeri parte altera longioris.

Ergo si ab unitate tantum discrepent qui multiplicantur, descripti superius numeri protendentur. Si vero aliquo numero, ut ter septem, vel ter quinque, vel aliquando modo alio, et non eorum latera sola discrepent unitate, non vocabitur hic numerus parte altera longior, sed antelongior. Alterum enim apud Pythagoram vel sapientiæ ejus hæredes, nulli alii nisi tantum binario ascribebatur. Hunc alteritatis principium esse dicebant. Eamdem autem naturam, et semper sibi similem consentientemque, nullam aliam nisi primævam ingeneratamque unitatem. Binarius autem numerus, primus est unitate dissimilis idcirco quod primus ab unitate disjungitur, atque ideo alteritatis cujusdam principium fuit, quod ab illa prima et semper eadem substantia, sola tantum est unitate dissimilis. Merito ergo dicentur hi numeri parte altera longiores, quod eorum latera unius tantum sese adjecta numerositate præcedunt. Argumentum est autem alteritatem in binario numero juste constitui, quod non dicitur alterum nisi e duobus ab his in quos bene loquendi ratio non negligitur. Amplius quod impar numerus, sola unitate perfici monstratus est, par vero sola dualitate, id est solo binario numero. Nam cujuscunque medietas est unus, Ille impar est, cujus vero 2, hic paritate recepta, in gemina æqua disjungitur. Quare dicendum est imparem numerum, ejusdem atque in sua se natura tenentis, immutabilisque substantiæ esse participem, idcirco quod ab unitate formetur, parem vero, alterius plenum esse naturæ idcirco quod a dualitate completur.

CAPUT XXVIII.

Quod ex imparibus quadrati, ex paribus parte altera longiores fiant.

At vero positis in ordinem ab unitate imparibus, et sub his a dualitate paribus descriptis, coacervatio imparium tetragonos facit, coacervatio parium superiores efficit parte altera longiores. Quare, quoniam tetragonorum hæc natura est, ub et ab imparibus procreentur, qui sunt unitatis participes, id est ejusdem immutabilisque substantiæ, cunctisque partibus suis æquales sint, quod et anguli angulis, et latera lateribus, et longitudini compar est latitudo, dicendum est hujusmodi numeros ejusdem naturæ atque immutabilis substantiæ participes. Illos vero numeros, quos parte altera longiores paritas creat, alterius dicemus esse substantiæ. Nam quemadmodum unus a duobus uno tantum alter est, sic horum latera a se tantum uno sunt altera, et una tantum diffe-

A runt unitate. Quare disponantur in ordinem omnes ab uno impares, et sub his omnes a binario numero pares.

1	3	5	7	9	11	13
2	4	6	8	10	12	14

Est ergo princeps imparis ordinis, unitas, quæ ipsa quidem effectrix et quodammodo forma quædam est imparitatis. Quæ intantum ejusdem nec mutabilis substantiæ est, ut cum vel seipsam multiplicaverit, vel in planitudine, vel in profunditate, vel si alium quemlibet numerum per seipsam multiplicet, a prioris quantitatis forma non discrepet. Namque si unum semel facies, vel si semel unum semel, vel si duo semel, vel si tres semel, vel si quatuor semel, vel si quemlibet alium numerum multiplicet, a quantitate
B sua is quem multiplicat numerus non recedit, quod circa alium numerum non potest inveniri. Paris vero ordinis, binarius numerus princeps est, quæ dualitas cum in eodem ordine paritatis sit, tum principium totius est alteritatis. Namque si sese ipsam multiplicet, vel per latitudinem, vel etiam profunditatem, vel si quem numerum in suam conglobet quantitatem, continuo alter exoritur. Nam bis duo, vel bis duo bis, si facias, vel bis 3, vel bis 4, vel bis 5, vel quemlibet alium multiplices, quisquis hinc nascitur, alius quam primo fuerat, invenitur. Nascuntur autem ex superiore descriptione, et ex primo ordine omnes tetragoni hoc modo : Unum enim si respexeris primus potestate tretragonus est, Sin vero unum tribus
C coacervaveris, 4 tetragonus exoritur. Huic si quinarium jungam, novarius rursus occurrit. Huic si copules 7, 16 quadrati forma se suggerit. Idemque si in cæteris facias, omnes competenter quadratos videas procreari. At vero ex secundo paritatis ordine, iidem cuncti parte altera longiores fiunt. Namque si duos primos respexero, hujusmodi mihi numerus occurrit qui fit ex bis uno. Cum vero duobus sequentes 4 junxero, parte altera longior rursus erit senarius, scilicet qui fit ex bis tribus. Cui si sequentem, aggregavero, nascetur mihi duodenaria forma quæ fit ex quater tribus. Quod si continuatim quis faciat, cunctos hujusmodi numeros in competenti ordine procreatos videbit. Quam descriptionem scilicet inferior forma demonstrat :

D

Radices.				
1	1, 3	1, 3, 5	1, 3, 5, 7	1, 3, 5, 7, 9
Tetragoni, id est quadrati.				
1	4	9	16	25
Radices.				
2	2, 4	2, 4 6	2, 4, 6, 8	2, 4, 6, 8, 10
Parte altera longiorès.				
2	6	12	20	30

CAPUT XXIX.

De generatione laterculorum, eorumque diffinitione.

Quos autem superius laterculos diximus, quæ sunt et ipsæ quidem solidæ figuræ, hoc modo fiunt. Quotiens æqualibus spatiis in longitudinem latitudinemque porrectis, minor his additur altitudo. Ut sunt

hujusmodi 3 ter bis, qui sunt 18, vel 4 quater bis, vel alio quolibet modo, ut his in longitudinem, latitudinemque æquis, minor altitudo ducatur. Hi definiuntur hoc modo : Laterculi sunt, qui fiunt ex æqualibus æqualiter in minus. Asseres vero et ipsæ quidem figuræ sunt solidæ, sed hoc modo ut ex æqualibus æqualiter ducantur in majus. Nam si æqua fuerit latitudo longitudini, et major sit altitudo, illæ figuræ a nobis asseres, a Græcis clocides nominantur, ut si quis hoc modo faciat 4 quater novies, qui inde procreantur asseres nominati sunt. Sphenisci vero, quo cuneolos superius appellavimus, hi sunt qui, ex inæqualibus inæqualiter ducti, per inæqualia crevere ; cubi vero, qui ex æqualibus æqualiter per æqualia producti sunt.

CAPUT XXX.

De circularibus vel sphæricis numeris.

Ipsorum vero cuborum quanticunque fuerint ita ducti, ut a quo numero cubicæ quantitatis latus cœperit, in eumdem altitudinis extremitas terminetur, numerus ille cyclicus vel sphæricus appellatur, ut sunt multiplicationes quæ a quinario vel senario proficiscuntur. Nam quinquies quinque, qui fit 25, ab 5 progressus, in eosdem 5 desinit, Et si hos rursum quinquies ducas, in eosdem 5 eorum terminus veniet. Quinquies enim 25 fiunt 125, et si hos rursus quinquies ducas, in quinarium numerum extremitas terminabitur. Atque hoc usque in infinitum idem semper evenit. Quod in senario quoque convenit considerari. Hi autem numeri idcirco cyclici vel sphærici vocantur, quod sicut sphæra vel circulus in proprii semper principii reversione formantur. Est enim circulus posito quodam puncto et alio eminus defixo, illius puncti qui eminus fixus est æqualiter distans a primo puncto circumductio, et ad eumdem locum reversio unde moveri cœperat. Sphæra vero est semicirculi, manente diametro, circumductio et ad eumdem locum reversio unde prius cœperat ferri. Unitas quoque, virtute et potestate, ipsa quoque circulus vel sphæra est ; quoties enim punctum in se multiplicaveris, in seipsum unde cœperat terminatur. Si enim faciat semel unum, unus redit, et si hoc rursus semel, idem est. Igitur si una fuerit multiplicatio, solam planitudinem reddit, et fit circulus. Si secunda, mox sphæra conficitur. Et enim secunda multiplicatio, effectrix semper est profunditatis. Ex 5 igitur et 6, paucas hujusmodi formas subscripsimus :

1	5	6
1	25	36
1	125	216
1	625	1296
1	3125	7776

CAPUT XXX.

De natura rerum quæ dicitur ejusdem naturæ, et de ea quæ dicitur alterius naturæ, et qui numeri cui naturæ conjuncti sunt.

Ac de solidis quidem figuris, hæc ad præsens dicta sufficiant. Qui autem de natura rerum propinquis investigantes rationibus, quinque in matheseos dispu- A tatione versati, quid in quaque re esset proprium, subtilissime peritissimeque ediderunt, hi rerum omnium naturas in gemina dividentes, hac speculatione distribuunt. Dicunt enim omnes omnium rerum substantias constare ex ea quæ propriæ suæque semper habitudinis est, nec ullo modo permutatur, et ea scilicet natura quæ variabilis motus est sortita substantiam. Et illam primo immutabilem naturam, unius ejusdemque substantiæ vocant, hanc vero alterius, scilicet quo a prima illa immobili discedens prima sit altera. Quod nimirum ad unitatem pertinet, et ad dualitatem, qui numerus primus ab uno discedens, alter factus est. Et quoniam cuncti secundum unitatis speciem naturamque impares numeri formati sunt, B quoque ex his coacervatis tetragoni fiunt, duplici modo ejusdem substantiæ participes esse dicuntur, quod vel ab æqualitate formantur tetragoni, vel coacervatis in unum numeris imparibus procreantur. Illi vero qui sunt pares, quoniam binarii numeri formæ sunt, quique ex his coacervati collectique in unam congeriem, parte altera longiores numeri nascuntur hi secundum ipsius binarii numeri naturam, ab ejusdem substantiæ natura discessisse dicuntur, putanturque alterius naturæ esse participes, idcirco quoniam cum latera tetragonorum ab æqualitate progressa, in æqualitatem propriæ latitudinis ambitum tendant, hi adjecto unò ab æqualitate laterum discesserunt, atque ideo dissimilibus lateribus et quodammodo alteris a se conjunguntur. Quare nobis notum C est, quod ex his ea quæ sunt in hoc mundo, conjuncta sunt. Aut enim propriæ, immutabilis, ejusdemque substantiæ est, quod Deus, vel anima, vel mens est, vel quodcunque propriæ naturæ incorporalitate beatur, aut mutabilis, variabilisque naturæ, quod corporibus indubitanter videmus accidere. Unde nunc nobis monstrandum est, hac gemina numerorum natura, quadratorum scilicet et parte altera longiorum, cunctas numeri species cunctasque habitudines, vel relatæ ad aliquid quantitatis, ut multiplicium vel superparticularium et cæterorum, vel ad seipsam consideratæ, ut formarum quas dudum in superiore disputatione descripsimus informari, ut quemadmodum mundus ex immutabili, mutabilique substantia, sic D omnis numerus ex tetragonis, qui immutabilitate perficiuntur, et ex parte altera longioribus, qui mutabilitate participant, probetur esse conjunctus. Et primo quidem distribuendum est, qui sunt hi quos promecas vocant, id est anteriore parte longiores, vel qui quos heteromikeis, id est parte altera longiores. Est enim parte altera longior numerus quicunque unitate tantum lateri crescit adjecta, ut sunt 6 scilicet bis 3, vel 12 tres quater, et consimiles. Anteriore vero parte longior est qui sub duobus numeris hujusmodi continetur, quorum latera non possidet unitatis differentia, sed aliorum quorumcunque numerorum, ut ter 5, vel ter 6, vel quater 7. Quodammodo enim longitudine in prolixiorem modum porrecta, merito anteriore parte longior dicitur. Cur autem parte altera longiores numeri

dicantur, supra jam dictum est. Quadrati vero quoniam æquam latitudinem longitudini gerunt, propriæ longitudinis vel ejusdem latitudinis aptissime vocabuntur, ut bis 2, ter 3, quater 4, et cæteri. Parte altera vero longiores, quod non eadem longitudine tendantur, alterius quodammodo longitudinis, et parte altera longiores vocantur.

CAPUT XXXII.

Quod omnia ex ejusdem natura et alterius natura consistunt, idque in numeris primum videri.

Omne autem quidquid in propria natura substantiaque est immobile, terminatum definitumque est, quippe quod nulla variatione mutetur, nunquam esse desinat, nunquam possit esse quod non fuit. At hæc unitas sola est, et quæ unitate formantur, comprehensibilis et determinatæ et ejusdem substantiæ esse dicuntur. Ea vero sunt, quæ vel ab æqualibus crescunt velut quadrati, vel quos ipsa unitas format, id est, impares. At vero binarius et cuncti parte altera longiores, qui a finita substantia discesserunt, variabilis infinitæque substantiæ nominantur. Constat ergo numerus omnis ex his quæ longe disjuncta sunt atque contraria, ex imparibus scilicet et paribus. Hic enim stabilitas, illic instabilis variatio; hic immobilis substantiæ robur, illic mobilis permutatio; hic definita soliditas, hic infinita congeries multitudinis. Quæ scilicet, cum sint contraria, in unam tamen quodammodo amicitiam cognationemque miscentur, et illius unitatis informatione atque regimento, unum numeri corpus efficiunt. Non ergo inutiliter neque improvide qui de hoc mundo, deque hac communi rerum natura ratiocinabantur, hanc primam totius modi substantiæ divisionem fecerunt. Et Plato quidem in Timæo ejusdem naturæ, et alterius nominat, quidquid in mundo est, atque aliud in sua natura permanere putat individuum inconjunctumque et rerum omnium primum, alterum divisibile et nunquam in proprii statu ordinis permanens. Phyloaus vero: Necesse est, inquit, omnia quæ sunt vel infinita vel finita esse. Demonstrare scilicet volens omnia quæcunque sunt ex his duobus consistere, aut ex infinita, scilicet esse, aut ex finita, ad numeri sine dubio similitudinem. Hic enim ex uno et duobus, et impari atque pari conjungitur. Quæ manifesta sunt æqualitatis atque inæqualitatis, ejusdem atque alterius, definitæ atque indefinitæ esse substantiæ. Quod videlice non sine causa dictum est, omnia quæ ex contrariis consisterent, harmonia quadam conjungi atque componi. Est enim harmonia, plurimorum adunatio, et dissentientium consensio.


CAPUT XXXIII.

Ex ejusdem atque alterius numeri natura, qui sunt quadratus et parte altera longior, omnes proportionum habitudines constare.


Disponantur ergo in ordinem non jam pares atque impares, ex quibus quadrati vel parte altera longiores fiunt, sed hi ipsi qui illis coacervatis in unumque redactis, et quadrati et parte altera longiores prodeunt. Ita enim videbimus istorum quemdam consensum, et ad cæteras numeri partes procreandas amicitiam, ut non sine causa hoc in omnibus rebus ab numeri specie natura rerum sumpsisse videatur. Sint igitur duo versus tetragonorum ab unitate omnium, et a binario numero parte altera longiorum.

1	4	9	16	25	36	49
2	6	12	20	30	42	56

Horum igitur si primum compares primo dupli quantitas invenitur, quæ est prima multiplicitatis species. Si vero secundum secundo, hemioliæ quantitatis habitudo producitur. Si tertium tertio, sesquitertia proportio procreatur. Si quartum quarto, sesquiquarta, et si quintum quinto, sesquiquinta. Et hinc superparticularium normam in quodvis longissimum spatium progrediens integram inoffensamque reperies. Ita ut in prima dupli proportione unitatis solius sit differentia. Duo namque ab uno sola semper discrepant unitate. In sesquialtera vero duorum est differentia, in sesquitertia trium, in sesquiquarta 4, et deinceps, secundum superparticulares formas numerorum, quod ad differentias attinet, uno tantum crescit adjecto numerum explicans naturalem.



Sin vero secundum tetragonum primo parte altera longiori compares, et tertium secundo, et quartum tertio, et quintum quarto, easdem rursus proportiones effici pernotabis quas in superiore forma descripsimus. Sed hic differentiæ ab unitate non inchoant, sed a binario numero in infinitum per eosdem calculos progrediuntur. Eritque secundus primi duplus, tertius secundi sesquialter, quartus tertii sesquitertius, secundum eamdem convenientiam quæ superius demonstrata est.



Rursus quadrati invicem imparibus differunt, parte altera longiores, paribus.

Differentiæ impares.

	3	5	7	9	11	13	
1	4	9	16	25	36	49	

Quadrati.

Differentiæ pares.


	4	6	8	10	12	14
2	6	12	20	30	42	56


Parte altera longiores.

At vero si inter primum et secundum tetragonum, primum parte altera longiorem ponimus, ad utrosque eos una proportione conjungitur. In utrisque enim proportionibus dupli multiplicitas invenitur. Sin vero inter secundum tertiumque tetragonum, secundum parte altera longiorem ponas, sesquialteræ comparationis ad utrosque forma componitur. Et si inter tertium et quartum tetragonum, tertium parte altera longiorem constituas sesquitertia species nascetur, et idem si in cunctis feceris, cunctas super particulares species invenire miraberis.

tetragoni	primus 1	parte altera longiores	primus 2	tetragoni	secundus 4	duplus
	secundus 4		secundus 6		tertius 9	sesquialter
	tertius 9		tertius 12		quartus 16	sesquitertius
	quartus 16		quartus 20		quintus 25	sesquiquartus

Et ad eumdem modum in cæteris convenit intueri. Rursus si ponantur duo tetragoni ex superius descriptis, id est primus et secundus, et in unum colligantur, et medius eorum parte altera longior bis multiplicetur, tetragonus fit. Namque unus et 4, si jungantur, 5 faciunt, eorum binarius parte altera longior si bis ducatur, quatuor faciunt, qui juncti, 9 sine ulla dubitatione conficient, qui est numerus quadratus. Et ad eumdem modum in aliis hoc modo dispositis numeris, quos supra descripsimus, idem constat intelligi. Si vero convertas, et inter duos primum et secundum parte altera longiores secundus est, sed actu et opere primus, ex duobus parte altera longioribus congregatis, et bis multiplicato medio tetragono, rursus tetragonus conficitur. Namque inter 6 et binarium numerum. qui sunt primus et secundus parte altera longiores, si ponatur quaternarius ordine secundus, primus actu tetragonus, et conjungantur duo et sex, faciunt 8. Tum si bis ducantur medii, quatuor faciunt rursus octonarium, qui cum superioribus juncti, sedecim tetragonum pandunt.



A


Illud quoque non oportet minore admiratione suscipere, quod secundum proprias naturas, ubi altrinsecus duo tetragoni stant, et unus parte altera longior in medio ponitur, tetragonus qui nascitur, ille semper ab impari procreatur. Nam ex superioribus, uno et 4 et bis multiplicato binario, factus est novenarius
B tetragonus, qui scilicet a tribus procreatur. Ter enim tres 9 faciunt, qui ternarius impar est numerus. Et sequens qui ex quatuor et 9, et bis multiplicato senario conjunctus, est 25 tetragonus, et ipse ex impari quinario nascitur continenti post ternarium. Quinquies enim quinque 25 procedunt, et quinarius post ternarium impar est numerus. Et in sequenti quoque eadem ratio est. Nam qui ex 9 et 16 et bis ducto 12 quadratus 49 producitur, ille a septenario impari fit post quinarium continenti. Septies enim septem 49 creant. At vero ubi duo altrinsecus parte altera longiores unum medium tetragonum claudunt, omnes ex his qui fiunt tetragoni, a paribus producuntur. Nam qui ex duobus et 6 parte altera longioribus et quaternario bis multiplicato, 16 tetra-
C gonus factus est, ille a quaternario numero, id est pari, producitur. Quater enim quatuor 16 sunt. Et in sequenti quoque ordine ubi ex senario et duodecim, et bis in suam summam ducto novenario, 36 fiunt, ex continenti pari senario copulantur. Sex enim sexies 36 restituunt. Nec minus in eamdem rationem cadet, ex 12 et 20 et bis 16 factus 64 tetragonus. Hic enim ex octonario continenti post senarium nascitur. Octies enim octo 64 tetragonum jungunt. Et in aliis quoque secundum eumdem modum si idem facias, rationis ordo non discrepat.

CAPUT XXXIV.

Quod ex quadratis ex parte altera longioribus, omnis formarum ratio consistat.

Illud vero, quod ex his duobus tota omnium forma-
D rum videtur orta prolatio nun minore consideratione notandum est. Namque trianguli qui cunctas alias formas, sicut superius docuimus, collecti producunt, his junctis velut ex quibusdam elementis oriuntur. Namque ex uno primo tetragono, et binario primo parte altera longiore, ternarius triangulus copulatur. Et ex binario vel quaternario, id est ex secundo tetragono senarius triangulus procreatur. Ex quaternario quoque et senario, denarius triangulus nascitur. Et ad eumdem ordinem, cuncta triangulorum ratio constabit. Disponantur enim alternatim inter se tetragoni et parte altera longiores, qui ut melius pernotarentur, prius in duobus eos versibus disposuimus, post autem eosdem permiscuimus, et qui exinde trianguli nascerentur ascripsimus.

Tetragoni.

1	4	9	16	25	36	49	64	81

Parte altera longiores.

2	6	12	20	30	42	56	72	90

Tetragon˙ et altera parte longiores alternati.

1	2	4	6	9	12	16	20	25	30	36	42
3	6	10	15	21	28	36	45	55	66	78	

Trianguli.

CAPUT XXXV.

Quemadmodum quadrati ex parte altera longioribus, vel parte altera longiores ex quadratis fiunt.

Omnis vero tetragonus si ei proprium latus addatur, vel eodem rursus dematur, parte altera longior fit. Namque 4 tetragono si quis duo jungat, vel duo detrahat, 6 addendo perficiet et duo detrahendo, at uterque figuram continet parte altera longiorem, quæ, scilicet magna, est alteritatis vis. Omnis enim infinita et indeterminata potentia, ab æqualitatis natura, et a suis se finibus continenti substantia discedens, aut in majus exuberat, aut in minora decrescit.

CAPUT XXXVI.

Quod principaliter ejusdem quidem sit substantiæ unitas, secundo vero loco impares numeri, tertio quadrati, et quod principaliter dualitas alterius sit substantiæ, secundo vero loco pares numeri, tertio parte altera longiores.

Constat igitur primo quidem loco, unitatem propriæ immutabilisque substantiæ ejusdemque naturæ, dualitatem vero primam, alteritatis mutationisque esse principium. Secundo vero loco, omnes impares numeros propter unitatis cognationem, ejusdem atque immutabilis substantiæ esse participes, pares vero ob binarii numeri consortium, alteritatibus esse permixtos. Tetragonos quoque ad eumdem modum considerari manifestum est. Nam quod eorum compositio et conjunctio ex imparibus fit, immutabili eos naturæ pronuntiabo conjunctos. Quod vero parte altera longiores ex copulatione parium, procreantur, nunquam ab alteritatis varietate separantur.

CAPUT XXXVII.

Alternatim positis quadratis, et parte altera longioribus, qui sit eorum consensus, in differentia et in proportione.


Illud igitur perspiciendum est, quod si idem tetragoni et parte altera longiores disponantur, ita ut alternatim sibi permixti sint, tanta in his est conjunctio, ut alias sibi in eisdem proportionibus communicent, discrepent autem differentiis. Alias vero differentiis pares sint, proportionibus distent. Disponantur enim in ordinem iidem illi superiores tetragoni, et parte altera longiores ab uno.

1	2	4	6	9	12	16	20	25	30

Ergo in superiore formula hoc maxime intuendum est. Namque inter unum, qui est tetragonus, et 2, dupla proportio est, inter 2 et 4 dupla. Hic ergo tetragonus, cum parte altera longiore, atque hic cum sequente tetragono, eodem proportione junguntur, differentiis vero non iisdem. Namque duorum atque unius sola unitas differentia est, sed iidem duo a

A quaternario solo binario relinquuntur. Rursus, si 2 ad 4 speculeris, dupla est proportio : si quatuor ad sex, habitudinem sesquialteram recognosces. Hic ergo in proportionibus discrepant, in differentiis pares sunt. Namque et quatuor a duobus, et 6 a quatuor, eodem binario distant. In sequentibus etiam eodem modo sicut in primis fuit, ratio constat. Nam eadem proportio est differentiis non eisdem. Nam 4 ad 6 et 6 ad 9, sesquialtera proportione junguntur, 6 autem quaternarium duobus, 9 vero senarium tribus prætereunt. In sequentibus etiam eadem ratio speculabitur, et semper alternatim, nunc quidem eædem proportiones, aliæ differentiæ sunt, nunc autem, ordine permutato, iisdem differentiis aliæ proportiones. Semperque in quibus differunt, secundum na-
B turalis numeri ordines tetragoni et parte altera longiores sese superabunt, tantum quod geminatis summulis naturalis numeri fit progressio. Quod mirum videri non debet, nos enim ipsas summas tetragonorum et parte altera longiorum geminamus ad primas secundasque proportiones.

C



Eædem quoque differentiæ, mirabilem in modum a toto per sequentes partes, et per easdem unitates quibus superius creverunt, progrediuntur. Namque inter unum et duo tantum unitas intercedit, quæ unitatis cui æqualis est totum est, binarii vero, medietas. Eodem modo inter 2 et 4 tantum duo sunt, qui binarii totum sunt, quaternarii medietas. Inter quaternarium vero et senarium iidem duo sunt, ad quaternarium medietas, ad senarium pars tertia. Tres vero qui sequuntur, qui inter 6 et 9 constituti sunt medii, sunt quidem senarii dimidium, pars vero tertia nove-
D narii. Et rursus ternarius, qui novenarii tertia pars est, duodenarii quarta est, et ad eumdem modum usque in finem descriptionis, geminatis hujusmodi partibus, sicut ipsa quoque summarum comparatio geminata est, æquas partium progressiones aspicies.

CAPUT XXXVIII.

Probatio, quadratos ejusdem esse naturæ.

Illud autem apertissimum signum est, omnes tetragonos imparibus esse cognatos, quod in omni dispositione ab uno, vel in duplicibus, vel in triplicibus talis naturæ ordo conseritur, ut nunquam nisi secundum imparem locum tetragonus inveniatur. Disponamus enim in ordinem numeros, primo quidem duplos, deinde triplos.

1	2	4	8	16	32	64	128	256
1	3	9	27	81	243	729	2187	6561

Si igitur in utrisque versibus primos aspicias, singulos quos invenis, quoniam tetragoni sunt, in impare loco sunt constituti, quoniam primi sunt. Si vero tertium locum respexeris, 4 et 9 notabis, quorum hic a duobus proficiscitur, illum ternarius creat, qui sunt loco impari constituti. Quintum deinde si videas locum, 16 et 81 respicies, sed unus a quaternario nascitur, alterum novenarius creat. Et si nonum locum rursus aspicias, tetragonos pernotabis 256, 6561, quorum superior fit a 16, inferior vero ab 81. Idem, si in infinitum facere libeat, indiscrepanter incurrit.

CAPUT XXXIX.

Cubos ejusdem participare substantiæ quod ab imparibus nascantur.

Ipsi vero cubi, qui quanquam tribus intervallis sublati sunt, tamen propter æqualem multiplicationem participant immutabilis substantiæ, ejusdemque naturæ sunt socii, non aliorum quam imparium coacervatione produntur, nunquam vero parium. Nam si omnes ab unitate impares disponantur, juncti figuras cubicas explicabunt.

1	3	5	7	9	11	13	15	17	19	21

In his igitur qui primus est potestate et virtute primum cubum faciet. Juncti vero duo qui sequuntur, ternarius scilicet et quinarius, secundum efficiunt cubum, qui est octonarius. Juncti autem 3 qui sequuntur, septenarius novenariusque et 11 cubum faciunt, qui 27 numero continetur, qui est tertius. Et sequentes quatuor, quartum, et qui sequuntur 5, quintum, et ad eumdem modum quotus quisque cubus efficitur, tot conjunctione impares apponuntur. Hoc autem diligentius subjecta descriptio docet :

1	3	5	7	9	11	13	15	17	19
1	8		27			64			
primus ab uno	secundus a bis duobus bis		tertius a ter tribus ter.			quartus a quater quatuor quater			

CAPUT XL.

De proportionalitatibus.

Et de his quidem sufficienter dictum est. Nunc res admonet, quædam de proportionibus disputantes, quæ nobis vel ad musicas speculationes, vel ad astronomicas subtilitates, vel ad geometricæ considerationis vim, vel etiam ad veterum lectionum intelligentiam prodesse possint, arithmetica introductione commodissime terminare. Est igitur proportionalitas, duarum vel trium vel quotlibet proportionum, assumptio ad unum atque collectio. Ut autem communiter definiamus : Proportionalitas est duarum vel plurium proportionum similis habitudo, etiamsi non eisdem quantitatibus et differentiis constitutæ sint. Differentia vero est, inter numeros quantitas. Proportio est duorum terminorum ad se invicem quædam habitudo, et quasi quodammodo continentia. Quorum com- A positio quod efficit, proportionale est. Ex junctis enim proportionibus proportionalitas fit. In tribus autem terminis minima proportionalitas invenitur. Fit etiam in pluribus, sed longior, ut binarius ad unum, quoniam duo sunt termini, duplam obtinet proportionem sin vero quatuor contra 2 compares, et hic quoque dupla proportio est, quos tres terminos si continue consideres, ex duabus proportionibus fit proportionalitas. Et est proportionalitas, unum ad duo, et duo ad quatuor. Est enim proportionalitas, ut dictum est, collectio proportionum in unumque redactio. Fit etiam et in longioribus. Nam si quatuor illis octo velis adjungere, et his 16, et his 32, et deinceps duplus qui sequuntur, fit in omnibus dupla proportio- B nalitas ex proportionibus duplis. Igitur quoties unus atque idem terminus, ita duobus circum se terminis communicat, ut ad unum dux sit, ad alium comes, hæc proportionalitas continua vocatur, ut unus, duo, quatuor. Est enim æqualitas in his proportionis, et quemadmodum sunt 4 ad 2, sic sunt duo ad unum. Et rursus, quemadmodum unus ad duo, sic duo ad quatuor. Et secundum quantitatem quoque numeri, eodem modo est. Quantum enim tres superant binarium, tantum binarius unitatem, et quantum unus a duobus minor est, tantum binarius a ternario superatur. Sin vero alius ad unum refertur terminus, alius vero ad alium, necesse est habitudinem disjunctam vocari. Ut ad æqualitatem quidem proportionis sunt, 1, 2, 4, 8 ; sic enim sunt quemadmodum C duo ad unum, si octo ad quatuor, et conversim, quemadmodum unus ad duo, sic quatuor ad octo. Et permutatim, quemadmodum quatuor ad unum, sic octo ad binarium. Secundum quantitatem vero numeri, ut sunt 1, 2, 3, 4 ; quantum enim unus a duobus vincitur, tantum ternarius a quaternario superatur. Et quantum duo unum vincunt, tanto ternarium quaternarius transit. Permixtim etiam, quanto unus tribus minor est, tanto binarius quaternario, vel quanto ternarius unitatem superat tanto binarium transgreditur quaternarius.

CAPUT XLI.

Quæ apud antiquos proportionalitas fuerit et quas posteri addiderint.

D Confessæ quidem et apud antiquiores notæ, quæque ad Pythagoræ vel Platonis vel Aristotelis scientiam pervenerunt, hæ tres medietates sunt arithmetica, geometrica, harmonica. Postquas proportionum habitudines, tres aliæ sunt quæ sine nomine quidem feruntur, vocantur autem quarta, quinta, vel sexta, quæ superius dictis oppositæ sunt. At vero posteri propter denarii numeri perfectionem, quod erat Pythagoræ complacitum, medietates alias quatuor addiderunt, ut in his proportionalitatibus, denariæ quantitatis corpus efficerent. Secundum quem numerum et priores quinque habitudines comparationesque descriptæ sunt, ubi quinque majoribus proportionibus, quos vocavimus duces minores aptavimus alios terminos quos comites diximus. Inde etiam in Aristotelica atque Archytæ prius 10 prædicamentorum

descriptione, Pythagoricum denarium manifestum est inveniri. Quandoquidem et Plato studiosissimus Pythagoræ secundum eam disputationem dividit, et Archytas Pythagoricus ante Aristotelem (licet quibusdam sit ambiguum) decem hæc prædicamenta constituit. Inde etiam 10 membrorum particulæ, inde alia permulta quæ omnia persequi non est necesse.

CAPUT XLII.

Quod primum de ea quæ vocatur arithmetica proportionalitate dicendum est.


Nunc vero de proportionalitatibus, deque medietatibus dicendum est. Et primum quidem de ea medietate tractabimus, quæ secundum quantitatis æqualitatem, neglecta proportionis parilitate, constitutorum terminorum habitudines servat. In his autem quantitatibus medietas ista versatur, inque his speculanda est, in quibus a seipsis termini differunt. Quid autem esset differentia terminorum superius diffinitum est. Hanc autem esse arithmeticam medietatem, numerorum ipsa ratio declarabit, quoniam ejus proportio in numeri quantitate consistit. Quæ igitur causa est, hujusmodi terminorum habitudinem, id est arithmeticam, cunctis aliis proportionalitatibus anteponere? Primum quod hanc nobis in principio ipsa numerorum natura, et vis naturalis quantitatis opponit. Hujusmodi enim proportiones quæque ad terminorum differentias pertinent, ut paulo post demonstrabitur, in naturalis primum numeri dispositione cognoscimus. Deinde, quod superiore libro disputantibus nobis apparuit, arithmeticam vim geometrica atque musica esse antiquiorem, et quod illata, has simul inferret, sublata vero perimeret. Quare ordine disputatio progreditur, si ab ea prius inchoandum sit medietate, quæ in numeri differentia, non in proportionis speculatione versatur.

CAPUT XLIII.

De arithmetica medietate ejusque proprietatibus.

Arithmeticam medietatem vocamus, quoties vel tribus vel quotlibet terminis positis, æqualis atque eadem differentia inter omnes dispositos terminos invenitur. In qua, neglecta proportionis æqualitate, terminorum tantum differentiarumque speculatio custoditur, ut 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. In hac enim naturalis numeri dispositione, si quis continuatim differentias terminorum curet aspicere, secundum arithmeticam medietatem, æqua terminorum inter se discrepantia est. Æquales enim sunt differentiæ, sed eadem proportio atque habitudo non est. Si igitur in tribus terminis consideratio sit, continua proportionalitas dicitur. Sin vero hic alius dux et alius comes, illic vero utrique sint alii, vocabitur disjuncta medietas. Si igitur in tribus tantum terminis secundum continuam medietatem conspexeris, vel in quatuor, vel in quolibet aliis secundum disjunctam, easdem semper differentias terminorum videbis, tantum solis proportionibus permutatis. Id si in uno quis noverit, reliqua eum ratio non latebit. Si continua medietas 1, 2, 3. Hic unus a duobus, et duo a tribus, solis tantum singulis distant, et sunt eædem differentiæ, proportiones vero aliæ. Namque duo ad unum duplus est, tres ad duo, sesquialter, et in cæteris idem videbis. Sin autem permiscens et aliquos præteriens eligas, et in his aliquam speculationem ponas, idem poterit evenire. Nam si æquales terminos intermittas, et sese in priore dispositione prætereant, si singulos intermittas, solius binarii notabitur differentia, sin vero duo prætereas, ternarii, si tres, quaternarii, et ad eumdem modum uno plus quam intermiseris, erit illa quam quærimus differentia terminorum. Namque si in tribus terminis singuli relinquantur, binarius semper intererit.


Differentiæ.



Intermissi.

Videsne ut cum superius in naturalis numeri dispositione se termini singulis præterirent prætermissis duobus et 4, unus ad tres, et 3 ad quinarium comparati, binarium solum in differentia retinuerint. Nec non etiam in disjuncta eadem versabitur observatio.


Differentiæ.




Intermissi.

Talibus igitur vestigiis insistentem, nullus ab eadem similitudine error abducet. Namque si duos intermittas, ternarius differentiam continebit, si tres, quaternarius, si quatuor, quinarius, æque in continuis proportionibus atque disjunctis. Qualitas autem proportionis eadem non erit, quamvis sint æquis termini differentiis distributi. Quod si conversim ponantur, ut non eisdem differentiis eadem qualitas proportionis eveniat, geometrica talis proportionalitas, non arithmetica nominatur. Est autem proprium hujus medietatis, quod si in tribus terminis speculatio sit, compositis extremitatibus, illa summa quæ inter extremitates est, non loco tantum, verum etiam fit quantitate medietas. Ut si ponantur 1, 2, 3, unus et tres quatuor reddunt. Duo vero qui medius inter utrosque est, quaternarii medietas invenitur. Quod si bis medietatem ducas, æquus erit extremitatibus. Bis enim duo, quatuor creant. Sin vero disjuncta sit, quod fit ex utrisque extremitatibus compositis, hoc ex duabus medietatibus redditur. Si enim sunt 1, 2, 3, 4, unus et quatuor quinarium

creant, duo et tres medii in eumdem rursus quinarium surgunt.



Est illi hoc quoque solida proprietate conjunctum, quod quemadmodum sunt omnes termini hujusmodi dispositionis ad seipsos, ita sunt differentiæ ad differentias constitutæ. Namque omnis terminus sibi ipsi æqualis est, et differentiæ differentiis sunt æquales. Illud quoque subtilius, quod multi hujus disciplinæ periti, nisi Nicomachus nunquam antea perspexerunt, quod in omni dispositione, vel continua, vel disjuncta, quod continetur sub duabus extremitatibus, minus est eo numero qui ex medietate conficitur, tantum quantum possunt duæ sub se differentiæ continere, quæ inter ipsos sunt terminos constitutæ. Ponamus enim tres terminos hujusmodi 3, 5, 7. Si igitur tres septies augeantur, in 21 numerum cadunt. Quod si medium terminum, id est 5, in semetipsum multiplicaveris, quinquies quinque faciunt 25. Et hic numerus ab eo quem extremitates colligunt, quaternario major est, quem scilicet differentiæ conficiunt. Inter 3 enim et 5 et 7 bini intersunt, quos si in sese multiplices, 4 reddunt, bis enim duo, quatuor fiunt. Recte igitur dictum est, in hac hujusmodi dispositione quod continetur sub extremitatibus, minus esse illo numero qui fit ex medietate, tantum quantum differentiæ in se multiplicatæ restituunt.



Quartum vero proprium hujusmodi dispositionis notatur, quod antiquiores quoque habuere notissimum, quod in hac proportionalitate vel medietate, in minoribus terminis majores proportiones, in majoribus


A minores comparationes necesse est inveniri. Namque in dispositione hac 1, 2, 3, minores sunt termini 1 et 2, majores 2 et 3, et 2 ad unum duplus est, 3 vero ad 2 sesquialter, sed major est proportio dupli quam sesquialtera, In harmonica autem medietate, econtrario evenire contingit. In minoribus enim terminis minores proportiones, in majoribus major proportionis quantitas custoditur. Harum vero medietatum, id est arithmeticæ atque harmonicæ, geometrica proportionalitas media esse notata est, quæ vel in majoribus vel in minoribus terminis, æquas numerorum qualitates in proportionalitate custodit. Inter majus vero et minus æqualitas loco ponitur medietatis. Et de arithmetica quidem medietate satis dictum est.

B


CAPUT XLIV

De geometrica medietate ejusque proprietatibus.

Nunc vero quæ hanc sequitur geometrica medietas expediatur, quæ sola vel maxime proportionalitas appellari potest, propterea quod in ea eisdem proportionibus terminorum, vel in majoribus vel in minoribus speculatio ponitur. Hic enim æqua semper proportio custoditur, numeri quantitas multitudoque negligitur contrarie quam in arithmetica medietate, ut sunt 1, 2, 4, 8, 16, 32, 64. Vel in tripla proportione 1, 3, 9, 27, 81. Vel si quadrupla, vel si quincupla, vel si in quamlibet multiplicitatem numerorum sit constituta distensio. In his enim quotlibet terminos sumpseris, explebunt geometricam medietatem, quemadmodum ante prior ad sequentem, ita sequens
C ad alium. Et rursus, si permixte facias, idem erit. Si enim ponantur tres termini 2, 4 et 8, quemadmodum sunt 8 ad 4, ita 4 ad 2. Atque hoc si convertas, quemadmodum sunt 2 ad 4, ita erunt 4 ad 8.



Vel si in quatuor terminis, ut sunt 2 et 4, 8 et 16, quemadmodum est primus ad tertium, id est 2 ad 8, sic erit secundus ad quartum, id est 4 ad 16. Utraque enim proportio quadrupla est. Et conversim, quemadmodum quartus est ad secundum, ita tertius notatur ad primum. Hoc vero etiam disjuncte licet. Nam
D quemadmodum est primus ad secundum, id est 2 ad 4, sic tertius ad quartum, id est 8 ad 16; et conversim, quemadmodum secundus ad primum, id est 4 ad 2, ita quartus ad tertium, id est 16 ad 8, idque in omnibus rata consideratione perspicies.



Habet autem proprium hujusmodi medietas, quod in omni dispositione secundum hanc proportionalitatem terminorum differentiæ in eadem proportione contra se sunt, qua fuerint ipsi termini quorum sunt ipsæ differentiæ. Sive enim dupli contra se sint termini, duplæ erunt etiam differentiæ sive tripli triplæ, sive secundum quamlibet multiplicitatem, eadem in differentiis multiplicitas erit, quam prima consideratio invenit in terminis, ut subjecta descriptio monet.

Differentiæ duplæ.

	1	2	4	8	16	32	64	128
1	2	4	8	16	32	64	128	256

Termini dupli.

Nulli igitur dubium esse potest, quod cum omnes termini dupli sint, ita differentiæ quoque eorum terminorum duplæ esse videantur, ut uno minus termino in differentiis, omnes pene dispositos subter terminos quorum sunt ipsæ differentiæ, superior ordo reddiderit. Est etiam aliud proprium, quod omnis ad minorem major terminus comparatus ipsum minorem retinet differentiam. Namque binarius ad unitatem ipsa unitate differt, et quaternarius binario ipso binario, et octonarius quaternario ipso quaternario, et deinceps majores alii ipsis minoribus ab eisdem ipsis differunt quos numerositate prætereunt. Et hoc quidem in duplici proportione cadit. Sin vero sint triplices proportiones, major terminus a minore termino, duplicato minore termino differt. Ut si sint 1, 3, 9, tres ab uno, binario differunt, in quem unitas, id est minor terminus duplicatus exundat, et 9 a tribus senario differunt, quem ternarius duplicatus educit. Et in aliis cunctis ejusmodi ratio reperietur. Sin vero quadruplices sint, triplicato minore termino, major terminus a minore distabit. Et si quincupli, quadruplicato, et si sexcupli, quincuplicato, et una minus multiplicatione quam est ipsa minorum ad majores comparatio terminorum, minorem numerus major exsuperat.

Differentiæ duplæ.

	1	2	4	8	16	32	64	128
1	2	4	8	16	32	64	128	256

Termini dupli.

Differentiæ triplæ.

	2	6	18	54	162	486	1458
1	3	9	27	81	243	729	2187

Termini tripli.

Differentiæ quadruplæ.

	3	12	48	192	768	3072	12288
1	4	16	64	256	1024	4096	16384

Termini quadrupli.

Hæc autem proportionalitas et in aliis omnibus, vel superparticularibus, vel superpartientibus, invenitur, hujusmodi proprietate in omnibus conservata, ut in continua proportione, quod fit sub extremitatibus si tres fuerint termini, hoc a medietate multiplicata cousurgat. Si enim sint 2, 4, 8, quod fit ex bis 8, idem fit ex quater 4. Vel si sint in quatuor terminis disjuncta proportio, quod fit sub utrisque extremitatibus, id duarum medietatum multiplicatione con-

A crescat. Ut si sint 2, 4, 8, 16, quod fit ex bis 16, id ex quater 8 reddatur. Exemplar autem nobis maximum certissimumque sit illud ubi ex æqualitate diximus omnes inæqualitatis species fundi. Illic enim, in omnibus vel multiplicibus, vel superpartientibus, vel superparticularibus, vel in cæteris conjunctis, geometrica proportionalitas custoditur, has omnes proprietates quas supradiximus continens. Quarta vero est proprietas hujusce medietatis, quod vel in majoribus vel minoribus terminis æquales semper proportiones sunt. Namque si ponantur 2, 4, 8, 16, 32, 64, inter hos omnes dupla proportio est. Apparet etiam hæc proportionalitas in binis proportionibus, ab unitate alternatim parte altera longioribus quadratisque dispositis, a prima multiplicitatis habitudine,
B id est a duplici per cunctas superparticulares habitudines proportionesque discurrens, quod subjecta descriptione signatum est.

Tetragonus	1	
Parte altera longior	2	Dupla
Tetragonus	4	Dupla
Parte altera longior	6	Sesquialtera
Tetragonus	9	Sesquialtera
Parte altera longior	12	Sesquitertia
Tetragonus	16	Sesquitertia
Parte altera longior	20	Sesquiquarta
Tetragonus	25	Sesquiquarta
Parte altera longior	30	Sesquiquinta
Tetragonus	36	Sesquiquinta
Parte altera longior	42	Sesquisexta
Tetragonus	49	Sesquisexta

C

CAPUT XLV.

Quæ medietates, quibus rerum publicarum statibus comparentur.

Atque ideo arithmetica quidem ei reipublicæ comparatur quæ paucis regitur, idcirco quod in minoribus ejus terminis major proportio sit. Musicam vero medietatem optimatum dicunt esse rempublicam, ideo quod in majoribus terminis major proportionalitas invenitur. Geometrica medietas, popularis quodammodo et ex æqualitate civitatis est. Namque vel in majoribus, vel in minoribus, æquali omnium proportionalitate componitur, et est inter omnes paritas quædam medietatis æquum jus in proportionibus
D conservantis.

CAPUT XLVI.

Quod superficies una tantum in proportionalitatibus medietate jungantur, solidi vero numeri duabus medietatibus in medio collocantur.

Post hæc igitur tempus est ut expediamus nunc quiddam nimis utile in Platonica quadam disputatione, quæ in Timæi cosmopœia haud facili cuiquam vel penetrabili ratione versatur. Omnes enim planæ figuræ quæ nulla altitudine crescunt, una tantum medietate geometrica continuantur, alia quæ jungat non potest inveniri; unde duo tantum in his intervalla sunt constituta, a primo scilicet ad medium, et a medio ad tertium. Si vero fuerint cubi, duas tantum habebunt medietates, ubi tertia inveniri non poterit.


secundum geometricam scilicet proportionem. Unde formæ solidæ tria intervalla dicuntur habere. Est enim unum intervallum a primo ad secundum, et a secundo ad tertium, et a tertio ad quartum, quæ est scilicet postrema distantia. Rectæ igitur et planæ figuræ duobus intervallis et solidæ tribus contineri dicuntur. Sint enim duo tetragoni, 4 scilicet et 9, horum igitur unus tantum medius in eadem proportione constitui potest. Namque senarius ad 4 sesquialter est, et 9 ad senarium eodem modo sesquialter. Hoc autem idcirco evenit, quod singula latera, singulorum tetragonorum efficiunt senariam medietatem. Namque quaternarii tetragoni latus binarius est, novenarii ternarius; hi ergo multiplicati senarium perfecerunt. Bis enim tres senarius est. Et quotienscunque, datis duobus tetragonis, eorum medietatem volumus invenire, latera eorum multiplicanda sunt, et qui ex his procreabuntur, medietas est. Si autem cubi sint, ut 8 et 27, duæ tantum inter hos eadem proportione medietates constitui queunt, 12 scilicet et 18, namque 12 ad 8, et 18 ad 27, sesquialtera tantum proportione junguntur. In his quoque eadem laterum ratio est. Namque ex uno cubo qui propinquior est, una medietas duo latera colligit; ex alternatim vero posito, unum. In alia quoque medietate idem est. Ponantur enim duo cubi, et in medio eorum duæ medietates quas superius diximus, 8, 12, 18, 27, octonarii igitur latus est binarius, bis enim bini bis octonarium fecerunt. Ternarius vero 27 cubi latus est. Ter enim tres ter 27 restituunt. Medietas igitur quæ juxta octonarium est, id est 12, mutuatur duo latera ex propinquo sibi octonario. et aliud unum latus ex altrinsecus posito 27 cubo. Bis enim bini ter 12 pandunt. Et 18 eadem ratione duo latera a propinquo sibi 27 cubo colligit, et unum ab altrinsecus posito octonario. Tres enim ter bis 18 concludunt. Hoc autem universaliter speculandum est, si tetragonus tetragonum multiplicet, sine dubio tetragonus provenit. Sin vero parte altera longior tetragonum multiplicet, vel tetragonus parte altera longiorem, nunquam tetragonus, sed semper antelongior crescit. Rursus si cubus cubum multiplicaverit, cubi forma conficitur. Si vero parte altera longiorem cubum, vel cubus parte altera longiorem, nunquam cubus procreabitur, hoc scilicet secundum similitudinem paris atque imparis. Par enim parem si multiplicet, semper par nascitur, et impar imparem si multiplicet, impar continuo procreatur. Si vero impar parem, vel si par imparem multiplicet, par semper exoritur. Hoc autem facilius cognoscitur ex lectione Platonis in libris de Republica, eo loco qui nuptialis dicitur, quem ex persona Musarum philosophus introducit. Sed nunc ad tertiam medietatem redeundum est.

CAPUT XLVII.

De harmonica medietate ejusque proprietatibus.


Harmonica autem medietas est quæ neque eisdem differentiis, nec æquis proportionibus constituitur, sed illa in qua quemadmodum maximus terminus ad parvissimum terminum ponitur; sic differentia ma-


A ximi et medii contra differentiam medii atque parvissimi comparatur. Ut si sint 3, 4, 6, vel si 2, 3, 6. Senarius enim quaternarium sua tertia parte superat, id est duobus; quaternarius vero ternarium sua quarta parte supervenit, id est uno; et senarius ternarium sua medietate, id est tribus, ternarius vero binarium sua parte tertia, id est unitate transcendit. Quare in his neque eadem proportio terminorum est, neque sunt eædem differentiæ. Est autem quemadmodum maximus terminus ad parvissimum terminum, sic differentia maximi et medii ad differentiam medii atque postremi. Namque in hac proportione, quæ est, 3, 4, 6, major terminus, id est senarius ad parvissimum terminum ternarium duplus est, et differentia maximi et medii, id est senarii et quaternarii, duo scilicet
B ad differentiam medii et ultimi, id est quaternarii atque ternarii, quæ est unitas, dupla perspicitur. Sed hoc quoque subjecta descriptione monstratur :



Habet autem proprietatem, quemadmodum dictum
C est, contrariam arithmeticæ medietati. In illa enim, in minoribus terminis major erat proportio, in majoribus minor; in hac vero, in majoribus quidem terminis major est proportio, in minoribus vero minor. Namque in hac dispositione 3, 4, 6, tres ad quatuor comparati sesquitertium habitudinem, sex vero ad quatuor sesquialteram reddunt; sed major est proportio sesquialtera a sesquitertia, tantum quantum pars tertia medietate transcenditur. Juste igitur medietas quædam geometrica proprieque esse proportionalitas judicatur, scilicet inter eam ubi in majoribus terminis minor est proportio, et minoribus major, et inter eam ubi in majoribus major est, in minoribus minor. Illa est enim vere proportionalitas quæ, medietatis quodammodo locum obtinens, et
D in majoribus et in minoribus, æqualibus proportionum comparationibus continetur. Hoc quoque signum est, duarum extremitatum mediam esse quodammodo geometricam proportionem. Namque in arithmetica proportione, medius terminus eadem sua parte, et minorem præcedit et a majore præceditur, sed alia parte minoris, alia vero parte majoris. Sit enim arithmetica dispositio 2, 3, 4. Ternarius igitur numerus binarium tertia sua parte præcedit, id est uno, et a quaternario tertia sua parte præceditur, id est uno. At vero ternarius non eadem parte minoris minorem vincit, vel majoris a majore superatur. Namque minorem, id est binarium, uno superat, id est ipsius medietate binarii, a quaternario vero uno relinquitur, quæ pars quaternarii quarta est. Recte

igitur dictum est medium terminum in hujusmodi medietate eadem sui parte et minorem vincere et a majore superari, sed non eisdem partibus, vel minoris minorem transgredi, vel majoris a majore transcendi. Contrarie harmonica medietas proportiones habet. Namque non eadem parte sua, medius terminus in hac proportione vel minorem vincit, vel a majore superatur, sed eadem parte minoris minorem superat, qua parte majoris a majore superatur. In hac enim dispositione harmonica, quæ est 2, 3, 6, ternarius binarium tertia sui parte vincit, idem ternarius a senario tota sui quantitate superatur, id est tribus. Idemque ipse ternarius, medietate minoris vincit minorem, id est uno, et medietate majoris a majore termino vincitur, id est tribus. Senarii enim medietas ternarius est. In geometrica vero medietate, neque eisdem suis partibus medius vel vincit minorem, vel a majore vincitur, neque eadem parte vel minoris minorem superat, vel majoris a majore relinquitur, sed qua parte sua medius terminus minorem superat, eadem parte sua major terminus medium vincit. Quod est ut medietas atque extremitas, æqualibus medietatem et extremitatem reliquam suis partibus supervadant. In hac enim dispositione, quæ est 4, 6, 9, tertia sui parte medius senarius quaternarium superat, id est duobus, et tertia sui parte rursus novenarius senarium vincit, id est tribus. Habet autem aliam proprietatem harmonica medietas, ut cum duas extremitates in unum redactas, medietas multiplicaverit, dupla quantitas colligitur, quam si se multiplicent duæ extremitates. Sint enim hi termini 3, 4, 6. Si igitur ternarium et senarium jungas, novenarium facies, qui per quaternarium ductus 36 efficit. Quod si se ipsæ extremitates multiplicent, et fiant tres sexies, 18 conficiunt, quod est prioris summæ dimidium.






CAPUT XLVIII.

Quare dicta sit harmonica medietas ea quæ digesta est.


Considerandum forsitan videatur cur hanc harmonicam medietatem vocemus. Cujus hæc ratio est, quoniam arithmetica dispositio æquas tantum per differentias dividit quantitates, geometrica vero terminos æqua proportione conjungit. At vero harmonica ad aliquid quodammodo relata consideratione,

A neque solum in terminis speculationem proportionis habet, neque solum in differentiis, sed in utrisque communiter. Quærit enim ut quemadmodum sunt ad se extremi termini, sic majoris ad medium differentia, contra differentiam medietatis ad ultimum. Ad aliquid autem, considerationem harmoniæ proprie esse, in primi libri rerum omnium divisione monstravimus. Ipsarum quoque musicarum consonantiarum quas symphonicas nominat proportiones, in hac pene sola medietate frequenter invenias. Namque symphonia diatessaron, quæ princeps est et quodammodo vim obtinens elementi, constituta scilicet in epitrita proportione, ut est quaternarius ad ternarium, in ejusmodi harmonicis medietatibus invenitur. Sint enim ejusmodi harmonicæ medietatis


B termini quorum extimi dupli sint, et rursus alia hujusmodi dispositio quorum extimi tripli.



Senarius igitur ad ternarium duplus est. Idem autem in alia dispositione, senarius ad binarium triplus. Horum igitur si differentias colligamus et ad se invicem comparemus, epitrita proportio colligitur, unde diatessaron symphonia resonabit. Inter 3 enim et 6 ternarius est, et inter binarium et senarium quaternarius, qui, sibimet comparati, sesquitertiam efficient proportionem.




C






In eadem quoque medietate et diapente symphonia componitur, quam sesquialtero habitudo restituit. Nam in utrisque dispositionibus his quæ subjectæ sunt, in duplici senarius ad quaternarium sesquialter

D est, in triplici ternarius ad binarium, ex quibus utrisque, diapente symphonia conjungitur.




Post hanc autem diapason consonantia, quæ fit ex duplici, ut est in subjecta formula.

Duplex
Diapason



In triplici quoque dispositione, simul diapente et diapason symphonia componitur, servans sesquialteram et duplicem rationem: quod subjecta descriptio docet.


Sesquialtera Diapente   Duplex Diapason



Triplex
Diapente et diapason.

Et quoniam triplus duas continet consonantias, diapente scilicet, et diapason, in hujus triplicis positione in differentiis eumdem rursus triplum reperiemus, secundum subter descriptum modum.


Triplus diapente et diapason.



Termini.

In dupla vero dispositione, major terminus ad medii termini contra se differentiam, triplus est, et rursus minor terminus ad medii contra minorem terminum comparati differentiam, triplus est.

Differentiæ.




Termini.

Illa autem maxima symphonia quæ vocatur bis diapason, velut bis duplum, quoniam diapason symphonia ex duplici proportione colligitur, huic se juncturæ harmonicæ medietatis interserit. Nam in duplici proportione, medius terminus ad minoris suique differentiam quadruplus invenitur.

A


Differentia.



Termini.

In triplicibus quoque extremitatibus, major differen-
B tia ad minorem differentiam quadrupla est, et bis diapason symphoniam emittit. Namque in dispositione 2, 3, 6, extremorum differentia est, id est senarii et binarii, 4 ; minor vero differentia, id est ternarii et binarii, unus ; 4 autem uno quadrupla major est relatione, quæ comparatio bis diapason consonantiam tenet.

Quadruplus bis diapason.




C

CAPUT XLIX.

De geometrica harmonia.

Vocant autem quidam harmonicam hujusmodi medietatem, idcirco quod semper hæc proportionalitas geometricæ harmoniæ cognata est, harmoniam autem geometricam, cubum dicunt. Ita enim ex longitudine in latitudinem distentus est, et in altitudinis cumulum crevit, ut ex æqualibus proficiscens, ad æqualia perveniens æqualiter totus sibi conveniens creverit. Hæc autem medietas, in omnibus cubis quæ est geometrica harmonia perspicitur. Omnis enim cubus habet latera 12, angulos 8, superficies 6. Hic autem ordo et dispositio harmonica est. Disponantur enim 6, 8, 12; hic ergo quemodmadum est major terminus ad parvissimum, ita differentia ma-
D joris et medii ad parvissimam comparatur.

Differentiæ duplæ.



Dupli termini.

Perpensi namque 12 ad sex dupli sunt, differentia vero 12 et octonarii quaternarius est, octonarii vero et


senarii duo, dupla autem ratione distabunt duobus quatuor comparati. Rursus octonarius, qui medietas est, alia sua parte minorem præcedit, et alia sua parte a majore præceditur, eadem autem parte minoris minorem superat qua parte majoris a majore superatur. Rursus si extremitates in unum redigantur et a medietate octonario multiplicentur, duplus erit ab eo numero quem solæ extremitates multiplicatæ perfecerint. Omnes autem in hac dispositione symphonias musicas invenimus. Diatessaron quidem est octo ad sex, quoniam proportio sesquitertia est At diapente, 12 ad 8, quoniam ea quæ sesquialtera comparatio dicitur, in ea diapente consonantia reperitur. Diapasòn vero, quæ ex duplici nascitur, ex 12 ad sex compositione producitur. Diapason vero et diapente, quæ triplicis obtinet rationem, fit ab extremitatum differentia, ad differentiam minorem. Namque duodenarii et senarii sex differentia est; minor vero est differentia octonarii et senarii, id est 2. Qui senarius ad binarium triplus est, et diapason simul et diapente consonantia sonant. Illa vero major consonantia quæ est bis diapason, quæ ex quadruplo fit in medii termini, id est octonarii, et ejus differentiæ comparatione perspicitur, quæ inter octonarium senariumque reperitur. Quare proprie atque convenienter hujusmodi proportionalitas harmonica medietas appellatur.

[CAPUT L.

Quemadmodum constitutis altrinsecus duobus terminis, arithmetica, geometrica, et harmonica inter eas medietas alternetur, atque de eorum generationibus.

Nos autem præstare debemus, quatenus quemadmodum dato calamo, extremis foraminibus manentibus musicis mos est, ut medius foramen permutantes, atque aliud aperientes, aliud digitis occludentes, diversòs emittant sonos, vel cum duabus altrinsecus protensis chordis, medii nervi sonum musicus vel astringendo tenuat, vel remittendo gravat, ita quoque datis duobus numeris, nunc quidem arithmeticam, nunc vero geometricam, nunc autem harmonicam medietatem experiamur inserere, ut rectum propriumque medietatis momen sit, quod manentibus extremitatibus huc atque illuc ferri permutarique videatur. Poterimus autem hanc in duobus altrinsecus positis terminis, vel paribus vel imparibus permutare, ita ut cum arithmeticam ponimus medietatem differentiarum tantum ratio æqualitasque servetur Cum vero geometricam, rata se proportionum junctura custodiat. Sin autem harmonica fiat differentiarum comparatio, ab terminorum proportione non discrepet. Et sint quidem primo pares positæ quædam extremitates, inter quas has omnes medietates oporteat internectere, 10 et 40. Prius igitur arithmetica medietas aptetur. Inter hos ergo si 25 posuero, erit mihi arithmetica proportio differentiarum quantitate immutabiliter custodita, in hujusmodi scilicet

A dispositione 10, 25, 40. Vides enim ut quindenæ sese summulæ quantitate transcendant.



Omnesque proprietates, quas supra diximus in medietate artthmetica convenire ab hac hujusmodi dispositione non reperiès alienas. Namque quemadmodum unusquisque eorum terminus ad seipsum est, quoniam sibi æqualis est, ita sunt ad se invicem differentiæ quoniam sibi sunt æquales, et quanto major terminus medium transit, tanto medius vincit minorem, Et extremitatum aggregatio duplex est medietate, et minorum terminorum proportio major est B illa comparatione, quæ inter majores terminos continetur. Et tanto minor est numerus qui fit ex multiplicatis extremitatibus, ab eo qui fit ex multiplicata medietate, quantum eorum differentiæ multiplicatæ restituunt. Illud quoque quod medietas eadem sui parte et a majore vincitur, et minorem ipsa supervenit, non eadem autem parte minorem transit, vel majoris a majore relinquitur, quæ omnes scilicet proprietates non alteriùs nisi arithmeticæ medietatis sunt. Quod si superius dicta meminerit lector, ita esse indubitanter intelliget. Rursus si inter eosdem 10 et 40 viginti constituam, statim geometrica medietas cum suis proprietatibus cunctis exoritur, arithmetica medietate pereunte. In hac enim disposi- C tione 10, 20, 40, quemadmodum est major ad medium sic medius ad extremum. Et quod continetur ab extremitatibus, æquum est ei quod a multiplici medietate completur. Differentiæ quoque eorum in eadem sunt proportione qua termini. Crementum vero et imminutio proportionum secundum terminos nulla est, sed majorum terminorum proportio a minorum terminorum proportione non discrepat. Si vero harmonicam medietatem conjungere velim, 16 mihi numerus inter extremitates utrasque ponendus est, ut sit hoc modo 10. 16, 40. Nunc igitur licet in hujusmodi dispositione omnes harmonicas proprietates agnoscere ; qua enim maximus ad parvissimum terminus proportione jungitur, eadem proportione D differentiæ ad se invicem comparantur. Et quibus partibus majoris a majore medius vincitur, eisdem partibus minoris præterit minorem. Suis vero non eisdem vel a majore vincitur, vel transit minorem, Et in majoribus terminis major est proportio, in minoribus minor. Et si in unum extremitates redigantur, et medietatis quantitate concrescant, duplus inde conficitur numerus ab eo qui ex solis multiplicatis extremitatibus procreatur. Atque hoc quidem in terminis paribus constitutnm est. At vero si impares proponantur, ut sunt 5 et 45, aptatus medius 25, arithmeticam proportionem medietatemque constituit. Nam si sint 5, 25, 45, eadem sese numerorum quantitate termini transgredientur, et omnis superius dicta proprietas arithmeticæ medietatis in his terminis custoditur. Sed si 15 numerum medium ponam, ut


sint, 5, 15 45, in geometricam medietatem termini relabuntur, æqualibus terminorum ad se invicem proportionibus custoditis. Novem vero si inter utrosque terminos ponam, ut sint 5, 9, 4, 5, fit harmonica medietas, ut qua summa maximus numerus parvissimum præcedit, eadem major differentia minorem differentiam vincat. Qua vero disciplina hujusmodi medietates reperiri possimus, expediendum est. Datis duobus terminis, si arithmeticam medietatem constituere oportebit, utraque est extremitas conjungenda, quodque ex ea copulatione colligitur dividendum, isque numerus qui ex divisione redactus est, arithmeticam medietatem inter extremitates locatus efficiet : ut 10 et 40 si junxero efficiunt 50, quos si dividam, 25 redduntur. Hic erit medius terminus secundum arithmeticam proportionem. Vel si illum numerum quo major minorem superat dividas, eumque minori superponas, quodque inde concrescit medium ponas, arithmetica medietas informatur. Nam 40 denarium tricenario superat; quem si dividas 15 fiunt; hunc si minori, id est denario, superposueris, 20 et 5 nascentur; quem si medium constituas, arithmeticæ medietatis ordo formatur. Geometricam vero si rationem vestiges, ejus numeri qui sub utrisque extremitatibus continetur, tetragonicum latus inquire, et hunc medium pone. Nam sub 40 et denario numero 400 continentur. Si enim denarium in 40 multiplices, hic numerus crescit. Horum igitur quadringentorum require tetragonicum latus, hi sunt 20. Vicies enim 20, 400 efficiuntur. Repertum ergo latus quadratum, medium constitues. Vel si eam proportionem quam inter se dati termini custodiunt dividas, et id quod relinquetur medium terminum ponas. Namque 40 ad denarium quadruplus est. Igitur quadruplum si dividas, duplum facies, qui est scilicet 20. Nam 20 ad denarium duplus est. Hunc si medium constituas, medietatem geometricam perferet. Harmonicam vero medietatem, tali modo reperies : differentiam terminorum in minorem terminum multiplica, et post junge terminos, et juxta eum qui inde confectus est, committe illum numerum qui ex differentiis et termino minore productus est. Cujus cum latitudinem inveneris, addas eam minori termino, et quod inde colligitur medium terminum pones, 10 enim et 40, 30 sunt; quem si multiplicas in denarium, id est in minorem, decies 30, oportet 300 efficias. Quos 300 juxta eum committe qui ex junctis utrisque confectus est, id est juxta 50, facient enim quinquagies senos, et invenitur latitudo senarius. Hunc igitur si minori termino addas, facient 16, et hic numerus medius constitutus inter 10 et 40, harmonicam proportionem medietatemque servabit.

CAPUT LI.

De tribus medietatibus quæ harmonicæ et geometricæ contrariæ sunt.

Hæ quidem sunt apud antiquiores inventæ probatæque medietates, quas idcirco longius enodatiusque tractavimus, quod hæ maxime in antiquorum lectionibus inveniuntur, et ad omnem pene vim cognitionis eorum versatur utilitas. Cæteras autem prætereundo transcurrimus, idcirco quod non multum nobis in lectionibus prosunt, sed tantum ad implendam denarii numeri quantitatem. Quæ, ne lateant neve sint aliquibus ignoratæ, depromimus. Videntur enim hæ supradictis medietatibus esse contrariæ, ex quibus originem trahunt. Ex his enim etiam istæ sunt constitutæ. Est autem quarta medietas quæ opposita videtur harmonicæ, in qua tribus terminis positis, quemadmodum est maximus terminis positis, quemadmodum est maximus terminus ad parvissimum, sic differentia minorum ad differentiam maximorum. Ut sint 3, 5, 6, sex ad ternarium duplus. Et sunt minores, 5, et 3, maximi vero hujus dispositionis 6 et 5. Differentia vero minorum, quinarii scilicet et ternarii 2 sunt, majorum, quinarii et senarii, 1, qui 2 ad unum comparati duplum faciunt. Ergo quemadmodum est maximus terminus ad parvissimum, sic minorum terminorum differentia est ad differentiam maximorum.


Differentiæ duplæ.



Termini extremi dupli.

Liquet autem oppositam et quodammodo contrariam esse hanc medietatem harmonicæ medietati, idcirco quod in illa quemadmodum est maximus terminus ad parvissimum, sic majorum terminorum differentia ad differentiam minorum. Hic autem econtrario. Est autem proprium hujus medietatis, quoniam quod continetur sub maximo termino et medio duplum est eo quod continetur sub medio atque parvissimo; sexies enim quinque 30 sunt, quinquies vero tres 15. Duæ vero aliæ medietates, quinta scilicet et sexta, geometricæ medietati contrariæ sunt, et eidem videntur oppositæ. Est autem quinta medietas, quotiens in tribus terminis, quemadmodum est medius terminus ad minorem terminum, ita eorum differentia ad differentiam medii atque majoris. Nam in hac dispositione 2, 4, 5, quaternarius ad binarium duplus est : sed inter quaternarium et binarium duo sunt, inter quaternarium vero et majorem terminum, id est quinque, 1, et duo ad unum dupli sunt.

Differentiæ duplæ.



Numeri dupli.

Contrarium autem geometricæ medietati in hac proportione est, quod in illa quemadmodum major terminus ad minorem esset, sic majorum differentia ad differentiam minorum. Hic vero contrarie, quemadmodum minores ad se termini sunt, sic minorum

differentia terminorum ad majorum differentiam comparatur. Est autem proprium in hac quoque dispositione, quod illud quod continetur sub majore termino et medietate duplum est, eo quod sub utrisque extremitatibus continetur. Nam quinquies quatuor sunt 20, quinquies vero 2 sunt 10, et 20 denarii duplus est. Sexta vero medietas est quando tribus terminis constitutis, quemadmodum est major terminus ad medium, sic minorum terminorum differentia ad differentiam maximorum. In dispositione enim quæ est 1, 4, 6, maximus terminus ad medium sesquialter est, differentia vero minorum, id est unius et 4, ternarius est, majorum vero, id est quaternarii et senarii, binarius.

Differentiæ sesquialteræ.




Ternarius autem binario comparatus, sesquialteram habitudinem proportionis efficiet. Eodem autem modo hæc quoque medietas geometricæ contraria est, quemadmodum et quinta propter proportionem differentiarum a minoribus ad majores terminos conversam.

CAPUT LII.

De quatuor medietatibus quas posteri ad implendum denarium limitem adjecerunt.


Et hæ quidem sunt sex medietates, quarum tres a Pythagora usque ad Platonem Aristotelemque manserunt. Post vero qui insecuti sunt, has tres alias, de quibus supra disseruimus, suis commentariis addidere. Sequens autem ætas, quemadmodum diximus, ad implendam denariam quantitatem, alias quatuor medietates apposuit, quas non adeo qui in veterum libris inveniat. Has igitur nos quam possumus brevissime disponamus. Prima enim quæ est earum, in ordine vero septima medietates, hoc modo conjungitur cum in tribus terminis, quemadmodum est maximus terminus ad ultimum, sic maximi et parvissimi termini differentia, ad minorum differentiam terminorum, ut in hac dispositione 6, 8, 9. Novenarius igitur ad senarium sesquialter est, quorum est differentia ternarius. Minorum vero terminorum, id est octonarii et senarii, binarius differentia est, qui ad superiorem ternarium comparatus, facit sesquialteram proportionem.

Differentia sesquialteræ.




Terminus sesquialter.

Secunda vero inter quatuor, sed octava in ordine proportionalitas est, quotiens in tribus terminis, quemadmodum sunt extremitates ad se invicem comparatæ sic eorum differentia ad majorum terminorum differentiam, ut sunt 6, 7, 9. Novem igitur ad 6 sesquialter est, et eorum differentia ternarius est, qui comparatus contra majorum differentiam, id est septenarii et novenarii, qui binarius est, reddit sesquialteram proportionem.



Tertia vero inter has sequentes quatuor, nona autem in ordine proportio est, quando tribus terminis positis, quam proportionem medius terminus ad parvissimum custodit, eam retinet extremorum differentia ad minorum differentiam comparata, ut 4, 6, 7. Etenim 6 ad 4 sesquialter est, quorum est differentia binarius; septenarii vero et quaternarii, ternarius differentia est, quem si ad superiorem binarium comparemus, sesquialtera proportione conjungitur.



Quarta vero, quæ in ordine decima est, consideratur in tribus terminis, cum tali proportione medius terminus ad parvissimum comparatur, quali extremorum differentia contra majorum terminorum differentiam proportione conjungitur, ut sunt tres, quinque, octo. Quinarius enim medius terminus, ad ternarium superbipartiens est. Extremorum vero differentia, octonarii scilicet et ternarii, quinarius, qui comparatus contra majorum terminorum differentiam, scilicet quinarii et octonarii, qui est ternarius, et ipse quoque superbipartiens invenitur.

CAPUT LIII.

Dispositio decem medietatum.

Disponamus igitur cunctas medietates in ordinem, ut cujusmodi omnes sint, facillime possint intelligi.


Arithmetica	Prima	1	2	3
Geometrica	Secunda	1	2	4
Harmonica	Tertia	3	4	6
Contraria harmonicæ	Quarta	3	5	6
Contraria geometricæ	Quinta	2	4	5
Contraria geometricæ	Sexta	1	4	6
Inter 4 prima	Septima	6	8	9
Inter 4 secunda	Octava	6	7	9
Inter 4 tertia	Nona	4	6	7
Inter 4 quarta	Decima	3	5	8

CAPUT LIV.

De maxima et perfecta symphonia, quæ tribus distenditur intervallis.

Restat ergo de maxima perfectaque harmonia dis-

serere, quæ tribus intervallis constituta, magnam vim A obtinet in musici modulaminis temperamentis et in speculatione naturalium quæstionum. Etenim perfectius hujusmodi medietate nihil poterit inveniri, quæ tribus intervallis producta, perfectissimi corporis naturam substantiamque sortita est. Hoc enim modo, cubum quoque trina dimensione crassatum, plenam harmoniam esse monstravimus. Hæc autem hujusmodi invenietur, si duobus terminis constitutis, qui ipsi tribus creverint intervallis, longitudine, latitudine et profunditate, duo hujusmodi termini medii fuerint constituti, et ipsi tribus intervallis notati, qui vel ab æqualibus per æquales æqualiter sint producti, vel ab inæqualibus ad inæqualia æqualiter, vel ab inæqualibus ab æqualia æqualiter, vel quolibet B alio modo, atque ita cum harmonicam proportionem custodiant, alio tamen modo comparati, faciunt arithmeticam medietatem, hisque geometrica medietas, quæ inter utrasque versatur, deesse non possit. In quatuor enim terminis si fuerit, quemadmodum primus ad secundum, sic tertius ad quartum, proportionum ratione scilicet custodita, geometrica medietas explicatur. Et quod continetur sub extremitatibus æquum erit ei quod sub utraque medietate ad se invicem multiplicata conficitur. Rursus, si maximus quatuor terminorum numerus ad eum qui sibi propinquus est talem habeat differentiam, qualem idem esse maximo propinquus ad parvissimum, hujusmodi proportio in aritmethica consideratione proponitur. Et extremorum conjunctio duplex erit pro- C pria medietate. Si vero inter quatuor qui est tertius terminus, a qua parte quarti, quartum terminum superet, et æqua primi a primo superetur, harmonica hujusmodi proportio medietasque perspicitur: et quod continetur sub extremorum aggregatione et multiplicatione medietatis, duplex est eo quod sub utraque extremitate conficitur. Sit autem quoddam hujus dispositionis exemplar hoc modo, 6, 8, 9, 12. Has igitur omnes solidas quantitates esse non dubium est. Sex enim nascuntur ex uno bis ter, 12 autem ex bis duo ter. Horum autem medietates, octonarius fit semel duo quater. Novenarius vero semel tres ter. Omnes igitur termini cognati sibi, et tribus intervallorum dimensionibus notati sunt. In his igitur geometrica proportionalitas invenitur, si 12 ad 8 D vel 9 ad 6 comparemus. Utraque enim comparatio sesquialtera proportio est, et quod continetur sub extremitatibus idem est ei quod fit ex mediis. Namque quod fit ex duodecies 6, æquum est ei quod fit ex octies 9: geometrica ergo proportio hujusmodi est; arithmetica autem est, si duodenarius ad novenarium, et novenarius ad senarium comparetur. In utrisque enim ternarius differentia est, et junctæ extremitates medietate duplæ sunt. Si enim junxeris senarium et duodecim facies 18, qui est novenario medio termino duplus. In his ergo geometricam arithmeticamque medietatem perspeximus. Hic quoque harmonica medietas invenitur, si 12 ad 8 et rursus 8 ad 6 comparemus. Qua enim parte senarii octonarius senarium superat, id est parte tertia, eadem duodenarii parte, octonarius superatur. Quatuor enim quibus octonarius a duodenario vincitur, duodenarii tertia pars est. Et si extremitates jungas 6 scilicet et 12, easque per octonarium medium multiplices, 144 sunt. Quod si se extremitates multiplicent, sex scilicet et 12, facient 72, quo numero 144 duplus est. Inveniemus hic quoque omnes musicas consonantias. Namque 8 ad 6 et 9 ad 12 comparati sesquitertiam proportionem reddunt, et simul diatessaron consonantiam. Sex vero ad 9 vel 8 ad 12 comparati, reddunt sesquialteram proportionem, sed diapente symphoniam. Duodecim vero ad senarium considerati duplicem proportionem, sed diapason symphoniam canunt. Octo vero et 9 ipsi contra se medii considerati, epogdoum jungunt, qui in musico modulamine tonus vocatur, quæ omnium musicorum sonorum mensura communis est. Omnium enim est sonus iste parvissimus. Unde notum est quod diatessaron et diapente consonantiarum, tonus differentia est, sicut inter sesquitertiam et sesquialteram proportionem sola est epogdous differentia. Ejus autem descriptionis, subter exmplar adjecimus




Proportionalitas geometrica.
Sesquialteræ proportiones.

72
Extremorum mediorumque multiplicationes.

Proportionalitas arithmetica.
Differentiæ æquales.

18
Extremitates junctæ ad novenarium medium duplæ sunt.


Proportionalitas harmonica.
Partes minoris majorisque terminorum.



Junctæ extremitates et per medium multiplicatæ.

A Consonantiæ musicæ.

Sesquitertia Sesquitertia
Epogdous
Diatessaron Diatessaron



B

Dupla
Diapason

AN. MANL. SEV. BOETII
DE MUSICA
LIBRI QUINQUE.

Quæ in marginæ Glareanæ editionis e regione textus notata sunt, nos ad columnarum nostrarum calcem exscripsimus.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Musica naturaliter nobis esse conjunctam, et mores vel honestare vel evertere.

Omnium quidem perceptio sensuum, ita sponte ac naturaliter quibusdam viventibus adest, ut sine his animal non possit intelligi. Sed non æque eorumdem cognitio ac firma perceptio animi investigatione colligitur. Illaboratum est enim quod sensum percipiendis sensibilibus rebus adhibemus. Quæ vero sit ipsorum sensuum secundum quos agimus natura, et quæ rerum sensibilium proprietas, id non obvium neque cuilibet explicabile esse potest, nisi quem conveniens investigatio veritatis contemplatione direxerit, Adest enim cunctis mortalibus visus, qui utrum venientibus ad visum figuris, an ad sensibilia radiis emissis efficiatur, inter doctos quidem dubitabile est, vulgus quoque ipsa dubitatio præterit. Rursus cum quis triangulum respicit, vel quadratum, facile id quod oculis invenitur agnoscit. Sed quænam trianguli vel quadrati sit natura, a mathematica necesse est petat. [a] Idemque de cæteris [b] sensibus dici potest, maximeque de arbitrio aurium, quarum vis ita sonos captat, ut non modo de his judicium capiat, differentiasque cognoscat, verum etiam delectetur sæpius, si dulces coaptatique modi sunt, angatur vero, si dissipati atque incohærentes [c] feriant sensum. Unde fit, ut C cum sint quatuor matheseos disciplinæ, cæteræ quidem ad investigationem veritatis laborent; musica vero non modo speculationi, verum etiam moralitati conjuncta sit. Nihil [d] est enim tam proprium [e] humanitati, quam remitti dulcibus modis astringique contrariis. Idque non modo sese in singulis vel studiis vel ætatibus tenet, verum per cuncta diffunditur studia, et infantes ac juvenes, necnon etiam senes, ita naturaliter affectu quodam spontaneo modis musicis adjunguntur, ut nulla omnino sit ætas quæ a cantilenæ dulcis delectatione sejuncta sit. Hinc etiam internosci potest, quod non frustra a Platone dictum [f] est, mundi animam, musica convenientia fuisse conjunctam. Cum enim [g] ex eo quod in nobis est junctum convenienterque coaptatum, illud excipimus, D quod in sonis apte convenienterque conjunctum est, eoque delectamur, nos quoque ipsos eadem similitudine [h] compactos esse cognoscimus. Amica est enim similitudo. Dissimilitudo [i] vero odiosa atque contraria. Hinc etiam morum quoque maxime permutationes fiunt. Lascivus quippe animus, vel ipse lascivioribus delectatur modis, vel sæpe eosdem audiens cito emollitur, ac frangitur. Rursus asperior mens vel incitatioribus gaudet. vel incitatioribus asperatur. Hinc est etiam quod modi musici gentium vocabulo designati sunt, ut Lydius modus, et Phrygius. Quo enim

[a] *Idem quoque.* [b] *Sensibilibus.* [c] *Ferient.* [d] *Est* non legitur. [e] *Humanitatis,* [f] *Sit.* [g] *Ex* non legitur. *Comparatos.* *Vero* non legitur.

quasi unaquæque gens gaudet, eodem modus ipse vocabulo nuncupatur. Gaudet [a] enim gens modis morum similitudine. Neque enim fieri potest ut mollia duris, dura mollioribus adnectantur aut gaudeant. Sed amorem delectationemque (ut dictum est) similitudo conciliat. Unde Plato etiam maxime cavendum existimat, ne de bene morata musica aliquid permutetur. Negat enim esse ullam tantam morum in republica labem, quam paulatim de pudenti ac modesta musica invertere. Statim enim idem quoque audientium animos pati, paulatimque discedere, nullumque honesti ac recti retinere vestigium, si vel per lasciviores modos inverecundum aliquid, vel per asperiores ferox atque immane mentibus illabatur. Nulla enim magis ad animum disciplinis via, quam auribus patet. Cum ergo per eas rhythmi modique ad animum usque descenderint, dubitari non potest quin æquo modo mentem atque ipsa sunt [b] efficiant atque conforment. Id vero etiam intelligi in gentibus potest. Nam quæ asperiores sunt Getarum, durioribus delectantur modis. Quæ vero mansuete, mediocribus, quanquam id hoc tempore pene nullum est. Quod vero lascivum ac molle est genus humanum, id totum scenicis ac theatralibus modis tenetur. Fuit vero pudens ac modesta musica, dum simplicioribus organis ageretur. Ubi vero varie permixteque tractata est, amisit gravitatis atque virtutis modum, et pene in turpitudinem prolapsa, minimum antiquam speciem servat. Unde Plato præcipit minime oportere pueros ad omnes modos erudiri, sed potius ad valentes ac simplices. Atque hic maxime illud est retinendum, quod si quoquo modo per parvissimas mutationes hinc aliquid permutaretur, recens quidem minime sentiri, post vero magnam facere differentiam, et per aures ad animum usque delabi. Idcirco magnam esse custodiam reipub. Plato arbitratur musicam optime moratam pudenterque conjunctam, ita ut sit modesta ac simplex, et mascula, nec effeminata, nec fera, nec varia. Quod Lacedæmonii maxima ope servavere, dum apud eos Taletas Cretensis [c] Gortinus magno pretio accitus, pueros disciplina musicæ artis imbueret. Fuit enim id antiquis in [d] morem, diuque permansit. Quoniam vero eis Timotheus Milesius super eas quas ante repererat unum addidit nervum, ac multipliciorem musicam fecit, exegere de laconica. Consultumque de eo factum est. Quod quoniam insigne est Spartiatarum lingua S litteram in R vertentium, ipsum de eo consultum eisdem verbis Græcis apposui.

Ἐπειδὴ Τιμόθεορ ὁ Μιλήσιορ, ἐλθὼν ἐττὰν ἁμετέραν πόλιν, τὰν παλαιὰν μολπὴν ἀτιμάσδει, καὶ, τὰν διὰ τὰν ἑπτὰ χορδᾶν κιθαρίζειν ἀποστρεφόμενορ, πολυφωνίαν εἰσάγων λυμαίνεται τὰρ ἀκοὰρ τῶν νέων, διά τε τᾶρ πολυχορδίαρ καὶ τᾶρ καινότητορ τῶ μέλεορ, ἀγεννῆ καὶ ποικίλαν ἀντι ἁπλόαρ καὶ τεταγμέναρ ἀμφιέννυται τὰν μοῦσαν, ἐπι χρωματος συνιστάμενος τὰν τῶ μέλεορ διασκευὰν, ἀντι τᾶρ ἐναρμονίω ποιῶν ἀντιστροφον ἀμοιβὰν παρακλαθεὶς δέ A *καὶ ἐττὸν ἀγῶνα τᾶρ Ἐλευσινίαρ Δάματρορ ἀπρεπῆ διεσκεύσατο τὰν τῶ μύθω διασκευὰν, τὰρ γαρ τᾶρ Σεμέλαρ ὠδῖναρ οὐκ ἔνδεκα τὼρ νέωρ δίδασκε. Δέδοκται ὑπὲρ τούτων τωρ βασιλέωρ καὶ τωρ ἐφόρωρ μέμφασθαι Τιμοθεον. κ. τ. λ.*

Quod consultum id scilicet continet, idcirco Timotheo Milesio Spartiatas succensuisse, quod multiplicem musicam reddens puerorum animis quos acceperat erudiendos, officeret, et a virtutis modestia præpediret, et quod harmoniam, quam modestam susceperat, in genus chromaticum, quod est mollius, invertisset. Tanta igitur fuit apud eos musicæ diligentia, ut eam animos quoque obtinere arbitrarentur. Vulgatum quippe est, quam sape iracundias cantilena represserit, B quam multa vel in corporum, vel in animorum affectionibus miranda perfecerit. Cui enim est illud ignotum, quod Pythagoras ebrium adolescentem Taurominitanum sub Phygii modi sono incitatum, spondeo succinente reddiderit mitiorem et sui compotem. Nam cum scortum in rivalis domo esset clausum, atque ille furens domum vellet amburere, cumque Pytghagoras stellarum cursus (ut ei mos nocturnus erat) inspiceret, ubi intellexit sono Phrygii modi incitatum, multis amicorum [e] admonitionibus a facinore noluisse desistere, mutari modum præcepit atque ita furentis animum adolescentis ad statum mentis pacatissimæ temperavit. Quod scilicet Marcus Tullius commemorat in eo libro quem de consiliis suis composuit, aliter quidem, sed hoc C modo. Sed ut aliqua similitudine adductus, maximis minima conferam, ut cum vinolenti adolescentes tibiarum etiam cantu (ut fit) instincti, mulieris pudicæ fores frangerent, admonuisse tibicinam ut spondeum caneret Pythagoras dicitur; quod cum illa fecisset, tarditate modorum et gravitate canentis, illorum furentem petulantiam consedasse. Sed ut similia breviter exempla conquiram. Terpander atque Arion Methymnæus Lesbios atque Iones, gravissimis morbis, cantus eripuere præsidio. Ismenias vero Thebanus Boetiorum pluribus, quos schiatici doloris tormenta vexabat, modis fertur cuncta abstersisse molestias. Sed et Empedocles cum ejus hospitem quidam gladio furibundus invaderet, quod ejus patrem ille accusatione damnasset, inflexisse dicitur modum canendi, D itaque adolescentis iracundiam temperasse. In tantum vero priscæ philosophiæ [f] studiis vis musicæ artis innotuit, ut Pythagorici, cum diurnas in somno resolverent curas, quibusdam cantilenis uterentur, ut eis lenis et quietus sopor irreperet. Itaque experrecti, aliis quibusdam modis stuporem somni confusionemque purgabant. Id nimirum scientes, quod tota nostræ animæ corporisque compago musica coaptatione conjuncta sit. Nam ut sese corporis habet affectus, ita etiam pulsus cordis motibus incitantur. Quod scilicet Democritus Hippocrati medico tradidisse fertur, cum eum quasi insanum cunctis Democriti vicibus id opinantibus, in custodia medendi

[a] *Vero.* [b] *Afficiant.* [c] *Gortinius.* [d] *More.* [e] *Ad* non habetur. [f] *Studiosis.*

causa viseret. Sed quorsum ista hæc? Quia non potest dubitari quin nostræ animæ et corporis status, eisdem quodammodo proportionibus videatur esse compositus, quibus harmonicas modulationes posterior disputatio conjungi copularique monstrabit. Inde est enim quod infantes quoque cantilena dulcis oblectat. Aliquid vero asperum atque immite, ab audiendi voluptate suspendit. Nimirum id etiam omnis ætas patitur, omnisque sexus. Quæ licet suis actibus distributa sint, una tamen musicæ delectatione conjuncta sunt. Quid enim fit, cum in fletibus luctus ipsos modulantur dolentes? Quod maxime muliebre est, ut cum cantico quodam dulcior [a] fiat causa flendi. Id vero etiam fuit [b] antiquis in morem, ut cantus tibiæ luctibus præiret. Testis est Papinius Statius hoc versu:

Cornu grave mugit adunco,
Tibia cui teneros suetum producere manes.

Et qui suaviter canere non potest, sibi tamen aliquid canit, non quod eum aliqua voluptate id quod canit afficiat, sed quod quamdam insitam dulcedinem ex animo proferentis quoquomodo proferant, delectantur. Nonne illud etiam manifestum est, in bellum pugnantium animos tubarum carmine accendi? Quod si verisimile est, ab animi pacato statu, quemquam ad furorem atque iracundiam posse proferri. Non est dubium, quod conturbatæ mentis iracundiam, vel nimiam cupiditatem modestior modus possit astringere. Quid quod cum aliquis cantilenam libentius auribus atque animo capit, ad illud etiam non sponte convertitur, ut motum quoque aliquem similem auditæ cantilenæ corpus effingat, et quod omnino aliquod melos auditum sibi memor animus ipse decerpat? Ut ex his omnibus perspicue nec dubitanter appareat, ita quidem nobis musicam naturaliter esse conjunctam ut ea ne si velimus quidem carere possimus. Quocirca intendenda vis mentis est, ut id quod natura est insitum, scientia quoque possit comprehensum teneri. Sicut enim in visu quoque non sufficit eruditis colores formasque conspicere, nisi etiam quæ sit horum proprietas investigaverint: sic non sufficit cantilenis musicis delectari, nisi etiam quali inter se conjunctæ sint vocum proportione discatur.

CAPUT II.

Tres esse musicas, in quibus de vi musicæ narratur.

Principio igitur de musica disserenti, illud interim dicendum videtur, quot musicæ genera ab ejus studiosis comprehensa esse noverimus. Sunt autem tria. Et prima quidem mundana est; secunda vero humana; tertia quæ in quibusdam [c] constituta est instrumentis, ut in cithara vel in tibiis, cæterisque quæ cantilenæ famulantur. Et primum ea quæ est mundana in his maxime perspicienda est quæ in ipso cœlo, vel compage elementorum, vel temporum varietate visuntur. Qui enim fieri potest, ut tam velox cœli machina tacito silentique cursu moveatur? Et si ad nostras aures sonus ille non pervenit, quod A multis fieri de causis necesse est, non poterit tamen motus tam velocissimus ita magnorum corporum, nullos omnino sonos ciere, cum præsertim tanta sint stellarum cursus coaptatione conjuncti, ut nihil æque compaginatum, nihil ita commixtum possit intelligi. Namque alii excelsiores, alii inferiores feruntur, atque ita omnes æquali incitatione volvuntur, ut per dispares inæqualitates ratus cursuum ordo ducatur. Unde non potest ab hac cœlesti vertigine ratus ordo modulationis absistere. Jam vero quatuor elementorum diversitates contrariasque potentias, nisi quædam harmonica conjungeret, qui fieri posset, ut in unum corpus ac machinam convenirent? Sed hæc omnis diversitas ita et temporum varietatem parit et fructuum, ut tamen unum anni corpus efficiat. B Unde si quid horum, quæ tantam varietatem rebus ministrant, animo et cogitatione [d] discerpas, cuncta pereant, nec (ut ita dicam) quidquam consonum servent. Et ut in gravibus chordis is vocis est modus, ut non ad taciturnitatem gravitas usque descendat, atque in acutis ille custoditur acuminis modus ne nervi nimium tensi vocis tenuitate rumpantur, sed totum sibi sit consentaneum atque conveniens; ita etiam in mundi musica pervidemus, nihil ita nimium esse posse ut alterum propria nimietate dissolvat. Verum quidquid illud est, aut suos [e] affert fructus, aut aliis auxiliatur ut afferant. Nam quod constringit hiems, ver laxat, torret æstas, maturat autumnus, temporaque vicissim vel ipsa suos afferunt fructus, vel aliis ut afferant subministrant. C De quibus posterius studiosius disputandum est. Humanam vero musicam, quisquis in sese ipsum descendit, intelligit. Quid est enim quod illam incorpoream rationis vivacitatem corpori misceat, nisi quædam coaptatio, et veluti gravium leviumque vocum, quasi unam consonantiam efficiens, temperatio? Quid est autem aliud quod ipsius inter se partes animæ conjungat, quæ (ut Aristoteli placet) ex rationabili irrationabilique conjuncta est? Quid vero quod corporis elementa permisceat, aut partes sibimet rata coaptatione contineat? Sed de hac quoque posterius dicam. Tertia est musica, quæ in quibusdam consistere dicitur instrumentis. Hæc vero administratur, aut intentione, ut nervis, aut spiritu, ut tibiis, vel his quæ D ad aquam moventur, aut percussione quadam, ut in his quæ in concava quædam virga ærea feriuntur, atque inde diversi efficiuntur soni. De hac igitur instrumentorum musica primum hoc opere disputandum videtur. Sed procemii satis est. Nunc de ipsis musicæ elementis est disserendum.

CAPUT III.

De vocibus ac de musicæ elementis.

Consonantia, quæ omnem musicæ modulationem regit, præter sonum fieri non potest. Sonus vero præter quemdam pulsum percussionemque non redditur. Pulsus vero atque percussio nullo modo esse potest, nisi præcesserit motus. Si enim cuncta sint immobi-

[a] *Fit* [b] *In antiquis moris.* [c] *Instituta.* [d] *Decerpas* [e] *Effert.*

lia, non poterit alterum alteri concurrere, ut alterum impellatur ab altero. Sed cunctis stantibus motuque carentibus, nullum fieri necesse est sonum. Idcirco definitur sonus : Aeris percussio indissoluta usque ad auditum. Motuum vero alii sunt velociores, alii tardiores, eorumdemque motuum alii rariores sunt alii spissiores. Nam si quis in continuum motum respiciat, ibi aut velocitatem aut tarditatem necesse est comprehendat. Sin vero quis moveat manum, aut frequenti eam motu movebit aut raro. Et sit tardus quidem fuerit ac rarior motus graves necesse, est sonos effici ipsa tarditate et raritate pellendi. Sin vero motus sint celeres ac spissi, acutos reddi necesse est sonos. Idcirco enim idem nervus si intendatur amplius, acutum sonat ; si remittatur, grave. Quando enim tensior est, velociorem pulsum reddit, celeriusque revertitur, et frequentius ac spissius aerem ferit. Qui vero laxior est, solutos ac tardos pulsus effert, rarusque ipsa imbecillitate feriendi, nec diutius tremit. Neque enim quotiens chorda pellitur, unus edi tantum putandus est sonus, aut unam in his esse percussionem, sed totiens aer feritur quotiens eum chorda tremebunda percusserit. Sed quoniam junctæ sunt velocitates sonorum, nulla intercapedo sentitur auribus. Et unus sonus sensum pellit vel gravis, vel acutus, quamvis uterque ex pluribus constet, gravis quidem ex tardioribus, et rarioribus, acutus vero ex [a] celeribus ac spissis, veluti si conum, quem turbonem vocant, quis diligenter [b] exornet, eique unam virgulam coloris rubri vel alterius ducat, et eum qua potest celeritate convertat, tunc totus conus rubro colore videtur infectus, non quod totus ita sit, sed quod partes puras rubræ virgæ velocitas comprehendat, et apparere non sinat. Sed de his posterius. Igitur quoniam acutæ voces spissioribus et velocioribus motibus incitantur, graves vero tardioribus ac raris, liquet additione quadam motuum ex gravitate acumen intendi, detractione vero motuum laxari ex acumine gravitatem. Ex pluribus enim motibus acumen, quam gravitas constat. In quibus autem pluralitas differentiam facit, eam necesse est in quadam numerositate consistere. Omnis vero paucitas ad pluralitatem ita sese habet, ut numerus ad numerum comparatus. Eorum vero quæ secundum numerum conferuntur, partim sibi sunt æqualia, partim inæqualia. Quocirca soni quoque partim sunt æquales, partim vero sunt inæqualitate distantes. Sed in his vocibus, quæ nulla inæqualitate discordant, nulla omnino consonantia est, etenim consonantia est dissimilium inter se vocum in unum redacta concordia.

CAPUT IV.

De speciebus inæqualitatum.

Quæ vero sunt inæqualia, quinque inter se modis inæqualitatis momenta custodiunt. Aut enim alterum ab altero multiplicate transcenditur, aut singulis partibus, aut pluribus aut multiplicitate et parte, aut multiplicitate et partibus. Et primum quidem inæqualitatis genus multiplex appellatur. Est vero multiplex ubi major numerus minorem numerum habet, in se totum, vel bis, vel ter, vel quater, ac deinceps nihilque deest, nihilque exuberat, appellaturque vel duplum, vel triplum, vel quadruplum. atque ad hunc ordinem in infinita progreditur. Secundum vero inæqualitatis genus est quod appellatur superparticulare, id est cum major numerus minorem numerum habet in se totum, et unam ejus aliquam partem, eamque vel dimidiam, ut tres duorum, et vocatur sesquialtera proportio, vel tertiam, ut quatuor ad tres, et vocatur sesquitertia. Ad hunc etiam modum in posterioribus numeris pars aliqua a majoribus super minores numeros continetur. Tertium vero genus inæqualitatis est, quotiens major numerus totum intra se minorem continet, et ejus aliquantas insuper partes, et si duas quidem supra continet, vocabitur proportio superbipartiens, ut sunt quinque ad tres. Sin vero tres super se continet, vocabitur supertripartiens, ut suut septem ad quatuor. Et in cæteris [c] quidem eadem similitudo esse potest. Quartum vero est inæqualitatis genus, quod ex multiplici et superparticulari conjungitur, cum scilicet major numerus habet in se minorem numerum, vel bis vel ter vel quotieslibet, atque ejus unam aliquam partem. Et si eum bis habet, et ejus dimidiam partem, vocabitur duplex sesquialter, ut sunt quinque ad duo. Sin vero bis minor continebitur, et ejus tertia pars, vocabitur duplex sesquitertius, ut sunt septem ad tres. Sin vero tertio continebitur, et ejus dimidia pars, vocabitur triplex sesquialiter. ut sunt septem ad duo. Atque ad eumdem modum in cœteris et multiplicitatis et superparticularitatis vocabula variantur. Quintum est genus inæqualitatis, quod appellatur multiplex superpartiens, quando major numerus minorem numerum habet in se totum plusquam semel, et ejus plusquam unam aliquam partem. Et si bis major numerus minorem numerum continebit, duasque ejus insuper partes, vocabitur duplex superbipartiens, ut sunt tres ad octo, et rursus triplex superbipartiens, ut sunt tres ad undecim. Ac de his idcirco nunc strictim ac breviter explicamus, quoniam in libris quos de Arithmetica Institutione conscripsimus. diligentius enodavimus.

CAPUT V.

Quæ inæqualitatis species consonantiis aptentur.

Ex his igitur inæqualitatis generibus postrema duo, quoniam ex superioribus mixta sunt, [d] relinquamus. De tribus vero prioribus speculatio facienda est. Obtinere igitur majorem ad consonantias potestatem videtur multiplex, consequenter autem superparticularis. Superpartiens vero ab harmoniæ concinentia separatur, ut quibasdam præter Ptolemæum videtur.

CAPUT VI.

Cur multiplicitas et superparticularitas consonantiis deputentur.

Ea namque probantur comparationi consentanea, quæ sunt natura simplicia. Et quoniam gravitas et acumen in quantitate consistunt, ea maxime videbuntur servare naturam concinentiæ, quæ discretæ

[a] *Celerioribus.* [b] *Extornet.* [c] *Non est.* [d] *Exæquamur.*

proprietatem quantitatis poterunt custodire. Nam cum sit alia quidem discreta quantitas, alia vero continua, ea quæ discreta est in minimo quidem finita est, sed in infinitum per majora procedit. Namque in ea minima unitas eademque finita est. In infinitum vero modus pluralitatis augetur, ut numerus qui cum a finita incipiat unitate, crescendi non habet finem. Rursus quæ est continua, tota quidem finita est, sed per infinita minuitur. Linea enim quæ continua est, in infinita semper partitione dividitur. Cum sit ejus summa, vel bipedalis, vel quæcunque alia definita mensura. Quocirca numerus semper in infinita concrescit, continua vero quantitas in infinita minuitur, Multiplicitas igitur quoniam crescendi finem non habet, numeri maxime servat naturam. Superparticularitas autem, quoniam in infinitum minorem minuit proprietatem servat continuæ quantitatis. Minuit autem minorem, cum semper eum continet, et ejus vel dimidiam partem, vel tertiam, vel quartam, vel quintam. Nam semper pars a majore numero denominata ipsa decrescit. Nam cum tertia a tribus denominata sit, quarta vero a quatuor, cum quatuor tres superent, quarta potius quam tertia minutior invenitur. Superpartiens vero jam quodammodo a simplicitate discedit. Duas enim, vel tres, vel quatuor habet insuper partes, et a simplicitate discedens exuberat ad quamdam partium pluralitatem. Rursus multiplicitas omnis in integritate se continet. Nam duplum bis habet totum minorem; triplum item tertio continet totum minorem, atque ad eumdem modum et cætera. Superparticularitas vero nihil integrum servat, sed vel dimidio superat, vel tertia, vel quarta, vel quinta. Sed tamen divisionem singulis ac simplicibus partibus operatur. Superpartiens autem inæqualitas nec servat integrum nec [a] singulis adimit partes. Atque [b] ideo secundum Pythagoricos, minime musicis consonantiis adhibetur. Ptolemæus tamen etiam hanc proportionem inter consonantias ponit, ut posterius ostendam.

CAPUT VIII.

Quæ proportiones quibus consonantiis musicis aptentur

Illud tamen esse cognitum debet, quod omnes musicæ consonantiæ, aut in duplici, aut in triplici, aut in quadrupla, aut in sesquialtera aut in sesquitertia proportione consistunt. Et vocabitur quidem quæ in numeris sesquitertia est, diatessaron in sonis. Quæ in numeris sesquialtera, diapente appellatur in vocibus Quæ vero in proportionibus dupla est diapason in consonantiis. Tripla vero diapente ac diapason. Quadrupla autem bisdiapason. Et nunc quidem universaliter atque indiscrete dictum sit. Posterius vero omnis ratio proportionum lucebit.

CAPUT VIII.

Quid sit sonus, quid intervallum, quid concinentia.

Sonus igitur est vocis casus, emmeles, id est aptus melo, in unam intensionem. Sonum vero non generalem nunc volumus definire; sed eum qui græce dicitur phthongus, dictus a similitudine loquendi φθέγγεσθαι. Intervallum vero est soni acuti gravisque A distantia. Consonantia est acuti soni gravisque mixtura, suaviter uniformiterque auribus accidens. Dissonantia vero est duorum sonorum sibimet permixtorum ad aurem veniens aspera atque injucunda percussio. Nam dum sibimet misceri nolunt, et quodammodo integer uterque nititur pervenire, cumque alter alteri officit, ad sensum insuaviter uterque transmittitur.

CAPUT IX.

Non omne judicium dandum esse sensibus sed amplius rationi esse credendum in quo de sensuum fallacia.

Sed de his ita proponimus, ut non omne judicium sensibus demus, quanquam a sensu aurium hujusce artis sumatur omne principium. Nam si nullus esset auditus, nulla omnino disputatio de vocibus exstitis- B set. Sed principium quodammodo, et quasi admonitionis vicem tenet auditus. Postrema [c] ergo perfectio, agnitionisque vis in ratione consistit, quæ certis regulis sese tenens [d] nullo unquam errore prolabitur. Nam quid diutius dicendum est de errore sensuum, quando nec omnibus eadem sentiendi vis, nec eidem homini semper æqualis? Frustra autem vario judicio quisquam committet, quod veraciter affectat inquirere. Idcirco Pythagorici medio quodam feruntur itinere. Nam nec omne judicium dedunt auribus, et quædam tamen ab eis non nisi auribus explorantur. Ipsas etenim consonantias aure metiuntur. Quibus vero inter se distantiis consonantiæ differant, id jam non auribus, quarum sunt obtusa judicia, sed regulis rationique permittunt, ut quasi obediens quidem fa- C mulusque sit sensus, judex vera atque imperans ratio. Nam licet omnium pene artium, atque ipsius vitæ momenta, sensum occasione producta sint, nullum tamen in his judicium certum, nulla veri est comprehensio, si arbitrium rationis abscedat. Ipse enim sensus æque maximis minimisque corrumpitur. Nam neque minima sentire propter ipsorum sensibilium parvitatem potest, et majoribus sæpe confunditur. Ut in vocibus, quæ si mininæ sint, difficilius captat auditus: si sint maximæ, ipsius sonitus intentione surdescit.


CAPUT X.

Quemadmodum Pythagoras proportiones consonantiarum investigaverit.

D Hæc igitur maxima causa fuit cur, relicto aurium judicio, Pythagoras ad regularum momenta migraverit, qui nullius humanis auribus credens, quæ partim natura, partim etiam extrinsecus accidentibus permutantur, partim ipsis variantur ætatibus, nullis etiam deditus instrumentis, penes quæ sæpe multa varietas atque inconstantia nasceretur, dum nunc quidem si nervos velis aspicere, vel aer humidior pulsus obtunderet, vel siccior exsiccaret, vel magnitudo chordæ graviorem redderet sonum, vel acumen subtilior tenuaret, vel alio quodam modo statum prioris constantiæ permutaret. Et cum idem esset in cæteris instrumentis, omnia hæc inconsulta minimæque æstimans fidei, diuque æstuans inquirebat quanam ratione firmiter et constanter consonantiarum momenta


[a] *Singulas.* [b] *Idcirco.* [c] *Erga.* [d] *Unquam ullo.*

perdisceret[a]. Cum interea divino quodam motu præteriens fabrorum officinas, pulsos maleos[b] exaudivit, ex diversis sonis unam quodammodo concinentiam personare. Ita igitur ad id quod diu inquirebat attonitus, accessit ad opus : diuque. considerans, arbitratus est diversitatem sonorum ferientium vires efficere. Atque ut id apertius colliqueret, [c] mutarent inter se malleos imperavit. Sed sonorum proprietas non in hominum lacertis hærebat, sed mutatos malleos comitabatur. Ubi igitur id animadvertit, malleorum pondus examinat. Et cum quinque essent forte mallei, dupli reperti sunt pondere qui sibi secundum diapason consonantiam respondebant. Eumdem etiam qui duplus esset alio, sesquitertium alterius comprehendit, ad quem scilicet diatessaron sonabat. Ad alium vero quemdam, qui eidem diapente consonantia jungebatur, eumdem superioris duplum reperit esse sesquialterum. Duo vero hi, ad quos superior duplex sesquitertius et sesquialter esse probatus A est, ad se invicem sesquioctavam proportionem perpensi sunt custodire. Quintus vero est rejectus, qui cunctis erat inconsonans. Cum igitur ante Pythagoram consonantiæ musicæ, partim diapason, partim diapente, partim diatessaron, quæ est consonantia minima, vocarentur [c] primus Pythagoras hoc modo reperit, qua proportione sibimet hæc sonorum chorda jungeretur. Et ut sit clarius quod dictum est, sint, verbi gratia, malleorum quatuor pondera, quæ subterscriptis numeris contineatur, 12, 9, 8, 6. Hi igitur mallei, qui 12 et 6 ponderibus vergebant, diapason in duplo [d] concinentiam personabant. Malleus vero 12 ponderum ad malleum 9, et malleus 8 ponderum ad malleum 6 ponderum, secundum epitritam proportionem diatessaron consonantia jungebatur. Novem vero ponderum ad 6, et 12 ad 8 diapente con- B sonantiam permiscebant. Novem vero ad 8, in sesquioctava proportione resonabant tonum.



Hæc ultima figura et in suprema calce Arithmeticæ.

C



CAPUT XI.

Quibusdam modis varie a Pythagora proportiones consonantiarum perpensæ sint.

Hinc igitur domum reversus, varia examinatione perpendit an in his proportionibus ratio symphoniarum tota consisteret. [e] Hunc quidem æqua pondera nervis aptans, eorumque consonantias aure dijudicans ; nunc vero in longitudine calamorum duplicitatem medietatemque restituens, cæterasque proportiones aptans, integerrimam fidem diversa experientia capiebat. Sæpe [f] et pro mensurarum modo cyathos æquorum ponderum acetabulis imimttens ; sæpe ipsa quoque acetabula diversis formata ponderibus virga, vel ærea, ferreave percutiens, nihil esse diversum invenisse lætatus est. Hinc etiam ductus, longitudinem crassitudinemque chordarum ut examinaret aggressus est. Itaque invenit regulam, de qua posterius loquemur, quæ ex re vocabulum sumpsit, [g] non quod regula sit linea, per quam magnitudines chordarum sonumque metimur, sed quod regula quædam sit hujusmodi inspectio fixa firmaque, ut nullum inquirentem dubio fallat judicio.

CAPUT XII.

De divisione vocum earumque explanatione.

Sed de his hactenus ; nunc vocum differentias colligamus. Omnis enim vox aut συνεχής est, quæ continua, aut διαστηματική, quæ dicitur cum intervallo suspensa. Et continua quidem est, quia loquentes vel ipsam orationem legentes verba percurrimus. Festinat enim tunc vox non inhærere in acutis et gravibus sonis, sed quam velocissime verba percurrere, expediendisque sensibus, exprimendisque sermonibus continuæ vocis impetus operantur. Diastematice autem est ea quam canendo suspendimus, in qua non potius sermonibus, sed modulis inservimus. Estque vox ipsa tardior, et per modulandas varieta- D tes quoddam faciens intervallum, non taciturnitatis, sed suspensæ ac tardæ potius cantilenæ. His (ut Albinus autumat) additur tertia differentia, quæ medias voces possit includere, sed heroum poemata legimus, neque continuo cursu, ut prosam, neque suspenso segniorique modo vocis, ut canticum.

CAPUT XIII.

Quod infinitatem vocum humana natura finierit.

Sed quæ continua vox est, et ea rursus qua decurrimus cantilenam, naturaliter quidem infinitæ sunt. Consideratione enim accepta, nullus modus vel evolvendis sermonibus fit, vel acuminibus attollendis gravitatibusque laxandis, sed utrisque natura humana fecit proprium finem. Continuæ enim voci terminum

[a] *Permisceret.* [b] *Exaudit.* [c] *Mutari.* [d] *Concinentia.* [e] *Hæc.* [f] *Etiam.* [g] *Non quod lignea sit regula.*

humanus spiritus fecit, ultra quem nulla ratione vales excedere. Tantum enim unusquisque loquitur continue, quantum naturalis spiritus sinat. Rursus diastematice voci natura hominum facit terminum. quæ acutam eorum vocem gravemque determinat. Tantum enim unusquisque vel acumen valet extollere, vel deprimere gravitatem, quantum vocis ejus naturaliter patitur modus. A

CAPUT XIV.

Quis modus sit audiendi.

Nunc quis modus audiendi sit disseramus. Tale enim quiddam fieri consuevit in vocibus, quale cum paludibus vel quietis aquis jactum eminus mergitur saxum. Prius enim in parvissimum orbem undam colligit, deinde majoribus orbibus undarum globos spargit, atque eo usque dum fatigatus motus ab eliciendis fluctibus conquiescat. Semperque posterior et major undula pulsu debiliore diffunditur. Quod si quid sit, quod crescentes undas possit offundere, statim motus B ille revertitur, et quasi ad centrum, unde profectus fuerat, eisdem undulis rotundatur. Ita igitur cum aer pulsus fecerit sonum, pellit alium proximum, et quodammodo rotundum fluctum aeris ciet. Itaque diffunditur et omnium circumstantium simul ferit auditum, atque illi est obscurior vox, qui longius steterit, quoniam ad eum debilior pulsi aeris unda pervenit.

CAPUT XV.

De ordine theorematum, id est speculationum.


His igitur ita propositis dicendum videtur quot generibus omnis cantilena texatur, de quibus harmonicæ inventionis disciplina considerat. Sunt autem hæc diatonicum, chromaticum, enharmonicum. De quibus ita demum explicandum est, si prius de tetrachordis disseramus, et quemadmodum auctus nervorum numerus, ad id quo nunc [a] pluralitas est, usque pervenerit. Id autem fiet, si prius commemoremus quibus proportionibus symphoniæ musicæ misceantur. C


CAPUT XVI.


De consonantiis proportionum, et tono, et semitonio.


Diapason [b] consonantia est quæ fit in duplo, ut hæc est, 1, 2; diapente vero quæ constat his numeris, 2, 3; diatessaron vero est quæ in hac proportione consistit 3, 4; tonus vero sesquioctava proportione concluditur, sed in hoc nondum est consonantia, ut 8, 9; diapason vero et diapente tripla comparatione colligitur hoc modo, 2, 4, 6; bisdiapason qnadrupla collatione perficitur, 2, 4, 8; diutessaron vero ac diapente unum perficiunt diapason hoc modo, 2, 3, 4.


D

















a *Pluralitatis*. b *Symphonia*.


Nam si vox voci duplo sit acuta vel gravis, diapason consonantia fiet. Si vox voci sesquialtera proportione [a] sit, vel sesquitertia, vel sesquioctava, acutior graviorque diapente, vel diatessaron, vel tonum consonantiam reddet. Item si diapason, ut 2 et 4, et diapente, ut 4 et 6, conjungantur, triplam, et quæ est diapason et diapente, efficiant symphoniam. Quod si bis diapason fiant, ut duo ad quatuor, et quatuor ad octo, quadrupla fiet consonantia, quæ est bisdiapason. Quod si sesquialtera et sesquitertia, id est diapente et diatessaron, ut duo ad tres, et tres ad quatuor conjungantur, dupla id est, diapason nimirum nascitur concinentia. Quatuor enim ad tres sesquitertiam obtinent proportionem. Tres vero ad binarium sesquialtera collatione junguntur, et idem quaternarius ad binarium appositus dupla ei comparatione copulatur. Sed sesquitertia diatessaron, sesquialtera proportio diapente consonantiam creant. Dupla vero diapason efficit symphoniam. Diatessaron igitur ac diapente unam diapason consonantiam jungunt. Rursus tonus in æqua dividi non potest, cur autem posterius liquebit. Nunc hoc tantum nosse sufficiat, quod nunquam tonus in gemina æqua dividitur. Atque ut id facillime comprobetur, sit sesquioctava proportio 8 et 9. Horum nullus naturaliter medius numerus incidet. Hos igitur si binario multiplicemus, fiuntque bis 8 16, 9 18, inter 16 autem et 18 unus numerus [b] naturaliter [c] incidit qui est scilicet 17. Qui disponantur in ordinem 16, 17, 18. Igitur 16 ac 18 collati, sesquioctavam retinent proportionem, atque idcirco tonum. Sed hanc proportionem 16 numerus medius non in æqualia partitur. Comparatus enim ad 16, habet in se totum 16, et ejus sextam decimam partem, scilicet unitatem. Si vero ad eum, id est 17, tertius, id est 18, numerus comparetur, habet eum totum, et ejus decimam septimam partem. Non igitur iisdem partibus et minorem superat, et a majore superatur. Est enim minor pars septima decima, major sexta decima. Sed utraque semitonia nuncupantur. Non quod omnino semitonia ex æquo sint media, sed quod semum dici solet, quod ad integritatem usque non pervenit. Sed inter hæc unum majus semitonium nuncupatur, aliud minus.

CAPUT XVII.

In quibus primis numeris semitonium constet.

Quod vero integrum sit semitonium, aut in quibus primis numeris constet, nunc evidentius explicabo. Id enim quod de divisione toni dictum est, non ad hoc pertinent, ut semitoniorum modos voluerimus ostendere. Sed ad id potius quod tonum in gemina æqua diceremus non posse disjungi. Diatessaron, quæ est consonantia, vocum quidem est quatuor, intervallorum trium. Constat autem ex duobus tonis, et non integro semitonio. Sit enim subjecta descriptio 192, 216, 243, 256, Si igitur 192 numerus, 256 comparetur, sesquitertia proportio fiet, ac diatessaron concinentiam resonabit. Sed si 216 ad 192 comparemus,
A sesquioctava proportio est; est enim eorum differentia 24, quæ est octava pars, 192 est igitur tonus. Rursus si 243 ad 216 comparetur, erit altera sesquioctava proportio. Nam eorum differentia 27, pars 216, probatur octava, restat comparatio 256 ad 243, quorum differentia est 13. Qui octies facti, medietatem 243 non videntur implere. Non est igitur semitonium, sed minus a semitonio. Tunc enim integrum esse semitonium jure putaretur, si eorum differentia, quæ est 13 facta octies, medietatem 243 numerorum potuisset æquare. Estque verum semitonium minus 243 ad 256 comparatio.

B




CAPUT XVIII.

Diatessaron a diapente tono distare.

Rursus diapente consonantia, vocum quidem est quinque intervallorum quatuor, trium tonorum, et
C minore semitonio. Ponatur enim idem numerus 192, et ejus sesquialter sumatur, qui ad eum diapente faciat consonantiam. Sit igitur numerus 288. Igitur horum et superius deprehensorum 192, ponantur in medio numeri hi 216, 243, 256, et sit hoc modo formata descriptio, 192, 216, 243, 256, 288.

D



In superiore igitur descriptione, 192 et 256 duos tonos et semitonium contineri monstrati sunt. Restat igitur comparatio 256 ad 288, quæ est sesquioctava, id est tonus, eorumque differentia est 32, quæ est octava pars 256. Itaque monstrata est diapente consonantia ex tribus tonis semitonioque [d] constare. Sed [e] dubium diatessaron consonantia a centum nonaginta duobus numeris usque ad 256 venerat. Nunc vero diapente ab eisdem 192 numeris usque ad 288 distenditur. Superatur igitur diatessaron consonantia a

[a] *Fit.* [b] *Naturalis.* [c] *Intercidit.* [d] *Consistere,* [e] *Dudum.*

diapente, ea proportione quæ inter 256 et 288 numeros continetur, at est hic tonus. Diatessaron igitur symphonia a diapente tono transcenditur.

CAPUT XIX.

Diapason quinque tonis et duobus semitoniis jungi.


Diapason consonantia constat ex quinque tonis et duobus semitoniis, quæ tamen unum non impleant tonum. Quoniam enim monstratum est diapason ex diapente et diatessaron consistere, diatessaron vero probata est ex duobus tonis et semitonio constare; diapente ex tribus tonis ac semitonio simul juncta efficiunt quinque tonos. Sed quoniam illa duo semitonia non erant integræ medietatis, eorum conjunctio ad plenum usque non pervenit. Sed medietatem quidem superat, ab integritate relinquitur. Estque diapason secundum hanc rationem ex quinque tonis et duobus semitoniis. Quæ sicut ad integrum tonum non aspirant, ita ultra integrum semitonium prodeunt. Sed quæ horum sit ratio, vel quemadmodum ipsæ musicæ consonantiæ reperiantur, postea liquidius explanabitur. Interea præsenti disputationi sub mediocri intelligentia [a] credulitatis adhibenda est: tunc vero firma omnis fides sumenda est, cum [b] propria unum quodque demonstratione claruerit. His igitur ita dispositis paulisper de cytharæ nervis, ac de eorum nominibus, quoque modo [c] sunt additi, disseramus, quaque eorum causa sit nominum. His enim primum ad notitiam venientibus facile erit scientia, quæ sequuntur, amplecti.

CAPUT XX.

De additione chordarum earumque nominibus.


Simplicem principio fuisse musicam refert Nicomachus, adeo ut quatuor nervis tota constaret. Idque usque ad Orpheum duravit, ut primus quidem nervus et quartus diapason consonantiam resonarent. Medii vero ad se invicem atque ad extremos diapente, ac diatessaron, ac tonum. Nihil vero in eis esset inconsonum, ad imitationem scilicet musicæ mundanæ, quæ ex quatuor constat elementis. Cujus quadrichordi Mercurius dicitur inventor.

Tetrachordum Mercurii,



Quinta vero chordam post Chorebus Athylis filius adjunxit, qui fuit Lydorum rex. Hyagis vero Phryx sextum his apposuit nervum. Sed septimus nervus a Terpandro Lesbio adjunctus est, secundum septem scilicet planetarum similitudinem. Inque his quæ gravissima quidem erat, vocata est hypate, quasi major atque honorabilior. Unde Jovem etiam Hypa-


A ton vocant. Consulem eodem quoque nuncupant nomine propter excellentiam dignitatis, eaque Saturno est attributa propter tarditatem motus et gravitatem soni. Parhypate vero secunda, quasi juxta hypaten posita et collocata. Lichanos tertia idcirco, quoniam lichanos digitus dicitur, quem nos indicem vocamus. Græcus a lingendo lichanon appellat. Et quoniam in canendo ad eam chordam, quæ erat tertia ab hypate, index digitus, qui est lichanos inveniebatur, idcirco ipsa quoque lichanos appellata est. Quarta dicitur mese, quoniam inter septem semper est media. Quinta est paramese, quasi juxta mediam collocata. Septima autem dicitur nete, quasi neate, id est inferior. Inter quam neten et paramesen est sexta, quæ vocatur paranete, quasi juxta neten locata. Pa-
B ramese vero quoniam tertia est a nete, eodem quoque vocabulo trite, id est tertia nuncupatur, ut sit descriptio hæc.



C


His octavam Samius Lichaon adjunxit, atque inter paramesen, quæ etiam trite dicitur, et paraneten nervum medium coaptavit, ut ipse tertius esset a nete. Et paramese quidem vocata est [d] solum, quæ post mediam collocabatur. Trites vero nomen perdidit, posteaquam inter eam atque paraneten tertius a nete locatus est nervus, qui digne trites nomen exciperet, ut sit octochordum secundum Lichaonis additionem, hoc modo:

D



[a] *Credulitas.* [b] *Proprie.* [c] *Sint.* [d] *Sola.*


In superioribus igitur duabus dispositionibus heptachordi et octochordi. Heptachordum quidem dicitur synemmenon, quod est conjunctum. Octochordum vero diezeugmenon, quod est disjunctum. In heptachordo enim est unum tetrachordum, hypate, parhypate, lichanos, mese. Aliud vero mese, paramese, panarete, nete, dum mesen nervum secundo numeramus, atque ideo duo tetrachorda per mesen conjunguntur. In octochordo vero quoniam octo sunt chordæ, superiores quatuor, id est hypate, parhypate, lichanos, mese, unum tetrachordum explent. Ab hoc vero disjunctum atque integrum inchoat a paramese, progrediturque per triten et paraneten, et [a] finitum ad neten, et est disjunctio, quæ vocatur [b] diezeuxis. Tonusque est distantia meses et parameses. Hic igitur mese tantum quidem nomen obtinuit. Non enim est media positione, quia in octochordo duæ quidem semper mediæ reperiuntur, sed una media non potest inveniri. Prophrastus autem periotes ad graviorem partem unam addidit chordam, ut faceret totum enneachordum. Quæ quoniam super hypaten est addita, hyperhypate est nuncupata. Quæ prius quidem dum novem chordarum tantum esset cythara, hyperhypate vocabatur. Nunc autem lichanos hypaton dicitur aliis superadditis. In quo ordine atque instructione, quoniam ad indicem digitum venit, lichanos appellata est. Sed hoc posterius apparebit. Nunc vero enneachordi ordo sic se habet.




D Hestiæus Colophonius decimam in graviorem partem coaptavit chordam, Timotheus vero Milesius undecimam. Quæ quoniam super hypaten atque parhypaten sunt additæ, hypate quidem hypaton vocatæ sunt quasi maximæ magnarum et gravissimæ gravium, aut excellentes excellentium. Sed vocata est prima inter undecim hypate hypaton. Secunda vero parhypate hypaton, quoniam juxta hypaten hypaton collocata est. Tertia quæ dudum in enneachordo parhypate vocabatur, lichanos hypaton est nuncupata. Quarta vero hypate antiquum tenuit nomen. Quinta parhypate. Sexta lichanos antiquum scilicet habens vocabulum. Septima mese. Octava paramese. Nona trite. Decima paranete. Undecima nete. Est igitur unum tetrachordum hypate hypaton,

A parhypate hypaton, lichanos hypaton, hypate. Aliud vero hypate, parhypate, lichanos, mese, et hæc quidem conjuncta sunt. Tertium vero est paramese, trite, paranete, nete. Sed quoniam inter superius tetrachordum, quod est hypate hypaton, parhypate hypaton, lichanos hypaton, hypate meson, et inter infimum, quod est paramese, trite, paranete, fit positione medium tetrachordum, quod est hypate, parhypate. Lichanos, mese, totum hoc medium tetrachordum meson vocatum est, quasi mediarum, vocaturque cum additamento hoc hypate meson, parhypate meson, lichanos meson, mese. Quoniam vero inter hoc meson tetrachordum, et inferius, quod est netarum, disjunctio est, meses scilicet et parameses, inferius omne tetrachordum disjunctarum, id C est diezeugmenon, vocatum est, cum additamento scilicet hoc : paramese diezeugmenon, trite diezeugmenon, paranete diezeugmenon, nete diezeugmenon, ut sit descriptio hoc modo :

C




Est igitur hic inter paramesen ac mesen disjunctio, atque ideo diezeugmenon tetrachordum hoc vocatum est. Quod si paramese auferatur, et sit mese trite, paranete, nete, tunc conjuncta, id est synemmena, erunt tria tetrachorda, vocabiturque ultimum tetrachordum synemmenon hoc modo :




[a] *Finitur.* [b] *Diazeuxis.*

A Sed quoniam in hac vel in superiore hendecachordi dispositione mese, quæ propter mediam collocationem ita vocata est, nete proxima accedit, et longe ab hypatis ultimis distat, nec proprium distantiæ retinet locum, aliud unum tetrachordum adjunctum est, super neten diezeugmenon, quæ quoniam supervadebat acumine netas superius collocatas, omne illud tetrachordum hyperboleon vocatum est hoc modo :



Sed quoniam rursus mese non erat loco media, sed magis hypatis accedebat, idcirco super hypatas hypaton addita est una chorda, quæ dicitur proslambanomenos; ab aliquibus autem prosmelodos dicitur, tono integro distans ab ea quæ est hypate hypaton. Et ipsa quidem, id est proslambanomenos a mese octava est, resonans cum ea diapason symphoniam, eademque ad lichanon hypaton resonat diatessaron D ad quartam, scilicet quæ lichanos hypaton ad meson resonat diapente symphoniam, et est ab ea quinta. Rursus mese a paramese distat tono, quæ eadem mese ad neten diezeugmenon quintam facit diapente consonantiam. Quæ nete diezeugmenon ad neten hyperboleon quartam, facit diatessaron consonantiam. Et proslambanomenos ad neten hyperboleon reddit bisdiapason consonantiam hoc modo :




C

CAPUT XXI.

De generibus cantilenarum.

His igitur expeditis, dicendum est de generibus melorum. Sunt autem tria diatonum, chroma, enharmonium, et diatonicum quidem, aliquanto durius et naturalius. Chroma vero est jam quasi ab illa naturali intentione [a] descendens, et in mollius decidens. Enharmonium vero optime atque apte conjunctum. Cum sint igitur quinque tetrachorda, hypaton, meson, synemmenon, diezeugmenon, hyperboleon; in his omnibus secundum diatonum cantilenæ procedit vox per semitonium, tonum ac tonum, in uno tetrachordo. Rursus in alio tetrachordo per semitonium tonum et tonum ac deinceps. Ideoque vocatur diatonicum quasi quod per tonum ac per tonum progrediatur. Chroma autem quod dicitur color, quasi jam ab hujusmodi intentione prima mutatio cantatur per semitonium et semitonium et tria semitonia. Tota enim diatessaron consonantia est duorum tonorum ac semitonii, sed non pleni. Tractum est autem hoc vocabulum ut diceretur chroma a superficiebus, quæ cum permutantur, in alium transeunt colorem. Enharmonium vero quod est magis coaptatum, est quod cantatur in omnibus tetrachordis per diesin et diesin et [b] diatonum. Diesis autem est semitonii dimidium, ut sit trium generum descriptio, per omnia tetrachorda discurrens hoc modo :

[a] *Discedens.* [b] *Ditonum.*



CAPUT XXII.

De ordine chordarum nominibusque in tribus generibus.

Nunc igitur ordo chordarum disponendus est omnium quæ per tria genera variantur, vel inconstanti ordine disponuntur. Prima est igitur proslambanomenos, quæ eadem dicitur prosmelodos; secunda, hypate hypaton; tertia parhypate hypaton; quarta vero universaliter quidem lichanos appellatur. Sed si in diatono genere [a] aptetur, dicitur lichanos hypaton diatonos. Si vero in chromate, dicitur diatonos chromaticæ, vel lichanos hypaton chromaticæ. Si autem in enharmonio, dicitur lichanos hypaton enharmonios, vel diatonos hypaton enharmonios. Post hanc vocatur hypate meson; dehinc parhypate meson; atque [b] hic lichanos meson simpliciter. In

A [c] diatonico quidem genere, diatonos meson. In chromate, lichanos meson chromaticæ, vel diatonos meson chromaticæ. In enharmonio diatonos meson enharmonios, vel lichanos meson enharmonios. Has sequitur mese. Post hanc sunt duo tetrachorda partim synemmenon, partim diezeugmenon. Et synemmenon est quod post mesen ponitur, id est trite synemmenon. Dehinc lichanos synemmenon, eadem [d] in diatonico diatonos synemmenon. In chromate vero vel diatonos synemmenon chromaticæ, vel lichanos synemmenon chromaticæ. In enharmonio vero vel diatonos synemmenon enharmonios, vel lichanos synemmenon enharmonios. Post has nete synemmenon. Si vero mese nervo non sit synemmenon tetrachordum adjunctum, sed sit diezeugmenon,
C est post mesen paramese. Dehinc trite diezeugmenon, inde lichanos diezeugmenon, quæ, in diatono, diatonos diezeugmenon. In chromate tum diatonos diezeugmenon chromaticæ, tum lichanos diezeugmenon chromaticæ. In enharmonio vero tum diatonos diezeugmenon enharmonios, tum lichanos diezeugmenon enharmonios. Eadem vero dicitur et paranete, cum additione vel diatoni, vel chromatis, vel enharmonii. Super has nete diezeugmenon, trite hyperboleon, paranete hyperboleon, nete hyperboleon, et quæ est paranete hyperboleon, eadem in diatono diatonos hyperboleon. In chromate vero chromaticæ hyperboleon; in enharmonio vero enharmonios hyperboleon. Harum ultima ea est quæ est nete hyperboleon, et sit descriptio
C ejusmodi ut trium generum contineat dispositionem in quibus et similitudinem nominum et differentiam pernotabis, ut si nervi similes in omnibus, cum eis qui sunt dissimiles colligantur, fiant simul omnes octo et viginti. Hoc autem monstrat subjecta descriptio.

DIATONICUM.	CHROMATICUM.	ENHARMONIUM.
Proslambanomenos.	*Proslambanomenos.*	*Proslambanomenos.*
Hypate hypaton.	*Hypate hypaton.*	*Hypate hypaton.*
Parhypate hypaton.	*Parhypate hypaton.*	*Parhypate hypaton.*
Lichanos hypaton diatonos.	*Lichanos hypaton chromaticæ.*	*Lichanos hypaton enharmonios.*
Hypate meson.	*Hypate meson.*	*Hypate meson.*
Parhypate meson.	*Parhypate meson.*	*Parhypate meson.*
Lichanos meson diatonos.	*Lichanos meson chromaticæ.*	*Lichanos meson enharmonios.*
Mese.	*Mese.*	*Mese.*
Trite synemmenon.	*Trite synemmenon.*	*Trite synemmenon.*
Paranete synemmenon diatonos.	*Paranete synemmenon chromaticæ.*	*Paranete synemmenon enharmonios.*
Nete synemmenon.	*Nete synemmenon.*	*Nete synemmenon.*
Paramese.	*Paramese.*	*Paramese.*
Trite diezeugmenon.	*Trite diezeugmenon.*	*Paranete diezengmen. enharmonios.*
Paranete diezeugmenon diatonos.	*Paranete diezeugmenon chromaticæ.*	*Trite diezeugmen.*
Nete diezeugmenon.	*Nete diezeugmenon.*	*Nete diezeugmenon.*
Trite hyperboleon.	*Trite hyperboleon.*	*Trite hyperboleon.*
Paranete hyperboleon diatonos.	*Paranete hyperboleon chromaticæ.*	*Paranete hyperboleon enharmonios.*
Nete hyperboleon.	*Nete hyperboleon.*	*Nete hyperboleon.*

CAPUT XXIII.

Quæ sint inter voces in singulis generibus proportiones.

Hoc igitur modo per singula tetrachordo in generum proprietates partitio facta est, ut omnia quidem diatonici generis quinque tetrachorda, duobus tonis ac semitonio partiremur. Diciturque in hoc genere

D tonus imcompositus, idcirco quoniam integer ponitur, nec aliquod ei aliud intervallum adjungitur. Sed in singulis intervallis integri insunt toni. In chromate vero semitonio, ac semitonio incompositoque trihemitonio posita divisio est. Idcirco autem incompositum hoc trihemitonium appellavimus, quoniam in uno collocatum est intervallo; potest [e] autem ap-


[a] *Coaptetur.* [b] *Hinc.* [c] *Diatono.* [d] *In diatono.* [e] *Enim.*

pellari trihemitonium in diatono genere semitonium A ac tonus; sed non est incompositum, duobus enim id perficitur intervallis, et in enharmonio genere idem est. Constat autem [a] ex diesi, et diesi, et [a] diatono incomposito, quod scilicet propter eamdem causam incompositum nuncupamus, quoniam in uno collocatum est intervallo.

CAPUT XXIV.

Quid sit synaphe.

Sed in his ita dispositis constitutisque tetrachordis synaphe est. Quam conjunctionem dicere Latina significatione possumus, quotiens duo tetrachorda B unius termini medietas continuat atque conjungit, ut in hoc tetrachordo.




[b] Hoc igitur est unum [c] tetrachordum hypate hypaton, parhypate hypaton, lichanos hypaton, hypate meson. Aliud vero hypate meson, parhypate meson, lichanos meson, mese. In utrisque igitur tetrachordis hypate meson annumerata est. Superiorisque tetrachordi ea est acutissima, posterioris vero gravissima. Estque ista conjunctio una eademque chorda hypate meson, duo tetrachorda conjungens, ut eadem hypaton ac meson tetrachorda in superiore descriptione adjunxit. Est igitur synaphe, quæ conjunctio dicitur, duorum tetrachordum vox media, superioris quidem acutissima, posterioris vero gravissima.

CAPUT XXV.

Quid sit diezeuxis.

Diezeuxis vero appellatur, quæ disjunctio dici potest, quotiens duo tetrachorda toni medietate separantur, ut in his duobus tetrachordis.



Duo igitur esse tetrachorda evidenter apparet, quoniam quidem octo sunt chordæ. Sed diezeuxis est, id est disjunctio inter mesen et paramesen, quæ inter se pleno differunt tono, de quibus evidentius explicabitur, cum unumquodque studiosius explanandum posterior tractatus assumpserit. Sed diligentius intuenti quinque, non amplius tetrachorda reperiuntur, hypaton, meson, synemmenon, diezeugmenon, hyperboleon.

CAPUT XXVI.

Quibus nominibus nervos appellaverit Albinus.

C Albinus autem earum nomina Latina oratione ita interpretatus est, ut hypatas principales vocaret, mesas medias, synemmenas conjunctas, diezeugmenas disjunctas, hyperboleas excellentes. Sed nobis in alieno opere non erit immorandum.

CAPUT XXVII.

Qui nervi quibus sideribus comparentur.

Illud tamen interim de superioribus tetrachordis addendum videtur, quod ab hypate meson usque ad neten quasi quoddam ordinis disjunctionisque cœlestis exemplar est. Namque hypate meson Saturno est attributa, parhypate vero Joviali circulo consimilis est, lichanon meson Marti tradidere, Sol meson obtinuit, trite synemmenon Venus habet, paranete D synemmenon Mercurius regit, nete autem Lunaris circuli tenet exemplum. Sed Marcus Tullius contrarium ordinem facit. Nam in VI lib. de Republica sic ait : *Et natura fert ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent.* Quam ob causam summus ille cœli stellifer cursus, cujus conversio est concitatior acuto, et excitato movetur sono, gravissimo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra nona, immobilis manens, ima sede semper hæret; hic igitur Tullius terram quasi silentium ponit, scilicet immobilem. Post hanc [b] sui proximus a silentio est, dat Lunæ gravissimum sonum, ut sit Luna proslambanomenos. Mercurius hypate hypaton, Venus parhypate hypaton, Sol lichanos hypaton, Mars hypate me-

[a] *Diatono.* [b] *Hic ergo.* [c] *Tetrachordorum.* [d] *Qui.*

son, Jupiter parhypate meson, Saturnus lichanos meson, Cœlum ultimum mese. Quæ vero sint harum immobiles, quæ vero in totum mobiles, quæ autem immobiles mobilesque consistant, cum de monochordi regularis divisione tractavero, erit locus aptior explicandi.

CAPUT XXVIII.

Quæ sit natura consonantiarum.

[a] Consonantiam vero licet aurium quoque sensus dijudicet, tamen ratio perpendit. Quotiens enim duo nervi, uno graviore, intenduntur, simulque pulsi reddunt permixtum quodammodo et suavem sonum, duæque voces quasi conjunctæ in unum coalescunt, tunc fit ea quæ dicitur consonantia. Cum vero simul [b] pulsi, sibi quisque ire cupit, nec permiscent ad aurem suavem atque unum ex duobus compositum sonum, tunc est quæ dicitur dissonantia.

CAPUT XXIX.

Ubi consonantiæ reperiuntur.

In his autem comparationibus gravitatis atque acuminis has consonantias necesse est inveniri, quæ sibi commensuratæ sint, id est quæ notam possunt communem habere mensuram, ut in multiplicibus duplum, quod est, illa pars metitur, quæ inter duos est terminos differentia, ut inter duos et quatuor binarius utrosque metitur, inter duos atque sex quæ tripla est, binarius utrosque metiatur, inter novem atque octo eadem unitas est, quæ utrosque metiatur. Rursus in superparticularibus si sesquialtera sit proportio, ut quatuor ad sex, binarius est qui utrosque metiatur, qui scilicet utrorumque est differentia. Quod si sesquitertia sit proportio, ut si octo senario comparentur, idem binarius utrosque metitur; id vero non evenit in cæteris generibus inæqualitatum, quæ supra retulimus, ut in superpartiente. Nam si quinarium ad ternarium comparemus, binarius qui eorum differentia est, neutrum metitur. Nam si semel ternario comparatus, minor est, duplicatus excedit. Item bis quinario comparatus, minor est, tertio vero supergreditur. Atque idcirco hoc primum inæqualitatis genus a consonantiæ natura disjungitur [c] amplius quod in his quæ consonantias formant, multa similia sunt, in [d] his vero minime, id probatur hoc modo : namque duplum nihil est aliud nisi bis simplum Triplum nihil aliud nisi tertio simplum. Quadruplum vero idem est quod quarto simplum. Sesquialterum, bis medietas. Sesquitertium vero ter pars tertia, quod haud facile in cæteris inæqualitatum generis invenitur.

CAPUT XXX.

Quemadmodum Plato dicat fieri consonantias.

Plato [e] vero hoc modo fieri in aure consonantiam dicit. Necesse est, inquit, velociorem quidem esse acutiorem sonum. Hic igitur cum gravem præcesserit, in aurem celer ingreditur, [f] ostensaque extrema A ejusdem corporis parte quasi pulsus iterato motu revertitur. Sed jam segnior, nec ita celeri, ut primo impetu emissus cucurrit, quocirca gravior quoque. Cum igitur jam gravior rediens, nunc primum gravi sono venienti similis occurrit, miscetur ei, unamque, [g] ut ait Plato, consonantiam miscet.

CAPUT XXXI.

Quid contra Platonem Nicomachus sentiat.

Sed id Nicomachus non arbitratur dictum veraciter. Neque enim similium esse [h] consonantiam, sed dissimilium potius in unum eamdemque [i] consonantiam venientium; gravius [j] vero gravi si misceatur, nullam facere consonantiam, quoniam hanc canendi concordiam similitudo non efficit, sed dissimilitudo. B Quæ cum distet in singulis vocibus, copulatur in mixtis. Sed hinc potius Nicomachus consonantiam fieri putat. Non, inquit, unus tantum pulsus est, qui simplicem modum vocis emittat, sed semel percussus nervus sæpius aerem pellens multas efficit voces. Sed quia ea velocitas est percussionis, [k] ut sonus sonum quodammodo comprehendat, distantia non sentitur, et quasi una vox auribus venit. Si igitur percussiones gravium sonorum commensurabiles sint percussionibus acutorum sonorum, ut in his proportionibus quas supra retulimus, non est dubium quin ipsa commensuratio sibimet misceatur, unamque vocum efficiat consonantiam.

CAPUT XXXII.

Quæ consonantia quam merito præcedat.

Sed inter omnes quas retulimus consonantias, habendum C judicium est ut in aure, ita quoque in ratione quam harum meliorem oporteat arbitrari. Eodem namque modo auris afficitur sonis, vel oculus aspectu, quo animi judicium numeris vel continua quantitate. Proposito enim numero vel linea, nihil est facilius quam ejus duplum oculo vel animo contueri. Item post dupli judicium sequitur dimidii, post dimidium tripli, post [l] triplum partis tertiæ. Quæ ideo quoniam facilior est dupli descriptio, optimam Nicomachus putat diapason consonantiam, post hanc diapente, quæ medium tenet, hinc diapente ac diapason, quæ triplum. [m] Cæteraque secundum eumdem modum formamque dijudicat. Non vero hoc Ptolemæus eodem modo, cujus omnem sententiam posterius explicabo.

CAPUT XXXIII.

D *Quo sint modo accipienda quæ dicta sunt.*

Omnia tamen quæ dehinc diligentius expedienda sunt, summatim nunc ac breviter attentemus, ut interim in superficie quadam animum hæc lectoris assuefaciant, qui ad interiorem scientiam posteriore tractatione descendet. Nunc vero quod erat Pythagoricis in morem, ut cum quid a magistro Pythagora diceretur, hinc nullus rationes petere audebat, sed erat ei ratio docentis auctoritas, idque fiebat [n] quandiu discentis animus firmiore doctrina roboratus, ipse [o] eamdem rerum rationem nullo etiam docente

[a] *Consonantias.* [b] *Pulsis.* [c] *Amplius dicam.* [d] *Illis.* [e] *Autem.* [f] *Offensaque.* [g] *Ut ait Plato* non habetur. [h] *Consonantias.* [i] *Concordiam.* [j] *Enim.* [k] *Ut sonus sonum comprehendat distantia.* [l] *Tripli.* [m] *Cæterasque.* [n] *Quoad.* [o] *Earumdem.*

reperiret; ita etiam nunc lectoris fidei quæ proponimus, commendamus. ut arbitretur diapason in dupla, diapente in sesquialtera, diatessaron in sesquitertia, diapente ac diapason in triplici, bis diapason in quadrupla propositione consistere. [a] Post vero et hoc ratio diligentius explicabit, et quibus modis aurium quoque judicio consonantiæ musicæ colligantur, cæteraque omnia quæ superius dicta sunt amplior tractatus edisseret, et tonum sesquioctavam facere proportionem, eumque in duo æqua dividi non posse, sicut nullam ejusdem generis [b] proportiones, id est superparticularis; diatessaron etiam consonantiam duobus tonis semitonioque consistere, semitonia vero esse duo, majus ac minus, diapente autem tribus tonis ac semitonio minore contineri. Diapason vero quinque tonis ac duobus minoribus semitoniis expleri, neque ad sex tonos ullo modo pervenire. Hæc omnia posterius et numerorum ratione et aurium judicio comprobabo, atque hæc hactenus.

CAPUT XXXXIV.

Quid sit musicus.

Nunc illud est intuendum quod omnis ars, omnisque etiam disciplina honorabiliorem naturaliter habeat rationem, quam artificium, quod manu atque opere artificis exercetur. Multo enim est majus atque [c] altius scire quod quisque faciat, quam ipsum illud efficere quot sciat; etenim artificium corporale, quasi serviens famulatur. Ratio vero quasi domina imperat, et nisi manus secundum id quod ratio sancit efficiat, frustra fit. Quanto igitur præclarior est scientia musicæ in cognitione rationis, quam in opere efficiendi atque actu tantum, scilicet quantum corpus mente superatur! Quod scilicet rationis expers servitio degit, illa vero imperat, atque ad rectum deducit, quod nisi pareat ejus imperio, et expers rationis opus titubabit. Unde fit ut speculatio rationis operandi actu non egeat. Manuum vero opera nulla A sint, nisi ratione ducantur. Jam vero quanta sit gloria meritumque rationis hic intelligi potest, quod cæteri (ut ita dicam) corporales artifices non ex disciplina, sed ex ipsis potius instrumentis cepere vocabula. Nam citharœdus ex cithara, vel [d] tibicen ex tibia, cæterique suorum instrumentorum vocabulis nuncupantur. Is vero est musicus qui, ratione perpensa, canendi scientiam, non servitio operis, sed imperio speculationis [e] assumit. Quod scilicet in ædificiorum bellorumque opera videmus, et in contraria scilicet nuncupatione vocabuli. Eorum namque nominibus vel ædificia inscribuntur, vel ducuntur triumphi, quorum imperio ac ratione instituta sunt. non quorum opere servitioque perfecta. Tria sunt igitur genera quæ circa artem musicam versantur: B unum genus est quod instrumentis agitur, aliud fingit carmina, tertium quod instrumentorum opus carmenque dijudicat. Sed illud quidem quod in instrumentis positum est, ibique totam operam consumit, ut [f] sunt citharœdi, quique organo cæterisque musicæ instrumentis artificium probant, a musicæ scientiæ intellectu sejuncti sunt, quoniam famulantur (ut dictum est), nec quidquam afferunt rationis, sed sunt totius speculationis expertes. Secundum vero musicam agentium est genus poetarum, quod non potius speculatione ac ratione quam naturali quodam instinctu fertur ad carmen, atque idcirco hoc quoque genus a musica segregandum est. Tertium est quod judicandi peritiam sumit, ut rhythmos cantilenasque eorumque C carmen possit perpendere. Quod scilicet quando totum in ratione ac speculatione positum est, hoc proprie musicæ deputabitur. Isque musicus est cui adest facultas secundum speculationem rationemve propositam ac musicæ convenientem, de modis ac rhythmis, deque generibus cantilenarum, ac de permixtionibus, ac de omnibus de quibus posterius explicandum est, ac de poetarum carminibus, judicandi,

[a] *Post vero et ratio diligentius explicabitur.* [b] *Proportionem.* [c] *Auctius.* [d] *Auledus* [e] *Assumpsit.* [f] *Sint.*

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Proœmium.

Superius volumen cunctas digessit, quæ nunc diligentius [a] explicanda esse proposui; itaque priusquam ad ea veniam quæ propriis rationibus perdocenda, sunt, pauca præmittam, quibus elucubratior animus auditoris ad ea quæ dicenda sunt accipienda perveniat.

CAPUT II.

Quid Pythagoras esse philosophiam constituerit.

Primus omnium Pythagoras sapientiæ studium philosophiam nuncupavit, quam scilicet ejus rei notitiam ac disciplinam ponebat, quæ proprie vereque esse diceretur. Esse autem illa putabat quæ nec intentione crescerent, nec diminutione decrescerent, D nec ullis accidentibus mutarentur. Hæc autem esse formas, magnitudines, qualitates, habitudines, cæteraque quæ per se speculata immutabilia sunt, juncta vero corporibus permutantur, et multimodis variationibus mutabilis rei cognatione vertuntur.

CAPUT III.

De differentiis quantitatis, et quæ cui disciplinæ sit deputata.

Omnis vero quantitas secundum Pythagoram vel continua, vel discreta est. Sed quæ continua est magnitudo appellatur, quæ discreta est multitudo. Quorum hæc est diversa et contraria pene proprietas. Multitudo enim a finita inchoans quantitate, crescens in infinita progreditur, ut nullus crescendi finis occurrat. Estque ad minimum terminata, interminabilis

[a] *Demonstranda.*


ad majus, ejusque principium unitas est, qua minus nihil est. Crescit vero per numeros atque in infinita [a] protenditur, nec ullus numerus, quo minus crescat, terminum facit. Sed magnitudo finitam rursus suæ mensuræ recipit quantitatem, sed in infinita decrescit. Nam si sit [b] pedalis linea, vel cujuslibet alterius modi, potest in duo æqua dividi, ejusque medietas in medietatem secari, ejusque rursus medietatis in aliam medietatem, ut nunquam ullus secandi magnitudinem terminus fiat. Ita magnitudo quantum ad majorem modum terminata est, fit vero cum decrescere cœperit infinita. At contra numerus, quantum ad minorem modum finitus est, infinitus autem incipit esse cum crescit. Cum igitur hæc ita sint infinita, tamen quasi de rebus finitis philosophia pertractat, inque rebus infinitis reperit aliquid terminatum, de quo possit jure acumen prpriæ speculationis adhibere. Namque magnitudinis alia sunt immobilia, ut terra, ut quadratum, vel triangulum, vel circulus. Alia [c] sunt mobilia, ut sphæra mundi, et quidquid in [d] eo rata celeritate convertitur. Discretæ vero quantitatis alia sunt per se, ut tres vel quatuor, vel cæteri numeri; alia vero ad aliud, ut duplum, triplum, aliaque quæ ex [e] comparatione nascuntur. Sed immobilis magnitudinis geometria speculationem tenet. Mobilis vero scientiam astronomia persequitur. Per se vero discretæ quantitatis arithmetica auctor est. Ad aliquid vero relatæ musica probatur obtinere peritiam.

CAPUT IV.


De [f] relatæ quantitatis differentiis.

Ac de ea quidem quantitate discreta quæ per se est in arithmetica sufficienter diximus. Relatæ vero ad aliquid quantitatis simplicia quidem genera tria sunt: unum quidem multiplex, aliud vero superparticulare, tertium superpartiens. Cum vero multiplex superparticulari superpartientique miscetur, fiunt duæ aliæ ex his, id est multiplex superparticularis, et multiplex superpartiens. Horum igitur omnium talis est regula, si unitatem cunctis in naturali numero volueris compare, ratus multiplicis ordo texetur. Duo enim ad unum duplus est, tres ad eumdem triplus, quatuor quadruplus, et in cæteris eodem modo, ut subjecta descriptio docet.


Differentiæ unius ab alio numero.
Ordo naturalis.



Si vero superparticularem proportionem quæras, naturalem sibi compara numerum, detracta scilicet unitate, ut tres duobus sesquialter est, quatuor tribus, qui sesquitertius est, quinarius quaternario sesquiquartus est, et in cæteris eodem modo, quod monstrat subjecta descriptio.



B Superpartientes autem tali modo reperies. Disponas naturalem numerum a ternario scilicet inchoantem. Si unum igitur intermiseris, superbipartientem effici pernotabis; quod si duo, supertripartientem; quod si tres, superquadripartientem, idemque in cæteris.



C Ad hunc ordinem spectans et compositas ex multiplici et superparticulari, et ex multiplici et superpartienti proportiones, lector diligens speculabitur. Sed de his tamen omnibus in arithmeticis expeditius dictum est.

CAPUT V.

Cur multiplicitas antecellat.

D Sed in his illud est considerandum quod multiplex inæqualitatis genus longe duobus reliquis videtur antiquius. Naturalis enim numeri dispositio, in multiplicibus unitati quæ prima est, comparatur. Superparticularis vero non unitatis comparatione perficitur sed ipsorum, qui post unitatem sunt dispositi numerorum, ut ternarii ad binarium, quaternarii ad ternarium, et in cæteris ad hunc modum. Superpartientium vero longe retro formatio est, quæ nec continuis numeris comparatur, sed intermissis, nec semper æquali

[a] *Progreditur.* [b] *Bipedalis.* [c] *Vero.* [d] *Ea.* [e] *Relatione.* [f] *Relativæ.*

intermissione. Sed nunc quidem una, nunc vero duabus, nunc tribus, nunc quatuor, atque ita in infinita succrescit. Amplius multiplicitas ab unitate incipit, superparticularitas a binario, superpartiens proportio a ternario initium capit. Sed de his hactenus; nunc quædam quæ quasi axiomata Græci vocant, præmittere oportebit, quæ tum demum quo spectare videantur [a] intelligemus, cum de uniuscujusque rei demonstratione tractabimus.

CAPUT VI.

Qui sint quadrati numeri q deque his speculatio.

Quadratus numerus est qui gemina dimensione in æqua concreverit, ut bis duo, ter tres, quater quatuor, quinquies quinque, sexies sex, quorum est ista descriptio :

2	3	4	5	6	7	8	9	10
4	9	16	25	36	49	64	81	100

Superius igitur dispositus numerus naturalis, latus est quadratorum inferius descriptorum. Continuum enim naturaliter sunt quadrati, qui sese in subjecto ordine consequuntur, ut 4, 9, 16, et cæteri.

4 9 16 25 36

2 3 4 5 6

Bases quadratorum.

Si [c] igitur continuum quadratum minorem a continuo quadrato majore sustulero, quod relinquitur tantum erit quantum est quod ab utrorumque quadratorum lateribus jungitur; ut si quatuor auferam a novenario, quinque sunt reliqui, qui ex duobus et tribus, qui sunt utrorumque quadratorum latera, conjunguntur. Item si novenarium aufero de eo qui sedecim numeris ascriptus est, 7 sunt reliqui, qui scilicet ex ternario quaternarioque conjunctus est, qui [d] prædictorum quadratorum latera sunt. Idemque est in cæteris.

7 | 25 | senarius | tonus 16 | tonus sedecimus | tonus novenarius

2 5 | 4 21 | 2 4 | 4 12 | 9 7 | 4 5

Quod si non sint continui quadrati, sed unus inter eos transmissus sit, fit ejus quod relinquitur medietas, id quod ex utriusque lateribus efficitur, ut si quaternarium de 16 quadrato auferamus, 12 relinquuntur, quorum 12 medietas est is numerus qui ex utrorumque lateribus conventi. Sunt autem utrorumque latera, duo et quatuor, quæ senarium juncta perficiunt Atque in cæteris idem modus est. Sin vero duo intermittantur, tertia pars erit ejus quod relinquitur, id quod utrorumque latera conjungunt, ut si quatuor de 25 auferam, intermissis duobus quadratis, reliqui 21 sunt. Eorum vero latera sunt 2 et 5 qui efficiunt 7, qui sunt pars tertia numeri 21. Atque hæc regula est, ut si tres intermissi [e] sint, pars quarta sit, id quod ex utrorumque lateribus efficitur ejus

A quod subtracto minore a majore relinquitur. Sin quatuor transmittantur, quinta, atque uno plus vocabulo numeri partes venient, quam sit intermissio numerorum.

CAPUT VII.

Ommem inæqualitatem ex æqualitate procedere, ejusque demonstratio.

Est autem quemadmodum unitas pluralitatis numerique principium, ita æqualitas proportionum. Tribus enim præceptis (ut in arithmetica dictum est) multiplices proportiones ex æqualitate producimus, ex conversis vero multiplicibus superparticulares habitudines procreamus. Item ex conversis superparticularibus, superpartientes comparationes efficimus.
B Ponantur enim tres unitates, vel tres binarii, vel tres ternarii, vel quotlibet æqui termini, et sit primus primo æquus in sequenti scilicet ordine constitutus. Secundus vero primo ac secundo, tertius primo, duobus secundis ac tertio, ita enim numero progresso, fit duplex multiplicitatis prima proportio, ut hæc subjecta descriptio monet.

1	1	1
1	2	4

Nam unitas in secundo ordine constituta, æqua est primæ unitati in superiore loco dispositæ. Item binarius æquus est unitati primæ ac secundæ. Item quaternarius æquus est unitati primæ, ac duabus unitatibus secundis atque unitati tertiæ et est 1, 2, 4, dupla proportio. Quod si de his idem feceris, tripla
C comparatio procreabitur, ac de tripla quadrupla, de quadrupla quincupla, ac deinceps talis currit habitudinum procreatio. Rursus hisdem tribus præceptis superparticulares [f] fiunt, ut uno probamus exemplo. Convertamus nunc, et priorem majorem numerum disponamus 4, 2, 1; ponatur igitur primus primo æquus, id est 4; secundus primo scilicet et secundo, id est 6; tertius primo, duobus secundi, et tertio, id est 9; quibus dispositis sesquialtera notatur esse proportio.

4	2	1
4	6	9
Sesquialtera		Sesquialtera

Atque id si de triplis fiat, sesquitertia; si de quadru-
D plis sesquiquarta, consimilibusque in alterutra parte vocabulis proportionalitas ex multiplicitate nascetur, ex superparticularitate vero conversa ducitur superpartiens habitudo. Disponatur enim conversim sesquialtera comparatio, 9, 6, 4. Ponatur enim primus primo æquus, id est 9; secundus primo et secundo, id est 15; tertius primo duobus secundis ac tertio, id est 25; ac disponantur in ordinem hoc modo :

9	6	4
9	15	25
Superbipartiens		Superbipartiens

Superbipartiens igitur ex conversis sesquialteris ha-

[a] *Intelligimus.* [b] *Quæ de his.* [c] *Vero.* [d] *Utrorumque.* [e] *Sunt.* [f] *Fient.*

bitudo producta est; quod si quis ad hanc speculationem diligens scrutator accedat, ex sesquitertiis conversis supertripartientem producit, cæterisque similibus vocabulis adæquatis cunctas ex superparticularitate superpartientis species procreari mirabitur. Ex non conversis autem superparticularibus, sed ita ut ex multiplici procreati sunt, manentibus, necesse est multiplices superparticulares creari. Ex manentibus vero superpartientibus, ita ut ex superparticularibus prodierunt, non alii nisi multiplices superpartientes procreabuntur. Ac de his quidem hactenus, diligentius enim in Arithmeticæ libris de hac comparatione est disputatum.

CAPUT VIII.

Regula quotlibet continuas proportiones superparticulares inveniendi.

Sæpe autem accidit ut tres, vel quatuor, vel quotlibet æquas superparticularium proportiones de musica disputator inquirat. Sed ne in casu atque inscitia facientes, error ullus difficultatis impediat, hac regula quotlibet æquas proportiones ex multiplicitate ducemus. Unusquisque multiplex ab unitate scilicet computatus, tot superparticulares habitudines præcedit, suæ scilicet in contrariam partem denominationis, quotus ipse ab unitate [a] discesserit. Hoc modo ut duplex sesquialteras antecedat, triplex sesquitertias, quadruplex sesquiquartas, ac deinceps in hunc modum. Sit igitur duplorum subjecta descriptio.

1	2	4	8	16	32
	3	6	12	24	48
		9	18	36	72
			27	54	108
				81	162
					243

In superiore igitur descriptione binarius primus multiplex, unum ad se ternarium habet, qui possit facere sesquialteram proportionem. Ternarius vero non habet talium qui ejus possit esse sesquialter, quoniam medietate deficit. Rursus quaternarius secundus est duplex, hic duos sesquialteros antecedit senarium et novenarium, qui medietate caret. Atque idcirco nullus ei habitudine sesquialtera comparatur, et in cæteris idem est. Tripli vero eodem modo sesquitertios creant; sit enim similis in triplo descriptio.

Latitudo.

In latitudine et unoquoque ordine tripli.	1	3	9	27	81	[illegible]
		4	12	36	108	
			16	48	144	
				64	192	
					256	

Quadruplares om es et diagonii

In superiore igitur descriptione sesquitertias proportiones ita natas videmus, ut primus [b] triplex unum sesquitertium antecedat, secundus duos, tertius tres, semperque pars tertia in ultimo numero naturali quodam fine claudatur. Quod si quadruplum statueris eodem modo, sesquiquartos invenies, si quincuplum sesquiquintos. Ac deinceps singuli [c] denominationis multiplicis tot superparticulares præcedunt, quoto loco ipsi a se unitate discesserint. Unam vero tantum quadrupli dispositionem ponemus, ut in ea sicut in cæteris lector diligens acumen mentis exerceat.

Latitudo

Quadrupli in latitudine.	1	4	16	64	256	Sesquiquarti superni ad inferos proximos.
		5	20	80	320	
			25	100	400	
				125	500	
					625	

Quincupli omnes diag[...]ii

B Hæc igitur speculatio ad hanc utilitatem videtur inventa, ut quotienscunque 4 vel 5, vel quotlibet sesquialteros, vel sesquitertios, vel sesquioctavos, vel quotlibet alias proportiones quis investigare voluerit, nullo errore labatur, utque non ei numero primo tales proportiones quærat aptare, qui quanti [d] sint propositi, tot præcedere, et post se habere non possit. Sed disponat potius multiplices, videatque quantos superparticulares requirit, eumque multiplicem respiciat, qui eo loco ab unitate recesserit, ut est in superioribus descriptionibus, si tres [e] sesquialteros fortasse quæsierit, non a quaternario ingrediatur investigationem. Hic enim, quoniam secundus est C duplus, duos tantum præcedit, tertiumque ei aptare non poterit, sed ut ab octonario medietates tentet apponere. Hic enim quoniam tertius est, tres quas quærit sesquialteras proportiones efficiet, et in cæteris eodem modo. Est etiam alia augendi proportiones via hoc modo : Radices proportionum dicuntur in eisdem comparationibus minimæ proportionis. Disponatur enim numerus naturalis, unitate multiplicatus.

2	3	4	5	6	7

Minimæ igitur proportiones sunt, ut in sesqualtera 3 ad 2, in sesquitertia 4 ad 3, in sesquiquarta 5 ad 4, et deinceps in infinitum, et quæcunque se proportiones unitate præcesserint. Propositum igitur sit D duas sesquialteras proportiones continua comparatione producere. Sumo radicem sesquialteram, eamque dispono, 2 et 3. Multiplico igitur binarium per binarium, fiunt 4. Item ternarius per binarium crescat, erunt 6. Rursus ternarium in semetipsum ducemus, fiunt 9, qui disponuntur hoc modo :

2	3	4	6	9

Invenimus igitur duas propositas sesquialteras proportiones 6 ad 4, et 9 ad 6. Sit nunc propositum tres invenire. Dispono eosdem numeros quos supra in [f] exquirendis duabus sesquialteris habitudinibus proposueram, ipsasque sesquialteras proportiones

[a] *Decesserit.* [b] *Ternarius.* [c] *Denominatione multiplices.* [d] *Sunt.* [e] *Sesquialteras.* [f] *Inquirendis.*

Multiplico binario quaternarium, fiunt octo. Rursus senarium binario, fiunt 12. Rursus novenarium binario, fiunt 18. Rursus novenarium ternario, fiunt 27. Disponantur igitur hoc modo :

2	3		
4	6	6	
8	12	18	28

Atque hic modus erit in cæteris, ut [a] si sesquitertias proportiones velis extendere, ponas sesquitertiorum radices, quæ sunt quaternarius atque ternarius ad se invicem comparati.

3	4			
9	12	16		
27		27	48	64

Atque ad hunc modum multiplices, quod si sesquiquartas sesquiquartorum dispones radices eademque multiplicatione sesquiquartos quotlibet [b] extendes. Quantum autem nobis hæ considerationes prosint, sequens ordo monstrabit.

CAPUT IX.

De proportione numerorum qui ab aliis metiuntur.

Si duos numeros eorum differentia integre fuerit permensa, in eadem sunt proportione numeri, quos sua differentia mensa est, in qua erunt proportione etiam hi numeri secundum quos eos sua mensa est differentia. Sint enim numeri 50, 55; hi [c] ergo ad se invicem sesquidecima habitudine comparantur, et est eorum differentia quinarius, qui scilicet est pars decima numeri 50. Hic igitur metietur quidem 50 numerum decies, 55 vero undecies; secundum decem igitur atque 11 numeros 55 et 50 propria differentia, id est quinarius, permetietur, et sunt 11 ad 10 sesquidecima comparatione compositi. In eadem igitur sunt proportione numeri quos propria differentia [d] integra permensa est, in qua sunt hi secundum quos eos propria differentia est permensa; quod si qua differentia numerorum ita eos numeros quorum est differentia metiatur, ut eamdem mensuram numerorum pluralitas excedat, idemque in utrisque sit excessus, et sit diminutior differentiæ mensura, quam est pluralitas numerorum, majorem obtinebunt proportionem ad se invicem numeri, si ei illud quod relinquitur post mensionem, retractum sit, quam fuerunt integri, cum eos propria differentia metiebatur. Sint enim numeri duo 33, 58; hos igitur quinarius, qui est eorum differentia, [e] metiatur. Metitur igitur 53 quinarius decies usque ad 50, relinquit vero ternarium. Rursus 58 numerum metitur idem undecies usque ad 55, atque in eo iterum ternarium derelinquit. Auferatur igitur ex utrisque ternarius, fiunt 50 et 55, qui disponatur hoc modo :

53	58	50	55

In hoc igitur manifestum est majoris esse proportionis inter se 50 et 55 quam 53 et 58. In minoribus enim numeris major semper proportio reperitur,

A quod paulo posterius demonstrabimus. Sin vero illa differentiæ permensio numerorum multitudinem supervadat, eademque utrosque numeri pluralitate prætereat, minores erunt proportiones nnmeri superius mensi cum additione ejus summæ quæ utrosque metiens differentia supervadit, quam fuerunt ante, cum eos propria differentia metiebatur. Sint enim numeri 48 et 53, horum quinarius differentia est. Metiatur igitur 48 numerum, quinarius decies fiunt 50. Supervadit igitur 50 numerus 48 numerum binario, idem quinarius 53 undecies metiatur fiunt 55, qui eisdem rursus duobus 53 numerum supervadit; addatur utrisque binarius et disponantur hoc modo :

48	53	50	55

B Minores igitur sunt proportiones 50 ad 55 comparati, cum additione scilicet binarii quo differentia eos metiens supervadit, quam 48, et 53 numeri quos eadem, quæ tamen in eis supercrevit, quinarii differentia permensa est. Majores vero et minores proportiones hoc modo intelliguntur. Dimidia pars major est quam tertia. Tertia pars est major quam quarta. Quarta pars major est quam quinta, ac deinceps eodem modo. Unde fit ut sesquialtera proportio major sit sesquitertia, et sesquitertia sesquiquartam vincat. Atque idem in cæteris. Hinc evenit ut in numeris majoribus minor, et minoribus major semper videatur proportio superparticularium numerorum. Quod apparet in numero naturali : disponatur enim

C numerus naturalis 1, 2, 3, 4. Binarius igitur ad unitatem duplus est. Ternarius ad binarium sesquialter est. Quaternarius vero ad ternarium sesquitertius. Majores vero sunt numeri [f] tres et 4. Minores vero binarius et unitas : in majoribus igitur minor, et in minoribus major proportio continetur : hinc apparet quod si aliquid numeris proportionem continentibus superparticularem, æqua pluralitas addatur, majorem esse proportionem ante æquæ pluralitatis augmentum, quam posteaquam eis æqua sit addita pluralitas.

CAPUT X.

Quæ ex multiplicibus et superparticularibus [g] multiplicitate fiunt.

D Illud etiam prætermittendum non videtur, quod paulo post demonstrabitur, si multiplex intervallum binario fuerit multiplicatum, id etiam quod ex illa multiplicatione nascetur multiplex esse. Quod si id quod ex tali multiplicatione procreatum sit non fuerit multiplex, tunc illud non esse multiplex, quod binario fuerit multiplicatum. Item si superparticularis proportio binario multiplicetur, id quod fit [h] neque superparticulare esse, [i] neque multiplex. Quod si id quod ex tali multiplicatione nascetur, neque multiplex, neque superparticulare est, tunc illud quod binario multiplicatum est, vel superparticularis vel alterius generis est, non vero multiplicis.

[a] *Qui.* [b] *Extendas.* [c] *Igitur.* [d] *Integre.* [e] *Metiebatur.* [f] *Ternarius et quaternarius.* [g] *Multiplicatis.* [h] *Vel.* [i] *Vel.*

CAPUT XI.

Qui superparticulares quos multiplices efficiant.

His illud est addendum duos primos superparticulares primam efficere multiplicem proportionem, ut sesquialter et sesquitertius si conjungantur duplicem creant. Sint enim numeri 2, 3, 4, [a] 3 ad 2 sesquialter est, 4 ad 3 sesquitertius, quatuor ad duo duplus. Rursus primus multiplex primo additus superparticulari secundum multiplicem creat. Sint enim numeri 2, 4, 6; 4 namque ad 2 duplex est, primus scilicet multiplex. At 6 ad 4 sesquialter, qui est primus superparticularis; 6 ad duos triplus, qui secundus est multiplex : quod si triplum sesquitertio addas, quadruplus efficitur; si quadruplum sesquiquarto, quincuplus. Atque in hunc modum junctis proportionibus multiplicium ac superparticularium, in infinitum multiplices procreantur.

CAPUT XII.

De arithmetica, geometrica, harmonica medietate.

Quoniam vero de proportionibus quæ erant interim tractanda prædiximus, nunc de medietatibus est dicendum. Proportio enim est duorum ad se terminorum quædam comparatio, terminos autem voco numerorum summas. Proportionalitas est æquarum proportionum collectio. Proportionalitas vero in tribus terminis minimis constat. Constat autem plerumque in pluribus, ut in quatuor vel in sex terminis. Cum enim primus ad secundum terminum eamdem retinet proportionem quam secundus ad tertium, dicitur hæc proportionalitas. Estque inter tres terminos medius, qui secundus est. Has igitur proportiones medii termini conjungentis, trina partitio est. Aut enim æqua est differentia minoris termini ad medium, et medii ad maximum, sed non æqua proportio, ut in his numeris 1, 2, 3; inter unum quippe ac duo et inter duo et tres tantum unitas differentiam tenet. Non est autem æqua proportio. Duo quippe ad unum dupli sunt, ternarius ad duo sesquialter. Aut est æqua proportio in utrisque, non vero æqualibus differentiis constituta, ut in his numeris 1, 2, 4. Nam duo ad unum ita sunt dupli, quemadmodum quaternarius ad binarium. Sed inter quaternarium binariumque binarius, inter binarium atque unitatem unitas differentiam facit. Est vero tertium medietatis genus, quod neque eisdem proportionibus neque eisdem differentiis constat. Sed quemadmodum se habet maximus terminus ad minimum, ita sese habet majorum terminorum differentia ad minorum differentiam terminorum, ut in his numeris 3, 4, 6. Nam sex ad 3 duplus est, inter sex vero 4 binarius interest. Inter quaternarium vero ac ternarium unitas. Sed binarius comparatus ad unitatem rursus duplus est; ergo ut est maximus terminus in numeris ad minimum, ita majorum differentia ad minorum differentiam terminorum. Vocatur igitur illa medietas, in qua æquæ sunt differentiæ, arithmetica. Illa vero in qua æquæ proportiones, geometrica. Illa autem quam

A tertiam descripsimus, harmonica. Quarum hæc subjiciamus exempla :

Arithmetica			Geometrica			Harmonica		
1	2	3	1	2	4	3	4	6
æquæ differentiæ			æquæ proportiones			diversæ differentiæ et proport.		

Non vero ignoramus alias quoque esse proportionum medietates, quas quidem in arithmetica diximus; sed ad præsentem tractatum hæ sunt interim necessariæ. Sed inter has tres medietates proportionalitas quidem proprie, et maxime geometrica nuncupatur, idcirco quoniam æquis proportionibus tota contexitur. Sed tamen eodem utemur promiscue vocabulo, proportionalitates etiam cæteras nuncupantes.

B

CAPUT XIII.

De continuis medietatibus et disjunctis.

Sed in his alia continua est proportionalitas, alia disjuncta. Continua quidem, ut superius disposuimus [b]. Unus enim idemque numerus medius, nunc quidem majori supponitur, nunc quidem minori præponitur. Quotiens vero duo sunt medii, tunc disjuncta proportionalitas nuncupatur, ut in geometrica hoc modo, 1, 2, 3, 6. Nam ut est binarius ad unitatem, ita senarius ad ternarium, et vocatur hæc disjuncta proportionalitas; unde intelligi potest continuam quidem proportionalitatem in tribus et [c] minimis terminis inveniri, disjunctam vero in 4. Potest autem in 4 et in pluribus continua esse proportionalitas, siquidem hoc modo sit, 1, 2, 4, 8, 16. Sed
C hic non erunt duæ proportiones, sed plures, semperque una minus quam sint termini constituti.

CAPUT XIV.

Cur ita appellatæ sint digestæ superius medietates.

Idcirco autem una [d] eorum medietas arithmetica nuncupatur, quod inter terminos, secundum numerum æqua est differentia. Geometrica vero secunda dicitur, quod similis est qualitas proportionis. Harmonica autem vocatur, quoniam ita est coaptata, ut in differentiis ac terminis æqualitas proportionum consideretur. Et de his quidem diligentius in arithmeticis disputatum est, nunc vero ut commemoremus, tantum ista percurrimus.

CAPUT XV.

D *Quemadmodum ab æqualitate supradictæ processerant medietates.*

Sed paulisper quemadmodum istæ proportionalitates ab æqualitate [e] procreantur dicendum est. Prædictum est enim quod in numero valet unitas, idem in proportionibus æqualitatem valere, et sicut numeri caput est unitas, ita proportionum æqualitatem esse principium. Quocirca hoc modo arithmetica medietas ab æqualitate nascetur : positis enim tribus æquis terminis, hi duo modi sunt quibus hæc proportionalitas producatur. Ponatur enim primus primo æquus. Secundus primo et secundo. Tertius primo secundo ac tertio, quod hoc monstratur exemplo : Sint unitates tres. Ponatur igitur primus primo æquus

[a] *Ternarius ad binarium.* [b] *In tribus constat terminis.* [c] *Minimam.* [d] *Earum.* [e] *Procreentur.*

id est unus. Secundus primo ac secundo, id est duo. Tertius primo secundo ac tertio, id est tres, eritque dispositio [a] talis :

1	1	1
1	2	3

Rursus sint tres binarii inæqualitate constituti, 2, 2, 2 : ponatur primus primo æquus, id est 2. Secundus primo et secundo, id est 4. Tertius primo secundo ac tertio, id est 6, et erit dispositio hæc :

2	2	2
2	4	6

[b] Sed in his hoc speculandum est, quod si unitas fuerit ad æqualitatis principium constituta, unitas etiam erit in differentiis numerorum, ipsi vero numeri inter se nullum intermittunt. [c] Si vero binarius teneat B æqualitatem, binarius est differentia, et unus inter terminos semper numerus intermittitur. Sin vero ternarius idem differentia est, inter [d] terminos vero duo naturaliter constituti intermittentur, ac deinceps in hunc modum .

3	3	3
3	6	9

Est etiam alia proportionalitatem arithmeticam procreandi via. Ponantur enim tres æqui termini, constituaturque primus primo ac secudo æquus, secundus primo ac duobus secundis, tertius primo et duobus secundis ac tertio, ut si sint tres unitates. Sit [e] primo primo ac secundo æquus, id est secundo, Secundus vero primo, ac duobus secundis, id est C tertio. Tertius autem primo, duobus secundis ac tertio, id est quatuor,

1	1	1
2	3	4

Hic igitur terminorum differentiam unitas tenet; inter binarium enim et unitatem, atque inter ternarium ac binarium, unitas interest. Nullus vero naturalis numerus intermittitur. Post unitatem enim mox binarius est, ac post binarium ternarius naturaliter constitutus, idem rursus in binario fiat. Sintque tres binarii, et sit primus primo ac secundo æquus, id est quaternarius; secundus vero primo et duobus secundis, id est senarius; tertius autem primo, duobus secundis ac tertio, id est octonarius.

2	2	2
4	6	8

Hic quoque binarius tenet differentiam terminorum, uno inter eos naturaliter intermisso. Nam inter 4 et 6 quinarius naturaliter intermittitur, inter 6 atque 8 septenarius collocatur. Quod si ternarius æqualitatis principium sit, fiet ternarius differentia ; verbi gratia : Sint [f] termini tres ad regulas superiorum subtus.

3	3	3
6	9	12

In his ergo ternarius est differentia, et duo numeri intermissi, id est uno minus quam sit differentia semA per numeris intermissis, atque idem et in quaternario, quinarioque perspicitur, et quæ nos propter brevitatem tacemus, iisdem regulis ex semetipso diligens lector inveniet. Geometrica vero proportionalitas tunc quemadmodum inveniri ab æqualitate possit ostendimus, quando quemadmodum ab æqualitate omnis inæqualitas [g] profluit monstrabamus, nisi tamen fastidium est, nunc quoque breviter repetendum est. Constitutis enim tribus æquis terminis, ponatur primus primo æquus. Secundus primo ac secundo. [h] Tertio primo duobus secundis ac tertio. Idemque fiat continue atque ita ex æqualitate geometrica proportionalitas principium sumat. Sed de harum proportionum proprietatibus quam diligentissime in arithmeticis diximus; quod si ad hæc illis instructus lector accedat, nullo dubitationis errore turbabitur. Harmonica vero medietas, de qua nunc paulo latius tractandum est, hac ratione procreatur. Constituatur enim, siquidem duplices curamus effingere, tribus æquis terminis positis, primus primo ac duobus secundis æqualis. Secundus duobus primis et duobus secundis. Tertius semel primo, bis secundo, et ter tertio. Atque hoc modo sint unitates.

1	1	1

Constituatur igitur primus primo ac duobus secundis æqualis, id est ternarius. Secundus vero duobus primis et duobus secundis, id est quaternarius. Tertius vero primo ac duobus secundis et tribus tertiis, id est sex. Et si in binariis æqualitas [i] construatur, vel in ternariis eadem ratio medietatis apparet, duplo a se terminis differentiisque distantibus, ut subjectæ descriptiones monent.

1	1	1
3	4	6
2	2	2
6	8	12
3	3	[illegible]
8	12	18

Quod si facienda est in extremitatibus tripla proportio, tribus æquis terminis constitutis, primus quidem faciendus est ex primo ac secundo, secundus vero ex primo ac duabus secundis, tertius autem ex D primo, duobus secundis ac tribus tertiis, ut est subjecta descriptio.


1	1	1
2	3	6
2	2	2
4	6	12
3	3	3
6	9	18

Sed ingressi harmonicam disputationem, quæ de ea diligentius dici possunt tacite prætereunda esse non arbitror. Collocetur igitur harmonica proportionalitas, inque ea descriptione superiore ordine terminorum inter se differentiæ disponantur.

[a] *Hæc* [b] *Rursus idem de ternario.* [c] *Sin.* [d] *Numeros.* [e] *Primus.* [f] *Tres numeri.* [g] *Profluat monstrabimus,* [h] *Tertius.* [i] *Constituatur.*


Diffe	1	2	rentiæ
Ter 3	4		6 mini

A




Videsne igitur ut quatuor ad tres diatessaron consonantiam prodant, sex ad quatuor diapente concordent; sex vero ad tres diapason misceant symphoniam, ipsæque earum differentiæ rursus eamdem statuant consonantiam. Binarius enim ad unitatem du- B plus est in diapason consonantia constitutus; quod si se extremitates multiplicent, itemque medius sui [a] multiplicitate succrescat, comparati numeri toni habitudinem concordiamque servabunt. Ter enim sex efficiunt 18, quater [b] fient 16. Sed 18 numerus, 16 numerum minoris parte octava transcendit. Rursus minimus terminus si se ipse multiplicet, efficiet 9. Quod si major terminus sui multiplicatione concrescat, efficiet 36, qui sibimet comparati, quadruplam, id est bis diapason, concinentiam servant. Quod si hæc diligentius inspiciamus, hæc erit omnis rei differentiarum vel terminorum in se invicem multiplicatio. Minimus enim terminus, si medio multiplicetur, [d] fient 12. Item minimus terminus, si maximo multiplicetur, fient 18. Medius [e] vero terminus, C si maximi numerositate augeatur, fiant 24. Rursus terminus minimus, si seipso concrescat, fient 9, [f] Eodem modo si medius, fiant 16. Senarius vero, qui maximus est, si seipsum multiplicet, 36 reddet: hæc igitur in ordinem disponantur, 36, 24, 18, 16 12, 9.

9	16	36
3	4	6



Sunt igitur diatessaron consonantiam resonantes 24 ad 18, et 12 ad 9, diapente vero 18 ad 12, et 24 ad 16, et 36 ad 24. Tripla autem quæ est diapason et diapente 36 ad 12. Quadrupla vero quæ est bis diapason 36 ad 9. Epogdous vero qui tonus est 18 ad 16 comparatione servatur.



CAPUT XVI.

Quemadmodum inter duos terminos supradictæ medietates vicissim collocentur.

Solent autem duo termini dari proponique, ut inter eos nunc quidem arithmeticam, nunc vero geometricam, nunc harmonicam medietatem ponamus; de quibus in arithmeticis quoque diximus, id tamen ipsum nunc etiam breviter explicemus. Si arithmetica medietas quæritur, datorum terminorum videnda differentia est, [g] eademque dividenda ac minori termino adjicienda. Sint enim decem et 40 altrinsecus termini constituti, horumque medietas secundum arithmeticam proportionalitatem quæratur. Differentiam prius utrorumque respicio, quæ est 30; hanc divido, fiunt 15; hanc minori termino, id est [h] decem appono, fiunt 25. Si igitur hic inter [i] 10 et 40 medius collocetur, fit arithmetica proportionalitas hoc modo, 10, 25, 40. Item inter eosdem terminos medietatem geometricam collocemus. Extremos propria numerositate multiplico, ut 10 in 40 fiunt 400; horum tetragonale latus assumo, fiunt viginti. [j] Vicies enim viginti fiunt 400. Hos igitur 20 medios inter 10 ac 40 si [k] collocem, fit geometrica medietas subjecta descriptione formata, 10, 20, 40. Si vero harmonicam medietatem quæramus, sibimetipsos copulamus extremos, ut 10 et 40 fient 50. Eorum differentiam quæ est 30 in minorem terminum [l] multiplicemus, scilicet in 10, ut fiant decies 30, qui sunt D 300; hos si secundum 50 partimur, fiunt 6. Quos cum minori termino addiderimus, fient 16. Hunc igitur numerum si inter 10 ac 40 medium collocemus, harmonica proportionalitas expedietur 10, 16, 40.

CAPUT XVII.

De consonantiarum modo secundum Nicomachum.

Sed [m] his hactenus. Nunc illud addendum videtur quemadmodum Pythagorici probant consonantias musicas in prædictis proportionibus inveniri, in qua re scilicet eis Ptolemæus non videtur [n] assensus, de quo paulo posterius dicemus. Hæc enim ponenda est maxime esse prima suavisque consonantia, cujus

[a] *Multiplicatione.* [b] *Fiunt.* [c] *Vel.* [d] *Fiunt.* [e] *Enim.* [f] *Eodemque.* [g] *Eaque.* [h] *Denario.* [i] 40 *et* 10. [j] *Vigies.* [k] *Collocemus.* [l] *Multiplicamus.* [m] *De his.* [n] *Consentiens.*

proprietatem sensus apertior comprehendit. Quale A enim est unumquodque per semetipsum, tale et deprehenditur sensu. Si igitur cunctis notior est ea consonantia quæ in duplicitate consistit, non est dubium primam esse omnium diapason consonantiam, meritoque excellere, quoniam cognitione præcedat. Reliquæ vero hunc necessario secundum Pythagorico, ordinem tenent, quem dederint multiplicitas augmenta et superparticularis habitudinis detrimenta. Monstratum quippe est quod multiplex inæqualitas superparticulares proportiones meriti antiquitate transcendat. Quocirca naturalis numerus ab unitate usque ad quaternarium disponatur, 1, 2, 3, 4. Igitur unibinarius comparatus proportionem duplicem facit, et reddit diapason consonantiam eam, quæ est maxima, [a] ei simplicitate notissima. B Si vero unitati ternarius comparetur, diapason ac diapente concordiam personabit. Quaternarius vero unitati comparatus quadruplam tenet, scilicet bis diapason efficiens symphoniam; quod si ternarius binario comparetur, diapente. Si vero quaternarius ternario diatessaron [b] consonantiam supplet, isque est horum ordo cunctis ad se invicem comparatis. Nam comparatio quæ restat, si quaternarium binario comparemus, cadet in duplicem proportionem, quam tenebat ad unitatem binarius comparatus; itaque maxime distant soni in bis diapason cum a se quadrupla intervalli dimensione discedunt. Minimum vero, cum acutior graviorem tertia gravioris parte transcendit, ac stat deinceps concinentiarum modus, qui neque ultra quadruplam possit extendi, C neque intra partem tertiam coarctari; et secundum Nicomachum quidem hic consonantiarum est ordo, ut sit prima diapason, secunda diapason et diapente, tertia bis diapason, quarta diapente, quinta diatessaron.

CAPUT XVIII.

De ordine consonantiarum sententia Eubulidis et Hippasi.

Sed Eubulides atque Hippasus alium consonantiarum ordinem ponunt: aiunt enim multiplicatis augmenta superparticularitatis diminutioni rato ordine respondere. [c] Itaque non posse esse duplum nisi dimidium, nec triplum prætertertiam partem. Quoniam igitur sit duplum, ex eo diapason consonantiam reddi. Quoniam vero sit dimidium, ex eo quasi contraria di- D visione sesquialteram, id est diapente, effici proportionem. Quibus mixtis, scilicet diapason ac diapente, triplicem procreari, quæ utramque contineat symphoniam, sed rursus triplicis partem tertiam contraria divisione partiri. Ex que rursus diatessaron symphonia nascetur. Triplicem vero atque sesquitertium junctos quadruplam comparationem proportionis efficere; unde fit ut ex diapason et diapente quæ est una consonantia, et diatessaron una [d] continentia conjungatur, quæ in quadruplo consistens bis diapason nomen accepit. Secundum hos quoque hic ordo est: Diapason, diapente, diapason ac diapente, diatessaron, bis diapason.

CAPUT XIX.


Sententia Nicomachi quæ quibus consonantiis apponantur.

Sed Nicomachus non eamdem esse eis arbitratur contrariam positionem. Sed potius ut unitas in arithmeticis crementi erat diminutionisque principium, ita etiam diapason symphoniam reliquarum esse principium, illas vero sibi [e] contraria divisione posse constitui; id vero facilius erit cognitu si prius [f] prævideatur in numeris. Constituatur igitur unitas, duæque partes ab ea fluant, una multiplicis, alia divisionis. Sitque hæc formula:

	I	
Dimid.		II
Pars 3		III
Pars 4		IV
Pars 5		V
Pars 6		VI

Et ad hunc modum ad infinita progressio est. Binarius enim unitatis [g] duplex est. Contraria vero ejus pars [h] eisdem dimidium unitatis ostendit. Tres triplus et contraria pars tertia. Quatuor quadruplus, parsque et contraria quarta. Atque ita crescendi et decrescendi in simplici est unitate principium. Idem igitur nunc ad consonantias convertamus. [i] Est igitur diapason quæ dupla est supremi loco principii, quæ vero reliquæ sunt, in contraria divisione hoc modo. Sesquialter quidem triplo, sesquitertius vero quadruplo quod tali argumentatione probabitur. Idem enim [j] primum est sesquialter, qui primus triplus principalis, scilicet unitatis. Nam ternarius idem primus triplus est, scilicet unitati. Idem primus sesquialter, si binario comparetur. Rursus idem ternarius ejusdem differentiæ quam ad binarium facit, cujus naturaliter positus probatur esse sesquialter, triplus est. Cum igitur jure sesquialter triplici [k] opponatur, diapente consonantia, diapente ac diapason consonantiæ rationabiliter putatur opponi. Rursus quadruplus sesquitertii contrariam divisionem tenet. Nam qui est primus quadruplus, idem rursus primus sesquitertius invenitur hoc modo. Quaternarius quippe primus est quadruplus, si unitati primus sesquitertius, si ternario comparetur. Rursus ejus differentiæ, quam inter se ac ternarium tenet, ipse fit quadruplus. Unde fit ut sesquitertia proportio, quæ est diatessaron, quadruplæ proportioni, quæ est bis diapason, in contrarium dividatur. Dupla vero quoniam nullam habet oppositam proportionem, nec ullius ipsa sesquialtera est, aut exstat numerus cui possit binarius, qui primus est duplus, superparticulari proportione conjungi, talem formam contrariæ proportionis excedit. Atque idcirco secundum Nicomachum diapason consonantiarum principium teneat hoc modo.

[a] *Et* [b] *Concinentiam.* [c] *Igitur.* [d] *Concinentia.* [e] *In.* [f] *Pervideatur.* [g] *Duplus.* [h] *Ejusdem.* [i] *Erit.* [j] *Primus.* [k] *Apponatur.*



Sed quamvis ita sese habeat, inquit tamen omnes melius multiplices proportiones consonantiarum præcedere, superparticulares sequi, sicut paulo ante descripsimus. Cum igitur consonantia sit duarum vocum rata permixtio, sonus vero modulatæ vocis casus, una intentione productus, sitque idem minima particula modulationis, omnis vero sonus [a] constet impulsu. Pulsus vero omnis ex motu [b] fiat, cumque motuum [c] aliqui sint æquales, alii vero inæquales, inæqualium vero alii sint multo inæquales, alii vero minus, alii vero mediocriter inæquales. Ex æqualitate quidem nascitur sonorum æqualitas. Ex inæqualitate vero [d] ea quæ secundum mediocritatem distantiæ inæquales sunt, manifestæ, primæque ac simpliciores eveniunt proportiones, quæ sunt scilicet multiplices [e] aut superparticulares, dupli, tripli, quadrupli, sesquialteri, atque sesquitertii consonantiæ. Ex his vero [f] quæ in reliquis proportionibus, vel multimodis, vel non ita claris, vel longe omnino a se distantibus inæqualitates fiunt, dissonantiæ existunt. Nulla autem sonorum concordia procreatur.

CAPUT XX.

Qui oporteat præmitti ut diapason in multiplici genere demonstretur.


Hoc igitur ita distincto, demonstrabitur diapason consonantiam quæ cunctarum optima est in multiplici inæqualitatis genere, et in duplicitatis habitudine reperiri. Ac primum quidem illus demonstrandum, quemadmodum in multiplicitatis genere diapason consonantia possit agnosci. Præcurrendum est igitur ad breve quiddam, quo prius cognito facilior demonstratio fiat : ab omni superparticulari, si continuam ei superparticularem quis auferat proportionem ; quæ est scilicet minor, id quod relinquitur minus est ejus medietate, quæ detracta est proportionis, ut in sesquialtera ac sesquitertia. Quoniam sesquialtera major est, sesquitertiam de sesquialtera detrahamus, relinquitur sesquioctava proportio quæ duplicata non efficit integram sesquitertiam proportionem sed ea distantia minor est quæ in semitonio reperitur ; quod si duplicata sesquioctava comparatio non est integra [g] sesquitertiæ, simplex sesquioctava non est sesquitertiæ proportionis plena medietas ; quod si sesquiquartum sesquitertio auferas, id quod relinquitur medietatem sesquiquarti non efficit, idemque in cæteris.

CAPUT XXI.

Demonstratio per impossibile diapason in multiplici genere esse.

Age nunc ad diapason consonantiam redeamus. A Quod si ea non est in multiplici genere inæqualitatis, cadet in superparticulare inæqualitatis genus. Sit igitur superparticularis proportio diapason consonantia. Auferatur ab ea continua consonantia, id est diapente, relinquitur diatessaron. Bis igitur diatessaron minus est uno diapente, et [h] ipsum diatessaron non implet diapente consonantiæ medietatem, quod est impossibile. Monstrabitur enim bisdiatessaron tono ac semitonio consonantiam diapente transcendere. Quocirca nec diapason quidem in superparticulari inæqualitatis genere poni potest.

B



CAPUT XXII.

C *Demonstratio per impossible diapente diatessaron et tonum in [superparticulari esse*

Restat igitur ut diapente ac diatessaron, et tonum, in superparticularitate ponenda esse monstremus. Nam etsi id in prima quoque probatione ea qua diapason in superparticulari genere non esse ponenda monstravimus, id quoque quodam rationis modo perclaruit ; sigillatim tamen de eo ac diligentius pertractemus. Nam si in superparticulari quis has habitudines ponendas esse non dixirit, in mutiplici genere fatebitur collocandas. Nam in superpartienti vel cæteris mixtis cur poni non possint, superius (ut arbitror) explanatum est. Ponantur igitur, si fieri potest,
D in multiplici genere. Et quoniam diatessaron consonantia minor est, diapente major, diatessaron duplici, diapente vero triplici proportioni multiplicitatis aptetur. Verisimile est enim ut est consonantia diatessaron consonantiæ, diapente continua. ita si diatessaron in duplici statuitur, diapente incontinua duplicis poni, id est triplici. Tonus autem quoniam in habitudinis musicis post diatessaron locatur, nimirum in ea proportione ponatur, quæ est minor duplici. Hæc autem in multiplicitatis genere non potest inveniri. Restat igitur ut in superparticularitatis habitudinem cadat. Sit igitur prima, id est sesquialtera, toni proportio. Nam si duplicem auferamus, triplici, quod relinquitur, sesquialter est. Quod si diatessaron


[a] *Constat.* [b] *Sit.* [c] *Alii.* [d] *Hæc.* [e] *Ac.* [f] *Reliquisque.* [g] *Sesquitertia.* [h] *Ipsam.*

quidem duplex est, diapente vero triplum, [a] sublato diatessaron a diapente tonus reliquus fit, nullo modo dubitari potest quin tonus in sesquialtera debeat proportione constitui. Sed duæ sesquialteræ proportiones duplicem vincunt, quemadmodum ex artihmeticis instructus sibi potest quisque colligere. Duo igitur toni diatessaron superabunt, quod est inconveniens : diatessaron enim duos tonos semitonii spatio transcendit. Non igitur fieri potest ut non diapente ac diatessaron in superparticulari inæqualitatis genere collocetur. Quod si quis tonum quoque in multiplici genere esse [b] perscribat, quoniam quidem tonus minor est quam diatessaron. Diatessaron vero minus est quam diapente, diapente quidem ponatur in quadrupla, diatessaron in tripla, tonus in duplici. Sed diapente constat ex diatessaron et tono. Quadruplum igitur secundum hanc rationem constabit ex triplo ac duplo, quod fieri nequit. Rursus statuatur diatessaron quidem in triplici, et diapente in quadruplo. Si igitur auferamus triplum a quadruplo, sesquitertius relinquetur. Rursus si diatessaron diapente consonantiæ subtrahas, fit reliquus tonus. Tonus igitur secundum hanc rationem in sesquitertia proportione constabit. Sed tres sesquitertii uno triplici sunt minores. Tres igitur toni unum diatessaron nulla ratione supplebunt, quod est falsissimum. Duo enim toni ac semitonium minus diatessaron consonantiam supplent. Ex his igitur demonstratur diatessaron consonantiam non esse multiplicem. Dico [i] autem quoniam nec diapente consonantia in multiplici genere poterit collocari. Nam si [c] in eo statuatur, quoniam est ei minor continua, id est diatessaron, non locabitur diapente in minimo multiplici, id est duplici scilicet ut si locus quo diatessaron consonantia possit aptari. Sed diatessaron consonantia multiplicis generis non est. Quocirca nec diapente, in majore habitudine multiplicis quam est dupla quæ minima est, aptari potest. Si igitur diapente in minima, scilicet dupla, diatessaron vero, quæ minor est, in multiplici quidem aptari non potest. Non est enim quidquam minus a se duplici. Sit igitur sesquialtera, tonus vero sesquitertia, in continua enim proportione locabitur. Sed duo sesquitertii ampliores sunt uno sesquialtero. Duo igitur toni unam diatessaron consonantiam vincent, quod nulla ratione continget. Ex his igitur approbatur diapente ac diatessaron in multiplici genere collocari non posse : quocirca in superparticulari inæqualitatis genere jure ponentur.

CAPUT XXIII.

Demonstratio diapente et diatessaron in maximis superparticularibus collocari.

Illud quoque addendum [d] necessario est, quoniam si diapente ac diatessaron superparticulares proportiones tenent, in maximis superparticularibus proportionibus collocantur. Sunt autem maxime sesquialtera et sesquitertia. Hoc vero [e] approbabitur hoc modo. Nam si in minoribus proportionibus quam sesquialtera vel sesquitertia diapente ac diatessaron consonantiæ collocentur, non est dubium quin sicut aliæ quælibet proportiones superparticulares præter sesquialteram et sesquitertiam junctæ non efficiunt unum duplum, ita diapente ac diatessaron unum diapason nulla ratione concludunt. Quoniam enim diapason in duplici proportione esse monstratum est, duplex vero proportio ex sesquialtero sesquitertioque componitur; diapason vero ex diatessaron ac diapente copulatur, non est dubium quin, si totum diapason in duplici [f] statuatur, diapente et diatessaron in sesquialtera sesquitertiaque proportione sint locandæ. Aliter enim non poterunt diapason junctæ perficere, quæ consonantia in duplici proportione consistit, nisi in his duabus proportionibus steterint sesquialtera scilicet ac sesquitertia. Aliæ enim proportiones superpartisulares [g] hanc nulla ratione conjungent.



CAPUT XXIV.

Diapente in sesquialtera, diatessaron in sesquitertia esse, tonum in sesquioctava

Dico autem quoniam proprie diapente in sesquialtera, et diatessaron in sesquitertia proportione consistit. Quoniam enim inter utrasque proportiones, sesquialteram scilicet et sesquitertiam, sesquialtera est major et sesquitertia minor, quoniamque in consonantiis diapente major diatessaron minor, apparet majorem proportionem majori, et minorem minori esse consonantiæ [h] aptandum. Erit igitur diapente quidem in sesquialtera, diatessaron vero in proportione sesquitertia collocanda. Quod si diatessaron a diapente consonantiam subtrahamus, relinquitur spatium, quod dicitur tonus. Sesquitertium vero si proportioni sesquialteræ minuamus, relinquitur sesquioctava proportio. Quo fit ut tonus in sesquioctava debeat [j] ratione constitui.

CAPUT XXV.

Diapason ac diapente in tripla proportione esse, bis diapason in quadrupla.

Sed quoniam demonstratum est diapason quidem duplam, diapente vero sesquialteram, junctas vero duplam ac sesquialteram triplicem proportionem procreare, ex his [k] etiam apparet diapente ac diapason in triplici proportione constitui. Sed si quis triplici proportioni sesquitertiam habitudinem jungat, quadruplam facit. Igitur si diapente ac diapason consonantiis diatessaron symphonia jungatur, fit quadruplum spatium vocum, quod bis diapason supra esse monstravimus,


[a] *Sublatoque.* [b] *Præscribat.* [c] *In eo genere statuitur.* [d] *Necessarium.* [e] *Approbatur.* [f] *Statuamus.* [g] *Duplicem.* [h] *Aptandam.* [i] *Consonantia.* [j] *Comparatione* [k] *Et illud.*

CAPUT XXVI.

Diatessaron ac diapason non esse consonantiam secundum Pythagoricos.

Sed in his illud diligens lector agnoscat, quod consonantiæ consonantiis suppositæ alias quasdam [a] consonantes efficiant. Nam diapente ac diatessaron junctæ, diapason (ut dictum est) creant; huic vero, id est diapason, rursus si diapente symphonia jungatur, fit consonantia, quæ ex utrisque vocabulis nuncupatur, diapason scilicet ac diapente. Cui si diatessaron addatur, fit bis diapason, quæ quadruplam proportionem tenet. Quid igitur si diatessaron ac diapason consonantias jungamus, ullamne secundum Pythagoricos efficient consonantiam? Minime. Mox enim in superpartiens inæqualitatis genus cadit, nec servat vel multiplicitatis ordinem, vel superparticularitatis simplicitatem. Age enim statuantur numeri quibus id facilius approbemus: sit enim ternarius, cujus sit senarius, duplus scilicet, in diapason proportione consistens. Huic aptetur sesquitertia quam diatessaron esse prædiximus, ut octonarius. Is enim ad senarium diatessaron proportionem tenet, qui octonarius ad ternarium comparatus habet eum bis. Sed ne sit multiplex, habet etiam ejus aliquas partes, neque eas simplices. Duabus enim eum supervenit unitatibus, quæ sunt quæ tertiæ partes ternarii, quem primum terminum minimumque locamus. Sint [b] igitur termini hi, 3, 6, 8.

Multiplex superbipartiens tertias.




Dupla Sesquitertia

Illud quoque quod inter duas sibi continuas consonantias cadit, etenim neque duplum est integrum, ut diapason consonantiam prodat, neque triplum, ut diapason ac diapente efficiat symphoniam. Cui si tonus addatur, mox triplum modum proportionis efficiet. Quoniam enim diapason ac diapente [c] sibi junctæ efficiunt triplum, diatessaron vero et tonus diapente consonantiam jungunt, si diapason [d] consonantia addatur diatessaron, inconsonum fit, quoniam inter duplicem ac triplicem nulla potest naturaliter proportio multiplicitatis intelligi. Quod si ei adjicio tonum, [e] fit diapason, diatessaron, et tonus, quod nihil distabit utrum diapason ac diapente sit. Diatessaron enim et tonus diapente constituunt. [f] Sit enim diapason quidem 3 et 6; diatessaron 6 et 8; tonus 8 et 6; diapente 6 et 6; diapason ac diapente

A 3 ac 9: erit igitur sic tripla proportio 3, 6, 8, 9. Sed quanquam de his multa Nicomachus, nos tamen qua potuimus brevitate partim ea ipsa quæ Pythagorici affirmant promentes, partim ex eisdem quædam consequentia argumentantes, probavimus, si diatessaron consonantiæ diapason addatur, consonantiam ex his conjungi non posse. Quid vero sentiat de his Ptolemæus, posterius apponam. Sed de his hac tenus nunc de semitoniis considerandum est,


B



CAPUT XXVII.

De semitanio in quibus minimis numeris constet.


Videntur enim semitonia nuncupata, non quod vere tonorum sint medietates, sed quod sint non integri toni. Hujusque spatii quod nunc quidem semitonium nuncupamus, apud antiquiores autem limma vel diesis vocabatur, hic modus est. Cum enim ex sesquitertia proportione quæ diatessaron est, duæ sesquioctavæ habitudines, quæ toni sunt, auferuntur,
C relinquitur spatium quod semitonium nuncupatur. Quæramus igitur duos tonos continua dispositione descriptos. Sed, quoniam hi (ut dictum est) in sesquioctava proportione consistunt, duasque sesquioctavas proportiones continuas adhibere non possumus nisi multiplex ille, a quo [g] hæ derivari possint, reperiatur, sit unitas prima [h] eique octonarius octuplus primus. Ad hoc igitur unum sesquioctavum potero derivare. Sed quia duos quærimus, fient octies octo, atque ex eo 64 explicentur. Erit igitur secundus octuplus a quo possumus duas sesquioctavas proportiones educere. Namque octo quæ est octava pars 64 unitatum eisdem additi totam summam 72 perficiunt; his vero si sua octava similiter opponatur, quæ est
D novenarius, 81 reddunt. Eruntque duo toni continui principali dispositione conscripti 64, 72, 81.



Nunc igitur 64 unitatum sesquitertium conquiramus. Sed quoniam 64 probantur partem tertiam non habere, si omnes hi numeri ternario multiplicentur, mox eis pars tertia contingit, et omnes in eadem proportione durabunt, in qua fuerunt antequam his ternarius multiplicator accederet; fiant igitur ter 64, id est 192, horum tertia 64 eisdem addita 256 reddet, Erit igitur hæc sesquitertia proportio diatessaron

[a] *Consonantias* [b] *Ergo.* [c] *Sibimet.* [d] *Consonantiæ.* [e] *Fiet.* [f] *Sint.* [g] *Hæc.* [h] *Ejusque.*

consonantiam tenens. Nunc igitur quas sesquioctavas proportiones ad 192 duobus numeris continentes rato ordine collccemus; fiant igitur ter 72, id est 216. Rursus ter 81, qui sunt 243, qui inter duos supra scriptos terminos collocentur hoc modo : 192, 216, 243, 256.



In hac dispositione proportionum, primus numerus ad postremum diatessaron constituit consonantiam. Idem vero primus ad secundum, et secundus ad tertium geminos [a] constituunt tonos. Constat igitur spatium quod relinquitur ex 243 ad 256, in quibus minimi semitonii forma consistit.

CAPUT XXVIII.

Demonstrationes non esse: 243 ad 256 toni medietatem.

Approbo igitur 253 ad 256 distantiam non esse integram toni medii dimensionem. Etenim ducentorum quadraginta trium et ducentorum 56, differentia 13 tantum unitatibus continetur. Qui tredecim minus quidem quam minoris octavam decimam, plus vero quam nonam decimam obtinent partem. Si enim octies decies tredecim ducas, efficies 234, qui 243 nullo modo æquabit; si decies novies multiplices, supervadent, cum oporteat omne semitonium, si tamen integrum toni dimidium tenet, inter sextam decimam partem ac septimam decimam collocari. Quod posterius demonstrabitur. Nunc illud liquebit talem semitonii distantiam sibimet geminatam, unum toni spatium non posse complere. Age enim ut sese 256 ad 243 habent, tales duas sibimet continuas proportiones, secundum superius descriptam regulam disponamus; 200 enim 50 et et 6 in semetipsos multiplicemus, et sit maximus terminus 65536. Item 243 propria numerositate concrescant, et sit minimus terminus 59049. Rursus igitur 256 ad ducentorum 43 [b] multitudinem concrescant. Erit igitur numerus 62208; hic igitur medius collocetur hoc modo :

65536	62208	59849


In eadem igitur sunt proportione ducenti 56 et 243. In qua 65536 ad 62208; et item 62208 ad 59049. Sed maximus eorum terminus, qui est 65536, ad minimum qui est 59040, unum integrum non [c] efficit tonum. Quod si primi ad secundum proportio, quæ est æqua secundi ad tertium proportioni, integri esse semitonii probaretur, duo dimidia juncta unum necessario efficerent tonum. Nunc autem cum non sit extremorum terminorum sesquioctava proportio, manifestum est hæ duo spatia proprie tonorum dimidia non videri. Quidquid enim cujuscunque est dimidium, id si duplicetur illud efficit, [d] cujus dicitur esse dimidium. Si vero illud implere non possit geminata particula, minus est parte dimidia. Si vero

A superfluat ac supervadat, plus est parte dimidia. [e] Præterea probabuntur 95536 non facere sesquioctavam proportionem. Si 56049 unitatibus comparentur, si octava pars 59049, eisdem secundum eas quæ in arithmeticis dictæ sunt regulas aggeratur. Quæ quoniam integris numeris non consistit, idcirco eamdem octavam partem relinquimus lectorum diligentiæ computandam. Liquet igitur eam proportionem quæ in 256 et 243 est constituta, non esse integrum dimidium toni; quocirca id quod vere semitonium nuncupatur, pars toni minor est quam dimidia.

Differentiæ

13196	3328	3159	
78732	65536	62208	59049

B



[f] (Pinxissem totum spatium toni. At minimus terminus puta 59049 præcedentem sesquioctavam non habet, cum ipse sit quintus sesquioctavus, quinti octupli. Ut id in figurula ante picta comperies.)

CAPUT XXIX.

De majore parte toni in quibus minimis numeris constet.

C Reliqua igitur pars, quæ major est, apotome nuncupatur a Græcis, a nobis vero potest vocari decisio. Id enim natura fert, ut quotiens aliquid secatur, ita ut non æquis partibus dividatur, quanto minor pars dimidio minor est, tanto major pars eadem, quæ auctior est, dimidium vincat. Quantum igitur semitonium minus integro dimidio toni minus est, tanto apotome toni integrum superat dimidium et vincit. Et quoniam docuimus semitonium in 256 et 243 principaliter stare, nunc ea quæ apotome dicitur, in quibus possit minimis constare numeris approbemus. Si igitur 243 partem recipere octavam possent cum ad eum sesquioctavus numerus comparetur, tunc 256 habitudo ad sesquioctavam summam minimi numeri comparata, apotomen necessaria ratione monstraret. D Nunc vero quoniam ei pars octava deesse monstratur, utrique numeri octies fiant. Et ex 243 quidem octies multiplicatis fit numerus 1944. Quibus si propria conferatur octava, qui sunt 243, fient 2187. Rursus 256 per octonarium crescant, fient igitur 2048. Atque hic suprascriptorum terminorum in medio collocetur.

Semitonium minus	Apotome	
104	139	
1944	2048	2187

primus secundus tertius
tonus sesquioctava


[a] *Constituit,* [b] *Multitudine.* [c] *Efficiet.* [d] *Ejus.* [e] *Propterea.* [f] *Henrici Glareani additio.*

Tertius igitur terminus ad primum toni retinet proportionem. Secundus ad primum semitonii minoris. Apotomes vero tertius ad secundum. Atque in hisdem primis apotomes videtur constare proportio, cum semitonii in 256 et 243, minimis numeris spatium contineatur. Idcirco autem 1944 et 2048 in eadem proportione sunt qua 243 ad ducentos 56, quoniam 256 et 243 octonario multiplicati sunt. Si enim unus numerus duos quoslibet numeros multiplicet, qui ex ea multiplicatione nascuntur, in eadem erunt proportione qua fuerunt hi numeri quos prior numerus multiplicavit.


CAPUT XXX.

Quibus proportionibus diapente, diapason constent. et quoniam diapason sex tonis non constet.

Sed quoniam de diatessaron consonantia latius diximus, brevius et pene puris numeris de diapason ac diapente consonantiis disseramus. Diapente enim constat ex tribus tonis ac semitonio, id est ex diatessaron et tono. Disponantur enim numeri quos superior descriptio comprehendit, 192, 216, 253, 256.



In hac igitur dispositione primus terminus ad secundum, et secundus ad tertium tonorum [a] retinet proportiones. Sed tertius ad quartum semitonii minoris, ut supra monstratum est. Si igitur 256 octava eisdem quorum octava est apponatur, fient 288. Quibus 192 comparati, sesquialterum spatium proportionis efficiunt.



Quocirca tres quidem toni sunt, si primus ad secundum, secundus ad tertium, quintus conferatur ad quartum. Semitonium vero minus tertii ad quartum terminum comparatio tenet; quod si diatessaron quidem duorum tonorum est ac semitonii minoris, diapente vero trium tonorum ac semitonii minoris, junctæ vero diatessaron ac diapente unum diapason videntur efficere, erunt quinque toni et duo spatia semitoniorum minora, quæ unum tonum non videantur implere. Non est igitur diapason consonantia constans sex tonis, ut Aristoxenus arbitratur, quod in numeris quoque dispositum evidenter apparet.

[a] *Retinet.* [b] *Ducitur.* [c] *Invenietur.*

A Sex enim toni in ordinem disponantur, scilicet in sesquioctavis proportionibus constituti, sex vero sesquioctavæ proportiones a sexto octuplo procreantur. Disponantur igitur sexoctupli hoc modo :

1	8	64	512	4096
32768		262144		


Ab hoc igitur ultimo numero sex toni in sesquioctava proportione constituti locentur, hoc modo dispositis, primum octuplis terminis, ut octavæ terminorum partes ipsorum terminorum lateribus adjungantur; sit autem descriptio talis :

B

Sexoctupli	1	8	64	512
4096	32768	262144		

Sesquioctavi	Partes octavæ
262144	32768
294912	36864
331776	41472
373248	46656
419904	52488
472392	59049
531441	

Hujus igitur dispositionis hæc ratio est. Continuus enim versus, qui limes [b] dicitur, octuplos numeros tenet. A sexto vero octuplo sesquioctavæ proportiones ducuntur. Ubi vero octavas partes scripsimus, octavæ sunt eorum numerorum partes, quibus adjacent.
C Quæ si eisdem quibus adjacent apponantur, posteriores numeros creant, ut in primo, qui est 262144. Hujus octava 32768; hi sibimet si conjungantur posteriorem efficit numerum qui est 294912. Idemque in cæteris [c] invenitur. Si igitur ultimus numerus qui est 531441 duplus esset prioris numeri qui est 262144, recte diapason sex tonis constare videretur. Nunc autem si minimi numeri, id est prioris, duplicem conquiramus, minor erit eo numero qui est maximus ac supremus. Nam 262144 numeri duplus est qui ad eum scilicet diapason consonantiam tenet 524288; hic igitur minor est eo numero qui sextum retinet tonum, eo scilicet qui est 541441. Minor est igitur diapason consonantia sex tonis. Atque id quod sex toni diapason consonantiam supervadunt, voco
D comma, quod constat in minimis numeris 524288 et 531441.



Sed de his quid Aristoxenus sentiat, qui auribus dedit omne judicium, alias commemorabo. Nunc voluminis seriem fastidii vitator astringam.

1	8	64	512	4096	32768	262144
	9	72	576	4808	36864	294912
		81	648	5184	41472	331776
			729	5832	46656	373248
				6561	52488	419904
					59049	472392
						531441

Novemcupli omnes Diaconii

Omnes se quioctavi inferni supernorum qui sex tonos efficiunt.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Adversus Aristoxenum demonstratio superparticularem proportionem dividi in æqua non posse, atque ideo nec tonum.


Superiore volumine demonstratum est diatessaron consonantiam ex duobus tonis [a] copulari ac semitonio, diapentes vero ex tribus tonis ac semitonio constare. Sed ea semitonia dimidium toni integrum non posse perficere, si sigillatim considerata tractentur, atque ideo diapason ad sex tonos nullo modo pervenire. Sed quoniam Aristoxenus musicus, judicio aurium cuncta permittens, hæc semitonia non arbitratur esse secundum Pythagoricos contractiora dimidio, sed sicut semitonia dicuntur, ita esse dimidietates tonorum, de [b] eisdem rursus paulisper est disputandum, demonstrandumque prius nullam superparticularem habitudinem noto numero posse dividi in integram medietatem. Inter duos enim numeros superparticularem proportionem continentes, sive illi sint principales, quorum est unitas [c] differentia, sive posteriores, nullus ita poterit medius numerus collocari, ut quam minimus proportionem tenet ad medium, eam medius teneat ad extremum, scilicet ut in geometrica proportione, sed aut differentias æquas facere potest, ut sit æqualitas secundum arithmeticam medietatem, aut harmonicam inter eosdem terminos medius numerus collocatus faciet medietatem, aut quamlibet aliam, quarum in arithmeticis fecimus mentionem. Quod si id demonstrabitur, nec illud quidem constare poterit, sesquioctavam proportionem, quæ tonus est in dimidia posse discerni, quandoquidem sesquioctava omnis in superparticulari inæqualitatis genere consistit. Id vero melius inductione monstrabitur. Nam si per singulas proportiones consideratione deducta, scilicet superparticulares, nulla prorsus occurrit quæ, interposito medio termino, æquis proportionibus dividatur, non est dubium quod superparticularis comparatio non possit in æqua partiri. Quod si videtur consonum auribus aliquid canere, cum cuilibet

A voci duobus tonis ac semitonio integro distans vocula comparetur, id non esse consonum natura monstratur. Sed quoniam sensus omnis quæ minima sunt comprehendere nequeat, idcirco hanc differentiam, quæ ultra consonum procedit, sensum aurium non posse distinguere, fore autem ut deprehendatur, si frequentissime talis particula per eosdem crescat errores. Nam quod in minimo haud sane cernitur, compositum conjunctumque cum jam magnum esse cœperit pervidetur. A qua igitur proportione est
B ordiendum [d] an compendium dabimus quæstioni, si ab eo de quo quæritur ordiamur. Id vero est tonus, in duo æqua possit partiri necne. Nunc igitur de tono est pertractandum, et quemadmodum non possit in duo æqua dividi demonstrandum est. Quam demonstrationem si quis ad reliquas superparticulares comparationes transferat, similiter demonstrabitur superparticularem in æqua noto atque integro numero separari non posse. Primi igitur tonum continentes
C numeri sunt 8 atque 9. Sed quoniam se isti ita naturaliter consequuntur, ut medius inter eos numerus non sit, eosdem binario, quo scilicet minimo possum, mulplico. Fiunt igitur 16 ac 18, inter hos vero [d] naturaliter numerus cadit qui est 17; igitur 18 ad 16 tonus est. Sed 10 et 8 ad 10 et 7, comparatus habet eum tonum, et ejus septimam decimam partem. Septima decima vero pars minor est sexta decima naturaliter. Major est igitur proportio quæ sub 16
D ac 17 numeris continetur, quam ea quæ sub 17 ac 18. Qui disponantur hoc modo, et sit A 16, C 17, B 18. Medietas igitur [f] integra toni inter C ac B nullo modo cadet. Minor est enim C B proportio C A proportione. Ad majorem igitur partem medietas rata ponenda est. Sit vero medietas D. Quoniam igitur D B quidem proportio, quod est integrum dimidium toni, major est C B proportione, quæ est minor pars toni, A C autem proportio quæ est major pars toni A D proportione major est, quod est dimidium toni, est autem A C proportio sesquisextadecima, C B autem sesquiseptimadecima, non est dubium quin integra medietas inter sesquisextamdecimam

[a] *Non habet.* [b] *His.* [c] *Distantia.* [d] *Ac.* [e] *Naturalis.* [f] *Integri.*

ac sesquiseptimamdeciam cadat. Sed hoc in inte- A
gro numero nullo modo poterit inveniri.

Integra toni medietas. Integra toni medietas si dari queat.




Tonus sesquioctava proportio. Totum hoc spatium.

B


Quoniam vero ad 16 numerum 17 numerus comparatus, supersesquisextamdecimam obtinet proportionem, si ejusdem 17 numeri sextam decimam requiramus, erit unitas, atque unitatis pars 16, hanc si eidem 17 numero conjungamus, fiunt 18 et pars sexta decima. Si igitur 18 et pars sexta decima [a] 16 numero comparetur, recte toni mensuram videtur excedere, cum ad eum solus 18 numerus sesquioc- C
tavam custodiat proportionem. Unde fit ut quoniam supersesquisextadecima proportio tonum bis aucta transcendit, non sit integrum toni dimidium. Quidquid enim bis ductum transcendit aliquid, id ultra dimidium illius esse videbitur quod transcendit. Quocirca super sesquisextadecima, non erit toni dimidium. Ac per hoc, nec alia ulla major sesquisextadecima proportione toni poterit esse dimidium, cum ipsa sesquisextadecima integro toni dimidio sit major. Sed quoniam, sesquisextamdecimam proportionem continua sequitur sesquiseptimadecima, videamus an ea tonum bis multiplicata non impleat, 17 igitur numeri sesquiseptimamdecimam partem tenet terminus 18. In eadem igitur proportione si ad 18 numerum alium comparemus, erit 19 et septimade- D
cima pars. Quod si ad 17 terminum in sesquioctava proportione positum numerum comparemus, fient 19, et pars octava. Major vero est pars octava parte septima decima. Major [b] igitur est proportio numerorum 17 ac 19 et octava quam ea quæ in 17 ac 19 et parte septima decima continetur, quæ sunt scilicet bis sesquiseptimædecimæ proportiones. Duæ igitur sesquiseptimædecimæ unum tonum non videntur implere. Non est igitur sesquiseptimadecima toni dimidium, quoniam quæ duplicata non [c] implet integrum non [d] continet dimidium. Semper enim dimidium duplicatum e cujus dimidium est coæquatur.

[a] 17. [b] *Non habetur.* [c] *Implent.* [d] *Tenent.*

Supersesquisextadecima proportio, Supersesquisextadecima proportio,




Totum hujns toni spatium ex duobus apotomis.



Tonus non integer ex duabus diesibus deficiens a tono integro commate.

Proportio sesquioctava tonum integrum ex diesi et apotome habens.
Tonus.



Supersesquisextadecima proportio. Proportio sesquioctava et $\frac{1}{8}$ non sesquiseptimadecima.

CAPUT II.


Ex sesquitertia proportione sublatis duobus tonis, toni dimidium non relinqui.

Jam vero si eos numeros disponamus qui de sesquitertia proportione duobus tonis retractis relinquuntur, in his considerare possumus utrum ea proportio quæ post duos tonos relinquitur, integri loco semitonii censeatur; quod si ita repertum, sit, illud quoque est comprobatum diatessaron consonantiam duobus tonis atque integro semitonio copulari. Erat igitur superius terminus primus 192. Ad hunc sesquitertiam proportionem tenebant 256. Sed ad primum terminum 216 faciunt tonum. Ad 216 rursus 243 toni obtinent locum. Est igitur quod relinquitur ex diatessaron tota proportione, ea scilicet habitudo quæ in 242 et 256 unitatibus constat. Hæc igitur si probatur integri toni esse dimidium, dubitari non potest diatessaron ex duobus tonis semitonioque [a] constare. Quoniam igitur demonstratum est toni dimidium inter sesquisextamdecimam et sesquiseptimamdecimam proportionem locari, ab hac comparatione etiam hæc proportio metienda est. Ne enim longius progrediamur, sumo ex 243 octam decimam partem, ea fit 13 et semis. Hanc si eisdem apposuero, fiunt 256 et semis. Apparet igitnr minorem proportionem esse 256 ad 243 sesquioctavadecima habitudine. Quod si dimidius tonus major quidem est in sesquisextadecima, minor vero in sesquiseptima decima proportione, sesquioctavadecima vero minor est sesquiseptimadecima habitudine, ducentorum vero 56 ad ducentos 43 comparatio, quæ scilicet relinquitur ex diatessaron duobus retractis tonis, minor est sesquioctavadecima : non est dubium quin hæc duorum numerorum proportio semitonio longissime diminutior sit.


CAPUT III.

Adversum Aristoxenum demonstrationes diatessaron consonantiam ex duobus tonis et semitonio non constare, nec diapason sex tonis.

Quod si (ut ait Aristoxenus) diatessaron consonantia ex duobus tonis semitonioque conjungitur, duæ diatessaron consonantiæ necessario quinque tonos efficient, et diapente ac diatessaron junctæ, sicut unum diapason jungunt, ita sex tonis continua proportione coæquantur. Et quoniam paulo ante sex disposuimus tonos, quorum minimus erat numerus 262144, ad hunc vero ultimus in sexto collocabatur tono numerus 531441, quintum vero retinebant tonum 472392, disponantur hoc modo :



Nunc igitur de minoribus numeris, id est quinque tonis, loquamur. Si ergo diatessaron duobus tonis ac semitonio, bis vero diatessaron quinque consisteret tonis, cum ex 262144 diatessaron intenderem, cumque de 472392 aliud diatessaron remitterem, idem inter utramque intentionem remissionemve numerus inveniretur. Id autem fit hoc modo : a numero qui est 262144 besse diatessaron intendo, id est sesquitertium, qui fit in 349525 et triente. Rursus de 472392 numeris remitto sesquitertiam proportionem, quæ sit in 354294, has igitur proportiones disponamus hoc modo, et sit primus quidem numerus A, secundus vero B, tertius C, quartus D.



Quoniam igitur A terminus ab D termino quinque remotus est toni, quoniamque diatessaron in duobus tonis ac semitonio jungitur, ut Aristoxenus arbitratur, unumque diatessaron, inter A atque B, aliud vero inter C atque B positum est, B et C terminos non oportet esse diversos, sed unos atque eosdem,


ut integre quinque toni ex duabus diatessaron consonantiis constare videantur. Nunc vero quoniam est differentia 4768 et besse, arguitur diatessaron minime tonis duobus ac semitonio conjungi.

CAPUT IV.


Diapason consonantiam a 6 tonis commate excedi, et qui sit minimus numerus commatis.

Sed hanc si quærimus [a] in integris numeris differentiam collocare, quoniam in ea parte quæ est besse pars tertia si addatur, plenam efficit unitatem, quæ pars tertia ejusdem besse dimidium est, si totius differentiæ dimidium eidem adjecero, quod est 2384 et triens sit omnis summa 7153. Quæ dudum commatis

A proportionem tenebat. Comma enim est quo sex toni superant diapason consonantiam, quod in primis 7153 unitatibus continetur. Ut igitur differentiæ dimidium proprium adjecimus, ut in 7153 excresceret, ita etiam cunctis A B C D terminis medietates proprias adjungamus, eadem erit in omnibus quæ supra proportio, fietque eadem inter quinque tonos ac bis diatessaron differentia quæ est inter sex tonos ac diapason consonantiam differentia, scilicet 7153 unitates. Unde colligitur quinque tonos bis diatessaron, et sex tonos unum diapason tamen commate superare. Quod in primis 7153 unitatibus [b] invenitur. Id autem patefaciet hæc subjecta descriptio :



Sex toni. — Excedent ergo sex toni diapason commate.



CAPUT V.


Quemadmodum Philolaus tonum dividat.

Philolaus vero Pythagoricus alio modo tonum dividere tentavit ; statuens scilicet primordium toni ab eo numero qui primus cubum a primo impari (quod maxime apud Pythagoricos honorabile fuit) efficeret. Nam cum ternarius numerus primus sit impar, tres tertio 9, atque id ter si duxeris, 27 necessario exsurgent

[a] *Non legitur* [b] *Invenietur.*

qui ad 24 numerum tono distat, eamdem ternarii differentiam servans. Ternarius enim 24 summæ octava pars est. Quæ eisdem addita primum a ternario cubum 20 ac 7 reddit. Ex hoc igitur Philolaus duas efficit partes : unam quæ dimidio sit major, eamque apotomen vocat ; reliquam quæ dimidio sit minor, eamque rursus diesim dicit, quam posteri semitonum minus appellavere· Herum vero differentiam comma ac primum diesim in 13 unitatibus constare arbitratur, eo quod [a] hoc inter 256 et 243 pervisa sit differentia. Quodque idem numerus, id est 13, ex novenario ternario atque unitate consistat, quæ unitas puncti obtineat locum. Ternarius vero primæ imparis lineæ. Novenarius primi imparis quadrati. Ex his igitur causis cum 13 diesim ponat, quod semitonium nuncupatur, reliquam 27 numeri partem quæ ex 14 unitatibus continetur, [b] apotome esse constituit. Sed quoniam inter 13 et 14 unitas differentiam facit, unitatem loco commatis censet esse ponendam, totum vero tonum in 27 unitatibus locat, eo quod inter 216 ac 243 qui inter se distant tono 27 sit differentia.

Toni divisio secundum Philolaum.



CAPUT VI.

Tonum ex duobus semitoniis ac commate constare.

Ex quibus facile apparet tonum duobus semitoniis minoribus et commate constare. Nam si totus tonus ex apotome constat ac semitonio, semitonium vero ab apotome differt commate ; nihil est aliud apotome nisi semitonium minus et comma. Si igitur duo semitonia minora de tono quis auferat, comma fit reliquum.

CAPUT VII.


Demonstratio, tonum duobus semitoniis commate distare.

Idem vero hoc quoque probabitur modo. Nam si diapason quinque tonis ac duobus minoribus semitoniis continetur, superantque sex toni diapason consonantiam uno commate, non est dubium quin tonis quinis ab utroque spatio sublatis fiant reliqua ex diapason quidem duo semitonia minora, de sex vero tonis tonus. Atque hic tonus hæc duo semitonia quæ relinquuntur [c] vincit commate. Quod si duobus eisdem semitoniis comma reponatur, æquabunt tonum ; constat igitur unum tonum duobus semitoniis minoribus et commati, quod in 7153 primis unitatibus invenitur, æquari.

CAPUT VIII.

De minoribus semitonii intervallis.

Philolaus igitur hæc atque his minora spatia talibus diffinitionibus includit. Diesis, inquit, est spatium quo major est sesquitertia proportio duobus tonis. Comma vero est spatium quo major est sesquioctava proportio duabus diesibus, id est duobus semitoniis minoribus. Schisma est dimidium commatis. Diaschisma vero dimidium dieseos, id est semitonii minoris. Ex quibus illud colligitur, quoniam tonus quidem dividitur principaliter in semitonium minus atque apotomen. Dividitur etiam in duo semitonia et comma, quo fit ut dividatur in quatuor diaschismata et comma. Integrum vero dimidium toni quod est semitonium, constat ex duobus diaschismatibus, [d] quod est unum semitonium minus, et schismate, quod est dimidium commatis. Quoniam [e] cum totus tonus ex duobus semitoniis minoribus et commate conjunctus est, si quis id integre dividere velit, faciet unum semitonium minus commatisque dimidium. Sed unum semitonium minus dividitur iu duo diachismata. Dimidium vero commatis unum schisma est. Recte igitur dictum est integre dimidium tonum in duo diaschismata atque unum schisma posse partiri. Quo fit ut integrum semitonium a minore semitonio uno schismate differre videatur, apotome autem a minore semitonio duobus schismatibus differt, differt enim commate ; sed duo schismata unum perficiunt comma.




[a] *Hæc.* [b] *Apotomen.* [c] *Vincet.* [d] *Non habetur.* [e] *Enim.*


CAPUT IX.

De toni partibus per consonantias sumendis.

Sed de his quidem hactenus. Nunc vero illud videtur esse dicendum, quemadmodum per consonantias musicas imperata possimus spatia nunc extendere, nunc vero remittere. Id autem [a] linealiter fiat, lineæque quas describimus vocis [b] accipiuntur loco. Sed sese jam ratio ipsa demonstret. Sit propositum toni spatium per consonantiam sumere, in acutum scilicet atque gravem. Sit sonus B, ab hoc intendo alium sonum qui diapente spatio ab eo quod est B distet ad eum qui est C. Ad hoc remitto diatessaron consonantiam ad id quod est D, et quoniam inter diapente ac diatessaron tonus differentiam facit, D B spatium tonus repertus est.




C Ad graviorem vero partem ita modulabimur tonum. Ab eo quod est B diatessaron intendo ad F, et ab F diapente remitto ad K. Erit K B tonus. Animadvertet igitur diligens lector ad D B quidem ad acutam partem effectum tonum, ad K B autem ad gravem.



Sit propositum minorem toni partem per consonantiam sumere in acutam partem atque gravem. Minor vero toni pars est spatium quo duos tonos diatessaron consonantia transcendit. Sit enim sonus A, intendo ab A diatessaron ad B. Rursus intendo ab B diatessaron ad C, ab C remitto diapente ad D. Tonus est igitur B D. Rursus ab D intendo diatessaron ad E. Remitto iterum ad E diapente ad F. Tonus est igitur D F. Duo igitur sunt toni B D, DF. Et erat B A integrum diatessaron. Erit igitur F A minor toni pars, quod semitonium nuncupatur.


a *Lineariter.* b *Accipiantur.* c *Si igitur tribus.* d *Qui.*

A




Ad graviorem vero partem hoc modo: sit sonus A, intendo duos tonos per consonantiam ad C, diatessaron vero ad G remitto ad K; erit igitur K A minor semitonii pars, quod oportebat efficere.


B



Si [c] ergo a tribus tonis diatessaron auferamus, apotome fit reliqua. Sint enim tres toni A B, B C, C D; ab his auferatur A E diatessaron. Erit igitur E C semitonium minus; apotome igitur est E D.



Hanc igitur apotomen si sit commodum sic sumemus. Ac primum quidem ad acutum intendo tres tonos, ab A eos qui sunt ad B, et ab eo [d] quod est B ad C diatessaron consonantiam remitto, fit C A apotome reliqua. D



Quod si idem spatium ad gravem sonum velimus efficere, fit hoc modo: sit sonus A, intende semitonium

minus, id quod est A D, remitto ad D tonum qui est D E. Erit igitur E A ea quam requirimus apotome.

Sit propositum [a] in acutam partem comma sumere, fit sonus A; intendo apotomen A B, remitto semitonium minus B C, et quoniam semitonium apotome minus est commate, comma erit C A.

Rursus ad gravem partem hoc modo intendo : ab A sono semitonium minus, id quod est A D, ad D vero remitto apotomen, id quod est D E. Erit igitur comma C A.

CAPUT X.

Regula sumendi semitonii.

Oportet vero has omnes consonantias rite esse animo atque auribus notas; frustra enim hæc ratione et scientia colliguntur; nisi fuerint usu atque exercitatione notissima. Ut vero id quod institutione musicæ adorsi sumus non mox auribus, quod jam provectorum in musica est, sed ratione interim censeatur, unum dabimus exemplum inveniendi spatii, quod videtur esse paulo difficilius, scilicet semitonii minoris, ut in utramque partem, acutam scilicet atque gravem, rato possit ordine reperiri. Sit diatessaron A B : oportet igitur circa A B [b] consonam minus semitonium ad graviorem partem acutioremque deducere. Intendo igitur B C diatessaron. Remitto rursus diapente C D. Erit igitur tonus B D; diatessaron enim consonantia a diapente consonantia tono superatur, et C B spatium ab C D spatio B D spatio transcenditur. Rursus intendo diatessaron D E, remitto autem diapente E F. Tonus est igitur D F. Sed D B tonus erat. Semitonium igitur minus est A F, quod, substractis duobus tonis F D, B D ab A B diatessaron

A spatio relinquitur. Rursus remitto diatessaron A G, intendo diapente G H. Erit igitur A H tonus. Sed erat A F semitonium. Erit igitur F H apotome. Rursus remitto diatessaron A K, intendo diapente K L : tonus igitur est H L. Erat autem tonus H A. Semitonium igitur minus est L B. Sed erat tonus B D. Erit igitur I D apotome. Rursus intendo diatessaron F M. Semitonium igitur est B M. Remitto diatessaron L N; semitonium igitur est N A. Per consonantiam igitur sumpta sunt circa A B diatessaron, dua semitonia, B M quidem ad acutum; N A vero ad gravem partem; totumque M N minus est quam diapente. Constat enim ex quinque semitoniis, et apotome geminata ex duobus igitur tonis et tribus semitoniis minoribus; et quoniam duo semitonia unum tonum implere nequeunt, sed relinquitur comma, totum M N spatium minus est spatio diapente consonantiæ uno commate. Quod facillime diligens lector [c] intelliget.

Sed quoniam paululum de commatis ratione prædiximus, non est diffugiendum et in quali proportione idem ipsum comma contineatur ostendere. Est enim comma quod ultimum comprehendere possit auditus, dicendumque est semitonium minus ac semitonium majus, quantis silligatim commatibus constare videantur. Ipse quoque tonus quantis rursus commatibus [d] conjungitur. Ac primum hinc conveniens sumatur initium.


CAPUT XI.

Demonstratio, Archytæ superparticularem in æqua dividi non posse, ejusque reprehensio.

Superparticularis proportio scindi in æqua medio proportionaliter interposito numero non potest. Id vero posterius firmiter demonstrabitur. Quam enim demonstrationem ponit Archytas, nimium fluxa est. Hæc vero est hujusmodi : Sit, inquit, superparticularis proportio A B. Sumo in eadem proportione minimos C E. Quoniam igitur sunt minimi in eadem

[a] *Ad.* [b] *Consonantiam.* [c] *Intelligit.* [d] *Conjungatur.*

proportione C E, et sunt superparticulares, E numerus C numerum parte [a] una sua ejusque transcendit. Sit autem hæc D. Dico quoniam D non erit numerus, sed unitas. Si enim est numerus D et pars ejus est qui est E, [b] metietur D numerus E numerum. Quocirca et E numerum metietur. Quo fit ut C quoque metiatur, utrumque igitur C et E numeros metietur D numerus, quod est impossibile. Qui enim sunt minimi in eadem proportione quibuslibet aliis numeris, hi primi ad se invicem sunt, et solam differentiam retinent [c] unitatem ; unitas igitur est D : igitur E numerus C numerum unitate transcendit. Quocirca nullus incidet [d] medius numerus, qui eam proportionem æqualiter scindat. Quo fit ut nec inter eos qui eamdem his proportionem tenent, medius possit numerus collocari, qui eamdem proportionem æqualiter scindat.



Et secundum Archytæ quidem rationem idcirco in superparticulari nullus medius terminus cadit, qui æqualiter dividat proportionem, quoniam minimi in eadem proportione sola differunt unitate. Quasi vero non etiam in multiplici proportione minimi eamdem unitatis differentiam sortiantur. Cum plures videamus esse multiplices præter eos qui in radicibus collocati sunt, inter quos medius terminus scindens æqualiter eamdem proportionem possit aptari. Sed hæc qui arithmeticos nostros diligenter inspexerit, facilius intelliget. Addendum vero est id ita evenire, ut Archytas putat, in sola superparticulari proportione. Non autem universaliter est dicendum. Nunc [e] autem ad sequentia convertamur.


CAPUT XII.

In qua numerorum proportione sit comma, et quoniam in ea quæ major sit quam 75 *ad* 74, *minor quam* 74 *ad* 73.

Primum igitur dico quoniam hi numeri qui comma continent majorem inter se retinent proportionem quam 75 ad 74, minorem quam 74 ad 73. Id vero ita demonstrabitur : ac primo quidem illud reminiscendum est, quod sex toni diapason commate transcendunt. Sit igitur A quidem 262144, B autem diapason ad eum contineat consonantiam in duplici scilicet constituta 524288, C vero sex tonis ab A numero discedat et sit 531441. Quæ omnia ex secundi voluminis tonorum dispositione sunt colligenda. Inter B igitur

A atque C commatis proportio continetur. Aufero igitur numerum de numero C, et relinquit D in 7153 unitatibus collocatus. [f] Quid numerus minor D est quam sit septuagesima tertia pars B numeri, major vero [g] est quam septuagesima quarta sit. Nam si eumdem D numerum, qui est in 7153, septuagies ter multiplicem [h] fiet mihi E numerus in 522169 unitatibus constitutus. Si [i] eum septuagies quater multiplicem, fit numerus F 529322. Quorum quidem E, qui per septuaginta tres auctus est, minor est B numero ; F autem qui per 74, major est B numero. Recte igitur dictum est D, ejus quod est B, minorem quidem esse quam septuagesimam tertiam partem, majorem vero quam septuagesimam quartam. Quodcirca et C numerus B numerum [j] minore quidem parte ejus quod est

B B eumdem B superat, quam septuagesima tertia, majore vero quam septuagesima quarta. Ejus igitur quod est C proportio ad id quod est B major quidem est quam 75 ad 74, minor vero quam 74 ad 73. Nam in priore unitas septuagesima quarta est minoris, in posteriore vero eadem unitas septuagesima tertia.




C Idem aliter explicandum, illo prius præsumpto, quod si cui proportioni propria numerorum differentia æqualiter augeatur, minor inter eos qui post additionem fiunt proportio continebitur quam inter priores qui ante additionem illam quadam proportione distabant. Ut sex et quatuor si utrisque binarius, quæ est differentia sua apponatur, fient 8 et 6, sed inter 6 et 4 sesquialtera, inter 8 et 6 sesquitertia proportio

D continetur, minor vero est proportio sesquitertia sesquialtera proportione ; hoc igitur ita prædicto, disponantur superiores numeri qui proportionem commatis continebant, id est 531441, et sit A. Sit etiam B 524288 ; horum differentia sit C 7153 ; C igitur numerus majorem numerum [k] eo qui est A septuagies quinquies metiatur. Si igitur C numerum A septuagies quinquies multiplices, fiet mihi D qui est 536475. Igitur D numerus eum qui est A, numero eo qui est E antecedit, id est 5034. Rursus C numerus eum qui est B metiatur septuagies quater [l] multipliceturque, fiet igitur numerus F 529322. Qui F eo qui est B

[a] *Non habetur.* [b] *Metiiur.* [c] *Unitate.* [d] *Non habet* [e] *Non habetur.* [f] *Qui.* [g] *Non habetur.* [h] *Fit.* [i] *Enim.* [j] *Minorem.* [k] *Non habetur.* [l] *Multiplicetque.*


major est eodem E numero qui est 5034. Ergo D numerus eum qui est A transcendit E numero, B autem numerus ab eo qui est F vincitur eodem E numero. Si igitur A numero eumdem E apponamus, fiet D. Si vero B numero eumdem E apponamus, fiet F. Sed D numerus septuagies quinquies auctus est, per C scilicet multiplicatum. F autem septuagies quater multiplicato C crevit; obtinent igitur inter se proportionem D atque F quam habent 75 ad 74. Sed D atque F sunt A atque B uno eis addito E, majorem igitur [a] necessarie est proportionem contineri inter A atque B quam inter D atque F. Namque A atque B numerus, uno E addito, effecti sunt D atque F. Minor igitur proportio est inter D atque F quam inter A atque B. Sed inter D atque F eadem proportio est quæ inter 75 et 74. Inter A igitur atque B major proportio est quam inter 75 et 74. [b] Ac A atque B comma continent. Major igitur proportio est commatis quam 75 atque 74.



Quoniam igitur ostendimus commatis proportionem majorem esse quam eam quam 75 continent ad 74 comparati; nunc ostendendum est quemadmodum minorem inter se proportionem contineant numeri spatium commatis continentes, quam 74 ad 73 comparati. Id vero [c] monstrabitur hoc modo: reminiscendum prius est quod secundo volumine dixerimus, cum de mensura differentiæ loquebamur. Si enim ex qualibet proportione differentiam eorum numerorum, qui eam continent, auferamus, hi qui relinquuntur majorem obtinebunt proportionem his numeris qui erant ante differentiæ diminutionem. Sint enim 8 et 6. Ab his propriam aufero differentiam, id est 2, fiunt 6 et 4. Sed in superioribus sesquitertia, in hac sesquialtera proportio continetur. Major vero est sesquialtera proportio sesquitertia proportione. Sint igitur iidem A atque B. Qui sunt superius descripti, quorum est differentia C. Multiplico differentiam C numeri septuagies quater, sit mihi numerus, F, scilicet 529322. Qui A numero comparatus vincitur numero G, scilicet 2119. Rursus idem

A C multiplicetur septuagies ter, efficiet numerum K, id est 522169. Qui comparatus B numero vincitur eodem G, scilicet 2119. Sublato igitur G de numeris A atque B, effecti sunt F atque K. Minorem igitur proportionem retinebit A atque B quam F atque K. Sed F atque K eam retinent proportionem quam 74 ad 73, hi enim multiplicato C effecti sunt. Minor est igitur proportio A atque B numerorum comma continentium quam 74 ad 73. Sed paulo ante monstratum est eamdem commatis proportionem majorem esse quam 75 ad 74. Monstrati sunt igitur numeri qui comma continent, majorem quidem inter se habere proportionem quam 75 ad 74, minorem vero quam 74 ad 75, quod oportebat ostendere.

B




C

CAPUT XIII.


Quod semitonium minus majus quidem sit quam 20 *ad* 19, *minus quam* 19 1/2 *ad* 18 1/2.

Quod si ad semitonium minus talis speculatio convertatur, ejus quoque proportionem facillime reperiemus. Quæ constat inter 256 et 243. Sit igitur 256 A, 243 B, horum differentia 13 C. Dico quoniam A ad B minorem retinet proportionem quam 19 1/2 ad 18 1/2; metiatur enim C 19 semis, id quod est A fiunt 253 1/2 quod sit D, qui scilicet comparatus ad A, eo-
D dem A duobus semisque transcenditur. Sitque hæc differentia F, scilicet et 1/2, rursus eadem C differentia B numerum metiatur octies decies semis, fient 249 quod sit E. Igitur E comparatus ad B eodem F transcenditur, id est duobus et semis. D igitur ab eo quod est A, et rursus E ab eo quod est B, eadem F differentia sunt minores. Subtracto igitur F ab eo quod est A atque B, facti sunt D atque E. Majorem igitur proportionem tenent inter se D atque E, quam A atque B. Sed D atque E eamdem retinent proportionem inter se quam 19 1/2 ad 18 1/2. A igitur ad B minorem retinet proportionem quam 19 1/2 ad 18 1/2, quod oportebat ostendere.

a *Necesse.* b *Al.* † *Minor proportio* 74 *ad* 73. c *Demonstrabitur.* * *Major* 75 *ad* 74.



Videtur tamen eadem proportio 256 ad 243 major esse ab ea quam continent 20 et 19. Sint enim A B C idem qui superius descripti sunt. Metiatur igitur C differentia A terminum vigies, fient 260, qui [a] sunt D, qui comparati ad id quod est A eumdem quaternario transcendunt, hic sit F. Rursus idem C metiatur B decies novies, fient 247, hic sit E, qui comparati ad B eodem F transcendunt. D igitur numerus, A numerum, et E numerus numerum B, eodem F transcendunt. Adjecto igitur F his qui sunt A atque B, facti sunt D atque E. Major igitur est proportio eorum qui sunt A atque B, quam eorum qui sunt D atque E. Sed D atque E vigies atque decies novies multiplicatus, C numerum efficit. Major igitur est proportio eorum qui sunt A atque B, qui scilicet semitonium continent, quam ea quæ est 20 ad 19. Demonstratum igitur est semitonium minus majorem quidem habere proportionem quam 20 ad 16, minorem vero quam 19 1/2 ad 18 1/2. Nunc idem minus semitonium commati comparemus quod est ultimum, auditui subjacens ultimaque proportio.



CAPUT XIV.

Semitonium minus majus quidem esse tribus commatibus, minus vero quatuor.

Igitur demonstrandum proponimus semitonium


A minus, majus quidem esse commatibus tribus, minus vero quatuor, quod hinc facillime possis agnoscere. Sint tres numeri ita dispositi, ut inter se proportionem contineant diapason, et eam quæ dicitur sex tonorum. Sint enim A 262144. Intendantur igitur ab B quidem quinque toni continui, et sit B. 472392; ad C autem diapason consonantia referatur, et sit C 524288. Ad D autem sex toni intendantur, sitque D 531441. His ita dispositis et constitutis, manifestum est inter C atque D comma constitui, eorumque differentiam esse 7153; id autem sit K, remittantur igitur duo toni ab eo quod est B, ad id quod est E, et sit E 373248. Rursus ab eo quod est E intendo diatessaron ad id quo est F 497664. Quoniam igitur inter E atque B duo sunt toni, inter E atque F dia-

B tessaron, inter B igitur atque F minus semitonium reperitur. Sublatis enim [b] a diatessaron consonantia duobus tonis, fit reliquum semitonium minus, quod in primis numeris constare prædixi 256 et 243. Quos eosdem numeros si millies noningenties quadragies quaterque multiplices B atque F, numeros explicabis. Quos [c] necessarie est eamdem proportionem superius dictis numeris continere, qui uno atque eodem numero, id est 1944 pariter multiplicati crevere. Item ab eo quod est F. intendo diatessaron, scilicet ad G, et sit G 663552. Rursus ab eodem G remitto ad P duos tonos, et fit P 524288. Quod P [d] necessarie est, ut eumdem sonum quem C numerus exhibeat. Ad æqualitatem namque ejus tali ratione progressus est. Etenim ea quæ est A C diapason consonantia,

C quæ constat quinque tonis ac duobus semitoniis minoribus, ab 6 tonis commate superatur. Ab eodem igitur A termino numerus P, quinque tonis ac semitoniis duobus recessit hoc modo. Ab eo quod est A usque ad id quod est B quinque nimirum colliguntur toni; ab eo autem quod est B usque ad id quod est F minus esse semitonium pernotatur, F vero atque P, idem rursus semitonium minus includunt. A igitur usque ad P quinque tonos ac duo semitonia minora produxit. Jure igitur P atque C eisdem numeris conscribuntur. Sed quoniam inter F atque C semitonium minus est, videamus hæc quæ sit eorum differentia, ut eam commati comparemus. Est autem eorum differentia 26624, et sit hæc M. Igitur K commatis differentia est, M. autem semitonii minoris. Si igitur K

D numerum tertio auxerimus, fiet numerus 21459. Et sit hic L. Si vero quater eumdem numerum K multiplicare voluerimus, fient 28612, et sit hoc N. Igitur M major quidem est ab L; idem autem M minor est ab N. Sed N quater aucto commate succrevit; L autem tertio, M vero semitonii minoris obtinet differentiam. Jure igitur dictum est minus semitonium minus quidem esse quam quatuor commata, majus vero quam tria.

† *Major alias.* [a] *Sit.* † *Minor alias.* [b] *De.* [c] *Necesse.* [d] *Necesse*



CAPUT XV.

Apotome majorem esse quam 4 commata, minoem quam 5. Tonum majorem quam 8, minorem quam 9.

Eadem hac ratione et semitonium majus quod apotomen dici supra retulimus, quot commatum sit possumus invenire hoc modo : Sit A 262144. Quinque vero ab eo distans tonis sit B 472392. Sex vero distans tonis ab eo quod est A, sit D, scilicet 531441, inter B igitur atque D tonus est ; B vero ab eo quod est C distat per semitonium minus, et sit C. 497664. Relinquitur ergo inter C atque D apotome proportio. Nam cum sit tonus B D, ex eo si auferas B C semitonium minus, CD relinquitur majus, quod apotomen esse supra retulimus, inter D igitur atque C est differentia 33777 ; hæc autem sit E, sed erat commatis differentia 7153, hæc sit F. Si igitur F, id quod est comma, quinquies multiplicem, fient mihi 35765, et sit hoc G. Si vero idem F quater multiplicem, fit K numerus qui est 28612. G igitur ab eo quod est E majus est, K minus. Sed G quinquies auctum est comma. K vero quater, F autem apotomes differentia est. Jure igitur dictum est apotomen minorem quidem esse quam quinque commata, majorem vero quam quatuor ; ex hoc igitur comprobatur tonum majorem quidem esse quam sunt octo commata, minorem vero quam novem. Nam si minus semitonium, majus quidem est quam tria commata, minus vero quam quatuor, apotome autem major quidem est quam quatuor commata, minor vero quam quinque junctum semitonium minus semitonio majori, quod est apotome, erit omne majus quidem 8 commatibus, minus vero quam 9 ; sed apotome atque semitonium minus unum efficiunt tonum. Tonus igitur major quidem est 8 commatibus, minor vero 9.


A

CAPUT XVI.

Superius dictorum per numeros demonstratio.

Sed quanquam per hanc [a] rationem demonstratum est quemadmodum tonus commatibus comparetur, non est tamen quasi segnibus delassandum, quo minus per se hanc contra commata comparationem retinere tonus ipse monstretur. Sit igitur A quidem 262144, B autem quinque ab eo distans tonis 472392. C vero diapason ad id quod est A continens symphoniam, scilicet in [b] numeris 524288 ; D autem ab eo quod est A, sex totos differens tonos [c] 531451. D igitur ab eo quod est C distat commate, sex toni scilicet ab diapason consonantia. Id autem sit E 7153. D autem ab eo quod est B tono integerrimo distat, 6 toni scilicet quinque tonis, id autem sit [d] F 590049.
B
Si igitur E novies auxero, fiet mihi H 64377. Sin vero octies, fient 57224, id sit G. Sed H quidem F numero comparatus superat, G vero superatur, et est F toni differentia. H autem novies multiplicatum comma, G vero octies. Demonstratus est igitur tonus minor quidem 900 esse commatibus, eisdem vero octo commatibus major.


C



Ita his prmissis licet majus semitonium minore semitonio commate distare monstratum sit, tamen idem quoque per se et per subjectos numeros tali ratione probabitur. Sit A numerus 497664, ab eo vero semitonium minus distans sit B numerus, qui jam

[a] *Ratiocinationem.* [b] *Non habetur.* [c] 441. [d] F 59049.


supra quoque descriptus est 524288. Apotome vero distat ab eo quod est A. Is numerus, qui colligitur unitatibus 531441, et sit [a] hoc C. Quoniam igitur A B minus semitonium, A C majus, differentia ejus quod est B ab eo quod est C perquirenda est. Ea est 70153, id sit D. Sed hic numerus dudum comma monstrabat; inter majus igitur semitonium ac minus comma differentiam facit.



B

Rursus demonstrandum propono tonum duobus semitoniis minoribus solo commate esse majorem. Sit A numerus 472392. Ab hoc intendatur tonus 531441, et sit hoc D ab eo vero quod est A intendatur semitonium minus, quod est B, ac sit B 497664. Item ab eo quod est B semitonium aliud intendatur minus, quod est C, et sit C 524288. Quoniam igitur A D tonus est, A C vero duo continent minora semitonia: videamus

A quæ sit differentia inter C atque D numeros constituta. Est autem E, scilicet unitatem 7153. Demonstratum est igitur tonum duobus semitoniis minoribus commate esse majorem,



Sed quoniam omnia jam quæ probanda promisimus propria ratione monstrata sunt, nunc quod superest musicæ institutioni, regularis monochordi facienda est partitio. Quam rem quoniam longior tractatus extendit, in posterioris commentarii disputationem censuimus transferendam.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Vocum differentias in quantitate consistere.

Etsi omnia quæ demonstranda erant superioris libri tractatione digessimus, non pœnitet tamen rursus eadem breviter memoriæ recolligenda præstare cum quadam diversitate tractatus, ut his rursus ad memoriam redeuntibus ad regulæ divisionem, quo tota tendit intentio, veniamus. Si foret rerum omnium quies, nullus auditum sonus feriret. Id autem fieret, quoniam cessantibus cunctis motibus nullæ inter se res pulsum cierent: ut igitur sit vox, pulsu est opus. Sed u sit pulsus, motus necesse est antecedat. Ut ergo sit vox, motum esse necesse est. Sed omnis motus habet in se tum velocitatem, tum etiam tarditatem. Si igitur sit tardus in pellendo motus, gravior redditur sonus. Nam ut tarditas proxima stationis est, ita gravitas contigua taciturnitati. Velox vero motus acutam voculam præstat. Præterea, quæ gravis est, intensione decrescit ad medium. Quæ vero acuta, remissione decrescit ad medium. Unde fit ut omnis sonus quasi ex quibusdam partibus compositus esse videatur. Omnis autem partium conjunctio quadam proportione committitur. Sonorum igitur conjunctio proportionibus constituta est. Proportiones autem principaliter in numeris considerantur, proportio vero simplex numerorum vel in multiplicibus, vel in superparticularibus, vel in superpartientibus invenitur. Secundum vero multiplices proportiones, vel superparticulares, consonæ vel


C dissonæ voces exaudiuntur. Consonæ quidem sunt quæ simul pulsæ suavem permixtum inter se conjungunt sonum; dissonæ vero quæ simul pulsæ non reddunt suavem neque permixtum sonum. His igitur ita prædictis, de proportionibus pauca dicamus.

CAPUT II.


Diversæ de intervallis speculationes.

Si intervallum multiplex binario multiplicetur, id quod fit ex hac multiplicatione intervallum, multiplex est. Sit multiplex intervallum B C, et B multiplex ejus quod est C, et fiat ut est C ad B, ita B ad D. Quoniam igitur B multiplex est, ejus quod est C metitur C terminus, id quod est B, vel bis, vel tertio,
D vel deinceps, et est ut C ad B, ita B ad D. Metitur igitur B terminus id quod est D. Quocirca quia C terminus id quod est B metitur, metietur etiam D. Multiplex est igitur D ejus quod est C, et est C D intervallum, effectum ex composito bis copulatoque sibimet et per binarium multiplicato B C intervallo. In numeris quoque idem probatur. Sit enim B ad C duplum, ut binarius ad unitatem, et fiat ut C ad B, ita B ad D. Erit igitur D quaternarius. Multiplex est autem B ad C, id est binarius ad unitatem. Multiplex est D ad B. id est quaternarius ab binarium. Multiplex est igitur D quaternarius ad C unitatem. Est autem quadruplus quaternarius unitatis, et binario multiplicata medietas quod est intervallum B C.

[a] *Hic.*




Si intervallum binario multiplicatum, multiplex effecerit, intervallum ipsum quoque multiplex erit. Sit intervallum B C, et fiat ut C ad B, ita ad D, et D sit ad C multiplex, Dico quia B ejus quod est C multiplex est. Quoniam enim D ejus quod est D multiplex est, metietur C id quod est D, metietur et B. Ostensum est vero quoniam [a] si sint termini proportionaliter constituti, cum primus fuerit ultimo comparatus, si primus ultimum fuerit mensus, metietur et medium. C igitur metietur id quod est B. Multiplex est igitur B ejus quod est C. Id rursus ex numeris, sit C unitas, D vero ex duplicata proportione, B C sit quaternarius, et est multiplex ejus quod est C. Est enim quadruplus. Quoniam igitur quadruplus ex duplicata B C proportione generatur, B C proportio dimidium ejus erit, igitur B C proportio dupla est. Sed duplum multiplex est : erit igitur B C proportio multiplex.



Superparticularis intervalli medius numerus, neque unus, neque plures proportionaliter intervenient. Sit enim B C proportio superparticularis, et in eadem proportione minimi sint D F et G. Quoniam D F et G minimi sunt in eadem proportione, sunt ejusdem proportionis primi. Quo [b] circa eos unitas metietur. Auferatur igitur G ab D F et relinquatur D, hic est igitur utrorumque mensura communis : hæc igitur erit unitas. Quocirca nullus inter F D atque G incidet numerus, qui sit ab F D quidem minor, major vero ab G. Sola enim interest unitas, quanti vero in superparticularibus proportionibus proportionaliter inter ejusdem proportionis minimos [c] intercident, tot etiam inter cæteros ejusdem proportionis incident. Sed nullus inter F D atque G minimos ejusdem proportionis intervenire potest. Nullus igitur inter B atque C proportionaliter cadet, et in numeris sit quælibet superparticularis proportio, ut sesquialtera ; hi vero sunt 10 et 15, in eadem vero proportione minimi 2 et 3, aufero de 3 binarium ; fit reliqua unitas, [d] eadem utrosque metitur. Nullus erit igitur inter binarium ternariumque numerus, qui sit binario major, minor vero ternario. Alioquin unitas dividetur, quod est inconveniens. Quare ne inter 10 quidem atque 15 quisquam invenietur numerus qui talem ad 10 obtineat proportionem qualem ad eum tenent 15.




Si intervallum [e] non multiplex binario multiplicetur, id quod fit ex hac multiplicatione nec multiplex est nec superparticulare. Sit enim intervallum non multiplex B C, et fiat ut C ad B, sic B ad D. Dico quoniam E ejus quod est C, neque multiplex est, neque superparticularis. Sit enim, si fieri potest, primum D ejus quod est C multiplex, et quoniam cognitum est. Si intervallum binario multiplicatum sit, et multiplex intervallum creatum, id quod multiplicatum est bis intervallum esse multiplex. Erit igitur B C multiplex, sed non est positum. Non igitur erit D ejus quod est C multiplex, nec vero superparticulare. Nam superparticularis proportionis medius proportionaliter terminus nullus intervenit. Inter D vero et B est proportionaliter terminus constitutus, id est B. Nam ut est C ad B, ita B ad D ; impossibile igitur erit D ejus quod est C, vel multiplicem esse. vel superparticularem, quod oportebat ostendere. Et in numeris sit non multiplex intervallum 6 ad 6, fiatque ut sunt 4 ad 6, ita sex ad alium quemlibet numerum. Hic erit igitur novenarius, qui quaternarii neque multiplex neque superparticularis est.




Si intervallum binario multiplicetur, atque id quod ex ea multiplicatione creabitur multiplex non fit, ipsum quoque non erit multiplex. Sit enim intervallum B C, fiatque ut C ad B, ita B ad D, et non fit D

[a] *Si sint proportionaliter numeri.* [b] *Sola.* [c] *Incident.* [d] *Eadem quæ utrosque.* [e] *In vetusto codice non est.*


ejus quod est C multiplex. Dico quoniam nec B ejus A quod est C erit multiplex. Si enim est et D ejus quod est C, est multiplex. At non est, non erit igitur B ejus quod est C multiplex.




Duplex intervallum ex duobus maximis superparticularibus, conjungitur sesquialtero et sesquitertio. Sit enim A quidem ejus quod est B sesquialter, B vero ejus quod est C sesquitertius. Dico quoniam A ejus quod est C duplex est. Quoniam igitur sesquialter est A ejus quod est B, igitur A habet in se totum B ejusque dimidium. Duo igitur A æqui sunt tribus B. Rursus quoniam B ejus quod est C sesquitertius est, [a] B igitur habet C, et ejus tertiam partem. Tres igitur B æqui sunt ad quatuor C. Tres autem B æqui erant duobus A. Duo igitur A æqui sunt ad quatuor C; unus igitur A æquus est duobus C. Duplex erit igitur A C ejus qui est C, et in numeris. Sit enim sesquialter 12 ad 8, sesquitertius vero 8 ad 6 : ergo 12 ad 6 duplices sunt.



Ex duplici intervallo atque sesquialtero triplex nascitur intervallum. Sit enim A ejus quod est B duplex, B autem ejus quod est C sesquialter. Dico quoniam A ejus quod est C triplex est. Nam quoniam A ejus quod est B duplex est, A igitur æquus est duobus B. Rursus quoniam B ejus quod est C sesquialter est, B igitur habet in se totum C et ejus dimidiam partem. Duo igitur B æqui sunt tribus C. Sed duo B æqui erant uni A, et unus igitur A æquus est tribus C; igitur A uno C triplex est. Et in numeris sit duplex quidem senarius ternario, sesquialter vero ternarius, binario. Senarius igitur triplex est binario.




Si sesquialtero intervallo sesquitertium demptum fuerit intervallum, erit quod relinquitur sesquiocta-
B vum. Sit enim A quidem ejus quod est B sesquialter, at vero C ejus quod est B sesquitertius : dico quoniam A ejus quod est C sesquioctavus est. Quoniam enim A ejus quod est B sesquialter est, A igitur habet in se B et ejus dimidiam partem. Octo igitur A æqui sunt ad duodecim B. Rursus quoniam C ejus quod est B sesquitertius est, C igitur habet in se B et tertiam ejus partem. Novem igitur C æqui sunt ad duodecim B. Duodecim B æqui erant ad octo A; et octo igitur A æqui sunt ad novem C. Igitur A æquus est ei quod est C, et octavæ ejus parti. A igitur ejus quod est C sesquioctavus est. Et in numeris sesquialterum quidem intervallum sit novenarius ad senarium, sesquitertium vero octonarius ad senarium. Novem igitur ad octo sesquioctava proportio est.



Sex proportiones sesquioctavæ majores sunt uno duplici intervallo. Sit enim quidem numerus A, hujus
D autem sit sesquioctavus B, [b] hujus sesquioctavus C, et hujus sesquioctavus D, et hujus sesquioctavus F, ejusque sesquioctavus G, atque hujus sesquioctavus K. Id autem fiat secundum descriptum in Arithmetica modum, et sint numeri A B C D F G K, et sit A 262144, hujus autem sesquioctavus qui est B 294912, hujus autem sesquioctavus qui est C 331776, hujus autem sesquioctavus qui est D 373248, hujus autem sesquioctavus qui est F 419904, hujus autem sesquioctavus qui est G 472392, hujus autem sesquioctavus qui est K 531441. Et sunt 531441 quod est K, plus quam duplices [c] ad ducenta 60 duo millia 144 quod est A. Sex igitur sesquioctavæ proportiones ampliores sunt uno duplici intervallo.

[a] B *igitur habet in se totum.* [b] *Hujus autem.* [c] A *ducentis sexaginta duobus millibus* 144. *Sed hæc lectio nan placet Glareano.*



CAPUT III.

Musicarum per Græcas ac Latinas litteras notarum nuncupatio.

Restat quoniam sumus nervum secundum prædictas consonantias per regulam divisuri, quoniamque necessarios sonos tribus generibus cantilenæ exhibebit ista partitio, musicas interim notas apponere, ut cum divisam lineam iisdem notulis signaverimus, quod unicuique sit nomen, facillime possit agnosci. Veteres enim musici propter compendium scriptionis, ne integra semper nomina necesse esset apponere, excogitavere notulas quasdam quibus nervorum vocabula notarentur, easque per genera modosque divisere, simul etiam hac brevitate captantes, ut si quando melos aliquod musicus voluisset ascribere, super versum rhythmica metri compositione distentum, has sonorum notulas ascriberet, ita miro modo reperientes, ut non tantum carminum verba, quæ litteris explicarentur, sed melos quoque ipsum, quod his notulis signaretur, in memoriam posteritatemque duraret. Sed ex his omnibus modis unum interim Lydium ejusque notulas per tria genera disponamus, in reliquis modis idem facere in tempus aliud differentes. Sane si quando dispositionem notarum Græcarum litterarum nuncupatione descripsero, lector nulla novitate turbetur. Græcis enim litteris [b] fiunt in quamlibet partem imminutis, nunc etiam inflexis, tota hæc notarum descriptio constituta est. Nos vero cavemus aliquid ab antiquitatis auctoritate transvertere. Erunt igitur priores ac superiores notulæ dictionis, id est verborum, secundæ vero atque inferiores percussionis. Proslambanomenos qui acquisitus dici potest, Z non integrum et tau jacens. Hypate hypaton, quæ est principalis principalium, L conversum et Γ rectum. Parhypate hypaton, id est subprincipalis principalium, B non integrum, et Γ supinum. Hypaton enharmonios, quæ est [c] principalium enharmonios, V supinum, et Γ conver-

A sum, retro habens virgulam. Hypate chromaticæ, quæ est principalium extenta, V supinum habens lineam et Γ conversum duas habens lineas. Hypaton diatonos, quæ est principalium extenta, Φ Græcum et digammon ΦF. Hypate meson, quæ est principalis mediarum, C et C. Parhypate meson, quæ est subprincipalis mediarum, P et C supinum. Meson enharmonios, quæ est mediarum enharmonios, Π Græcum C et C conversum. Meson chromaticæ, quæ est mediarum chromatica, Π Græcum habens virgulam, et C conversum per medium habens virgulam C. Meson diatonos, quæ est mediarum extenta, M Græcum Π Græcum diductum. Mese, quæ est media. I et A jacens. Trite synemmenon,

B quæ est tertia conjunctarum, Φ et Λ supinum. Synemmenon enharmonios, quæ est conjunctarum enharmonios, H Græcum et Λ jacens conversum per medium habens virgulam. Synemmenon chromaticæ, quæ est conjunctarum chromatica H Græcum habens virgulam, et Λ conversum habens virgulam. Synemmenon diatonos, quæ est conjunctarum extenta L et N. Nete synemmenon, quæ est ultima conjunctarum, M quadratum supinum et Z. Paramese, quæ est sub media, Z et Π Græcum jacens. Trite diezeugmenon, quæ tertia divisarum est, E quadratum et Π Græcum supinum. Die-

C zeugmenon enharmonios, quæ est divisarum enharmonios, Δ et Π Græcum jacens conversum. Diezeugmenon chromaticæ, quæ est divisarum chromatica, Δ habens virgulam et Π Græcum jacens conversum, habens lineam angularem. Diezeugmenon diatonos, quæ est divisarum diatonos, Ω quadratum supinum et. Nete diezeugmenon, quæ est ultima divisarum, Φ jacens et N inversum diductum. Trite hyperboleon, quæ est tertia excellentium, Γ deorsum respiciens dextrum et semi Δ sinistrum sursum respiciens. Hyperboleon enharmonios, quæ est excellentium enharmonios T supinum et semi A dextrum supinum. Hyperboleon chromaticæ, quæ est

D excellentium chromatica, T supinum habens lineam et semi A dextrum supinum habens retro lineam. Hyperboleon diatonos, quæ est excellentium extenta, M Græcum habens acutam et Π diductum habens acutam. Nete hyperboleon, I habens acutam, et A jacens habens auctam.

[a] *Descriptio.* [b] *Non habetur.* [c] *Principalis principalium.*

Z	Proslambanomenos.[a]	M Γ	Lychanos meson diatonos.	Δ Π	Paranete diezeugmenon enharmonics.
]	Hypate hypaton.	[illegible]	Mese	Δ [illegible]	Paranete diezeugmenon chromaticæ.
	Parhypate hypaton.	[illegible] V	Trite synemmenon.	ω Z	Paranete diezeugmenon diatonos
[illegible]	Lychanos hypaton enharmonios.	[illegible]	Paranete synemmenon enharmonios.	[illegible] N	Nete diezeugmenon.
[illegible]	Lychanos hypaton chromaticæ.	[illegible]	Paranete synemmenon chromaticæ.	[illegible] V	Trite hyperboleon.
[illegible]	Lychanos hypaton diatonos	N Γ	Paranete synemmenon diatonos.	[illegible] V	Paranete hyperboleon enharmonios.
[illegible]	Hypate meson.	Γ N	Nete synemmenon extensa.	[illegible]	Paranete hyperboleon chromaticæ.
[illegible]	Parhypate meson	ω Z	Nete synemmenon ultima.	[illegible]	Paranete hyperboleon diatonos.
[illegible]	Lychanos meson enharmonios.	Z Π	Paramese	[illegible]	Nete hyperboleon.
[illegible]	Lychanos meson chromaticæ.	[illegible]	Trite diezeugmenon.		

CAPUT IV.

Monochordi regularis partitio in genere diatonico.

Sed jam tempus est ad regularis monochordi divisionem venire. De qua re illud est prædicendum, quod sive in mensura nervi, sive in numeris, atque in eorum proportione statuatur describenda divisio, majus spatium chordæ et major numeri multitudo sonos graviores efficiet. At si fuerit nervi longitudo contractior, et in numeris æque non multa pluralitas, acutiores voces edi necesse est. Atque ex hac comparatione, quantum unaquæque fuerit vel longior vel plurium numerorum, aliaque vel contractior, vel paucioribus signata numeris, tanto vel gravior vel acutior invenitur. Nec lectorem res illa conturbet, quod intendentes sæpe spatia proportionum numero majore signavimus, remittentes vero minore, cum intensio acumen faciat, remissio gravitatem. Illic enim tantum proportionum spatia signabamus, nihil de gravitatis aut acuminis proprietate laborantes, atque ideo et in acumen majoribus numeris intendimus, et minoribus in gravitatem sæpe remisimus. Hic vero ubi chordarum spatia sonosque metiemur, naturam rerum sequi necesse est, majorique longitudini chordarum ex qua gravitas existit, ampliores, minori vero ex qua vocis acumen nascitur, dare breviores. Sit chorda intensa A B, huic æqua sit regula quæ propositis partitionibus dividatur, ut, ea regula chorda apposita, eædem divisiones in nervi longitudine signentur quas ante assignaveramus in regula. Nos vero nunc dividimus ita, quasi ipsam chordam et non regulam partiamur. Dividatur igitur A B in quatuor partes, per tria puncta quæ sunt C D E. Erit igitur tota quidem A B dupla ab his quæ sunt D B, A D; sigillatim vero A D, D B duplæ sunt ab his quæ sunt A C, C D, D E, E B. Erit igitur A B quidem gravis-

A sima, id est proslambanomenos, D B autem mese. Est enim dimidia totius, et sicut A B ab ea quæ est B D dupla est spatio, ita B D ab ea quæ est A B, dupla est acumine. Nam, ut superius dictum est, spatii et acuminis semper ordo conversus est. Nam tanto est chorda major in acumine, quanto fuerit minor in spatio, quocirca erit et E B nete hyperboleon quoniam E B ejus quæ est D B, dimidia quidem in quantitate, dupla vero in acumine. Rursus quoniam eadem E B ejus quæ est A B quarta pars est in spatio, quadrupla erit ab eadem in acumine. Erit igitur (ut dictum est) nete hyperboleon dupla in acumine ab ea quæ est mese. Mese autem dupla in acumine ab ea quæ est proslambanomenos. Nete vero hyperboleon quadrupla in acumine ab ea quæ est proslambano-
B menos; consonabit igitur proslambanomenos ad mesen diapason, mese ad neten hyperboleon diapason, proslambanomenos ad netem hyperboleon bis diapason. Rursus quoniam æquæ sunt partes A C, C D, D E, E B. Est autem A B quatuor earumdem partium, C B autem trium, A B sesquitertia est ab ea quæ est C B. Rursus quia trium est æqualium partium C B, sed D B duarum, erit igitur C B sesquialtera ejus quæ est D B. Rursus quoniam C B est trium partium æqualium, qualis est una E B, tripla igitur est C B ab ea quæ est E B; erit igitur C B lychanos hypaton diatonos, consonabitque proslambanomenos quidem ad lychanon hypaton diatonon diatessaron consonantiam. Eadem vero lychanos hypaton diatonos consonabit ad mesen consonantiam diapente. Eademque
C lychanos diatonos consonabit ad neten hyberboleon, diapason et diapente. Rursus si de tota A B nonam partem auferam, eam quæ est A F, erunt partes octo F B. Erit igitur F B hypate hypaton, ad quam sesquioctavam contineat proportionem A B, id est proslambanomenos, in musica vero tonum.

[a] *Figura Henrici Glareani.*

Quanto spatium majus erit, tanta major gravitas ; ubi vero minus, ibi major acuties. Dum ergo A B in quadruplo spatio excedit E B, erit recte proslambanomenos in quadruplo gravior, et C B acutior in quadruplo, et eadem chorda A B ad F B est sesquioctava spatio, quare tono ab F B vincitur ; erit ergo hypate hypaton. Eadem rursus ad C B sesquitertia est spatio, erit ergo C B lychanos hypaton diatonos. Vincetque C B in acumine ipsum A B consonantia diatessaron. Insuper idem A B spatio duplum est ad D B ; erit idcirco acumine duplum ipsum D B ad A B. Et sic C B neten hyperbol constituet, quod doctus lector facile conspiciet dum acutius contemplatur.

Superior vero descriptio inferiora signa quæ continet, ejus sunt descriptionis, ubi chordis notulas apposuimus, quoniam earum nomina longum fuit ascribere. Item si A B tribus incisionibus partiamur, erit pars tertia A G. [a] Duæ igitur ejusdem erunt G B. Consonabit igitur A B proslambanomenos ad G B, quæ est hypate meson, diapente consonantiam in proportione sesquialtera constitutam ; C B autem ad G B erit [b] sesquioctava, et continebit tonum, idque ordine cadit. Nam lychanos hypaton diatonos, id est C B, ad eam quæ est hypate meson, id est G B, continet tonum. Rursus A B quidem proslambanomenos ad C B lychanon hypaton diatonos consonantiam habet diatessaron, A B autem proslambanomenos ad G B hypate meson habet consonantiam diapente. Item C B ad D B, id est lychanos hypaton diatonos ad mesen habet consonantiam diapente, G B autem ad D B, id est hypate meson ad mesen, habet consonantiam diatessaron. Lychanos autem hypaton, id est C B, ad totius chordæ modum ab eo quod est A usque ad id quod est LL, hanc, id est A, proslambenomenon 9216 divido, dimidiam ad O, ut sit tota A dupla ad

[a] *Quæ.* [b] *Sesquioctavum.* [c] *Obtinebit.* [d] *Appositis.*

A hypaten meson comparata, id est G B, distabit tono. Si autem ejus quæ est C B quartam partem sumpsero, erit C K. Igitur C B ad K B [c] obtinet sesquitertiam proportionem, K B autem ab ea quæ est D B sesquioctava proportione distabit. Erit igitur K B quidem lychanos diatonos meson, et erit C B, id est lychanos hypaton diatonos, ad K B, id est lychanos diatonon meson diatessaron consonantiam continens. Rursus si ejus quæ est D B nonam partem sumpsero, erit mihi D L. Igitur L B erit paramese. Si autem ejus quæ est D B quartam partem sumpsero, erit D N. Igitur N B erit nete synemmenon. Si autem ejus quæ est D B tertiam partem sumpsero, erit D N. Igitur N B erit nete diezeugmenon. Si autem K B in duas partes

B æquas fuerit divisa, erit K X, eritque X B paranete hyperboleon.

A	F	C	G	K	D	L	M	N	X	E	B
⊢	Γ	F	C	Π	<	⊏	⋈	H	Π'	⊲	

C


CAPUT V.

Monochordi netarum hyperboleon per tria genera partitio.


Nunc igitur diatonici generis descriptio facta est in eo scilicet modo qui est simplicior ac princeps, quem Lydium nuncupamus. De quibus modis nunc disserendum non est ; ut vero per tria genera currat mixta descriptio, et omnibus propria numerorum pluralitas apponatur ad conservandas scilicet proportiones, vel tonorum atque dieseon, excogitatus est numerus qui

D hæc omnia posset explere, ut maximus quidem ad proslambanomenon describatur, qui sit 9216 ; minimus vero 2304. Reliquorum vero sonorum proportiones in horum medietate texentur. Sane ab inferiore procedimus omniumque nomina chordarum non solum nominibus. verum etiam [d] oppositis litteris demonstramus. Sed ita ut quoniam trium generum est facienda partitio, nervorumque modus litterarum excedit numerum, ubi defecerint litteræ, easdem geminemus rursus hoc modo, ut quando ad Z fuerit usque perventum, ita describamus reliquos nervos : bis A id est AA, et bis B, id est BB, et bis C, id est CC. Sit igitur primus quidem numerus maximusque qui proslambanomenon obtineat locum 9216. Sitque


ea quæ est O. Item O sit dupla ab ea quæ est LL, A Erit igitur A quidem proslambanomenos, O autem mese, et LL nete hyperboleon; habebit igitur A quidem 9216, O vero horum dimidium, id est 4608, ut mese ad proslambanomenon diapason consonantia conveniat. Ea vero quæ est LL dimidium est meses, ut sit proslambanomenos ab ea quæ est nete hyperboleon quadrupla, et bis diapason ad eam consonet symphoniam, sitque LL 2304. Si igitur ex 2304 octavam [a] abstulero partem, id est 288, eisdemque adjecero, fient mihi 2592, eritque NN 2592 quæ sit paranete hyperboleon ad neten hyperboleon obtinens distantiam tonum. Rursus ejus quæ est NN, id est 2592, aufero octavam quæ est 324, eamque eis quorum est octava subjungo, erunt 2916, fietque mihi FF trite hyperboleon diatonos in diatonico scilicet genere 2916 totum quidem distans ab ea quæ est B paranete hyperboleon, [b] diatonum vero ab ea quæ est nete hyperboleon, eadem vero FF erit in chromatico genere trite hyperboleon chromatica. In enharmonio vero paranete hyperboleon enharmonios, quod facilius agnoscetur cur eveniat, cum trium generum tria prima tetrachorda a nete hyperboleon inchoantia descripserimus. Quoniam vero si A sesquitertia proportione duas sesquioctavas abstulero, relinquitur mihi semitonium minus, sumo tertiam ejus quæ est LL, id est neten hyperboleon, et sunt 768. Hos eisdem adjicio, fient mihi 3072. Quorum est DD nete diezeugmenon continens ad triten hyperboleon semitonium minus. Nam quoniam nete diezeugmenon ad neten hyperboleon diatessaron continet consonantiam, trite autem hyperboleon diatonos [c] ab ea ditonum distat, relinquitur spatium C quod est inter neten diezeugmenon et triten hyperboleon semitonii minoris.



Quoniam igitur tetrachordum hyperboleon diatonici generis explevimus, nunc chromatici et enharmonii tetrachorda supplenda sunt hoc modo : quoniam enim paranete hyperboleon ad neten hyperboleon in diatonico quidem genere tono distat, in chromatico vero tribus semitoniis, in enharmonio vero duobus tonis, si distantiam paranetes hyperboleon et netes hyperboleon diatonici generis sumpserimus, ejusque dimidium paranete hyperboleon, quæ est diatonici generis, apponamus, habebimus numerum tribus semitoniis ab hyperboleon nete distantem, et erit hæc in chromatico genere paranete hyperboleon. Aufero igitur de 2592, id est de paranete hyperboleon diatonici generis 2304, id est nete hyperboleon, relinquuntur mihi 288, hos divido, erunt mihi 144, eosdem adjiciam 2592, id est paranete hyperboleon diatonici generis, et erunt mihi 2736 : hæc erit paranete hyperboleon chromatica. Rursus quoniam trite hyperboleon, vel diatonica, vel chromatica, duos tonos distat a nete hyperboleon, et in enharmonio genere paranete hyperboleon duobus tonis distat ab ea quæ est nete hyperboleon [d] eadem erit in enharmonico genere paranete hyperboleon, quæ est in diatonico vel chromatico trite hyperboleon. Sed quoniam trite hyperboleon diatonici generis et chromatici ad nete diezeugmenon minus semitonium servant, constat autem tetrachordum enharmonii generis ex duobus integris tonis, et diesi, ac diesi, quæ sunt dimidia spatia semitonii minoris, distantiam eam quæ est inter neten diezeugmenon et paranetem hyperboleon enharmonium sumo; sed quoniam nete diezeugmenon est 3072, paranete autem hyperboleon enharmonios 2916, horum distantia erit 156, horum sumo dimidiam partem, qui sunt 78. Hos adjicio 2916, fient 2994, hæc erit E E trite hyperboleon enharmonios; descriptum est igitur secundum tria genera tetrachordum quod est hyperboleon, cujus formam subter adjecimus.



D



[a] *Extulero.* [b] *Non leguntur.* [c] *Ad neten hyperboleon.* [d] *Non habetur.*

Tetrachordum hyperbol.
Diatess.
Nete diezeugmenon
Nete hyp.
Tritehyp.
Paranete hyper
Enharmoniū

D	D	T̊	T̊
DD	EE	NN	LL
3072	2994	2916	2307
Diesis	Diesis	Duo toni	

Tetrachordos hyperboleon.

DIATESSARON Sesquitertia omnium tetrachordorum ratio		Nete hyperboleon.		Nete hyperboleon.		Nete hyperboleon.
	Sesquioctava ratio Tonus	2304	Tria hemitonia unum majus duo minora	2304	Ditonus, duarum chordarum intervallum	2304
		2692				
	Sesquioctava ratio Tonus	Paranote hyperbol. 2916	Hemitonium majus	2736 Paranete hyperbol. 2916		2916
	Hemitonium minus	Trite hyperboleon 3072	Hemitonium minus	Trite hyperboleon 3072	Diesis / Diesis	Paranete hyperbol. 3994 / Trite hyperboleon 3072
		Nete diezeugmen. Genus diatonicum.		Netediezeugmen. Chromaticum.		Nete diezeugmen. Enharmonicum

Quæ hic late tribus figuris dicuntur, hac unica perspicacius conspicis.

CAPUT VI.

Ratio superius digestæ descriptionis.

Tria igitur tetrachorda tali nobis ratione descripta sunt. Tetrachordum enim omne diatessaron [a] retinet consonantiam. Igitur nete hyperboleon, et nete diezeugmenon in tribus generibus, id est, vel in diatono, vel in chromate, vel in enharmonio diatessaron continent symphoniam. Diatessaron autem consonantia constat duobus tonis et semitonio minore. Id hoc modo per tria genera in [b] supradictis tetrachordis divisum est. In diatonico enim genere quod est primum paranete hyperboleon, id est 2592, ad neten hyperboleon, id est 2304, obtinet distantiam tonum, quod tali notula inscripsimus T̊. Rursus trite hyperboleon diatonici generis, quæ est 2916, ad paraneten hyperboleon diatonici generis, quæ est 2592, rursus obtinet differentiam quam simili nota insignivimus T̊. Nete autem diezeugmenon ad trite hyperboleon, id est 3072 ad 2916, semitonium refert, quod tali notula signavimus T̊; hoc est totum spatium netes diezeugmenon, et netes hyperboleon duorum tono-

A rum ac semitonii. Sed idem duo toni ac semitonium in chromatico genere hac ratione divisi sunt. Secundum enim genus, quod est chromaticum, hoc modo descriptum est: paranete enim chromatice hyperboleon, quæ est 2736, ad neten hyperboleon, quæ est 2304 comparata, continet spatium paranetes hyperboleon diatonici generis ad neten hyperboleon [c] quod est unus tonus, id est, duo semitonia majus ac minus, et divisum rursus spatium paranetes hyperboleon diatonici, ad netes hyperboleon. Ita enim factum est, qui est dimidius tonus, sed non integre, quia (ut supra uberrime monstratum est) non potest tonus in duo æqua partiri. Consignabimus igitur hoc spatium trium semitoniorum, id est toni ac semitonii, hoc modo. T̊T̊T̊ Rursus paranete hyperboleon

B chromatica ad triten hyperboleon retinet partem toni, id est semitonium, quod reliquum fuit ex duobus tonis qui continuentur inter triten hyperboleon diatonicam, et neten hyperboleon. Subtractis vero quatuor semitoniis, reliquum ex toto tetrachordo spatium semitonii est, quod continetur inter neten diezeugmenon, et trite hyperboleon. Constat igitur et hoc tetrachordum ex duobus tonis ac semitonio, divisum in uno quidem spatio tribus semitoniis. In duobus autem spatiis, duobus semitoniis. Tria vero spatia nervis quatuor continentur. In enharmonio vero genere summa est id pernoscendi [d] facilitas, ab ea enim quæ est nete hyperboleon, id est 2304, paranete hyperboleon enharmonios, id est 2916, duos

C tonos integros distat, quos hoc modo notabimus . Relinquitur [e] igitur ex totius tetrachordi duobus tonis ac semitonio unum quidem semitonium quod continetur inter neten diezeugmenon et paraneten hyperboleon enharmonion. Quod scilicet divisimus in duas dieses trite hyperboleon enharmonion. Media interjecta, spatiumque dieseos hoc modo signavimus ό ita igitur nobis hyperboleon tetrachordum descriptum est. Quo peracto ad diezeugmenon tetrachordum veniamus. Nec immorandum est eisdem commemorationibus in cæteris. Cum ab hac descriptione etiam in aliis sumi possit exemplum.


CAPUT VII.

D *Monochordi netarum diezeugmenon per tria genera partitio.*

Netes igitur diezeugmenon, quæ est 3072, si dimidium sumam, erunt 1536. Qui eisdem additi fiunt 4608 quæ est mese, quam O littera designavimus; quod si eisdem netes diezeugmenon, id est DD, scilicet 3072, auferam tertiam partem, erunt 1024. Qui eisdem conjuncti facient 4096 quæ vocabitur paramese, X littera subnotata. Nete igitur diezeugmenon, id est 3072, ad mesen, id est 4608, quoniam in sesquialtera comparatione consistit, diapente consonabit symphoniam. Eadem vero nete diezeugmenon, id est 3072, ad paramesen, id est 4096, quæ ad eam in sesquitertia proportione composita est, diatessaron retinet consonantiam. Si igitur ab ea quæ est nete diezeugmenon 3072 octavam auferam par-

[a] *Resonat.* [b] *Suprascriptis.* [c] *Qui.* [d] *Facultas.* [e] *Vero.*

tem, id est 384, eisque adjiciam, fient 3456, eritque paranete diezeugmenon [a] diatonos, CC litteris pernotata, ad neten diezeugmenon obtinens tonum. Ab hac vero si octavam auferam partem, id est de 3456, quæ est 432, eosque eidem adjungam, erunt 3888. Eritque ea Y trite diezeugmenon diatonos. Sed quoniam nete dizeugmenon ad paramesen sesquitertiam obtinebat proportionem, trite autem diezeugmenon diatonos a nete dizeugmenon duos tonos abest, continebitur inter triten diezeugmenon et paramesen semitonium minus. Diatonicum igitur genus, in hoc quoque tetrachordo ac pentachordo ita expletum est, ut tetrachordi quidem ejus, quod est netés diezeugmenon ad paramesen, diatessaron consonantia sit. Pentachordi vero ejus quod est netes diezeugmenon ad mesen, diapente sit consonantia.



Enharmonium vero atque chromaticum genus hac ratione texemus : Sumo distantiam netes et paranetes diezeugmenon diatoni, id est 3072 et 3456, est eorum differentia 384 ; hanc divido, erunt 192 ; hanc si sumam et ei quæ est paranete diezeugmenon diatonos adjungam, id est 3456, fient 3648, hæc erit paranete dizeugmenon chromatica, BB geminatis litteris adnotata [b] distans nete diezeugmenon tono et semitonio, id est tribus semitoniis, continens ad triten diezeugmenon dudum quidem diatonicam. Nunc

A vero chromaticam, id est 5888, semitonium reliquum ab eo tono, quod divisum est inter paraneten diatonon diezeugmenon, et triten diatonon diezeugmenon, et sit reliquum aliud ex tetrachordo semitonium inter triten diezeugmenon chromaticam et paramesen, quod scilicet ex diatessaron consonantia relinquitur, ea quæ est inter neten diezeugmenon et paramesen subtractis duobus tonis, quod nete diezeugmenon chromatica, et trite diezeugmenon chromatica continebant. Quæ autem in diatonico genere trite diezeugmenon diatonica est. In chromatico autem diezeugmenon chromatica, ea in enharmonio genere paranete diezeugmenon enharmonios dicitur, integros enim duos tonos distat ab ea quæ est nete
B diezeugmenon et notetur AA. Et inter neten diezeugmenon et paraneten enharmonion diezeugmenon nulla interest chorda, atque ideo paranetes vocabulo nuncupatur. Semitonium vero quod est inter paraneten enharmonion diezeugmenon et paramesen, id est inter AA et X hac ratione partimur, ut fiant duæ dieses. Sumo differentiam paranetes enharmonii diezeugmenon et parameses, id est 3888 et 4096, ea est 208, hanc divido, fient 104, hos appono 3888, fient 3992. Ea erit trite diezeugmenon enharmonios Z littera pernotata. Hujus igitur tetrachordi per tria genera descriptionem subter adjeci, superiusque dispositum hyperboleon tetrachordum aggregavi, uti esset utrorumque una descriptio, et paulatim juncta dispositionis totius forma consurgeret.

C

D

Tetrachordum hyperboleon

Diatonicum	nete diezeug	trite hyperbol	paranete hyperbol	nete hyperbol
	DD	FF	NN	LL
	3072	2916	2592	2304
	Hemitonium minus	Tonus	Tonus	

Chromaticum	nete diezeug	trite hyperbol	parane hyperbol	nete hyperbol
	DD	FF	NN	LL
	3072	2916	2736	230
	Hemitonium minus	Hemitonium minus	Trihemitonia	

Enharmonium	nete diezeug	trite hyperbol	paranet hyperbol	nete hyperbol
	DD	CC	NN	LL
	D	D		
	3072	2994	2916	2304
	Diesis	Diesis	Duo toni	

Diatessaron in tribus generibus.

[a] *Diatonos duabus CC litteris.* [b] *Distans a nete.*

Tetrarchrdum diezeugmenon

Diatonicum	paramese	trite diezeug diat diaton	paranete diezeug	nete diezeug
	X	Y	C C	D D
	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
	4096	3888	3456	3072
	Hemitonium minus	Tonus	Tonus	

Chromaticum	paramese	trite diezeug.	paranete diezeug chrom	nete diezeug
	X	Y	B B	D D
	[illegible]	[illegible]	[illegible]	
	4096	3888	3648	3072
	Hemitonium minus	Hemitonium minus	Tria hemitonia, unum majus duo minora	

Enharmonium	paramese	trite diezeug. enhar	paranete diezeug	nete diezeug
	X	Z	AA	D D
	D	D	[illegible]	
	4096	3992	3888	3072

CAPUT VIII.

Monochordi netarum synemmenon per tria genera partitio.

Duo quidem tetrachorda quæ sibimet quidem conjuncta sunt, a mese vero disjuncta, trium generum superior descriptio, quemadmodum locarentur ostendit. Nunc ad [a] aliud tetrachordum veniendum est, quod synemmenon vocatur, quod junctum est ei quæ est mese. Quoniam enim inter neten diezeugmenon et mesen diapente consonantiam esse prædiximus, est autem diapente consonantia trium tonorum ac semitonii. Tres vero sunt toni in hoc pentachordo, quorum unus quidem netes diezeugmenon ad paraneten diezeugmenon diatonon. Alter vero paranetes diezeugmenon [b] diatonon ad triten diezeugmenon diatonon. Tertius autem parameses ad mesen, reliquumque semitonium trites diezeugmenon diatoni ad paramesen, quoniamque netes diezeugmenon et parameses tetrachordum ab ea quæ est mese, eo tono disjunctum est, quod est inter paramesen ac mesen. Si ex eo pentachordo, quod est a nete dizeugmenon ad mesen, unum abstulerimus tonum, eum scilicet qui continetur inter neten diezeugmenon et paraneten diezeugmenon diatonon, poterimus aliud tetrachordum ad mesen jungere, ut fiat synemmenon. quod est conjunctum hoc modo. [c] Nam quoniam paranetes diezeugmenon diatoni, quæ est CC, numerus est 3456, horum tertia eisdem addita faciet mesen. Hic [d] ergo numerus in diezeugmenon tetrachor-

A do CC litteris adnotatus, tono distabat a nete diezeugmenon in genere diatonico, et paranete diezeugmenon diatonos vocabatur, in synemmenon autem tetrachordo, id est, conjunctarum sit nete synemmenon in tribus generibus constituta Y littera pernotata, et ab ea octava pars auferatur quæ est 432 eisque apponatur, fient 5888 quæ est paranete synemmenon et T [e] littera pernotata. Hujus pars sumatur octava ea quæ est 486; hæc summa si eisdem, quorum octava est, aggregetur, fient 4374, quæ est trite synemmenon diatonos, id est, E. Sed quoniam nete synemmenon ad mesen, id est 3456 ad 4608, sesquitertiam obtinet proportionem quæ est diatessaron, trite autem synemmenon, ad netem synemmenon, id est 4374 ad 3456, duorum tonorum obtinet proportio-
B nem, relinquitur trites synemmenon diatoni ad mesen proportio semitonii, et conjunctum est hoc tetrachordum cum mese, atque ideo synemmenon quasi continuum et conjunctum vocatur. Et diatonici quidem generis hoc modo est facta proportio. Chromatici vero talis divisio est : sumo netes synemmenon et paranetes synemmenon diatonici, id est 3456 et 3888 differentiam, ea est 432; hanc si divido ut semitonium fiat, fiunt 216; hanc adjicio ad 3888 ut tria semitonia fiant, erunt 414, quæ est paranete synemmenon chromatica, cui littera S superapposita est. Ab hac igitur, id est, paranete synemmenon chromatica, ad triten synemmenon prius quidem diatonicam, nunc vero chronicam semitonium est. A qua
C trite synemmenon chromatica usque mesen aliud semitonium reperitur. Sed quoniam a nete synemmenon usque ad triten synemmenon diatonicam vel chromaticam duo toni sunt, quæ est in diatonico vel chromatico generibus trite synemmenon diatonos vel chromatica, eadem in genere enharmonio paranete synemmenon enharmonios est, habens summam 4374, quæ sit R, A, qua usque ad meson semitonium est, hoc partior in duas dieses hoc modo : Sumo differentiam paranetes synemmenon enharmonii et meses, id est 4374 et 4608, [f] facit 234; hanc divido, fient 117; hanc adjicio paranete synemmenon enharmonios, id est 4374, fient 4491, quæ P littera pernotatur, et sit ea trite synemmenon enharmonios. Eritque semitonium quod continetur inter paraneten
D synemmenon enharmonion et mesen, id est inter 4374 et 4608, divisum per triten synemmenon enharmonion [g] eam, scilicet quæ est 4491. Quocirca hujus quoque tetrachordi expedita ratio est. Nunc autem facienda est descriptio, juncta tamen cum cæteris [h] tetrachordis, id est hyperboleon ac diezeugmenon, ut paulatim fiat descriptionis rata progressio.

[a] *Illud.* [b] *Diatoni.* [c] *Non habetur.* [d] *Igitur.* [e] *Non leguntur.* [f] *Ea est.* [g] *Ea.* [h] *Non legitur.*

E Hemitonium minus T Tonus Y Tonus

Mese 4608 T	Trite synemmenon 4374 T	Paranete synemmenon 3888 T	Nete synemmenon 3456	Diatonicum
Hemitonium minus	Hemitonium S majus	Tria hemitonia		
Mese 4608 T	Trite synemmenon 4374 T	Paranete synemmenon 4104 TTT	Nete synemmenon 3456	Chromaticum
Diesis P	Diesis R	Ditonus		
Mese 4608 L	Trite synemmenon 4491 D	Paranete synemmenon 4374 TT	Nete synemmenon 3456	Enharmonium

X	Y	CC	DD		FF	NN	LL	
Mese 4608 T	Paramese 4096 T	Trite diezeugmenon 3888 T	Paranete diezeugmenon 3456 T	Nete diezeugmenon 3072 T	Trite hyperboleon 2916 T	Paranete hyperboleon 2592 T	Nete hyperboleon 2304	Diatonicum
Tonus	Hemitonium	Tonus	Tonus	Hemitonium	Tonus	Tonus		
		BB						
Mese 4608 T	Paramese 4096 T	Trite diezeugmenon 3888 T	Paranete diezeugmenon 3648 TTT	Nete diezeugmenon 3072 T	Trite hyperboleon 2916 T	Paranete hyperboleon 2736 TTT	Nete hyperboleon 2304	Chromaticum
Tonus	Hemit. minus	Hemit. majus	Tria hemiton.	Hemit. minus	Hemit. majus	Tria hemiton.		
Z	AA		EE	NN				
Mese 4608 T	Param. diez. 4096	Trite diez. 3992 Die.	Paranete diezeugmenon 3888 TT	Nete diez. 3072	Trite hyperb. 2994 Die.	Paranete hyperboleon 2916 TT	Nete hyperboleon 2304	Enharmonium
Tonus	Diesis	Diesis	Ditonus	Diesis	Diesis	Ditonus		

Diapas n totus distantiæ duorum tetrachordorum, ι ula diezeugmenon et hyperbo eon in tribus modulandi generibus Quanquam ex duobus tetrachord s n n nisi disdiatessaron, ubique tamen tonus appositus est. Qui est quidem a paramese ad mesen ratio veræ distantiæ dupla est, ut id pernotatur facillime

CAPUT IX.

Monochordi meson per tria genera partitio.

Ex his igitur quæ prædicta sunt, in cæteris non arbitror diutius laborandum esse. Ad horum enim exemplar etiam reliqua tetrachorda meson atque hypaton texenda sunt. Ac primum quidem diatonici generis meson tetrachordon hoc ordine describemus. Meses enim quæ est O 4608 sumo tertiam partem, ea est 1536; hanc eidem copulo, fient 6144, ea sit H hypate meson diatessaron ad mesen continens consonantiam, hæc duobus tonis ac semitonio ita dividitur: Sumo enim meses, id est 4608, octavam partem, quæ est 576; hanc eidem adjungo, fient 5184, ea est lichanos meson diatonos, id est M. Cujus [a] interim pars [b] sumitur octava, ea est 648; hanc eidem adjungo, fient 5832. Ea sit I parhypate meson diatonos tonum obtinens ad lichanon meson diatonon, duobus autem tonis distans a mese. Relinquitur igitur semitonium inter hypaten meson diatonon

A et parhypaton meson diatonon constitutum, id est inter 6164 et 5832. Idem vero tetrachordum meses atque hypates meson in chromatico genere tali ratione partimur. Sumo meses differentiam ad lichanon meson diatonon, id est 4608 ad 5184, ea est 576; hanc dimidiam partior, fient 288; [c] eadem adjicio numero majori, id est 5184, fient 5472, quæ fit N lichanos meson chromatice. Relinquuntur igitur duo semitonia, unum inter lichanon mesen chromaticen et parhypaten meson chromaticen, id est inter 5472 et 5832, et aliud inter parhypate meson chromaticen et hypaten meson, id est inter 5832 et 6144. Enharmonium vero genus hoc modo dividimus, quoniam ea quæ erat ptahypate meson diatonos, vel ea quæ erat parhypate meson chromatice, duos tonos distabat a mese obtinens numerum 5832,

B ea in enharmonio genere erit lichanos meson enharmonios, L littera pernotata, duos nihilominus ad mesen obtinens tonos. Reliquum igitur semitonium

[a] *Iterum.* [b] *Sumatur.* [c] *Eamdem.*

quod est inter lichanos meson enharmonion et hypaten meson, id est inter 5832 et 6144, in duas dieses hoc modo dividimus. Aufero differentiam 5832 ad 6144, ea est 312 : hanc dimidiam partior, fient 156 ; hanc ad 5832 jungo, fient 5888 ; et hæc sit K parhypate meson enharmonios. Duæ vero sunt dieses A inier lychanon meson enharmonion et parhypate meson enharmonion, id est inter 5832 et 5988, et inter parhypaten meson enharmonion et hypaten meson, id est inter 5988 et 6144. Divisum est igitur meson tetrachordon. Quod ita in descriptione ponatur, ut superius descriptis tetrachordis aggregetur.

H	I	M	O	E	T	Y	
Hypate meson 6144 T	Parhypate meson 5832 T	Lichanos meson 5184 T	Mese 4608 T	Trite synemmenon 4374 T	Paranete synemmenon 3888 T	Nete synemmenon 3456	Diatonicum
Hemit. minus	Tonus	Tonus	Hemit. minus	Tonus	Tonus		
		N					
Hypate meson 6144 T	Parhypate meson 5832 T	Lichanos meson 5472 TTT	Mese 4608 T	Trite synemmenon 4374 T	Paranete synemmenon 4104 TTT	Nete synemmenon 3456	Chromaticum
Hemit. minus	Hem. maj.	Tria hemit.	Hemit. minus	Hem. maj.	Tria hemit.		
K	L						
5988 Die. Parhy. mes. 6144 Die. Hypate mes.	Lichanos meson	5832 TT	4608 Die. Mese	4491 Die. Tritesynem.	Paranete synemmenon.	4374 TT	Nete synemmenon 3456	Enharmonium
Diesis Diesis	Ditonus		Diesis Diesis		Ditonus			

	X	Y	CC	DD		FF	NN	LL	
Mese 4608 T	Paramese 4096 T	Trite diezeugmenon 3888 T	Paranete diezeugmenon 3456 T	Nete diezeugmenon 3072 T	Trite hyperboleon 2916 T	Paranete hyperboleon 2592 T	Nete hyperboleon 2304		Diatonicum
	Hemit. min.	Tonus	Tonus	Hemitonium	Tonus	Tonus			
		BB							
Mese 4608 T	Paranete 4096 T	Trite diezeugmenon 3888 T	Paranete diezeugmenon 3648 TTT	Nete diezeugmenon 3072 T	Trite hyperboleon 2916 T	Paranete hyperboleon 2736 TTT	Nete hyperboleon 2304		Chromaticum
	Hemit. minus	Hemit. maius	Tria hemiton.	Hemit. minus	Hemit. majus	Tria hemiton.			
	Z	AA		EE	NN				
Mese 4608 T	4096 Paran. diez.	2992 Die Trite diez.	Paranete diezeugmenon	3888 TT	3072 Die. Nete diez.	2994 Die. Trite hyperb.	Paranete hyperboleon	2916 TT	Nete hyperboleon 2304	Enharmonium
Tonus	Diesis Diesi		Ditonus		Diesis Diesis		Ditonus		

CAPUT X.

Monochordi hypaton per tria genera partitio, et totius dispositio descriptionis.

Nunc vero hypaton tetrachordum per tria genera dividendum est. Sumo hypates meson, id est 6144 : dimidiam partem, quæ sit 3072, hanc eidem si adjecero, fient 9216, quæ est proslambanomenos ad hypaten meson diapente consonantiam servans. Ejusdem autem hypaten meson [a] 6154. Si auferam tertiam partem quæ est 2048 eidemque adjecero, fient 8192. Et hæc est B hypate hypaton, Igitur hypaten meson ad proslambanomenon diapente est consonantia, ad hypaten vero hypaton diatessaron. Ab hac igitur B hypate meson, id est 6144, pars auferatur octava, erunt 768 ; hanc eisdem si quis adjungat, fient 6912. Quæ est E lychanos hypaton diatonos ad hypaten meson toni obtinens proportionem. Rursus de 6912, pars auferatur octava, erunt 864 ; hoc si eisdem copuletur, fient 7776, quæ est C parhypate hypaton, diatonos ad lichanon hypaton diatonon toni, ad hypaten meson duorum tonorum distantiam servans. Relinquitur igitur semitonium inter parhypaten hypaton diatonon et hypaten hypaton, id est inter 7776 et 8192, et diatonici quidem generis hypaton tale tetrachordum est, chromaticum vero tali ratione dividimus. Sumo enim differentiam hypaten meson, et

[a] 6144.

ejus quæ est lichanos hypaton diatonos, id est 6144 et 6912, ea est 768; hanc dimidiam partior ut duo efficiam semitonia, fient 384: hanc adjicio 6912 ut tria semitonia fiant, erunt 7296: hæc erit F lichanos hypaton chromatice ab ea quæ est hypate meson tribus semitoniis distans. Relinquuntur ergo duo semitonia, unum quidem inter lichanos hypaton chromaticen et parhypaten hypaton chromaticen, id est inter 7296 et 7776. Aliud vero inter parhypaten hypaton chromatice et hypaten hypaton, id est inter 7776 et 8192. Restat enharmonium genus, cujus ad superius exemplar talis divisio est. Quoniam enim parhypate hypaton diatonos vel parhypate hypaton chromatice, qua 7776 unitatibus insignita est, duobus tonis distat ab ea quæ est hypate meson, eadem erit in genere enharmonio lichanos hypaton enharmonios, quæ ab hypate meson duobus integris [a] differant tonis. Restat igitur ex diatessaron consonantia semitonium quod est inter lichanos hypaton en-

A harmonion et hypaten hypaton, id est inter 7776 et [b] inter 8192, hoc in duas dieses ita dividimus. Sumo differentiam ejus quæ est lichanos hypaton enharmonios, et hypaten hypaton, id est 7776 et 8192, ea est 416; hujus dimidiam sumo, sunt 208; hanc adjicio 7776, fient [c] 7984 quæ sit D parhypate hypaton enharmonios. Sunt igitur duæ dieses: una quidem quæ est inter lichanon hypaton enharmonion et parhypaten hy̆paton enharmonion, id est inter 7776, et 7984; altera vero quæ est inter parhypaten hypaton enharmonion, et hypaten hypaton, id est inter 7984 et 8192. Tonus vero ultimus inter proslambanomenon et hypaten hypaton, id est inter 9216 et 8192, continetur. Divisum est igitur hypaton tetra-

B chordum secundum tria genera diatonicum chromaticum enharmonion. Quod si superioribus tetrachordis hyperboleon diezeugmenon synemmenon meson adjungatur, fit integra perfectaque descriptio divisi per omnia monochordi regularis.

	Diatonicum				
Tetrachordos hypaton Diatonicæ	Proslambanomenos	A	9216	Tonus	Tetrachordos hypaton
	Hypate hypaton	B	8192	Hemitonium	
	Parhypate hypaton	C	7776	Tonus	
	Lichanos hypaton	E	6912	Tonus	
	Hypate meson	B	6144		
	Chromaticum				
Tetrachordos hypaton Chromaticum	Hyppate hypaton	G	8192		
	Parhypate hypaton	C	7776	Hemitonium minus	
	Lichanos hypaton	E	7296	Hemitonium majus	
	Hypate meson	E	6144	Tria hemitonia	
	Enharmonium				
Tetrachordos hypaton Enharmonicum	Hypate hypaton	B	8192		
	Parhypate hypaton	D	7984	Diesis	
	Lichanos hypaton	F	7776	Diésis	
	Hypate meson	E	6144	Ditonus	
	Diatonicum				
Tetrachordos meson Diatonicæ	Hypate meson	H	6144		Tetrachordos meson
	Parhypate meson	I	6832	Hemitonium minus	
	Lichanos meson	M	5194	Tonus	
	Mese	O	4608	Tonus	
	Chromaticum				
Tetrachordos meson Chromaticum	Hypate meson	H	6144		
	Parhypate meson	I	5832	Hemitonium minus	
	Lichanos meson	N	5442	Hemitonium majus	
	Mese	O	4608	Tria hemitonia	
	Enharmonium				
Tetrachordos meson Enharmonicum	Hypate meson	H	6144		
	Parhypate meson	K	5988	Diesis	
	Lichanos meson	E	5832	Diesis	
	Mese	O	4608	Ditonus	
	Diatonicum				
Tetrachordos synemmenon Diatonicæ	Mese	O	4608		
	Trite synemmenon	E	4374	Hemitonium minus	
	Paranete synemmenon	T	3888	Tonus	
	Nete synemmenon	Y	3456	Tonus	
	Chromaticum				
Tetrachordos synemmenon Chromaticum	Mese	O	4068		
	Trite synemmenon	E	4374	Hemitonium	
	Paranete synemmenon	S	4014	Hemitonium majus	
	Nete synemmenon	Y	3456	Tria hemitonia	
	Enharmonium				
Tetrachordos synemmenon Enharmonicum	Mese	O	4069		
	Trite synemmenon	P	4491	Diesis	
	Paranete synemmenon	R	4374	Diesis	
	Nete synemmenon	Y	3456	Ditonus	
	Diatonicum				
Tetrachordos diezeugmenon Diatonicum	Paramese	X	4096		
	Trite diezeugmenon	Y	3888	Hemitonium	
	Paranete diezeugmenon	CC	3456	Tonus	
	Nete diezeugmenon	DD	372	Tonus	

a *Distat.* b *Non legitur.* c 9084.

	Chromaticum			
Tetrachordos diezeugmenon Chromaticum	Paramese	X	4096	Hemitonium minus
	Trite diezeugmenon	Y	3888	Hemitonium majus
	Paranete diezeugmenon	BB	3648	Tria hemitonia
	Nete diezeugmenon	DD	372	
	Enharmonium			
Tetrachordos diezeugmenon Enharmonicum	Paramese	X	4096	Diesis
	Trite diezeugmenon	Z	399	Diesis
	Paranete diezeugmenon	AA	388	Diesis
	Nete diezeugmenon	DD	372	
	Diatonicum			
Tetrachordos hyperboleon Diatonicum	Nete diezeugmenon	DD	372	Hemitonium minus
	Trite hyperboleon	FF	2916	Tonus
	Paranete hyperboleon	NN	2592	Tonus
	Nete hyperboleon	LL	2034	
	Chromaticum			
Tetrachordos hyperboleon Chromaticum	Nete diezeugmenon	DD	372	Hemitonium minus
	Trite hyperboleon	FF	2916	Hemitonium majus
	Paranete hyperboleon	KK	2736	Tria hemitonia
	Nete hyperboleon	LL	2034	
	Enharmonium			
Tetrarchordos hyperboleon Enharmonicum	Nete diezeugmenon	DD	372	Diesis
	Trite hyperboleon	EE	2994	Diesis
	Paranete hyperboleon	NN	2916	Ditonus
	Nete hyperboleon	LL	2034	

HENRICI GLAREANI SPECULATIO.

PLANA MONOCHORDI REGULARIS PARTITIO IN TRIBUS GENERIBUS.

Secupla ratio — Diapente — Tetrachordos hypaton cum proslambanomene in tribus modulandi generibus — Diapente — Diatess — Diatonico sesquiter. — Diatess — Chromat. sesquiter. — Diatess — Enharm. sesquiter.

Proslambanomenos	9216
Hypate hypaton	8192
Parhypate hypaton	7776
Lichanos hypaton	6912
Hypate meson	6144
Hypate hypaton	8192
Parhypate hypaton	7776
Lichanos hypaton	7296
Hypate meson	6144
Hypate hypaton	8192
Parhypate hypaton	7984
Lichanos hypaton	7776
Hypate meson	6144

Sesquitertia ratio — Diatess — Tetrachord. Synēmen. in iisdē tribus generib. — Diatess — Diatonico sesquiter. — Diatess — Chromat. sesquiter. — Diatess — Enharm. sesquiter.

Mese	4608
Trite synemmenon	4374
Paranete synemm.	3888
Nete synemmenon	3456
Mese	4608
Trite synemmenon	4374
Paranete synemm.	4104
Nete synemmenon	3456
Mese	4608
Trite synemmenon	4491
Paranete synemm.	4374
Nete synemmenon	3456

Sesquitertia ratio — Diatess — Tetrachordos meson in iisdem — Diatess — Diatoni. sesquiter. — Diatess — Chromat. sesquiter. — Diatess — Enhar. sesquit.

Hypate meson	6144
Parhypate meson	5832
Lichanos meson	5184
Mese	4608
Hypate meson	6144
Parhypate meson	5832
Lichanos meson	5472
Mese	4608
Hypate meson	5144
Parhypate meson	5998
Lichanos meson	5832
Mese	4608

Sesquitertia ratio — Diatess — Tetra. hyperboleō in tribus modulādi generibus — Diatess — Diatonico sesquiter. — Diatess — Chromat. sesquiter. — Diatess — Enharm. sesquiter.

Nete diezeugmenon	3072
Trite hyperboleon	2916
Paranete hyperbol.	2592
Nete hyperboleon	2304
Nete diezeugmenon	3072
Trite hyperboleon	2016
Paranete hyperbol.	2736
Nete hyperboleon	2304
Nete diezeugmenon	3072
Trite hyperboleon	2994
Paranete hyperbol.	2916
Nete hyperboleon	2304

Diatess.

Sesquitertia ratio.

Tetrachordos diezeug-menon in tribus.

Diatess. — Diatonica

Paramese	4096
Trite diezeugmenon	3888
Paranete diezeugm.	3456
Nete diezeugmenon	3072

Diatess. — Chromat.

Paramese	4096
Trite diezeugmenon	3888
Paranete diezeugm.	3648
Nete diezeugmenon	3072

Diatess. — Enharm.

Paramese	4096
Trite diezeugmenon	3992
Paranete diezeugm.	3888
Nete diezeugmenon	3072

CAPUT XI.

Ratio superius dispositæ descriptionis.

In superiore igitur forma obtinet quidem consonantiam diapason proslambanomenos ad mesen, mese autem ad neten hyperboleon. Bis diapason autem proslambanomenos ad neten hyperboleon. Diatessaron autem consonantiam servat hypate hypaton ad hypaten meson. Hypate meson ad mesen mese, ad neten synemmenon, paramese ad neten diezeugmenon, nete diezeugmenon ad neten hyperboleon. Atque hoc ita [a] fit, ut his consonantiis integra tetrachorda numeremus. Atque ut clarius omnis in hac forma [b] respiciatur ordo nervorum, secundum tria genera 5 tantum notantur esse tetrachorda. Primum atque gravissimum hypaton, cujus est princeps hypate hypaton, ultima autem hypate meson, secundum vero meson cujus est princeps hypate meson, extrema vero mese. Tertium synemmenon, cujus est princeps mese, finalis nete synemmenon. Quartum diezeugmenon, cujus est [c] prima paramese, nete vero diezeugmenon extrema. Quintum vero est hyperboleon cujus est quidem princeps nete diezeugmenon, ad neten vero hyperboleon terminatur extrema.

CAPUT XII.

De stantibus et mobilibus vocibus.

Harum vero omnium vocum partim sunt in totum immobiles, partim in totum mobiles, partim vero nec in totum immobiles, nec in totum mobiles. In totum immobiles sunt proslambanomenos, hypate hypaton, hypate meson, mese, nete synemmenon, paramese, nete diezeugmenon, nete hyperboleon. Idcirco quoniam in omnibus tribus generibus eædem sunt, nec nomina nec loca permutantes, sive pentachorda, sive tetrachorda contineant. Pentachorda quidem ut proslambanomenos ad hypaten meson, et mese ad neten diezeugmenon. Tetrachorda vero ut hypate hypaton ad hypaten meson, hypate meson ad mesen. Mobiles vero sunt quæ secundum sin-

A guia genera permutantur hoc modo ut paranete et lichanos diatonici et chromatici, trite et parhypate enharmonici. Alia est enim paranete hyperboleon diatonos, alia paranete hyperboleon chromatica, alia [d] trite enharmonios. Diversæ sunt etiam paranete diezeugmenon diatonos, atque chromatica. Nec est eadem quæ in generibus cæteris trite diezeugmenon enharmonios, neque eædem sunt paranete synemmenon diatonos et chromatica [e] et trite synemmenon enharmonios, his qui sunt in reliquis generibus trite. Distant etiam lichanos meson diatonos et lichanos meson chromatice, [f] et parhypate meson enharmonios nulli aliorum generum parhypate similis invenitur. Nec eosdem locos ac numeros servant li-
B chanos hypaton diatonos et lichanos hypaton chromatice. [g] Nam parhypate hypaton enharmonios aliorum generum parhypatis reperitur esse dissimilis. Non in totum vero immobiles aut mobiles sunt, quæ in duobus quidem generibus manent, id est chromatico et diatonico, sed in enharmonio permutantur. Id autem sic consideratur trite hyperboleon, diatonos, et trite hyperboleon chromatice eadem in superiori forma descripta est, [h] hisdem numeris 2829. At vero cum enharmonium genus aspicimus triten aliam reperimus, id est 2916. Quæ igitur vox duobus fuit generibus communis, eadem in tertio permutata est. Idem est et in diezeugmenon tetrachordo. Nam trite diezeugmenon [i] diatonos et trite diezeugmenon chromatica eædem sunt, sibique con-
C sentiunt, trite autem diezeugmenon enharmonios a superiore distat, in synemmenis etiam idem est. Trite enim synemmenon diatonos et trite synemmenon chromatice eædem sunt. Ted trite synemmenon enharmonios est diversa. Item parhypate meson diatonos, et parhypate meson chromatica eædem notantur. Sed in enharmonio genere sicut superius trite ita hic parhypate juxta [j] hypates meson quidem inveniuntur, vi autem ac soni acumine diversæ sunt cæteris. Rursus parhypate hypaton diatonos et parhypate hypaton chromatica eadem est. Sed non eadem est cum in enharmonio genere quæritur. Sed ut [k] harum non plena mutabilitas clarius colliquescat ad hyperboleon tetrachordum redeamus, in hoc igitur quæ in diatonico atque in chromatico genere trite
D hyperboleon est, eadem mutatur in enharmonio, et fit paranete. Item quæ trite diezeugmenon in diatonico vel chromatico genere vocabatur, paranete in enharmonio dicitur quæ trite synemmenon in chromatico vel diatonico fuit, in enharmonio in paraneten transit. Quæ vero parhypate meson in chromatico vel diatonico videbatur, eadem lichanos meson in enharmonio reperitur. Quæ autem parhypate hypaton, vel in diatonico vel in chromatico dicebatur, lichanos hypaton in enharmonio nuncupatur. Sunt igitur quidem immobiles, proslambanomenos, hypate

[a] *Non habetur.* [b] *Conspiciatur,* [c] *Princeps.* [d] *Paranete hyperboleon enharmonios, alia trite diatonos, et chromatice, alia.* [e] *Et enharmonios.* [f] *Et lichanos meson enharmonios.* [g] *Et lichanos hypate enharmonios.* [h] *Eisdem.* [i] *Superioribus.* [j] *Hypaten.* [k] *Hæc.*

hypaton, hypate meson, mese, nete synemmenon, paramese, nete diezeugmenon, nete hyperboleon, mobiles vero quas lychanos, vel paranetas, vel diatonicas, vel chromaticas, vel enharmonicas [a] nominamus. Non in totum mobiles aut immobiles, quas parhypatas tritas in diatonico vel chromate, lichanos autem vel paranetas in enharmonico genere dicimus.

CAPUT XIII.

De consonantiarum speciebus.

Nunc de speciebus primarum consonantiarum tractandum est; primæ autem consonantiæ sunt diapason, diapente, diatessaron. Species autem est quædam positio propriam habens formam secundum unum quodque genus in uniuscujusque proportionis consonantiam facientis terminis constituta, ut in diatonico genere. Nam si diezeugmenon tetrachordum inter hyperboleon tetrachordum [b] meseaque ponamus, subtracto scilicet synemmenon tetrachordo, erunt 15 nervi. At si ab his proslambanomenos detrahatur, erunt quatuordecim. Hi ergo disponantur hoc modo. Sit A hypate hypaton, B parhypate hypaton, C hypate ilchanos, D hypate meson, E parhypate meson, F lichanos meson, G mese, H paramese, I trite diezeugmenon, K paranete diezeugmenon, L nete diezeugmenon, M trite hyperboleon, N paranete hyperboleon, O nete hyperboleon. Ab hypate igitur ad paramesen diapason consonantia est. A mese vero ad hypaten meson diatessaron, ab eadem vero mese ad lichanon hypaton diapente. Erit igitur diapason quidem octo chordarum. Diatessaron vero quatuor, diapente autem quinque. Ac per hoc habebit diatessaron quidem species tres, diapente autem species quatuor, diapason vero species septem. Semperque una minus species erit quam fuerint voces, ut enim a mese cæteras [c] ordinamus diatessaron consonantiæ species tres sunt, hoc modo: una quidem species erit ab G ad D; secunda vero ab F ad C; tertia vero ab E ad B, et huc usque diatessaron species progrediuntur. Idcirco quia huc usque species binos continet nervos ejusdem diatessaron, ut G D quidem eos qui sunt E F [d] continent, F C eos qui sunt E D, et E B eos [e] continent qui sunt C D; si vero his adjecero diatessaron D A, diversa non erit ab ea quæ est G D, unum enim solum G D consonantiæ nervum continebit, id est D solum. Excessit igitur G D consonantiam, atque ideo diatessaron tres species habere perhibetur. Et in cæteris quidem consonantiis idem est. Diapente autem erunt species quatuor hoc modo: Una quidem est H ad D; alia vero ab eo quod est G ad C; alia ab eo quod est F ad B; alia autem ab eo quod est E ad A. Diapason vero consonantiæ 7 erunt species, hoc modo: prima ab eo quod est O ad G secunda ab eo quod est N ad F; tertia ab eo quod est M ad E; quarta ab eo quod

A est L ad D; quinta ab eo quod est K ad C; sexta ab eo quod est I ad B; septima ab eo quod est H ad A. Liquet igitur ex his quæ dicta sunt, diatessaron consonantiam semel tantum in immobilibus ac statutis vocibus contineri. Nam si ab hypate hypaton incipiam, erit A D, id est ab hypate hypaton in meson hypaten ea quæ est in ordine prima. Nam cæteræ non statutis vocibus terminantur, ut B E C F. Nam [f] parhypate hypaton et parhypate meson, lichanos hypaton et lichanos meson mobiles esse monstratæ sunt. Quod si rursus ab hypate meson diatessaron consonantiam inchoemus, erit species diatessaron statutis vocibus terminata G D, ea quæ est prima, id est ab hypate meson in mesen. Reliquæ minime,

B ut E H et F I. Nam parhypate meson et lichanos meson et trite diezeugmeuon non probantur immobiles. Rursus si eamdem diatessaron paramese suscipiat ordiendam, erit [g] quoque quæ statutis coerceatur sonis, diatessaron species H L, id est a paramese in nete diezeugmenon, quæ est prima. Nam cæteræ quæ sunt I M et K N mobilibus terminantur sonis. Nam triten diezeugmenon, et paraneten diezeugmenon, et triten hyperboleon, et paraneten hyperboleon mobiles voces esse prædiximus. Item diapente consonantia duas tantummodo species tenet, quæ statutis vocibus includuntur. Ut si ab hypate meson ordiamur, una quidem est D H, id est ab hypate meson in paramesen, ea quæ est prima. Altera vero G L, id est a mese in neten diezeugmenon, hæc

C vero est quarta. Reliquæ vero, id est E I et F K, minime statutis vocibus clausæ sunt. Nam parhypate, et lichanos, et trite, et paranete instabiles approbantur. Similis autem ratio erit si a nete diezeugmenon in graviorem partem, id est ad mesen, consonantiæ hujus species considerentur, eisdem enim immobilibus vocibus, quæ superius dictæ sunt, continebuntur. Sive autem ab hypate meson, seu a mese, seu a paramese, sive etiam a nete hyperboleon consonantias [h] ad graviorem partem ducamus. Duarum quæ statutis vocibus coerceantur, non poterit esse [i] destructio. Diapason vero consonantiæ sive ab hypate hypaton in paramesen, sive a nete hyperboleon in mesen ordo sumatur, tres tantummodo species obtinebit, quæ immobilibus vocibus coerceantur.

D Nam ab hypaten hypaton ordientibus una est A B, ea quæ est prima ab hypate hypaton in paramese. Altera D L ea quæ quarta ab hypate meson in nete diezeugmenon. Dehinc G O hæc septima est, id est a mese in neten hyperboleon. Reliquarum vero specierum voces extimæ nullo modo [j] immobilibus vocibus constitutæ sunt. Nam parhypate, et lichanos, et trite, paranete (ut supra quodque dictum est) immobiles non sunt. Similiter autem et per easdem voces si ab hyperboleon nete ordiamur, specierum ordo contexitur, quorum omnium intelligentiam subjecta descriptio [k] docet.

[a] *Vocamus.* [b] *Mesonque.* [c] *Ordiamur.* [d] *Non habetur.* [e] *Non habetur.* [f] *Non legitur.* [g] *Non legitur.* [h] *In.* [i] *Distinctio.* [j] *Non legitur.* [k] *Faciet esse notiorem.*

A

Stabiles	A	Hypate hypaton
Mobiles	B	Parhypate hypaton
Mobiles	C	Lichanos hypaton
Stabiles	D	Hypate meson
Mobiles	E	Parhypate meson
Mobiles	F	Lichanos meson
Stabiles	G	Mese
Stabiles	H	Paramese
Mobiles	I	Trite diezeugmenon
Mobiles	K	Paranete diezeugmenon
Stabiles	L	Nete diezeugmenon
Mobiles	M	Trite hyperboleon
Mobiles	N	Paranete hyperboleon
Stabiles	O	Nete hyperboleon

Diapason septem speciebus et octophthongus
Diapēte 4 Spēbus
Diatess 3 Spēs
Species
Spēs Spēs Spēs

	Proslambanomenos
A	Hypate hypaton Stans
B	Parhypate hypaton. Mobilis
C	Lichanos hypaton. Mobilis
D	Hypate meson Stans phthongus
E	Parhypate meson. Mobilis
F	Lichanos meson Mobilis phthongus
G	Mese. Stans phthongus
H	Paramese. Stans phthongus
I	Paranete diezeugmenon Mobilis phthongus
K	Paranete diezeugmenon Mobilis phthongus
L	Nete diezeugmenon Mobilis phthongus
M	Trite hyperboleon Mobilis phthongus
N	Paranete hyperboleon Mobilis phthongus
O	Nete hyperboleon Stans phthongus

CAPUT XIV.

De modorum exordiis, in quo dispositio notarum per singulos modos ac voces.

Ex diapason igitur consonantiæ speciebus existunt qui appellantur modi, quos eosdem tropos vel tonos nominant. Sunt autem tropi constitutiones in totis vocum ordinibus, vel gravitate, vel acumine differentes, constitutio vero est plenum veluti modulationis corpus ex consonantiarum conjunctione consistens, quale est vel diapason, vel diapason et diapente [a] et diatessaron, vel bis diapason. Est enim diapason constitutio, a proslambanomenos in meson cæteris quæ
B sunt mediæ vocibus annumeratis, vel a mese rursus in neten hyperboleon cum vocibus interjectis, vel ab hypate meson in neten diezeugmenon, cum his quas extremæ voces medias claudunt. Diapason et [b] diatessaron vero constitutio ea est quæ a proslambanomenos in neten synemmenon, cum his quæ mediæ sunt interjectæ constat. Bis diapason autem a proslambanomenon in neten hyperboleon, cum his quæ in medio sunt interpositæ consideratur. Has igitur constitutiones si quis totas faciat acutiores vel in gravius totas remittat, secundum supradictas diapason consonantiæ species efficiet modos septem, quorum nomina sunt hæc : hypodorius, hypophrygius, hypolydius, dorius, phrygius, lydius, mixolydius; horum vero sic ordo procedit. Sit in diatonico genere vocum
C ordo dispositus a prolambanomene in neten hyperboleon, atque hic sit hypodorius modus. Si quis proslambanomenon in acumen intendat tono, hypatenque hypaton eodem tono attenuet, cæterasque phthongorum omnes faciat acutiores, acutior totus ordo proveniet, quam fuit prius quam toni susciperet intensionem. Erit igitur tota constitutio acutior effecta hypophrygius modus, quod si in hypophrygio toni rursum intensionem voces acceperint, hypolydii modulatio nascentur. At si hypolydium quis semitonio intendat, dorium faciet, et in aliis quidem similis est in acumen intensionemque processus. Quorum, non ut [c] intelligentiam solummodo ratio comprehendatur, verum oculis quoque forma possit agnosci, ab anti-
D quis tradita musicis descriptio supponenda est; sed quoniam per singulos modos a veteribus musicis unaquæque vox diversis notulis insignita est, descriptio prius notularum videtur esse ponenda, ut his primum per se cognitis in modorum descriptione facilis possit esse dispectio.

[a] *Non legitur.* [b] *Diapente.* [c] *Intelligentiæ.*

Hypermixolydius	Mixolydius	Lydius	Phrygius	Dorius	Hypolydius	Hypophrygius	Hypodorius		
Λ′	V ⊣	Z ⊢	> L	N Π	⚲ N	ɜ ω	Q ⊸	Proslambanomenos	A
Φ E	ω Λ	Ꞁ ᐊ	Z ⊢	I E	W H	♀ H	ɜ ω	Hypate hypaton	♮
γ̇ Π	Ψ γ̇	B L	F ⊢	Ѧ Ш	V ħ	(Υ H	b ɯ	Parhypate hypaton	C
Π Ɔ	T Ш	Φ F	ω Λ	V ⊣	Z T	I E	N H	Lichanos hypaton	D
M Π	Π 9	C C	Φ Ш	ω Λ	Ꞁ Γ	Z ⊢	I E	Hypate meson	E
a ᐊ	O K	P C	γ Π	Ɔ+ ·ɤ	R L	F ⊥	Ѧ III	Parhypate meson	F
H ⊳	K I.	M Π	Π 9	T Ш	Φ F	ω ʎ	Δ ⊣	Lichanos meson	G
Γ N	H ⊳	I γ̇	M Π	Π Ɔ	C C	Φ F	ω Λ	ΜΕΣΗ	a
B Ɩ	Z Π	ϕ γ	ʎ ⸌⸜	O K	P O	Υ Π	┼ Z	Trite synemmenon	b
)I(Ꞁ	a Ɩ	Γ Z	H ⊳	IC Ꞁ	M Ꞁ	Π Ɔ	T Ш	Paranete synemmen.	c
⊥ ·γ	)|(ʎ	Ʊ Z	Γ N	Π γ	I ·γ	M Π	Π Ɔ	Nete synemmenon	d
Ʊ Z	Γ N	Z Ш	I ·γ	M Π	O K	C C	Φ F	Paramese	♮
Ѧ γ	B)	Ш Π	ϕ γ	γ ᐊ	ʎ Ʊ L	P 9	Υ Π	Trite diezeugmenon	c
⊥ γ	)((Λ	Ʊ Z	Γ N	N ⊳	I ʎ	M Π	Π Ɔ	Paranete diezeugmen.	d
M′ Π′	⊥ γ	ϕ N	Ʊ Z	Γ Z	Z Ш	[illegible]	M Π	Nete diezeugmenon	e
a ᐊ′	⊸ K′	Λ V	Ψ Vv	R′	E Π	ϕ V	ʎ γ	Trite hyperboleon	f
N ⊳	K′ γ	M Π	T γ	)ξ ʎ	Ʊ Z	Γ N	H ⊳	Paranete hyperboleon	g
Γ′ N′	H′ ⊳′	Γ′ V′	M′ Π	⊥ Y	ϕ N	Ʊ Z	Γ N	Nete hyperboleon	Aa

CAPUT XV.

Descriptio continens modorum ordinem ac differentias.

Superior igitur descriptio chordarum nomina tenet ascripta, notulas vero juxta positas, et quæ cujusque sit modi, sive lydii, sive phrygii, sive dorii vocabulorum signat adjectio. Sed quoniam hos modo diximus in speciebus diapason consonantiæ reperiri, age eosdem in diatonico tantum genere describamus, ut qui eorum ordo sit, sub aspectu cadens intelligentiam non moretur.

Acutissimus Tetrardus Hypermixolydius

synemmenon

paramese

Plagis Tetrardi Mixolydius

synemmenon

paramese

Tritus Lydius

synemmenon

paramese

Deuterus Phrygius

synemmenon

paramese

Dorius Protus

synemmenon

paramese

Hypolydius Plagi triti

synemmenon

paramese

Hypophrygius Plagis deuteri

synemmenon

paramese

Hypodorius Plagis proti

synemmenon

paramese

CAPUT XVI.


De superius disposita modorum descriptione.

Septem quidem prædiximus esse modos, sed nihi videatur incongruum quod octavus super annexus est. Hujus enim adjectionis rationem paulo posterius eloquemur. Nunc illud est considerandum quod hæ paginulæ, quas inter se rectus linearum ordo distinguit, aliæ quidem habent notulas musicas, aliæ vero minime, velut in eo modo qui scribitur hypermixolydius. Prima quidem paginula ω tertia Φ litteris adnotatur. Secunda [a] notula vacat. In hac igitur inter capedine notularum tonus interesse monstratur. Quod vero Φ tertiæ atque γ quartæ paginæ notam non paginula dividit, sed versus recto ordine diductus, semitonium eas differre pronuntiat, quod probatur hoc modo : nam si ω proslambanomenos est, Φ hypate hypaton, γ parhypate hypaton, necesse est inter proslambanomenon quod est ω et inter hypaten hypaton, quod est Φ toni esse distantiam, inter hypaten autem hypaton quod est Φ et parhypaten hypaton, quod est γ, semitonii differentiam contineri [b] jamque hoc regulariter in cunctis est considerandum, ut si vocum

[a] *Notulis.* [b] *Itaque.*

notulas integra pagina disgregaverit, toni inter eas sciamus esse distantiam. Sin versus notulas, ac non pagina distinguit, semitonii non ignoremus esse distantiam. His igitur ita præmissis, si duo ordines in bis diapason consonantia constituti sibi invicem comparentur, ut qui ordo sit gravior possit agnosci, si proslambanomenos [a] proslambanomene fuerit gravior vel quælibet alia vox ejusdem loci voce gravior pernotetur, in eodem scilicet genere constituta, totum quoque ordinem necesse est esse graviorem. Tamen id melius sumetur ad mediam quæ est mese. Duorum enim [b] ordinum bis diapason consonantium cujus mese fuerit gravior, ejusdem totus ordo quoque gravior erit. Nam cæteræ singulæ singulis comparatæ nihilominus graviores invenientur, itaque si media ab alia media tono aut acutior videatur, aut gravior, omnes quoque nervi si id eodem genere sint, singuli [c] sibimet comparati tono acutiores aut graviores esse videbuntur. Quatuor autem mediis si prima ad quartam diatessaron distantiam servet, prima vero a secunda tono differat, secunda quoque a tertia eodem differat tono, tertia ad quartam semitonii faciet differentiam hoc modo : sint 4 mediæ A B C D, et A ei quæ est D comparata servet ad eam sesquitertiam proportionem, quæ est diatessaron. Item A a B distet tono, B a C distet tono, relinquitur ut C ad D semitonii distantiam servet.

Sesquitertia ratio.



Et si quinque sint mediæ eodem modo. Si enim prima a quinta sesquialtera [d] disteterit proportione, primaque a secunda, ac secunda a tertia, quartaque a quinta, singulis [e] disteterint tonis, tertia ad quartam semitonii faciet differentiam. Item quæcunque mediæ aliorum modorum proslambanomenos accedunt hæ graviores modos operantur. [f] Quæ netis, illæ acutiores efficiunt. Quoniam igitur in superiore pagina descriptis modis partem sinistram legentis proslambanomeni primi tenent. Dextera vero legentis extremis clauditur netis, erit omnibus quidem acutior [g] modis, qui inscribitur hypermixolydius, omnibus vero gravioris qui hypodorius. Nos vero a gravissimo hypodorio inchoantes, cæteros quam inter se habent differentiam designabimus. Namque in hypodorio modo mese quæ est ω ab ea mese quæ est in modo hypophrygio tono [h] distabit. Quod in hoc facile perspicietur, si quis ad mesen hypophrygii, quæ est φ ejusdem hypophrygii ω comparet, quæ est hypodorii quidem mese, in hypophrygia autem lichanos meson. Nam φ atque ω tono differunt, quod pagina interjecta

A demonstrat. Item mese hypolydii ab ea quæ est mese hypophrygii toni differentiam facit. Namque C, quæ est mese hypolydii, tono distat a φ, quæ est hypolydii quidem lichanos mesen, in hypophrygio autem mese. Item mese hypolydii, quæ est C, ab ea quæ est mese dorii semitonio distat. Quod hinc poterit agnosci, quoniam ordinem sursum prodeuntem ejus meses, quæ est hypolydii, atque eum ordinem in sursum prodeuntem ejus meses quæ est dorii, unus versiculus, non pagina distinguit. Quo fit ut mese hypodorii ab ea mese quæ est dorii, integra diatessaron consonantia distet, idque probatur hoc modo : nam quæ est mese ω in hypodorio, eadam est ω in dorio; hypate meson est ab ea quæ est mese, quovis modo vel genere diatessaron consonantia differens. Item B mese dorii quæ est π ab ea mese quæ est phrygii, id est M, distat tono. Nam quæ est mese in dorio, π eadem in phrygio lichanos meson. Rursus mese phrygii quæ est M, ab ea mese quæ est lydii, id est I distat tono. Nam quæ in phrygio est M mese, in lydio est lichanos mese. Rursus mese lydii modi ab ea mese quæ est myxolydii; id est II, semitonio distat. Etenim [i] si ordo qui rectus lydii continet mesen ei ordini qui rectus mixolydii mesen habet comparatus, non paginula, sed versu [j] disjungitur. Ea quoque mese quæ est myxolydii H ad eam mesen quæ est hypermixolydii, id est Γ, toni differentiam facit; idcirco quoniam H quæ in mixolydio mese est eadem in hypermixolydio lichanos meson est. Unde fit ut C mese dorii ab ea mese quæ est mixolydii diatessaron consonantia distet. Id probatur hoc modo : nam meson quæ est dorii id est [k] π, eadem est mixolydii, id est [l] π hypate meson, quæ ad cujuslibet modi mesen diatessaron consonantiam servat. Item mese dorii, id est [m] π, ad eam mesen quæ est hypermixolydii quæ est r diapente consonantiam servat. Ea enim mese quæ est dorii id est [n] π, in ordine hypermixolydii lichanos hypaton est; lichanos autem hypaton ad mesem in diatonico genere in quolibet modo si comparetur, diapente consonantia distat. Cur autem octavus modus, qui est hypermixolydius, adjectus est, [o] hic patet. Sit bis diapason consonantia hæc.

D

A	B	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	N	O	P	

CAPUT XVII.

Ratio superius dispositæ modorum descriptionis.


Diapason igitur consonantiam servat A ad id quod est H, octo enim vocibus continetur : primam igitur dicimus esse speciem diapason ea quæ est A H, secundam vero B I, tertiam C K, quartam D L, quintam E M, sextam F N, septimam G O. Relinquitur igitur extra H P, quæ ut totus ordo impleatur adjecta est, atque hic est octavus modus, quem Ptolemæus super annexuit.

[a] *Non legitur.* [b] *Ordinem.* [c] *Singulis.* [d] *Destiterit* [e] *Destiterint.* [f] *Quæcunque.* [g] *Modus.* [h] *Distat.* [i] *Is.* [j] *Distinguitur.* [k] N. [l] N. [m] N. [n] N. [o] *Hinc.*

CAPUT XVIII.


Quemadmodum indubitanter musicæ consonantiæ aure dijudicari possint.

Ut [a] vero indubitanter consonantiarum ratio colligatur, tali brevissimo ac simplici effici poterit instrumento. Sit igitur regula diligenter extensa A D, cui duo hemispheria, quas magadas Græci vocant, insuper apponantur, ita ut ab ea quæ est E curvatura ad id quod est B deducta linea rectos circa se angulos reddat : item ab ea quæ est F curvatura ad id quod est C punctum deducta linea rectos circum se angulos efficiat. Sint vero hæ æqualiter undique perpolitæ ad eosdem usus, sint eisdem aliæ æquales paratæ, super has intendatur nervus æqualis undique, is qui est A E F D. Si [b] igitur diatessaron consonantiam qualis sit reperire voluero, hoc modo faciam : ab E puncto, quo nervus semisphærium tangit, usque ad F punctum, quo rursus ab alia parte altero nervus semisphærio jungitur, divido spatium quod est E F septem partibus, et ad partem quartam septimarum appono punctum quod est K ; est igitur E K ad eam quæ est K F sesquitertia. Si igitur ad K æquum superioribus semisphæriis apposuero, atque alterutra vicissim E K et K F plectro adhibito pellantur, diatessaron distantiam consonabit. Sin vero simul partes idem C K et K F utrasque percussero, diatessaron consonantiam A nosco. Quod si diapente efficere volumus, quinque partibus totam chordam, id est spatium ab E ad divido ac tres uni proportioni, duas vero reliquæ dabo, atque ita posito semisphærio, secundum superius dictum modum consonantias dissonantiasque perpendo ; item si diapason consonantiam temptare voluero, totum tribus partibus seco, atque in unam duasque distribuens easdem simul vel alterutram pulsans [c] quid consonet, vel quod dissonet utraque cognosco. Tripla vero, quæ ex permixtis consonantiis nascitur, ita redditur, ut si totam in quatuor partium divisionibus [d] partiamus, atque in tres et unam tota nervi prolixitas dividatur, ita semisphærium tribus appositum triplæ proportionis dissonantiam et B consonantiam reddat.



LIBER QUINTUS.

Post monochordi regularis divisionem adjicienda arbitror esse ea in quibus veteres musicæ doctores sententiæ diversitate discordant, habendumque de omnibus subtile judicium, atque id quod proposito deest operi, mediocris doctrinæ [e] dispositione supplendum est. Potest enim alia quoque esse divisio, in qua non unus tantummodo nervus assumitur, qui positis proportionibus [f] dividat. Verum octo, atque ejusmodi cithara fiat, [g] aut in pluribus, et quanti necessarii sunt nervi, tota proportionum ratio quasi oculis subjecta cernatur.



CAPUT PRIMUM.

De vi harmonicæ et quæ sint ejus instrumenta judicii et quoniam usque sensibus oporteat credi.

Sed de his paulo post loquemur ; nunc dicendum est quæ sit vis harmonicæ, de qua tractare instituentes, quatuor libros implevimus. Naturam vero ejus [h] unoque exprimendam in hujus quinti voluminis seriem distulimus. Harmonica est facultas differentias acutorum et gravium sonorum sensu ac ra- C tione perpendens. Sensus enim ac ratio, quasi quædam facultatis harmonicæ instrumenta sunt. Sensus namque confusum quiddam ac proxime tale, quale est illud quod sentit, advertit. Ratio [i] autem dijudicat integritatem atque unas persequitur differentias. Itaque sensus invenit quidem confusa ac proxima veritati, accipit vero ratione integritatem. Ratio vero ipsas quidem invenit integritatem, accipit vero [j] sensu confusam ac proximam verisimilitudinem. Namque sensus nihil concipit integritatis, sed usque ad proximum venit. Ratio vero dijudicat, velut si quis manu circulum scribat, fortasse eum circulum vere oculus arbitretur. Ratio vero nullo modo esse id quod simulatur intelligit. Hoc vero idcirco est, quoniam sensus circa materiam vertitur, speciesque in ea compre- D henditur, quæ ita sunt fluide atque imperfecte. [k] Neque determinate, et [l] usque ad unguem expolite, sicut est ipsa materia. Quare [m] ipsum quoque confusio sequitur, mentem vero atque rationem, quoniam materia non moratur, species quas prævidet, præter subjecti communionem intuetur, atque ideo eam integritas comitatur ac veritas, [n] potiusque in sensum quod peccatur, aut minus est, aut emendat, aut complet. Fortasse autem id quod sensus non integre, sed confuse, atque veritate minus quasi quidam incallidus æstimator agnoscit, in singulis minus

[a] *Ergo.* [b] *Non legitur.* [c] *Quod.* [d] *Patiamur.* [e] *Dispensatione.* [f] *Dividatur.* [g] *Ut.* [h] *Vimque.* [i] *Vero.* [j] *Non legitur.* [k] *Nec.* [l] *Atque.* [m] *Sensum.* [n] *Potiusque quod in sensu aut peccatur.*

habeat errati. Collecta vero multiplicantur in summam, atque idcirco [a] magnam faciunt differentiam. Nam si duas voculas tono sensus distare arbitretur, neque distent, rursusque ab una earum [b] tono putet distare tertiam, neque sit integra ac vera toni sit distantia. Item tertiæ quartæque toni sensus differentiam putet, atque in eadem quoque errent, neque sit differentia toni, ab hac etiam quarta, quintam distare semitonium putet, neque vere, neque integre æstimet, in singulis fortasse minus videatur erratum. Quod vero in primo tono sensus reliquit atque id quod in secundo et tertio atque in quarto semitonio peccatum est, in unum congregatum atque collectum efficiet, ut prima vox ad quintam vocem diapente non contineat consonantiam, quod oportebat fieri si tres tonos ac semitonium sensus integre judicasset. Quod igitur in singulis tonis minus pervidebatur, id collectum in consonantiam evidenter apparuit. Atque ut pervideatur sensum quidem confusa colligere, nullo modo autem ad integritatem rationis ascendere, sic consideremus : Datæ enim lineæ majorem minorem [c] ne aliam reperire, nihil est difficile sensui. Proposita vero mensura in tanto majorem, tantove minorem reperiat, id non faciet sensus prima conceptio, sed solers rationis inventio. Vel si rursus datam lineam propositum sit vel duplicare, vel dimidiam secare, id fortasse licet paulo difficilius quam confuse majorem minoremve reperire, poterit tamen sensus inventione constitui. Si vero imperetur, ut propositæ lineæ tripla ponatur, vel ab ea pars tertia recidatur, vel quadrupla constituatur, vel pars quarta resecetur nonne impossible sit sensui, nisi integritas rationis accedat, hoc ideo, quia per processus quidem rationi locus accrescit, deficit sensui. Si enim octavam partem propositæ lineæ auferre aliquis imperetur, vel ejusdem octuplam dare cogatur, totius quidem [d] dimidiam sumere compellitur, dimidiæque dimidiam, ut sit quarta, quartæ [e] quæ dimidium, ut sit octava. Rursusque totius duplam, duplæque duplam, ut sit quadrupla, quadruplæque duplam, ut sit octupla. Itaque in tanta rerum numerositate nihil efficit sensus. Cujus omne judicium subitum, atque in superficie positum integritatem persecutionemque non explicat. Idcirco non est aurium sensui dandum omne judicium, sed exhibenda est etiam ratio quæ errantem sensum regat ac temperet, qua labens sensus deficiensque veluti baculo innitatur. Nam ut singulæ artes habent instrumenta quædam quibus partim confuse aliquid informent ut [f] asciculum, partim vero quod est integrum deprehendat, ut circinum. Ita etiam harmonica vis habet duas judicii partes : unum quidem hujusmodi, per quam sensus comprehendit subjectorum differentias vocum, aliam vero per quam ipsarum differentiarum modum mensuramque considerat.

CAPUT II.

Quid sid harmonica regula, vel quam intentionem harmonici [g] Pythagorici vel Aristoxenus, vel Ptolemæus esse dixere.

Hujusmodi igitur instrumentum in quo rationis adhibito modo, sonorum differentiæ perquiruntur, vocatur harmonica regula, in qua re [h] multorum doctorum sententiæ discordia fuit. Quidam enim qui Pythagoricis disciplinis maxime crediderunt, hanc intentionem harmonicæ esse dicebant, ut cuncta rationi consentanea sequerentur. Sensum enim dare quædam quodam modo semina cognitionis, rationem vero perficere. Aristoxenus vero econtrario rationem quidem comitem ac secundarium esse dicebat, cuncta vero sensus judicio terminari, et ad ejus modulationem consensumque esse [i] tenendum. A Ptolemæo autem quodam modo harmonicæ definitur intentio, ea scilicet ut nihil auribus rationique possit esse contrarium. Id enim secundum Ptolemæum harmonicus videtur intendere, ut id quod sensus judicat ratio quoque perpendat, et ita ratio proportiones inveniat ut ne sensus reclamet, duorumque horum concordia omnis harmonicæ intentio misceatur. Atque in eo maxime Aristoxenum ac Pythagoricos reprehendit, quod Aristoxenus nihil rationi, sed tantum sensibus credit, Pythagoricos autem [j] quod minimum sensibus, plurimum tamen proportionibus rationis invigilent.

CAPUT III.

In quo Aristoxenus vel Pythagorici vel Ptolemæus gravitatem atque acumem constare posuerunt.

Quoniam vero sonum esse omnes consentiunt aeris percussionem, gravitatis atque acuminis differentiam diversa ratione ponebant, Aristoxenum secuti et Pythagorici. Aristoxenus quippe sonorum differentias secundum gravitatem, atque acumen [k] arbitratur in qualitate consistere ; Pythagorici vero in quantitate ponebant. Ptolemæus autem Pythagoricis propior videtur. Idcirco quoniam ipse quoque gravitatem atque acumen non in qualitate putat, sed in quantitate constitui. Etenim spissiora ac subtiliora corpora acumen, rariora et vastiora edere gravitatem, ut nihil nunc de intensionis relaxationisque modo dicatur. Quanquam etiam cum relaxatur [l] aliqua quasi sit rarius atque crassius, cum vero intenditur spissius redditur, subtiliusque tenuatur.

CAPUT IV.

De sonorum differentiis Ptolemæi sententia.

His [m] igitur ita expeditis, differentias sonorum Ptolemæus [n] dividit hoc modo : Vocum aliæ sunt unisonæ, aliæ minimæ. Unisonæ sunt, quarum unus sonus est, vel in gravi, vel in acuto. Non unisonæ vero; quando alia est gravior, alia acutior. Harum partim ita sunt, ut earum inter se differentia communi fine jungatur. Non enim discreta est, sed a gravi in acutum ita deducitur, ut continua videatur. Aliæ vero sunt non unisonæ, quarum differentia silentio interveniente distinguitur, ut vero voces communi fine jungantur, fit hoc modo : Sicut enim cum

[a] *Maximam.* [b] *Tonum.* [c] *Ve.* [d] *Dimidictatem.* [e] *Non legitur.* [f] *Asciculum Calepinus : Asciacum c post abscindendo carpentorium instrumentum est. Hujus diminutivum asciola. Inde textum hic corruptum opinor.* [g] *Pythagorei.* [h] Ibid., *Multa.* [i] *Tendendum.* [j] *Quia.* [k] *Arbitrabatur.* [l] *Aliquid.* [m] *Non legitur.* [n] *Divisit.*

in nubibus arcus aspicitur, ita colores sibimet sunt A proximi : ut non sit certus finis, cum alter ab altero [a] disgregetur. Sed ita verbi gratia a rubro discedit ad pallidum, ut per continuam mutationem in sequentem vertatur colorem, nullo medio certoque interveniente, qui utrosque distinguat; ita etiam fieri solet in vocibus, ut si quis percutiat nervum eumque dum percutit torqueat, evenit ut in principio pulsus gravior sit, dum torquetur vero vox illa tenuetur, continuique fiant gravis vocis sonitus et acutæ.

CAPUT V.

Quæ voces enharmoniæ sunt aptæ.

Cum igitur non unisonarum vocum aliæ sint continuæ, aliæ disgregatæ, continuæ quidem tales sunt, B ut inter se earum differentia communi fine jungatur nec habeat locum designatum vox acuta gravisque quem teneant. Discretæ vero habent proprios locos, vel uti colores impermixti, quorum differentia visitur suo quodam loco constituta. Continuæ quidem non unisonæ voces ab harmonica facultate separantur. Sunt enim sibi ipsis dissimiles, nec unum aliquid personantes. Discretæ vero voces harmonicæ subjiciuntur arti. Potest enim distantium sibique dissimilium vocum differentia deprehendi, in quibus quæ junctæ efficere melos possint, ἐμμελεῖς dicuntur, ἐκμελεῖς autem quibus junctis effici non potest.

CAPUT VI.

Quem numerum proportionum Pythagorici statuunt. C

Consonæ autem vocantur quæ copulatæ mixtos suavesque efficiunt sonos. Dissonæ vero quæ minime. Et hoc quidem est Ptolemæi de sonorum differentia judicium. Nunc autem quid a cæteris musicis in consonantiarum positione disteterit dicendum videtur : Pythagorici enim consonantias diapente ac diatessaron simplices arbitrantur, atque ex his unam diapason consonantiam jungunt; esse etiam diapente ac diapason, et bis diapason, illam [b] triplicis hanc quadrupli. Diapason vero ac diatessaron consonantiam esse non æstimant, idcirco quoniam non insuper particulari vel multiplici cadit comparatione, sed in multiplici superpartiente. Est enim hæc proportio vocum ut octo ad 3; si quis enim horum in medio D quatuor ponat, efficit terminos hos 8 4 3. Quorum octo ad 4 diapason efficiunt consonantiam; 4 ad 3, diatessaron; octo vero ad 3, in multiplici superpartiente constituitur. Quæ autem sit multiplex superpartiens comparatio ex arithmeticis libris cognoscendum est, et ex his quæ secundo hujus institutionis libro digessimus. Pythagorici autem consonantias in multiplicibus ac superparticularibus ponunt, sicut in eodem libro secundo quartoque prædictum est. A superpatientibus vero ac multiplicibus superpartientibus consonantiam separant. Quibus autem modis diapason quidem duplici, diatessaron vero sesquitertio, ac diapente sesquialtero [c] jungunt Pythagorici, ex secundo hujus institutionis Musicæ libro quarto petendum est.

CAPUT VII.

Quod reprehendat Ptolemæus Pythagoricos in numero propositionum.


Reprehendit autem Pythagoricos Ptolemæus, totamque eam quam prædictis libris exposuimus demonstrationem pluribus modis, in quo totum illud etiam quod diatessaron ac diapente sesquialtero et sesquitertio conjungunt, in reliquis vero superparticularibus, cum ejusdem sint generis, nullas omnino applicent consonantias.


CAPUT VIII.


Demonstratio secundum Ptolemæum diapason et diatessaron consonantiæ.

Probat autem ex diapason et diatessaron quamdam symphoniam fieri hoc modo. Quoniam [d] enim diapason consonantia talem vocis efficit conjunctionem, ut unus atque idem nervus esse videatur, idque Pythagorici quoque consentiunt, quocirca si qua ei consonantia fuerit addita, integra inviolataque servatur. Ita enim diapason consonantiæ additur tanquam uni nervo. Sit igitur diapason consonantia quæ contineatur inter hypaton meson et neten diezeugmenon. Utraque hæc ita sibi consentit, [e] at conjungitur sono, ut una vox quasi unius nervi, non quasi duorum mixta pellat auditum. Quamcumque igttur huic diapason consonantiæ consonantiam junxerimus, servatur integra, quia ita jungitur tamquam uni voculæ ac nervo. Si igitur hypate meson et neten diezeugmenon duæ in acutum deatessaron fuerint junctæ, [f] si conjungitur nete quidem diezeugmenon ea quæ est nete hyperboleon, hypate autem meson ea quæ est mese, utraque ad utramque consonabit, et mese ad neten diezeugmenon, et eadem mese ad hypaten meson. Item nete hyperboleon ad neten diezeugmenon et ad hypaten meson. Item si ad graviorem partem [g] utriusque diatessaron consonantiæ relaxentur, erit ad [h] meses quidem hypaton diatessaron retinens consonantiam hypate hypaton, ad neten autem diezeugmenon paramese. Consonabitque et hypate hypaton ad hypaten meson, et ad [i] neten diezeugmenon ad paramesen et nete diezeugmenon, et ad hypate meson. Sed eo modo ut gravior quæ est ad sibi quidem proximam diatessaron retineat consonantiam, ad ulteriorem vero diatessaron ac diapason, ut hypate hypaton, ad hypaten meson diatessaron, ad neten diezeugmenon diatessaron ac diapason. Item nete hyperboleon, quæ est acutior, ad sibi proximam neten diezeugmenon diatessaron consonantiam, ad hypaten meson diatessaron ac diapason.

[a] *Disgregatur.* [b] *Triplici.* [c] *Conjungunt.* [d] *Non legitur.* [e] *Atque.* [f] *Sicut jungitur.* [g] *Utrisque.* [h] *Mesen.* [i] *Anete.*







CAPUT IX.

Quæ sit proprietas diapason consonantiæ.

Hoc vero idcirco evenire contendit, quoniam diapason pene una vocula est, talisque consonantia est, ut unum quodammodo effingat sonum, et sicut denario numero, qui fuerit additus intra eum positus integer [a] inviolatus servatur; cum in cæteris ad ita minime eveniat, ita etiam in hac consonantia. Nam si duo tribus adjicias, quinque continuo reddis, et numeri species immutata est. Si vero eosdem denario addas, duodecim feceris, et binarius junctus denario conservatus est. Item ternarius cæterique eodem modo : ita igitur symphonia diapason quamcunque aliam susceperit consonantiam servat, nec immutat, nec ex consona dissonam reddit. Nam sicut diapente symphonia juncta diapason consonantiæ in tripla scilicet proportione diapason ac diapente consonantiam servat, ita etiam diatessaron cum sit consonantia juncta cum diapason, aliam consonantiam reddit, et fit secundum Ptolemæum alterius consonantiæ additio [b] ejusque est diapason ac diatessaron

A in multiplici superpartiente constituta. Estque ea proportio dupla superbipartiens, ut octo ad tres; habent enim ternarium octo bis, duasque ejus partes, id est duas unitates.

CAPUT X.

Quibus modis Ptolemæus consonantias statuat.

Et de Pythagoricorum quidem opinione Ptolemæus ita dijudicat : quibus vero modis ipse consonantiarum proportiones numerosque vestiget, hinc ordiendum est. Voces, inquit, inter se vel unisonæ sunt, vel non unisonæ. Non unisonarum autem vocum aliæ quidem sunt æquisonæ, [c] aliæ emmelis, aliæ dissonæ, aliæ ecmelis. Et unisonæ quidem sunt quæ unum atque eumdem sigillatim pulsæ reddunt sonum.
B Æquisonæ vero quæ simul pulsæ unum ex duobus atque simplicem quodammodo efficiunt sonum, ut est diapason, eaque duplicata quæ est bis diapason. Consonæ autem sunt quæ compositum permixtumque suavem tamen efficiunt sonum, ut diapente ac diatessaron. Emmelis autem sunt quæcunque quidem consonæ non sunt, possunt aptari tamen recte ad melos, ut sunt hæ quæ consonantias jungunt. Dissonæ vero sunt quæ non permiscent sonos, atque insuaviter feriunt sensum. Ecmelis vero quæ non recipiunt in consonantiarum conjunctione, de quibus paulo posterius in divisione tetrachordorum dicemus. Quoniam igitur univocis quidem comparationibus proxime sunt æquivocæ, necessarie est ut æquis numeris ea numerorum inæqualitas adjungatur, quæ
C est proxima æquis. Est autem juxta æqualitatem numerorum ea quæ est dupla. Nam et prima multiplicitatis species est, et major numerus cum [d] minorem numerum supervenit, æquo cum ipsi minori transcendit, ut duo unum uno transgrediuntur, qui eidem unitati æqualis est; jure igitur duplex proportio æquisonis aptatur, id est diapason. Bis diapason vero bis duplici, id est quadruplo. Quæ autem proportiones dividunt duplicem proportionem primæ ac maximæ, his aptandæ sunt consonantiis quæ dividunt diapason [e] æquiconsonantiam. Unde fit ut diapente quidem sesquialteræ, diatessaron vero sesquitertiæ comparationi copulentur. Junctæ vero [f] consonantiæ cum æquisonis alias efficiunt consonantias, ut diapente ac diapason in triplo, diatessaron ac diapa-
D son in ea proportione quæ est octo ad tres [g] Emmelis autem sunt quæ diapente ac diatessaron dividunt, ut tonus cæteræque proportiones, de quibus paulo posterius in divisione tetrachordorum loquemur, simplices earum scilicet partes.

CAPUT XI.

Quæ sint æquisonæ, vel quæ consonæ, vel quæ hemmelis.

Igitur æquisonæ quidem sunt diapason ac bis diapason, quoniam earum temperamento mixturaque unus atque simplex quodammodo efficitur sonus. Consonantiæ autem sunt, primæ quidem insuper particularibus sesquialtera et sesquitertia, id est diapente ac diatessaron, et diapason ac diapente, et


[a] *Inviolatusque.* [b] *Ejus quæ.* [c] *Aliæ consonæ.* [d] *Minore* [e] *Æquisonantiam.* [f] *Consonæ.* [g] *Emmeles.* [h] *Emmeles.*

diapason ac diatessaron, hæ sunt compositæ atque conjunctæ ex æquisonis et consonantibus. [a] Emmelis autem reliqui inter has poni possunt, ut inter diatessaron ac diapente differentia tonus, junguntur que quodammodo æquisonæ quidem ex consonantibus, ut diapason ex diatessaron et diapente. Consonantiæ autem ex his qui emmelis soni vocantur, ut eadem diapente et diatessaron tonis cæterisque posterius dicendis proportionibus; sed quomodo quidem horum omnium proportio colligi possit, ex eo loco sumendum est quem quarto volumine in fine descripsimus, ubi [b] numerus super semisphæria, tendebatur. Ibi enim deprehenditur æquisonantia, diapason ac bis diapason, et consonantiæ simplices diapente ac diatessaron, et consonantiæ compositæ, diapason ac diapente, et diapason ac diatessaron et qui sunt emmelis soni, ut in toni differentia consistentes.

CAPUT XII.

Quemadmodum Aristoxenus intervallum consideret.


Quid vero de his Aristoxenus sentiat breviter aperiendum est. [c] Ille enim quoniam minime tractatum rationi constituit, sed aurium judicio permittit, idcirco voces ipsas nullis numeris notat, ut earum colligat proportiones, sed earum in medio differentiam sumit, ut speculationem non in ipsis vocibus, sed in eo quod inter se differunt, collocet, nimis improvide, qui differentiam se scire arbitretur earum vocum, quarum magnitudinem nullam mensuramve constituat. C Hic igitur et diatessaron consonantiam duorum tonorum ac semitonii esse proponit, et diapente trium tonorum ac semitonii, et diapason sex tonorum, quod fieri non posse superioribus voluminibus demonstratum est.



CAPUT XIII.

Descriptio octochordi, qua ostenditur diapason consonantiam minorem esse sex tonis.

Docet autem Ptolemæus per cujusdam octochordi. A divisionem diapason intra sex tonos cadere hoc modo : intendantur enim octo chordæ, id est A B C D E F G H, fiatque sesquioctava A K ejus quæ est BL, et BL ejus quæ est C M, et C M ejus quæ est D N, et D N ejus quæ est E X, et E X ejus quæ est F O, et FO ejus quæ est G P. Erunt igitur sex toni. Rursus inter F G et G P H ducatur medius nervus ad R. Erit igitur A K dupla ab eo quod est H R. Pulsæ igitur simul A K H R diapason æquisonantiam consonabunt. Si vero aliquis G P percutiat, semper erit paulo acutior quam est H R. Ac per hoc transcendunt sex toni diapason consonantiam. Si enim A K et G P diapason pulsati resonarent, tonorum sex esset diapason consonantia. Si vero his idem A K et G P non consonantibus A K et H R diapason conso- B narent, et H R acutior esset quam G P, diapason consonantia sex tonos excederet. Nunc vero quia consonantibus A K et H R eadem H K ab ea quæ est G P gravior invenitur, non potest dubitari quin sex toni diapason consonantiam excedant. Atque ita sensu quoque potest colligi diapason consonantiam [d] inter sex tonos cadere. Sic igitur Aristoxeni error sine dubitatione convincitur.



CAPUT XIV.

Diatessaron consonantiam tetrachordo contineri.

Nunc de tetrachordorum divisione dicendum est. Etenim diatessaron consonantia quatuor efficitur nervis; idcirco etiam diatessaron nuncupatur, ut igitur duobus nervis altrinsecus positis [e] ad diatessaron symphoniam consonantibus tetrachordum fiat, duos necesse est statui in medio nervos, qui ad se invicem D atque ad extremos tres proportiones efficiant.

CAPUT XV.

Quomodo Aristoxenus vel tonum dividat, vel genera [f] ejusque divisionis dispositio.

Hoc igitur diatessaron Aristoxenus per genera tali ratione partitur. Dividit enim tonum in duas partes, atque id semitonium vocat. Dividit in tres partes, cujus tertiam diesin vocat chromatis mollis, dividit in 4, cujus quartam cum propria medietate, id est cum octava totius toni, appellat diesin chromatis hemiolii. [g] Rursus solam quartam ejus vocat diesin enharmonios.

[a] *Emmeles autem sunt reliqui.* [b] *Nervus.* [c] *Ipse.* [d] *Intra.* [e] *Ac.* [f] *Ejus, quæ.* [g] *Hæc non leguntur.*

FIGURA GLAREANI.
Semitonium, Toni medietas Semitonium.

Omnium intervallorum quæ in tono sunt secundum Aristoxenum divisio.

AD LECTOREM

Minutas divisiones pingere non potuimus, care lector. nam Aristoxenus tonum in duodecim partes scindit. Diesis ergo enharmonios habebit tres; diesis autem chromatis mollis habebit quatuor, demum hemitonium sex; diesis vero chromatis hemioli quatuor et semis obtinebit. Quod si dupletur spatium, ut paulo post Boetius, erunt quæ diximus intervalla omnia duplanda ob numeros commodiores, quod doctus facile videt. Vale.

Cum igitur hæc ita sint, cumque generum divisio secundum eum sit duplex, unum quidem genus est mollius; aliud vero incitatius. Et mollius quidem est enharmonium, incitatius vero diatonicum. Inter hæc vero consistit chromaticum incitatione mollitieque participans; fiunt igitur secundum hunc ordinem differentiæ permixtorum generum sex. Una quidem enharmonii, 3 autem chromatici, id est chromatici mollis, et chromatici hemiolii, et chromatici thoniæi. Duæ vero reliquæ diatonici, mollis atque incitati. Quorum omnium talis secundum Aristoxenum divisio est. Quoniam enim quarta pars toni diesis enharmonios nuncupari prædicta est, quoniamque Aristoxenus non voces ipsas inter se comparat, sed differentiam vocum intervallumque metitur, et secundum eum tonus est duodecim unitatum, hujus igitur erit pars quarta diesis enharmonios tres. Quoniam vero ex duobus tonis ac semitonio diatessaron consonantia jungitur, erit tota diatessaron ex his duodecim ac sex unitatibus constituta. Sed quoniam sæpe fit ut si usque ad octavas velimus deducere partes, non integros numeros, sed in aliquas particulas incurramus, idcirco [a] quidem facienda est tota diatessaron consonantia 60. At vero 24 tonus, semitonium duodecim, pars quarta, quæ diesis enharmonios dicitur, sex, octava autem tres; juncta vero octava cum quarta, sex scilicet cum tribus, ut faciat diesin chromatis hemiolii, erunt novem. His igitur ita constitutis, tria genera, enharmonicum, chromaticum, diatonicum, has Aristoxeno videntur habere proprietates, ut alia eorum dicantur spissa, alia minime. Spissa sunt, [b] quorum duæ graviores proportiones : unam eam quæ ad acutum apposita est magnitudine non

A vincunt. Non spissa vero [c] quorum duæ proportiones unam reliquam poterunt superare; est autem enharmonium et chromaticum spissum, diatonicum vero non spissum. Itaque enharmonium secundum Aristoxenum dividitur sic 6, 6, 48, ut inter gravem nervum ac prope gravem sit quarta pars toni, quæ dicitur diesis enharmonios, cum sit tonus 24 unitatibus constitutus. Item secundum intervallum a gravi nervo ad tertium, sit eadem quarta [b] pars toni. Reliqui vero qui restant ex sexaginta qui totius proportionis sunt inter tertium a gravi nervo atque acutissimum quartum ponuntur 48, et duæ proportiones ad gravem positæ, id est 6 ac 6, unam reliquam ad acutum locatam, id est 48, non vincunt. Chromatis vero mollis hanc facit divisionem 8, 8, 44, ut octo
B atque octo sint tertiæ partes tonorum ; est enim tonus (ut dictum est) 24 unitatum, et dicitur toni pars tertia diesis chromatis mollis. Item chromatis hemiolii diatessaron ita partitur, 9, 9, 42. Est [e] autem diesis chromatis hemiolii pars octava toni cum quarta, id est ex 24 sex cum tribus. Item chromatis thoniæi talis secundum Aristoxenum partitio est, 12, 12, 36. Scilicet ut in duobus intervallis singula semitonia constituat, et quod reliquum est in ultimo. Atque in his omnibus duæ proportiones, quæ graviori nervo sunt proximæ, reliquam quæ ad acutum posita est, [f] magnitudine minime superant, sunt enim (ut dictum est) spissorum generum. Spissa quippe genera sunt enharmonium atque chromaticum. Diatonica vero divisio ipsa quoque est duplex. Et mollis
C quidem diatonici divisio est hoc modo, 12, 18, 30, ut 12 semitonium sit, decem et octo semitonium, et quarta pars toni, [g] 32 vero quod reliquum est. Quorum decem et octo et 12 efficiunt 30, nec superantur ab ea parte quæ reliqua est. Item diatonici incitati talis partitio est, ut semitonium ac duos habeat integros tonos 12, 24, 24, ex quibus 24 et 12, id est 36, non superantur a reliqua parte quæ ad acutum est, sed potius vincunt. Est igitur secundum Aristoxenum tetrachordorum prædicta partitio, quæ subjecta descriptione monstratur.

D

Divisio diatonici incitati	Divisio diatonici mollis	Divisio chromatici thoniæi
Diatessaron	Diatessaron	Diatessaron

GLAREANUS AD LECTOREM.

Nos totum negotium in tetrachordi hyperboleon ita (ut spero) declaravimus, ut facile lector consideret quid me Deus voluit elaborare. Multa tamen ex superioribus præsupponenda sunt, ut quomodo se divisio generum habeat, alioqui inutilis erit labor. Cætera, mi lector,

[a] *Non legitur.* [b] *Qua.* [c] *Qua.* [d] 6. [e] *Enim.* [f] *Magnitudinem.* [g] 30.

tuæ attentioni consideranda relinquo. Vale, et me ama. Id tamen volo te admoneri, in applicatione graviores chordas vertisse ad majorem numerum, cum tamen hic numerus non sit chordarum, sed potius intervallorum. Ubi ergo nete diezeugmenon erat, ibi apte potuit poni nete hyperboleon. Attamen crede parum erroris esse. Nomina enim non omnino speculationem impediant.

Divisio chromatis hemiolii	Divisio chromatis mollis	Divisio enharmonii
Diatessaron	Diatessaron	Diatessaron
60	60	60
diesis et octa pars toni — diesis et octa pars toni	3. pars toni — 3. pars toni	4. pars toni — quar pars toni
42 9 9	44 8 8	48 6 6

Intervallum	Numerus	Chorda	Tetrachordos
Duo toni	48	Nete diezeugmenon	Tetrachordos hyperboleon in genere enharmonio partitum. Diatessaron
Pars quarta	6	Trite hyperboleon	
Quatra pars	6	Paranete hyperboleon Nete hyperboleon	
Tonus cum hemitonio et insup. $\frac{1}{3}$	44	Nete diezeugmenon	Tetrachordos hyperboleon in chromate molli disectum. Diatessaron
Pars tertia	8	Trite hyperboleon	
Pars tertia	8	Paranete hyperboleon Nete hyperboleon	
Tonus cum $\frac{6}{8}$ vel $\frac{3}{4}$	42	Nete diezeugmenon	Tetrachordos hyperboleon in genere chromatici hemioli divisum. Diatessaron
Pars octava cum quarta	9	Trite hyperboleon	
Octava cum quarta	9	Paranete hyperboleon Nete hyperboleon	
Tonus cum hemitonio	36	Nete diezeugmenon	Tetrachordos hyperboleon in chromate tonico separatum. Diatessaron
Hemitonium	12	Trite hyperboleon	
Hemitonium	12	Nete hyperboleon Paranete hyperboleon	
Tonus cum quarta parte	30	Nete diezeugmenon	Tetrachordos hyperboleon in genere diatonico molli disjunctum. Diatessaron
Hemitonium cum quarta parte	18	Trite hyperboleon	
Hemitonium		Paranete hyperboleon Nete hyperboleon	
Tonus	24	Nete diezeugmenon	Tetrachordos hyperboleon in diatonico incitato scissum. Diatessaron
Tonus	24	Trite hyperboleon	
Hemitonium	12	Paranete hyperboleon	
		Nete hyperboleon	

Chromatici generis tria secunum Aritoxenum

Diatonici generi duo


CAPUT XVI.

Quomodo Archytas tetrachorda dividat eorumque descriptio.

Archytas vero cuncta [a] in ratione constituens non modo [b] sensum aurium in primis consonantiis observare neglexerit, verum etiam maxime in tetrachordorum divisione rationem secutus est. Sed ita, ut neque ea quam quærebat efficaciter expediret, neque sensui proposita ab eo ratio consentiret. Ille enim tria esse genera arbitratur, enharmonium, chromaticum, diatonicum. In quibus eosdem gravissimos statuit atque acutissimos sonos, in omnibus quidem generibus gravissimos sonos faciens 2016, acutissimos vero 1512; inter hos in tribus generibus nervum gravissimo proximum collocat, eum scilicet qui sit 1954, ut ad eum 2016, [c] sesquivicesimam septimam obtineant proportionem. Post hæc vero infra acutum nervum, tertium vero a gravissimo eum collocat in

A enharmonio genere, qui sit 1890, ad quem 1944 sesquitricesima quinta proportione jungantur. Idemque 1890 ad acutissimum 1512 in sesquiquarta proportione sit constitutus. Item in diatonico genere tertium quidem a gravissimo nervo, secundum vero ab acutissimo eum ponit, qui sit 1701, ad quos 1944 sesquiseptima proportione conjuncti sunt. Ipsi autem 1701 ad acutissimum, 1512 sesquioctava. In chromatico vero genere tertium a gravissimo, et secundum ab acutissimo eum ponit, qui ad 1701, qui est tertius a gravissimo in diatonico genere [d] eam obtineat proportionem quam obtinent 256 ad 243; hic autem est 1792, qui est secundus ab acutissimo appositus, habetque proportionem secundus ab acutissimo in diatonico genere, id est 1701 ad secundum ab acutissimo
B in chromatico genere, id est 1762 eam quam habent 243 ad 257, eorumque tetrachordorum, secundum Archytæ sententiam, divisorum formam monstrat subjecta descriptio.

[a] *Non legitur.* [b] *Sensu* [c] *Sesquingesimam.* [d] *Eamdem.*



CAPUT XVII.

Quemadmodum Ptolemæus et Aristoxeni et Architæ tetrachordorum divisiones deprehendat.

Sed utrasque tetrachordorum divisiones Ptolemæus ita reprehendit. Architam quidem primo, quoniam secundus ab acutissimo nervus chromatico genere, id est 1792, ita est collocatus, ut nec ad acutissimum 1512, nec ad proximum graviori 1944, ullam superparticularem efficiat proportionem, cum Architas tantam superparticularibus comparationibus [a] hahuit dignitatem, ut eas etiam in consonantiarum ratione susceperit. Dehinc quod primam a gravissimo nervo proportionem in chromatico quidem [b] majorem sensus deprehendat quam fecit Architas, hic namque in chromatico genere 1944 ad 2016 distare fecit [c] sesquivicesimam septimam proportionem, cum secundum consuetam chromatici generis modulationem [d] sesquivicesima prima esse debuerit. Item enharmonium genus ea proportio, quam primam a gravissimo secundum Architæ retinet divisionem, talis est, ut longe minor esse debeat quam in cæteris generibus invenitur; hic autem æquam eam cæteris generibus statuit, dum primas a gravi proportione in tribus generibus [e] sesquivicesimas septimas ponit. Aristoxenum vero culpat, quoniam in chromate molli et in chromate hemiolio tales posuerit primas secundasque a gravi nervo proportiones, quæ a se a minimo et quantum sensus non possit internoscere distarent. Est quippe proportio prima in chromatis A mollis, [f] prima divisione secundum Aristoxenum octo, at in chromate hemiolio novem. Sed octo ad novem unitatis differentia distant. Est autem tonus totus 24 unitatibus secundum positionem vel propositionem quorum unitas 24 est. Primæ igitur a gravi inter se proportiones chromatis mollis, et chromatis hemiolii 24 parte toni distant, quod propter brevitatem differentiæ nullo modo sentit auditus. Idem etiam Aristoxenum reprehendit cur diatonici generis duas tantum fecerit divisiones, ut in molle incitatumque divideret, cum possint aliæ quoque diatonici generis species inveniri.

CAPUT XVIII.

B *Quemadmodum tetrachordorum divisionem fieri dicat oportere.*

Ptolemæus [g] tetrachordo diversa ratione partitur, illud in principio statuens, ut inter duos altrinsecus sonos tales voculæ aptentur, quæ se superparticularibus proportionibus excedant, inæqualibus tamen, quoniam superparticularis proportio non potest in æqua dividi. Dehinc ut omnis comparatio, quæ fit ad eum nervum qui est gravissimus, in tribus minor sit cæteris, quæ acutis vocibus conjunguntur. Sed in his ea quæ spissa nominamus talia esse debent, ut duæ proportiones, quæ gravitati sunt proximæ, minores sint ea proportione quæ relinquuntur ad acutum, [h] in non spissis vero ut in diatonicis generibus nusquam una.


EPISTOLA PRÆFATORIA.

NICOLAUS JUDECUS *Venetus* DONATO CIVALELLO *viro rhetorico salutem.*

Recognoscens superioribus diebus, Donate Musarum cultor elegantissime, quosdam divi Boetii de Geometria libros, consulto Euclidis Græco exemplari, cujus ille compluscula theoremata ad verbum Latina fecit animadverti eminentissimum geometram Euclidem a nostris et mendose admodum legi, et (ut mea quidem fert opinio), non satis recte exponi; sed prius illud fere traductoris culpa accidisse videtur. Is enim quicunque

[a] *Habuerit.* [b] *Sensus esse.* [c] *Sesquingesimam.* [d] *Sesquingesima.* [e] *Sesquingesimas.* [f] *Non legitur* [g] *Enim.* [h] *Non legitur.*


tandem fuerit, e barbara lingua Græca volumina transferens semilatina reddidit. Nam vocubula quædam ita ut jacent barbara dimittit, cum tamen Latini sua habeant et quidem optima ac probatissima. Quam enim quadrilateram figuram rhombum et Græci et nostri appellant, ille verbo quodam (ut ita dicam) exotico helmuaim vocat, et huic affinem, quam Græci rhomboiden dicunt, similem helmuaim. Sunt et aliæ quædam quadrilateræ figuræ, quas Græci trapezia, nostri mensulas nominant.



Has noster hic interpres Latini atque Græci vocabuli peræque ignarus, helmuarifas dicere non veretur. Sed sint sane hæc levia et non multa animadversione digna. Illud certe (ni fallor) defendi nulla excusatione potest, quod rerum definitiones, quibus ut principiis totius scientiæ utimur, et confundendo falsas facit, et quas Euclides minime somniavit in earum locum quæ illius erant, temerario quodam ausu supponit. Nam statim in initio operis lineam hujuscemodi definitionis termino claudit: Linea est longitudo sine latitudine, cujus quidem extremitates sunt dua puncta. Hæc vero finitio ei lineæ accommodari minime potest quam peripheriam Græci nominant, cum illa extremis nullis finiatur, quanquam quidam ex recentioribus falsa translatione decepti, hanc tanquam Euclidis veram definitionem defendere conantur, dicentes peripheriam quidem extremis et finibus actu carere, aptitudine vero (ut eorum utar vocabulo) fines et terminos agnoscere, quod perridiculum est. Siquidem eodem exemplo lineam ipse definiam longitudinem citra latitudinem, quæ quidem extremis careat, quod si reclamabis et lineam objicies rectam finitam, respondebo eam finibus habilitate potentiaque vacare, quamvis actu non vacet. Quamobrem aut utraque definitio recipienda est, quo nihil potest esse absurdius, aut utraque rejicienda. Quod rectissima ratione fieri constabit, si quis animadvertat quam incuriose egregius iste interpres duas rerum longe aliarum definitiones in unam quasi formam conjunxerit, atque D *ad unam tantum rem definiendam assumpserit. Nam Euclides cum lineam definivisset longitudinem citra latitudinem, essentque ex lineis quædam finitæ et terminatæ, mox declaravit qui essent lineæ fines et termini, inquiens: Lineæ vero extrema puncta sunt. At hic noster tam lepidæ traductionis auctor ex duarum definitionum permixtione confusioneque unum quasi corpus definitionis collegit, ac soli lineæ congruere aptarique posse putavit. Ad plenam igitur lineæ definitionem nihil aliud corrogandum est, præter id quod dictum est lineam longitudinem esse citra latitudinem. Sic enim circumcurrentes lineas rectas, et flexuosas complectitur, item finitas pariter atque infinitas. Ex quibus quidem infinitas lineas prior nobis jam infirmata definitio manifestissime non recipiebat. Age ostendamus nunc etiam Euclidis definitiones ab hoc nostro interprete (ut est in* A *omnibus æque diligentissimus) prætermitti quandoque, et alias quasdam pro illis adhiberi, in quo quidem non multum inquirendo laborabimus. Nam statim post dictas descriptiones lineam rectam his verbis definit: Linea recta est ab uno puncto ad alium brevissima extensio, in extremitates suas utrumque eorum recipiens. Non ita Euclides, sed definitionem universam brevissime colligit in hunc modum: Recta linea est quæ ex æquo sua puncta interjacet. Non secus in definitione plane superficiei aberrat, nam cum Euclides sic definiat: Plana superficies est quæ ex æquo suas lineas interjacet, ille quamdam longe aliam commentus est definitionem hoc modo: Plana superficies est ab una linea ad aliam extensio in extremitates suas recipiens.* B *Sed hæc atque alia hujuscemodi plura partim inscite et indocte translata, partim etiam immutata et inversa, si utrumque diligenter legere aliquando tibi contigerit, per te ipse facillime deprehendes. Nunc quæ in expositore Campano in primum elementorum librum notavi, explicare tibi aggredior. In qua quidem re ab omnibus viris doctis, quibus hæc nostra legere otium erit, petitum impetratumque esse velim, ne eos viri auctoritas magis moveat, quam ratio ipsa et veritas. Leguntur itaque (ut ad rem ipsam jam veniam) apud Euclidem in primo elementorum libro duo theoremata, quorum alterum reciprocat atque recurrit ad alterum. Ambo vero deductione ad incommodum a Campano demonstrata sunt. Sed ut quid ordiar planius intelligas, accipe primum theoremata ipsa cum eorum deductionibus, ita ut* C *illa legit atque astruit Campanus. Deinde quid fortasse peccaverit ille, quidque nos sentiamus, breviter audies, theoremata igitur hæc sunt.*


Omnis trianguli longius latus majori angulo oppositum est.

Sit ut triangulo A B C, angulus A sit major angulo C. Dico quod latus C B majus erit latere A B; si enim sit æquale, erit per 5 angulus A æqualis angulo C, quod est contra hypothesim. Si autem A B sit majus, resecetur ad æqualitatem C B per 3. Sitque D B æquale C B, erit ergo per 5 angulus D C B æqualis angulo B D C; sed B D C est major angulo B A C per 16; ergo B C D est major B A C: quare multo fortius major A C B pars toto, quod est impossibile.



Omnis trianguli majori angulo longius latus oppositum est.

Sit ut in triangulo A B C latus B C sit majus latere A B Dico quod angulus A erit major angulo C, et est conversa præcedentis. Si enim sit æqualis, tunc per 6 latus A B est æquale lateri B C quod est contra hypothesim. Si autem C sit major, tunc per præcedentem latus A B est majus latere B C quod est contra hypothesim: quare astruitur propositum.




Sic Campanus. Sed ut in quo nobis minus recte sensisse videatur, facilius percipias, pauca quædam ex dialectica facultate partim prænotare, partim intermiscere oportet. Sunt igitur in omni quæstione (ut Philosopho in postremis Analyticis placet) duo, quorum alterum datum est, quæsitum alterum, ut si positum in quæstione fuerit an cœlum, datum est, sed an rotundum sit quæritur. At Campanus proposita theoremata in datum atque quæsitum nequaquam recte solvisse videtur. Nam in priore theoremate majorem angulum sibi dari postulat, et subinde quærit an illi majus latus sit e regione constitutum. Contraque in posteriore majus quidem latus dari vult, an vero sit majori angulo obversum quærit, quod contra faciendum est. Nam quivis in dialectica, mea quidem sententia, vel mediocriter eruditus facile videre potest, in eo theoremate quo omnis trianguli longius latus majori angulo contra respondere proponitur, longius quidem latus trianguli dari subjicique oportere, an vero majori angulo sit e regione positum, quæri ac prædicari, contraque in converso theoremate majorem quidem angulum concedi, longius vero latus inquiri. Ob hoc vero peccatum consecutum est, et aliud longe majus. Nullum enim ex propositis theorematis assertoria demonstratione Campanus astruxit, sed utrumque ad incommodum ducente ostendit, quod in geometria, ubi fieri potest, vel maxime vitandum est, in qua solent demonstrationes afferri ex prioribus notioribus naturæ, non notis modo, quales sunt quæ assertoriæ rectæque appellantur. Hujus vero errati origo atque initium hujusmodi fuit. Nam Campanus priori theoremati prædicationem præter naturam dedit, majorem enim angulum trianguli subjicit, et prædicat longius latus: siquidem in omni quæstione subjectus terminus est, quod datur; prædicatus, quod quæritur. Est autam prius per naturam triangulum latera habere, quam angulos, nam ex laterum coitione anguli proficisci procrearique intelliguntur; qui igitur subjicit angulum trianguli, et latus prædicat, is illud quod alteri accidit, ejus prædicationi subjicit cui accidit, ac ob id prædicationem præposteram et naturæ contrariam facit. Quam Aristoteles aut modo prædicationem censet appellandam, aut prædicationem quidem non simpliciter, sed per accidens; ubi igitur prædicatio præter naturam habetur, aut difficile, aut certe impossibile est assertoriam demonstrationem accommodare. In hujuscemodi namque demonstratione necesse est et majoris extremitatis quæ in conclusione prædicatur, et minoris extremitatis, quæ in eadem subjicitur, causam esse medium. At fieri nullo modo potest ut ei quod accidit ejus cui accidit quippiam causa esse statuatur. Hinc coactus est Campanus in priore theoremate, quod in datum atque quæsitum imperite secuisset, demonstratione uti ad incommodum ducente, et quia illud putabat principale posterius, quod ad ipsum

A commearet, non alia collectione quam ad incommodum ducente astruxit. Atque ita nullam demonstrationem rectam assertoriamque ad ea quæ dicimus theoremata colligenda Campanus adhibuit, quod tamen oportuit cum ipsa sit ad incommodum ducente potior. Hæc sunt, mi Donate, quæ quantum ad proposita theoremata attinet, in Campano reprehendenda censuimus; sed hæc quæ strictim disputavimus, illos non exacte subtiliterque intellecturos certo scio, qui postremos Analyticos Aristotelis non diligentissime legerint. Reliquum igitur est ut illa ipsa theoremata (quemadmodum polliciti sumus) demonstremus, traducta tamen prius, ut traducenda erant. Solvemus igitur et separabimus theorema principale in datum atque quæsitum, ut oportet, et ad ipsum
B astruendum assertoria demonstratione utemur. Posterius vero theorema, quod ad principale recurrit, cum prædicationem præter naturam sortiatur, demonstratione ad incommodum perducente breviter colligemus. Demonstrationes igitur ipsas aggredimur, intende.


Omnis trianguli majus latus sub majore angulo protenditur.

Sit enim triangulum A B C habens latus quod est A C majus eo latere quod est A B, aio angulum quoque A B C sub quo latus A C protenditur majorem esse angulo B C A, cui contra respondet latus A B; nam quia majus est latus A C quam A B, constituatur ipsi A B æquale ipsum A D, et protrahatur ipsum B D latus, et quoniam trianguli quod est B D C exterior angulus est is
C qui est A D B, major utique erit interiore ex adverso constituto angulo D C B, æqualis vero est angulus A D B ipsi A B D angulo, nam latus quoque A B lateri A D æquum erat. Major itaque est angulus A B D ipso A C B angulo, multo igitur major erit angulus A B C angulo A C B. Omnis igitur trianguli majus latus sub majore angulo protenditur: quod oportebat demonstrare.



D Omnis trianguli sub majore angulo majus latus protenditur.


Sit triangulum A B C majorem habens A B C angulum eo qui est B C A. Aio latus quoque A C ipso A B latere majus esse; nam si majus non sit, aut æquale erit ipsum A C ipsi A B, aut minus: æquale sane non est ipsum A C ipsi A B, æqualis enim foret etiam angulus A B C angulo A C B: atqui non erat; non igitur æquale est ipsum A C latus ipsi A B lateri. Neque vero minus est ipsum A C ipso A B, minor enim foret angulus A B C angulo A C B: atqui non erat; si igitur minus est ipsum A C latus ipso A B latere, demonstratum autem est neque æquale illi esse, majus itaque erit ipsum A C latus ipso A B latere. Omnis igitur trianguli sub majore angulo majus latus protenditur, quod oportebat demonstrare.



Hæ sunt igitur hujuscemodi theorematum demonstrationes cum faciles, tum verissimæ et quæ maxime quadrent. Sed antequam te dimittam, volo audias et aliud quoddam hujus hominis erratum leviusculum fortasse, turpe tamen et viro philosopho non negligendum. Habetur enim in eodem Elementorum primo problema istiusmodi, ad datam rectam lineam, datumque in ea punctum, dato angulo rectilineo æquum angulum rectilineum constituere : [hoc vero sic legit [legens], deducit Campanus.


Data recta linea super terminum ejus cuilibet angulo proposito æquum angulum designare.

Sit data linea F E, et sint lineæ B A continentes angulum datum cui subtendam basim C. Super punctum F lineæ E F juberem facere æqualem angulum angulo dato, ad lineam E F adjungo F D æqualem lineæ A, et ex F E sumo F G æqualem B, et ex G E sumo G H æqualem C et super puncta F et G describo duos circulos D K et K H secundum quantitatem duarum linearum F D et G H, et intersecantes se in puncto K, sicut docuit præcedens, ductisque lineis K F et K G erunt æqualia duo latera K F et F G trianguli, K F G duobus lateribus A et B trianguli, A B C et basis G K æqualis basi C : ergo per octavam angulus K F G æqualis erit angulo contento ab A et B, quod est propositum.



Hæc descriptio primiore aspectu satis scite satisque sollicite facta videtur ; sed si curiose attenteque lectites,

A *invenies eam a seria doctrina philosopho probari non decere, nam cum artem naturæ æmulam esse oporteat, ipsaque natura supervacaneis non abundet, non artificiose describere judicandus est, qui plura in describendo congerit quam quibus ad demonstrationem uti necessarium sit, quod Campanus nescio quomodo non devitat, sed apertissime incurrit ; quid enim sibi vult illa duorum circulorum designatio, quid illa tot eadem quantitate linearum tam sollicita ductio. Nonne poterat, ac maxime debebat, dato angulo, qui A et B lineis contineretur, et basi C adjecta, anxietate illa, et quasi morositate descriptionis prætermissa, statim assumptis tribus lineis qua essent designatis æquales, triangulum constituere? Quod fieri licere ex superiore problemate abunde constabat. Quare qui istiusmodi problema dili-*
B *gentius pressiusque ostendere volet, is (ut opinor) sic demonstrabit :*



Ad datam rectam lineam, datumque in ea punctum, dato angulo rectilineo æquum angulum rectilineum constituere.

C *Sit data recta linea A B, datumque in ea punctum A, datus vero angulus rectilineus D C E : opertet igitur ad datam rectam lineam AB et ad datum in ea punctum A, dato angulo rectilineo D C E, æqualem angulum rectilineum constituere. Sumantur in lineis E D et C E puncta (si lubet) D et E, et protrahatur D E, et ex tribus rectis lineis A F et A G et F G, quæ sunt datis rectis lineis tribus C D et C E et D E æquales, triangulum constituatur A F G, ita ut æqualis sit ipsa C D linea, ipsi A F, ipsa vero C E ipsi A G, postremo ipsa D E ipsi FG. Quoniam igitur duæ lineæ rectæ D C et C E duabus rectis lineis F A et A G æquales sunt altera alteri, et basis D E basi F G æqua habetur, angulus quoque D C E angulo F A G æqualis erit. Ad da-*
D *tam itaque rectam lineam A B datumque in ea punctum A, dato angulo rectilineo D C E, æqualis angulus rectilineus F A G constitutus est. Quod oportebat facere. Addidissem quoque alia plura longe etiam graviora errata nisi me epistolam scribere meminissem. Sed Euclidem ipsum aliquando fortasse una perlegemus, annotabimusque omnia in quibus nostri a recta ratione discedere videbuntur. Interim hæc pauca tibi, mi Donate, scripsimus, ut essent apud te ejus benevolentiæ atque observantiæ pignus qua te prosequebar (et nunc quoque prosequor) cum nostræ Patavinæ philosophorum academiæ rector hic ageres. Vale. Ex Patavina philosophorum palæstra.*

EUCLIDIS MEGARENSIS

GEOMETRIÆ LIBRI DUO

AB AN. MANL. SEVERINO BOETIO TRANSLATI.

LIBER PRIMUS.

Quia vero, mi Patrici geometrarum exercitatissime, Euclidis de artis geometricæ figuris obscure prolata, te adhortante, exponenda [et lucidiore aditu expolienda suscepi, imprimis quid sit mensura definiendum opinor.

De mensura.

Mensura vero est quidquid pondere, capacitate, longitudine, altitudine, latitudine animoque finitur. Principium autem mensuræ punctum vocatur. Punctum est, cujus pars nulla est. Linea vero sine latitudine longitudo est, lineæ vero fines puncta sunt.


De generibus linearum.

Recta linea est quæ æqualiter in suis protenditur punctis. Superficies vero est quod longitudine latitudineque censetur. Superficiei autem fines lineæ sunt.

Recta linea.


Plana superficies dicitur quæ æqualiter in rectis suis lineis continetur.

Superficies plana.



De generibus angulorum.

Planus angulus est duarum linearum in plano invicem sese tangentium, et non in directo jacentium C
ad alterutram conclusio.




Quando autem quæ angulum continent lineæ rectæ sunt, tunc rectilineus angulus nominatur.

Perpendicularis

Rectus Rectus

A Cum vero recta linea super rectam lineam stans circum se æquos sibi invicem fecerit angulos, rectus est uterque æqualium angulorum. Et linea super rectam lineam stans perpendicularis dicitur. Obtusus angulus major recto est, acutus autem angulus recto minor est.




De modis figurarum.

Figura est quod sub aliquo vel a liquibus terminis continetur.

Terminus vero quod cujusque est finis.


B Circulus vero est figura quædam plana et circumducta et sub una linea contenta, quæ circumferentia vocatur, ad quam a puncto quod intra figuram positum est omnes quæ incidunt rectæ lineæ sibi invicem sunt æquales; hoc vero punctum centrum circuli nominatur.



Diametrus autem circuli est recta quædam linea per centrum ducta, et ab utraque parte in circumferentia circuli terminata, quæ in duas æquas partes circulum dividit.

Semicirculus vero est plana figura quæ sub diametro, et ea quam diametrus apprehendit, circumferentia continetur.

D



Rectilineæ figuræ sunt quæ sub rectis lineis continentur.

Trilatera quidem figura est quæ sub tribus rectis lineis continetur. A


Quadrilatera autem, quæ sub quatuor.

Finitima vero mensuralis est linea quæ aut pro aliqua observationum, aut aliquo terminorum observatur.

Multilatera itaque figura est, quæ sub pluribus quam quatuor lateribus continetur.


De triangulis.

Æquilaterum igitur triangulum est quod tribus æquis lateribus continetur [a].




B

Isosceles autem est quod duo tantummodo latera habeat æqualia.




Scalenum vero quod tria latera habet inæqualia.




C

Amplius trilaterarum figurarum orthogonium, id est rectiangulum, triangulum quidem est quod habet angulum unum rectum [b].




Amblygonium autem, quod Latine obtusiangulum dicitur, est quod obtusum habet angulum. D




Oxygonium vero, id est acutiangulum, est in quo tres anguli sunt acuti.

[a] Hæ sequentes tres trigoni species distinguuntur secundum inæqualia latera.




De quadratis.


Quadrilaterarum vero figurarum quadratum vocatur quod est æquilaterum atque rectiangulum.




Parte altera longius vero est quod rectiangulum quidem est, sed æquilaterum non est.




Rhombus vero est quod æquilaterum quidem est, sed rectiangulum non est.



Rhomboides autem est quod in contrarium collocatas lineas atque angulos habet æquales, non autem rectis angulis nec æquis lateribus continetur.



Præter hæc autem omnes quadrilateræ figuræ trapezia, id est mensulæ nominantur.



Parallelæ, id est alternæ rectæ lineæ, nuncupantur, quæ eadem plana superficie collocatæ atque utrinque productæ in neutra parte concurrunt.

Parrallelæ.

De petitionibus quæ sunt in geometrica.


Petitiones vero quæ postulata (ut veteribus placuit) dicuntur, quinque sunt.

Prima, ut ab omni puncto in omne punctum recta linea ducatur postulat.

[b] Hæ sequentes tres trigoni species distinguuntur secundum inæquales angulos.


Secunda, ut definita recta linea in continuum rectumque producatur admonet.

Tertia, omni centro et omni spatio circulum designare præcipit.



Quarta, omnes rectos angulos sibi invicem æquos esse vult.

Quinta autem, si in duas rectas lineas linea recta incidens interiores duos angulos et in eadem parte duobus rectis fecerit minores, rectas lineas in infinitum productas ad eas partes in quibus duo interiores anguli duobus rectis minores sunt, concurrere jubet.



De communibus animi conceptionibus quæ sunt in geometrica.

Communes igitur animi conceptiones sunt quæ a Græcis κοιναὶ ἔννοιαι vocantur : Cum spatia et intervalla eidem sunt æqualia, et sibi invicem sunt æqualia ; et si ab æqualibus æqualia auferantur, quæ relinquuntur, æqualia sunt; et si æqualibus æqualia addantur, tota quoque æqualia sunt; et quæ sibimet ipsis conveniunt æqualia sunt.


Omne parallelogrammum rectiangulum subiis duabus rectis lineis quæ rectum ambiunt angulum dicitur contineri.

Omnis vero parallelogrammi spatii unumquodque eorum quæ circa eumdem diametrum sunt parallelogrammorum cum duobus supplementis gnomon nuncupatur.

Circuli sunt æquales quorum diametri sunt æquales, inæquales vero sunt qui sic se non habent.


Recta linea circulum contingere dicitur quæ cum circulum tangat, in utraque ejecta parte non secat circulum.

A




Circuli se invicem contingere dicuntur, qui tangentes sese invicem non secant.

B




Rectæ lineæ in circulo a centro distare æqqualiter dicuntur, quando a centro in ipsas ductæ perpendiculares invicem sibi sunt æquales.

C




Plus vero a centro distare dicitur linea in quam perpendicularis longior cadit.

D




Portio circuli est figura quæ sub recta et circuli circumferentia continetur.

In portione circuli angulus esse dicitur, quando in circumferentia portionis sumitur aliquod punctum, et ab eodem puncto ad lineæ terminos duæ recte ineæ subjunguntur.




Angulus circuli dicitur qui sub duobus a centro ductis lineis continetur. Quando lineæ quæ adjunguntur aliquam circumferentiæ comprehendunt particulam, in ea angulus consistere perhibetur. A



B

Sector circuli est figura quæ sub duabus a centro ductis lineis, et sub circumferentia, quæ ab eisdem comprehenditur, continetur.



C

Similes circulorum portiones dicuntur quæ æquales suscipiunt angulos, vel in quibus qui inscribuntur anguli sibi invicem sunt æquales.



Igitur intra figuram dicitur inscribi, quando ea quæ inscribitur ejus in quam inscribitur latera unoquoque suo angulo ab interiore parte contingit. D






Figura vero figuræ circumscribi perhibetur, quotiens ea quæ circumscribitur suis omnibus lateribus omnes augulos ejus cui circumscribitur tangit.

EXPLICIUNT PROLEGOMENA. INCIPIUNT SCHEMATA.


Supra datam rectam lineam terminatam triangulum æquilaterum constituere.




Ad datum punctum datæ rectæ lineæ æqualem rectam lineam collocare.




Duabus lineis rectis inæqualibus datis, a majore minori æquum rectam lineam abscindere oportet.



Si duo triangula duo latera duobus lateribus habent æqua, alterum alteri, et angulum angulo æquum eum qui sub æqualibus rectis lineis continetur, et basim basi æquam habebunt, et triangulum triangulo æquam erit, et reliqui anguli reliquis angulis erunt æquales, alter alteri sub quibus æqualia latera subtenduntur.




Triangulorum isoscelium anguli, qui ad basim sunt, A
æqui sibi invicem sunt.




B

Si trianguli duo anguli, æqui sibi invicem sint, et quæ æqualibus angulis subtenduntur latera sibi invicem erunt æqualia.




C

Super eamdem rectam lineam duabus eisdem rectis lineis aliæ duæ rectæ lineæ æquales, altera alteri nullo modo constituentur, ad aliud atque aliud punctum ad easdem partes eosdem fines primis rectis lineis possidentes.




D


Omnium duorum triangulorum quorum duo latera unius duobus lateribus alterius fuerint æqualia, basisque unius basi alteri æqualis, duos angulos æquis lateribus contentos, æquales esse necesse est.




Datam rectam lineam terminatam in duas æquales dividere partes.




Data recta linea ab eo quod in ea est puncto, rectam lineam secundum rectos angulos elevare.




Si duo triangula duo latera duobus lateribus æqua possideant, alterum alteri, et basim basi habeant æquam, et angulum angulo habebunt æqualem, qui sub æqualibus rectis lineis continetur.



Supra datam rectam lineam infinitam ab dato puncto, quod ei non inest, perpendicularem rectam lineam ducere oportet.




Quæcunque super rectam lineam recta consistens angulos fecerit, aut duos rectos faciet, aut duobus rectis reddet æquales.




Si ad aliquam rectam lineam atque ad ejus punctum duæ rectæ lineæ non in eamdem partem ducan-


tur, et circum se angulos duobus rectis fecerint A æquos, in directum sibi eas lineas jacere necesse est.




Si duæ rectæ lineæ sese dividant, ad verticem angulos sibi invicem facient æquos.




Omnium triangulorum uno latere producto, exterior angulus utrisque interioribus et ex adverso angulis constitutis major existit.




Omnium triangulorum duo anguli duobus rectis angulis sunt minores omnifariam sumpti.



Omnium triangulorum majus latus sub angulo majore subtenditur.




Omnium triangulorum major angulus sub latere majore protenditur.




Omnium triangulorum duo latera cætero majora sunt in omnem partem suscepta.

B




Si in uno quolibet trianguli latere a finibus lateris duæ rectæ lineæ interius coustituantur angulum facientes, quæ constituuntur reliquis quidem trianguli duobus lateribus minores erunt, majorem vero angulum continebunt.

C




Ad datam rectam lineam, et datum in ea punctum dato rectilineo angulo æqualem rectilineum angulum collocare necesse est.


D




Si duo trianguli duos angulos duobus angulis habuerint æquos alterum alteri, unumque latus uni lateri sit æquale, aut quod æquis adjacet angulis, aut quod sub uno æqualium subtenditur angulorum, et reliqua latera reliquis lateribus habebunt æqua alterum alteri, et reliquum angulum æqualem reliquo angulo possidebunt.




Si in duas rectas lineas linea incidens recta alternatim angulos fecerit æquos, rectas lineas alternas esse necesse est.




Si in duas rectas lineas linea incidens recta exteriorem angulum interiori, et ex adverso angulo constituto reddat æqualem, aut interiores et ad easdem partes angulos duobus rectis æquales faciat, rectas lineas sibi alternas esse conveniet.



Per datum punctum datæ rectæ linæ alternam rectam lineam designare nccesse est.




Omnium triangulorum exterior angulus duobus interius et ex adverso constitutis angulis est æqualis, interiores vero trianguli tres anguli duobus rectis angulis sunt æquales.




Quæ æquas et alternas rectas lineas ad easdem partes rectæ lineæ conjungunt, ipsæ quoque alternæ sunt et æquales.

A




Eorum spatiorum, quæ alterius lateribus continentur quæ parallelogramma nominantur, et ex adverso latera atque anguli constituti sibi invicem æquales sunt, ea quoque diametrus in duo æqua partitur.

B




Omnia parallelogramma quæ in iisdem basibus et in eisdem alternis lineis fuerint constituta, sibi invicem probantur æqualia.

C




Omnia parallelogramma in basibus æqualibus et in eisdem alternis lineis constituta æqualia ea necesse est.


D




Æqua sibi sunt cuncta triangula quæ in æquis basibus et in eisdem alternis fuerint lineis constituta.



Æqua triangula, quæ in eadem basi et in eadem parte fuerint constituta, in eisdem quoque alternis lineis esse pronuntianda sunt.




Æqua triangula in æquis atque in directum positis basibus constituta, et in eisdem partibus, et in eisdem quoque alternis esse necesse est.




Si parallelogrammum, triangulumque in eadem basi atque in eisdem alternis lineis fuerint constituta, parallelogrammum triangulo duplex esse conveniet.

C





Juxta datam rectam lineam dato triangulo in rectilineo dato angulo parallelogrammum æquale prætendendum est.

D




Dato rectilineo æquale parallelogrammum in dato rectilineo angulo collocare oportet.






Omnis parallelogrammi spatii eorum quæ circa eamdem diametrum sunt, parallelogrammorum supplementa æqua sibi invicem esse necesse est.



Quadratum ad datam rectam terminatam describendum est.



In his triangulis in quibus unus rectus est angulus, quæ rectiangula nominamus, quadratum quod a latere rectum angulum subtendente describitur, æquum est his quadratis quæ a continentibus rectum angulum lateribus conscribuntur.



Si ab uno trianguli latere quadratum quod describitur æquum fuerit his quadratis, quæ ab reliquis duobus lateribus describuntur, rectus est angulus, qui sub duobus reliquis lateribus continetur.

D

A

B C

Ex secundo libro Euclidis Megarensis.

Si sunt duæ rectæ lineæ, quarum una quidem est indivisa, altera vero quotlibet divisionibus secta, quod sub duabus rectis lineis rectiangulum continetur, æquum erit his, quæ sub ea quæ indivisa est. Et unaquaque divisione rectiangula continetur.

B D E C

A 7

F G

E L B

Si recta linea secetur, quod sub tota et una portione rectiangulum continetur, æquum est ei quod sub utraque portione rectiangulum clauditur, et ei quadrato quod ad prædictam portionem describitur.

F D E

Si recta linea secetur, ut libet quod scribitur a tota, quadratum æquum est his quæ describuntur ab unaquaque portione quadratis, et eidem bis rectiangulo quod sub eisdem est portionibus convenit.

A C B

Si recta linea per æqualia ac per inæqualia secetur, quod sub inæqualibus totius sectionibus rectiangulum continetur, cum eo quadrato quod ab ea de-

A scribitur quæ inter utrasque est sectiones, æquum est ei quadrato quod describitur ab dimidia.

A C D B

K L M

E G F

Si recta linea per æqualia ac per inæqualia secetur, quadrata quæ ab, inæqualibus totius portionibus de-

B scribuntur, dupla sunt his quadratis quæ fiunt ab dimidia, et ab ea quæ inter utrasque est sectiones

E

A C D B

Si recta linea per æqualia dividatur, alia vero ei indirectum linea recta jungatur, quod sub tota cum adjecta, et ea quæ adjecta est, rectiangulum continetur, cum eo quod describitur a dimidia quadrato æquum est, ei quadrato quod describitur ab ea quæ constat ex adjecta atque dimidia.

C A C B D

N H

K L M

P

E G S


Si recta linea per æqualia secetur, eique in directum quædam linea recta jungatur, quadratum quod describitur a tota cum ea quæ adjecta est.

D


2

8


Utraque quadrata pariter accepta, quadrato quod describitur a dimidia, ac eo qudrato quod ab ea describitur, quæ ex dimidia adjectaque consistit, utrisque quadratis pariter acceptis dupla esse necesse est.




Datam rectam lineam sic secare convenit, ut quod sub tota, et una portione rectiangulum continetur, æquum sit ei quod fit ex reliqua sectione quadratum.



In hac trianguli figura, quæ obtusum habet angulum, tanto amplius ea quæ obtusos obtendunt angulos latera possunt, quam ea quæ obtusum obtinent angulum, quantum est, quod continetur bis sub uno eorum quæ circa obtusum angulum sunt, in quod protractum perpendicularis cadit, atque ea quæ ad obtusum angulum a perpendiculari extra deprehenditur.




Dato rectinileo æquum necesse est collocare quadratum.




EX TERTIO LIBRO EUCLIDIS MEGARENSIS.


Si in circulo per centrum linea quædam dirigatur, ac quamdam lineam rectam non in centro positam in duas æquas partes secet, per rectos eam angulos secat. Et si per rectos eam angulos secat, in duos eam æquas dividet partes.




In æquis circulis, qui in circumferentiis æqualibus anguli consistunt, sibi invicem sunt æquales, seu ad centra sive ad circumferentias constituantur.



Datam circumferentiam in duo æqua dividere potis est.



In circulo quidem angulus qui in semicirculo est, rectus existit; qui vero in majore portione est angulus, minor est recto. Qui autem in minore portione est angulus, major est recto, et majoris quidem portionis angulus, recto major existit, minoris vero angulus recto minor.




A Si circulum linea recta contingat, a contactu vero in circumferentia quædam circulum secans, linea recta ducatur, quoscunque angulos facit, duo anguli quisunt in alternis circuli portionibus, sunt æquales.

Ex hoc igitur manifestum est, quoniam si a puncto circuli duæ lineæ rectæ sese contingant, et sibi invicem sint æquales, super datas rectas lineas circuli describere partes convenit.


EX QUARTO LIBRO EUCLIDIS MEGARENSIS.


Intra datum circulum datæ rectæ lineæ, quæ 'diametro minime major existat, æquam rectam lineam coaptare oportet.



B


Intra datum circulum, dato triangulo æquorum angulorum, triangulum collocare convenit.






C

Circa datum circulum, dato triangulo æqualium angulorum, triangulum designandum est.




Intra datum triangulum circulum designare necesse est.


D




Intra datum circulum quadratum aliquod describere utile est.




Intra propositum quadratum circulum designare.



Circa datum circulum quinquangulum æquilaterum, et æquiangulum designare geometræ præcipiunt.



Intra datum circulum quinquangulum, quod est æquilaterum atque æquiangulum, designare non disconvenit.




Nam omnia quæcunque sunt numerorum ratione sua constant. Et proportionabiliter alii ex aliis constituuntur circumferentiæ æqualitate multiplicationibus suis quidem excedentes, atque alternatim proportionibus suis terminum facientes.


De figuris geometricis.


Supra positarum igitur speculationibus figurarum ab Euclide succincte obscureque prolatis, et a nobis verbum videlicet de verbo exprimentibus strictim translatis, quædam iteranda repetendaque, ut animus lectoris non obscuritate deterreatur, sed a nobis potius alicujus exempli luce infusa delectetur, videntur. Sunt enim a nobis quædam huic operi inserenda, huic arti valde necessaria, et supradictis respondentia, et subsequentibus convenientia, ad quæ intelligenda quicunque in nostrorum arithmeticorum theorematibus instructus accesserit, expeditiori intelligentia ducitur.

C Supradictum igitur est, supra datam rectam lineam terminatam triangulum æquilaterum constituere oportere, sed nimis involute, qua de re hujus exempli notam subjecimus. Sit data recta linea terminata A B, oportet igitur super eam quæ est A B triangulum æquilaterum constituere, et centro quidem A, spatio vero A B, circulus scribatur B C E D. Et rursus centro B, spatio autem A B, circulus scribatur A C F D, et ab eo puncto quod est G, quo se circuli dividunt, ad ea puncta quæ sunt A B, adjungantur. Rectæ lineæ C A, C B. Quoniam igitur A punctum centrum est, B C E D circuli, æqua est A B ei quæ est A C. Rursus, quoniam B punctum est centrum, A C F D circuli æqua est B A ei quæ est B C. Sed et
D A B ei quæ est C A æqua esse monstrata est et A C. Igitur ei quæ est B C erit æqualis. Tres igitur quæ sunt C A, A B, B C, quæ sibiinvicem sunt, æquilaterum igitur est C A B triangulum. Et constitutum est supra datam rectam lineam terminatam eam quæ est A B quod oportebat facere.



A In superioribus vero dictum est ad datum punctum datæ rectæ lineæ æqualem rectam lineam collocare oportere. Sed hujus artis expertibus obscure difficulterque. Sed nos animum lectoris quasi introducendo oblectantes hujus subsequentis figuræ explanationem positis litterarum linearumque notulis patefacimus. Sit quidem datum punctum A, data vero recta linea B C, oportet igitur ad punctum A rectæ lineæ B C æquam rectam lineam collocare; adjungatur enim ab A puncto ad B punctum recta linea ea quæ est A B, et constituatur super A B rectam lineam, triangulum æquilaterum quod est D A B, et ejiciantur in rectum D A, D B, rectæ lineæ, ad A G et B M, et centro quidem B, spatio autem B C, circulus describatur C F E,
B et rursus centro quidem D, spatio autem D E, circulus describatur F K L. Quoniam igitur B punctum centrum est, C F E circuli, æqua est C B ei quæ est B F. Rursus quoniam D punctum centrum est, F L K circuli, æqua est D L ei quæ est D F. Quarum æqua est D A ei quæ est D B, æquilaterum enim triangulum est id quod est D A B. Reliqua igitur A L reliquæ B F existit æqualis. Sed et B F ei quæ est B C æqua esse monstrata est. Et B C ei quæ est A L erit æqualis. Ad datum igitur punctum id quod est A datæ rectæ lineæ ei quæ est B C, æqua locata est ea quæ est A L, quod oportebat facere ut subjecta descriptio monet.





Tertio igitur loco superius ab Euclide prolatum est duabus rectis lineis in æqualibus propositis a majore minori æquam rectam lineam abscindere convenire, sed nimis strictim, et ob id confuse involuteque. Nos vero ut animus lectoris ad enodatioris intelligentiæ accessum, quasi quibusdam gradibus ducatur, hujus descriptionem formulæ subjecimus. Sint datæ duæ rectæ lineæ.

Inæquales A B C D, et sit major A B, oportet igitur a majore A B minori C D æquam lineam abscindere; collocetur enim ad A punctum ei quæ est C D æqua ea quæ est A E. Et centro A, spatio vero A E, circulus describatur E G F; quoniam igitur A punctum centrum est E G F circuli, æqua est A E ei quæ est A G. Sed et C D ei quæ est A E erat æqualis, et C D ei quæ est A G erit æqualis. Duabus igitur datis rectis lineis inæqualibus eis quæ sunt A B, C D, a majore quæ est A B, minori quæ est C D, æqualis abcisa est ea quæ est A G, quod oporteba facere.

E D

A

C G

B

His etiam compendiosis, et tamen hujus artis rudibus pernecessariis introductionibus lector initiatus, si in aliquibus superius propositis vacillando abhorreat, per se similes figurarum descriptiones sine omnis impedimenti reclamatione adinvenire potest et componere.

Sed jam opus est ad geometricalis mensæ traditionem ab Archyta non sordido hujus disciplinæ auctore Latino accommodatam venire, si prius præmisero, quod sint genera angulorum, et linearum, et pauca dixero de summitatibus et extremitatibus.

Rationabilium ergo angulorum genera sunt tria, hoc est rectum, hebes, acutum, et habens species novem: tres rectarum linearum, tres autem rectarum et circumferentium, et tres hebetis et circumferentium.

Rectns angulus est orthygrammos, id est rectis lineis comprehensus, Latine normalis appellatus. Quotiens vero recta linea super rectam lineam stans, pares angulos fecerit, et linea perpendicularis juncta fuerit, efficiet rectiangulum triangulum.

Hebes angulus est plus normalis, hoc est rectianguli positionem excedens, quia et si triangulus secundum hanc positionem constitutus fuerit, perpendicularis extra finitimas lineas habebitur.

A Acutus autem angulus est compressior recto, qui si a recta linea quæ sedis loco fuerit rectam lineam secundum suam inclinationem emiserit, similique cohibitione rectam lineam in occursum exceperit, efficiet triangulum qui perpendicularem intra tres lineas habebit.

C

Linearum vero genera sunt tria, rectum, circumferens, flexuosum.

Recta linea itaque est quæ æqualiter in suis signis posita est, quæ æqualiter in planitie posita non concurrit. Circumferens vero linea est cujus signa ex utraque parte curvata, et a se invicem distantia non concurrunt, quæ signa si convenerint, circulus non circumferens linea debet appellari. Flexuosa autem linea est, multiformis velut arborum aut fluminum, cæterorum signorum, in quorum similitudine et arcisiniorum agrorum finitur extremitas, et multorum C quæ similiter in æqua linea sunt formata naturaliter.

Summitatum igitur genera sunt duo, summitas et plana summitas. Summitas est secundum geometricam appellationem quæ longitudine latitudineque protenditur.

Sūmitas

D

Summitatis autem fines lineæ sunt.

Plana vero summitas est quæ æqualiter rectis lineis undique versum finitur.

Omnium autem summitatum in vinciundo duæ sunt observationes, enormis et liquis.

Enormis vero est, quæ per omne latus rectis lineis continetur.

Liquis autem est quæ minuendi laboris causa, et salva rectorum angulorum ratione, secundum ipsas extremitates subtenditur.

Extremitatum quippe genera sunt duo, unum quod pro rigore, et alterum quod servatur pro flexuoso. Rigor est quidquid inter duo signa veluti in modum lineæ directum prospicitur.

Flexuosum vero est quidquid secundum naturam locorum curvatur. Nam quod in agro a messore operis causa ad finem directum fuerit, rigor appellatur, quidquid ad horum imitationem in forma scribitur, linea appellatur.

Bini rigores sunt, quando singulis spatiis intervenientibus tendunt, ut itinera plerumque pergunt.

Nosse autem hujus artis despicientem, quid sint digiti, quid articuli, quid compositi, quid incompositi numeri, quid multiplicatores, quidve divisores, ad hujus formæ speculationem, quam sumus tradituri, oportet.

Digitos vero quoscunque infra primum limitem, id est omnes quod ab unitate usque ad denariam summam numeramus, veteres appellare consueverunt : 1 2 3 4 5 6 7 8 9.

Articuli autem omnes deceno in ordine positi et in infinitum progressi nuncupantur compositi, quippe numeri sunt omnes a primo limite, id est a decem usque ad secundum limitem, id est 20 cæterique sese in ordine sequentes exceptis limitibus. Incompositi autem digiti omnes annumeratis et omnibus limitibus.

Multiplicatores igitur numeri mutua in semet replicatione volvuntur, id est interdum major minoris, interdum autem minor majoris multiplicator existit. Interdum vero numerus in se excrescens multiplicationis augmenta suscipit. Divisores autem majorum semper minores constituuntur numeri.

De ratione abaci

Priscæ igitur prudentiæ viri Pythagoricum dogma secuti, Platonicæque auctoritatis investigatores speculatoresque curiosi, totum philosophiæ culmen in numerorum vi constituerunt. Quis enim musicarum modulamina symphoniarum numerorum expertia censendo pernoscat? Quis ipsius firmamenti siderea corpora stellis compacta naturæ numerorum ignarus deprehendat, ortusque signorum et occasus colligat?

De arithmetica vero geometrica quid attinet dicere, cum si vis numerorum pereat, nec in nominando appareat, de qua quia in arithemeticis et in musicis sat dictum est, ad dicenda revertamur.

Pythagorici vero ne in multiplicationibus et partitionibus et in podismis aliquando fallerentur, ut in omnibus erant ingeniosissimi et subtilissimi, descripserunt sibi quamdam formulam quam ob honorem sui præceptoris mensam Pythagoream nominabant, quia hoc quod depinxerant magistro præmonstrante cognoverant, a posterioribus appellabatur Abacus, ut quod alta mente conceperant, melius si quasi videndo ostenderent in notitiam omnius transfundere possent, eamque subterius habita sat mira descriptione formabant.

Longitudo.

[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	Comparatio ad primam
[illegible]	[illegible]	6	8	10	12	14	16	18	20	Dupla ad eamdem.
3	6	9	12	15	18	21	24	27	30	Tripla ad eamdem.
[illegible]	[illegible]	12	16	20	[illegible]	28	32	36	[illegible]	Quadrupla ad eamdem
[illegible]	10	15	20	25	[illegible]	35	40	45	[illegible]	Quincupla ad eamdem
[illegible]	12	18	24	30	[illegible]	42	48	54	[illegible]	Sescupla ad eamdem.
[illegible]	[illegible]	21	[illegible]	[illegible]	42	[illegible]	[illegible]	63	70	Septupla ad eamdem.
[illegible]	16	24	32	40	[illegible]	[illegible]	64	72	80	Octupla ad eamdem.
9	18	27	36	[illegible]	[illegible]	[illegible]	72	81	90	Noncupla ad eamdem.
[illegible]	[illegible]	30	[illegible]	50	[illegible]	[illegible]	[illegible]	90	[illegible]	Decupla ad eamdem.
Comparatio ad alteram …us proximam.	Dupla.	Sesquialtera.	Sesquitertia.	Sesquiquarta.	Sesquiquinta.	Sesquisexta.	Sesquiseptima.	Sesquioctava.	Sesquinona.	

Superius vero digestæ descriptionis formula hoc modo utebantur. Habebant enim diversæ formatos apices vel characteres. Quidam enim hujuscemodi apicum notas sibi conscripserant, ut hæc notula respondet unitati 1. Ista ut binario 2. Tertia vero tribus 3. Quarta autem quaternario 4. Hæc autem quinque ascriberentur 5. Ista vero senario 6. Septima autem septenario conveniret 7. Hæc vero octonario 8. Ista vero novenario jungerentur 9. Quidam vero in hujus formæ depictione ceu litteras alphabeti assumebant sibi hoc pacto, ut littera quæ esset prima unitati, secunda binario, tertia ternario, cæteræque in ordine naturali numero insignitas et inscriptas tantum modo sortiti sunt. Hos etenim apices, ita varie ceu pulverem dispergere in multiplicando et in dividendo consuerunt, ut si sub unitate naturalis numeri ordinem jam dictos characteres adjungendo locarent, non alii quam digiti nascerentur. Primum autem numerum, id est binarium, unitas enim (ut in arithmeticis est dictum) numerus non est, sed fons et origo numerorum 10, inscripta ponentes 20, et ternarium 30, et quaternarium 40, cæterosque in ordine sese sequentes proprias secundum denominationes assignare constituerunt. Sub linea vero centeno insignita numero eosdem apices ponentes binarium 200, ternarium 300, quaternarium 400. Cæterosque certis denominationibus respondere decreverunt. In sequentibus vero paginularum lineis idem facientes nullo erroris nubilo obtenebrantur.

Scire autem oportet et diligenti examinatione discutere in multiplicando et partiendo cui paginulæ digiti et cui articuli sint adjungendi. Nam singularis multiplicator decem digitos in decenis, articulos in centenis. Idem vero singularis multiplicator centum digitos in centenis, articulos in millenis. Et multiplicator milleni, digitos in millenis, et articulos in decenis millenis, et multiplicator centeni milleni, digitos in centenis millenis, articulos autem in millenis millibus habebunt. Decenus autem, suimetipsius multiplicator digitos in pagina c inscripta, articulos

in millenis, et multiplicator centum, digitos in millenis, et articulos iu decenis, et multiplicator milleni, digitos in decenis et articulos in centenis, et multiplicator centeni milleni, millia habebunt. Centenus vero, æque suimetipsius multiplicator, digitos in decenis et articulos in centenis et millenis. Multiplicans digitos in centenis et articulos in decenis centenis et centenum millenum multiplicans, digitos in decenis millenis * ῑ et articulos in centenis millenis * ῑ et decenum millenum multiplicans digitos in millenis * ῑ et articulos in decenis millenis * ῑ subtendent. Millenus itidem seipsum multiplicans. digitos in decenis et articulos in centenis. Et centeni milleni multiplicator digitos in centenis millenis * ῑ et articulos in millenis * ῑ et decenum millenum excrescere faciens digitos in decies mille millia, et articulos in centenis millenis * ῑ habere dinoscetur? Decenus autem millenus multiplicator centum milleni, digitos in millies mille millia, et articulos in decenis millenis itidem, seque ipsum adaugens, digitos in centenis millenis et articulos in mille millenis habere deprehendetur. Centenus autem millenus seipsum multiplicans, digitos in decenis millenis et articulos in centenis millenis itidem supponit.

De divisionibus rubrica.

Divisiones igitur, quantalibet jam experte lectoris animus introductus, facile valet dinoscere; breviter etenim de his et summotenus dicturi, si quæ obscura intervenerint, diligenti lectorum exercitio ad investiganda committimus. Si decenus per se, vel centenus per se, vel ulteriores per semetipsos dividendi proponantur, minores a majoribus quoad usque dividantur sunt subtrahendi, singularem autem divisorem decem et centeni, aut milleni, aut ulteriorum, vel decenum divisorem se sequentum sumpta differentia eos dividere oportet. Compositus autem decenus cum singulari per secundas vel tertias. Et deinceps secundum denominationem partium, decenum vel simplicem, vel compositum divisurus est. Centenum vero millenum, vel ulteriores per decenum compositum, si diligens investigator accesserit, sumpta differentia et primis articulis dividendo, vel secundatis appositis, auctis autem dividendo suppositis, dividi posse pernoscet. Centenus autem M singulis compositus, centenum vel millenum hoc pacto dividere cognoscitur. Sumpto igitur uno dividendorum, quod residuum fuerit, divisori est coæquandum, et quod superabundaverit, sepositis reservandum. Singularis autem vel, ut alii volunt, munitum per coæquationem majorum est multiplicandum, et digitis quidem perfecta differentia supponenda, articularis autem imperfecta est præponenda, et prius semoto integra adjungenda. Et hæc differentia et si forte aliquis seclusus sit significavit, quod residuum fit ex dividendis. Hæc vero brevi introductione prælibantes, si qua obscure sunt dicta, ne tædio forent prætermissa, diligentis exercitio lectoris committimus, terminum hujus libri facientes, et quasi ad ulteriora sequentium nos convertentes.

LIBER SECUNDUS.

Superioris vero tractatu voluminis omnia geometricæ artis theoremata, quamvis succincte, tamen sunt dicta. Sed podismorum notitiam hic liber quas quæstionarius et omnium podismalium quæstionum scrupolositates incunctanter absolvet enodando, veteres etenim agrimensores omnem mensuræ quadraturam dimidio longiorem latioremve facere consueverunt. Et quod in latitudine longius fuerit, scamnum, et quod in longitudine longius appellare voluerunt ut subjecta docet formula.

Scamnum

De mensuris rubrica.

Prisci igitur podismatici cautissimi dispectores duodecim mensurarum genera constituerunt, quibus cum vellent, formarum, agrorumque emetirentur areas. Quorum hæc sunt nomina miliarium, stadiumr actus, decempeda, quæ eadem et pertica passus, gradus, cubitus, pes, semipes, palmus, uncia, digitus. Miliarium vero 5 millia pedum protensiones habere sancitum est. Stadium autem 25 pedes habere constat. Actus trifariam dividitur, in minimum, in quadratum, in duplicatum. Actus minimus quatuor tantum pedibus in latitudine, et 120 pedibus in longitudine protenditur. Actus vero quadratus ex omni latere 120 pedibus concluditur. Actus autem duplicatus 240 pedes explicat; decempeda pedes decem colligit; passus 5; gradus 2 et dimid. Cubitus 1 et dimid. pedes habere dinoscitur. Pes autem palmos habet quatuor, semipes 2, palmus vero quatuor digitorum protensione completur. De unciali vero et digitali mensura melius, cum de uncialibus et notis et nominibus in sequentibus disputaverimus, dicemus? enodatiusque cum de elementorum minutorumque subtilitatibus promiserimus, eloquemur, nunc ad sequentis tractatus enarrationem redire nos convenit si prius quid pes porrectus, quid contractus, quidque sit quadratus demonstraverimus. Pes autem porrectus dicitur ubi tantum pedalis mensura in longo pernoscitur. Contractus autem pes ille dijudicatur, in quo longitudo latitudoque consideratur. Quadratus vero pes habetur, ubi trinæ dimensionis consideratio inæqualitate censetur, sed jam tempus est ad id quod instituimus accedere.

De mensura et tribus dimensionibus rubrica.


Quamvis etiam in superioris libri principio quid mensura designaremus, libet tamen specialiter hujus artis speculatoribus satisfaciendo secundum Julium

Frontinum geometricæ artis inspectorem providissimum quid sit mensura definire.

Mensura quippe est complurium, et inter se æqualium intervallorum longitudo finita, geometricæ autem artis mensuralis speculatio, trinæ dimensionis, id est longitudinis, latitudinis, crassitudinis, consideratione colligitur. Et ut enucleatius resolvatur, recto, plano solidoque dignoscitur. Rectum est quod longitudine solum mensurando censetur, ut lineæ porticus, stadia milliaria, fluminum latitudines, et alia quamplura longa protensione directa, ut lineæ infra depictæ descriptio notat.


Rectum.

Planum est quod a Græcis dicitur epipedon, a B nobis autem contracti pedes, quod per longitudinem latitudinemque consideratur, ut agrorum planities, et ædificiorum areæ absque tectoriis operibus et laquearibus ac tabulatis et his similibus, ut subjecta formula docet.



Solidum etiam est quod Græci stereon vocant, nos autem quadratos pedes, quod et longitudinem et latitudinem crassitudinemque habere comprobatur. Ut ædificiorum, pilarum, pyramidumque, nec non etiam macerie lapidum, aliaque multa ut subjectæ notant formulæ.

Solidum.



De podismis rubrica.


Sed jam tempus est podismalium notitiam quæstionum, ut promisimus, narrando attingere, et de investiganda pedaturæ speculatione protinus dicere. De trigonis vero, qui sic ut ternarius naturaliter præcedit quaternarium, ita sunt præponendi tetragonis, et pentagonis, cæterisque imprimis dicendum esse censeo.

De trigonis rubrica.


Sunt autem trigonorum genera principalia sex, isopleurum, isosceles, scalenum, orthogonium, amblygonium, oxygonium, quorum omnium in sequentibus formas et pedaturas explanabimus.

De isopleuro rubrica.

Trigonus igitur isopleurus, qui præcedentis libri pene principio æquilaterus triangulus dictus est, paria latera habere comprobatur. Ponatur ergo isopleurus in singulis habens lateribus pedes 30, hujus embadum, id est area, tali modo est investiganda. Summa etenim unius lateris per se multiplicata 900 numerum complet; ex iis si quingenta et 10 subtra- A hantur, relinquuntur 390, tot pedes hujus trigoni isopleuri embadum colligit. Nam cathetum pedibus 26 constat protendi. Qui si per unius lateris dimidium, id est per 15, multiplicati excreverint, embadum complent; aut si unius lateris pars tertia, per ternarium, et denarium, augebitur, 300 nascentur: si vero summam lateris unius per eumdem ternarium multiplicabunt, nonaginta reddent, qui superioribus 300 juncti 390 facient, id est aream supradicti trigoni: sit autem prædictorum infra facta depictio.




Ne autem lector in hujus modi investigationibus aliquo erroris et inscitiæ nubilo præpediatur. Ejusdem igitur trigoni isopleuri, id est paribus lateribus solidi manifestationis exemplar subjiciemus, esto age C isopleurus cujus latera singula 28 pedes colligant. Quorum si unum per se augmentatum excreverit 784 summa consurget. Cui si unius lateris numerum aggregaveris 812 nascentur, horum suprascripta medietate aream supradicti isopleuri pernotabis, ut subjectæ descriptionis formula docet.



Hujus autem jam sæpe dicti trigoni, ut lateris uniuscujusque mensuram inquisitus quis investigare D valeat, et dicere, apertissimum dabimus rationis experimentum. Proponatur itaque si aream 406 pedibus protendi constituerit, quot pedum planitudines latus unumquodque colligere pernoscatur. Ducatur ergo suprascripta area octies, et in 3248 numerum consurgit; huic si unum addatur, fiunt 3249; hujus summæ latus si sumpsero, erit quinquaginta 7. Cui si unitas subducta fuerint 56 relinquuntur. Quorum si medium adinvestigavero 28 fiunt. Tot itaque latus quodque isopleuri pedibus protenditur.

Isosceles autem, qui ab Euclide geometricæ peritissimo, duo tantum latera habens æqualia, est determinatus, secundus in ordine trigonorum constituitur. Cujus si latera bina imparibus numeris, scilicet 25, protendantur, pedibus quatuordecim pedalia

spatia basis habere pernotatur. Restat igitur ut quot pedes arealis cathetus colligat requiramus. Si enim medietas basis, hoc est 7, per se multiplicetur, 49 nascentur. Mensuram autem unius lateris, si per se, id est 23, multiplicaveris, 625 reddes, ex quibus si 49 seposueris, 576 relinquuntur. Quorum si latus acceperis, 24 erunt, tot pedibus cathetum hujus trigoni constat protendi. Area autem quot pedes habeat, sic est faciendum ut inveniatur. Medietas rursum basis sumenda est, id est 7; quos 7 si per cathetum, id est per 24 multiplices, 168 efficies, tot pedum est supradicti trigoni area.



Basis 14

De scaleno rubrica.


Scalenus igitur ab Euclide tria habens latera inæqualia determinatus est. Sed nos numero ejus figuræ aperta dabimus exemplaria, proponatur ita scalenon trigonus, qui a Latinis cuneus appellatur, cujus minoris lateris declive 15 pedes colligat, basis autem 25 pedalia pernotetur habere lineamenta. Quot vero pedibus hujus trigoni cathetus, et embadum protendatur, restat ut quæratur. Ducatur ergo minoris lateris summa multiplicando in se, fiunt 225. Item basis si per se multiplicetur, 625 excrescunt, quibus in unum compactis 850 nascentur. Hanc igitur si movendo seclusam majoris lateris summam in se multiplicari condecet, quæ multiplicatio 400 numerum adducit. Quem videlicet 400 numerum si de prius seposita summa, scilicet de 850, abstuleris, 450 relinquuntur. Horum si medium sumpseris, 225 explicabis: quibus si summa basis vel 25 pedes auferatur, novenarius erit, tot pedibus hujus trigoni continetur præcisura, vel ejectura minor. Restat ut cathetus quot habeat pedes requiratur. Multiplicetur ergo minus latus per se sicut supra, 25 prodeunt. Rursus et augmentata minoris præcisuræ per se summula, 81 producit; hos si aufers ex in se ducto latere, 144 supersunt. Quorum duodenarius esse dinoscitur latus, tot pedes hujus trigoni cathetus colligere perhibetur. Areæ vero podismus tali modo reperitur. Metiatur ergo cathetus basim vel 12, 25; 300 consurgent. Quorum medietate sæpe dicti trigoni scaleni embadum podismatur, ut in subjecta figura notatur.



De orthogonio rubrica.

Quarto nimirum loco trigonius orthogonius ab Euclide inseritur, et unum rectum habens angulum consigna-


A tur, inæqualia continens latera, quem nos ipso auditu difficiliorem cæteris, obscurioremque esse arbitramur. Et ideo prolixiorem in ejus explanatione moram faciemus. Esto modo trigonus orthogonius, cujus cathetus pari numero insignitus, vel 8 pedibus mensuratus protenditur. Cujus si latera ignorantur, hoc modo investigari ab Archyta præcipiuntur. Sumatur ergo supradicti catheti medietas, id est 4, et per se multiplicetur, et 16 excrescent. Qubus si unitas subtrahatur, 15 apparent. Tot pedum hujus trigoni basis esse cognoscitur. Prædictæ autem per medietatem cathetis summæ adauctæ, si unum addatur, erunt pedes hypotenusæ 17. Per eamdem item summam, id est per 16, embadum est inveniendum; ducatur ergo hujus summæ medius per cathetum, et 64 con-
B surgent, qui areæ complent supputationem, quod patenter in subjecta forma declaratur.




15

De eodem rubrica.

Conemur itaque hujus orthogoni apertam et ratam et per paris et imparis numeri quantitatem instituere descriptionem. Ascribatur ergo imprimis par numerus catheto, id est 6, cujus medietate in se augmentata, 9 proveniunt. Cui si secundum nostri præcepti
C normulam superius designatam unum auferatur, octonarius erit basis hujus trigoni cujus medietas, scilicet quaternarius per cathetum multiplicata, secundum quod supradictum est, aream complet, per cathetum et basis est hypotenusæ pedaturam sine ullius reclamatione inquisitus, dicere facillimum et apertum nostræ auctoritatis exemplum dabimus; multiplicetur etenim per suam quantitatem medietas hujus trigoni catheti, et summæ quæ ex hac multiplicatione provenerit, unitas aggregetur, erit hypotenusæ pedatura; eidem autem si auferatur unum erit basis. Sitque hujus rei hæc facta descriptio.

D


Instituamus ergo hujus trigonii orthogonii per imparem numerum probabilem explanationem. Adnotetur cathetus impari numero, id est 3; quem si in se duxeris, 9 explicabis, quibus unitate subducta octo supersunt, quorum medium si sumatur, basis orthogonii hujus pedatura fore comprobatur.




Pro *hypotenusa*, hic et infra ubique criptum erat *hypothemisa*. Cum vero in margine vox *hypothenusa* apponeretur, nos in textu inserere maluimus.

A Huic vero basi vel medietati, vel 4 si unum aggregaveris, hypotenusam trigoni comprobabis, embadum, ut supra dictum est, reperiatur, id est cathetus per medietatem hujus basis excrescat, ut infra cernitur pictura.

Ne autem hujus disciplinæ curiosum indagatorem aliqua fallat obscuritas, de hoc eodem orthogonio iterato disputare non piget. Est enim alia inveniendi cathetum et basim et hypotenusam ratio. Ponatur ergo cathetus 5 pedibus protensus, quem si multiplices per sui quantitatem, 25 notabis, basis autem 12 habens pedes inscribatur, quæ si sicut cathetus in se concreverit, 144 nascentur.


Illæ summæ, id est 25 et 144 copulatæ 169 restituent. Horum latus 13 esse manifestum, id est hypotenusam supradicti trigoni. Denique si hypotenusam per se augendo duxeris, par supra copulatæ quantitati, id est 169 reddes. De quibus si cathetum in se ductum subduxeris, 144 residui sunt, quorum latus, id est 12, basim restituit. Ex hypotenusa vero per se multiplicata, si quis basim in se ductam, hoc est ex 169 144 subtraxerit, non plus quam 25 remanent. Horum latus, id est 5, cathetum constituit, arcam autem basis medietas et cathetus commultiplicati metiuntur.

Item per cathetum basis edicere pedaturam in hoc trigono condecet. Sit modo supra cathetus 5, hic vero in se ductus 25 constituit. Huic si assem abstulero, 24 progredientur, quorum medium basim efficit. Rursus autem si basis quantitati eamdem adjecero unitatem, hypotenusam explicabo; si autem per cathetum basis multiplicetur 60, progreditur summa. Horum medietas embadon complet.



Item de eodem rubrica.

Aliam insuper hinc vestigia gradienti normam hujus trigoni objiciendo proponere curamus, quatenus hanc caute indagantes cautissime ad id ad quod desiderant accedere, iteritatis (*sic*) linea absque dubio perducat. Proponatur igitur ejusdem orthogonii descriptio iisdem quantitatibus, quibus est circumsignata, scilicet cathetus 8, hypotenusa 17, basis autem 15 pedibus designetur. Nunc vero qua ratione per hypotenusæ podismum, catheti et basis summa pedalis reperiri valeat, demonstrare studeamus : multiplicemus ergo summam hypotenusæ per se, et 289 numerus redundat. Cui si quater embalidis quantitas subtrahatur, 49 relinquuntur; horum tetragonicum latus si inquisieris, 7 esse experieris; quod, scilicet 7, si copulanti catheto et basi aggreges, 30 efficies, quorum dimidium basis constituit spatium; quindecim autem si de aggregatis, id est 50, 25 abstuleris, 8 superesse cathetum sine dubio comprobabis.




Item de eodem rubrica.

Designemus iterum jam dicti orthogonii formam ex aliis numerorum quantitatibus, ut cum aliquis vel per majorem vel per minorem numerorum hujus trigoni apertam tradere disciplinam cogatur, nullo errore labatur. Esto age trigonus orthogonus, quem circumstant par unus et duo impares numeri : par basi, vel 20 impar unus catheto, hoc est 15, alter vero
B hypotenusæ, id est 25, ascribatur. Embadalis autem conclusio secundum supradicti nostri præcepti regulam inquirenda est, hoc est per multiplicationem dimidiæ basis et totius summæ catheti, continet enim areæ septum 150 contractos pedes. Cathetus autem et basis tali sunt indagandi ratione : ducatur ergo hypotenusalis summa in se, et in 625 redundat; cui si quatuor adjiciantur embada, 1225 nascentur; quorum tetragonale latus, id est 35, si exceperis, summas utrasque basis et catheti comprobabis.


Scire autem oportet et investigare quo numero a se invicem cathetus et basis distent. Hic vero quis sit manifestemus. Si igitur hypotenusæ in se multiplicatæ quatuor, quæ adjeci superius, embada subtraham, in 25 summam regreditur, horum quinta
C pars differentiam tenet, id est 5. Quam si rursus duabus junctis summis vel 20, et 15, 40 pernotabo horum medium complet basim.

Si autem eamdem differentiam, hoc est 5, basi auferam, cathetum constituam, ut cerni potest in subjecta figura.



De orthogonio circulo inscripto rubrica.


D Nunc etiam quod Archytæ judicio in hoc eodem orthogonio approbatum est, et Euclidis diligentissima perscrutatione prius est rationabiliter adinventum, operæ pretium duximus non esse prætermittendum. Est etiam sæpe ut disputator in geometrica, circulus si hoc orthogonio inscribatur, quot pedes diametrus colligat, requirat; quod ne victus ignorantia refutet aliquis se dicere, breviter insinuamus rem hujusmodi : inscribatur itaque circulus orthogonio omnes lineas ejus tangens; hoc nimirum facto cathetus et basis aggregentur in unum; ex cujus summæ copulatione si hypotenusæ exceperis quantitatem, diametrum efficies; juncti enim 12 et 8, id est cathetus et basis, 20 reddunt. Ex quibus si hypotenusam abstulero, hoc est 15, diametrum 5 obtinere constituam, quod subtus facta designat figura.



De amblygonio rubrica.

Quintus in ordine triangulorum amblygonius ab Euclide insertus obtusum angulum habens dictus est, quem nos succincte aperteque explicando aggredimur. Nam si diligens lector superioris nostri documenti
B præceptis et formulis instructus accesserit, minime in hoc lababit. Constituatur modo amblygonius cujus basis 18 numero, hypotenusæ autem major 10, minor vero 9, inscribam, cathetus autem 4 summa insigniatur.

Ducatur ergo basis per catheti dimidium, hoc est 18, per binarium, et 36 prodeunt, quæ summa embadalis spatii planitudinem adimplet. Sed Archytas in cunctis utens ratione, alio modo hujus amblygonii aream reperiri constituit, non hanc sumptam esse summam in hac areæ planitudine, sed minorem posse contineri existimans, astruxit enim cathetum per se et per binarium, vel per se et octonarium, duplo se superantes multiplicari oportere, et quantitatem quæ hac ex multiplicatione proveniret aream constituere,
C non ut 36, sed 32 in se colligere arealis illa contemplatio. Quisquis autem hujus jam dicti trigoni formas in plano designare disponat, a basis quantitate hujusmodi rem ingrediatur, tali ratione ut terminus minoris ac majoris hypotenusæ copulatus, parvo vincat terminum basis, hoc est, si basis 28 mensuretur pedibus, major hypotenusa 11, minor autem 10 insigniatur. Sed melius hoc quod numeris duximus ostendemus, si alicujus exempli formam subjiciemus.




De oxygonio rubrica.

D Restat ut dicamus de oxygonii speculatione, qui sextus in trigonorum descriptione ab Euclide non segni geometra ponitur acuti angulus determinatus. Esto igitur oxygonius, cujus minori lateris terminus, id est minor hypotenusa 13 pedibus terminetur, major autem 15 et basis 14 mensuretur, cujus catheti et embadi summa si ignoratur, tali ratione colligetur.


Ducatur ergo lateris minoris quantitas per se, 169 redundat; basis item terminus si per se excreverit, 196 nascentur; quas videlicet summam si junxeris, 365 efficies. Quo facto multiplicetur etiam terminus hypotenusalis per se, et exsurget 225 numerus; quem si de superius copulata summa secrevero, fiunt

A residui 140; horum medietas 70 esse pernotatur, quod per basim dispersum quinquies ipsam in se retinet. Dominationis vero hujus summam minor obtinet præcisura, quæ per se adaucta 23 constituit. Hos si de minoris lateris summa per se multiplicata abstuleris, 144 supersunt, quorum tetragonale latus, quod 12 est, catheti summam explebit. Arcæ conclusionem hoc modo investigare curato, basis medium ducito per cathetum, id est 7 per 12, et provenient 85. Hanc summam complere areales hujus trigoni pavimentum n on ignora, describatur ergo hujusmodi de ɦoc figura.



Sed quia de trigonorum podismali consideratione in superioribus diligentium lectorum indagini explanavimus, superest ut ad tetragonorum speculationem transitum faciamus succinctum, de his habituri tractatum.

Quadratorum enim cæteris facilior est collectio, et prius quidem de normali tetragono tali modo ordiamur. Omnis igitur tetragonus normaliter constitutus latitudine longitudine multiplicante arealem constituit planitudinem, et podismum sine dubio absolvit. Ponatur modo tetragonus pari numero consignatus, id est 8, quos per se latitudinem per longitudinem multiplicans, 64 efficiam, embadum videlicet subtus descripti tetragoni.




Idem vero si per imparem numerum feceris, attente obstaculo eadem ratio constabit, qui normalis tetragonus ab Euclide æquilaterus atque rectiangulus nominatur, a Nicomacho autem in arithmeticis similiter appellatur.


De parte altera longiori rubrica.

Tetragonus autem parte altera longior ab Euclide quidem rectiangulum. Sed non æquilaterum definitur, a Nicomacho autem heteromeres dicitur. Cujus quidem longitudo latitudinem multiplicans embadalis summæ pedaturam, sive sint pares seu impares termini, demonstrat, sit modo parte altera longior tetra-

gonus, cujus longitudo pedes 8, latitudo autem 4, vel longitudo 9, latitudo autem 6, vel 5, vel 4, colligat.




Multiplicet ergo latitudo longitudinem, id est 4 8, 32 nascentur, hoc est, area parte altera longioris tetragoni provenient, quæ hæ figurarum deformationes pari numero atque impari designatæ.



De rhombo rubrica.


His vero jam dictis parallelogrammis adjiciendos rhombos et rhomboides tetragonos arbitramur; quamvis enim aut angulariter aut lateraliter a supradictis parallelogrammis dissideant, tamen his sunt adnumerandi. Esto age rhombus quadrilaterus, singulis lateribus decenæ pedaturæ summa conscriptus, diagoni autem, hoc est angularis lineæ directio bis sena numeretur quantitate, cujus 6, si per se augmentabitur, 36 exsurgent; quos si ex basis termino per se multiplicato subtraxeris, 64 remanet. Horum tetragonale latus, id est 8, hujus rhombi cathetum constituit. Diagonus autem per cathetum ductus embadalis summæ spatium ostendit. Hic autem ab Euclide æqua habens latera, sed non angulos æquos nec rectos definitur. Sit vero de hoc hujus formæ processio.



De rhomboide rubrica.

Euclides vero nec angulos æquos neque latera æqua habens rhomboides determinando proposuit, quem nos quoque patentiori aditu formando numerosque ascribendo reseramus. Esto age rhomboides cujus unum latus 8 pedes, secundum autem quatuor, tertium vero 6, quartum vero 2; harum vero summa-


A rum maximos terminos longitudinem obtinentes si conjungas, 14 efficies, quorum medietatem septenarius constituit. Minores autem summulæ in unum redactæ senarium quantitatem perficiunt, cujus medium ternarius adimplet, quæ videlicet medietate, 7 et 3 si per se multiplicabuntur, in 21 consurgent, id est pedes areales tetragoni hujus, ut infra apparet.



B


His etenim adjiciendum fore trapezium orthogonium non incongruum ducimus, dupla et sesquialtera numerorum proportione lateraliter consignatum. Ascribatur vertici summa quindenaria, catheto autem tricenaria, duplo etiam transcendens, basi vero ad hanc sesquialteram servans habitudinem terminus contradatur; per has ergo summas area hujus trapezii tali ratione constituenda est. Adjungatur vero vertex basi, id est 15, 45 et 60, terminus exuberat. Cujus pars dimidia si per nathetum multiplicabitur, areæ pandit protensionem ut in medio scripta patet figura.

C




De diagono adveniendo rubrica.

Sæpe autem evenire solet, ut in hujus artis speculatione, quod angularis lineæ protensio, horum scilicet tetragonorum pedes obtineat, requiratur. Quod ne ignoretur, facillimum apertissimumque hujusce rationis dabimus exemplar. Ponatur etiam parallelogrammus 60, orthogonius in longitudine 80, et in altitudine habens pedes 60, longitudo vero per se augmentata sexies 400 explicat, latitudo autem per
D se multiplicata ter 600 efficit, quæ videlicet sexies 400, et ter 600, in unum summæ redactæ 10 restituunt, horum scilicet 10 tetragonale latus si sumpsero, 100 pernotabo, hoc est diagonum hujus parallelogrammi orthogonii, ut infra scripta perspici potest forma.




De multiangulis figuris rubrica.

Sed quia sufficienter breviterque de tetragonorum diximus rationibus, restat ut de pentagonis et hexagonis cæterisque disseramus. Omnis itaque pentagonus æquis habitis lateribus unius in se summa excrescente, ac ter ducta, rursusque eadem subducta, medietateque hujus summæ sumpta embadalis spatii pandit superficiem. Esto modo pentagonus singulis habens lateribus pedes senos; quos videlicet 6 si per se duxero, 36 restituam; hoc ter ductos in 107 numerum perstringam; cui si abstulero lateris unius summam, id est senarium, 102 explicabo; quorum dimidium si accepero, aream infra descripti pentagoni adimplebo.



De hexagono rubrica.

Hexagonus autem ordine in subsequenti dicendus inferatur; describatur etenim hexagonus 8 lateraliter insignitus, quem videlicet octonarium per se multiplicans 64 efficiam; hæc summa, scilicet 64 quater ducta, in 256 redundat; his videlicet 256 si lateris unius quantitas, id est 8 bis ducta, adjiciatur, 272 apparent. Quorum medium si sumpseris, aream hujus hexagoni explicabis.




De heptagono rubrica.

Post hæc ut expediamus de heptagoni subsequentis ratione oportet, qui videlicet heptagonus tertio hic inseritur loco septenarius, quemadmodum in imparium numerorum tertius naturaliter ordine apparet collocetur, etenim heptagonus senaria quantitate circumscriptus, cui si lateris unius summam per se multiplicaveris, 36 pernotabis, quæ scilicet quantitas,

A hoc est 36, quinquies ducta, 180 adesse conducit. Quibus si senariæ quantitatis summam ter ductam subduxeris, 162 relinquuntur, horum medietas sumpta 81 pede embadum hujus heptagoni habere conducit.


B



De octogono rubrica.


Octogonus vero in naturali parium numerorum ordine quartus constitutus, in hoc disserendus loco naturaliter quartus assumatur. Esto age octogonus 7, per singula latera pedibus mensuratus. Hanc nimirum naturalem quantitatem, id est 8, in se si duxeris, 64 efficies; quos si per 6 multiplicaris, 384 explicabis. Ex his si quater lateris unius summam C deduxeris, non amplius quam 352 residui sunt. Quorum medietas si excipitur, area hujus octogonii pernotatur.

D




De hennagono (enneagono) rubrica.

Hennagonus autem singula per latera 6 circumscribatur, quem videlicet senarium, si secundum superius dictam nostræ institutionis regulam per se multiplicaveris, 36 efficies; qui septies ducti, 109 summam producent. His si lateris unius quantitatem quinquies subtraxeris, 79 reddes; horum medietas excepta si fuerit, hujus hennagoni embadum 38 semispedibus contineri manifestat.



Dᵏ decagono rubrica.

Restat ut de decagoni embadali dicamus podismo. Describatur itaque decagonus denario numero lateraliter limitatus. Cujus si lateris unius quantitas secundum jam sæpe dictam nostræ præceptionis institutionem se multiplicando excreverit, 100 efficiet. Hi vero octies ducti, 800 adducunt. Horum vero medium si sumpseris, aream hujus decagoni 770 pedibus contineri absque dubio pernotabis.




Idem vero de hendecagono cæterisque plurilateris figurarum descriptionibus si feceris, nullius erroris obstaculo lababis, hoc pacto ut in naturali ordine in multiplicanda unius lateris summa, et in hac quantitate quæ ex hac laterali multiplicatione nascitur, naturaliter augmentanda, eademque laterali naturaliter subducenda procedas, embadumque tali ratione ex medietatibus scilicet adinvenias.

De circulo rubrica.

Sed quia de angularibus figuris studioso lectori sufficienter disputavimus, restat ut breviter de circumductione sphæræ vel circuli explicemus. Ponatur circulus itaque 44 pedibus in circumductione designatus, diametrus autem 14 pedum protensionibus describatur. Cujus summa si per se excreverit, 196 na-


A scentur; hos per 11 multiplicans 2156 efficies, quorum quartadecima pars, id est 154, aream hujus cycli pandit, ut infra potest cerni. Est alia hujus cycli inveniendi embadalis spatii ratio : sumatur etenim circumductivæ quantitatis medietas, vel 22 quæ est medietas, et per medietatem diametri, id est per 7, multiplicetur, et quod ex hac multiplicatione provenerit, embadum pandit.

B




De emicyclo rubrica.


His vero brevibus initiamentis de circularibus theorematibus dicendum esse censuimus, de hemicyclo protinus dicturi. Conscribatur age hemicyclus 28 in basi, et in semidiametro 14 pedes habens, cujus
C si areæ podismus ignoretur, tali ratione adinvestigetur. Multiplicetur ergo summa basis per semidiametri summam, et in 392 pervenitur et hæc summa in decies 4211 producit, quorum sumpta quarta decima parte, id est 312, arealis completur superficies, ut propter apparet.




D Hæc de epipedarum podismationibus figurarum ad præsens dicta sufficiant, restat ut de montuosa succinctius aliquid ratione tractemus. Inscribatur etiam mons in verticis circuitu 300 pedibus podismatus, a pede autem usque in summitatem 800 pedibus protentus, pes vero montis ejusdem in circuitu pedibus millenis consignetur. Proponatur modo inquisitum quot jugera in hoc monte habeantur. Quod tali cum ratione ordiendum jungantur, etenim pedis et cacuminis duo illi circuitus, id est 1300; quorum per medium si ascensus, hoc est 800, per 650 multiplicabitur, 520 pedes habere montis hujus spatium comprobabitur. Hanc igitur summam si in 28,800 disperseris, 18 in hoc esse monte comprobabis, restantibus tantum millenis et sexcentis pedibus.



Si autem mons in pedis circuitu 2500 et medietatis circuitione 1600, in cacuminis autem circumductione centum, et in ascensu 500 pedes habens, fuerit. Hoc pacto jugera sunt adinvenienda : jungantur trium supradictorum circuituum summæ, et 4200 nascuntur quorum tertia parte, id est 1400, montis ascensionem, hoc est 500, multiplicante, 790 prodeunt; quos per jugera dispartiens, 24 efficies, non plus quam ducentis pedibus residuis.



Mons autem strabus, id est inæqualis, si fuerit in pedis circumferentia 1400, et in verticis declivo 200, et in dexteræ partis ascensione 850, in levi lateris autem suspectu 750 pedes habens, jugeralis vero sita planitudo hoc modo est indaganda. Sumatur etenim duarum medietas circumferentiarum in unum collectarum, id est 800, et ascensuum compositorum pars media, hoc est 800, et hæ medietates per se multiplicatæ 640 producunt, podismum scilicet montis supradicti. Ex peditura autem jugeralem facile summam secundum quod dictum est supra invenies.



Quia igitur de omnium huic arti inserendarum speculationum rationibus breviter enodateque sat disseruimus, reliquum est ut de unciali et digitali mensura, et de punctorum et minutorum cæterisque minutiis, sicut promisimus, dicamus, mirabilem et arti huic, cæterisque matheseis disciplinis necessariam figuram, quam Archyta præmonstrante didicimus, edituri.

A Veteres igitur geometræ, indagatores subtilissimi, maximeque Pythagorici, cum omnia certis mensurarum dividentes rationibus, ad ea quæ natura renueret dividi et secari, usque pervenirent, ingenio præsignante ea quæ naturaliter erant indivisibilia, positis notis nominibus æque datis dispartiere. Cujus vero agros per actus, per perticas, id est per radios, per passus, per gradus, per cubitos, per pedes, per semipedes, et per palmos dispersissent, non habentes palmum per quod dividerent id quod palmo esset minus, digito autem majus, unciam vocare maluerunt, in secundo vero loco digitum subscripserunt, in tertio staterem, id est semiunciam, in quarto quadrantem, in quinto drachmam, in sexto scrupulum, in septimo obolum, in octavo semiobolum, quem B Græci ceratem nuncupant, in nono siliquam, in 10 punctum, in 11 minutum, in 12 momentum nominando posuerunt. His ergo minutiis adinventis, nominibusque editis, multiformes eis notas indidere, quæ quia partim Græce, partim erant barbare, nobis non videbantur Latine orationi adjungendæ. Quapropter nos rem obscuram obscuris ignotisque notarum signis involvere nolentes, loco earumdem notarum Latinorum elementorum notas ordine ponimus, ita ut A unciæ respondeat, B digito, C stateræ, D quadranti, E drachmæ, F scrupulo, G dobulo, H semiobulo, I siliquæ, K puncto, L minuto, M momento ascribatur. Describatur itaque his litteris, quam diximus figuram unciarum, hoc modo.

C

D

A *i*	B *i*	C *i*	D *i*	E *i*	F *i*	G *i*	H *i*	I *i*	K *i*	L *i*	M *i*
M	A *x*	B *x*	C *x*	D *x*	E *x*	F *x*	G *x*	H *x*	I *x*	K *x*	L *x*
L	M	A *c*	B *c*	C *c*	D *c*	E *c*	F *c*	G *c*	H *c*	I *c*	K *c*
K	L	M	A *i*	B *i*	C *i*	D *i*	E *i*	F *i*	G *i*	H *i*	I *i*
I	K	L	M	A x	B x	C x	D x	E x	F x	G x	H x
H	I	K	L	M	A *c*	B *c*	C *c*	D *c*	E *c*	F *c*	G *c*
G	H	I	K	L	M	A *xc*	B *xc*	C *xc*	D *xc*	E *xc*	F *xc*
F	G	H	I	K	L	M	A *cc*	B *cc*	C *cc*	D *cc*	E *cc*
E	F	G	H	I	K	L	M	A *mc*	B *mc*	C *mc*	D *mc*
D	E	F	G	H	I	K	L	M	A *xc*	B *xc*	C *xc*
C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	A *cc*	B *cc*
B A	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	A

BOETII LIBER DE GEOMETRIA.

Geometrica est disciplina magnitudinis immobilis, formarumque descriptio contemplativa, per quam uniuscujusque termini declarari solent, documentum etiam visibile philosophorum, quod Latine dicitur terræ dimensio. Quoniam per diversas formas ipsius disciplinæ primum Ægyptus fertur fuisse partita, pro necessitate terminorum terræ quos Nilus fluvius inundationis tempore infundebat, cujus disciplinæ magi-

stri mensores ante dicebantur. Sed Varro peritissimus Latinorum hujus nominis causam sic exstitisse commemorat dicens : *Prius quidem dimensiones terrarum terminis positis, vagantibus ac discordantibus populis pacis utilia præstitisse. Deinde totius anni circulum mensuali numero fuisse partitum. Tunc et ipsi menses quod annum metiuntur, dicti sunt. Tunc et dimensionem orbis terræ probabili refert ratione collectam, ideo factum est ut disciplina ipsa geometriæ nomen acciperet quod per sæcula lcnga constaret.*

De utilitate geometriæ rubrica.

Utilitas geometriæ triplex est, ad facultatem, ad sanitatem, ad animam. Ad facultatem, ut mechanici et architecti. Ad sanitatem, ut medici. Ad animam, ut philosophi. Quam artem si arcte et diligenti cura atque moderata mente perquirimus, hoc quod prædictis divisionibus manifestum est, sensus nostros magna claritate dilucidat, et illud supra, quale est cœlum animo subire, totamque illam machinam supernam indagabili ratione aliter discutere, et inspectiva mentis sublimitate, ex aliqua parte colligere et agnoscere mundi factorem qui tanta et talia arcana velavit. Nam mundus ipse sphærica fertur rotunditate collectus, ut diversas rerum formas ambitus sui circuitione concluderet, unde librum Seneca consentanea philosophis disputatione formavit, cui titulus est de Forma mundi. Nam in geometria utique partem fatemur esse utilem teneri, et actibus agitari, in omnibus prodesse eam existimamus, nec sine causa summi viri etiam impensam huic scientiæ operam dederunt, cum sit geometria divisa in numeros atque formas numerorum. Nota non tantum oratori, sed cuique primis saltem litteris erudito necessaria est, quod ad subtilitatem constat tenuissima, et ad scientiam utilissima, et ad exercitationem valde jucundissima. In causis vero frequentissime quæritur, quia primum ordo est geometriæ necessarius. Nonne et eloquentiæ, ex prioribus geometria probat insequentia, et certis incerta, propter quod plures invenies, qui dialecti similiter et rhetorici ingrediantur hanc artem. Dialectico namque syllogismo, si res poscit, utitur, et qui sunt potentissimi grammatici, qui apodixis Græce dicuntur, idem probant, et certe enthymemate, qui rhetoricus est syllogismus, quod Latine interpretatur *mentis conceptio*, quem imperfectum solent artigraphi nuncupare, et ipse denique probat cujus sit formæ circuitus, quot lineis rectis continetur. Quibus modis finitur, quæ illa circumcurrens linea si efficiat orbem, quæ forma est in planis maxima perfecta, in qua tot spatia complectitur. Et si quadratum paribus horis efficiat rursus quadrata, triangulus triangula, ipsa plus æquis lateribus quam inæqualibus , et alia forsitan obscuriora , quod etiam operis sequi oportet experimentum. Hæc in planis. Nam in montibus et collibus etiam imperito patet, quia per solum cursum et umbrarum motum comprehenditur, et per divergia aquarum segregatur. Nunc ad epistolam Julii Cæsaris veniamus, quod ad hujus artis originem pertinet, ut nec ipsius auctoris

A gloria pereat, ut nobis plenissime rei veritas ad notitiam veniat; quisquis ille tamen hanc epistolam studiose legere voluerit quibusdem compendiis introductus, lucidius majorum dicta in brevi percipiet.

Rubrica.

Divus Julius Cæsar, vir accerrimus et multarum gentium dominator, frequentia belli militem exercuit, ampliorum bellorum operibus augendæ rei causa illustrium virorum urbes ingressus est, gentium populos rogantes recepit, tyrannos gladio interemit, et postquam hostilem terram obtinuit, deletis hostium civitatibus, denuo novas urbes constituit, dato iterum coloniæ nomine cives ampliavit.

Milites colonos fecit, alios in Italia, alios in provinciis quibusdam. Hæc quæ divus Augustus assigna-
B tus urbes provinciarum exercitui jussit propter subitas bellorum acies, non solum eas civitates demum cingere muris, verum etiam loca aspera et confragosa satis alligari, ut ille maxime propugnaculo est, et ista loci natura, et ab agrorum nova dedicatione culturæ colonias appellavit, quæ coloniæ his victoribus, qui temporis causa arma cœpere, assignatæ sunt.

Ergo ne quid nos præterisse videamur, sed magis eorum exempla sequamur, sæpe erit ad formam respiciendum ; et quia montium altitudines præesse oratio monstrabat, per accensum præcelsi cacuminis aciem laboriose signa ex lapidibus constructa reliquimus, et est munita discretaque locorum quantitas
C quæ permanet separatim per aquarum divergia in utraque parte valde nota partitio, alia loca riparum cursus servatur, proinde etiam si hostis nos infestare voluisset, eos ex proxima ripa poteramus expugnando rumpere. Nam circa regionem maritimam limites rectos censuimus ex lapidibus compactis, totam limitum recturam cursum demonstrabimus, quia coloniæ omnes quæ ad mare ponuntur littore maris terminantur. Agros convallium jure ordinario disposuimus, quos intercisivos nominavimus. In planitie vero limites recte cultellavimus.

Plerumque sunt agri quam multi assignati, quorum mensura limitum licet diversa sit, tamen etiam distant a se alius ab alio in pedes 100, in pedes 150, in pedes 240, in pedes 300, in pedes 360, in pedes
D 420, in pedes 480, in pedes 600, in pedes 700, in pedes 840, in pedes 960, in pedes 1020, in pedes 10200, in pedes 10340, in pedes 10600, in pedes 10700, in pedes 10800, in pedes 20000, in conspectu tamen longo quo signis limitem agimus.

Si fuerit terminus crassus angustalis et ab alia parte longa crassus geminatus , hi duo limites maximi decimanus et cardo nominati sunt. Per multa millia pedum concurrunt, et nisi in Alpes finiant dividunt agros dextra lævaque rectarum linearum inter se continentium.

Omnem mensuram hujus culturæ mediam longiorem sive latiorem facere debes, quod latitudine longius fuerit scamnum est, quod vero in longitudinem longius fuerit striga.

Sunt fundi bene meritorum et pro æstimatione ubertatis angustiores assignati sunt.

Loca macra et arida ampliori termino conclusa sunt. Sunt loca subsicciva quæ ad jus ordinarium non pertinent, sed si convenerit inter possessores, possideant; si non convenerit, remanet potestati.

Alia loca perfectiora ad jus publicum pertineant; totidem si possessoribus convenit, possident.

Sunt autem loca publica hæc quæ scribuntur silva et pascua publica augustinorum quæ illo modo alienari nequeunt, et possident tutelam aut templorum publicorum, aut balnearum, quæ loco colliva appellant.

Ager extraclusus est, qui intra finitimam lineam et centurias interjacet; ideo extraclusus, quia ultra finitimos limites clauditur.

De controversiis rubrica.

Controversiarum materiæ sunt duæ, finis et locus, harum altera continetur quidquid ex agro disconvenit. Sed quoniam his quoque partibus signatæ controversiæ diversas habent conditiones, ut potui ego comprehendere, propriæ sunt nominandæ.


Genera sunt controversiarum 14: De positione terminorum. De regione. De fine. De loco. De domus proprietate. De possessione. De alluvione. De jure territorii. De subsiccivis agris. De locis publicis. De locis relictis et extraclusis. De locis sacris ac religiosis. De aquæ pluviæ accessu, et de itineribus.

Controversia est inter duos pluresque vicinos. Inter duos, an in rigore sit cæterorum ratione finis; inter plures trifinium facit, aliquibus locis et quadrifinium, secundum proximas possessiones: dum hoc nesciunt, non eis convenit, et diversas controversias ipsi possessores inter se faciunt. Alii de loco, alii vero de fine lineæ litigant, alii de fundis attendunt. Sed avido modo quærendum est prius origo causæ. Natura per hæreditates opinionis hujus generis controversiæ fiunt, quare jure ordinario litigatur. Prius tamen in judicio super possessionem quæstio finiatur, et tunc agrimensor ad loca ire præcipiatur, ut patefacta veritate hujusmodi litigium terminetur.

Genera controversiarum ex flumine hæc sunt: non quod occupatis agris agitur, sed quod vis aquæ abstulerit, repetitionem non habebit; quæ res necessitate ripæ muniendæ sunt, sine alterius damno, quisquis ille faciat qui ripam suam muniet. Quod si fluminis torrens aliquandó tam violentus decurrit, ut alveum mutet suum, multorum agros trans ripam occupat, sæpe etiam insulas efficiet. Sed Cassius Longinus prudentissimus juris auctor et judex hoc statuit, ut quidquid aqua lambendo abstulerit possessor admittat, quoniam scilicet ripam suam sine alterius damno tueri debet. Si vero major vis decurrerit, et in fines alterius alveum mutat suum, et fiat insula in quo concurrerit, unusquisque modum fluminis majoris agnoscere debet, et eam insulam ipse sibi vindicabit, cujus terram tempestative præoccupavit, quoniam non possessoris negligentia, sed tempestatis violentia apparet arreptum.

Ager subsiccivus secundum suas determinationes

A ascriptus est, in finibus suis tabulario Cæsaris inferimus, et quod beneficio concessa aut assignata coloniæ fuerint, sive in proximo, sive inter alias civitates, libros beneficiorum ascribimus, et quidquid aliud ad instrumentum mensorum pertinebit ad solum coloniæ, sed ad tabularium Cæsaris manu conditoris subscriptum habere debebit.



Ager est similis subsiccivus conditionis extraclusus et non assignatus, qui, si rei publicæ, populo Romano, aut ipsius coloniæ cujus fine circumdatur, aut
B ad populum Romanum pertinet, datus non est, in ejus qui assignare potuerit remanet potestate.

Signa limitum finalium in diversas regiones, sive vocabula, vicos, vel possessiones hæc sunt inter utrosque possessores testimonia agralia dividenda.

In montibus loco arida et confragosa petras signatas invenimus.

Summa montium terminos agusteos, id est rotundos, in effigiem columnæ aliquos littera signatos, archas finales in partibus grumos, id est congeriem petrarum, arbores antemissas intactas a ferro, congeriem maceriæ, id est ubi saxa collecta ab utrisque partibus limitem faciunt, item petras sacrificales aras, in quibus locis arbores intactæ stare videntur in quo loco veteres errantes sacrificium faciebant. Alio loco
C viæ militares finem faciunt, qui termino muniuntur. Alia vero dextera montium, id est pro latere montis ripæ currentes finem faciunt. Aliquando sepulcra finem faciunt, ideo sepulcra sequenda sunt quæ extremis finibus concurrentibus plures concursus agrorum expectant. Omnia enim monumenta dominos testantur.

Sunt termini cursorii in effigiem tituli constituti, certa loca rivi, finales cunabulæ vel novercæ, quod regulis construitur, scorpiones ubi fines duos cuneati se jungunt. Si forte in campestria loca ubi agri in planitie sunt constituti in jugeribus assignata inveniuntur. Item inter voratos rupis arboribus ante missis intactis, ut supra dixi sacrificales, tumor terræ in effigiem limitis constitutos, petras molares foveas, vel metas, lacus et legonatus, et fabriciis constructos ca-
D laviones. Aliquotiens enim petras quadratas et scriptas, quæ indicant cujus agri quis dominus, quot spatium tueantur. Non enim omnis titulus inscriptionibus est inductus, quoniam aliquibus locis non sunt lapides scripti, sed in effigiem terminorum positi sunt, quos cursorios vocamus. Nam et ipsi montes omnino loca determinant, termini vero non unam mensuram inter se continent, jubente Augusto Cæsare Balbo mensore, qui omnium provinciarum mensuras dixtinxit ac declaravit, perque testimonia suprascripta fines locorum terminentur.

Sunt enim termini quibus fides non est adhibenda, isti dicuntur itinerarii. Omnes enim limites itineri publico servire debebunt, qui dextera ac sinistra fines

privatos dividunt, et in medio iter publicum : hi tales non sunt omnibus locis, utique sub omnes terminos signum inveniri oportet; quod ergo inventum pro loco termini observetur et custodiri debeat, ut ab uno ad unum dirigatur, et si nocte sive a nota ad notam.

Sic enim sunt certæ legis consuetudines et observationes, semper signum in omnibus terminis positum est, aut aliquos cineres, aut carbones, aut testa, aut ossa, aut vitrum, aut massa ferri, aut æs, aut calcem, aut gypsum, aut vas fictile invenimus, quod etiam quibusdam saxorum fragminibus conculcabant atque diligenti cura confirmabant, ut firmius staret. Tales ergo, signum inter dominos, inter quos fines terminabantur, faciebant. Termini vero non sunt omnibus locis, sed infinita sunt multa alia testimonia, lege feliciter et intelligere curabis; qui intelliget quod videt, agrorum intentionem et certamen tollere potest, prudentiam tamen hi mensores habere debent, qui judicaturi sunt, et quos advocant, ut præstatores. In judicando autem mensorem bonum virum, et justum agere, ut nulla ambitione aut sordibus moveatur, servare opinionem metris et moribus debet. Omni enim artifici veritas custodienda est, exclusi sunt illi qui falsa pro veris opponunt. Quidam per imprudentiam, quidam per imperitiam peccant. Mutans ergo in professione quæ generaliter pro veris adjiciuntur, per controversiam argumentaliter et conjecturaliter etiam superflue metiri artifices coguntur, sed tutum hoc judicandi hominem artificem oportebit.

Nomina agrimensorum rubrica.

Hygini, Marci, Cæsaris Neronis jussu. — Julii Frontini, Junii, Claudi Cæsaris jussu. — Siculi. — Flacci, Nypsi, Higini, Euclidis, Cassi. — Ageni, Balbi, Tiberii Cæsaris jussu. — Urbici, Mensoris Longini. — Imp. Se veri et Antonini j. — Imp. Vespasiani j. — Imp. Adriani j. — Imp. Trajani j. — Imp. Augusti Cæsaris j. — Imp. Neronis j. — Imp. Valentiniani j. — Imp. Theodosii j. — Imp. Arcadii j. — Imp. Honorii j. — Imp. Constantini jussu.

Nomina lapidum finalium et arcarum positiones rubrica.

Orthogonius rectus rectum angulum mittit. Isopleurus rectus subconstitutus. — Isosceles. Terminus lineatus. — Exculenus sive hexagineus. Spatula cursoria. — Excultelatus lateribus. Terminus in inversum positus. — Sumbus sive trapideus. Item spatula cursoria. — Isosceles. Quadrifinius. — Solus trigonus alia jactat. Item quadrifinius. — Parallelogrammus pentagonus. Terminus gamatus. Hexagineus. Terminus lineatus, id est quadrifinius. — Septagenus. Item quadrifinius. — Sinagonus. Noverca. — Terminus Græca littera scriptus. Simmatus. — Terminus in summo acutus. Centustatus. — Circulatus pyramus, item acuto similis. Trivortinus. — Item pyramus vitæ præcisæ similis. Amicirculus — Completus rhombus amblygineus. Varoberinus. — Amicirculus quadratus. Trudeus. — Terminus agusteus. Terminus augustus in summo acutus. — Terminus cursorius. Lapis molaris. — Terminus finitrius. Monumentum. — Sepulturam cum ossibus finalem. Mauspleus. — Terminus in laterculis. Arca finalis. — Terminus quadrifinius. Lippus. Terminus rotundus. Kalasiones. — Terminus cui subjacet angulus. Terminus quadrifinius.

Tu qui vis perfectus esse geometricus, lege ista omnia quæ capitulata sunt subterius. Nam imprimis scire oportet arithmeticam artem, quæ continet numerorum causas ac divisiones, id est : qualis est definitio ac divisio, de paribus imparibus numeris; — qualis est compositus numerus, et qualis incompositus; — qualis est perfectus numerus, et qualis imperfectus; — qualis est divisibilis numerus, et qualis indivisibilis; — qualis est particularis numerus, et qualis superpartiens; — qualis est superfluus numerus, et qualis diminutivus; — qualis est multiplex numerus, et qualis submultiplex; — qualis est solidus numerus, et qualis sphæricus; — quomodo inventa est geometria; — quid sit geometria; — quæ utilitas; — qui ordo præscriptionis; — quæ sit ratio præpositionis; — quæ dispositionis; — quæ distributionis; — quæ descriptionis; — quæ demonstrationis; — quæ conclusionis; — qualis est recta linea; — qualis est superficies lineæ; — qualis est divitrica linea; — quot sunt extremitatum genera; — quot genera summitatum; — quot genera angulorum; — qualis est planus angulus; — qualis est obtusus angulus; — qualis est hebes angulus; — qualis est rectus angulus; — qualis est acutus angulus; — qualis partita mensura sit; — quantum trahit stadius; — quid sit acus; — quid sint climate; — quid centua; — quid leuca: — quid arrapennis; — quid jugerum; — quid centuria; — quid punctum; — quid est diametrus; — quid parallelo grammum; — quid figura; — quid circulus; — quot in partes sit divisio.

Si scis ista omnia ad plenitudinem, nosti locorum segregationem. Nam qui ignorant regulam hujus artis multa opponunt falsa pro veris.

D. Quomodo inventa est geometria?

M. Inventam esse geometriam Ægyptii dicunt pro necessitate terminorum terræ, quos Nilus inundationis tempore infundebat.

D. Unde vocata sit geometria?

M, Geometria nominata est a dimensione terræ, per quam uniuscujusque terræ termini declarari solent.

D. Quid sit geometria?

M. Geometria est disciplina magnitudinis et figuræ quæ secundum magnitudinem contemplatur.

D. Quæ sit intentio?

M. Intentio Euclidis duplex est, ad discipulum respiciens et ad naturas rerum. Ad discipulum respiciens, quia oportet eum ab his uti isagogicis incipere pro facilitate, pro brevitate, et eo quod in quæstionibus ob hoc nulla sit difficultas. Pro rerum natura, eo quod physicæ scientiæ, et Timæi sive Platonis doctrina plurima geometrice demonstrare noscuntur.

D. Quæ utilitas?

M. Utilitas (ut supra præfati sumus) geometricæ triplex est, ad facultatem, ad sanitatem, ad animam : ad facultatem, ut mechanici; ad sanitatem, ut medici; ad animam, ut philosophi.

D. Qui ordo est geometriæ in disciplinis?

M. Aliquatenus post arithmeticam servus (secundus?) est, aliquatenus tertius.

D. Tituli inscriptio quomodo intelligatur?

M. Est enim tituli præscriptio elementorum quæ figuræ simpliciores sunt, et ex his aliæ componuntur quæ in his etiam resolvuntur.

D. Si proprius codex?

M. Codex iste secundum dispositionem Euclidis esse dicitur, secundum demonstrationem vel inventionem, aliorum plerumque esse dicitur.

D. In quot partes dividitur?

M. Dividitur codex iste in quatuor partes : in epipedis, in arithmeticis, in rationalibus et irrationalibus lineis, et in solidis.

D. Quæ sunt in demonstratione geometrica?

M. Propositio, dispositio, distributio, descriptio, demonstratio et conclusio.

Restat autem nobis profundissimam quamdam tradere disciplinam, quæ ad omnium naturæ, tum rerum integritatem maxime ratione pertineat. Magnus quippe in hac scientia fructus est, si quis non nesciat quod bonitas diffinita et sub scientia cadens animoque semper imitabilis et perceptibilis prima natura est, et suæ substantiæ decore perpetua, infinitum vero malitiæ dedecus nullis propriis principiis nixum, sed natura semper errans ab omni definitione principi tanquam aliquo signo optimæ figuræ impressa componitur, et ex illo erroris fluctu retinetur. Nam nimiam cupiditatem iræque immodicam effrenationem, quasi quidam rector animus pura intelligentia roboratus astringit. Nos tamen quæ de numeris a Nicomacho diffusius disputata sunt, vel a Varrone de mensuris ostensa sunt, moderata brevitate collegimus. Et quæ transcursa velocius angustiorem intelligentiæ præstabant aditum, mediocri adjectione reseravimus, ut aliquando ad evidentiam rerum nostris etiam formulis ac descriptionibus uteremur, quod nobis quantis vigiliis ac sudore constiterit, facile sobrius lector agnoscit. Et has quodammodo inæqualitatis formas temperata bonitate laborando collegimus; ipse lector probabit, quæ nos ex Græcarum opulentia litterarum in Romanum orationis thesaurum contrahimus. Si quæ ex sapientiæ doctrinis emicuerunt, sapientissimi judicio per nos comprobentur. Vides igitur ut tam magni laboris effectus tuum tantum lector, exspectet examen, nec in aures prodire publicas nisi doctæ sententiæ astipulatione nitatur, quod nihil mirum videri debet, cum id opus quod sapientiæ inventa persequitur, non auctoris, sed alieno incumbat arbitrio. Est enim sapientia numerorum causas et divisiones earum quæ vera est cognitio et integra comprehensio, quod hæc qui spernit, id est semitam sapientiæ, ei denuntio non recte philosophandum. Hæc autem est arithmetica, hæc enim cunctis prior est, non modo quod hanc ille hujus mundanæ molis conditor Deus primam suæ habuit ratiocinationis exemplar, et ad hanc cuncta constituit, quæcunque fabricata ratione per numerum assignati ordinis in-

A venere concordiam, sed hoc quoque prior arithmetica declaratur, quod quæcunque natura priora sunt; his sublatis, simul posteriora tolluntur. Quod si posteriora pereant, nihil de statu prioris substantiæ permutat, ut animal prius est homine. Nam si tollas animal, statim quoque hominis natura deleta sit. Si hominem sustuleris, animal non peribit, proprie tamen ipsa numerorum natura cuncta præcessit. Omnia quæcunque a primæva rerum natura constructa sunt, videntur numerorum ratione formata. Hoc enim fuit principale in animo conditoris exemplar, hinc enim quatuor elementorum multitudo mutuata est, hinc temporum vices, hinc motus astrorum cœlique conversio. Proprie tamen ipsa numerorum natura omnes astrorum cursus, omnisque astronomica ratio B constituta est. Sic enim ortus occasusque colligimus, sic tarditates velocitatesque errantium siderum custodimus, sic defectus et multiplices lunæ variationes agnoscimus, quia quoniam prior, ut claruit, arithmeticæ usus est, hinc disputationis sumamus exordium, hoc idem in geometria vel in arithmetica videtur incurrere. Si enim numeros tollas, unde triangulum vel quadratum comprehendere possumus, vel quidquid in geometria versatur, quæ omnia numerorum denominativa sunt? Hoc autem erit perspicuum si intelligamus omnes inæqualitates crevisse primordiis, ut ipsa quodammodo æquitas matris et radicis obtinens vim, ipsa omnes inæqualitatis species ordinesque perfundavit. Sint enim nobis tres bini, vel tres terni, C vel tres quaterni, vel quantos ultra libet ponere. Quod enim in his tribus terminis evenit, idem contingit in cæteris. Ex his igitur secundum præcepti nostri ordinem videas primum nasci multiplices si convertantur, et in his duplices prius, dehinc triplos, inde quadruplos et ad eumdem ordinem consequentes. Rursus multiplices si convertantur, ex his superparticulares orientur. Ex duplicibus quidem sesquialteri. Ex triplicibus sesquitertii. Ex quadruplis sesquiquarti, et cæteri in hunc modum. Ex superparticularibus vero conversis superpartientes nasci necesse est, ita ut ex sesquialtero nascatur superbipartiens, supertripartientem sesquitertius gignat, ut ex sesquiquarto superquadripartiens. Rectis autem positis neque conversis prioribus superparticularibus, D multiplices superparticulares oriuntur. Rectis vero superpartientibus, multiplices superpartientes efficiunt; præcepta autem tria hæc sunt, ut primum numerum primo facias parem, secundo vero primum, et secundo tertium, primo duobus secundis et tertio. Cum enim eum in terminis æqualibus feceris, ex his qui nascentur duplices erunt. De quibus duplicibus si idem feceris, triplices procreantur, et de his quadruplices, atque in infinitum omnes formas numeri multiplices explicabis. Illi quidem quorum partes ultra quam satis est sese porrexerint, superflui nominantur, ut sunt 12, vel 114. Hi enim suis partibus comparati, majorem partium summam toto corpore sortiuntur : est enim duodenarii medietas 6, pars tertia 4, pars quarta 3, pars sexta 2, pars duodecima 1, omnisque

hic cumulus redundat in 16, et totius corporis sui multitudinem vincunt. Rursus 24 numeri medietas est 12, tertia 8, quarta 6, sexta 4, octava 3, duodecima 2, vigesima quarta 1, qui omnes 36 rependunt, in qua re manifestum est quod summa partium major est, et supra proprium corpus exundat. Atque hic quidem cujus compositæ partes totius termini multitudine superantur, ut 8, vel 14, habet enim octonarius partem mediam, id est 4, habet et quartam quod est 2, habet et octavam 1, quæ cunctæ in unum reductæ septem colligunt, minorem scilicet summam toto corpore concludentes. Rursus quatuordecim habet medietatem, id est 7, habet septimam, id est 2, habet quartam decimam, id est 1, quæ si in unum collectæ sint denarii numeri summa succrescit, toto scilicet termino minor. At 2 qui hoc modo sunt ut prior ille quem suæ partes superant, tales videantur tanquam si quis multis super naturam manibus natus aut duplici conjunctus corpore, vel quid unquam monstruosum naturæ in partium multiplicatione subripuit.

Ille vero minores, ut si naturaliter quadam necessaria parte detracta aut minus oculo nasceretur, vel alio curtatus membro, naturale totius suæ plenitudinis dispendium sortiretur; inter hos autem velut inter æquales intemperantias medii temperamentum limitis sortitus est ille numerus qui perfectus dicitur esse, virtutis scilicet æmulator, qui nec supervacua progressione dirigitur, nec contracta rursus diminutione remittitur; sed medietatem obtinet, qui suis æquis partibus nec grassatur abundantia, nec eget inopia, ut 6 vel 28. Namque senarius habet partem mediam. id est 3, et tertiam, id est 2, et sextam, id est 1, quæ in unam summam si redactæ sint, id est 3, 2 1, id est par totum numeri corpus suis partibus invenitur; 28 vero habet medietatem 14 et quartam 7, et septimam 4, et quartam decimam 2, vigesimam octavam 1, quæ in unum redacta totum partibus corpus æquabunt, in uno enim junctæ partes 28 efficiunt. Est autem in his quoque magna similitudo virtutis et vitii; perfectos enim numeros rare invenies, eosque facile numerabiles, quippe qui pauci sunt, et nimis constanti ordine procreati. At vero superfluos infinitos reperies, nec ullis ordinibus, passim inordinateque dispositos, et a nullo certo fine generatos. Sunt autem perfecti numeri intra denarium numerum 6, intra centenarium 28, intra millenarium 416, intra decem millia 800 et 128. Et semper hi numeri duobus paribus terminantur 6 et 8, et semper alternatim in hos numeros summarum fines provenient. Nam et primum 6, inde 28, post hos 416. Idem senarius qui primus, postquam 800 et 128, idem octonarius qui secundus.

Majoris vero inæqualitatis numeri quinque sunt partes : est enim una quæ vocatur multiplex, alia superparticularis, tertia superpartiens, quarta multiplex superparticularis, quinta multiplex superpartiens, His igitur quinque majoris partibus oppositæ sunt aliæ quinque partes, quæ minoris sigillatim speciebus iisdem nominibus nuncupantur, sola tantum præpositione distantes. Dicitur enim submultiplex, subsuperparticularis, subsuperpartiens, submultiplex, superparticularis, submultiplex, superpartiens. In prima parte si multiplicatur numerus, multiplex dicitur. In secunda parte superparticularis dicitur. In tertia superpartiens, id est quarta multiplex superparticularis. In quinta multiplex superpartiens. Minoris vero numeri aliqua parte unus subsistens atque idem per partes, secundum majorum normam multitudinemque protenditur.

De paribus et imparibus numeris rubrica.

Descriptio autem quæ supposita est hoc modo facta est : quantoscunque in ordine pariter parium numerorum ternarius numerus multiplicavit, quicunque ex eo procreati sunt primo sunt versu dispositi. Rursus qui eodem multiplicante quinario nati sunt, secundo loco sunt constituti. Post vero quos septenarius cæteros multiplicans procreavit, eosdem tertio constituimus loco, atque idem in reliqua descriptionis parte perficimus. Superius igitur digestæ descriptionis hæc ratio est : si ad latitudinem respicias, ubi est duorum terminorum una medietas, ipsosque terminos jungas, duplos eos propria medietate reperies, et 36 et 20 faciunt 56, quorum medietas est 28; et 12 si jungas, faciunt 150, quorum 20 medietati medius eorum terminus invenitur. Ac vero ubi duas medietates habent, utræque extremitates junctæ utrisque medietatibus æquales fiunt, ut 12 et 36 dum conjunxeris fiunt 48 ; horum si medietates sibimet applicaveris, id est 20 et 28 idem erit. Atque in alia parte latitudinis eodem ordine qui fiunt numeri notati sunt, neque ulla in re ratio utriusque latitudinis discrepavit. Idemque eodem ordine in cæteris numeris pernotabis, et hoc secundum formam pariter imparis numeri fit, in quo hanc proprietatem esse supra jam dictum est. Rursus si ad longitudinem respicias, ubi duo termini unam medietatem habent, quod fit ex multiplicatis extremitatibus, hoc fit si medius terminus suæ capiet pluralitatis augmenta. Nam duodecies 48 faciunt 576; medius vero eorum terminus, id est 24, si multiplicetur, eosdem rursus 576 procreabit. Et rursus si 24 in 96 multiplicetur, faciunt 2304, quorum medius terminus, id est 48, si in semetipsum ducatur, idem 2304 procreantur. Ubi autem duo termini duas medietates includunt, quod fit multiplicatis extremitatibus, hoc idem redditur in alterutram summam medietatibus ductis. Duodecies enim 546 multiplicatis in 152 procreantur, duæ vero eorum medietates, id est 24 et 48, si in semetipsas multiplicentur, eosdem in 152 restituent, atque hoc ad imitationem cognationemque numeri pariter paris, a quo participatione tracta, hæc ei cognoscitur ingenerata proprietas. Et in alio vero latere longitudinis, eadem ratio descriptioque notata est, qua in re manifestum est totum numerum ex superioribus duobus esse procreatum, quod eorum retinet proprietates. Quoniam autem naturaliter et secundum propriam ordinis consequentiam multiplicem inæqualitatis speciem cunctis præposuimus, primamque speciem esse

monstravimus, licet hoc nobis posterioris operis ordine clarescat, hic quoque perstringentes, id quod proposuimus planissime breviterque doceamus. Sit enim talis descriptio in qua ponatur in ordinem usque ad denarium numerum continui numeri ordo naturalis, et secundo versu duplus ordo texatur, tertio vero triplus, quarto autem quadruplus, et hoc usque ad decuplum. Sic enim cognoscemus quemadmodum superparticulari, et superpartienti, et cunctis aliis princeps erit species multiplicis, et quædam alia simul inspiciemus, et ad subtilitatem tenuissima, et ad scientiam utilissima, et ad exercitationem valde ucundissima.

Si igitur duo prima latera præpositæ formulæ, quæ faciunt angulum ab uno ad decem, et decem procedentia respiciantur, et his subteriores ordines comparentur, qui scilicet a 4 angulum incipientes in vicenos terminum ponunt, duplex, id est prima species multiplicitatis ostenditur, ita ut primus primum sola superet unitate, id est duo unum, secundus secundum binario supervadat, ut quaternarius binarium, tertius tertium tribus, ut senarius ternarium, quartus quartum quaternarii numerositate transcendat, ut octo quaternarium et per eamdem cuncti sequentiam sese minoris pluralitate prætereant.

Si vero tertius angulus inspiciatur, qui ab novem inchoans, longitudinem latitudinemque tricenis altrinsecus numeris extendit, et hic cum prima latitudine et longitudine comparetur, triplex species multiplicitatis occurrit, ita ut ista comparatio per decimam litteram fiat, hique se numeri superabunt, secundum parallelitatis factam naturaliter connexionem; primus enim primum duobus superat, ut unum tres, secundus secundum quaternario, ut binarium senarius, tertius tertium sex, ut ternarium novenarius, et ad eumdem cæteri modum progressionis accrescunt, Quam rem nobis scilicet et ipsa naturalis objecit integritas, nihil nobis extra machinantibus, ut in ipso modulo descriptionis apparet.

Si quis autem quarti anguli terminum qui sedecim numeri quidditate notatus est, et longitudinem quæ in quadragenos terminat, velit superioribus comparare, per 10 litteræ formam proportione collata, quadruplici multitudinem pernotabit, hisque est ordinabiis super se progressio, et ut primus primum tribus superet, ut quatuor unitatem, secundus scundum senario vincat, ut octo binarium, tertius tertium novenario transeat, ut duodenarius ternarium, et sequentes summulæ trium se semper adjecta quantitate tran iliant. Et si quis subteriores aspiciat angulos, idem per omnes multiplicitatis species usque ad decuplum dispositissima ordinatione proveniet.

Si quis vero in hac descriptione superparticulares requirat, tali modo reperiet. Si enim secundum angulum notet, cujus est initium quaternarius, eique superjacet binarius, atque ad hunc sequentem quis accommodet ordinem, sesquiatera proportio declaratur. Nam tertius secundi versus sesquialter est, ut tres ad duo, vel sex ad 4, vel novem ad sex, vel 12

A ad 8, item et in cæteris qui sunt in eadem serie numeris talis conjugatio misceatur, nulla varietatis dissimilitudo subripiet; eadem tamen summarum supergressio est in hoc quoque quæ in duplicibus fuit. Primus enim primum, id est ternarius binarium uno superat, secundus vero secundum duobus, tertius tertium tribus, et deinceps, Si vero quartus ordo tertio comparetur, ut 4 ad 3, et eodem cæteros ordine consecteris, sesquitertia comparatio colligitur, ut 4 ad 3, vel 8 ad 6, vel 12 ad 9, videsne ut in omnibus his sesquitertia conservetur? Præterea eos qui sub ipsis sunt, si idem faciens sequentes versus alterius comparaveris, omnes sine ullo impedimento species superparticulares agnosces, hoc autem in hac dispositione divinum, quod omnes angulares numeri

B tetragoni sunt. Tetragonus autem dicitur, ut brevissime dicam, quod etiam latius explicabitur, quem duo æquales numeri multiplicant, ut in hac quoque descriptione est : unus enim semel unus est, et est potestate tetragonus. Item bis duo 4 sunt, ter tres 9, quos in semetipsos multiplicationes primordiis perfecerunt. Circum ipsos vero qui sunt vel est circum angulares, longilateri numeri sunt; longilateros autem voco, quos uno se supergredientes numeri multiplicant; circum 4 enim duo sunt et sex, sed duo nascuntur ex uno et duobus, cum unum bis multiplicaveris. Sed unitas a binario unitate præceditur, 6 vero ex duobus et tribus, bis enim tres senarium reddunt. Novenarium vero sex et duodecim claudunt, qui duodecim ex tribus nascuntur et 4. Ter enim 4 fiunt

C 12, senarius vero ex duobus et tribus, bis enim terfiunt 6, qui omnes uno majoribus lateribus procreati sunt. Nam cum 6 ex binario ternarioque nascuntur, 3 binarium numerum uno superant, cunctique alii ejusdem modi sunt, ut primo et secundo ordine ad alterutrum multiplicatis terminis procreentur, ita ut quod nascitur ex duobus positis longilateris altrinsecus, et bis medio tetragono tetragonus sit. Et rursus quod ex duobus altrinsecus tetragonis et uno medio longilatero bis facto nascitur, ipse quoque tetragonus sit, et ut angulorum totius descriptionis ad angulares tetragonos positorum unius anguli, sit prima unitas, alterius vero qui contra est, tertia; uni vero altrinsecus anguli secundas habent unitates, et duo angularium tetragonorum anguli æquum faciunt,

D quod sub ipsis continetur, illi quod fit ab uno illorum, qui est altrinsecus angulorum. Multa enim sunt alia quæ in hac descriptione utilia possint admirabiliaque perpendi, quæ interim propter castigatam introducendi brevitatem ignota esse permittimus, nunc vero ad sequentia propositum convertamus.

Finis lib. de Geometria Anitii Manlii Severini Boetii. In quo opere si quid amplius requiri videbitur cuipiam boni æquique consulat, nam plurimos locos emendavimus, in quibusdam visum est cuique suum judicium relinquere, nihilque temere mutare. Certe quantum diligentia, industria et impensis potuit fieri, a nobis nihil est omissum.

INDICES

AD LIBROS DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HIS BOETII COMMENTARIIS OCCURRUNT.

A

Achæmenia quid ? 315.
Adminiculum cur dicatur ? 135.
Admiratio quid, et unde, ? 291.
Adytum quid ? 93.
Æternitas definitur. 348.
Ætna mons. 143.
Ævum quid ? aliud perpetuum, aliud certo definitum tempore. 37.
Differt ab æternitate, et tempore. 121.
Agamemnonis labores. 307.
Alcibiades non fuit mulier. 213.
Ambiguum quid ? 324.
Ambitio et ambitus. 165 et 216.
Amnis unde dicatur ? 89.
Amor *inadæquate* et *adæquate*. 167.
Anaxarchus linguam dentibus abscissam in tyrannum exspuit. 148.
Anxium quid ? 120.
Anxietas. 187.
Appetitus voluntarius et naturalis, 227.
Aquilo ventus. 79.
Arcturus unde ? 67 et 289.
Area fortunæ. 95.
Arena vel harena quare ? 105.
Arvum quid ? 138 et 173.
Ab assuetis non fit *passio*. 251.
Attentione Deum precamur. 91.
Autumnus cur ita vocetur ? 21.

B

Bacchi munus vinum. 80 et 139.
Beatitudo alia res, alia modus. 176.
Boetius bene meretur de omnibus. 45.
Exsulat immerito. 49.
Objecta sibi crimina pluribus purgat. 58.
Ignem agnoscit *purgatorium*. 281.
Boreas ventus. 27.
Brutus Romanæ libertatis assertor. 163.
Busiris ab Hercule interfectus. 148.

C

Casus admitti potest et rejici. 313.
Catullus Nonium convicio consectatur, nec in hoc erravit Boetius. 192.
Cognitio impeditur perturbationibus. 88.
Cognoscimus intelligentia, ratiocinatione, imaginatione, et sensu. 336.
Criterium sive norma veritatis. 341.

D

Deus cognoscitur mundi ordine. 83.
Est causa omnium. 206.
Invocandus homini aliquid molienti. 219.
Hominem docet. 258.
Dii poetis paganis superi et inferi. 252.
Dolia duo in Jovis limine. 103.

E

Ebrio similis qui bonis adhæret caducis. 179.
Epicurus et Epicurei. *Ibid.*
Ἕπου Θεῷ Pythagoreis. 58.
Exsul alius corpore, alius mente ; hic nunquam exsulat invitus. 72.

F

Fabula quid ? 254.
Fama brevioribus loci temporisque angustiis semper continetur. 156.
Fatum definitur. 294.
Fortuna omnis bona est, nec nisi abutentium vitio mala 304.

G

Gratiam habere, agere, et referre. 101.

H

Habenæ ab equis ab alia transferuntur. 281.
Hæres alius suus, alius externus. 122.
Hesperus grammaticis, historicis, poetis et philosophis. quid ? 65.
Homero sol omnia cernit et audit. 322.
Homo rationale animal atque mortale. 85.
Animal bipes rationale. 337.
Erigitur corpore ad cœli conspectum. 346.

I

Immortalitas mentis humanæ probatur. 159.
Imperii forma triplex. 72 et 146.
Improbi misericordiam potius quam iram nostram debent excitare. 286.
Impunitas fraudes parit. 61.
Ingenuus dicitur fons, homo, ager. 173.
Insensilia sensilibus vulgo proponuntur. 9.

L

Lethargus et corporis et mentis morbus. 25
Lex alia humana, alia divina, quæ æterna, naturalis, et *positiva*. 115.
Liberis carens infortunio felix. 210.
Libertas generatim definitur. 318.
Humana est facultas ad utrumlibet, 319.
Varia pro variis mentibus. 320.
Lumen mentis non exstinguitur, sed offunditur corpore. 242
Lynceis oculis videre. 212.

M

Machinæ Boetio dicuntur corpora animata. 238.
Mel post amara dulcius. 174.
Mens humana inter Deum et corpus media ab hoc et ab illo afficitur. 22.
Modus et pars differunt. 217.
Moliri iter, insidias, arcem. 242.
Mulsum quid ? 140.
Musæ Boetio aliæ poeticæ, aliæ philosophicæ. 12.
Musica ars cum canendi, tum componendi carminis. 94.

N

Natura unde dicatur ? 21.
Alia in genere causæ, alia in genere formæ. *Ib.*
Cur obscura ? *Ibid.*
Natura vocatur Deus. 181.
Nero luxuriæ sævientis. 197.
Ejusdem sævitia. 151.
Nimbosi imbres quare ? 27.
Nobilis unde dicitur ? 121.
Nobilitas quid ? 205.
Nox duplicis generis : altera post, altera ante solis occasum. 17.
Nutus voluntas est ; unde numen est ipsins Dei voluntas. 122.

O

Obex unde dicitur ? cur scribitur *objice* et *obice*. 89.
Oculi fixi constantem mentis cogitationem significant. 176.
Ὄνος λύρας, asinus lyræ, auditor quare dicatur ? 42.
Orphei fabula, hujusque cantus vires. 251.
Ostentum quid ? 99.
Ostrum quid ? 196.

P

Papæ ! interjectio admirantis quare ? 264.
Papinianus jurisconsultus ab Antonino Caracalla interfectus. 200.
Pars et modus quomodo differunt ? 217.
Parthus fugiendo pugnat. 315.
Paulus misertus calamitatum regis a se capti flevit. 103.
Paupertas, angustia rei familiaris. 121.
Pectus significat aliquando voluntatem. 24.
Perenne unde dicitur ? 127.
Perjurium quid ? 69.
Sua est perjurio pœna, *ibid.*

Perturbationum definitus non est numerus, quatuor tamen apud antiquos. 90.
Vinci solent principes libidine, ira, tristitia, et spe. 270.
Philosophia describitur specie mulieris de cœlo lapsæ. 9.
Ejus oculi ardentes, statura ambigua, vestes, quas ipsa composuit, obscuræ, dextera libellos, sceptrum sinistra gestabat. 9 et 11.
Magistra est omnium virtutum. 31.
Nutrix humanæ mentis. 30.
Scientia divinarum humanarumque rerum. 43.
Supero cardine delapsa sive divinitus data. 31.
Vultu placido loquitur. 71.
Philosophus sapientiæ studiosus. 241.
Phœbus cur dicatur sol? 28.
Π et Θ cur in vestibus philosophiæ. 11.
Piscari in aere, venari in mari paradoxa cur dicantur? 214.
Platonis sententia de recordatione. 245.
Pœnitentia definitur. 210
Polus quid? 113.
Populorum suffragia, etiam tempore Boetii, contulisse ad dignitates obtinendas, hinc patet, quod eidem Boetio objicerent, [illegible] ipsum [illegible] 57.
Præcipitatio quid? 162.
Alia corporis, alia mentis. 80.
Præfectus annonæ magna olim dignitas apud Romanos. 295.
Præmium definitur. 271.
Pretiosum quid et quomodo? 132.
Principium suum omnia repetunt. 182
Probi in deos, improbi in bestias convertuntur. 272.
Prodigium quid? 92.
Profundus dicitur cum locus, tum homo. 13.
Providentia divina definitur. 293.
Hujus plura argumenta. 40.
Ejusdem cum libertate humana difficilis concordia. 321.
Purpura venenum Tyrium. 141.
Purpureus vocatur nigror, candor, rubor, et quilibet alius color et decor. 79.

Q

Qualitates elementorum, quas vocant *alterativas* et *motivas*. 223.
Quercus ante inventas fruges populis victum suppeditabat. 78.

R

Recolere dicitur etiam de mente. 117.
Regulus consul a Carthaginensibus, quos vicerat, resectis palpebris, interfectus est. 148.
Remedium quid? 109.
Rhetorica palmæ, dialectica pugno similis. 94.
Rimari quid sit? 21.

S

Sacrilegium, cujus accusatur Boetius. 57.
Salum, mare. 35.
Sapientia æterna disponit omnia suaviter. 247.
Semen veritatis in mente. 243.
Senectus alia naturalis, alia violenta. 6.
Serenus dicitur de corpore et de mente. 37.
Spiritus Universi. 20 et 223.

T

Tagus aurifer. 234.
Tigris et Euphrates ex eodem fonte. 316.
Tristis vaticinatio [illegible]. 327.
Tragœdia et Comœdia quomodo differunt? 103.

U

Ulyssis casus, et Herculis labores. 308.

V

Vadum quid? 316.
Vestes scindere mos antiquus afflictorum. 3.
Victor idem quod voti compos. 19.

INDEX VOCABULORUM OMNIUM

QUÆ IN QUINQUE LIBRIS BOETII DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ LEGUNTUR.

Prior numerus paginam, posterior lineam notat.

A

A. 44, 7. 53, 8. 72, 2. aliisque locis 43.
Ab. 11, 7. 20, 2. 27, 4. aliisque locis [illegible]
Abdere, 277, 14.
Abditis, 211, 3.
Abditos, 213, 3.
Abducet, [illegible] 187, 4. 243, 2.
Abeat, 114, 4. 123, 8
Aberat, 187, 12.
Aberit, 243, 3.
Aberrasse, 72, 3.
Abesse, 84, 1. 84, 3. 120, 2. aliisque locis 8.
Abesset, 236, 8.
Abeundi, 93, 3.
Abeunte, 101, 12.
Abforet, 176, 7.
Abiere, 88, 8.
Abierunt, 111, 9.
Abite, 14, 2.
Abitionum, 94, 12.
Abjecerint, 87, 3.
Abjecisses, 24, 3.
Abjecit, 11, 3. 148, 3.
Abjectior, 194, 3.
Abjectius, [illegible] 218, 12.
Abjectos, 238, 3.
Abjice, 94, 8.
Abjicit, 218, 30.
Abjiciat, 212, 10. 237, 17.
Abjunctis, 316, 2.
Abnuo, 267, 12.
Abolere, 146, 4.
Abreptis, 33, 7.
Abrupi, 236, 3.
Abscedit, 148, 3.
Abscissa, 289, 2.
Absente, 137, [illegible]
Absentiam, 187, 13.
Absit, 264, 13. 349, 9.
Absolvere, 222, 1. 333, 1.
Absolvit, 166, 3.
Absoluta, 333, 12. 343, 7. 351, 33.
Absoluta, 351, 20.
Absolute, 267, 13.
Absolutis, 228, 13,
Absolutum, 236, 9. 351, 9.
Absolutus, 297, 30. 333, 33.
Abstulerant, 11, 9. 146, 5.
Abstulerunt, 201, [illegible]
Abstulisti, 111, 4.
Abstulit, 166, 10. 309, 1.
Abundantiam, 135, 5.
Abundantior, 264, 8.
Abundantissimas, 187, 9.
Abundare, 299, 21.
Abundes, 118, 3.
Ac. 12, 3. 27, 2. 33, 4. aliisque locis 63.
Academicis, 14, 1.
Accedam, 246, 5.
Accedamus pro consentiamus, 282, 13. 302, 12
Accedat, 146, 8.
Accedendo, 321, 3.
Accedens, 14, 8.
Accedere, 12, 5.
Accedere pro consentire, 280, 7.
Accedit, 62, 5. 268, 9. 295, 13.
Accedo pro consentio, 279, 12.
Acceperit, 229, 20.
Accepisse, 229, 17.
Accepisti, 133, 5. 247, 16
Accepta, 158, 22.
Accepto, 271, 13.
Acceptum, 281, 12.
Acceptum, 222, 12.
Accesserit, 131, 7
Accidere, 272, 13. 298, 12.
Acciderit, 32, 5.
Acciderunt, 326, 8.
Accidisse, 314, 4.
Accipe, 138, 16. 231, 23. 299, 21.
Accipientis, 283, 13.
Accipimus, 148, 7.
Accipio, 229, 13.
Accipit, 186, 5
Accommodat, 297, 16.
Accusantium, 30, 9.
Accusatæ, 30, 9.
Accusationis, 48, 3. 283, 20.
Accusatores, 30, 8.
Accusatoribus, 283, 17. 283, 24.
Acerbæ, 47, 1.
Acerbis, 142, 1.
Acerbitate, 281, 15.
Acerbum, 283, 14.
Achæmeniæ, 315, 1.
Achelous, 313, 2.
Acie, 337, 3.
Aciem, 36, 3. 234, 8.
Acies, 14, 5. 286, 4.
Acquiescent, 283, 1.
Acre, 305, 23.
Acribus, 297, 10.
Acriora, 170, 6.
Acrioris, 76, 8.
Acta, 184, 1. 299, 1.
Actibus, 27[illegible], 8.
Actiones, 332, 6.
Actionibus, 327, 6.
Actum, 343, 3.
Actura, 14, 8.
Actus, 338, 1.
Actus, [illegible] 68, 4. 295, 8
Actum, 44, 8. 343, 8.
Actuum, 178, 7. 264, 10. 352, 21.
Aculeos, 199, 10.

Ad, 10, 4. 11, 7. 12, 4, aliisque locis 119.
Ad hunc modum cætera, 335, 28.
Ad nutum, 122, 4.
Ad tempus, 238, 16.
Ad unum, 119, 10.
Adacturum, 148, 1.
Addamus, 218, 6. 218, 7.
Addas, 231, 17.
Addatur, 280, 22.
Adde quod, 122, 3. 157, 9.
Addere, 333, 4.
Addidisti, 282, 9.
Addit, 350, 19.
Additur, 154, 4.
Adduci, 193, 4.
Adducitur, 305, 17.
Adeo ut, 170, 5. 297, 31.
Adeo pro usque adeo, 122, 6. 123, 3. 239, 11.
Adeptione, 187, 5. 231, 3. 231, 5 bis, aliisque locis 3.
Adeptis, 177, 6.
Adepto, 176, 5.
Adeptos, 231, 6.
Adepturos, 187, 2. 268, 19.
Adeptus, 137, 11.
Aderat, 187, 12.
Adesse, 187, 12. 264, 3.
Adest, 149, 10. 188, 13.
Adhæc, 125, 6. 149, 1. 326, 9.
Adhærent, 238, 23.
Adhærere, 177, 8. 328, 11.
Adhuc, 43, 1. 94, 7. 109, 2, aliisque locis 5.
Adiit, 252, 2.
Adipiscantur, 265, 12.
Adipiscatur, 264, 14.
Adipiscendæ, 283, 23.
Adipiscenda, 266, 3.
Adipiscerentur, 265, 10.
Adipisci, 177, 1. 179, 11. 180, 1, aliisque locis 4.
Adipiscuntur, 265, 9. 268, 20
Aditum, 86, 1.
Adjecerint, 205, 1.
Adjeceris, 219, 22.
Adjecisset, 158, 20.
Adjectio, 551, 14.
Adjiciant, 193, 2.
Adjicit, 335, 6.
Adjuncta, 150, 4. 193, 10.
Adjungit, 150, 4.
Adjungitur, 257, 7.
Adjuvant, 321, 3.
Adjuvantur, 297, 10.
Adminiculis, 135, 3. 246, 19.
Administrare, 265, 18.
Administrat, 294, 13.
Administrationis, 44, 8.
Admirari, 257, 12.
Admiratione, 257, 7.
Admirationem, 133, 7.
Admirere, 35, 4. 249, 8.
Admiror, 53, 12. 83, 8. 133, 3. 287, 12.
Admistione, 57, 5. 280, 23.
Admittentibus, 283, 16.
Admodum, 9, 3.
Admonere, 210, 6.
Admonet, 347, 8.
Admonitione, 43, 1.
Admonuit, 297, 22.
Admovebo, 109, 3.
Admoveri, 334, 6.
Admovit, 24, 6.
Adolescentia, 31, 1. 110, 3.
Adolescentulus, 103, 3.
Adortus, 158, 18
Adsit, 90. 3, 93, 7. 319, 1.
Adversa, 149, 3. 149, 13. 166, 6. 296, 20.
Adversa, 272, 12. 272, 19.
Adversæ, 61, 2.
Adversam, 165, 6.
Adversari, 324, 3.
Adversi, 297, 26.
Adversis, 297, 31. 305, 21.
Adversitas, 297, 28.
Adversitate, 117, 3.
Adversitatis, 122, 5. 166, 5.
Adversum, 47, 3. 219, 13.
Adversum *præpos.* 148, 2. 238, 13.
Adversus *præpos.* 76, 1. 109, 2. 247, 9.
Advertas, 335, 8.
Advertis, 84, 3.
Adulta, 157, 15.
Adunata, 294, 5.
Adunatio, 294, 6.
Adyto, 95, 2.
Ædes, 56, 4.
Ædium, 50, 3.
Ægri, 297, 9.
Ægritudinis, 86, 1. 92, 1. 297, 11.
Ægritudo, 297, 13.
Ægros, 283, 18. 283, 28.
Ægrotes, 83, 9.
Ægrum, 12, 5.
Æmulari, 349, 24.
Æqua, 76, 2.
Æquam, 320, 3.
Æquanimitate, 123, 4.
Æquanimos, 124, 2.
Æquare, 349, 20.
Æquat, 162. 11.
Æque, 179, 6. 266, 1. 280, 12. 283, 1. 326, 23.
Æque ac, 59, 2.
Æqui, 302, 13.
Æqui servantissimum, 297, 20.
Æquis, 301, 10. 301, 16.
Æquissimum, 327, 12.
Æquo, 95, 1. 125, 11.
Æquora, 19, 2. 129, 8.
Æquore, 102, 4. 115, 2. 284, 4. 340, 5.
Æquoris, 215, 4.
Æquum, 280, 8.
Æra, 290, 6.
Æris, 49, 2.
Æstas, 66, 3. 302, 3.
Æstimabis, 236, 2. 350, 14.
Æstimandum, 53, 1. 166, 7. 179, 13.
Æstimant, 194, 15.
Æstimare, 272, 16. 272, 29.
Æstimas, 94, 12. 205, 6.
Æstimate, 213, 3.
Æstimatione, 195, 7.
Æstivos, 133, 12.
Æstu, 153, 8. 291, 2.
Æstum, 38, 5. 89, 3.
Ætas, 138, 1. 198, 3. 291, 5.
Ætate, 157, 13.
Ætatem, 5, 2. 33, 1.
Ætatis, 10, 3. 119, 6.
Æterna, 281, 22. 282, 7.
Æterna, 115, 7.
Æternæ, 326, 6.
Æternam, 280, 4.
Æternitas, 348, 6. 348, 7. 352, 21.
Æternitate, 158, 13.
Æternitatem, 296, 3.
Æternitatis, 158, 5.
Æterno, 321, 5. 324, 6. 350, 21.
Æternos, 301, 13.
Æternum, 348, 5. 349, 5. 349, 9, 350, 6.
Æternus, 350, 9.
Ætherios, 18, 1.
Ætheris, 130, 2. 161, 3. 260, 4. 261, 8. 289, 6. 347, 1.
Ætnæ, 142, 9. 116, 1.
Ævi, 10, 3.
Ævo, 37, 1. 220, 2.
Ævum, 130, 1.
Aer, 239, 1.
Aeris, 260, 2.
Affectat, 218, 25.
Affectibus, 321, 2.
Affectionibus, 343, 7.
Affectionum, 87, 6.
Affectu, 92, 2.
Affectum *adject.*, 272, 16.
Affectus *subst.*, 282, 15. 343, 13.
Affectuum, 12, 7. 76, 4.
Afferas, 246, 1.
Afferre, 179, 3. 219, 24. 236, 9.
Afferunt, 187, 4.
Afficiant. 343, 1.
Afficitur, 272, 15.
Affigam, 258, 10.
Affines, 60, 2.
Affingitur, 61, 3.
Affinitatem, 109, 6.
Affirmem, 101, 12.
Affluant, 177, 4.
Affluebas, 187, 8.
Affluentia, 101, 7.
Affluentiam, 133, 17.
Agat, 237, 14. 265, 17.
Age, 131, 2.
Agentis, 343, 2.
Aggredimur, 171, 5.
Aggreditur, 264, 12.
Agi, 75, 1. 83, 1.
Agiles, 66, 4.
Agili, 260, 4.
Agis, 100, 3.
Agit, 65, 2. 107, 1. 149, 11. 174, 6. 211, 2.
Agitant, 253, 4.
Agitantur, 246, 13.
Agitare, 100, 1.
Agitari, 297, 32. 298, 5.
Agitata, 334, 2.
Agitavimus, 249, 8.
Agitemur, 35, 5.
Agiteris, 32, 1.
Agitis, 352, 27.
Agitur, 265, 3.
Agnoscas, 125, 1. 194, 7. 219, 29. 264, 4.
Agnoscere, 87, 7. 172, 3. 236, 4, 313, 6. 348, 4.
Agnosceres, 171, 6.
Agnoscis, 24, 4.
Agnoscit, 297, 16. 336, 18.
Agnoveris, 236, 3.
Agnovisti, 249, 28. 258, 8.
Agri, 314, 3. 314, 7.
Agrorum, 133, 8.
Agrum, 173, 1. 314, 10.
Ait, 24, 1. 212, 11. 245, 6, aliisque locis 9.
Aiunt, 325, 4.
Alacritate, 110, 8.
Alarum, 346, 4.
Albentes, 113, 3.
Albinum, 48, 3. 55, 2.
Alcibiadis, 213, 1.
Alerent, 12, 6.
Ales, 183, 2.
Algentes, 65, 2.
Alia, 346, 2.
Alia *plur.*, 136, 1. 238, 7. 281, 13, aliisque locis 3.
Aliæ, 238, 5 bis. 238, 6. 292, 6.
Aliam, 85, 5.
Aliarum, 238, 6.
Alias, 238, 6.
Alias. 210, 6.
Alicujus, 57, 5. 133, 15. 298, 19. 299. 11.
Aliena, 133, 15. 134, 5. 205, 11. 205, 14. 271, 13.
Aliena, 338, 2.
Alienam, 102, 6.
Alienarum, 273, 1.
Alieni, 49, 2. 137, 7. 179, 8. 218, 15.
Alienis, 101, 8. 137, 2. 158, 16.
Alieno, 121, 4. 188, 10. 218, 2.
Alii *dativ.*, 237, 9.
Alii, 177, 3. 177, 5. 287, 4 bis, aliisque locis 2
Aliis, 94, 7. 195, 9. 283, 11, aliisque locis 2.
Alimenta, 238, 10.
Alimentis, 24, 2. 153, 16.
Alio, 148, 6. 148, 10. 232, 22, aliisque locis 3.
Alioqui, 296, 12.
Alioquin, 231, 1. 246, 19. 280, 10, 335, 18.
Aliorsum atque, 326, 12.
Aliorsum, quam, 325, 1.
Alios, 132, 5. 157, 19 bis, 298, 5, 299, 1.

Aliqua, 120, 9. 218, 12. 283, 21.
Aliquam, 158, 8. 228, 16, 237, 16. 209, 24. 350, 19.
Aliquando, 165, 2, 212, 14. 219, 2.
Aliquantum, 120, 6.
Aliquatenus, 349, 24.
Aliquem, 147, 3. 351. 11.
Aliquibus, 295, 4.
Aliquid, 32, 5. 40, 3. 84, 5, aliisque locis 32.
Aliquis, 158, 17. 188, 4. 268, 4. aliisque locis 6.
Aliquo, 187, 15. 293, 3. 349, 23.
Aliquod, 61, 3. 147, 7. 228, 4, 228, 10.
Aliquos, 56, 2. 187, 5.
Alit, 302, 6.
Aliter, 30, 1. 46, 4. 135, 9, aliisque locis 10.
Aliter ac, 336, 11. 351, 12.
Aliter atque, 326, 17.
Alitis, 276. 11.
Aliud, 35, 2. 85, 5. 94, 15, aliisque locis 10.
Alium, 148, 5. 299, 13.
Aliunde, 335, 4.
Alius, 122, 1. 265, 25. 271, 14, aliisque locis 3.
Allata, 101, 10.
Allatura, 94, 13.
Allicere, 156, 2.
Alligabit, 102, 6.
Alligans, 349, 24.
Alligat, 327, 8.
Alluderet, 94, 6.
Almum, 301, 12.
Alta *substant.*, 141, 1.
Alta, 297, 15.
Altam, 162, 9. 332, 1,
Altas, 67, 5.
Alte, 333, 2.
Alter, 148, 11. 265, 17.
Altera, 351, 11.
Altera, 325, 21.
Alteri, 236, 8.
Alterna, 296, 6.
Alternare, 352, 8.
Alternat, 352, 10.
Alterni, 316, 4.
Alternis, 286, 5.
Alternum, 340, 19.
Alternus, 301, 14.
Altero, 248, 19 bis. 264, 5. 294, 8. 525, 18.
Alterum, 132, 4. 230, 16. 230, 17, aliisque locis 5.
Alterutri, 230, 18.
Alterutro, 94, 17. 178, 4. 264, 8.
Alterutrum, 264, 10. 327, 13.
Alti, 128, 5. 289, 6.
Altior, 108, 6.
Altis, 89, 3. 183, 1, 214, 5.
Altissima, 140, 5.
Altius *adverb.*, 10, 6. 85, 1. 347, 6.
Alto, 243, 5. 323, 2.
Altos, 106, 8.
Altum, 258, 10. 301, 20.
Altus, 302, 10. 310, 6.
Aluit, 234, 11.
Alumne, 32, 1. 219, 21. 239, 26.
Alvo, 308, 3.
Amantibus, 254, 8.
Amara, 297, 9.
Amaritudinibus, 123, 7.
Amat, 168, 15.
Ambiant, 216, 6.
Ambigat, 248, 3.
Ambigatur, 313, 8.
Ambigere, 238, 2.
Ambigis, 84, 2.
Ambigit, 265, 28.
Ambigo, 283, 9.
Ambiguæ, 10, 4.
Ambigui, 334, 7.
Ambiguitate, 219, 20. 324, 1.
Ambiguos, 94, 6. 166, 9.
Ambit, 199, 13.
Ambitione, 48, 2.
Ambitionem, 155, 1.
Ambitu, 295, 15.
Ambitum, 57, 5. 156, 5. 162, aliisque, locis 3.
Ambitus, 135, 6.
Ambulandi. 265, 22, 266, 20. 26, 351, 11 bis.
Ambulare, 265, 26. 350.
Ambulet, 265, 25.
Amici, 8, 1, 201, 4.
Amicorum, 95, 1. 166, 8 178, 10.
Amicos, 166, 12.
Amicum 201, 5.
Amisere, 272, 25.
Amiserit, 125, 10.
Amisi. 245, 3.
Amisisse, 92, 7.
Amissa, 101, 12.
Amissas, 166, 12.
Amissio, 298, 24.
Amissis, 134, 8.
Amisso, 282, 14.
Amissos, 307, 3. 308, 1.
Amissum, 125, 11.
Amittat, 125, 9. 218, 29.
Amittere, 124, 6. 188, 8, 298, 25.
Amitti, 125, 9.
Amittit, 195, 5.
Amittunt, 351, 24.
Amnes, 251, 5.
Amnis, 89. 4. 140, 4. 310, 2.
Amœnæ, 129, 4.
Amor 142, 10. 168, 13. 169, 2, aliisque locis 5.
Amore, 48, 6. 303, 8. 331, 1.
Amoribus, 168, 23.
Amovebis, 147, 10.
Amplecti, 348, 12.
Amplectitur, 239, 8. 337, 4.
Amplexaris, 133, 14.
Amplioribus, 295, 16.
Amplius, 219. 24, 349, 1.
Amplum, 157, 8,
An, 24, 4. 31, 3. 32, 1, aliisque locis 18.
Anaxagoræ, 34, 1.
Ancoræ, 120, 2.
Angelica, 295, 3.
Angeret, 187, 11.
Angusta, 157, 16.
Angustas, 132, 10.
Angustia, 121, 2.
Angustis, 157, 8.
Angustissima, 157, 5.
Angusto, 292, 12.
Anhelos, 269, 6.
Anima 237, 6.
Anima, 295, 2.
Animadverte, 100, 2.
Animadvertendum, 194, 2.
Animadvertisse, 219, 18.
Animadverto, 318, 1.
Animæ, 133, 3. 235, 2, 239. 3. 239, 7.
Animal, 85, 3. 135, 9. 237, 6. aliisque locis 3.
Animali *adject.*, 239, 11.
Animalia, 147, 2. 186, 1. 237, 15. 346, 1.
Animalibus, 237, 5. 239, 6.
Animam, 223, 2.
Animantibus, 136, 11. 157. 2. 343, 11.
Animantium, 133, 15.
Animarum, 281, 14.
Animas, 225, 1. 320, 6.
Animatæ, 133, 4.
Animi *singul.*, 24, 2. 58, 2. 92, 2, aliisque locis 5.
Animi, *plural.*, 182, 6.
Animis, 271, 12. 340, 14.
Animo, 42, 1. 43, 1. 95, 1, aliisque locis 5.
Animorum, 93, 4. 108, 7. 170, 3, aliisque locis 8.
Animos, 169, 2. 202, 2. 207, 5. 234, 9.
Animum, 84, 6. 175. 3. 187, 9, aliisque locis 5.
Animus, 171, 7. 179, 4. 279, 17. 343, 5.
Anne, 43, 1.
Annectendum, 231, 11.
Annectit *vel* adnectit, 194, 13.
Annexum, 281, 4.
Annis, 6, 1. 158. 7. 307. 1.
Anno, 21, 1. 102, 3.
Annonam, 195, 2.
Annorum. 158, 9.
Annos, 95, 7,
Annum, 67, 1.
Annumerare, 134, 12.
Annus, 302, 2.
Antæum, 310, 4.
Ante, 25, 3. 33, 1. 94, 16. 178, 19. 352, 26.
Ante *sine regim.*, 83, 6. 102, 11. 187, 8, aliisque locis 24.
Antecedat, 343, 3.
Antehac, 257, 4.
Antiqua, 68, 1.
Antiquior, 349, 17.
Antiquissiman, 73, 2.
Antiquius, 229, 8.
Antoninus, 200, 5.
Antro, 27, 4. 183, 2. 308, 2.
Anxia, 120, 9. 331, 3.
Anxiam, 179, 16.
Anxietas, 187, 10.
Anxietatibus, 219, 2.
Anxietatis, 209, 2.
Anxios, 124, 2.
Anxium, 210, 6.
Anxius, 120, 8,
Aperire, 219, 16. 313, 2.
Aperit, 165, 3.
Aperta, 53, 5.
Apertius, 217, 7.
Aperto, 17, 4.
Apium, 174, 1. 211, 3.
Appareat, 335. 18.
Apparet, 232, 18. 268, 15. 283, 12.
Appellare, 267, 12.
Appellari, 150, 1. 313, 21.
Appellat, 193, 1.
Appellatum, 293, 8,
Appetatur, 272, 3.
Appetendæ, 134, 8.
Appetendi, 343, 13.
Appetentia, 209, 1.
Appetentia, 237, 14.
Appetere, 239, 15.
Appetit, 239, 10. 239, 18. 331, 3.
Appetitur, 179, 18.
Appetunt, 265, 10. 265, 11.
Appetuntur. 232, 10. 236, 7.
Applicat, 341, 13.
Apposita, 137, 3.
Appositis, 137, 2.
Apprehendit, 219, 6, 266, 21, 348, 12.
Approbetur, 230, 15.
Appulit, 275, 3.
Apri, 276, 3. 286, 1.
Aptam, 286, 7.
Aptans, 80, 2 225, 2.
Apud, 32, 6. 32, 7. 48, 5, aliisque locis 12.
Aqua, 239, 1.
Aquilo, 115, 1.
Aquilonibus, 79, 2.
Aquis. 316, 2.
Arbiter, 254, 1. 262, 4. 302, 13.
Arbitrantur, 297, 5.
Arbitraretur, 282, 16.
Arbitrari, 326, 7, 336, 11.
Arbitraris, 86, 5. 217, 10,
Arbitratu, 82, 3. 248, 1.
Arbitremur, 335, 25.
Arbitrentur, 123, 1.
Arbitrer, 170, 5.
Arbitrere, 312, 6.
Arbitrii, 292, 10. 318, 2. 319, 1. aliisque locis 5.
Arbitrio, 94, 14. 335, 25.
Arbitrium, 200, 4. 324, 4.
Arbitror, 52, 8. 92, 8. 146, 3, aliisque locis 7.
Arbore, 214, 3.
Arbores, 78, 4. 238, 3.
Arboribus, 238, 1.

Arcadis, 276, 11.
Arce, 277, 14. 293, 4.
Arcem, 36, 4.
Arctas. 269. 9.
Arctata, 157, 8.
Arcto, 183, 6.
Arctum, 162, 1.
Arcturi, 289, 1.
Arcturus, 67, 4.
Ardentes. 153, 9.
Ardentibus. 10, 1.
Ardentis, 39, 3.
Ardescit, 106, 12.
Ardet, 142, 10.
Ardore, 171, 5.
Area, 157, 5.
Aream, 95, 2.
Arenæ, 238, 7.
Arenas, 105, 2. 128, 6. 153, 9.
Arenis, 234, 4. 310, 4.
Arescant, 238, 7.
Arescet, 271, 12.
Arguimur, 51, 1.
Argumentis, 335, 21.
Argumentum, 298, 17. 335, 4.
Arguor, 53, 4.
Arguto, 181, 5.
Arida, 222, 3.
Aristoteles, 212, 17. 313, 22. 349, 3.
Arma, 24, 3. 142, 2. 142, 4.
Armis, 269, 4.
Arrectis, 170, 2.
Arridens, 292, 4.
Arripiunt, 305, 4.
Arripuit, 350, 4
Arrogantiæ, 158, 17.
Artes, 50, 7.
Artibus, 178, 2.
Artifex, 294, 9.
Artificio, 11, 1.
Artificis, 134, 2.
Artis, 335, 30.
Artubus, 320, 8.
Arva, 173, 2.
Arvis, 95, 6. 138, 2.
Ascende. 102, 8.
Ascensus, 11, 7.
Asinum, 273, 6.
Aspera, 166, 8. 212, 8. 288, 3, aliisque locis 4.
Asperis, 215, 7.
Asperitas, 43, 2.
Aspice, 300, 3.
Aspicere, 283, 21.
Aspirare, 36, 7. 344, 10.
Aspirare, 125, 6.
Assentior, 219, 27. 236, 1. 245, 1. 246, 26.
Assequitur, 218, 25.
Assignata, 299, 13.
Assistentes, 12, 2.
Assistere, 349, 10.
Assuefaciunt, 12, 8.
Assuetos, 282, 3.
Assumitur, 178, 12.
Assumpsit, 158, 22.
Astante, 33, 3.
Astitisse, 9, 2.
Astra, 174, 3. 290, 4.
Astri, 261, 5.
Astrictum, 149, 15.
Astriferas, 260, 6.
Astrigeris, 301, 14.
Astringas, 351, 5.
Astris, 27, 2.
Astrologicis, 156, 5.
Astrui, 50, 6.
Asylum, 234,3.
At, 13, 1. 14, 5. 54, 2, aliisque locis 32.
At vero, 60, 5. 325, 18.
Atheniensium, 72, 5.
Atque, 10, 2. 11, 5. 14, 1, aliisque locis 100.
Atqui, 24, 2. 32, 3. 41, 1, aliisque locis, 38.
Atra, 242, 4.
Atras, 203, 4.
Atreides, 307, 2.
Atris, 88, 1. 323, 4.
Atrocior, 283, 31.
Atrox, 279, 3.
Attende, 304, 3.
Attentionem, 91, 1.
Attentus, 171, 1.
Attenuare, 87, 6.
Attineat, 159, 4.
Attinet, 53, 4. 179, 17.
Attingendum, 75, 4.
Attingere, 82, 2.
Attingit, 133, 11.
Attollere, 282, 4.
Attulit, 339, 1.
Aucta, 17, 2.
Aucti, 162, 3.
Auctor, 199, 1.
Auctore, 258, 2.
Auctorem, 208, 5. 328, 1.
Auctori, 86, 8.
Auctoribus, 158, 3.
Auctoritate, 4 6, 2.312, 3.
Auctoritatem, 44, 7
Auctoritatis, 14, 6.
Audacter, 101, 12.
Audeat, 305, 15.
Audendum, 61, 10.
Audes, 133, 11.
Audienda, 282, 2
Audiendi, 170, 1'.170, 7. 171, 4.
Audieram, 84, 8.
Audire, 231, 23. 246, 2. 265, 21. 283, 3.
Audit, 98, 3.
Auditum, 132, 8..
Audiunt, 349, 11.
Audiuntur, 108, 5.
Auferatur, 279, 6.
Auferetur, 328, 4.
Auferre, 125, 1. 126, 4. 272, 1.
Auferri, 125, 5. 188, 2. 188, 15.
Aufert, 67, 2. 302, 8.
Augustam, 176, 1, 226, 1.
Aulicos, 48, 6. 200, 5.
Aura, 164, 8.
Auras, 158, 14.
Aure, 7, 1.
Aureis, 234, 4.
Aureo, 168, 4. 309, 4.
Auri, 106, 4. 137, 8. 143, 2. 190, 1. 314, 3.
Auribus, 58, 3. 108, 6. 170, 2. 341, 9.
Aurigæ, 335. 28.
Aurum, 132, 1. 214, 3. 314, 8. 314, 10.
Auster, 89, 2. 114, 3. 128, 7.
Aut, 39, 2. 105, 3. 108, 2, aliisque locis, 29.
Autem. 49, 1. 61, 6. 61, 11. 83. 8, aliisque locis, 30.
Autumno, 79, 7.
Autumnus, 21, 2. 302, 4.
Auxilio, 266, 13.
Avaritia, 46, 2. 132, 3,
Avaritia, 273, 1.
Avaritiæ, 188, 18.
Avaritiam, 149,14.
Avarus, 190, 2.
Aversa, 313, 3.
Aversamini, 352, 24.
Avertit, 296, 18.
Avertitur, 7, 1.
Avibus, 273, 7. 282, 4.
Avida, 79, 4.
Avidis, 270,
Avidos, 106 5.
Avidum, 16,2 7. 170, 1.
Avidus, 55, 8,, 137, 7. 170,7.
Aviti, 119, 1
Axem, 301,6.4.

B

Bacchica, 139, 4.
Bacchus, 79, 8.
Baccis, 190, 3.
Barbaras, 194, 9.
Barbaris, 194, 10.
Barbarorum, 46, 1.
Beata, 123, 4. 125, 8.
Beatæ, 210, 2.
Beatas, 44, 2.
Beati, 231, 4. 272, 8.
Beatitudine, 246, 16. 248, 10.
Beatitudinem, 125, 2. 125, 5. 126, 1, aliisque locis 25.
Beatitudini, 120, 7.
Beatitudinis, 110, 5. 122, 6. 126, 5, aliisque locis 17.
Beatitudo, 124, 1. 125, 2. 137, 11, aliisque locis 8.
Beatos, 126, 7. 197, 5. 199, 4, aliisque locis 4.
Beatum, 178, 18. 247, 5. 248, 13.
Beatus, 231, 7.
Bella, 286, 4. 307, 1. 330, 1.
Belli, 178, 1.
Bellicus, 305, 18.
Bello, 148, 8.
Belluam, 273, 10.
Belluas, 279, 2.
Belluis, 282, 13. 343, 12.
Bellum, 165, 1. 168, 16. 301, 15. 305, 4.
Bene, 159, 6. 165, 2. 297, 24.
Beneficium, 61, 5.
Benigna, 247, 17.
Benigna, 225, 3.
Bestias, 136, 10.
Bibliotheca, 43, 3.
Bibliothecæ, 74. 4.
Bibulas, 128, 6.
Bipes, 337, 16.
Bis, 307, 1.
Blanda, 165, 7. 252, 3.
Blandiebatur, 94, 5.
Blandientem, 93, 1.
Blandiore, 76, 9.
Blandiri, 102, 4.
Blandissimam, 92, 5.
Blanditiæ, 13, 1.
Blanditias, 94, 18.
Blanditiis, 166, 6.
Bona *substant.*, 54, 2. 100, 4. 119, 8, aliisque locis 22.
Bona *adject.*, 60, 8. 232, 9. 232, 10, aliisque locis 3.
Bonam, 304, 2. 305, 8. 305, 14.
Boni *substant.*, 149, 2 177, 2. 178, 3, aliisque locis 26.
Boni *adject.*, 265, 7. 265, 10. 266, 2. 272, 7.
Bonis *substant.*, 7, 3. 61, 4. 86, 3, aliisque locis 8.
Bonis *adject.*, 44, 6. 54, 4. 56, 5, aliisque locis 12.
Bonitas, 232, 11.
Bonitatis, 150, 3. 247, 1. 248, 16.
Bono *substant.*, 166, 6. 230, 5. 232, 21, aliisque locis 5.
Bonorum *substant.*, 103, 5. 120, 10. 166, 2, aliisque locis 13.
Bonorum *adject.*, 44, 10. 53, 3. 266, 17, aliisque locis 3.
Bonos, 61, 8. 150, 4. 258, 3, aliisque locis 11.
Bonum *substant.*, 75, 1. 125, 3. 125, 4, aliisque locis 86.
Bonus, 257, 5. 271, 9. 288, 7.
Bootes, 289, 3.
Boreas, 27, 4.
Boreæ, 67, 2.
Bove, 191, 1.
Brevem, 162, 2.
Brevi, 313, 23. 336, 16.
Brevibus, 297, 16.
Breviore, 66, 2.
Brevis, 157, 9.
Breviter, 119, 2. 124, 4. 212, 3. 246, 5.
Brumæ, 66, 1.
Brutus, 163, 2.
Busiridem, 148, 6.

C

Cachinno, 147, 4.
Cacumen, 128, 5. 184, 2. 268, 11. 345, 10. 347, 6.
Cacumine, 10, 6. 350, 16.
Cacus, 310, 5.

Cadaver, 267, 11.
Cadit, 136, 8. 184, 5.
Caduca, 125, 6. 131, 2.
Caducis, 115, 5. 219, 23.
Cæca, 331, 5.
Cæcat, 282, 5.
Cæci, 94, 6. 216, 2.
Cæcis, 330, 6.
Cæcitate, 125, 8. 267, 2.
Cæco, 219, 15. 308, 4.
Cæcos, 234, 8. 282, 16.
Cælibem, 121, 3.
Cæsare, 53, 8.
Cæsis, 152, 1.
Cætera, 101, 10. 179, 2. 187, 3, aliisque locis 9.
Cæterarum, 343, 16.
Cæteri, 33, 4.
Cæteris, 83, 7. 136, 9. 136, 10, aliisque locis 9.
Cæterorum, 132, 11. 295, 13.
Cæteros, 48, 5. 132, 7. 212, 6. 298, 16.
Calamitate, 198, 4.
Calamitatibus, 103, 1.
Calamitatis, 94, 15.
Calamitosos, 94, 14.
Calcant, 69, 2.
Calcatur, 257, 9.
Calculum, 111, 5.
Calere, 194, 12.
Calet, 260, 4.
Calido, 234, 6.
Caligant, 321, 2.
Caligante, 179, 4.
Caligantia, 25, 4.
Caligarat, 14, 5.
Caligine, 292, 2.
Caliginem, 336, 10.
Caliginis, 334, 4.
Caligo, 11, 4. 87, 4.
Calle, 93, 8. 176, 3. 264, 8.
Callem, 90, 5. 137, 10.
Calles, 213, 8.
Calor, 87, 2.
Calumniis, 46, 1.
Camenæ, 2, 3.
Caminis, 38, 6.
Campaniam, 47, 2.
Campis, 238, 5.
Campos, 347, 3.
Campus, 79, 3.
Cancri, 77, 2.
Candidis, 234, 7.
Candidos, 235, 4.
Canem, 251, 9.
Canendi, 170, 4.
Canes, 48, 1.
Cani *capilli*, 5, 3.
Cani *bestiæ*, 273, 2.
Canii, 53, 8.
Canios, 34, 2.
Canit, 183, 1. 322, 2.
Cantabas, 328, 12.
Cantares, 137, 11.
Cantu, 181, 6, 251, 9.
Cantum, 170, 1.
Capessendæ, 44, 4.
Capit, 337, 7.
Capita, 292, 7.
Capiunt, 60, 1.
Capreas, 215, 1,
Captare, 58, 5.
Captatis, 136, 2. 215, 2.
Captent, 182, 3.
Capti, 103, 1. 233, 1.
Captivæ, 321, 4.
Captos, 148, 8. 270, 5.
Captus, 253, 3.
Caput, 7, 4. 10, 6. 162, 10, aliisque locis 3.
Cara, 94, 12.
Carcer, 287, 8.
Carcere, 159, 7.
Cardine, 31, 3. 289, 2. 296, 18.
Cardinem, 124, 4. 295, 12. 295, 20.
Cardo, 232, 11. 295, 14.
Careant, 279, 13.
Careat, 271, 10, 281, 1. 326, 18.
Carebit, 272, 2.
Carebunt, 279, 14.
Carens, 183, 3. 221, 4. 296, 1.
Carent, 187, 6. 281, 6. 335, 31.
Carentem, 210, 7. 218, 32.
Carere, 281, 20. 351, 3.
Caret, 218, 24. 257, 9. 283, 27.
Cariora, 119, 9.
Caritas, 239, 11.
Carituros, 279, 15.
Carmina, 2, 1. 252, 4.
Carmine, 253, 3. 254, 4. 275, 7.
Carminis, 170, 2. 292, 13. 299, 24.
Carpere, 90, 5.
Carpitis, 214, 4.
Carptim, 330, 2.
Carus, 109, 8.
Casibus, 83, 1. 288, 1. 288, 4. 292, 2.
Cassa, 228, 6.
Cassas, 340, 12.
Castis, 168, 23.
Casum, 312, 5. 313, 10. 313, 11, aliisque locis 3.
Casurum, 20, 2.
Casus, 313, 20. 314, 3. 316, 7.
Casuum, 86, 10.
Catena, 318, 3.
Catena, 309, 5.
Catenam, 41, 4.
Catenas, 269, 10.
Catenis, 22, 2. 148, 9. 149, 15. 233, 2.
Cato, 163, 2.
Catoni, 297, 22.
Catullus, 192, 5.
Caucasum, 157, 14.
Causa, 94, 9. 103, 7. 172, 1, aliisque locis 13.
Causa, 171, 10. 178, 6. 178, 12, aliisque locis 6.
Causæ, 86, 8. 210, 1. 221, 2, aliisque locis 2.
Causam, 44, 5. 85, 6. 239, 13. 288, 6, aliisque locis 5.
Causari, 118, 7.
Causarum, 296, 8. 296, 11. 313, 10, aliisque locis 2.
Causas, 19, 1. 21, 4. 92, 1, aliisque locis 9.
Causetur, 280, 11.
Causis, 225, 1. 239, 8. 233, 11, aliisque locis 7.
Cautus, 127, 2.
Caveæ, 183, 2.
Cavernis, 234, 11.
Ceciderint, 146, 1.
Ceciderunt, 320, 9.
Cecidit, 8, 2.
Cecinisset, 256, 2.
Cecinisti, 83, 6.
Cedant, 301, 18.
Cedat, 291, 7.
Cedere, 345, 8.
Cedit, 135, 2.
Cedunt, 239, 1.
Celeberrimum, 218, 13.
Celebrant, 308, 6.
Celebrem, 219, 18.
Celebrentur, 75, 5.
Celebritate, 218, 9.
Celebritatem, 178, 15. 180, 3. 217, 4.
Celeres, 289, 5.
Celeri, 340, 4.
Celeritatem, 212, 14.
Celsa, 154, 1. 259, 2. 311, 1.
Celsa, 207, 6.
Celsas, 39, 2.
Celsi, 300, 1.
Celsior, 337, 1.
Celsius, 347, 11.
Celso, 69, 1.
Celsos, 269, 1.
Celsum, 162, 10. 347, 6.
Censemus, 231, 16.
Censendus, 264, 18. 281, 2.
Censeremus, 345, 9.
Censeres, 266, 20,
Censes, 32, 6. 52, 3. 199, 11, aliisque locis 5.
Censet, 305, 7. 326, 21.
Censetis, 243, 4.
Censor, 153, 3.
Censu, 118, 5.
Censuerint, 297, 5.
Censuit, 349, 3.
Censum, 121, 4.
Censura, 50, 2.
Census, 121, 1.
Census, 195, 2.
Centauros, 308, 7.
Centeno, 191, 1.
Cepit, 228, 13.
Cerberum, 309 5.
Cerealia, 277, 3.
Cererem, 302, 3.
Cereris, 78, 3.
Ceres, 175, 4.
Cernant, 298, 18.
Cernas, 270, 8.
Cernat, 161, 3.
Cernebat, 18, 2.
Cernenda, 246, 28.
Cernendi, 282, 11.
Cernens, 301, 8. 340, 15.
Cernenti, 309, 3.
Cernentis, 352, 27.
Cernere, 22, 4. 90, 3. 226, 6, aliisque locis 3.
Cerneret, 332, 1.
Cernes, 263, 2.
Cernis, 350, 19.
Cernit, 321, 5. 323, 6. 350, 21.
Certa, 83, 3. 327, 14. 330, 5, aliisque locis 2.
Certamen, 33, 1. 47, 2. 305, 17.
Certavimus, 33, 2.
Certe, 146, 2. 295, 4.
Certent, 168, 19.
Certis, 309, 2.
Certissimam, 43, 5.
Certissimum, 327, 4,
Certo *nomen*, 78, 3. 106, 10. 168, 8.
Certo *adverb*. 345, 4.
Certos, 166, 9. 345, 3. 345, 12.
Certum 80, 6. 265, 9 bis, aliisque locis 3.
Certus, 129, 6. 246, 10. 326, 15. 327, 5.
Cerva, 251, 7.
Cervis, 273, 5.
Cessabit, 52, 5.
Cessantibus, 282, 11.
Cessarent, 194, 11.
Cessat, 295, 18.
Cessent, 291, 8.
Cessere, 343, 9.
Cesset, 106, 2.
Cessisse, 33, 8.
Cessit, 343, 11.
Chordis, 252, 4.
Chorus, 14, 3.
Circa, 35, 5. 94, 4. 266, 15, aliisque locis 2.
Circo, 111, 1.
Circuit, 223, 5.
Circulum, 261, 5.
Circulus, 296, 3.
Circum *præpos, cum accus.*, 295, 12.
Circumdedi, 101, 7.
Circumflantibus, 35, 5.
Circumfluus, 121, 3.
Circumfusæ, 111, 1.
Circumsepti, 157, 6.
Cito, 238, 4. 239, 1. 279, 13. 281, 20.
Citra, 297, 23.
Civibus, 44, 5. 177, 5. 287, 10.
Civitate, 146, 5.
Civitatis, 73, 2. 109, 7.
Civium, 72, 7.
Cladem, 35, 2. 299, 1.
Clamor, 103, 2.
Clara, 69, 5.
Clarescat, 264, 7.
Claris, 106, 5. 162, 8.
Clarissimos, 158, 1.
Clarissimum, 179, 16. 218, 9.
Claritas, 178, 1. 231, 19. 236, 11.
Claritudine, 218, 11. 232, 6.
Claritudinem, 178, 9. 205, 11. 205, 12. 218, 14.

Claritudinis, 213, 21.
Claritudo, 179, 14. 205, 14.
Clarius, 287, 6. 348, 9.
Claro, 90, 2.
Claros, 132, 3. 269, 3.
Claruerunt, 229, 9.
Clarum, 126, 3. 322, 1.
Classi, 307, 4.
Classica *subst.*, 141, 4.
Claudere, 7, 2.
Clauditur, 183, 2.
Clausit, 207, 5.
Clausum, 27, 5.
Clavo, 247, 1.
Clavus, 246, 24.
Clementia, 281, 16.
Clypeum, 41, 3.
Coacervabo, 266, 9.
Coacervando, 132, 2.
Coacta, 335, 31.
Coæternum, 349, 13.
Coarctabitur, 157, 23.
Coeant, 316, 3.
Coegerat, 251, 5.
Coegit, 200, 4.
Cœlestibus. 295, 2.
Cœlestis, 43, 8. 156, 7.
Cœli, 156, 6. 212, 13. 220, 2. 238, 13. 300, 3.
Cœlitus, 102, 12.
Cœlo, 17, 4. 27, 2. 102, 1, aliisque locis 7.
Cœlum, 10, 5. 10, 7. 30, 1, aliisque locis 17.
Coemptio, 47, 2. 47, 4.
Cœno, 89, 8. 271, 1. 282, 12.
Cœperint, 236, 15.
Cœperit, 113, 2. 349, 3.
Cœpi, 14, 8.
Cœpisti, 109, 8.
Cœpit, 176, 2.
Coerceat, 168, 8. 254, 5. 280, 14, aliisque locis 2.
Coercente, 313, 13.
Coercet, 239, 10. 305, 8.
Coercuit, 80, 3.
Cœtus, 59, 1.
Coeunt, 237, 5.
Cogantur, 335, 7.
Cogat, 190, 2. 242, 1. 303, 2.
Cogentibus, 237, 17. 239, 8.
Cogis, 64, 2.
Cogit, 327, 13. 351, 15.
Cogitare, 218, 18. 230, 7.
Cogitari, 334, 6.
Cogitatione, 157, 4. 186, 3. 239, 5.
Cogitationibus, 58, 3.
Cogitationis, 228, 6.
Cogitatis *verbum*, 157, 7. 158, 5.
Cogites, 229, 19.
Cogitetur, 158, 13.
Cogitur, 22, 4. 295, 17.
Cognatos, 249, 9.
Cognita, 340, 17.
Cognitio, 351, 2.
Cognitione, 166, 3. 292, 9. 344, 11. 350, 12.
Cognitionem, 344, 9.
Cognitiones, 343, 9.
Cognitionibus, 343, 10.
Cognitionis, 352, 10.
Cognitis, 157, 2.
Cognito, 84, 10.
Cognitor, 283, 7.
Cognitu, 313, 3.
Cognoscant, 216, 8.
Cognoscas, 119, 8. 219, 19.
Cognoscat, 326, 24.
Cognoscendam, 30, 2.
Cognoscendo, 337, 22.
Cognoscente, 47, 4.
Cognoscentis, 239, 3.
Cognoscentium, 336, 15.
Cognoscere, 217, 7.
Cognosceres, 281, 18.
Cognosces, 92, 7. 258, 2.
Cognosci, 336, 14.
Cognoscit, 136, 9. 337, 11. 343, 16, 45, 2, 351, 2.
Cognoscitur, 336, 15, 348, 2.
Cognosco, 219, 21. 280, 6.
Cognoscunt, 101, 11.
Cognoscuntur, 337, 22.
Cognoverit, 25, 3.
Cognovi, 11, 2. 72, 1. 92, 1.
Cogor, 2, 2.
Coguntur, 335, 10.
Cohærens, 336, 19.
Cohærent, 330, 5.
Cohærentem, 147, 10.
Cohærentium, 318, 1.
Cohibebat, 10, 5.
Cohibere, 68, 5.
Colendi, 314, 3.
Colere, 297, 26.
Colerentur, 257, 14.
Colite, 352, 24.
Colla, 2, 2. 69, 3. 95, 2, aliisque lolos 5.
Collata, 149, 16.
Collatæ, 298, 22.
Collatio, 158, 21. 350, 20.
Collatione, 348, 9.
Collationem, 280, 8.
Collecto, 43, 1.
Collectum, 265, 2.
Collegimus, 230, 21. 240, 2. 267, 20.
Collegit, 91, 2.
Collidamus, 247, 18.
Colligantur, 320, 8.
Collige, 125, 2. 272, 6.
Colliguntur, 236, 10.
Collo, 310, 9.
Collocatæ, 133, 7.
Collocatas, 249, 8.
Collocavi, 74, 6.
Colloqui, 328, 7.
Collustrat, 337, 20.
Colore, 10, 2. 69, 8.
Combusto, 310, 1.
Comeret, 196, 2.
Comitantur, 191, 3.
Comitem, 254, 3.
Comites, 3, 3.
Comitetur, 261, 2. 272, 20.
Commaculant, 194, 7.
Commemoras, 117, 1. 245, 2.
Commemoratione, 205, 8. 231, 15.
Commendaverit, 60, 7.
Commercii, 157, 11.
Commercium, 328, 5.
Comminantes, 269, 5.
Comminutæ, 132, 8.
Committeres, 95, 5.
Commodaverant, 111, 4.
Commodi, 47, 3.
Commota *singul.*, 12, 3.
Commovens, 252, 9.
Commovet, 290, 5.
Commune, 44, 10. 75, 1. 103, 8, aliisque locis 2.
Communem, 10, 1. 10, 4. 25, 1. 267, 6.
Communia, 110, 3.
Communicato, 32, 3.
Communis, 47, 3, 55, 1. 229, 2, aliisque locis 3.
Commutatione, 296, 6.
Compage, 133, 4.
Comparabis, 273, 2.
Comparans, 298, 23.
Comparare, 178, 9.
Comparari, 158, 10.
Compellare, 149, 18.
Compellit, 266, 11. 335, 30.
Compendii, 314, 8.
Compensatione, 283, 23.
Compertum, 50, 3.
Competenter, 299, 11.
Compleat, 231, 14.
Complectens, 350, 11. 352, 17.
Complecti, 350, 5.
Complectitur, 294, 3. 299, 12. 349, 6. 352, 12.
Complexam, 349, 15.
Complicas, 248, 9.
Componant, 231, 26.
Componebas, 58, 5.
Compos, 124, 6. 246, 15. 261, 9. 349, 10.
Composita, 293, 4.
Compositæ, 120, 8.
Compositis, 53, 3.
Composito, 37, 1.
Compotem, 149, 14. 272, 4.
Comprehendendi, 352, 12.
Comprehendentium, 348, 2.
Comprehendere, 299, 16.
Comprehendi, 336, 9.
Comprehendit, 326, 19. 326, 25, aliisque locis 6.
Comprehenditur, 336, 16.
Comprehensam, 18, 6.
Compressa, 157, 16.
Comprime, 70, 8.
Compta, 69, 8.
Comptos, 74, 4.
Compulsus, 49, 3.
Computas, 134, 7.
Conabaris, 219, 16.
Conaberis, 212, 4.
Conabimur, 292, 13.
Conabor, 172. 2.
Conantur 177, 1. 177, 8. 206, 4. 283, 15.
Conaris, 96, 1.
Conatur, 218, 24.
Conatus, 200, 7.
Concedam, 101, 3,
Concedamus, 297, 5.
Concedas, 336, 19.
Concedat, 288, 3.
Concedis, 236, 18.
Conceperit, 53, 14.
Concepta, 187, 9.
Concepta, 337, 8.
Conceptio, 229, 2.
Conceptione, 337, 18.
Conceptionem, 344, 6.
Conceptionis, 337, 15.
Concessa, 245, 4. 280, 6. 305, 12.
Concesseram, 662, 6.
Concesserim, 119, 4. 267, 12.
Concessimus, 232, 17. 246, 17. 246, 24, aliisque locis 2.
Concessis, 280, 10.
Concessisse, 52, 8.
Concessu, 280, 5.
Concessum, 218, 11. 230, 11.
Conchæ, 343, 11.
Conciliat, 201, 4.
Concipitur, 326, 17 bis.
Concitat, 115, 2. 302, 14.
Concitus, 301, 5.
Concludere, 150, 2. 232, 21.
Concludi, 230, 23.
Conclusa, 236, 5. 258, 1. 281, 13.
Concluserim, 230, 10.
Conclusi, 157, 6.
Conclusimus, 280, 3.
Conclusioni, 280, 7.
Conclusionis, 280, 9.
Conclusum, 228, 17.
Concordat, 122, 2.
Concordes, 56, 2. 167, 2.
Concordia, 301, 16.
Concurrere, 314, 14.
Concurrit, 314, 12.
Concursus, 314, 6.
Condat, 64, 5.
Condens, 153, 5.
Condere, 102, 2.
Condignum, 247, 17.
Condit, 302, 8.
Condita, 69, 4. 88, 2. 246, 13. 332, 3.
Conditio, 56, 3. 120, 10. 125, 8, aliisque locis 3.
Conditione, 122, 2. 272, 27.
Conditionem, 273, 9. 349, 2. 350, 29, aliisque locis 2.
Conditionis, 351, 11. 351, 14.
Conditis, 349, 17.
Conditor, 63, 1. 302, 10. 323, 1.
Conditorem, 83, 4.
Conditori, 136. 3. 349, 13.
Conditoris, 133, 5.
Conditum, 349, 13.

Conditus, 129, 9. 277, 14.
Conducat, 157, 21.
Condunt, 324, 9.
Conetur, 238, 7. 247, 7. 247, 8. 265, 26.
Confecerimus, 305, 11.
Conferatur, 156, 7. 158, 7.
Conferre, 200, 7. 219, 9. 219, 27.
Confert, 272, 1.
Confessio, 56, 1.
Confessione, 53, 5.
Confessus, 14, 4. 245, 5. 201, 7.
Confessum, 56, 6. 246, 1.
Confirmandæ, 305, 19.
Confirmant, 264, 9.
Confirment, 298, 6.
Confirmo, 313, 11.
Confitear, 218, 13.
Confitemur, 230, 1.
Confitendum, 229, 9.
Confiteor, 85, 4. 187, 14. 239, 16.
Confiteri, 218, 8. 218, 19. 230, 12, aliisque locis 2.
Conflictatione, 247, 19.
Confluat, 316, 4,
Confluentibus, 314, 9. 314, 13.
Confluere, 314, 14.
Conformaveris, 282, 7.
Confudit, 187, 10.
Confundat, 92, 5.
Confundere, 102, 4. 139, 5.
Confunderis, 86, 2.
Confundit, 87, 5. 124, 4. 350, 24.
Confundor, 324, 1.
Confusa, 290, 4. 296, 14.
Confusio, 296,20. 297, 24. 327, 15.
Confusionis, 287, 13.
Confusum, 288, 6.
Congeratur, 132, 1.
Congestæ, 132, 6.
Congregare, 212, 4.
Congregatione, 176, 9. 213, 7.
Conigastum, 45, 3.
Conjecerat, 148, 8.
Conjectare, 232, 6.
Conjectas *verbum*, 123, 1.
Conjectat, 325, 15.
Conjecto *verbum*, 84, 1. 265, 12. 524, 3.
Conjugem, 254, 4.
Conjugii, 168, 22.
Conjugis, 110, 1. 210, 3. 251, 1.
Conjuncta, 232, 2. 246, 7.
Conjunctione, 237, 8.
Conjunctus, 336, 19.
Conjungant, 231, 13.
Conjungat, 261, 1.
Conjungeret, 246, 7.
Conjungi, 328, 8.
Conjunxerit, 230, 4.
Conjurationis, 53, 9, 148, 2.
Connectat, 295, 17.
Connectens, 223, 2.
Connecti, 328, 10.
Connectit, 328, 4.
Connectione, 296, 8. 313, 10. 314, 15.
Conquereris, 120, 8.
Conquereris, 10, 12.
Conqueri, 257, 12.
Conquesta, 14, 11.
Conquestus, 76, 2.
Conquisitæ, 205, 1.
Conscendant, 259, 2.
Conscendere, 226, 1.
Conscia, 159, 7.
Conscientiæ, 45, 2. 55, 5. 158, 15. 205, 2 bis.
Conscientiam, 57, 6. 298, 22. 299, 5.
Conscii, 44, 9.
Conscios, 148, 2.
Conscius, 53, 9.
Consedit, 14, 9.
Consenesceret, 155, 3.
Consensi, 239, 20.
Consentaneum, 238, 21.
Consentiam, 238, 1.
Consentiat, 297, 25.
Consentiendo, 321,3.
Consentio, 318, 1.
Consentiunt, 180, 7.
Consequatur, 304, 1. 327, 9. 335, 8.
Consequens, 205, 4, 218, 14 230, 14, aliisque locis 4.
Consequenter, 179, 1.
Consequentia, 281, 13.
Consequentiam, 265. 15
Consequi, 266, 15. 336, 143.
Consequitur, 218, 15. 282, 10.
Conseritis, 305, 23.
Conservant, 320, 7.
Conservat, 238, 22. 249, .
Conservationem, 198, 5.
Considera, 156, 4. 187 1. 218, 9. 229, 1. 266, 13.
Considerandum, 149, 8. 188, 1. 337, 3.
Considerans, 179, 1.
Consideranti, 237, 12.
Considerare, 265, 15. 296, 14.
Consideras, 257, 7.
Considerat, 337, 18. 350, 12.
Considerata, 351, 20.
Consideratione, 337, 1.
Consideratis *verbum*, 147, 2.
Consideratum, 131, 4.
Considerem, 237, 16. 304, 8.
Consideremus, 348, 6.
Considerentur 351, 32.
Consideres, 111, 7.
Consideret, 344, 7.
Considero, 281, 25.
Consilia, 324, 7.
Consiliis, 327, 6. 327, 17.
Consilium, 281, 17.
Consimilem, 58, 6.
Consimiles, 136, 1.
Consistat, 248, 2.
Consolari, 188, 15.
Consona, 223, 2.
Conspectum *adject.*, 350, 27.
Conspexerit, 149, 9. 293, 9.
Conspicere, 344, 9.
Conspicio, 266, 9.
Conspicitur, 293, 6.
Conspicuos, 226, 3.
Constant, 236, 2. 330, 2.
Constantiam, 94, 4. 102, 5. 112, 2. 239, 15.
Constare, 125, 2.
Constaret, 335, 15.
Constat, 87, 3. 115, 115, 7, aliisque locis, 9.
Constet, 115, 8.
Constiterit, 264, 6. 313, 7.
Constituant, 177, 7.
Constituas, 231, 23.
Constituimus, 229, 11.
Constituit, 179, 2. 352, 17.
Constituo, 320, 3.
Constituta, 228, 3. 287, 2. 287, 10, aliisque locis 2.
Constitutam, 336, 22.
Constitutum, 348, 11.
Constringit, 296, 9. 318, 4. 327, 8.
Consulare, 146, 3.
Consularem, 48, 1. 48, 3.
Consulares, 119, 5.
Consulatu, 194, 9.
Consules, 110, 7.
Consulit, 333, 2.
Consulum, 111, 1. 146, 4.
Consunptos, 164, 4.
Consurgit, 337, 5.
Contabescas, 103, 7.
Contagione, 194, 7. 195, 6. 245, 3.
Contemnendum, 179, 10.
Contemnitur, 194, 4.
Contemperata, 247, 4.
Comtemptum, 305, 25.
Contendas, 299, 25.
Contende, 101, 1.
Contendi, 47, 4.
Contenta, 133, 18. 136, 1. 138, 2.
Contentus, 157, 22.
Contexe, 265, 27.
Contexo, 292, 15.
Contigerit, 350, 2.
Contigisse, 192, 5.
Contigisset, 44, 3.
Continens, 176, 7.
Continere, 231, 12.
Contineret, 246, 9.
Continet, 168, 21. 303, 3.
Continetur, 74, 1.
Contingant, 297, 1.
Contingat, 123, 2.
Contingentes, 287, 7.
Contingere, 194, 8. 217, 5. 258, 5, aliisque locis 3.
Continget, 236, 4.
Contingi, 297, 30.
Contingit, 93, 4. 218, 29. 236, 16. 266, 16.
Contingunt, 76, 6.
Continuato, 71, 1.
Continuo, 168, 16.
Continuum, 102, 7. 346, 3.
Contra, 36, 3. 53, 9. 53, 11, aliisque o cis 3.
Contra *sine regimin.*, 108, 2. 123, 4. 135, 5, aliisque locis, 7.
Quod totum contra est, *e contrario*, 336, 14.
Contracta, 25, 5.
Contradici, 229, 13.
Contrahit, 36, 4.
Contraire, 247, 7.
Contraria, 149, 3. 264, 5.
Contraria, 272, 13.
Contrariam, 172, 2. 325, 8.
Contrariarum, 149, 12.
Contrariis, 246, 6.
Contrarium, 135, 2. 188, 9.
Contuendum, 246, 29.
Contuetur, 336, 21. 337, 3. 337, 7. 351, 19.
Contuleramus, 24, 2.
Contulisset, 271, 14.
Contulit, 79, 8.
Contum, 137, 9.
Contumacis, 109, 2.
Contumelia, 158, 22.
Contumeliis, 158, 18.
Convellere, 84, 12.
Conveniant, 222, 3. 297, 9. 313, 22. 316, 5.
Conveniat, 297, 16.
Conveniebat, 58, 4.
Convenienti, 279, 5.
Convenientia, 247, 4.
Convenientibus, 238, 3. 335, 21.
Convenire, 280, 6. 297, 16. 299, 4.
Convenisset, 246, 7.
Convenit, 238, 8. 265, 19. 272, 8, aliisque locis 3.
Conveniunt, 238, 21.
Conversas, 225, 4.
Converso, 303, 8.
Convertant, 247, 5,
Convertas, 352, 4.
Converteris, 352, 6.
Convertit, 223, 5.
Convictum, 56, 6.
Convincat, 229, 5.
Convinci, 57, 3.
Copia, 105, 6.
Copia, 135, 2.
Copias, 36, 4.
Copiosus, 179, 6.
Coquit, 117, 3.
Coram, 137, 10.
Corda, 211, 6. 272, 2. 277, 12.
Corde, 243, 5.
Cordis, 269, 6.
Cori, 290, 7.
Cornu, 64, 3. 64, 6. 105, 6.
Cornua, 207, 2. 290, 1.
Coro, 26, 3.
Corollarii, 979, 5.
Corollarium, 231, 3. 231, 9.
Corona, 271, 6. 271, 21.
Corpora, 320, 7.
Corporales, 344, 10.
Corporalem, 210, 2.
Corpore, 5, 4. 277, 6. 283, 28, aliisque locis 4.
Corporea, 245, 3.
Corporeis, 97, 231.

Corpori, 277, 18. 343, 6.
Corporibus, 209, 4. 297, 7. 297, 8, aliisque locis 3.
Corporis, 126, 3. 178, 13. 209, 1, aliisque locis 8.
Corporum, 283, 27. 340, 11. 343, 6.
Corpus, 147, 5. 147, 8 *bis*, aliisque locis 9.
Correctionis, 280, 18.
Corrigendi, 304, 5.
Corrigi, 280, 15.
Corrigit, 305, 2. 306, 2.
Corriperet, 48, 3.
Corroborent, 258, 6.
Corrumpat, 305, 24.
Corrumpunt, 238, 23.
Corruptionem, 237, 15.
Cortex, 238, 13.
Corticem, 238, 10.
Corusci, 261, 3.
Coruscus, 262, 4.
Cotidie, *vide* Quotidie.
Crastinum, 348, 12.
Creatis, 239, 12.
Crebras, 266, 9.
Crebris, 290, 6.
Crebro, 304, 11.
Credamus, 335, 24. 345, 5.
Credant, 340, 3.
Credantur, 328, 10.
Credatis, 189, 2.
Credatur, 232, 12. 247, 1. 273, 4, aliisque locis 2.
Crede, 115, 5. 115, 6.
Credenda, 282, 1.
Credendum, 344, 12.
Credente, 33, 8. 177, 4.
Credere, 325, 3.
Crederem, 288, 1.
Crederes, 95, 7.
Crederetur, 10, 3.
Credi, 159, 5.
Credidit, 78, 2.
Credis, 83, 2. 86, 11. 336, 12.
Credit, 107, 2. 161, 2.
Creditur, 232, 5. 272, 3. 279, 6. 314, 4.
Credo, 94, 2. 135, 1. 246, 27. 298, 19.
Credunt, 180, 4. 325, 4.
Creduntur, 61, 4. 111, 10. 219, 11, aliisque locis 3.
Crescit, 17, 3. 276, 5.
Crimen, 52, 3. 55, 1. 61, 3. 69, 6.
Criminamur, 52, 2.
Criminatione, 75, 7.
Criminationem, 32, 4.
Criminationibus, 32, 1.
Crimine, 57, 3.
Criminis, 51, 1. 59, 3. 60, 1.
Crœsum, 102, 11.
Cruciatibus, 283, 22.
Cruciatus, 148, 4. 283, 23.
Crudelitatis, 148, 4.
Cruento, 182, 9.
Cruor, 142, 2. 182, 5.
Cruore, 152, 3. 307, 5.
Cui, 119, 8. 126, 1. 149, 9, aliisque locis 17.
Cuicunque, 149, 9.
Cuilibet, 283, 12.
Cuipiam, 267, 8.
Cuiquam, 72, 4. 239, 19. 279, 7.
Cuique, 238, 8. 238, 21. 272, 1.
Cuivis, 280, 14.
Cujus, 14, 5. 31, 1. 33, 3, aliisque locis 20.
Cujuspiam, 280, 21. 314, 1.
Cujusquam, 101, 2. 280, 12.
Cujusquam, 45, 3. 122, 4. 136, 5. 149, 11. 325, 10.
Culmina, 300, 3.
Culmine, 269, 2.
Culpæ, 283, 18.
Culpanda, 280, 16.
Cultor, 314, 6.
Cultu, 179, 10.
Cultus, 269, 8.
Cum, *præpos.*, 33, 1. 451. 92, 4, aliisque locis 10.
Cum *conjunct.*, 10, 6. 24, 5. 26, 3, aliisque locis 163.
Cum *ante tum*, 257, 2.
Cumulum, 110, 4.
Cumulus, 60, 5.
Cuncta, 84, 9. 122, 4. 176, 6. 206, 4, aliisque locis 39.
Cunctas, 299, 16.
Cunctatione, 171, 9.
Cunctis, 56, 3. 75, 3. 149, 6, aliisque locis 8.
Cunctorum, 348, 5. 352, 20.
Cunctos, 208, 1.
Cunctum, 55, 2.
Cunctus, 293, 2.
Cupias, 201, 3.
Cupiat, 219, 7.
Cupidinem, 58, 1. 106, 9.
Cupiditas, 177, 2.
Cupiditatem, 266, 3.
Cupido *subst.*, 156, 3.
Cupidum, 171, 4.
Cupierunt, 146, 4.
Cupis, 212, 6.
Cupit, 241, 2. 301, 9.
Cupita, 279, 8.
Cupiunt, 216, 1. 279, 9.
Cur, 20, 1. 68, 6. 83, 8, aliisque locis 14.
Cura, 17, 3. 109, 6. 119, 7, aliisque locis 3.
Curæ, 83, 7.
Curandum, 14, 3.
Curas, 203, 4.
Curasset, 195, 2.
Curat, 98, 3. 128, 4.
Curationem, 109, 2.
Curationis, 82, 2.
Curia, 110, 9.
Currenti, 271, 5.
Currere, 251, 4.
Curribus, 225, 2.
Curritur, 271, 6.
Curru, 168, 4.
Currum, 184, 7. 262, 3.
Cursus, 301, 13.
Cursum, 117, 2. 312, 1. 316, 3.
Curvans, 184, 3.
Curules, 110, 9. 197, 4.
Curuli, 193, 1.
Cutis, 5, 4.
Cypriani, 48, 4.
Cyro, 102, 11.

D

Da, 226, 1. 226, 2 *bis*.
Dabas, 248, 14.
Dabat, 140, 3. 197, 3. 252, 7.
Dabimus, 108, 3.
Dabo, 231, 3.
Dæmonum, 295, 3.
Damna, 76, 1.
Damnamur, 57, 3.
Damnatio, 50, 8.
Danti, 212, 5.
Dapes, 183, 4. 214, 6.
Dare, 174, 4. 219, 26. 397, 4.
Das, 221, 1.
Dat, 238, 8.
Datas, 182, 2.
Datur, 164, 4.
De, 14, 10. 43, 5. 52, 6, aliisque locis 82.
Dea, 275, 4.
Deæ, 252, 5. 253, 5.
Debeant, 298, 18.
Debeantur, 287, 10.
Debeat, 219, 32.
Debeatur, 83, 16.
Debentur, 133, 16.
Debet, 305, 16. 349, 17. 352, 18.
Debita *adject.* 68, 8.
Debitum, 313, 1.
Deblateravi, 71, 1.
Debui, 48, 5.
Debuisset, 94, 10.
Decederent, 50, 4.
Decem, 158, 7.
Decernant, 299, 6.
Decernas, 292, 3.
Decernis, 265, 20.
Decernit, 305, 6. 326, 23.
Decerno, 313, 12.
Decerpit, 271, 13.
Decesserit, 120, 5.
Decet, 305, 17.
Decidet, 271, 12.
Decipiat, 228, 6.
Declinantes, 305, 4.
Declivem, 22, 3.
Declivia, 316, 7.
Decora *adject.*, 164, 3.
Decorato, 193, 4.
Decoris *substant.*, 153, 3. 195, 4.
Decrescit, 349, 21.
Decretis, 52, 6.
Decreto, 52, 8.
Decrevisset, 50, 2.
Decursis, 258, 8.
Decus, 114, 4. 118, 8. 120, 4. 271, 13.
Dedecus, 193, 2.
Dederint, 146, 2.
Dederit, 123, 5. 151, 1.
Dedi, 272, 6.
Dedisti, 95, 8. 111, 2.
Dedit, 21, 1. 38, 1. 207, 1, aliisque locis 4.
Deditæ, 329, 8.
Deducant, 222, 4.
Deduci, 280, 16.
Deducis, 246, 28.
Deduxi, 30, 3.
Deesse, 271, 3. 22, 15.
Deest, 230, 18.
Defectum, 349, 13.
Defectus, 53, 13.
Defenderim, 55, 4.
Defendunt, 59, 3.
Defensione, 50, 3. 61, 11.
Defensor, 238, 14.
Defensorum, 283, 19. 283, 24.
Defensum, 102, 12.
Deferantur, 146, 6.
Deferatur, 298, 3. 304, 5.
Deferente, 282, 8.
Deferentibus, 49, 1. 50, 6.
Deferret, 52, 1.
Deficiant, 219, 1.
Deficiente, 264, 11.
Deficientis, 350, 14.
Deficit, 267, 14. 272, 23. 349, 20.
Deficiunt, 266, 3.
Defigere, 226, 3.
Definiat, 313, 11.
Definire, 314, 12.
Definisti, 228, 4.
Definit, 337, 15.
Definita, 345, 13.
Definitum, 158, 8.
Definivimus, 268, 3. 313, 20.
Definivit, 313, 23.
Defixerat, 170, 2.
Defixi, 30, 3.
Defixo, 14, 7. 176, 1.
Deflectat, 296, 19.
Deflecte, 219, 13.
Deflectere, 352, 3.
Deflectuntur, 267, 5.
Deflet, 103, 2. 121, 3. 252, 9.
Deflexeris, 282, 9.
Defluus, 89, 4. 302, 5. 316, 8.
Defossi, 314, 3.
Defuerit, 199, 2.
Defuisse, 264, 14.
Defunctum, 191, 3. 281, 14.
Degas, 212, 9.
Degener, 121, 1. 208, 6.
Degenerent, 205, 16.
Degentis, 125, 3.
Degentium, 348, 5.
Degunt, 297, 2.
Degustare, 93, 6.
Degustata, 171, 3.
Dehinc, 175, 3. 199, 11. 245, 3.
Dei, 229, 18. 232, 21. 248, 14, aliisque locis 3.
Dejecerint, 321, 2.

Dejeci, 45, 6.
Dejecit, 14, 4. 94, 1. 272, 27.
Dejectum, 14, 10.
Deinceps, 14, 7. 33, 4. 217, 2.
Deinde, 102, 12.
Delapsa, 31, 3.
Delatio, 50, 7.
Delationem, 49, 2.
Delationum, 61, 8.
Delatorem, 52, 1.
Delatoris, 48, 4. 25, 4. 193, 5.
Delatorum, 53, 6. 75, 4.
Delatum, 55, 2.
Delectant, 247. 15. 292, 14.
Delectantur, 268, 18.
Delectat, 110, 5. 124, 2. 133, 8. 157, 20.
Delectationis, 178, 12.
Delectet, 179, 18.
Delector, 313, 6.
Delectus, 109, 6.
Delegeras, 43, 4.
Deleri, 110, 7.
Delevit, 158, 2.
Delibare, 292, 13.
Delicatissimus, 122, 4.
Delicias, 111, 3. 120, 6.
Deliciis, 305, 22.
Delictis, 122, 1.
Deligendo, 180, 7.
Demersi, 216, 4.
Demersit, 316, 3.
Demerso, 238, 10.
Demonstra, 171, 9.
Demonstrandum, 228, 2. 335, 17.
Demonstrare, 325, 12.
Demonstrat, 166, 1. 229, 5. 267, 19.
Demonstrationibus, 126, 1. 156, 5.
Demonstratis, 231, 1.
Demonstratum, 236, 15. 265, 4. 296, 17.
Demonstratur, 264, 4.
Demonstravimus, 219, 9.
Demonstrem, 200, 2.
Demonstret, 280, 8.
Demulcet, 111, 3.
Demum, 281, 24. 334, 7.
Denique, 157, 13.
Dente, 182, 9. 276, 5. 286, 2.
Deo, 53, 14. 58, 6. 83, 2, aliisque locis, 16.
Deos, 231, 6. 272, 8. 272, 9.
Depellant, 188, 14. 192, 3.
Depellat, 83, 5.
Depellere, 219, 3.
Depellit, 149, 13.
Deplorasti, 83, 7.
Deponere. 201, 3.
Depositor, 314, 7.
Deposituros, 283, 22.
Deposuit, 247, 18.
Deprecabamur, 249, 2.
Deprecandi, 328, 2. 328, 5.
Deprecetur, 328, 3.
Deprehendatur, 388, 4.
Deprehendisti, 94, 6. 217, 6.
Deprehenditur, 187, 7.
Deprimit, 238, 20.
Depugnant, 297, 4.
Depulit, 242, 6.
Depulsa, 258, 11.
Depulsione, 72, 7.
Depulsor, 297, 14.
Depulsus, 49, 2.
Derelinquit, 267, 15. 298, 25.
Descendens, 314, 15.
Descendere, 102, 9.
Descendit, 267, 17. 351, 30.
Descendunt, 131, 1.
Describas, 239, 22.
Describeres, 43, 7.
Deseras, 112, 5.
Deserat, 60, 8. 208, 8.
Desererem, 32, 2.
Desererentur, 266, 13.
Deserit, 80, 6. 93, 9. 191, 2. 2 0.
Deserta, 273, 9.
Deserti, 266, 23. 279, 14.
Desertos, 264, 4.
Deserunt, 267, 5.
Desiderabas, 187, 14.
Desiderant, 178, 5. 180, 2. 238, 10, aliisque locis 2.
Desiderare, 176, 5.
Desiderari, 178, 16. 265, 5.
Desideras, 52, 1. 212, 7.
Desiderat, 178, 19. 197, 15. 218, 31, aliisque locis 3.
Desideratis *verbum*, 135, 1.
Desideratur, 232, 15. 240. 2.
Desiderent, 239, 13. 268, 16. 268, 17.
Desideres, 103, 8.
Desideret, 237, 15.
Desideretur, 219, 25. 239, 22.
Desiderio, 92, 2. 119, 4.
Desidero, 231, 23. 246, 2. 265, 21. 287, 13.
Desidit, 340, 21.
Desierint, 108, 7.
Desierit, 74, 2. 136, 10. 272, 2. 273, 9.
Designare, 172, 1.
Designarem, 9, 2.
Designat, 335, 76.
Desinant, 272, 23.
Desinat, 349, 4.
Desine, 166, 11.
Desinet, 297, 26.
Desinit, 74, 3. 132, 5. 174, 4, aliisque locis 4.
Desinite, 212, 14.
Desinunt, 195, 7. 267, 6. 351, 21.
Desipis, 347, 8.
Desistam, 52, 4.
Desisti, 85, 6.
Desistis, 137, 12. 222, 9.
Desistit, 96, 2. 194, 12. 210, 3. 272, 23.
Desistunt, 267, 7.
Desit, 264, 11. 265, 25. 336, 8.
Desolatum, 109, 5.
Despectiores, 194, 5.
Despiciens, 350, 28.
Despicit, 218, 32. 260, 1. 347, 7.
Despiciunt, 298, 7,
Destinatum, 187, 2.
Destiterit, 237, 4.
Destituit, 86, 9.
Destituta, 239, 24.
Destitutus, 343, 10.
Destruitur, 279, 18.
Desuper, 27, 3. 36, 6. 337, 8. 352, 20.
Det, 254, 8.
Detegas, 42, 3.
Detegat, 290, 4.
Detegit, 165, 3.
Deterat, 172, 9.
Deteriora, 282, 10.
Deteriorem, 297, 28.
Deterrent, 298, 16.
Detexit, 166, 9.
Detinetur, 273, 8.
Detorqueri, 325, 1.
Detrahat, 269, 7.
Detraherent, 13, 2.
Detrahunt, 122, 7. 277, 16.
Detraximus, 100, 4.
Detraxit, 35, 2. 46, 3.
Detrectantium, 247, 6.
Detrudat, 272, 28.
Detruditis, 136, 5.
Detrusisti, 282, 10.
Detulere, 57, 4.
Detulisse, 44, 10.
Deum, 83, 4. 84, 9. 208, 5, aliisque locis 18.
Deus, 44, 9. 54, 2. 80, 2, aliisque locis 20.
Devenerit, 194, 9.
Deviæ, 212, 1.
Deviis, 241, 2. 313, 4.
Devios, 166, 6. 214, 1.
Devitare, 259, 15.
Devitat, 237, 19.
Devius, 177, 3.
Devorassent, 48, 2.
Dextera, 12, 1.
Dextra, 184, 3.
Dextra, 97, 1.
Dic, 84, 1. 84, 6.
Dicam, 119, 5, 246, 28. 280, 11.
Dicamus, 267, 9. 350, 7.
Dicantur, 210, 2. 352, 16.
Dicas, 351, 3.
Dicatur, 326, 7.
Dicebas, 170, 6. 239, 28. 248, 11. 248, 15.
Dicendi, 108, 3.
Dicentes, 344, 2.
Dicere, 53, 5. 165, 4. 179, 17, aliisque locis 2.
Diceremur, 56, 5.
Dicerent, 283, 23.
Diceretur, 53, 9.
Dices, 262, 7.
Dici, 219, 12. 279, 1. 281, 26. 297, 7.
Dicimur, 51, 1.
Dicis, 171, 5. 318, 1.
Dicitur, 159, 1. 228, 8. 350, 15.
Dictant, 2, 3.
Dictantes, 12, 3.
Dictat, 168, 25.
Dictum, 210, 4.
Dicturam, 246, 26.
Dicturum, 54, 6. 336, 1.
Didiceram, 44, 7.
Didiceris, 249, 9.
Didicisti, 103, 5. 157, 2. 272, 21.
Die, 50, 6.
Diebus, 89, 6.
Diem, 27, 5. 50, 4. 168, 3, aliisque locis 2.
Dies, 83, 5. 10, 22. 112, 4, aliisque locis 5.
Differas, 292, 14.
Differentibus, 343, 9.
Differre, 218, 14. 288, 4.
Differt, 273, 7.
Difficiliori, 324, 1.
Difficilis, 280, 5.
Difficultas, 305, 19.
Difficultate, 157, 11.
Diffluere, 178, 4, 295, 18. 305, 21.
Diffundi, 295, 17.
Diffundunt, 238, 11.
Diffusa, 162, 7.
Digerit, 294, 4.
Digesta, 294, 6.
Digna, 350, 5. 350, 20.
Dignam, 205, 8.
Dignissima, 312, 3.
Dignissime, 230, 1.
Dignissimum, 137, 8. 177, 5. 179, 10, aliisque locis 2.
Dignitas, 149, 16. 150, 1. 193, 10. 194, 5.
Dignitate, 146, 8. 256, 1.
Dignitatem, 57, 4. 136, 4.
Dignitates, 110, 4. 180, 2. 192, 1, aliisque locis 4.
Dignitatibus, 61, 5. 145, 1. 116, 8, aliisque locis 6.
Dignitatis, 57, 5. 145, 2. 194, 2.
Dignitatum, 101, 1.
Dignius, 230, 23.
Dignius, 149, 6.
Dignos, 149, 16. 193, 6. 283, 29. 297, 5.
Dignoscere, 14, 6.
Dignoscit, 297, 11. 319, 3. 350, 13. 350, 25.
Dignum, 157, 19. 193, 9. 216, 5, aliisque locis 2.
Diis, 297, 21.
Dijudicat, 337, 8.
Dilabatur, 249, 3.
Dilabitur, 228, 14.
Dilabuntur, 320, 7.
Dilatare, 157, 17.
Dilige, 286, 8,
Diligenter, 334, 4.
Diligentia, 238, 14.
Diluvium, 146, 2.
Diminutis, 228, 12.

Dimissos, 281, 23.
Dimotis, 87, 6.
Dira, 277, 17.
Dirigebas, 54, 7.
Dirigens, 296, 16. 299, 18.
Diripiendas, 36, 5.
Discedens, 166, 10.
Discedit, 295, 16. 295, 18.
Discedunt, 101, 12.
Disceres, 281, 21.
Discernat, 319, 3.
Discernendo, 343, 7.
Discernere, 297, 6.
Discernitis, 350, 27.
Discerpentibus, 299, 5.
Discesseris, 93, 5.
Discesserit, 94, 13. 299, 13.
Discessi, 103, 6.
Disciderunt, 33, 7.
Disciplinis, 60, 2.
Discit, 244, 2.
Discordant, 157, 18.
Discordia, 330, 4.
Discordiæ, 45, 1.
Discordias, 48, 5.
Discors, 246, 8. 301, 15, 329, 1.
Discrepant, 230, 16. 236, 14.
Discrepare, 218, 22. 347, 4.
Discreparent, 231, 25. 236, 8.
Discretionem, 231, 23.
Discretionis, 10, 4.
Discriminis, 61, 9.
Discussa, 26, 1.
Disjice, 226, 4.
Disjunctum, 328, 12.
Dispensans, 352, 22.
Dispensari, 298, 19.
Dispensatio, 297, 28.
Dispertit, 218, 23.
Displicere, 35, 6.
Disponat, 296, 16.
Disponentem, 299, 21.
Disponentis, 247, 3.
Disponeret, 246. 12.
Disponit, 246, 21. 246, 23. 247, 13, aliisque locis, 6.
Disposite, 298, 11.
Dispositio, 294, 1.
Dispositione, 352, 7.
Dispositionis, 288, 7.
Dispositissima, 257, 14.
Dispositos, 246, 10.
Disposuit, 294, 13. 295, 7.
Disputabas, 248, 17.
Disputationis, 313, 7.
Dissentiant, 299, 5.
Dissentire, 232, 19.
Dissepta, 303. 4.
Disseptum, 328, 12.
Disseram, 145, 1. 200, 1.
Disserebas, 43, 6, 248, 12.
Disserere, 281, 17.
Disseris, 345, 3,
Disserui, 205, 5.
Disseruit, 293, 1.
Dissideant, 272 12.
Dissident, 286, 3.
Dissidentes, 180, 6.
Dissiliet, 248, 1.
Dissimile, 297, 8.
Dissimiles, 299, 10.
Dissimillimi, 35, 3.
Dissimulare, 352, 26.
Dissociantur, 316, 2.
Dissociaret, 24, 8.
Dissolvantur, 238, 24.
Dissolvat, 112, 3.
Dissolvere, 325, 4.
Dissolvi, 213, 5. 237, 4.
Dissolvitur, 237, 7.
Dissolutis, 30, 1.
Dissonæ, 61, 1.
Dissonare, 336, 7.
Distant, 286, 3.
Distantes, 157, 10.
Distenditur, 157, 4.
Distinctione, 133, 6.
Distingueris, 133, 12.
Distractus, 212, 8.
Distrahunt, 76, 5.
Distraxerint, 237, 10.
Distribuit, 298, 4. 334, 2.
Distributa, 294, 4.
Distributæ, 237, 9.
Ditetis, 214, 6.
Diu, 200, 5. 334, 3.
Divelleret, 246, 8.
Diversa, 218, 21. 230, 3, 230, 15, aliisque locis 7.
Diversam, 229, 19.
Diversarum, 157, 17.
Diversis, 180, 4, 246, 6. 265, 2. 343, 9.
Diversitas, 246, 8.
Diversitate, 157, 11.
Diverso, 176, 3. 177, 1.
Diversum, 76, 5. 230, 5. 230, 4, aliisque locis 4.
Diversus, 237, 2.
Dives, 107, 1. 190, 1.
Dividentibus, 239, 1.
Dividis, 66, 4.
Dividit, 340, 17.
Divina, 257, 2. 293, 9. 295, 6, aliisque locis 5.
Divina, 292, 10. 296, 11. 297, 19, 352, 7.
Divinæ, 83, 6. 86, 11. 248, 9, aliisque locis 13.
Divinam, 273, 9. 325, 7. 345, 2, aliisque locis 4.
Divinarum, 43, 5.
Divinationem, 334, 2.
Divini, 299, 16. 343, 14. 350, 20. 351, 7.
Divinis, 295. 1. 320, 4.
Divinitas, 230, 22. 231, 4.
Divinitatem, 231, 6.
Divinitati, 295, 11.
Divinitatis, 231, 4.
Divinitus, 118, 5.
Divino, 350, 17.
Divinum, 135, 9. 219, 32. 297, 25. 351, 19.
Divinus, 350, 28, 352, 9.
Divisa, 340, 18.
Divites, 188, 12.
Divitiæ, 131, 5. 132, 8. 137, 6. 150, 1.
Divitiarum, 163, 12.
Divitias, 132, 10, 134, 11. 178, 5, aliisque iocis 2.
Divitiis, 134, 12. 177, 4. 187, 8, aliisque locis 2.
Diuturnior, 280, 1. 281, 21.
Diuturnitas, 239, 9.
Diuturnitate, 158, 6.
Diuturnitatem, 158, 10.
Dixerat, 312, 1.
Dixerim, 61, 2.
Dixeris, 267, 11. 273, 1.
Dixi, 314, 11.
Diximus, 177, 1. 195, 4. 229, 15, aliisque locis 2.
Dixisti, 75, 2. 257, 4. 312, 4.
Dixit, 25, 4. 219, 8.
Doceat, 242, 2.
Doctrina, 243, 3.
Docui, 247, 2.
Docuisti, 304, 7.
Documenta, 52, 1.
Doleas, 134, 8.
Dolor, 5, 2. 76, 2. 76, 5. 90, 3.
Dolore, 71, 1. 92, 5. 119, 4. 283, 9.
Dolorem, 257, 3.
Dolores, 12, 5. 209, 3.
Doloribus, 126, 6. 179, 17.
Doloris, 109, 2.
Doluisti, 75, 7. 86, 3.
Domesticis, 248, 19.
Domet, 202, 2.
Dominæ, 95, 8.
Dominam, 95, 3. 101, 11.
Dominatam, 155, 2.
Dominis, 270, 10.
Domino, 134, 4.
Dominos, 253, 1. 269, 10.
Dominum, 251, 13. 309, 7.
Dominus, 262, 1. 302, 12.
Domitor, 182, 10.
Domo, 110, 8. 257, 14.
Domos, 252, 2. 260, 6.
Domuit, 308, 7.
Domum, 129, 5. 179, 5. 258, 9.
Domus, 59, 1. 162, 8.
Domus, 45, 5. 134, 1.
Dona *nomen*, 131, 3. 254, 5.
Donamus, 254, 3.
Donat, 234, 5. 311, 4.
Donati, 281, 8.
Donec, 260, 6.
Dorsa, 261, 8.
Dotes, 119, 2.
Draconi, 309, 3.
Duæ, 351, 9.
Dubio procul, 351, 30.
Dubitabilis, 268, 15.
Dubitabis, 264, 17.
Dubitandum, 246, 3. 246, 4.
Dubitare, 239, 14. 264, 15. 272, 11.
Dubitari, 126, 3. 188, 8. 218, 5, aliisque locis 3.
Dubitas, 265, 24. 283, 6.
Dubitat, 119, 9. 125, 9. 149, 8, aliisque locis 2.
Dubitatio, 298, 12.
Dubitatione, 292, 6.
Dubitatur, 336, 5.
Dubitaverit, 248, 2,
Dubites, 288, 8.
Dubitet, 229, 4.
Dubito, 238, 2. 264, 1.
Dubium, 149, 4. 212, 1. 232, 2. 263, 13.
Ducatur, 327, 17.
Duce, 36, 2.
Ducem, 276, 12.
Ducendam, 335, 22.
Ducere, 171, 5. 254, 15.
Duces *verbum*, 130, 1.
Duci *verbum*, 283, 18. 349, 14.
Ducimus, 239, 5.
Ducis *nomen*, 275, 1.
Ducis *verbum*, 221, 5.
Ducit, 186, 4. 266, 11. 294, 11. aliisque locis 2.
Ducitur, 298, 4.
Ductu, 258, 11.
Dudum, 89, 4. 98, 1. 239, 16, aliisque locis 5.
Dulcedinem, 299, 24.
Dulcedinis, 93, 8. 108, 5.
Dulcedo, 123, 7.
Dulces, 14, 2.
Dulcescam, 171, 4.
Dulci, 183, 4. 183, 10. 252, 10.
Dulcia, 297, 9.
Dulcibus, 6, 1. 12, 6.
Dulcior, 174, 1.
Dum, 7, 3. 9, 1. 61, 3. 92, 5, aliisque locis 23.
Duo, 230, 15. 264, 9. 265, 16.
Duobus, 330, 1.
Duorum, 111, 1.
Duos, 110, 7. 223, 3.
Dura, 98, 4. 238, 23. 288, 3.
Duram, 291, 1.
Durare, 303, 7.
Durat, 239, 9.
Duri, 308, 6.
Duris, 298, 5.
Durum, 280, 7.
Dux, 36, 4. 227, 1.
Duxerit. 168, 5.

E

E, 210, 4. 340, 2.
E contrario, 325, 6.
E converso, 325, 16.
Ea *nomin. sing.*, 84, 12. 92, 2. 159, 6, aliisque locis 9.
Ea *nomin. plur.*, 213, 7. 230, 19. 238, 17, aliisque locis 7.
Ea *accus. plur.*, 60, 6. 75, 5. 134, 12, aliisque locis 19.
Ea, 33, 7. 92, 7. 102, 9, aliisque locis 8.

Eadem, 94, 10. 94, 17. 132, 6, aliisque locis 16.
Eadem *ablat.*, 11, 2.
Eam, 30, 3. 74, 2. 86, 10, aliisque locis 12.
Eamdem, 11, 8. 146, 5. 232, 18, 336, 17.
Earum, 44, 3. 132, 1. 238, 4. 336, 6.
Eas, 44, 2. 189, 2. 192, 4, aliisque locis 3.
Eat, 173, 4.
Ebore, 74, 4.
Ebrius, 179, 5.
Ecce, 2, 3.
Echinis, 215, 8.
Edat, 174, 2.
Edisseras, 292, 3.
Edit, 208, 2.
Edita, 105, 3. 275, 5.
Edixit, 50, 4.
Educatus, 24, 2.
Educavi, 101, 6.
Effecerat, 52, 6.
Effecisse, 53, 12. 264, 16.
Effecit, 201, 1.
Effectibus, 149, 13.
Effectu, 149, 19.
Effectum, 232, 14. 294, 10. 299, 12.
Effectus, 237, 2. 264, 10. 266, 17, aliisque locis 2.
Effeta, 228, 14.
Effeto, 5, 4. 22, 1.
Efficacem, 280, 9. 335, 1.
Efficacior, 201, 6.
Efficax, 198, 5. 320, 5.
Efficere, 148, 11, 187, 6. 198, 1. 264, 2.
Efficiendum, 61, 10.
Efficiens, 341, 2.
Efficientia, 246, 11. 267, 18.
Efficientiam, 236, 10.
Efficit, 126, 8. 149, 16. 150, 4, aliisque locis 3.
Effingere, 349, 19.
Efflagito, 170, 7.
Effugere, 352, 5.
Effundendo, 132, 2.
Effuso, 152, 3.
Egeat, 218, 2. 218, 15. 219, 2. 246, 19.
Egebit, 188, 6.
Egens, 179, 8.
Egentem, 107, 2.
Egere, 217, 10. 218, 11.
Egeret, 188, 7.
Eget, 43, 1. 187, 14. 187, 15 *bis*.
Egimus, 281, 17.
Ego, 14, 5. 43, 1. 45, 5, aliisque locis 24.
Egrediare, 248, 9.
Egrediaris, 248, 8.
Eheu, 7, 1. 214, 1.
Ei, 73, 3. 83, 2. 95, 3, aliisque locis 4.
Eidem, 280, 23. 319, 1.
Eis, 123, 2. 131, 3. 146, 7, aliisque locis 10.
Eisdem, 50, 6. 110, 9. 136, 7. 298, 14.
Ejus, 12, 1. 12, 5. 25, 4, aliisque locis 12.
Ejusdem, 44, 4. 271, 4.
Elabi, 281, 9.
Elaborant, 177, 5.
Elaborat, 238, 9.
Eleaticis, 14, 1.
Elegi *nomen*, 3, 1.
Elegisti, 95, 4.
Elementa, 222, 2. 296, 5. 301, 17.
Elementum, 11, 7.
Elephantos, 212, 12.
Elicit, 299, 12.
Eligendæ, 200, 4.
Eliminat, 299, 21.
Elinguem, 24, 6.
Elucet, 119, 6.
Eludere, 92, 4.
Elusus, 78, 3.
Emarcescere, 305, 22.
Emendant, 298, 16.
Emeres, 118, 9.
Emerunt, 298, 9.
Emetiendum, 313, 4.
Emicat, 28, 1.
Eminent, 266, 18.
Eminet, 43, 2.
Eminus, 336, 18.
Emisses, 166, 11.
Emissus, 27, 4.
Emtam, 254, 4.
En, 324, 1.
Enatabimus, 120, 4.
Enatet, 347, 1.
Enervatius, 267, 2.
Enim, 5, 1. 12, 6. 33, 6, aliisque locis 117.
Ense, 286, 2.
Eo *nomen*, 13, 2. 36, 7. 136, 5, aliisque locis 18.
Eo *adverbiam loci*, 186, 3. 212, 2.
Eo loci, 314, 7.
Eo quo magis, 194, 3.
Eo ipso quod, 272, 7.
Eo usque, 92, 4.
Eo, *pro ideo*, 137, 7. 165, 5.
Eodem, 33, 2. 50, 6. 187, 1, 351, 16.
Eorum, 33, 10. 193, 3. 198, 2, aliisque locis 16.
Eos, 135, 4. 193, 10. 194, 1, aliisque locis 10.
Eosdem, 102, 2. 267, 9. 267, 10. 268, 8.
Epicureum, 33, 4.
Epicurus, 179, 1.
Equitandi, 232, 14.
Equitare, 232, 13.
Equos, 174, 6. 285, 4.
Erant, 11, 1.
Erat, 8, 2. 32, 3. 43, 6, aliisque locis 5.
Erectæ, 266, 8.
Ereptæ, 188, 5.
Ereptor, 273, 1.
Erga, 94, 3.
Ergo, 164, 5. 270, 7.
Erigamur, 345, 10.
Eripi, 125, 4.
Eripiat, 188, 4.
Eripies, 212, 5.
Erit, 157, 21. 229, 6. 254, 1, aliisque locis 7.
Errare, 179, 6.
Erras, 94, 3.
Error, 56, 3. 124, 3. 137, 1, aliisque locis 6.
Errore, 33, 10. 36, 2. 327, 7.
Erroris, 242, 4. 336, 12.
Erubescant, 204, 5.
Eructantibus, 146, 2.
Es, 24, 1. 42, 1. 72, 3, aliisque locis 7.
Escas, 182, 3. 183, 8. 239, 5.
Esse, 33, 9. 44, 5. 48, 5, aliisque locis 324.
Essem, 48, 6.
Essent, 131, 3.
Esset, 11, 7. 14, 6. 14, 7, aliisque locis 15.
Est, 9, 3. 14, 11. 23, 1, aliisque locis 402.
Esurire, 188, 12.
Et, 3, 1. 5, 2. 5, 4, aliisque locis 193.
Et *initio periodi*, 132, 7. 136, 1. 231, 8, aliisque locis 9.
Etenim, 158, 6. 158, 10. 165, 5, aliisque locis 17.
Etiam, 10, 7. 53, 3. 54, 4, aliisque locis 67.
Etiamsi, 325, 13. 326, 2. 335, 14.
Etsi, 112, 3. 179, 4. 257, 3, aliisque locis 2.
Eum, 14, 2. 171, 2. 193, 8, aliisque locis 8.
Eumdem, 295, 12.
Eundo, 350, 4.
Euphrates, 316, 1.
Euri, 128, 2.
Euridicen, 254, 114.
Euripi, 97, 2.
Euripidis, 210, 7.
Eurus, 275, 3.
Evacuabo, 352, 1.
Evandri, 310, 5.
Evaseras, 24, 2.
Eveniant, 335, 25. 351, 23. 351, 26.
Eveniat, 297, 26.
Eveniendi, 325, 14. 335, 15.
Evenire, 324, 5. 326, 4. 326, 2, aliisque locis 4.
Evenirent, 335, 25.
Evenit, 272, 28. 306, 12.
Eveniunt, 326, 3. 335, 10.
Eventum, 60, 6. 313, 9. 314, 14. aliisque locis 3.
Eventura, 326, 8. 326, 21. 335, 24. aliisque locis 3.
Eventurum, 325, 5. 326. 15, 351, 3.
Eventus, 55, 7. 326, 6. 326, 11 aliisque locis 5.
Evici, 74, 4.
Evidentius, 267, 19.
Evitari, 326, 12.
Evolet, 222, 4.
Evolvere, 292, 2.
Ex, 87, 1. 87, 4. 94, 14, aliisque locis 66.
Exacerbare, 298, 21.
Exacerbasse, 48, 5.
Exarcerbes, 95, 1.
Exæquatis, 145, 2.
Exæquetur, 273, 3.
Exæstuantis, 97, 2.
Exaggerat, 288, 2.
Exarescere, 238, 4.
Exarmaveris, 40, 4.
Excedere, 344, 11.
Excedunt, 295, 11.
Excellat, 136, 9.
Excellentiam, 58, 5. 133, 7.
Excellenter, 298, 1.
Excellentioribus, 282, 8.
Excellentis, 136, 2.
Excellentissimum, 179, 15.
Excelsa, 279, 18. 352, 25.
Excelso, 350, 16.
Exceperit, 55, 7.
Excepi, 45. 4.
Exceptas, 289, 4.
Excessit, 14, 5.
Excipiat, 106, 3.
Excitans, 341, 5.
Excitantis, 38, 5.
Excitare, 283, 15. 285, 1.
Excitat, 234, 10.
Excitatur, 243, 3,
Excitaveris, 264, 2.
Excitet, 343, 4.
Excitus, 341, 10.
Exclamare, 61, 12.
Exclamat, 204, 2.
Excogitari, 204, 4. 229, 3. 239, 23, aliisque locis 2.
Exegimus, 249, 2.
Exemplar, 43, 8.
Exempli, 280, 19. 311, 2.
Exemplo, 221, 5. 336, 17.
Exemplorum, 198, 3.
Exemplum, 280, 16. 298, 10.
Exemtam, 159, 9.
Exercendi, 304, 4.
Exercere, 102, 1. 147, 8. 268, 17.
Exerceri, 281, 16.
Exercet, 18, 5. 176, 3. 273, 2. 305, 2. 306, 2.
Exercetur, 295, 2.
Exercitatione, 166, 5. 298, 6.
Exercitii, 299, 2.
Exercitus, 36, 1.
Exercuit, 314, 10.
Exeris, 347. 9.
Exhausti, 261, 6. 292, 5.
Exhorreat, 122, 3.
Exhortatio, 312, 2.
Exigeretur, 47, 4.
Exigua, 212, 11.
Exiguæ, 157, 1.

Exigui, 350, 1.
Exiguis, 157, 8.
Exilis, 156, 4.
Existat, 228, 6. 257, 5. 338, 1.
Existendi, 335, 31. 351, 3.
Existendo, 351, 23.
Existere, 228, 5. 230, 8. 313, 14, aliisque locis 2.
Existimant, 297, 3. 298, 15.
Existimare, 229, 20.
Existimari, 72, 3. 109, 4. 149, 7. 265, 27.
Existimas, 86, 6. 111, 8. 257, 13, aliisque locis 3.
Existimat, 320, 1. 335, 3. 336, 11.
Existimatio, 60, 5. 60, 8.
Existimatione, 61, 5. 136, 7.
Existimatis, 157, 2.
Existimaverim, 83, 3.
Existiment, 279, 15.
Existimet, 326, 13.
Existit, 295, 14. 337, 1.
Existunt, 351, 30.
Exitii, 55, 1.
Exitus, 80, 7. 94, 16. 209, 5, aliisque locis 4.
Exoptandas, 94, 18.
Exopto, 279, 14.
Exordiis, 296, 9.
Exordio, 269, 19.
Exordium, 219, 35. 228, 13. 337, 20.
Exorsa, 91, 2. 313, 9.
Exosa, 119, 3. 119, 10.
Expedienda, 312, 2.
Expedire, 334, 8.
Expedita, 334, 4.
Expediunt, 343, 8.
Expellere, 199, 9.
Expendero, 334, 8.
Experimentum, 298, 8.
Experior, 312, 4.
Expertem, 272, 4.
Expertes, 272, 17.
Expertum, 210, 6.
Expertus, 122, 3. 199, 7.
Expetenda, 236, 13. 268, 9. 268, 10. 268, 12. 268, 13.
Expetendæ. 195, 8.
Expetendorum, 219, 10. 232, 7. 232, 11. 266, 20.
Expetendum, 150, 2.
Expeti, 232, 9.
Expetibilis, 147, 1.
Expetitur, 232, 12.
Explendam, 210, 2.
Explere, 268, 17.
Expleri, 188, 17.
Expletur, 188, 17.
Expleturas, 190, 2.
Explicabas, 249, 1.
Explicare, 165, 5. 210, 1. 292, 2. 299, 17.
Explicaret, 246, 11.
Explicari, 264, 11.
Explicat, 340, 9.
Explicata, 294, 6.
Explicatio, 294, 5.
Explicatur, 295, 16.
Explicet, 162, 7. 289, 5.
Exponam, 246, 5.
Exprimere, 349, 23.
Exsilii, 31, 2.
Exsilium, 50, 1. 72, 1. 123, 3.
Exsortes, 83, 6.
Exspectare, 14, 8. 279, 16. 299, 24.
Exspectas, 42, 3.
Exspectationem, 111, 2.
Exspectavi, 171. 2.
Expecto, 219, 30, 232, 3.
Exspoliatum, 86, 3.
Exstat, 208, 6.
Exstet, 159, 6.
Exstincti, 153, 3.
Exstirpare, 84, 13.
Exstiterit, 228, 12.
Exstiturum, 351, 2.
Exsul, 74, 2. 287, 4.
Exsulare, 73, 3.
Exsulat, 301, 15.
Exsulem, 72, 1. 86, 3.
Exsules, 263, 2.
Extendisse, 205, 4.
Extento, 346, 2.
Exteros, 194, 15.
Exteris, 341, 13.
Externa, 133, 13. 249, 3.
Externæ, 221, 2.
Externas, 17, 1.
Externis, 135, 7.
Externum, 249, 4.
Extimescas, 40, 3.
Extimis, 340, 2.
Extimum, 261, 7.
Extimus, 295, 15.
Extra *cum regimine* 337, 6.
Extra *sine regim.*, 124, 3. 237, 17. 238, 12, aliisque locis 5.
Extrema, 228, 14. 272, 18. 280, 3. 320, 8.
Extrema *ablat.*, 14, 8.
Extremam, 156, 2.
Extremo, 11, 4. 76, 3. 153, 6.
Extrinsecus, 176, 8. 188, 6. 229, 17, aliisque locis 6.
Extulisset, 10, 6.
Exuberans, 298, 3.
Exuberat, 121, 1.
Exuit, 307, 6.
Exutus, 61, 5.

F

Fabricii, 163, 1.
Fabula, 254, 13.
Fabulis, 247, 16.
Fac, 171, 8.
Facere, 126, 7. 148, 5. 128, 15, aliisque locis 11.
Facerent, 299, 8.
Faceres, 58, 6.
Faceret, 52, 2.
Faciam, 171, 9.
Faciant, 132, 9. 299, 5. 350, 18.
Facias, 352, 4.
Faciat, 283, 12.
Faciatis, 136, 3.
Facie, 133, 9.
Faciem, 30, 2.
Facienda, 294, 12.
Faciendæ, 294, 9.
Faciendum, 219, 32.
Faciens, 199, 5.
Facientem, 45, 4.
Facientis, 283, 9.
Facientium, 351, 31.
Facies *nomen*, 43, 3. 74, 4. 276, 3. 347, 5.
Faciet, 133, 14. 194, 10, 201, 5.
Facile, 25, 2. 122, 2. 149, 18, aliisque locis 5.
Facili, 139, 2.
Facinoris, 56, 1.
Facinorum, 257, 10. 279, 18.
Facinus, 61, 10.
Facis, 225, 4.
Facit, 74, 6. 94, 14. 94, 18, aliisque locis 12.
Faciunt, 188, 10. 189, 1. 268, 18, aliisque locis 2.
Facta, 324, 6.
Factæ, 53, 9. 148, 2.
Factum, 55, 6. 75, 6. 93, 4, aliisque locis 3.
Facturum, 54, 7.
Factus, 118. 9.
Facultate, 337, 22.
Facultatem, 336, 16.
Facundiæ, 110, 10.
Falce, 173, 3.
Fallacem, 7, 5.
Fallacium, 87, 6.
Fallax, 98, 2. 165, 2. 194, 13, aliisque locis 2.
Falli, 241, 2, 324. 5. 324, 9.
Fallit, 166, 2.
Fallitur, 326, 22.
Fallor, 219, 16.
Falsa, 175, 1. 177, 3. 187, 7, aliisque locis 2.
Falsæ, 94, 5. 118, 1. 219, 13. 219, 16.
Falsi, 55, 8.
Falsis, 32, 1. 87, 4. 149, 18. 204, 3.
Falsitate, 75, 3.
Falsitati, 326, 16.
Falsitatis, 327, 7.
Falso *adverb.*, 53, 4. 204, 5.
Falsum, 158, 19. 217, 9. 280, 8.
Fama, 156, 3. 157, 12. 157, 14, aliisque locis 4.
Fama, 157, 7. 159, 3.
Famæ, 55, 6. 157, 20. 157, 22.
Famam, 158, 4.
Famem, 188, 14.
Familiarem, 200, 3.
Familiares, 33, 9.
Familiaribus, 200, 1.
Familiaris, 121, 2. 201, 6. 297, 22. 298, 21.
Familiaritas, 198, 1.
Familiaritatem, 92, 5.
Familiarium, 54, 1.
Famis, 47, 1.
Famulæ, 101, 11.
Famulantibus, 295, 1.
Famulari, 298, 18.
Famulorum, 134, 3.
Fas, 32, 3. 36, 8. 52, 8, aliisque locis 7.
Fata, 4, 2.
Fatalis, 294, 8. 295, 4. 295, 11, aliisque locis 3.
Fateamur, 187, 5, 218, 15. 240, 3.
Fateare, 188, 3.
Fatebare, 335, 6.
Fatebimur, 52, 4.
Fatebor, 351, 6.
Fateor, 188, 3. 219, 11. 265, 1, aliisque locis 2.
Fati, 292, 9. 295, 10. 295, 19, aliisque locis 2.
Fatigat, 270, 5.
Fatigatum, 299, 24.
Fatigatus, 313, 4.
Fatiscant, 303, 4.
Fatiscere, 328, 12.
Fato, 294, 12. 295, 8. 295, 19.
Fatum, 38, 1. 285, 2. 293, 7, aliisque locis 7.
Faucibus, 48, 2.
Faveret, 7, 3.
Favor, 178, 8.
Favore, 101, 6.
Febris, 213, 4.
Fecerit, 93, 7. 132, 7. 149, 15. 185, 5.
Fecimus, 100, 3.
Fecisset, 283, 8.
Fecit, 50, 8. 98, 4. 133, 15. 148, 5. 201, 5.
Fecundæ, 238, 6.
Fefellit, 84, 5.
Felicem, 8, 1, 111, 7. 118, 1. aliisque locis 6.
Felices, 86, 5. 187. 5, 280, 20.
Felicia, 103, 3. 258, 5.
Felicior, 280, 22.
Feliciores, 280, 13.
Felicis, 4, 1.
Felicissimi, 122, 3.
Felicissimum, 110, 1. 178, 3.
Felicitas, 60, 7. 125, 7. 198, 2, aliisque locis 5.
Felicitate, 298, 5. 298, 18.
Felicitatem, 94, 12. 119, 3. 124, 3, aliisque locis 4.
Felicitatis, 94, 5. 109, 5. 110, 4, aliisque locis 12.
Felix, 6, 1. 99, 2. 121, 3, aliisque locis 7.
Fera, 286, 4.
Feraces, 95, 7.
Feracior, 215, 5.
Feras *verbum*, 347, 10.
Feratur, 125, 11.
Fere, 57, 1. 157, 1. 178, 19. 179, 11.
Ferendum, 13, 22.
Ferire, 39, 2.
Ferit. 29, 1. 211, 6. 341, 8.

Feroces, 202, 2.
Feros, 40, 1.
Ferox, 273, 2.
Ferre, 120, 7. 129, 2. 182, 4, aliisque locis 5.
Fertilis, 21, 1.
Fertur, 97, 2. 309, 6.
Ferunt, 212, 11. 213, 8. 238. 6.
Ferus, 152, 2. 308, 2.
Fervens, 142, 10.
Fervente, 291, 2.
Ferventes, 115, 1.
Fervet, 273, 1.
Fervida, 66, 3. 302, 3.
Fervor, 251, 11.
Festinant, 178, 2.
Festinare, 265, 3.
Festinat, 210, 3. 299. 19.
Festinent, 239, 25. 247, 2.
Festinet, 237, 18.
Festino, 313, 1.
Festive, 158, 17.
Fetuum, 296, 7.
Fiant, 298, 12. 335, 32. 350, 17.
Fiat, 296, 17.
Fida manendi, 94, 13.
Fide, 78, 3. 167, 1, 168, 17. 313, 7.
Fidelibus, 138, 2.
Fidelis, 163, 1.
Fidelium, 166, 28.
Fidem, 60, 1. 248, 19. 301, 19.
Fides, 112, 4. 264, 8.
Fidibus, 181, 6.
Fidis, 168, 24.
Fient, 351, 21.
Fierent, 336, 2. 351, 24.
Fieret, 351, 28.
Fieri, 84, 10. 131, 4. 137, 2, aliisque locis 18.
Fiet, 133, 19.
Figere, 129, 6. 340, 7.
Figit, 315, 2.
Figura, 347, 8.
Figuram, 336, 22. 336, 23. 337, 10.
Figuras, 337, 19. 344, 10.
Figuris, 346, 1.
Filiæ, 122, 1.
Filicem, 173, 3.
Filii, 122, 1.
Filio, 53, 9.
Filios, 210, 4.
Filis, 11, 1.
Fine, 68, 3. 106, 10. 126, 5, aliisque locis 4.
Finem, 176, 4. 186, 2. 187, 3, aliisque locis 3.
Fines, 178, 4.
Fingat, 230, 3.
Fingere, 221, 2.
Fingi, 228, 12.
Fingis, 92, 3.
Fini, 185, 4.
Finierat, 170, 1.
Finiret, 280, 3.
Finiri, 1226, 3. 281, 10.
Finis, 84, 7. 84, 11. 86, 4. 226, 6. 240, 1.
Finiti, 158, 11.
Finitis, 158, 11.
Firma *nomen*, 205, 9. 325, 2.
Firma, 147, 10. 258, 6. 335, 20.
Firma *verbum*, 70, 10.
Firmamentis, 283, 2.
Firmat, 302, 15.
Firmior, 299, 25.
Firmiori, 344, 11.
Firmioribus, 87, 2.
Firmis, 304, 8. 305, 24.
Firmissime, 228, 16.
Firmissimis, 236, 1.
Firmitas, 264, 7.
Firmitate, 24, 3. 238, 12.
Firmitati, 296, 1.
Firmiter, 327, 5. 334, 4.
Firmitudinem, 212, 13.
Firmius, 230, 23.
Firmius, 230, 15.
Fit, 60, 7. 146, 7. 158, 1, aliisque locis 8.
Fiunt, 231, 4. 231, 6. 236, 15, aliisque locis 6.
Fixa, 295, 11.
Fixisti, 239, 27.
Fixit, 309, 2.
Fixum, 265, 6.
Flagellat, 270, 3.
Flagitiosis, 44, 5.
Flagitiosum, 61, 9.
Flagrantes, 299, 9.
Flagrantior, 251, 10.
Flagrares, 171, 5.
Flagrat, 331, 1.
Flamina, 19, 2. 290, 7.
Flammas, 238, 19. 289, 4. 301, 9.
Flammata, 152, 1.
Flammis, 64, 4. 102, 12. 113, 4, aliisque locis 3.
Flatibus, 17, 2. 105, 1. 128, 2.
Flatu, 114, 1.
Flatus, 95, 6.
Flebilibus, 251, 3.
Flebilis, 2, 2.
Flectat, 181, 1.
Flectendis, 335, 28.
Flectere, 254, 7.
Flectit, 184, 2. 301, 6. 302, 11.
Flentes, 7, 2.
Flere, 106, 2. 276, 7.
Fles, 42, 2.
Fletibus, 3, 1. 12, 2. 25, 5.
Fletus, 98, 3.
Flevisti, 76, 1.
Flevit, 308, 1.
Flexa, 18, 5.
Flexeris, 172, 2.
Flexerit, 254, 17.
Flexos, 303, 2.
Florente, 2, 1. 257, 8.
Florere, 287, 6.
Floribus, 20, 4. 102, 3. 133, 12.
Florifer, 302, 2.
Florum, 212, 17.
Fluctibus, 182, 5. 114, 6, 128, 3. 215, 3.
Fluctu, 93, 4. 290, 8.
Fluctus, 70, 8. 270, 4.
Fluens, 106, 11.
Fluente, 190, 1.
Fluentem, 166, 4.
Fluitabunt, 239, 25.
Fluitantes, 61, 7.
Fluitantis, 221, 3.
Fluitare, 86, 7. 317, 1.
Fluituras, 296, 13.
Flumina, 253, 10.
Flumine, 316, 5.
Fluxerit, 349, 9.
Foderet, 314, 7.
Fodiens, 314, 3.
Fodisse, 314, 12.
Fodit, 144, 1.
Fœdatam, 298, 22.
Fœdatus, 61, 5.
Fœdera, 70, 5. 329, 1.
Fœderat, 307, 7.
Fœdere, 70, 10. 168, 21. 301, 1.
Fœdis, 202, 4. 273, 7.
Fœditate, 137, 4.
Fœdum, 205, 4.
Fœdus, 168, 2. 299, 3.
Fomenta, 109, 2. 131, 1.
Fomentis, 87, 6.
Fomes, 243, 5.
Fomitem, 86, 9.
Fons, 228, 7. 302, 12.
Fonte, 303, 4. 314, 15. 316, 1. 328, 12.
Fontem, 226, 2. 250, 2. 327, 4.
Fontibus, 252, 6.
Fore, 44, 2. 248, 13. 281, 21.
Forenses, 188, 4.
Forent, 101, 12. 231, 24.
Foret, 10, 3. 50, 4. 194, 11, aliisque locis 3.
Forinsecus, 343, 2.
Forma, 115, 3. 221, 4. 228, 2. 232. 7. 249, 3.
Forma, 237, 8. 337, 8.
Formæ, 212, 16.
Formaliter 337, 12.
Formam, 178, 20. 217, 1. 219, 12, aliisque locis 10.
Formandi, 337, 19.
Formans, 211, 6.
Formare, 306, 1.
Formares, 43, 9.
Formas, 293, 3. 343, 4.
Formidabilem, 102, 11.
Formidandas, 94, 17.
Formidat, 273, 5.
Formidinum, 199, 9.
Formidolosa, 157, 16.
Formis, 294, 4. 341, 15. 347, 4.
Fors, 96, 2. 517, 2.
Forsitan, 247, 18. 279, 15. 297, 27. 298, 19. 298, 23.
Fortasse, 53, 13.
Forte, 165, 4. 194, 9. 267, 8. 279, 7. 352, 2.
Fortem, 149, 9. 305, 17.
Fortes, 311, 1.
Fortiter, 247, 12.
Fortitudinem, 149, 9.
Fortitudo, 247, 18.
Fortuita, 83, 3.
Fortuitæ, 118, 3.
Fortuitam, 126, 3.
Fortuiti, 314, 8.
Fortuitis, 83, 1. 112, 3. 125, 1. 288, 1. 288, 4.
Fortuito, 314, 4.
Fortuitos, 316, 6.
Fortuitum, 313, 21.
Fortuna, 7, 3. 68, 7. 94, 12, aliisque locis 7.
Fortuna, 111, 5. 150, 2. 178. 11, aliisque locis 3.
Fortunæ, 43, 2. 56, 3. 60, 6, aliisque locis 20.
Fortunam, 38, 2. 50, 8. 76, 1, aliisque locis 11.
Fortunarum, *adversæ et prosperæ*, 86, 6.
Fortunas, 45, 3. 46, 3. 296, 8.
Fortunatissimis, 122, 6.
Fortunatum, 111, 8.
Fortunatus, 166, 11.
Fortunis, 105, 5.
Fovens, 208, 7.
Foverent, 12, 6.
Fovet, 111, 3.
Fovi, 101, 5.
Fragiles, 267, 3.
Fragili, 212, 11.
Fragilis, 166, 3. 228, 15.
Fragilissimæ, 212, 10.
Fragilitas, 264, 6.
Fratre, 152, 2.
Fratris, 64, 4. 307, 3.
Fraude, 188, 5.
Fraudes, 50, 1.
Fraudibus, 61, 8. 75, 4. 273, 3.
Fraus, 53, 5. 69, 8.
Frementi, 290, 8.
Fremit, 273, 4.
Fremitu, 182, 7.
Frena, 106, 9. 168, 14.
Frenis, 73, 1. 90, 5.
Frenos, 317, 2.
Frequentia, 72, 7. 110, 8.
Frigeret, 283, 19.
Frigora, 222, 2, 301, 19.
Frigore, 66, 1. 291, 1.
Frigoribus, 102, 4.
Frigus, 188, 12. 188, 14.
Frondes, 67, 3.
Frondifluæ, 66, 1.
Fronte, 272, 12. 310, 2.
Frontem, 165, 3. 347, 9.
Frontibus, 50, 5.
Fructum, 126, 6. 178, 3. 209, 4.
Fructus, 110, 5. 133, 12. 133, 15.
Fruens, 159, 8.
Fruentes, 211, 2.
Fruenti, 123, 8.
Fruentium, 166, 3. 209, 4.
Fruge, 173, 4.
Frugem, 299, 9.

Frugibus, 102, 3.
Frui, 79, 6. 179, 18.
Frustra, 162, 5. 264, 13. 327, 9, 335, 30. 352, 23.
Frustrabatur, 10. 7.
Fruticibus, 173, 2.
Fucos, 92, 4.
Fudit, 211, 4. 257, 1.
Fueram, 31, 1.
Fuerant, 272, 23.
Fuerat, 146, 4. 237, 10.
Fuerint, 323, 5. 327, 14. 336, 2.
Fueris, 95, 4. 124, 6. 137, 12.
Fuerit, 53, 13. 54, 3. 83, 4, aliisque locis 9.
Fuga, 218, 26.
Fugacibus, 115, 6.
Fugacior, 212, 17.
Fugam, 34, 1.
Fugare, 135, 1. 192, 3. 203, 5.
Fugato *verbum,* 90, 2.
Fugax, 94, 15. 273, 5. 315, 2.
Fugienda, 319, 3.
Fugiendi, 288, 16. 343, 13.
Fugiendo, 112, 6.
Fugiendum, 320, 2.
Fugiens, 94, 14. 129, 3.
Fugit, 211, 5.
Fuisse, 53, 9. 60, 2. 101, 3, aliisque locis, 7.
Fuisset, 72, 4. 335, 15.
Fuit, 143, 1. 247, 17.
Fulgeat, 162, 8.
Fulgent, 105, 4.
Fulgenti, 290, 3.
Fulgere, 134, 1. 212, 5.
Fulgor, 133, 1.
Fulminis, 39, 3.
Fumificos, 39, 1.
Fumosas, 11, 3.
Functus, 194, 9.
Fundamentum, 313, 17.
Fundare, 73, 3.
Fundat, 105, 5.
Fundatur, 219, 34.
Fundere, 88, 3.
Funditur, 27, 3.
Funditus, 38, 5.
Funduntur, 5, 3.
Funera, 251, 1.
Fungi, 149, 4.
Furentes, 40, 2.
Furibundus, 308, 4.
Furiosi, 36, 7.
Furor, 142, 3.
Fuscarent, 57, 5.
Fuscet, 272, 9.
Fusus, 142, 1.
Futile, 205, 10.
Futura, 325, 9. 326, 2. 326, 7, aliisque locis 12.
Futuræ, 94, 15, 352, 22.
Futurarum, 351, 1, 352, 13.
Futuri, 120, 2. 158, 4. 325, 2, aliisque locis 5.
Futuris, 325, 14. 326, 1. 335, 2, aliisque locis 2.
Futurorum, 325, 10. 325, 11. 328, 9, aliisque locis 3.
Futurum, 324, 6. 325, 5. 325, 6, aliisque locis 5.

G

Garrula, 183, 1.
Gaudeamus, 102, 8. 133, 10.
Gaudent, 70, 3. 185, 2. 347, 2.
Gaudentium, 50, 1.
Gaudet, 159, 8. 273, 3.
Gaudetis, 140, 17.
Gaudia, 90, 6.
Gaudiis, 133, 13.
Gaudio, 61, 7. 178, 3.
Gaudium, 308, 5.
Gelidæ, 18, 3.
Gelidi, 153, 7. 261, 2.
Gelidum, 153, 1. 301, 4.
Gemens, 107, 1. 251 2.
Geminans, 252 8.
Gemit, 277, 8.
Gemitus, 98, 4.
Gemmarum, 133, 1. 133, 2. 137, 8.
Gemmas, 143, 3. 214, 4.
Gemmis, 215, 5.
Generatim, 238, 16.
Generatio, 293, 1.
Genere, 228, 9.
Generis, 118, 8. 343, 14.
Genitum, 115, 8.
Gens, 347, 6.
Gentes, 199, 3. 205, 5. 290, 5.
Gentinus, 157, 16.
Gentis, 157, 22.
Gentibm, 157, 18, 195, 7.
Genus, 106, 1. 109, 7. 118, 1 aliisque locis 8.
Geometræ, 231, 1.
Geram, 313, 8.
Gerantur, 350, 11.
Gerenda, 295, 8. 298, 2. 299, 6.
Gerendarum, 295, 5.
Gerendis, 155, 2. 293, 5.
Gerens, 22, 1. 221, 6.
Gerentis, 314, 9.
Gerere, 165, 1. 193, 4.
Geret, 168, 16.
Geri, 297, 23.
Geritur, 95, 2. 271, 4. 297, 18. 314, 1.
Germanici, 53, 8.
Germen, 208, 2.
Gerunt, 305, 4.
Geruntur, 271, 4. 271, 7. 314, 13.
Gesserint, 299, 6.
Gestabat, 12, 1.
Gestare, 273, 4.
Gestat, 350, 2.
Gestent, 182, 2.
Gestorum, 75, 2.
Gestio, 165, 4.
Gestiunt, 162, 5.
Gigantes, 247, 17.
Gignendi, 239, 10.
Gignitur, 296, 3.
Gladii, 199, 8.
Gladiis, 200, 5.
Gladio, 56, 5.
Gladium, 137, 9.
Gladius, 154, 4.
Glande, 139, 3. 277, 4.
Globi, 156, 7.
Globum, 260, 2.
Glomerantur, 26, 3.
Glomeravit, 223, 3.
Gloria, 4, 1. 157, 8. 157, 17. 159, 5. 204, 1.
Gloria, 157, 21. 217, 4. 219, 4.
Gloriæ, 156, 3. 305, 18.
Gloriam, 110, 10. 158, 19. 150, 3, aliisque locis 6.
Gloriantur, 199, 11.
Gloriari, 133, 11.
Gloriosæ, 298, 9.
Gloriosum, 178, 2. 205, 7.
Gnatæ, 307, 7.
Gradiens, 351, 27.
Gradientem, 351, 15.
Graditur, 351, 15.
Gradu, 8, 2.
Gradum, 262, 8.
Gradus, 11, 6.
Grajæ, 307, 4.
Gramina, 277, 10.
Grassanti, 36, 7.
Grata, 134, 1. 211, 4.
Gratas, 183, 7.
Grates, 86, 8.
Gratia, 178, 10. 232, 15. 314, 1.
Gratiæ, 328, 6.
Gratiam, 101, 8. 205, 8.
Gratius, 174, 3.
Gravata, 347, 10.
Grave, 77, 1. 283, 14.
Gravem, 14, 9. 154, 3.
Graves, 45, 1. 301, 21.
Gravi, 182, 7. 216. 7.
Gravibus, 22, 2.
Gravidis, 21. 2.
Gravior, 309, 4.
Graviores, 93, 10.
Gravioribus, 281, 24.
Gravis, 47, 1. 173, 4. 195, 2. 250, 3. 302, 1.
Gravitate, 256, 1.
Gressibus, 347, 2.
Gubernacula, 44, 6.
Gubernaculis, 84, 2. 86, 5. 245, 6, 248, 17.
Gubernaculum, 246, 24
Gubernans, 68, 3.
Gubernare, 247, 1.
Gubernas, 220, 1.
Gubernatione, 86, 10.
Gurgite, 190, 1.
Gurgitis, 316, 8.

H

Habe, 101, 8.
Habeant, 120, 4, 195, 8. 336, 11.
Habeat, 137, 8. 188, 1. 209, 5, aliis que locis 4.
Habeatur, 273, 5. 280, 18.
Habebat, 18, 6.
Habebatur, 195, 3.
Habebit, 246, 20.
Habemus, 86, 9.
Habenas, 65, 3. 181, 1. 262, 2. 302, 11.
Habendi, 106, 12. 142, 10.
Habenis, 202, 4. 317, 1.
Habent, 237, 16. 281, 3. 336,, 3. 336, 6, 345, 12.
Habentes, 149, 18. 201, 2.
Habenti, 137, 5, 212, 5.
Habentis, 229, 18.
Habere, 132, 10. 156, 8. 179, 18, aliisque locis 9.
Haberes, 108, 2.
Habes, 101, 8. 158, 6. 178, 19, aliisque locis 3.
Habet, 45, 2. 53, 6. 80, 7, aliisque, locis 12.
Habitaculi, 157, 9.
Habitæ, 229, 18.
Habitans, 233, 3.
Habitet, 229, 1.
Habitu, 331, 7.
Habitum, 92, 1. 171, 2. 283, 20.
Habitus, 43, 6.
Habitus, 33, 9.
Habiturum, 349, 12.
Habuisse, 92, 7, 282, 14. 335, 26. 329, 12.
Habuit, 56, 1.
Hac, 83, 5. 87, 1. 93, 9, aliisque locis 10.
Hactenus, 217, 1. 281, 17. 334, 4.
Hæ, 12, 6. 129, 1. 212, 1. 314, 8.
Hæc *singular.*, 14, 6. 94, 10. 97, aliisque locis 38.
Hæc *nomin. neut.* 90, 6. 108, 6. 109, 1, aliisque locis 18.
Hæc *accus. neutr.*, 9, 1. 25, 4. 42, 1, aliisque locis 19.
Hæccine *singul.*, 43, 3.
Hæccine *plur. nomin.*, 131, 20.
Hæccine *plur. accus.*, 44, 1.
Hæreant, 110, 3.
Hærent, 12, 1. 238, 6.
Hærentia, 343, 12.
Hærere, 149, 5.
Hæret, 213, 2.
Hæserit, 296, 1.
Hanc, 27, 4. 44, 1. 44, 4, aliisque locis 15.
Harum, 11, 4. 345, 4.
Has, 3, 2. 12, 4. 31, 2, aliisque locis 4.
Haud, 30, 1. 54, 1. 92, 8, aliisque locis 5.
Haudquaquam, 334, 3.
Haurire, 93, 5.
Hauserat, 252, 6.
Hausi, 30, 1.
Haustibus, 93, 7.
Haustum, 299, 25.
Hebet, 16, 2.
Hebetata, 113, 3.
Hebetavit, 33, 11. 84, 8.
Hebetes, 347, 5.
Herba, 140.

Herbas, 238, 3.
Herbipotens, 276, 2.
Herbis, 238, 1.
Hercule, 148, 7.
Herculem, 308, 6.
Heredi, 121, 4.
Hereditatem, 33, 3.
Hermus, 204, 5.
Hesperias, 20, 1. 184, 5.
Hesperus, 65, 2. 168, 5.
Hesternum, 348, 12.
Heu, 2, 2. 16, 1. 22, 4, aliisque locis 3.
Hi, 84, 11. 94, 3. 177, 7, aliisque locis 5.
Hians, 188, 16.
Hiante, 84, 5.
Hiantium, 48, 2.
Hiatus, 106, 8.
Hic, 17, 4. 60, 5. 123, 2, aliisque locis 15.
Hic *adverb. loci*, 234, 1. 234, 2. 262, 1, aliisque locis 5.
Hinc, 230, 14, 262, 8. 264, 8, aliisque locis 5.
His, 14, 3. 14, 10. 108, 1, aliisque locis 22.
Hisceres, 108, 2.
Hoc, 35, 5. 52, 6. 61, 2, aliisque locis 53.
Hoc ipsum, 336, 5.
Hoc est, 313, 16.
Hoc *ablat.* 35, 4. 133, 157, 5, aliisque locis 19.
Hoc ipso, quod, 60, 2. 349, 22.
Hoccine, 85, 3.
Hodierna, 349, 1.
Homerus, 322, 2.
Homine, 147, 5.
Hominem, 84, 12. 85, 1. 112, 3, aliisque locis 7.
Homines, 54, 3. 70, 7. 83, 6, aliisque locis 20.
Homini, 299, 16.
Hominibus, 136, 11. 157, 5, 165, 2, aliisque locis 4.
Hominis, 148, 10. 205, 6, 272, 27.
Hominum, 6, 1. 10, 1. 10, 5, aliisque locis 24.
Homo, 85, 2. 94, 1 100, aliisque locis 3.
Honestate, 75, 3.
Honestissima, 210, 3.
Honestissimorum, 59, 1.
Honor, 146, 8. 194, 10.
Honorabilem, 192, 1.
Honore, 212, 6. 218, 10. 287, 5.
Honorem, 218, 32.
Honores, 101, 10. 146, 6. 178, 20, aliisque locis 5.
Honoribus, 106, 5, 177, 6. 193, 3, aliisque locis 2.
Hora, 7, 4. 112, 3.
Hora, 99, 2.
Horas, 20, 3. 66, 4.
Horribilis, 166, 9.
Horribilius, 257, 13.
Horrida, 142, 2. 182, 5.
Horum, 101, 2. 133, 11. 134, 6, aliis que locis 9.
Hos, 159, 3. 280, 19. 298, 8.
Hospes, 112, 1. 111, 3.
Hospite, 148, 7.
Hospites, 148, 7.
Hospitibus, 275, 6
Hospitis, 276, 13.
Hosticus, 142, 3.
Huc, 233, 1. 262, 5. 268, 9.
Huic, 50, 5. 121, 1. 157, 3, aliisque locis 10.
Hujus, 59, 3. 74, 3. 119, 3, aliisque locis 8.
Hujusmodi, 158, 16. 218, 4. 219, 23, aliisque locis 5.
Humana, 199, 3. 218, 23, 237, 9, aliisque locis 2.
Humana, 272, 27. 327, 2.
Humanæ, 123, 7. 136, 8. 178, 29, aliisque locis 2.
Humanam, 272, 25. 282, 15. 345, 9.
Humanarum, 43, 5, 327, 9.
Humanas, 320, 5.
Humani, 56, 2. 118, 8. 272, 24, aliisque locis 3.
Humanis, 112, 2. 271, 8. 327, 6. 327, 17.
Humanitatis, 304, 13.
Humanorum, 120, 10, 178, 7. 229, 2, aliisque locis 2.
Humanum, 106, 1. 136, 4. 297, 25 328, 11.
Humanus, 217, 8.
Humeros, 310, 7.
Humi, 4, 4.
Humida, 301, 18.
Humile, 162, 10.
Humilem, 98, 2.
Humiles, 352, 25.
Humili, 129, 5.
Humilitate, 212, 6.
Humilitatis, 328, 6.
Humum, 14, 10. 282, 10. 314, 3. 314, 7.
Hunc, 12, 4. 14, 1. 102, 7, aliisque locis 12.
Huccine, 83, 1.
Hybernum, 188, 13.
Hydra, 310, 1.
Hydræ, 292, 7.
Hyemem, 302, 5.

I

Ibi, 219, 14.
Icta, 211, 6.
Ictibus, 170, 5.
Ictu, 103, 3, 323, 6. 337, 12. 352, 11.
Id, 50, 3. 53, 1. 72. 1, aliisque locis 18.
Id ætatis *pro*, *ejus ætatis*, 119, 6.
Id genus, *pro*, *ejusmodi*, 258, 5.
Id locorum, 157, 15.
Idcirco, 111, 8. 122, 1. 134, 11, aliisque locis 6.
Idem, 126, 1. 219, 5. 219, 19, aliisque locis 12.
Idem *eamdem rem*, 54, 5. 150, 2. 232, 6.
Idem ipsum, 266, 4. 271, 6.
Ideo, 106, 1. 325, 5. 326, 3. 326, 7.
Idipsum, 239, 20. 248. 15, 365, 17, aliisque locis 4.
Igitur, 44, 7. 82, 1. 85, 2, aliisque locis 143.
Ignaram, 166, 4.
Ignarus, 331, 9.
Igne, 225, 4. 292, 8. 301, 3. 330, 7.
Ignes, 39, 1.
Ignibus, 142, 9.
Igniculo, 213. 4.
Ignis, 194, 12. 222, 3. 239, 2. 260, 5, 301, 20.
Ignobile, 218, 9.
Ignominiosus, 287, 4.
Ignorabas, 102, 10.
Ignorabiles, 164, 5.
Ignorantes, 297, 18.
Ignorantia, 214, 2.
Ignorantiæ, 125, 8. 267, 2.
Ignorare, 136, 11. 239, 28.
Ignoras, 73, 2. 86, 4.
Ignorat, 179, 5. 337, 17.
Ignorata, 257, 4.
Ignorata, 288, 5.
Ignores, 84, 11. 288, 7
Ignoret, 122, 3.
Ignoro, 209, 5.
Ignorus, 121, 2.
Iidem, 266, 22 *bis*. 268, 5. 281, 5, 286, 2.
Iis, 92, 4.
Iisdem, 302, 1.
Illa *singular.*, 14, 8. 32. 1. 71, 1, aliisque locis 39.
Illa *plural.*, 232, 15.
Illa ipsa, 293, 9.
Illabuntur, 42, 1.
Illacrymat, 122, 1.
Illæ, 150, 1. 209, 3.
Illæsum, 118, 5.
Illam, 73, 2. 112, 5. 166, 4, aliisque locis 7.
Illas, 187, 9.
Illatam, 283, 12.
Illatas, 158, 20.
Illatio, 280, 5.
Illatione, 280, 10.
Illator, 283, 10.
Illatum, 230, 13.
Ille, 8, 2. 14, 3. 24, 1, aliisque locis 29.
Illecebris, 94, 5.
Illi *singul.*, 295, 16. 305, 19. 328, 7. 528, 10.
Illi *plura*, 36, 5. 50, 2. 60, 1, aliisque locis 4.
Illic, 252, 3. 291, 4. 301, 1. 345, 11.
Illico, 71, 3. 194, 14.
Illis, 120, 3. 230, 13. 279, 19. 297, 9.
Illi!a, 183, 3.
Illius, 52, 5. 92, 3. 110, 6, aliisque locis 6.
Illo, 327, 1. 337, 12. 349, 2.
Illorum, 335, 29.
Illos, 50, 8. 197, 5.
Illud, 58, 4. 118, 7. 125, 3, aliisque locis 38.
Illum, 38, 4. 87, 5. 186, 2, aliisque locis 2.
Illuminat, 282, 4.
Illusarum, 25, 1.
Illuserit, 158, 17.
Illustrant, 234, 8.
Illustrare, 192, 3.
Illuxerit, 87, 2.
Imaginabile, 344, 3. 344, 8.
Imaginabilem, 337, 17.
Imaginabilia, 337, 14.
Imaginandi, 344, 13.
Imaginaria, 337, 21.
Imaginatio, 336, 21. 336, 22. 337, 6, aliisque locis 3.
Imaginatione, 337, 11. 337, 14. 337, 18.
Imaginationem, 345, 7.
Imaginationi, 344, 5.
Imaginationis, 337, 10.
Imagine, 186, 1. 221, 6, 223, 5.
Imaginem, 350, 2.
Imagines, 11, 3. 171, 7. 219, 25, aliisque locis 3.
Imago, 228, 6.
Imbecilles, 258, 3. 265, 14. 266, 6.
Imbecillioris, 218, 1.
Imbecillis, 45, 3. 264, 18.
Imbecillitas, 264, 6.
Imbecillitate, 267, 17.
Imbecillitatis, 200, 2.
Imbecillius, 147, 5.
Imbecillum, 147, 5.
Imber, 302, 5.
Imbre, 102. 12.
Imbribus, 27, 1.
Imbriferos, 174, 4.
Imbuit, 182, 10.
Imbuti, 60, 2.
Imitatur, 349, 19
Imitetur, 265, 20.
Immani, 308, 3.
Immemor, 244, 2. 262, 6.
Immensi, 260, 2.
Immensum, 17, 3. 70, 9. 181, 2.
Immergitur, 273, 8.
Immerito, 136, 8.
Imminentem, 61, 8.
Imminutione, 228, 8.
Immitem, 309, 6.
Immites, 252, 1.
Immo, 305, 9.
Immobilem, 249, 6. 295, 5.
Immobilibus, 343, 10.
Immobilis, 296, 9. 349. 18.
Immobilitate, 349, 20.
Immortalis, 279, 17.
Immortalitas, 157, 23.
Immortalitatem, 158, 4.
Immotis, 114, 6.
Immundis, 273, 7.
Immutabiles, 296, 10.
Immutare, 52, 7.

Imparem, 170, 5.
Impatientem, 101, 5.
Impatientia, 95, 4.
Impatientiæ, 123, 5.
Impediendi, 52, 4.
Impediri, 335, 3.
Impedisse, 52, 2.
Impedit, 301, 4.
Impellerent, 95, 6.
Impendisse, 103, 2.
Imperabis, 147, 9.
Imperante, 257, 8.
Imperet, 168, 6. 199, 4.
Imperfecta, 219, 25. 228, 16. 228, 15,
Imperfecti, 228, 1.
Imperfectum, 217, 9. 228, 8 *bis*. 228. 9. 228, 11.
Imperia, 199, 3.
Imperio, 72, 6.
Imperiosæ, 14, 6.
Imperitans, 168, 13.
Imperium, 146, 3.
Impermista, 326, 16.
Impetrent, 328, 8.
Impetum, 45, 4. 96, 1.
Impia *singul.*, 7, 6.
Impio, 56, 4.
Impios, 53, 11.
Impleat, 265, 19.
Implentem, 265, 20.
Implere, 279, 9. 349, 23.
Implicatur, 295, 19.
Implicet, 316, 6.
Implicitæ, 212, 3.
Implicitam, 312, 4.
Implorati, 219, 32.
Imponere, 350, 6.
Importat, 336, 5.
Importet, 199, 2.
Importuna, 298, 20.
Imposita, 205, 15.
Impotens, 252, 7.
Impotentiâ, 199, 5. 266, 14.
Impotentis, 40, 4.
Imprecer, 216, 5.
Impressas, 341, 4.
Imprimi, 340, 3.
Improbi, 194, 6. 281, 4. 181, 8, aliisque locis 3.
Improbis, 44, 5. 45, 1. 149, 16, aliisque locis 6.
Improbissimum, 146, 1. 149, 7.
Improbitas, 271, 13. 272, 10. 272, 18, aliisque locis 2.
Improbitate, 305, 14.
Improbitatis, 281, 19.
Improborum, 35, 3. 195, 6. 287, 2.
Improbos, 32, 6. 194, 5. 268, 1, aliisque locis 9.
Improbum, 283, 4.
Improbus, 197, 3.
Improvisus, 314, 5.
Imprudentia, 33, 9. 52, 7.
Impune, 194, 5.
Impunita, 46, 1. 257, 6.
Impunitas, 281, 6.
Impunitate, 61, 10. 281, 8. 281, 29.
Impunitatem, 282, 6.
Impuniti, 281, 24.
Impunitos, 280, 17. 281, 9. 281, 19,
Imputare, 118, 2.
In *cum accusat.*, 11, 6. 14, 2. 14, 7, aliisque locis 114.
In locum, 257, 9.
In orbem, 242, 1.
In perpetuum, 238, 16.
In præmiun, 305, 5.
In quantum, 237, 14.
In totum *omnino*, 332, 4.
In vicem *instar.*, 340, 12.
In *cum ablat.*, 11, 4. 11, 5. 13, 2, aliisque locis 150.
In cognoscendo, 337, 21.
In discernendo, 343, 7.
Inaccessæ, 328, 8.
Inæstimabilem, 328, 6.
Inæstuat, 77, 2.
Inane, 118, 3. 164, 2. 195, 1. 205, 10.
Inanem, 313, 12. 344, 6.
Inanes, 158, 14.
Inanibus, 133, 13.
Inanimata, 258, 18.
Inanimatæ, 135, 10.
Inanimatis, 238, 1.
Incanduit, 76, 2.
Incedens, 266, 18.
Incedere, 265, 25. 351, 15. 351, 16.
Incelebris, 35, 1.
Incepta, 45, 5.
Incerta, 56, 3. 239, 17. 325, 2. 326, 20. 327, 3.
Incerti, 327, 5. 336, 9.
Incertus, 327, 3.
Incessere, 93, 1.
Incessui, 266, 19.
Incipe, 175, 2.
Incipiens, 248, 10.
Incipit, 96, 2.
Incitant, 168, 18.
Incitata, 346, 3.
Incitus, 105, 1.
Inclarescant, 193,3.
Includam, 119, 2.
Inclusa, 345, 14.
Inclusus, 121, 2.
Incolatur, 157, 3.
Incolentibus, 123, 3.
Incolumis, 118, 7. 200, 3.
Incolunt, 157, 9.
Incomitatum, 32, 4.
Incomwutabilitate, 296, 13.
Inconstans, 273, 6.
Inconsummatis, 228, 12,
Inconvulsa, 258, 1.
Incorrupta, 246, 25. 320, 4,
Incredibile, 279, 7.
Increpitus, 14, 2.
Increpuisti, 75, 6.
Increpuit, 305, 18.
Incubuerit, 36, 4.
Incubuit, 76, 5. 120, 41.
Inde, 45, 1. 264, 8.
Indeclinabilem, 296, 11.
Indecores, 197, 4.
Indefensi, 57, 1.
Indeflexa, 328, 3.
Indica, 203, 1. 276, 8.
Indicium, 94, 15. 266, 8.
Indicta, 47, 1. 352, 26.
Indigeat, 217, 10.
Indigebit, 246, 19.
Indigentem, 187, 18.
Indigentis, 188, 11.
Indigentia, 188, 11. 188, 15.
Indigentiam, 133, 17. 135, 2. 189, 1.
Indigere, 135, 5. 177, 4. 179, 6. 218, 10.
Indignari, 305, 17.
Indigne, 299, 1.
Indignemur, 192, 4.
Indignissima, 281, 17.
Indignitas, 193, 3.
Indignos, 149, 17. 193, 7.
Indignum, 352, 15.
Indiscreta, 327, 15.
Indiscreta, 265, 7.
Indiscreto, 103, 3.
Indissolubili, 11, 1. 296, 8.
Individuitate, 295, 15.
Indivisum, 217, 8.
Indolui, 46, 5.
Induantur, 87, 4.
Indubitata, 313, 7.
Indubitato, 239, 16.
Induerat, 158, 19.
Induit, 259, 3.
Indulgentius, 101, 6.
Induruerunt, 76, 8.
Indus, 234, 6.
Inefficaces, 352, 23.
Inertes, 311, 2.
Inerti, 139, 1.
Inesse, 5, 2. 112, 2. 149, 9, aliisque locis 4.
Inesset, 149, 1.
Inest, 122, 2. 134, 8. 193, 9, aliisque locis 8.
Inevitabili, 314, 11.
Inevitabiliter, 326, 21.
Inexhausta, 150, 13.
Inexhausti, 10, 2.
Inexorabile, 165, 1.
Inexorabiles, 45, 1.
Inexpertus, 122, 3.
Inexpleta, 102, 6.
Inexpletam, 149, 13.
Inexplicabilis, 47, 1.
Inexpugnabiles, 298, 10.
Inextricabilem, 248, 7.
Infecta, 290, 2.
Infelices, 60, 8. 283, 4.
Infelicior, 281, 2.
Infeliciorem, 281, 21.
Infeliciores, 279, 7. 280, 17. 281, 8. 283, 2.
Infelicissimam, 281, 21.
Infelicissimos, 280, 2.
Infelicissimum, 117, 4.
Inferendum, 283, 8.
Inferentis, 283, 13.
Inferior, 337, 5. 347, 11.
Inferiora, 321, 1.
Inferiore, 11, 7.
Inferiorem, 337, 4.
Infernas, 252, 2.
Inferos, 254, 19.
Inferre, 231, 2. 325, 14.
Inferrent, 44, 6.
Inficiabimur, 52, 3.
Inficiari, 117, 2.
Inficit, 272, 19.
Infima, 102, 8. 136, 5. 162, 11. 340, 21.
Infimis, 102, 8. 136, 2. 234, 11. 350, 15.
Infinita, 158, 5. 294, 3. 350, 11.
Infinitæ, 349, 6.
Infinitam, 280, 4. 349, 21.
Infinitate, 349, 4.
Infinitatem, 349, 10.
Infiniti, 158, 11. 236, 3. 257, 12.
Infinitis, 46, 1.
Infinitum, 229, 9. 350, 3.
Infinitus, 349, 19.
Infirma, 322, 5.
Infirmitas, 213, 3. 266, 10. 268, 15.
Infirmus, 297, 26.
Inflammare, 56, 4.
Inflammata *singul.*, 12, 3.
Inflectens, 242, 1.
Influat, 21, 2.
Influentibus, 76, 7.
Informare, 172, 1.
Infortunata, 258, 4.
Infortunii, 118, 1.
Infortunio, 118, 7. 210, 7. 279, 11, aliisque locis 2.
Infortunium, 201, 5. 281, 3.
Infra, 133, 6. 136, 5, 136, 10, aliisque locis 3.
Infructuosis, 12, 7.
Infuderis, 133, 19.
Ingemiscis, 101, 9.
Ingemiscit, 118, 10.
Ingenii, 56, 3. 110, 9. 119, 6.
Ingenio, 119, 1. 299, 16.
Ingenium, 134, 2.
Ingenuum, 173, 1.
Inglorius, 205, 7.
Ingratas, 7, 6.
Ingravare, 347, 5.
Ingruentium, 110, 6.
Inhabitanti, 157, 5.
Inhabitare, 74, 2.
Inhærens, 294, 1.
Inhorrescere, 102, 5.
Inhorruit, 79, 2.
Inimica, 134, 5. 238, 22.
Inimicum, 201, 5.
Inimicus, 201, 6.
Iniqua, 299, 8,
Iniquæ, 352, 19.
Iniqui, 69, 6.
Iniquior, 296, 20.
Iniquis, 270, 10.
Iniquissimum, 327, 11.
Iniquitatis, 281, 7.
Iniquum, 281, 10.

Iniquus, 154, 3.
Inire, 2, 2.
Initium 349, 12.
Injucundum, 133, 19.
Injungere, 335, 11.
Injuria, 45, 5. 54, 1. 187, 10, aliisque locis 5.
Injuriæ, 257, 3. 283, 10.
Injuriam, 46, 3. 100, 3. 102, 10, aliisque locis 4.
Injurias, 158, 21.
Injuriis, 118, 10.
Injurius, 95, 4.
Injusta, 69, 3. 281, 8. 281, 22.
Injustæ, 33, 3. 287, 12.
Injustas, 286, 4.
Injusti, 75, 6.
Injustum, 281, 12.
Innasci, 238, 3.
Innocens, 59, 1.
Innocentiæ, 50, 9.
Innocentiam, 53, 13. 55, 3. 55, 7. 297, 27.
Innocentis, 32, 4.
Innotuit, 94, 7.
Innumerabiles, 292, 6.
Innumeras, 50, 1.
Innumeri, 70, 2.
Innutritum, 14, 1.
Inopem, 101, 4.
Inopes, 132, 7. 132, 10.
Inopia, 298, 21.
Inopia, 47, 2.
Inopina, 5, 1.
Inopinabile, 305, 11.
Inopinabiles, 304, 9.
Inopinatum, 314, 13.
Inopinatus, 314, 6.
Inops, 158, 1. 287, 4.
Inquam, 31, 2. 54, 8. 82, 3, aliisque locis 136.
Inquies *nomen*, 273, 2.
Inquies *verbum*, 124, 5. 137, 6. 188, 13, aliisque locis 5.
Inquirendum, 228, 3.
Inquis, 336, 5.
Inquisita, 84, 4.
Inquit, 12, 4. 23, 1. 25, 1, aliisque locis 87.
Inrubuit vel irrubuit, 114, 2.
Insani, 154, 2.
Insaniat, 268, 5.
Insanum, 114, 3.
Inscii, 145, 2.
Insciti, 291, 7.
Inscitia, 124, 4.
Inscitia, 267, 1.
Inscitiæ, 321, 2.
Inscitiam, 246, 1.
Insectabare, 93, 2.
Inseparabili, 272, 1.
Insequendi, 283, 30.
Inserant, 192, 3.
Inserit, 6, 2. 340, 20.
Inserta, 177, 2.
Inserviente, 295, 2.
Inseruit, 44, 9.
Insidentibus, 110, 9.
Insidiator, 273, 3.
Insidiis, 212, 7.
Insigne, 297, 17. 299, 7.
Insigniti, 11, 6. 50, 5.
Insignitur, 343, 5.
Insita, 58, 1. 221, 3.
Insiti, 256, 2.
Insitis, 248, 19.
Insitum, 135, 7.
Insitus, 108, 7.
Insolentia, 157, 11.
Insolubilibus, 149, 15.
Insonare, 108, 6.
Insontes, 61, 11. 68, 7.
Inspectantes, 53, 14.
Insperata, 92, 6.
Insperato, 279, 18.
Instabilem, 166, 1.
Instabilitas, 125, 6.
Instantiæ, 350, 14.
Instar, 351, 26.
Instillabas, 58. 3.
Instituta *substant.*, 93,9. 157, 18,
Instituti, 35, 3. 60, 3.
Instrepit, 341, 9.
Instruit, 166, 2.
Instrumentum, 343, 1.
Insufficientiam, 187, 16.
Insulæ, 275, 3.
Insultans, 158, 22.
Insuper, 12, 6.
Integer, 166, 11.
Integra, 335, 12.
Integris, 228, 13. 229, 8.
Integritate, 297, 2. 336, 12.
Integrum, 277, 5.
Intellectum, 296, 2.
Intellexeram, 159, 1.
Intelligam,82, 3.
Intelligas, 268, 1.
Intelligendum, 266, 9.
Intelligentia, 336, 21. 337, 7. 343, 14.
Intelligentiæ, 293,6. 337, 1. 345, 10.
Intelligentiam, 345, 2.
Intelligis, 158, 23. 165, 4.
Intelligit, 209, 6.
Intelligitis, 136, 2.
Intelligitur, 230, 5.
Intelligo, 92, 3. 231, 22.
Intemerata, 352, 18.
Intemperans, 273, 14.
Intemperantia 267, 3.
Intemperiem, 238, 13.
Intempestivi, 5, 3.
Intendebatur, 314, 2.
Intendit, 314, 11.
Intenta, 23, 2.
Intentio, 84, 7. 178, 8. 179, 11, aliisque locis 3.
Intentionem, 237, 18. 256, 3. 265, 2.
Intentione, 239, 4. 239, 11. 247, 2. aliisque locis 2.
Inter, 11, 5. 44, 7. 95. 7, aliisque locis 13.
Interdum, 239, 10.
Interea, 302, 10.
Intereant, 238, 9.
Interempto, 152, 2.
Interesse, 282, 12.
Interim, 343, 4.
Interiora, 93, 6.
Interiore, 238, 12.
Interire, 237, 4. 237, 7. 237, 12. 238, 5.
Interitum, 86, 7. 237, 15. 237, 18.
Interius, 171, 4. 219, 18.
Interminabilem, 158, 10. 349, 14.
Interminabilis, 348, 8. 349, 7. 349, 15.
Interrogas, 85, 3.
Interrogo, 187, 8.
Intextum, 11, 5.
Intima, 251, 10, 332, 3.
Intimam, 297, 6.
Intimi, 241, 3.
Intimus, 295, 13.
Intolerabiles, 209, 3.
Intolerabili, 92, 5.
Intra, 50, 4. 95, 1. 103, 8, aliisque locis 4.
Intrasses, 137, 10.
Intrepidum, 251, 6.
Intrinsecus, 343, 3.
Introeas, 248, 8.
Introieris, 248 8.
Introitus, 147, 7.
Introrsum, 243, 2. 341, 14.
Introspectis, 212, 19.
Intueamur, 246, 16. 348, 3.
Intuearis, 238, 3.
Intuemur, 365, 27.
Intuens, 14, 9.
Intuentur, 282, 5.
Intueri, 94, 16. 171, 8. 217, 7, aliisque locis 4
Intueris, 217, 2.
Intuetur, 336, 18. 352, 4.
Intuitu, 134, 1. 350, 24.
Intuitum, 10, 8. 30. 3. 87, 5, aliisque locis 5.
Intuitus, 321, 5. 350, 19. 350, 28. 352, 9.
Intumescit, 133, 12.
Intus, 269, 9. 277, 13. 341, 11.
Invehens, 243, 1.
Invehuntur, 298, 16.
Inveni, 86, 2.
Inveniat, 314, 4. 331, 8.
Invenio, 237, 17.
Invenisse, 210, 5.
Invenisti, 166, 13.
Invenitur, 198, 5.
Inventum, 314, 8.
Investiganda, 219, 11.
Investigandum, 231, 22.
Invexere, 321, 3.
Invicem, 158, 11. 168, 15. 231, 24, aliisque locis 4.
Invicta, 257, 2.
Invicta, 24, 3.
Invictam, 298, 10.
Invicto, 266, 12.
Invictum, 38, 3.
Invidia, 32, 2.
Inviolabiliter, 229, 14.
Inviolatum, 118, 6.
Invisus, 197, 1.
Invitari, 61, 11.
Invito, 188, 4.
Invitis, 188, 2.
Invocandum, 219, 33.
Insolvit, 162, 10.
Inusitatum, 94, 2.
Inutiles, 36, 5.
Ipsa *singul.*, 11, 3. 45, 3. 45, 4, aliisque locis 22.
Ipsa *abl.*, 61, 11. 94, 4. 282, 11, aliisque locis 3.
Ipsa *neutr. nomin.*, 185, 3. 200, 1, 213, 8, aliisque locis 3.
Ipsæ, 189, 1.
Ipsam, 171, 8. 218, 25. 230, 12, aliisque locis 8.
Ipsam illam, 337, 2.
Ipsarum, 149, 19. 231, 15.
Ipsas, 247, 18. 238, 3. 296, 10.
Ipse, 9, 1. 56, 2. 72, 4, aliisque locis 18.
Ipsi *dat.*, 134, 4. 334, 3.
Ipsi *plural.*, 57, 4. 177, 8. 199, 12 aliisque locis 5.
Ipsis, 48, 2, 69, 7. 149, 1 aliisque locis 4.
Ipsius 100, 1. 166, 5. 232, 18. 297, 10.
Ipso, 232, 21. 242, 5. 258, 3.
Ipsorum, 52, 5. 336, 13.
Ipsos, 215, 3. 298, 16, 318,3.
Ipsum, 10, 6. 112, 2. 157, 9, aliisque locis 17.
Ira, 76, 5. 270, 3.
Iræ, 273, 4.
Iram, 40, 4.
Iras, 130, 2. 182, 10. 310, 5.
Iratis, 283, 16.
Ire, 17, 1. 18, 1. 33, 5, aliisque locis 4.
Irreflexo, 310, 8.
Irrepserit, 84, 6.
Irresoluto, 181, 4.
Irridemus, 36, 6.
Irrigat, 302, 5.
Irrubuit, 114, 2.
Is, 159, 6.
Ista, 94, 3. 108, 4. 125, 7, aliisque locis 8.
Ita, 10, 2. 50, 7. 53, 10, aliisque locis 70.
Itane, 50, 8, 135, 6,
Itaque, 30, 2. 35, 4. 61, 12, aliisque locis 13.
Ite, 311, 1.
Item, 272, 12.
Iter, 3, 3. 32, 4. 261, 2, aliisque locis 4.
Iterum, 65, 3. 303, 2. 316, 2. 335, 11.
Ithacus, 308, 1.
Itinerum, 157, 11.

Itus, 303, 1.
Ixionium, 253, 7.

J

Jacent, 163, 1.
Jacere, 61, 8. 103, 5.
Jaceret, 266, 19.
Jacet, 22, 1. 271, 6. 340, 10.
Jacetis, 164, 5.
Jactasse, 55, 5.
Jactastis, 8, 1.
Jactis, 336, 18.
Jam, 45, 5. 48, 1. 70, 4, aliisque locis 40.
Jam dudum, 219, 30. 299, 23.
Jam vero, 272, 15. 326, 5. 335, 20.
Janitor, 253, 3.
Jecerint, 313, 17.
Jecur, 253, 12.
Jejunia, 139, 3.
Jovis, 103, 4.
Jubens, 222, 1.
Jubes, 221, 1.
Jucunda, 12, 8. 288, 2. 304, 4, aliisque locis 2.
Jucunditas, 210, 4. 236, 12.
Jucunditate, 170, 4 232, 6.
Jucunditatem, 179, 2,
Jucunditatis, 178, 10. 209, 5. 218, 21.
Jucundum, 93, 6.
Jucundus, 298, 24.
Judicamus, 193, 7.
Judicandi, 337, 21.
Judicantes, 177, 6.
Judicantis, 338, 1.
Judicare, 193, 7. 298, 18.
Judicarem, 280, 2.
Judicat, 60, 7. 178, 17. 178, 18, aliisque locis 6.
Judicatis, 136, 7. 350, 28.
Judicatur, 231, 19. 232, 5. 327, 12.
Judicavimus, 345, 8.
Judice, 101, 1. 282, 8.
Judicemus, 218, 7. 283, 29.
Judices *nomen*, 56, 1.
Judices *verbum*, 266, 22.
Judicet, 272, 4.
Judicet, 272, 4.
Judicetur, 156, 8. 157, 19. 205, 4.
Judicia, 282, 1. 297, 4. 350, 24.
Judicibus, 283, 25.
Judicio, 53, 1. 205, 9. 344, 12.
Judicis, 352, 27.
Judicium, 203, 17. 297, 25. 319, 2, liisque locis 6.
Judico, 325, 3.
Judicum, 283, 15.
Jugari, 330, 3.
Jugo, 95, 2. 162, 4. 175, 2.
Jugulare, 56, 4.
Jugulum, 307, 7.
Jugum, 247, 6.
Junctos, 168, 21.
Jungant, 301, 19.
Jungantur, 149, 3.
Junxerit, 185, 4.
Junxit, 251, 6.
Jura, 268, 25. 203, 2. 300, 1.
Jure, 45, 2. 46, 3. 103, 8, aliisque locis 14.
Juris, 41, 2. 101, 7. 101, 11.
Jus, 73, 3. 100, 2. 101, 8, aliisqus locis 5.
Jussit, 5, 2.
Justa, 103, 6. 286, 6.
Justa, 281, 9. 281, 23.
Justæ, 328, 5.
Justam, 304, 6.
Justi, 231, 6.
Justior, 283, 16.
Justissimum, 297, 19. 345, 9.
Justitiæ, 48, 6. 73, 1. 231, 5, aliis que locis 2.
Justo, 301, 1. 305, 8.
Justos, 50, 8.
Justum, 281, 9. 281, 11.
Justus, 69, 5.
Juvat, 285, 1.
Juventæ, 4, 1.

L

Labatur, 126, 5.
Labi, 289, 2.
Labor, 174, 1. 176, 3. 310, 8,
Laborare, 297, 29.
Laborat, 179, 11. 210, 27. 237, 19. 331, 4.
Laboratis *verbum*, 157, 17.
Laboraverim, 92, 9.
Labore, 32, 3.
Labores, 308, 6.
Laboretur, 325, 11.
Laboris, 305, 26. 310, 10.
Laborum, 234, 1.
Labuntur, 179, 9,
Labyrinthum, 248, 9.
Lacer, 182, 9.
Laceræ, 2, 3.
Lacereris, 60, 4.
Lacessentes, 247, 16.
Lacessitam, 32, 6.
Lacrymabilem, 9, 1.
Lacrymantem, 71, 2.
Lacrymas, 103, 2. 119, 9.
Lacrymis, 14, 5. 42, 2. 119, 4, aliisque locis 3.
Lacte, 24, 1.
Lacunam, 210, 2.
Læderentur, 13, 3.
Læsæ, 76, 1.
Læta, 111, 8. 298, 17.
Lætaretur, 271, 4.
Lætatur, 72, 7.
Lætatus, 122, 1.
Læteris, 134, 9. 158, 6.
Lætissimum, 218, 17.
Lætitia, 61, 7. 178, 3.
Lætitiæ, 218, 19.
Lætitiam, 180, 3. 217, 5.
Lætor, 239, 27.
Lætorum, 111, 6.
Lætos, 80, 7.
Lætum, 219, 18.
Lævam, 309, 4.
Langueret, 279, 10.
Languor, 283, 27.
Languore, 283, 30.
Lapides, 238, 23.
Lapillis, 196, 2.
Lapillos, 234, 7,
Lapsa, 200, 3.
Lapsi, 316, 8.
Laqueos, 214, 5.
Larga, 78, 1.
Largas, 183, 4.
Largiendi, 132, 5.
Largis, 106, 11.
Largitas, 132, 3.
Largitione, 111, 2.
Laribus, 31, 1. 43, 4.
Laris, 93, 9.
Lassant, 290, 6.
Lassorum, 170, 3.
Late, 137, 1. 161, 199, 3.
Lateat, 216, 1. 313, 21.
Latentes, 291, 4.
Latentis, 21, 3.
Latentium, 292, 1,
Latere *verbum*, 53, 2. 143, 3. 325, 7.
Latet, 27, 2. 69, 4.
Latos, 168, 10.
Latrantem, 247, 16.
Latrone, 137, 10.
Latus *nomen substant.*, 199, 12. 251, 6. 313, 7.
Laudantur, 137, 3.
Laude, 55, 5. 157, 19.
Laudibus, 204, 5.
Laudis, 110, 9.
Laus, 205, 12.
Laxa *nomen*, 5, 4.
Laxant, 182, 8.
Lectis, 141, 2.
Lectuli, 14, 9.
Lecturus, 79, 1.
Legalium, 287, 9.
Lege *nomen*, 68, 1. 102, 9. 115, 7, aliisque locis 2.
Legebatur, 11, 5.
Legem, 64, 2. 73, 2. 95, 3, aliisque locis 2.
Legens, 340, 19.
Leges, 352, 19.
Legibus, 181, 3.
Lenibus, 87, 5. 297, 9.
Lenioribus, 76, 6.
Leniter, 24, 7. 158, 21. 256, 2.
Lentis, 181, 6.
Leo, 276, 4. 286, 1.
Leones, 182, 1.
Leoni, 309, 1.
Leonibus, 251, 7.
Leonis, 273, 4.
Lepus, 251, 8.
Lethargum, 25, 1.
Levare, 162, 5.
Levat, 347, 6.
Levato, 347, 11.
Levem, 277, 9.
Leves, 191, 3.
Levia, 266, 14.
Levibus, 7, 3. 225, 2.
Leviores, 93, 10.
Levis, 273, 6. 347, 7.
Levitas, 238, 19. 346, 4.
Levitate, 158, 17.
Lex, 254, 5. 254, 9. 282, 7. 302, 13.
Libeat, 79, 6. 215, 1. 268, 17.
Libellos, 12, 1.
Libens, 106, 3.
Libenter, 171, 10.
Liber *adject.*, 17, 4. 367, 10.
Libera, 352, 6.
Libera, 159, 7.
Liberant, 12, 8.
Liberat, 173, 2.
Liberi *subst.*, 178, 9.
Liberiores, 320, 6.
Liberis *subst.*, 121, 4. 210, 7.
Libero *nomen adject.*, 147, 9. 187, 10, 351, 22.
Liberorum *subst.*, 210, 3.
Liberos *substant.*, 110, 7. 119, 5.
Liberos *adject.*, 336, 3.
Libertas, 45, 2. 53, 7. 73, 1. aliisque locis 7.
Libertate, 292, 10, 321, 4. 351, 18. 351, 21.
Libertatem, 53, 4. 326, 5. 335, 3.
Libertatis, 146, 3. 324, 4.
Liberum, 148, 1. 295, 19. 351, 9.
Libet, 61, 12. 101, 8. 110, 3. 292, 15.
Libidine, 202, 3.
Libidines, 149, 15.
Libidinibus, 273, 8.
Libidinum, 209, 6.
Libido, 233, 3. 267, 3. 270, 1.
Libris, 74, 6.
Librorum, 74, 6.
Libros, 74, 5.
Libuit, 70, 1.
Libycis, 310, 4.
Liceat, 160, 9. 299, 14, 327, 17.
Licebit, 264, 4. 335, 26.
Licentiam, 281, 20. 282, 6.
Licere, 279, 4. 279, 25.
Licet *verbum*, 102, 1. 102. 2, 118, 4. aliisque locis 10.
Licet *conjunctio*, 158, 8. 162, 6. 180, 6, aliisque locis 15.
Licuisset, 53, 6.
Ligans, 181, 1.
Ligas, 222, 2.
Ligat, 166, 3. 168, 11. 233, 2.
Ligni, 238, 12.
Limen, 14, 4.
Limne, 103, 5.
Limiite, 292, 12.
Limitibus, 157, 8.
Lingua, 157, 10.
Linguam, 148, 2. 273, 2.
Linguas, 162, 7.
Linquit, 68, 2.
Liqueat, 336, 16.
Liquebit, 293, 8.
Liquentia, 238, 24.
Liquere, 281, 12.

Liquerit, 254, 6.
Liquerunt, 26, 1.
Liquet, 124, 1. 149, 5. 176, 8, aliisque locis 13.
Liquidis, 222, 3.
Liquido, 139, 5. 347, 1.
Liquido, 134, 7. 187, 7. 232, 17.
Lite, 344, 12.
Litigiis, 273, 2.
Litteras, 11, 6. 340, 7.
Litteris, 53, 4. 164, 2.
Littora, 141, 3. 215, 8.
Littoris, 190, 8.
Littus, 290, 8.
Liventi, 111, 6.
Livore 221, 4.
Loca, 238, 7. 238, 21.
Locata, 295, 10.
Locatorum, 295, 14.
Locatus, 83, 9. 103, 8.
Loci, 43, 3. 74, 3.
Locis, 238, 5. 246, 10. 294, 4, 314, 16.
Loco, 41, 3. 84, 12. 157, 13, aliisque locis 2,
Locum, 58, 2. 108, 3. 266, 19.
Locus, 123, 3. 283, 26. 313, 13.
Longa, 253, 9. 298, 4.
Longam, 281, 20.
Longe, 203, 1. 326, 14. 341, 2.
Longi, 347, 1.
Longinquum, 72, 1.
Longior, 158, 3.
Longius, 164, 7. 245, 4. 295, 18.
Longos, 242, 1.
Longum, 279, 17.
Longus, 134, 3.
Loquamur, 230, 3.
Loquar, 165, 4. 209, 1.
Loquebare, 248, 11.
Loquebaris, 248, 15.
Loquendi, 157, 11.
Loqueretur, 108, 1.
Loquimur, 249, 9. 258, 2.
Loquor, 147, 8.
Loquuntur, 298, 17.
Lota, 301, 7.
Lubrica, 68, 6. 270, 6.
Lubricus, 140, 4.
Lucanus, 297, 22.
Luce, 16, 2. 226, 2. 271, 2, aliisque locis 2.
Luceat, 137, 3.
Lucebit, 242, 5.
Lucem *diem*, 66, 2. 113, 2.
Lucem *splendorem*, 235, 3. 241, 3. 282, 3.
Luci, 328, 8.
Lucida, 64, 3. 141, 1.
Lucidos, 102, 2.
Lucidum, 250, 2.
Lucifer, 65, 4. 174, 5. 301, 12.
Lucis, 87, 7. 110, 6.
Luctu, 14, 9.
Luctum, 94, 1. 252, 8.
Luctuosus, 120, 7.
Luctus, 252, 7.
Ludens, 183, 5.
Ludentem, 94, 9.
Ludicra, 266, 14.
Ludicri, 102, 9.
Ludimus, 102, 7. 249, 1.
Ludis *verbum*, 248, 6.
Ludit, 98, 5.
Ludum, 102, 7.
Luentes, 280, 13.
Luis, 118, 2.
Luit, 257, 10.
Lumen, 88, 4. 242, 6.
Lumina, 18, 2. 64, 7.
Lumina *oculos*, 25, 3. 254, 7. 254, 17.
Lumine, 22, 1. 38, 1. 90, 2. aliisque locis 2.
Luminibus *oculis*, 12, 4. 23, 2. 26, 2.
Luminibus, 257, 1. 261, 9. 330, 7.
Luna, 64, 5.
Lunæ, 18, 3. 207, 2. 290, 1.
Lunam, 133, 10.
Lupi, 273, 1.
Lupis, 276, 6.
Lustrare, 226, 2.
Lustrentur, 350, 17.
Lux, 133, 2. 341, 8.
Luxu, 139, 1.
Luxuriæ, 197, 2.
Luxurient, 298, 5.
Lydorum, 102, 11.
Lymphante, 36, 3.
Lynceis, 212, 17.

M

Machina, 246, 25. 279, 18.
Machinam, 168, 19.
Machinas, 238, 17. 299, 16.
Mactatum, 148, 7.
Madent, 253, 6.
Maduit, 152, 3.
Mage, 174, 1.
Magis, 48, 6. 132, 2. 137, 7, aliisque locis 5.
Magistra, 31, 2. 52, 2.
Magistratibus, 192, 2.
Magistratum, 44, 10. 193, 5.
Magistrum, 182, 4.
Magna, 162, 8. 195, 1. 247, 16, aliisque locis 4.
Magna ex parte, 279, 6.
Magnæ, 86, 7.
Magnas, 48, 4.
Magni, 311, 1. 323, 1.
Magnificum, 157, 8.
Magnitudinem, 156, 7.
Magnitudo, 178, 14.
Magno, 226, 12.
Magnum, 33, 1. 99, 1. 204, 3. 298, 17.
Magnus, 195, 3.
Majestatis, 52, 2. 55, 1.
Major, 254, 9.
Majore, 295, 15.
Majorem, 199, 6.
Majoribus, 205, 19.
Majorum, 205, 16.
Majus, 257, 7.
Mala *substant.*, 54, 2. 257, 6. 267, 17, aliisque locis 4.
Mala *adject.*, 277, 1.
Malam, 304, 11. 305, 6.
Male, 298, 15. 347, 8.
Maleficio, 60, 2.
Malefida, 7, 3.
Mali *substant*, 238, 14. 248, 18. 264, 6, aliisque locis 5.
Mali *adject.*, 265, 7. 265, 10. 265, 11, aliisque locis, 7.
Malim, 217, 7.
Malis *nomen substant.*, 5, 1. 60, 5. 212, 3, aliisque locis 3.
Malis *adjectivum*, 193, 2. 258, 5 266, aliisque locis 6.
Malit, 287, 5.
Malitiam, 272, 25. 280, 2.
Malitis, 306, 1.
Mallem, 24, 5.
Mallet, 121, 2. 283, 20.
Mallo *nomen substant.*, 272, 16.
Malorum *substant.*, 108, 6. 110, 7. 268, 8, aliisque locis 4.
Malorum *adject*, 281, 18. 297, 14.
Malos, 258, 3. 254, 3. 266, 6, aliisque locis 8.
Maluerit, 73, 3.
Maluisti, 134, 12.
Malum *substant.*, 248, 5 bis. 264, 5. 267, 20, aliisqus locis 5.
Malus, 174, 2.
Manas, 42, 2.
Mandavi, 53, 3.
Maneant, 236, 5.
Maneat, 188, 17.
Manebit, 335, 11.
Manebunt, 218, 19. 236, 6.
Manendi fida, 94, 13.
Manendi, 95, 2. 112, 3. 237, 17, aliisque locis 3.
Manens, 221, 1. 234, 2. 246, 12, aliisque locis 3.
Manent, 246, 13.
Manentibus, 120, 3. 305, 14.
Manentis, 112, 5. 350, 1.
Manere, 96 2. 132, 3. 237, 3, aliisque locis 4.
Manet, 164, 10. 185, 3. 277, 5, aliisque locis 3.
Manibus, 11, 2. 33, 7. 182, 2. 265, 26.
Manifesta, 56, 1.
Manifestum, 125, 5. 149, 10. 150, 5, aliisque locis 6.
Manu, 79, 4. 199, 14. 285, 2. 306, 1.
Manum, 24, 7. 101, 8. 104, 5, aliisque locis 2.
Manus *singul.*, 276 2.
Manus *plural.*, 11. 8. 123, 6. 148. 9.
Marci Tullii, 157, 13.
Marco Tullio, 324, 1.
Mare, 89, 1. 114, 6. 168, 7.
Margine, 11, 5.
Mari, 102, 4.
Maria, 157, 3.
Maris, 133, 9. 141, 1. 343, 11.
Marmaricus, 276, 4.
Masculæ, 110, 2.
Materia, 292, 6. 305, 19.
Materia *ablat.*, 11, 2. 336, 22. 336, 23.
Materiæ, 134, 2. 221, 3. 341, 3.
Materiale, 337, 11.
Materiali, 313, 16.
Materiam, 148, 4. 155, 2. 337, 6.
Matris, 101, 4. 152, 3. 252, 6.
Mavis, 72, 3. 231, 10.
Mavult, 218, 27.
Maxima, 257, 4.
Maxima, 205,
Maximam, 85, 6. 239, 13. 249, 2, 292, 5.
Maximas, 53, 6.
Maxime, 35, 5. 188, 1. 219, 3, aliisque locis 4.
Maximi. 272, 5.
Maximis, 118, 3.
Maximum, 86, 9.
Me, 8, 1. 23, 2. 24, 4, aliisque locis 39.
Mea, 4, 2.
Mea *ablat.*, 60, 4. 258, 11. 352, 1, 352, 7.
Meæ, 117, 2.
Meam, 30, 3. 32, 4. 91, 246, 1.
Means, 162, 6.
Meant, 277, 17.
Mearum, 131, 1.
Meat, 223, 4. 317, 2.
Meatus, 18, 1. 301, 5.
Mecum, 9, 1. 32, 1. 43, 5, aliisque locis, 3.
Medetur, 298, 22.
Media, 295, 15.
Mediæ, 239, 27.
Mediam, 223, 1.
Medicaminis, 76, 8.
Medicantis, 40, 2. 42, 3.
Medicator, 297, 14.
Medici, 266, 7.
Medicina, 149, 11.
Medicinæ, 23, 1. 292, 12.
Medicos, 149, 11.
Medicum, 283, 18.
Medicus, 972, 10.
Medietatis, 295, 13.
Medio, 295, 17.
Mediocribus, 87, 5.
Medium, 296, 3. 305, 24.
Medius, 111, 1.
Medulla, 238, 11.
Medullas, 238, 10.
Mei, 14, 9. 32, 2. 55, 3. aliisque locis 6.
Meis, 12, 3. 13, 2. 33, 6, aliisque locis 4.
Melior, 230, 8.
Meliora, 103, 7. 118, 6.
Melioribus, 282, 7.
Melius, 229, 3 bis.
Melius, 75, 5. 132, 2.
Mella, 211, 4.
Melle, 108, 5. 139, 5, 183.

Melliflui, 322, 2.
Membra, 188, 13. 223, 2. 231, 21, aliisque locis 3.
Membris, 207, 5. 330, 6.
Membro, 232, 1.
Membrorum, 133, 4. 237, 8. 332, 3.
Memento, 129, 5. 272, 5.
Meminere, 182, 7.
Meminerim, 85, 2.
Memini, 245, 6. 246, 22. 262, 7. 265, 3.
Meminisse, 146, 3.
Meministi, 54, 6. 54, 7. 84, 7, aliisque locis 2.
Meminit, 333, 1.
Memorasti, 75, 3.
Memoria, 35, 2. 110, 6.
Memoria, 179, 4.
Memoriæ, 53, 3. 265, 6.
Memoriam, 84, 8. 92, 8. 245, 2.
Mendaci, 69, 8.
Mendacio, 326, 18.
Mendacis, 217, 1.
Mendacium *substant.*, 52, 9.
Mendacium *adject.*, 166, 2.
Mens, 16, 2. 90, 4. 159, 6, aliisque locis 7.
Mensuram, 10, 5.
Mente, 136, 1. 161, 1. 221, 6, aliisque locis 9.
Mentem, 30, 2. 147, 10, 193, 4, aliisque locis 5.
Mentes, 12, 8. 126, 2, 156, 1, aliisque locis 5.
Menti, 226, 1. 258, 10. 345, 9.
Mentiantur, 219, 29.
Mentibus. 44, 9. 177, 2. 192, 2, aliisque locis 2.
Mentiens, 52, 7.
Mentior, 137, 6.
Mentis, 14, 11. 22, 1. 74, 5, aliisque locis, 21.
Mentiti, 57, 6.
Mentitur, 165, 7.
Mentium, 25, 2. 87, 3. 297, 14.
Meo, 24, 7. 258, 11.
Meorum, 74, 6.
Meos, 25, 5. 33, 9. 102, 10.
Mercibus, 141, 2.
Mereamur, 219, 33.
Mereatur, 74, 2. 165, 2.
Merebamur 54, 6.
Merebantur, 133, 7.
Mereri, 74, 3.
Meretriculas, 12, 4.
Mergat, 289, 4.
Mergens, 302, 9.
Mergi *verbum*, 301, 8.
Merita *substant.*, 52, 7. 60, 6.
Meritam, 299, 1.
Meritis *substant.*, 75, 1. 76, 2. 205, 1, aliisque locis 4.
Merito *substant.*, 135, 9. 281, 7.
Merito *adject.*, 68, 5.
Meritorum *substant.*, 156, 3. 327, 15.
Meritos, 57, 3. 298, 15.
Meritum *substant.*, 92, 6. 272, 27.
Mersa, 14, 5. 16, 1.
Mersas, 222, 4.
Mersat, 7, 4.
Mersit, 308, 3.
Mersus, 243, 5.
Meruerunt, 50, 7.
Meruisse, 61, 4.
Meruisti, 110, 10.
Meruit, 310, 10. 327, 10.
Metallo, 309, 4.
Metiantur, 135, 6.
Metis *nomen*, 279, 16, 290, 2.
Metitur, 94, 17. 205, 3.
Metiuntur, 178, 3.
Metu, 253, 4.
Metuant, 182, 3.
Metuat, 125, 8.
Metuenda, 273, 5.
Metuit, 199, 13. 298, 25.
Metus, 74, 1. 199, 7.
Metuunt, 70, 2. 298, 6.
Meum, 7, 4. 14, 9. 102, 1. 288, 2.
Meus, 313, 22.
Mica, 226, 5.
Micans, 291, 4.
Mihi, 2, 3. 9, 2. 43, 7, aliisque locis, 14.
Miles, 251, 3.
Militum, 200, 5.
Millibus, 57, 1. 158, 7.
Minæ, 38, 4.
Minantem, 128, 3.
Minas, 94, 18.
Minima, 123, 2. 166, 7.
Minima, 87, 1.
Minimam, 158, 8.
Minime, 137, 6. 179, 10. 186, 3, aliisque locis 37.
Minimis, 122, 5. 133, 10. 179, 18. 219, 31.
Minimo, 135, 5. 157, 6.
Minimum, 188, 18.
Minimum, 155, 1.
Ministerio, 49, 2.
Ministrat, 206, 4.
Ministret, 183, 5.
Minores, 64, 5. 225, 1.
Minuat, 199, 2. 272, 9.
Minui, 119, 4.
Minuit, 55, 5.
Minus *adverb.*, 13, 2. 50, 9. 123, 8, aliisque locis 9.
Mira, 280, 5. 291, 8.
Mirabilem, 248, 9.
Mirabor, 134, 2.
Miraculum, 292, 3. 297, 8. 287, 17. 299, 7.
Miramini, 213, 4.
Miramur, 133, 10.
Mirandum, 212, 16.
Mirantes, 29, 1.
Mirantur, 40, 2.
Mirarer, 288, 1.
Mirari, 133, 3. 212, 14.
Miratur, 290, 7. 297, 12, 298, 14.
Mirum, 165, 4. 267, 8. 280, 11. 288, 5.
Misceat, 89, 3.
Miscens, 129, 8. 234, 7.
Miscere, 140, 2.
Misceri, 80, 4. 288, 1.
Miscet, 275, 6. 341, 13.
Miscetur, 149, 12.
Miser, 281, 1.
Misera, 124, 1.
Miseriæ, 279, 10.
Miserandi, 283, 30.
Miserandum, 102, 12.
Miserans, 254, 2. 276, 12.
Miserantibus, 283, 17.
Miseras, 70, 4. 106, 1. 203, 5.
Miseratio, 283, 16.
Miseratione, 283, 29.
Miserationem, 283, 15.
Miseresce, 286, 8.
Miseri, 40, 1. 197, 6. 263, 1.
Miseria, 279, 11. 280, 23. 287, 1.
Miseriæ, 199, 6. 279, 19. 280, 21.
Miseriam, 126, 5. 199, 2, 280, 4. 283, 13.
Miserior, 280, 1. 283, 10.
Miseriores, 281, 22.
Miseris, 61, 3. 108, 6. 234, 3. 266, 16.
Miserius, 279, 10.
Misero *nomen*, 281, 1.
Miseros, 7, 1. 46, 1. 98, 3, aliisque locis 7.
Miserrimam, 305, 10.
Miserum, 71, 3. 109, 4. 111, 9. aliisque locis 3.
Misso, 102, 12.
Mista, 298, 3. 316, 6. 327, 15. 330, 3.
Mitis, 67, 3. 276, 9.
Mittit, 327, 13.
Mobile, 291, 6.
Mobilem, 240, 6. 295, 8.
Mobiles, 251, 4.
Mobili, 349, 2.
Mobilibus, 294 1. 343, 12.
Mobilis, 296, 4. 349, 11.
Mobilitatis, 295, 11.
Moderandis, 335, 28.
Modesta, 119, 1.
Modesta, 91, 1.
Modi, 251, 13.
Modis, 281, 3. 253, 11. 301, 17. 351, 26.
Modo *nomen*. 10, 3. 68, 5. 83, 3, aliisque locis 46.
Modo *adverb.*, 12, 5. 24, 6. 61, 11, aliisque locis 12.
Modos, 2, 2. 93, 10. 276, 1. 316, 6.
Modulata, 219, 35.
Modum, 11, 8. 52, 1. 109, 5, aliisque locis 5.
Modus, 82, 2. 188, 11. 280, 19, aliisque locis 4.
Mœror, 53, 10. 76, 5. 84, 8, aliisque locis 3.
Mœrore, 14, 10.
Mœrorem, 94, 13.
Mœroris, 94, 9. 245, 3. 256, 3. 257, 5.
Mœsta, 111, 10. 183, 9.
Mœstæ, 253, 6.
Mœsti *genit.*, 4, 2.
Mœstior, 14, 4.
Mœstis, 6, 2. 308, 5.
Mœstitiam, 94, 1.
Mœstos, 2, 2.
Mœstum, 71, 2.
Mœstus, 122, 1.
Mole, 110, 7. 212, 12. 216, 7, aliisque locis 2.
Molem, 24, 1. 291, 1.
Moles, 201, 1.
Moleste, 13, 2. 305, 16.
Molestia, 218, 30.
Molestiis, 179, 17.
Molior, 280, 14.
Molirentur, 33, 5.
Moliretur, 55, 2.
Molis, 226, 4.
Molitos, 53, 11.
Molitur, 242, 2.
Moliuntur, 266, 17.
Molle, 93, 6.
Mollescant, 76, 9.
Mollissimum, 238, 11.
Momentaria, 131, 3.
Momenti, 158, 7. 350, 1.
Momento, 349, 2.
Momordit, 148, 3.
Monstra 277, 8.
Monstrabitur, 279, 5.
Monstrabo, 212, 4.
Monstrante, 258, 7.
Monstrare, 217, 3.
Monstrasti, 219, 15.
Monstrat, 99, 1.
Monstrata, 231, 26.
Monstratum, 348, 1.
Monstratur, 134, 7. 180, 6.
Monstratus, 246, 22.
Monstraveris, 101, 2.
Monstravimus, 228, 15. 232, 20. 236 6, aliisque locis 2.
Monstri, 53, 14.
Monstris, 257, 13.
Montem, 257, 14.
Montibus, 89, 3. 214, 5. 238, 5.
Montis, 128, 5.
Monuisti, 44, 5.
Mora, 158, 6.
Mora *abl.*, 66, 2.
Moras, 7, 6.
Moratus, 297, 24.
Morbi, 85, 5. 109, 1.
Morbis, 297, 32.
Morbo, 12, 8. 298, 21.
Morbos, 283, 18.
Morbum, 25, 2. 86, 7.
Morbus, 84, 6. 283, 28.
Mordaciter, 159, 1.
Mordax, 191, 2. 210, 5.
Mordeant, 171, 3.

Mordeatur, 219, 2.
More, 97, 2.
Morem geram *obsequar.*, 313, 8.
Moreris, 264, 2.
Mores, 32, 6. 43, 8. 69, 2, aliisque locis, 11.
Moribus, 35, 3. 60, 3. 93, 8, aliisque locis 4.
Moriendo, 112, 5.
Moriuntur, 159, 5.
Mors, 6, 1. 112, 4. 162, 9, aliisque locis 2.
Morsu, 211, 6.
Morsus, 147, 6. 199, 9.
Mortale 85, 4.
Mortales *homines*, 124, 3. 177, 1. 208, 1.
Mortales *adject.*, 126, 2. 351, 10.
Mortali, 162, 4.
Mortalibus *substant.*, 56, 3. 119, 7. 219, 26. 325, 18.
Mortalibus *adject.*, 219, 23.
Mortalis, 164, 8.
Mortalium *substant.*, 126, 4. 176, 2. 179, 11.
Mortalium *adject.*, 25, 4. 58, 1. 96, 1, aliisque locis, 6.
Morte, 126, 3. 126, 6. 159, 4. 281, 14.
Mortem, 237, 19. 239, 8. 285, 3.
Morti, 57, 2.
Mortis, 33, 3. 126, 5. 200, 4. 298, 9.
Mortuum, 267, 11.
Mos, 340, 5.
Mota, 71, 2. 302, 14.
Moti, 57, 1.
Motibus, 168, 18. 239, 4, aliisque locis 2.
Motione, 237, 11.
Motionem, 350, 10.
Motiones, 238, 21.
Motu, 133, 4. 260, 4. 296, 1. 313, 10.
Motum 223, 3. 232, 14. 265, 22, aliisque locis, 2.
Motus, 41, 3. 209, 4. 242, 1, aliisque locis, 8.
Moveantur, 83, 3.
Movebare, 83, 8.
Movebit, 39, 3.
Movens, 341, 6.
Movent, 286, 4.
Moventem, 223, 1.
Movere, 84, 12. 142, 4.
Moverentur, 335, 31.
Movereris, 147, 4.
Moveri, 221, 1.
Moveris, 334, 8.
Movet, 43, 3. 74, 1. 118, 3, aliisque locis 3.
Movetur, 293, 3.
Mox, 89, 7. 102, 11. 148, 9, aliisque locis 2.
Mulcedo, 170, 2.
Mulcerent, 251, 13.
Mulier, 9, 3. 14, 6.
Multa, 231, 11. 258, 5.
Multas, 218, 27.
Multi, 106, 4.
Multiformes, 92, 3.
Multiplex, 158, 9. 187, 1.
Multiplicato, 238, 15.
Multiplicem, 293, 4.
Multiplices, 50, 1. 61, 1. 343, 9.
Multiplici, 194, 9.
Multipliciter, 283, 5. 294, 13.
Multiplicium, 176, 3.
Multitudine, 75, 2.
Multitudinis, 53, 10. 72, 6. 111, 1.
Multo, 281, 2. 281, 7.
Multo magis, 247, 14, 283, 20.
Multorum, 132, 7.
Multos, 126, 5.
Multum, 92, 8. 334, 3.
Mundana, 246, 25.
Mundi, 86, 10. 301, 5.
Mundo, 115, 3. 157, 1. 349, 3. 349, 14.
Mundum, 83, 1. 84, 2. 220, 1, aliisque locis 7.
Mundus, 86, 6. 167, 1. 245, 6. 246, 5.
Munera, 79, 8. 139, 4.
Munere, 249, 2.
Muneribus, 106, 11. 149, 6.
Muneris, 292, 1.
Munimine, 74, 1.
Muniti, 36, 7.
Munus, 111, 4. 194, 10.
Munusculum, 248, 13.
Mures, 147, 3.
Musa, 244, 1.
Musæ, 76, 3.
Musas, 12, 2.
Muscularum, 147, 5.
Musica, 93, 9. 149, 10.
Musicæ, 108, 5.
Musici, 292, 13.
Musicos, 149, 10.
Musis, 14, 2.
Mutabilem, 125, 7.
Mutabiles, 296, 12.
Mutabilitas, 94, 17. 103, 6.
Mutabilitate, 94, 4. 212, 17.
Mutabilium, 293, 2.
Mutabit, 298, 24.
Mutabitur, 352, 7.
Mutare, 102, 8. 123, 6. 352, 1.
Mutari, 279, 3.
Mutat, 350, 22.
Mutata, 92, 3.
Mutatam, 94, 3.
Mutatio, 93, 3.
Mutatione, 166, 1. 195, 7.
Mutationes, 352, 11.
Mutationum, 246, 12.
Mutaverint, 198, 4.
Mutavero, 352, 2.
Mutavit, 7, 5.
Mutentur, 287, 11.
Mutet, 65, 3.
Mutum, 24, 6.

N

Nam, 10, 4. 63, 3. 53, 7, aliisque locis, 82.
Namque, 120, 3. 187, 1. 194, 6, aliisque locis, 15.
Nascentia, 296, 6.
Nationes, 157, 10. 194, 9. 194, 15.
Nativæ, 150, 3.
Natura, 86, 9. 94, 3. 101, 4, aliisque locis, 19.
Natura, 131, 5. 134, 9. 149, 5, aliisque locis, 19.
Naturæ, 21, 4. 43, 6. 84, 7, aliisque locis 19.
Naturale, 194, 10. 265, 18, 265, 23, aliisque locis 2.
Naturales, 218, 28.
Naturali, 239, 4. 239, 11. 247, 2, aliisque locis 2.
Naturalis, 149, 1. 186, 4. 265, 27. 266, 11.
Naturaliter, 177, 2. 229, 18, aliisque locis 5.
Naturam, 87, 3. 92, 6. 134, 2, aliisque locis 12.
Naturarum, 246, 8. 293, 2. 299, 17.
Ne *ut non*, 3, 3. 14, 5. 44, 5, aliisque locis 30.
Ne *interrog.*, 24, 1. 24, 4. 42, 1 bis, aliisque locis 46.
Ne *pro*, *non*, 94, 8. 103, 7. 109, 4. aliisque locis 5.
Ne dum *pro tantum abest, ut*, 84, 4, 195, 9. 296, 18.
Ne quidem, 157, 12. 158, 10. 198, 4, aliisque locis 17.
Nebulas, 226, 4,
Nebulis, 30, 1.
Nebulosus, 114, 3.
Nec, 6, 1. 32, 2. 24, 1 ter, aliisque locis 128.
Necnon *pro*, *et*, 215, 7.
Necant, 12, 8.
Necare, 148, 7.
Necat, 147, 6.
Necem, 56, 5.
Necessaria, 350, 17. 350, 18. 351, 9, aliisque locis 2.
Necessariæ, 280, 9.
Necessariam, 44, 4.
Necessarie, 350, 24, 350, 25.
Necessariis, 219, 2. 355, 22.
Necessario, 335, 14.
Necessarios, 335, 15. 335, 6. 345, 3.
Necessarium, 218, 20. 246, 20, 253, 8, aliisque locis 68.
Necessarius, 326, 15.
Necesse, 125, 9. 132, 9. 188, 17, aliisque locis 40.
Necessitas, 325, 11. 325, 17. 325, 21, aliisque locis 6.
Necessitate 49, 3. 135, 6. 328, 9, aliisque locis 9.
Necessitatem, 296, 1. 325, 14, 335, 6, aliisque locis 5.
Necessitates, 351, 9.
Necessitatis 299, 20. 325, 11. 335, 2, aliisque locis 8.
Necessitudo, 205, 16.
Nectis, 70, 5.
Nectit, 41, 4. 168, 23. 294, 2.
Nefarias, 61, 6.
Nefarios, 54, 3. 86, 4.
Nefas, 52, 5. 52, 6. 60, 1, aliisque locis 4.
Negabis, 265, 23.
Negabit, 235, 4. 281, 11.
Negantibus, 78, 1.
Negare, 111, 7. 237, 2. 281, 7. 305, 5.
Negari, 228, 7. 246, 21. 264, 16.
Negas, 283, 4.
Negat, 7, 2.
Negatas, 110, 4.
Negaverim, 267, 16.
Neget, 188, 7. 281, 10.
Neglectæ, 11, 4.
Negligendum, 125, 10.
Nego, 137, 5. 267, 11.
Negotiis, 53, 6.
Negotium, 159, 8.
Neminem, 57, 3. 248, 13.
Nemo, 94, 11. 119, 9. 122, 2, aliisque locis 8.
Nemorum, 183, 7.
Nemus, 78, 5. 114, 1.
Nequam, 86, 4. 280, 1.
Nequaquam, 305, 6.
Neque, 94, 15. 134, 11. 142, 1, aliisque locis 31.
Nequeam, 267, 13.
Nequeat, 125, 5. 188, 2. 194, 4 aliisque locis 6.
Nequeo, 187, 11, 237, 2. 305, 5.
Nequeunt, 187, 18. 188, 12. 194, 1, aliisque locis 6.
Nequissimi, 193, 5.
Nequissimis, 192, 4.
Nequit, 126, 4. 137, 2. 179, 15, aliisque locis 10.
Nequitia, 272, 15. 272, 18. 280, 1.
Nequitia, 257, 8.
Nequitiæ, 209, 4.
Nequitiam, 192, 4. 298, 25,
Neritii, 275, 1.
Nero, 197, 2. 200, 3.
Neroni, 200, 7.
Neronis, 154, 2.
Nescia, 324, 9.
Nesciat, 238, 17. 351, 3.
Nesciebam, 72, 2.
Nesciebas, 102, 10.
Nescientes, 239, 6.
Nesciente, 297, 8.
Nescio quem, 210. 4.
Nescio quid, 84, 1.
Nescire, 215, 2. 245, 5,
Nescisses, 53, 10.
Nescit, 125, 7 *bis*. 289, 1. 331, 5. 332, 8.
Nescita, 331, 7.
Nescitis, 128, 15.
Nescius, 331, 6.
Neuter, 201, 1.
Neutro, 332, 7.
Neutrum, 230, 17.
Nexa, 236, 1.
Nexas, 292, 15.

Nexibus, 295, 19. 351, 33.
Nexu, 181, 5.
Nexuit, 246, 9.
Nexum, 295, 8.
Nexus, 287, 9. 330, 8.
Ni, 50, 4. 208, 7. 219, 16, aliisque locis 2.
Nihil, 13, 2. 25, 1. 35, 2, aliisque locis 86.
Nihil ex nihilo, 313, 14.
Nihili, 179, 14.
Nihil non *omne*, 248, 6. 335, 17.
Nihilo, 177, 4. 179, 6. 187, 18, aliisque locis 4.
Nihilominus, 137, 4. 296, 15. 326, 3.
Nihilum, 239, 24.
Nil, 69, 7 *bis*. 106, 6.
Nimbis, 102, 3.
Nimbosis, 27, 1,
Nimis, 210, 4. 211, 5. 289, 5, aliisque locis 2.
Nimium, 120, 1. 138, 1. 159, 1, aliisque locis 6.
Nisi, 24, 3, 35, 3, 44, 10, aliisque locis 32.
Nitamur, 325, 12.
Nitens, 265, 26. 305, 20.
Nitent, 132, 2. 174, 3.
Nitente, 269, 3.
Nitentibus, 283, 11.
Nititur, 92, 4. 176, 4. 283, 1.
Nitor, 212, 16.
Nituntur, 177, 6. 179, 6. 212, 12, 65, 8.
Niveis, 196, 2. 215, 5.
Nivis, 291, 1.
Nixa, 304, 8. 351, 2.
Nixus, 63, 2.
Nobile, 208, 2.
Nobilibus, 205, 16.
Nobilitas, 121, 1, 178, 8. 205, 11.
Nobilitate, 205, 15.
Nobilitatis, 205, 10.
Nobis, 53, 5. 58, 4. 101, 10, aliisque locis 3.
Noceat, 157, 5.
Nocendum, 201, 6.
Nocentia, 277, 18.
Nocentes, 69, 3.
Nocet, 69, 7.
Nocte, 26, 1.
Noctem, 262, 10.
Noctes, 266, 17.
Noctibus, 102, 2. 105, 3. 168, 6.
Noctis, 65, 1. 66, 4. 253, 10. 290, 2.
Nocuerunt, 137, 6.
Nodis, 182, 8.
Nodum, 325, 4.
Nolendi, 237, 16. 320, 3.
Nolentes, 50, 2.
Nolentibus, 188. 5.
Nolint, 330, 3.
Noluissem, 279, 4.
Noluisses, 187, 12.
Nomen, 118, 3. 146, 5. 157, 20, aliisque locis 9.
Nomina, 218, 21. 350, 6.
Nominatur, 293, 6.
Nomine, 157, 7.
Nominibus, 149, 18.
Nominis, 32, 2. 49, 2. 50, 6, aliisque locis 4.
Nomino, 246, 14.
Non, 8, 2. 12, 5. 12, 8, aliisque locis 303.
Nondum, 27, 2. 76, 6. 86, 8, aliisque locis 12.
Nonium, 195, 1.
Nonne, 32, 7. 95, 4. 103, 3, aliisque locis 17.
Nonnihil, 165, 2. 287, 2. 287, 3.
Nonnulli, 298, 8.
Nonnullos, 33, 10.
Norant, 139, 4.
Norat, 332, 2.
Norunt, 215, 4.
Nos, 25, 3. 36, 3. 36, 6, aliisque locis 10.
Noscendi, 352, 8.
Noscere, 330, 8. 331, 9.
Nosco, 84, 4.
Nosse, 85, 6. 136, 10. 292, 11. 331, 3.
Noster, 297, 22.
Nosti, 237, 2.
Nostra, 36, 4. 95, 8. 102, 7, aliisque locis 4.
Nostra, 75, 7.
Nostræ, 10, 3. 13, 3. 14, 10, aliisque locis 3.
Nostram, 55, 7.
Nostri, 31, 2. 33, 1, 33, 8, aliisque locis 10.
Nostris, 24, 1. 35, 3. 43, 4, aliisque locis 3.
Nostro, 12, 2. 24, 1. 93, 2. 219, 31.
Nostrorum, 352, 21.
Nostros, 43, 8. 53, 10.
Nostrum, 3, 3.
Nota *adject.*, 75, 3. 264, 7. 331, 4. 337, 9.
Notam *substant.*, 239, 27.
Notare, 235, 3.
Notas *subst.*, 50, 5. 331, 2. 340, 6. 341, 4.
Notavit, 310, 7.
Notio, 337, 16. 340, 15. 344, 10.
Notione, 352, 16.
Notionem, 351, 8.
Notionis, 351, 20.
Notior, 172, 1.
Notis, 340, 11. 341, 13.
Notitia, 343, 15.
Notitiam, 351, 32.
Notitiarum, 343, 16.
Notos, 164, 6.
Notum, 121, 2. 344, 5. 351. 12.
Notus *substant.*, 153, 8. 174, 3.
Nova, 341, 3. 173, 4.
Noverunt, 267, 2.
Novi *verbum*, 84, 9. 326, 10.
Novimus, 151, 1. 164, 3.
Novis, 61, 8. 275, 6.
Novisti, 34, 2. 85, 5.
Novit, 297, 16. 332, 7. 336, 13. 351, 12.
Novo, 253, 2.
Novum, 32, 5. 94, 2.
Nox, 27, 3. 261, 4. 282, 4. 323, 4.
Noxia, 17, 3. 68, 8.
Noxiorum, 299, 9.
Noxium, 133, 19.
Nube, 25, 4. 321, 2. 332, 3.
Nubes, 242, 4. 260, 3.
Nubibus, 88, 1. 323, 4.
Nubila, 7, 5. 90, 4.
Nubilus, 291, 7.
Nudatis *verbum*, 311, 3.
Nudum, 101, 4.
Nulla, 101, 9. 158, 11. 158, 14, aliisque locis 12.
Nulla, 55, 4. 313, 10. 323, 3.
Nullam, 281, 18. 335, 6. 335, 9. 351, 17.
Nullas, 340, 6.
Nulli, 111, 4. 337, 9.
Nullis, 12, 5. 193, 3. 237, 17, aliisque locis 5.
Nullius, 218, 15. 230, 8. 272, 9 *bis*.
Nullo, 10, 3. 36, 2. 83, 2, aliisque locis 10.
Nullum, 44, 9. 88, 2. 135, 7, aliisque locis 3.
Nullus, 3, 2. 74, 1. 208, 6, aliisque locis 7.
Num, 54, 5. 84, 4. 103, 1, aliisque locis 38.
Numen, 276, 11.
Numerabitur, 134, 6.
Numeranda, 179, 12.
Numerandam, 268, 9.
Numeratur, 178, 11.
Numeravimus, 246, 17.
Numeremus, 304, 10.
Numerentur, 236, 13.
Numeris, 18, 6. 222, 2.
Numerosus, 36, 1.
Numerum, 109, 4, 111. 6.
Numerus, 158, 9.
Numinis, 94, 6.
Numquam, 46, 2. 72, 4, 78, 5, aliisque locis 13.
Nunc, 4, 2. 7, 5. 10, 4, aliisque locis 64.
Nuntiat, 301, 11.
Nuper, 257, 3.
Nuptiis, 121, 3.
Nutricem, 30, 3.
Nutrit, 121, 4.
Nutritus, 24, 1.
Nutriuntur, 343, 12.
Nutrix, 117, 1.
Nutum, 122, 4. 247, 4.

O

O, 31, 2. 52, 2. 57, 3. aliisque locis 21.
Ob, 50, 1. 57, 2. 57. 5, aliisque locis 8.
Obambulat, 276, 9.
Obduxerat, 11, 4.
Obitu, 302, 9.
Objacet, 266, 22.
Objecit, 200, 5.
Objecta, 343, 7.
Objecta, 46, 2.
Objectæ, 343, 2.
Objectorum. 75, 2.
Objice, 89, 7.
Oblectamenta, 292, 13.
Oblectant, 108, 5.
Oblita *penult. corr.*, 108, 4.
Oblita *penult. prod. et passive*, 257. 3.
Oblita *act.*, 332, 4.
Oblitas *passive*, 333, 3.
Oblitus, 25, 2. 86, 6. 109, 5. 256, 3.
Oblivio, 158, 2.
Oblivione, 86, 2.
Obliviosam, 243, 1.
Oblivisceretur, 282, 15.
Obluctari, 267, 4.
Obnoxius, 212, 7.
Obrepat, 218, 18.
Obruisset, 314, 7.
Obruit, 314, 10. 314, 11.
Obruta, 330, 6.
Obscura, 158, 3.
Obscuras, 235, 2.
Obscuris, 69, 4.
Obscuritas, 218, 31.
Obscuro, 64, 6.
Obscuros, 339, 2.
Obscuram, 218, 8.
Obscurus, 218, 27.
Obsecro, 171, 8.
Obsequentes, 44, 1.
Obsistere, 247, 11.
Obsitum, 276, 12.
Obstantia, 212, 18.
Obstat, 89, 1. 323, 4.
Obstupui, 14, 7.
Obtemperantium, 247, 6.
Obtemperare, 73, 1.
Obtemperes, 95, 8.
Obticuit, 91, 1.
Obtinendi, 264, 14.
Obtinere, 156, 6. 266, 15.
Obtingit, 314, 2.
Obversatus, 31, 1.
Obvia, 64, 4.
Obviis, 314, 9.
Obvius, 45, 4.
Occasus, 327, 8.
Occidentia, 296, 6.
Occidit, 254, 12.
Occiduo, 301, 7.
Occultis, 273, 3.
Occuluisse, 52, 8.
Occupantur, 36, 5.
Occupate, 305, 24.
Occupato, 171, 7.
Oceano, 301, 9.
Ocius, 279, 14.
Oculi *singul.*, 352, 5.
Oculis, 10, 1. 58, 2. 212, 18. 335, 27.
Oculo, 111, 6.
Oculorum, 213, 2.
Oculos, 7, 2. 25, 5. 29, 1, aliisque

locis 10.
Oculus, 337, 1.
Oderant, 299, 10.
Oderit, 283, 26.
Odiis, 48, 4. 142, 1.
Odio, 283, 26. 283, 29. 299, 9.
Odiosa, 297, 1.
Odiosos, 132, 3.
Odisse, 283, 27.
Odores, 302, 2.
Offensio, 45, 3.
Offensione, 60, 4.
Officii, 265, 28.
Officiis, 80, 2.
Officinas, 61, 7.
Officio, 9, 2. 194, 11. 265, 17. 266, 2.
Officium, 265, 18. 265, 23. 265, 26, aliisque locis 2.
Olim, 4, 1. 49, 2. 182, 6, aliisque locis 3.
Omne, 126, 4. 136, 5. 159, 7, aliisque locis 20.
Omnem, 58, 1. 156, 5. 239, 2, aliisque locis 7.
Omnes, 119, 2. 119, 10. 177, 1, aliisque locis 6.
Omni, 59, 3. 117, 3. 118, 4, aliisque locis 5.
Omnia, 179, 2. 229, 8. 231, 12, aliisque locis 30.
Omnia *accus.*, 68, 3. 75, 5. 275, 10, aliisque locis 2.
Omnibus, 53, 6. 56, 5. 61, 4, aliisque locis 21.
Omnino, 159, 5. 159, 6. 230, 7. aliisque locis 5.
Omnis, 93, 3. 122, 5. 123, 4, aliisque locis 10.
Omnium, 31, 2. 44, 10. 54, 3, aliisque locis 36.
Omnium potens, 248, 3.
Omnium potentem, 248, 1.
Oneratum, 299, 23.
Oneret, 190, 3.
Oneris, 292, 10.
Opacæ, 290, 2.
Opera *femin.*, 52, 4. 283, 19.
Opera, 133, 5.
Operæ, 13, 3.
Operam, 42, 3. 246, 15. 283, 24. 338, 2.
Operante, 313, 15.
Operatus, 387, 1, 314, 6.
Operi, 83, 4.
Operis *nomen singul.*, 70, 6. 133, 9. 294, 10. 299, 16.
Opes, 48, 1. 101, 10. 105, 5, aliisque locis 12.
Opibus, 101, 5. 134, 5. 134, 10, aliisque locis 4.
Opilionem, 49, 3.
Opima, 171, 1.
Opinio, 194, 13, 325, 2. 325, 17, aliisque locis 4.
Opinione, 195, 4. 219, 21. 327, 2.
Opinionem, 305, 10. 325, 15.
Opinioni, 297, 24.
Opinionibus, 87, 4. 204, 4.
Opinionis, 76, 1. 118, 2. 336, 10.
Opinor, 54, 6. 111, 2. 335, 12.
Oportebat, 283, 18.
Oportere, 249, 9. 345, 8.
Oportet, 42, 3. 95, 1. 95, 8 aliisque locis 4.
Opponitur, 238, 14.
Opportunitate, 110, 2.
Opposui, 48, 4.
Oppressi, 330, 7.
Oppressit, 24, 5.
Opprimat, 305, 23.
Optanda, 319, 3. 328, 3.
Optandum, 320, 1.
Optantur, 232, 16.
Optari, 176, 8. 232, 13.
Optasse, 52, 5.
Optat, 41, 1. 270, 9. 307, 5.
Optata, 288, 3. 297, 1. 298, 13.
Optatorum, 320, 5.
Optavi, 44, 8.
Optavimus. 155, 2.
Optet, 123, 6. 331, 6.
Optimam, 305, 7.
Optime, 296, 10.
Optimorum, 156, 3.
Optimum, 178, 1. 179, 9.
Opulentis, 188, 14.
Opum, 101, 1. 137, 11. 273, 1.
Opus, 68, 2, 221, 9. 239, 10.
Opus est, 135, 3. 282, 8.
Ora *accus. plur.*, 3, 1. 153, 3. 174, 2, aliisque locis duobus.
Oratio, 72, 2. 257, 2.
Orationis, 312, 1.
Orator, 110, 9.
Oratores, 283, 14.
Orbe, 102, 7. 302, 7.
Orbem, 19, 3. 181, 3. 185, 5, aliisque locis duobus.
Orbes, 18, 5. 223. , 3. 303. 2.
Orbi, 234, 6. 336, 19.
Orbis, 63, 1. 292, 2. 310, 6. 323, 1.
Orbium, 295, 12.
Orbus, 121, 3.
Ordine, 292, 15.
Ordinem, 55, 2. 80, 6. 267. 13 aiiisque locis 8.
Ordines, 294, 11.
Ordinibus, 294, 2.
Ordinis, 43, 8. 52, 5. 288, 5, aliisque locis 3.
Ordo, 134, 3. 185, 3. 217, 2, aliisque locis 11.
Ore, 44, 2. 44, 4. 75, 5, aliisque locis 5.
Oriatur, 313, 18.
Oriens, 351, 27.
Origo, 302, 12.
Oriri, 350, 26.
Oris *ab, os*, 256, 1. 322, 2.
Oris *plur.*, 301, 15.
Oriundus, 72, 5.
Oriuntur, 238, 5.
Ornamenta, 136, 2.
Ornamentis, 120, 5. 177, 1.
Ornari, 137, 1.
Ornet, 20, 4. 106, 5.
Orpheus, 254, 11.
Orsa, 293, 1.
Orta, 87, 4. 302, 9.
Ortæ, 194, 16.
Ortu, 20, 2. 65. 4. 153, 6. 206, 2.
Ortum, 185, 4. 208, 8. 313. 18.
Ortus, 262, 8. 289, 5.
Ortus *aceus.*, 65, 2. 184, 7.
Os *vultum*, 148, 3.
Ossa, 163, 1.
Ostendam, 124, 4. 258, 9.
Ostendat, 280, 9.
Ostendimus, 268, 11. 271, 7.
Ostendisse, 217, 1.
Ostendit, 335, 16.
Ostensum, 219, 25.
Ostentando, 55, 6.
Ostentat, 149, 17. 149, 4. 272, 25.
Ostentum, 99, 1.
Ostro, 196, 1.
Otia, 44, 7.
Otium, 200, 7.

P

Pabula, 277, 4.
Pabulum, 309. 2.
Pacem, 301, 2.
Pacis, 178, 1.
Pacto, 283, 19.
Paginæ, 340, 5.
Palam est *patet*, 232, 4.
Palatini, 48, 1.
Palleant, 290, 1.
Pallens, 65, 4.
Pallet, 113, 3.
Pallida, 64, 6.
Palmites, 79, 5.
Paludes, 157, 3. 238, 6.
Pandit, 106, 8.
Panniculis, 33, 7.
Papæ, 83, 8. 264, 1.
Papinianum, 200, 4.
Par, 89, 5. 211, 3.
Parantis, 256, 3.
Parat, 276, 7.
Paraverint, 216, 7.
Paravit, 218, 28.
Parcit, 297, 27.
Parem, 194, 6.
Parente, 109, 5.
Parentum, 205, 12.
Parere, *obedire*, 50, 2. 248, 17.
Paribus, 225, 1.
Parietes, 74, 5.
Pariter, 74, 2. 110, 7. 132, 7, aliisque locis 16.
Parmenides, 249, 4.
Pars, 70, 6. 123, 2.
Parata, 106, 6.
Parte, 14, 9. 33, 5. 103, 5, aliisque locis 8.
Partem, 33, 6. 172, 2. 210, 24. 325, 8.
Partes, 222, 1. 237, 10. 333, 4.
Parthis, 157, 15.
Partibus, 218, 24. 238, 24. 246, 6. 336, 20.
Participatione, 231, 8. 236, 17. 281, 3.
Participes, 345, 6.
Particulas, 11, 9.
Partirer, 32, 3.
Partium, 231, 13. 231, 25.
Parva, 158, 13.
Parvam, 246, 14.
Passim, 36, 2.
Passio, 341, 7. 343, 3.
Passione, 343, 5.
Passionem, 343, 6.
Passuum, 57, 1.
Pateat, 266, 10.
Patebit, 193, 3. 237, 11.
Patefacere, 334. 7.
Patefaceres, 231, 16.
Patefaciam, 236, 5.
Patefecerit, 348, 7.
Patens, 234, 3.
Patentes, 161, 3.
Pater, 206, 3. 226, 1.
Pateris, 82, 1.
Paterni, 119, 6.
Patet, 137, 1. 246, 29. 266, 5. 351, 33.
Pati, 64, 2.
Patiantur, 120, 3. 149, 6.
Patiatur, 297, 29.
Patiebantur, 46, 5.
Patiens, 238, 14. 340, 10.
Patienter, 158, 21.
Patientiam, 158, 21.
Patientiæ, 298, 5.
Patitur, 25, 1. 80, 4. 277, 8, aliisque locis tribus.
Patiuntur, 283, 2.
Patrandi, 268, 11. 279, 13.
Patrem, 219, 34. 229, 16. 307, 6.
Patri, 119, 2.
Patria, 123, 3. 262, 7.
Patria, 72, 2.
Patriæ, 72, 5.
Patriam, 246, 15. 258, 11. 313, 2.
Patribus, 54, 5. 152, 1. 197, 4.
Patrisfamilias, 257, 14.
Patrum, 110, 8.
Patuerunt, 257, 2.
Patuisset, 53, 5.
Patuit, 239, 28.
Pauca, 75, 2. 100, 1. 297, 18.
Paucis, 133, 17.
Pauculis, 82, 1. 164, 1.
Pavet, 41, 1.
Pavidus, 273, 5.
Paulinum, 48, 1.
Paulisper, 12, 3. 25, 2. 25, 3, aliisque locis 9.
Paulo, 83, 6. 102, 11. 131, 2, aliisque locis 27.
Paululum, 176, 1.
Paulum, 103, 1.
Pauperes, 132, 9.
Paupertate, 132, 11.
Pax, 76, 4

Pectora, 291, 4.
Pectori, 24, 7.
Pectoribus, 315, 2.
Pectoris, 251, 11. 346, 3.
Pecudes, 201, 1.
Pecunia, 132, 5. 187, 3. 188, 2. 314, 11.
Pecuniæ, 132, 1. 178, 6. 188, 5. 298, 22.
Pecuniam, 188, 7. 188, 8. 212, 4, aliisque locis 2.
Pecuniosorum, 188, 15.
Pedibus, 38, 1. 183, 8. 257, 9, aliisque locis 2.
Pedum, 265, 23. 265, 25.
Pejora, 208, 7. 282, 9.
Pelagi, 322, 4.
Pelago, 275, 2.
Pelagus, 168, 12.
Pellatur, 188, 11.
Pelle *verbum*, 90, 1. 90, 6.
Pellebas, 58, 2.
Pellere, 203, 4.
Pellerentur, 50, 5.
Pendenda, 179, 14.
Pendentis, 199, 8.
Pendet, 294, 8.
Pendit, 219, 1.
Pendulum, 129, 1.
Pendulus, 301, 20.
Pene, 7, 4. 266, 12 *bis*.
Penetrabat, 10, 7.
Penetral, 59, 1.
Penetraret, 212, 18.
Penetrent, 109, 3.
Penitus, 92, 1. 188, 15. 256, 2, aliisque locis 3.
Pennæ, 259, 1.
Pennas, 258, 9.
Pensare, 350, 12.
Pensares, 95, 7.
Pensari, 76, 3.
Penuriæ, 218, 26.
Pepulerit, 174, 5.
Pepulerunt, 221, 2.
Pepulisti, 72, 4.
Per, 18, 5. 43, 2. 84, 5, aliisque locis 24.
Percipiendam, 125, 5.
Percipiens, 294, 9.
Perculsi, 49, 1.
Percurrenti, 237, 11.
Perdat, 64, 7.
Perdens, 332, 5.
Perdideris, 101, 9.
Perdidisses, 101, 13.
Perdidit, 254, 12. 349, 1.
Perdit, 254, 19.
Perdita, 139, 1.
Perditis, 277, 6.
Perditissimum, 61, 7.
Perditum, 54, 5.
Perditus, 253, 9.
Perducere, 212. 2.
Perductas, 156, 2.
Perducturas, 212, 3.
Perdurant, 194, 16.
Perdurat, 124, 2. 137, 4. 198, 2. 205, 9.
Peregi, 2, 1.
Peregrina, 34, 2.
Perennem, 127, 1.
Pererrans, 153, 1.
Perexigua, 122, 6.
Perexile, 125, 11.
Perfecerint, 279, 8.
Perfeci, 171, 3.
Perfecta, 213, 7. 219, 17. 229, 8, aliisque locis 2.
Perfectæ, 11, 2.
Perfectam, 228, 16.
Perfectas, 222, 1.
Perfecti, 228, 1. 228, 8. 229, 10.
Perfectio, 228, 3.
Perfectione, 156, 2. 228, 11.
Perfectionem, 282, 15.
Perfectiori, 344, 11.
Perfecto, 217, 9.
Perfectum, 176, 9. 219, 27. 222, 1, aliisque locis 6.
Perferunt, 61, 4.
Perficere, 179, 6. 279, 12.
Perficiat, 216, 18. 265, 17. 338, 3.
Perficiunt, 213, 8.
Perfidam, 94, 8.
Pergat, 78, 4.
Perhibetur, 228, 9. 228, 11. 229, 17. 349, 9.
Perhorrescerem, 32, 5.
Perhorrescis, 94, 8.
Perhorresco, 170, 6.
Pericula, 144, 1.
Periculi, 25, 1. 55, 3.
Periculis, 32, 6. 46, 2. 193, 3. 218, 7.
Periculorum, 199, 7.
Periculosam, 129, 3.
Periit, 310, 1.
Perimendam, 326, 4.
Perire, 286, 5.
Perjuria, 69, 7.
Permanebit, 239, 19.
Permanendi, 238, 17. 239, 15.
Permanendo, 350, 5.
Permanens, 287, 6.
Permanent, 237, 6.
Permanere, 239, 17.
Permanet, 237, 9.
Permeant, 346, 1.
Permisit, 12, 5.
Permissis, 317, 1.
Permissum, 299. 2.
Permitterent, 283, 25.
Permulta, 135, 5.
Permultis, 126, 1. 135, 4.
Permutant, 178, 5.
Permutare, 95, 5.
Permutat, 273, 7.
Pernicie, 279, 4.
Perniciem, 44, 6. 237, 19. 239, 15.
Perniciosa, 94, 9. 134, 4.
Perniciosis, 287, 9. 321, 2.
Perosa, 260, 1.
Perpendas, 299, 22. 335, 26.
Perpendis, 292, 11.
Perpendit, 337, 1.
Perpenditur, 351, 8.
Perpendo, 287, 3.
Perpessi, 283, 15.
Perpesso, 283, 9.
Perpeti, 299, 8.
Perpetrata 45, 5.
Perpetua, 120, 11. 124, 2.
Perpetua, 220, 1.
Perpetuo, 63, 2.
Perpetuo, 194, 16. 198, 2.
Perpetuum, 168, 2. 350, 7.
Perrarum, 146, 6.
Perrumpere, 322, 5.
Persæpe, 137, 6.
Perscrutemur, 84, 1.
Perses, 103, 1.
Personat, 244, 1.
Perspecta, 172, 2.
Perspectum, 131, 4.
Perspexisse, 299, 17.
Perspicaci, 186, 3.
Perspicacibus, 10, 1.
Perspicaciter, 217, 2.
Perspicacius, 242, 5.
Perspicax, 320, 4.
Perspicio, 230, 14.
Perspicua, 219, 15.
Perspicuæ, 282, 3.
Perspicuum, 264, 15. 268, 1. 271, 2.
Perstringam, 297, 19.
Perstrinxit, 111, 6.
Persuadet, 231, 11.
Persuasum, 126, 1.
Pertimescas, 87, 1.
Pertimescis, 137, 9.
Pertimescit, 298, 23.
Pertimescunt, 201, 2.
Pertractes, 158, 5.
Pertulisset, 283, 8.
Perturbat, 292, 3. 350, 29.
Perturbata, 296, 14.
Perturbatione, 14, 11. 258, 11.
Perturbationibus, 76, 7.
Perturbationum, 84, 6. 84, 11. 87, 4.
Perturbere, 324, 2.
Perutilia, 313, 2.
Pervagata, 157, 21.
Pervenire, 157, 13. 176, 4. 187, 3, aliisque locis 4.
Perversa, 297, 24.
Perversi, 69, 1.
Pervertit, 33, 10. 92, 3.
Pervetusta, 35, 1.
Pervincere, 3, 2.
Pervincere, 3, 2.
Pervium, 266, 19.
Pervulganda, 157, 6.
Pessimam, 305, 14.
Pessimis, 35, 6. 149, 2. 149, 5. 299, 8.
Pessimos, 149, 4.
Pessimus, 137, 7.
Pessum, 347, 10.
Pessumdari, 46, 4.
Peste, 276, 13.
Pestem, 44, 6.
Pestis, 201, 6.
Petant, 265, 12.
Petantur, 232, 15.
Petas, 79, 1.
Petebat, 219, 3.
Petere, 219, 29.
Peteret, 95, 6.
Peteretur, 248, 16.
Petis, 133, 17. 212, 8. 347, 9.
Petit, 159, 7. 161, 1. 178, 17, aliisque locis 5
Petitas, 249, 7.
Petitis *verbum*, 124, 3. 285, 3.
Petitis *adject.*, 335, 21.
Petito, 188, 6.
Petitos, 207, 6.
Petitur, 232, 4. 265, 5.
Petunt, 54, 4. 159, 3. 178, 7, aliisque locis 7.
Petuntur, 178, 10.
Philosophi, 158, 19.
Philosophia, 256, 1.
Philosophiæ, 32, 3.
Philosophiam, 31, 1.
Philosophum, 158, 23.
Philosophus, 158, 20.
Phœbe, 168, 6. 290, 4.
Phœbes, 301, 4.
Phœbi, 65, 4. 77, 1. 235, 4. 291, 2.
Phœbo, 64, 7. 207, 1. 242, 5. 261, 1.
Phœbum, 322, 1.
Phœbus, 28, 1. 113, 1. 153, 6, aliisque locis 2.
Phrygiæ, 307, 2.
Physicis, 313, 23.
Pias, 103, 1.
Piavit, 307, 3.
Piget, 61, 2. 120, 6.
Piis, 226, 6.
Pingitur, 261, 4.
Pinus, 140, 5.
Pisce, 214, 6. 215, 7.
Placet, 102, 7. 146, 7. 181, 5, aliisque locis 5.
Placida, 234, 2.
Placidas, 20, 3.
Placido, 71, 1.
Placidum, 251, 9.
Placuisse, 297, 22.
Placuissent, 134, 10.
Plagas, 161, 3.
Plane, 158, 13.
Planius, 216, 2. 265, 21.
Plato, 349, 15.
Platone, 249, 8.
Platonem, 350, 6.
Platoni, 219, 31. 245, 1. 349, 12.
Platonis, 33, 1. 44, 2. 244, 1. 268, 15.
Plaustra, 289, 3.
Plebis, 110, 8.
Plena, 10, 3. 198, 3. 200, 2 *bis*. 209, 2.
Plenæ, 290, 1.
Plenam, 219, 20. 246, 19. 248, 12.
Plenissime, 86, 1.

Plenissimum, 229, 10. 229, 15.
Plenitudinem, 349, 8. 349, 22. 350, 5.
Pleno, 21, 1. 64, 3. 105, 6.
Plenum, 218, 18. 526, 9.
Plenus, 187, 17. 229, 17.
Plerumque, 149, 4. 166, 6.
Plura, 237, 13. 335, 26. 344, 5.
Plures, 132, 8. 148, 8., 157, 6, aliisque locis 4.
Pluribus, 132, 11. 135, 3. 187, 6, aliisque locis 4.
Plurimi, 178, 2.
Plurimis, 118, 3.
Plurimorum, 60, 6.
Plurimos, 157, 20.
Plurimus, 76, 4.
Plus, 165, 5. 199, 13.
Plus æquo, 298, 6. 298, 7.
Pocula, 183, 3. 275, 7. 277, 2.
Pœna, 48, 3. 68, 8. 272, 20, aliisque locis 2.
Pœna, 258, 4. 272, 11. 272, 13. 272, 16.
Pœnæ, 272, 12. 327, 10.
Pœnali, 281, 15.
Pœnam, 281, 5.
Pœnarum, 283, 22. 287, 9.
Pœnas, 55, 8. 352, 19.
Pœni, 182, 1.
Pœnitentiæ, 209, 2.
Pœnorum, 148, 8.
Poeticas, 12, 2.
Poli, 259, 2.
Pollens, 287, 5.
Pollicentur, 213, 6. 219, 9.
Polluisse, 57, 6.
Polo, 113, 1.
Polum, 216, 3. 261, 7.
Polus, 27, 1.
Polyphemus, 308, 3.
Poma, 309, 3.
Pomis, 302, 4.
Pondera, 143, 2. 222, 4. 226, 4.
Pondere, 22, 3. 170, 4, 299, 23. 301, 21.
Pontis, 156, 4.
Pondus, 110, 6. 129, 2. 238, 20 314, 4.
Ponere, 111, 5. 127, 2.
Ponti, 19, 2. 38, 4.
Pontum, 128, 4.
Pontus, 105, 2.
Popularem, 205, 8.
Populares, 158, 14. 194, 1.
Populari, 205, 2. 287, 3.
Popularis, 178, 8.
Populi *genit.*, 61, 1. 195, 2. 305, 10.
Populi *plur.*, 70, 2. 293, 1.
Populos, 153, 4. 157, 20. 162, 6 aliisque locis 2.
Populus, 305, 8.
Πόρισμα, 231, 9.
Πορίσματα, 231, 9.
Porrigite, 252, 25.
Porro, 238, 21. 350, 15.
Porticus, 339, 1,
Portio, 133, 9. 157, 1. 292, 12.
Portionem, 158, 8. 199, 6. 218, 24.
Portus, 234, 2.
Poscendi, 212, 6.
Poscens, 188, 16.
Poscet, 102, 9.
Positæ, 352, 23.
Positam, 124, 3.
Positi, 305, 3, 305, 21.
Positionis gratia, 335, 8.
Positum, 115, 7.
Posse, 58, 6. 52, 13. 55, 3, aliisque locis 25.
Possem, 14, 6. 217, 5. 218, 31. 236, 9.
Possemus, 345, 7.
Possent, 265, 11. 268, 6.
Posses, 193, 8.
Possessio, 348, 8.
Possessione, 181, 1. 135, 10. 212, 11, aliisque locis 2.
Posset, 53, 7. 176, 7. 176, 8. 188, 8.
Possibile, 313, 19. 326, 21.
Possibilitas, 267, 18. 268, 11.
Possibilitate, 279, 13.
Possibilitatem, 268, 13.
Possideant, 135, 5.
Possidebas, 118, 5.
Possidebis, 124, 6.
Possidens, 229, 7.
Possidentibus, 137, 6.
Possidere, 242, 3. 349, 22.
Possideret, 188, 8.
Possideri, 132, 5.
Possidet, 349, 8.
Possidetur, 188, 2.
Possimus, 328, 11. 348, 4.
Possint, 84, 12. 84, 13. 238, 5, aliisque locis 3.
Possis, 87, 7. 95, 5. 111, 7, aliisque locis 13.
Possit, 25, 3. 123, 9. 125, 1, aliisque locis 26.
Possum, 117, 2. 120, 7. 218, 12, aliisque locis 2.
Possumus, 193, 6. 345, 10.
Possunt, 88, 3. 132, 9. 188, 12, aliisque locis 18.
Post, 159, 3. 260, 3. 281, 14.
Post, *deinde*, 11, 2. 170, 3.
Posterioribus, 352, 17.
Posteros, 53, 2.
Posthac, 170, 5.
Posthæc, 91, 1. 281, 22.
Postquam, 251, 3.
Postremæ, 133, 6.
Postremo, 95, 1. 160, 2. 166, 6, aliisque locis 3.
Postremus, 76, 1.
Postulas, 350, 17.
Postulatis, 158, 16.
Postulet, 100, 2.
Posuisse, 309, 6.
Posuisti, 76, 4. 304, 9. 352, 15.
Potens, 181, 2. 219, 3. 264, 6, aliisque locis 2.
Potentem, 198, 1. 199, 11. 199, 12, aliisque locis 4.
Potentes, 86, 5. 258. 3. 265, 13, aliisque locis 3.
Potentia *substant.*, 147, 1. 150, 1. 179, 12, aliisque locis 10.
Potentia, 145, 1. 177, 7. 217, 10, aliisque locis 3.
Potentia *adject.*, 277, 10.
Potentiæ, 178, 12. 200, 6. 218, 3, aliisque locis 3.
Potentiam, 148, 10. 178, 5. 178, 6, aliisque locis 7.
Potentior, 341, 2.
Potentiorum, 45, 2.
Potentis, 257, 11.
Potentissimum, 218, 10. 247, 9. 266, 20. 266, 21.
Potentius *nomen*, 268, 2.
Potentius *adverb.*, 277, 15.
Poterat, 271, 14. 337, 9.
Poteris, 85, 2. 118, 6, 199, 13.
Poterit, 94, 11. 110, 6. 158, 12, aliisque locis 8.
Poteritis, 212, 13.
Potest, 52, 7. 53, 7. 84, 10, aliisque locis 49.
Potestas, 149, 14. 154, 1, aliisque locis 10.
Potestate, 199, 11, 338, 2. 351, 31. 352, 1.
Potestatem, 147, 3.
Potestatibus, 149, 1.
Potestatis, 145, 2.
Potius *adject.* 132, 1.
Potius *adverb.*, 14, 2. 60, 4. 72, 3, aliisque locis 28.
Potuisse, 264, 17. 279, 10.
Potuissent, 267, 18. 351, 24.
Potuisset, 266, 19.
Potuisti, 35, 2. 193, 4.
Potuit, 3, 2. 11, 9. 38, 3, aliisque locis 5.
Potum, 140, 4.
Præ, 147, 3. 178, 16. 178, 18. 212, 11.
Præbuit, 148, 9.
Præcedentibus, 280, 10.
Præcedit, 341, 5.
Præcellens, 119, 1.
Præcellentissimum, 230, 1.
Præcellit, 125, 4.
Præceps, 298, 20.
Præceptor, 33, 2.
Præceptorem, 200, 4.
Præcessisse, 280, 8.
Præcessit, 325, 20.
Præcipitat, 253, 8. 267, 3.
Præcipitavit, 299, 1.
Præcipitem, 106, 9.
Præcipiti, 16, 1. 26, 3. 80, 5. 161, 1.
Præcipua, 119, 7.
Præcipui, 133, 2.
Præcipuis, 252, 5.
Præcipuos, 159, 2.
Præcipuum, 254, 18. 272, 6.
Præclara, 137, 11. 147, 1. 157, 22. 198. 4.
Præcognita, 336, 3.
Præcognitio, 335, 14.
Præcurris, 266, 7.
Præcurrit, 352, 9.
Prædæ, 33, 6.
Prædestinata, 321, 6.
Prædestinatione, 292, 9.
Prædicantur, 204, 5. 205, 13.
Prædicatio, 157, 20. 205, 13.
Prædicavit, 110, 2.
Præditum, 193, 8.
Præditus, 193, 9.
Præeuntis, 266, 13.
Præfectum, 47, 3.
Præfectura, 195, 3.
Prægravat, 108, 7.
Præibitis, 212, 13.
Præire, 212, 6.
Præjudicatæ, 48, 3.
Prælium, 305, 22.
Præmia, 44, 1. 76, 2. 142, 6, aliisque locis 8.
Præmii, 272, 4 *bis*.
Præmiis, 55, 8. 61, 10. 237, 8.
Præmio, 258, 4. 272, 2. 272, 13. 297, 4.
Præmissa, 50, 8.
Præmittere, 258, 8.
Præmium, 271, 5. 271, 6. 271, 8, aliisque locis 6.
Prænoscendi, 352, 11.
Prænoscere, 324, 7. 326, 20. 335, 24, aliisque locis 2.
Prænotio, 335, 5. 336, 7. 345, 13. 350, 22.
Prænotionem, 335, 18.
Præpositum, 45, 5.
Præposterum, 326, 5.
Præscientia, 325, 2. 325, 10. 325, 14, aliisque locis 4.
Præscientia, 335, 3.
Præscientiæ, 326, 6. 334, 5.
Præscientiam, 335, 2. 335, 9. 350, 13. 352, 5.
Præscierit, 327, 6.
Præsciri, 326, 15. 336, 8. 345, 4.
Præscitæ, 326, 11.
Præsciturum, 325, 13.
Præsciuntur, 335, 5.
Præscius, 352, 20.
Præscriptum, 50, 4.
Præsens, 54, 7. 94, 12. 126, 7, aliisque locis 6.
Præsenserit, 324, 9.
Præsentaria, 352, 16.
Præsentarie, 294, 10.
Præsentarium, 349, 18.
Præsentarius, 350, 9.
Præsentem, 56, 5. 93, 1. 349, 11.
Præsenti, 350, 21.
Præsentia *adject.*, 350, 18. 350, 23. 351, 18. 351, 29.
Præsentiæ, 349, 21. 350, 2. 350, 10.
Præsentiam, 187, 13. 349, 16. 350, 1, aliisque locis 3.
Præsentis, 120, 2. 350, 20. 352. 5.

Præsentium, 336, 3. 350, 29.
Præsertim, 279, 17. 287, 8.
Præsidere, 83, 4. 147, 2.
Præsidia, 58, 5.
Præsidio, 188, 6. 188, 10. 201, 4. 217, 2.
Præsidium, 219, 32.
Præstantes, 156, 1.
Præstantia, 158, 15.
Præstantius, 179, 14. 229, 7. 229, 20. 230, 7.
Præstare, 136, 4. 178, 14. 189, 2, aliisque locis 5.
Præstat, 350, 3.
Præstent, 195, 9. 215, 8.
Præstet, 343, 15.
Præstiterit, 327, 3.
Præsto, 320, 5.
Præsumas, 229, 18.
Præter, 228, 5. 280, 19. 281, 1. 313, 11.
Præterea, 59, 1.
Prætereant, 257, 6.
Prætereo, 110, 3.
Prætereunt, 111, 10.
Præterire 110, 3.
Præterit, 103, 1.
Præteriti, 349, 9. 349, 21. 350, 11.
Præteritis, 348, 10.
Prætermisso, 219, 34.
Prætorii, 47, 3.
Prætulerunt, 298, 10.
Prætura, 195, 1.
Prævenit, 352, 12.
Prævia, 257, 1.
Prævideantur, 336, 7.
Prævidentia, 350, 14.
Præviderit, 324, 6.
Prava, 279, 9.
Pravitas, 218, 23.
Pravitatis, 280, 3.
Pravos, 280, 15.
Pravus, 296, 18.
Precabaris, 281, 20.
Prece, 252, 10.
Preces, 352, 23. 352, 25.
Precor, 120, 3.
Premant, 287, 11.
Premat, 261, 8.
Prementibus, 113, 4.
Premit, 68. 7. 158, 3.
Premunt, 155, 7. 157, 3.
Pressas, 340, 7.
Pressisse, 347, 2.
Pressurus, 310, 6.
Pressus, 22, 2. 245, 3. 270, 10.
Pretio, 118, 8. 298, 9. 328, 6.
Pretiosa, 132, 4. 134, 11. 134, 12, aliisque locis 2.
Pretiosæ, 131, 5. 135, 3.
Pretiosam, 94, 11.
Pretiosissimum, 109, 7. 118, 5. 118, 7. 166, 12.
Pretiosus, 124, 5. 136, 6.
Pretiosum, 231, 9.
Pretium, 55, 6. 74, 6. 310, 9.
Prima, 60, 8.
Prima, 295, 18.
Primæ, 65, 1. 295, 11.
Primordia, 208, 4.
Primum, 245, 2.
Primum, 32, 6. 82, 1. 111, 6, aliisque locis 5.
Primus, 143, 1. 182, 9.
Princeps, 229, 6,
Principe, 230, 3. 293, 10.
Principem, 229, 2.
Principi, 328, 10.
Principiis, 239, 7.
Principio, 84, 10. 230, 8, 293, 1. 313, 16.
Principium, 146, 3. 186, 2. 227, 1. 230, 9.
Principum, 109, 7.
Prior, 26, 2. 138, 1. 142, 4.
Priora, 229, 9.
Prioribus, 230, 13.
Prioris, 92, 2.
Priscos, 142, 8.
Privatis, 46, 4.
Privato, 111, 4.
Privatos, 61, 12.
Prius, 229, 7.
Prius, 24, 3. 109, 8. 146, 5. aliisque locis 8.
Priusquam, 335, 32. 336, 2. 351, 24, 351, 28.
Pro, 33, 4. 45, 2. 55, 7, aliisque locis 6.
Proavos, 208, 3.
Probante, 157, 2.
Probantis, 55, 5.
Probaremus, 345, 1.
Probas, 94, 7.
Probat, 98, 5. 229, 2.
Probationem, 335, 20.
Probationibus, 248, 19.
Probes, 229, 14.
Probi, 134, 5.
Probis, 146, 6. 271, 12. 272, 14. 299, 3.
Probitas, 134, 6. 146, 7. 271, 1, aliisque locis 4.
Probitate, 273, 9.
Probitatis, 283, 23. 352, 26.
Probo *verbum*, 210, 7. 325, 3.
Proborum, 287, 2.
Probos, 271, 10. 297, 2. 327, 12.
Proba, 268, 20. 271, 1.
Probris, 298, 22.
Probus, 272, 2.
Procedam, 264, 8.
Procedat, 325, 21.
Procedens, 228, 14. 314, 15.
Procederet, 246, 10.
Procedit, 93, 8. 176, 3. 239, 12, aliisque locis 2.
Procellas, 115, 1.
Procellis, 35, 5. 102, 5.
Processerint, 84, 9.
Procul, 57, 1. 72, 2.
Proculdubio, 133, 16. 237, 11. 351, 21.
Prodeat, 229, 9.
Prodente, 11, 2.
Proderet, 148, 3.
Prodesse, 165, 6. 283, 19.
Prodest, 305, 1. 305, 2.
Prodidisset, 72, 2.
Prodigii, 92, 4.
Prodigiis, 106, 4.
Prodit, 149, 17.
Proditori, 299, 18.
Productum, 313, 10.
Produxit, 101, 4.
Profanæ, 33, 10
Profanum, 13, 1.
Profecto, 108, 1. 240, 1. 243, 2, aliisque locis 2.
Proferas, 108, 3.
Proferendi, 178, 6.
Proferendo, 157, 7.
Proferre, 85, 3. 102, 1. 157, 21. 326, 22.
Profert, 302, 6.
Proficiant, 158, 2.
Proficiet, 247, 8.
Proficiscantur, 396, 9.
Proficiscens, 296, 19.
Proficiscuntur, 351, 22.
Profitetur, 165, 3.
Profligat, 218, 31.
Profligatura, 47, 2.
Profuisse, 60, 3.
Profunda, 241, 1.
Profundam, 223, 4.
Profunditate, 297, 19.
Profundo *substant.*, 16, 1.
Profundum, 109, 3.
Progreditur, 305, 25.
Progressus, 293, 1. 296, 7.
Prohibebor, 102, 1.
Prohibet, 231, 8.
Prolatis, 93, 2.
Prole, 122, 1.
Prolis, 110, 2.
Prolixi, 158, 12.
Prolixitate, 299, 23.
Promat, 296, 12.
Promere, 181, 6.
Promeremur, 328, 6.
Promeruit, 33, 3.
Promisimus, 219, 14.
Promissionis, 313, 1.
Promittere, 187, 19.
Promittis, 264, 1.
Promittunt, 187, 6. 212, 3.
Promovereris, 95, 6.
Promovimus, 120, 5.
Promptissima, 217, 7.
Promptissimum, 66, 9.
Promptum, 178, 13. 291, 3.
Prona, 101, 6. 347, 5.
Pronum, 184, 2.
Propagandæ, 305, 19.
Propagare, 157, 17. 158, 4. 178, 2.
Propagasse, 205, 3.
Propagentur, 238, 15.
Prope, 254, 10.
Propensius, 57, 2.
Properata, 5, 1.
Propinqua, 289, 2. 295, 11.
Propinqua, 313, 23.
Propinquat, 285, 3.
Propinquitatis, 109, 7.
Propinquus, 234, 6
Propior, 64, 7.
Propitiis, 283,17.
Propius, 14, 8.
Proponas, 231, 22.
Proponunt, 352, 20.
Proponuntur, 327, 10.
Proposita, 264, 9.
Propositam, 178, 19.
Propositi, 313, 3.
Propositionum, 280, 9.
Propositis, 230, 13. 231, 1.
Propositum *substant.*, 265, 19. 352, 1. 352, 2.
Propositum *adject.*, 35, 6. 265, 16. 266, 1. 271, 8.
Proposui, 351, 27.
Proposuimus, 246, 16.
Propria, 193, 10. 194, 13. 327, 13. 351, 14.
Propria *ablat.*, 16, 2. 285, 2. 296, 13, aliisque locis 3.
Propriæ, 68, 2. 147, 10. 320, 9. 352, 10.
Propriam, 94. 4. 194, 1. 351, 23.
Proprias, 314, 5.
Proprietate, 349, 18.
Proprietatem, 350, 22.
Proprii, 149, 2. 195, 4.
Propriis, 80, 1. 86, 3. 340, 8.
Proprio, 103, 8.
Proprios, 185, 1.
Proprium, 101, 2. 135, 7. 149, 12, aliisque locis 4.
Propter, 232, 16, 271, 4. 271, 5, aliisque locis 3.
Propugnare, 54, 4.
Prorsus, 24, 6. 45, 5. 94, 7, aliisque locis 16.
Proscriptioni, 57, 2.
Prosequerentur, 3, 3.
Prospectu, 294, 5.
Prospera, 297, 1.
Prosperam, 165, 6.
Prosperitatis, 117, 2.
Prospexerat, 294, 10.
Prospexerit, 325, 6.
Prospexi, 246, 27.
Prospiciam, 246, 2.
Prospiciat, 350, 16.
Prospiciens, 321, 5. 327, 7. 337, 13.
Prospicit, 324, 5. 340, 16.
Prospicitis, 186, 3.
Prostratos, 61, 9.
Prosternit, 200, 3.
Prosternitur, 122, 5.
Proterit, 98, 1. 183, 8.
Protervus, 128, 7.
Protexi, 46, 2.
Protrahit, 7, 6.
Protinus, 193, 10.
Protulit, 299, 7. 299, 19.

Provectu, 305, 13. 305, 21.
Provehere, 272, 26.
Provehi, 110, 8.
Provehis, 225, 2.
Provehit, 168, 4. 291, 5.
Provenerint, 192, 1.
Proveniant, 335, 23.
Proveniat, 120, 11. 345, 6.
Provenient, 350, 23.
Provenirent, 149, 2.
Provenit, 149, 17. 205, 9. 314, 10.
Proveniunt, 149, 7. 288, 13. 351, 18.
Proventu, 352, 13.
Provida, 181, 3.
Providentia, 239, 12. 293, 6. 293, 9, aliisque locis 13.
Providentia, 294, 11. 295, 9. 312, 4, aliisque locis 3.
Providentiæ, 292, 8. 294, 8. 295, 1, aliisque locis 11.
Providentiam, 295, 6. 299, 22. 304, 7, aliisque locis 2.
Providentur, 325, 9. 326, 2. 326, 3, aliisque locis 2.
Providere, 326, 8.
Provideri, 325, 9. 326, 4.
Provincialium, 46, 3.
Provinciam, 47, 2.
Provisa, 60, 7. 326, 4.
Provisæ, 325, 1.
Provocet, 343, 3.
Proximos, 123, 1.
Proximus, 109, 8. 297, 30.
Prudentem, 166, 5.
Prudentia, 94, 17.
Ptolomæo, 157, 1.
Publicæ, 44, 8.
Publicis, 46, 4.
Publicus, 290, 5.
Pudeat, 247, 16.
Pudebit, 162, 3.
Pudibunda, 310, 3.
Pudicitiæ, 119, 1.
Pudore, 24, 4. 24, 5. 110, 2. 119, 1.
Pudori, 52, 3. 121, 1.
Puduit, 50, 9.
Pueris, 119, 6.
Pugna, 315, 2.
Pugnantia, 168, 1. 301, 17.
Pulcherrimi, 133, 9. 272, 5.
Pulcherrimum, 213, 1.
Pulcherrimus, 221, 7.
Pulchra, 133, 9. 134, 9. 174, 6, aliisque locis 3.
Pulchris, 168, 18.
Pulchritudinem, 194, 2.
Pulchritudinis, 133, 6. 134, 8. 195, 8.
Pulchritudo, 133, 8. 178, 14.
Pulchrius, 231, 10.
Pulchrum, 92, 7. 133, 5. 134, 1, aliisque locis 4.
Pulsare, 10, 5.
Pulsibus, 290, 6.
Pulsum *adject.*, 72, 3.
Pulsus, 61, 5. 72, 3.
Pulverem, 346, 2.
Puncti, 156, 6. 157, 6. 295, 15. 296, 3.
Puncto, 157, 6.
Pungit, 218, 30.
Puniendi, 299, 2. 304, 5.
Puniri, 281, 9. 327, 12.
Punisset, 56, 6.
Punit, 306, 2.
Puniti, 281, 9.
Punitos, 281, 23.
Puniuntur, 281, 4.
Puppes, 316, 5.
Pura, 280, 22.
Pura, 300, 2. 337, 3.
Pure, 267, 10.
Purgatoria, 281, 16.
Purior, 222, 3.
Puritate, 293, 6.
Puro, 322, 1.
Purpura, 269, 3.
Purpuræ, 215, 6.
Purpureum, 78, 5.
Putabantur, 188, 10.
Putabas, 246, 3.
Putabat, 148, 4.
Putabo, 248, 4.
Putant, 178, 3. 179, 10. 187, 2, aliisque locis 3.
Putarem, 13, 2.
Putaremus, 282, 16.
Putare, 193, 9. 326, 8.
Putares, 193, 5. 283, 8.
Putaret, 148, 2.
Putas, 83, 1. 94, 3. 134, 1, aliisque locis 5.
Putasti, 75, 4.
Putat, 125, 11. 137, 9. 280, 7, aliisque locis 3.
Putatis *verbum*, 164, 7.
Putes, 102, 10. 111, 9. 123, 4, aliisque locis 3.
Putet, 197, 5. 268, 5. 279, 17. 344, 2.
Puto, 131, 2. 149, 8. 188, 1, aliisque locis 6.
Pythagoricum, 58, 3.

Q

Qua, 41, 4. 43, 4. 53, 10, aliisque locis 13.
Qua, *adverb. loci*, 248, 8 *bis*.
Quadam, 231, 13. 238, 12.
Quadrigis, 113, 1. 309, 7. 335, 27.
Quæ *singulari*, 6, 1. 10, 6. 12, 2, aliisque locis 77.
Quæ *plur. femin.*, 12, 5. 12, 7. 120, 2, aliisque locis 14.
Quæ *plur. neut. nomin.*, 76, 7. 101, 6. 106, 9, aliisque locis, 76.
Quæ *plur. neut accus.*, 24, 3. 53, 12. 53, 14, aliisque locis 52.
Quæcunque *singul.*, 18, 4. 210, 5. 305, 13.
Quædam *singul.*, 11, 4. 112, 4. 158, 11, aliisque locis 4.
Quædam *plur. femin.*, 212, 2. 325, 33.
Quædam *plural. nomin. neut.*, 33, 8. 109, 2 230, 16, aliisque locis 4.
Quædam *plural. accus.*, 219, 26. 298, 3. 312, 1. 350, 21.
Quælibet, 268, 18. 324, 8.
Quænam, 14, 6. 125, 8. 268, 1, aliisque locis 3.
Quæque *nomin. plur. neutr.*, 149, 3. 185, 1. 238, 18.
Quæque *accus. plur.*, 36, 6. 118, 6. 136, 5, aliisque locis 6.
Quæras, 79, 4.
Quæratis, 135, 8.
Quærere, 166, 12.
Quæri, 292, 10.
Quæris, 51, 1.
Quæritis, 135, 2. 214, 3. 254, 5.
Quæritur, 232, 17.
Quæro, 312, 5. 335, 1.
Quæsieris, 282, 9.
Quæsisse, 126, 7.
Quæsita, 106, 7. 334, 3.
Quæsitu, 292, 4.
Quæsivit, 54, 1.
Quæso, 229, 14, 281, 13. 292, 2.
Quæstionem, 312, 4.
Quæstionis, 290, 23. 325, 4.
Quale, 228, 4.
Qualem, 306, 1. 313, 19.
Qualemcunque, 349, 24.
Quales, 343, 11.
Qualia, 350, 23.
Qualibet, 187, 9. 230, 4.
Qualicunque, 186, 3.
Qualitate, 120, 9. 279, 3. 298, 4. 352, 22.
Qualitatem, 350, 29.
Qualitates, 343, 2.
Qualitatibus, 246, 11.
Quam, 32, 2, 33, 5. 43, 3, aliisque locis 37.
Quam diu, 237, 3.
Quam multa, 219, 1.
Quam multis, 123, 6.
Quam multos, 123, 1. 158, 1.
Quam plurimos, 131, 8.
Quam vultis nimio, 213. 3.
Quam *quantum*, 7, 1. 16, 1. 51, 1, aliisque locis 21.
Quam *post* aliud, 94, 15. 146, 7. 179, 6, aliisque locis 4.
Quam *post* alius, 297, 14.
Quam *post* alio modo, 265, 19.
Quam *post* aliter, 46, 5.
Quam *post* magis plus et comparat, 132, 2. 165, 6. 201, 6, aliisque locis 10.
Quam *post* potius, 74, 5. 212, 15. 232, 15. 287, 5. 337, 22.
Quam *post* tam, 74, 3. 232, 14. 350, 25.
Quam *post* prius, 109, 8. 328, 8, aliisque locis, de quibus supra.
Quamdam, 178, 9. 350, 2.
Quamlibet *pro* quantumlibet, 158, 12.
Quamque, 326, 18.
Quamvis, 10, 2. 106, 3. 129, 7, aliisque locis 11.
Quando, 120, 1. 179, 17. 198, 2.
Quanquam, 158, 2. 292, 12. 313, 15. 350. 26.
Quanta, 132, 6. 180, 5. 238, 15, aliisque locis 2.
Quanta, 55, 3. 257, 6.
Quantalibet, 110, 6.
Quantas, 105, 1. 151, 1. 181, 1.
Quanti, 166, 10. 236, 2. 292, 10.
Quantis, 212, 3.
Quantitate, 349, 21.
Quantitatem, 349, 17.
Quanto, 147, 4. 171, 5. 271, 1.
Quanto *ante* tanto, 295, 15.
Quanto magis, 343, 6.
Quantos, 209, 3.
Quantum, 120, 4. 193, 2.
Quantum ad hoc attinet, 335, 9.
Quantum, 136, 3. 157, 3. 157, 4, aliisque locis 3.
Quantumlibet, 158, 9. 271, 11.
Quantus, 327, 8.
Quare, 86, 1. 119, 9. 125, 9, aliisque locis 23.
Quarta, 157, 1,
Quartæ, 157, 3.
Quarum, 11, 3. 53, 5. 134, 1, aliisque locis 5.
Quas, 11, 2. 11, 9. 67, 2, aliisque locis 13.
Quasdam, 238, 17.
Quasi, 32, 5. 93, 3. 209, 3, aliisque locis 14.
Quasi vero, 325, 10. 335, 23.
Quatimur, 70, 7.
Que, 4, 1. 9, 1. 10, 7, aliisque locis 392.
Queam, 84, 4.
Queant, 268, 7.
Queas, 147, 5. 239, 14.
Queat, 53, 3. 131, 4. 157, 13, aliisque locis 9.
Quem, 13, 1. 57, 5. 123, 3, aliisque locis 24.
Quemdam, 148, 1. 209, 3. 248, 9.
Quemlibet, 132, 11.
Quemnam, 265, 20.
Quempiam, 147, 7. 325, 20.
Quemquam, 132, 4. 212, 2. 296, 19.
Quemque, 61, 8. 61, 9. 146, 1, aliisque locis 2.
Queo, 165, 5. 230, 13.
Querar, 53, 11.
Queraris, 94, 8,
Querebare, 281, 19.
Querela, 334, 1.
Querelæ, 23, 1. 101, 8.
Querelam, 108, 2.
Querelas, 106, 2. 203, 5.
Querelis, 100, 3. 258, 6.
Querens, 252, 1,
Quærentes, 296, 18.
Querimoniæ, 188, 4.
Querimoniam, 9, 1.
Quernas, 78, 4.

Questibus, 71, 2.
Queunt, 149, 14. 266, 11. 303, 7.
Qui *singul.*, 2, 1. 8, 2. 24, 1, aliisque locis 69.
Qui *plural.*, 46, 5. 54, 3. 57, 4, aliisque locis 39.
Qui *quomodo*, 84, 9. 84, 10. 204, 5, aliisque locis 3.
Qui *quare*, 304, 10.
Quia, 7, 5. 187, 12. 194, 1, aliisque locis 6.
Quibus, 11, 7. 33, 8. 35, 5 aliisque locis 39.
Quibuscunque, 350, 2.
Quibusdam, 295, 1. 299, 2. 314, 2.
Quibuslibet, 297, 30.
Quibusque, 122, 5.
Quicunque, 161, 1. 254, 14.
Quid *aliquid*, 101, 2. 108, 1. 108, 2, aliisque locis 23,
Quid aliud? *interrog.*, 103, 2. 146, 6.
Quid? *quæ res?* 20, 3. 21, 1. 50, 5, aliisque locis 23.
Quid *quamlibet rem*, 54, 7.
Quid *quam rem*, 135, 1, 157, 7. 158, 5, aliisque locis 14.
Quid *quare*, 8, 1. 24, 4. 31, 2, aliisque locis 15.
Quid? *interrog.*, 266, 12. 285, 1. 297, 12, aliisque locis 10.
Quid si, 103. 5. 103, 6 *bis*. 247, 8, aliisque locis 2.
Quid dicam quod, 238, 9.
Quid est, quod, 134, 8. 189, 2. 288, 4. 335. 7.
Quid proficiant? 158, 2.
Quid referre putas, 112, 5.
Quid id tua refert, 134, 9.
Quid hoc refert? 327, 1. 351, 24.
Quid quod, 157, 17. 238, 11.
Quid igitur? 50, 7. 52, 2. 179, 12, aliisque locis 10.
Quid enim? 212, 4.
Quid attinet, 53, 4.
Quidam *singul.*, 54, 1. 158, 17. 228, 7, aliisque locis 5.
Quidam *plural.*, 11, 6. 213, 8. 297, 9, aliisque locis 5.
Quiddam, 178, 1. 179, 10. 305, 10, 344, 7.
Quidem, 10, 4. 12, 1. 25, 3, aliisque locis 90.
Quidnam, 14, 7. 219, 22. 280, 12, aliisque locis 2.
Quid ni? 85, 2. 133, 8. 187, 17, aliisque locis 5.
Quidquam, 147, 8, 247, 8. 292, 5, aliisque locis 5.
Quidquid, 95, 1. 137, 7. 168, 15, aliisque locis 12.
Quiescentes, 343, 4.
Quiete, 234, 2.
Quieti *adject.*, 129, 9.
Quietis *substant.*, 147, 10. 313, 5.
Quin, 83, 7. 126, 4. 179, 15, aliisque locis 11.
Quinetiam, 19, 1. 215, 3.
Quingentis, 57, 1.
Quinis, 307, 1.
Quippe, 13, 2. 135, 3. 136, 8. 171, 3.
Quique *plural.*, 299, 5.
Quis, 12, 4. 19, 3. 55, 6, aliisque locis 46.
Quispiam, 232, 13. 232, 19. 238, 7, aliisque locis 2.
Quisquam, 46, 3. 147, 7. 148, 6, aliisque locis 3.
Quisque, 11, 9. 33, 5. 53, 14, aliisque locis 15.
Quisquis, 37, 1. 41, 1. 70, 5, aliisque locis 10.
Quo, 36, 7. 48, 6. 60, 7, aliisque locis 46.
Quo fit ut, 157, 19. 192, 4. 228, 9, aliisque locis 10.
Quo *quomodo*, 147, 7, 331, 8.
Quo *adverb. interrog. ad locum*, 84, 7.
Quo *suppl. loco*, 314, 11.
Quo, *quem in scopum*, 95, 5. 95, 6. 352, 4.
Quo *pro* ut, 123, 8. 155, 3. 248, 7.
Quo magis, 194, 3.
Quoad possunt, 239, 13.
Quocunque *ablat.*, 261, 4.
Quod *quæ res*, 53, 6. 80, 5. 94, 16, aliisque locis 30.
Quod *quam rem*, 25, 3. 44, 7. 45, 1, aliisque locis 32.
Quod *quodnam*, 146, 2.
Quod *cum antecedente*, 35, 4. 74, 6. 84, 5, aliisque locis 166.
Quod *conjunctio*, 34, 1. 35, 3. 41, 2, aliisque locis 43.
Quod si, 94, 13. 95, 2. 111, 7, aliisque locis 23.
Quodam, 93, 3. 157, 6. 157, 13. 280. 17.
Quodammodo, 55, 5. 287, 8. 321, 4.
Quodcunque, 213, 4.
Quoddam, 94, 15. 268, 10. 313, 17.
Quodque, 238, 11, 319, 3.
Quolibet, 228, 9.
Quonam, 126, 7. 134, 5. 216, 1, aliisque locis 7.
Quonam *adverb. loci*, 171, 5. 171, 6.
Quondam, 2, 1. 17, 4. 24, 1, aliisque locis 10.
Quoniam, 33, 8. 34, 2. 36, 2, aliisque locis 47.
Quopiam, 325, 16.
Quoque, 31, 3. 32, 7. 34, 6. aliisque locis, 73.
Quoquo gentium *pro ubique*, 194, 11.
Quoquo modo, 53, 1. 325, 12.
Quorum, 35, 1. 36, 1. 49, 1, aliisque locis 15.
Quorumdam, 11, 8. 304, 11.
Quos, 35, 2. 46, 1. 54, 4, aliisque locis 38.
Quosdam, 298, 4.
Quot, 105, 3.
Quotidianis, 100, 3.
Quotidie, 58, 3. 188, 3.
Quoties, 17, 2. 38, 6. 45, 3, aliisque locis 8.
Quovis, 101, 1.

R

Rabidas, 182, 10.
Rabie, 269, 6.
Rabiem, 154, 2.
Rabies, 38, 4.
Radiat, 114, 5.
Radice, 283, 11.
Radicibus, 238, 10.
Radiis, 29, 1. 77, 1. 336, 18.
Radio, 43, 7.
Radiorum, 322, 4.
Radios, 135, 5. 207, 1. 235, 4.
Ramis, 183, 1.
Rapacitas, 106, 7.
Raperis, 133, 13.
Rapiant, 287, 12.
Rapidis, 105, 1.
Rapido, 64, 1.
Rapidos, 70, 8. 301, 6.
Rapidus, 212, 16.
Rapiebas, 171, 1.
Rapiens, 302, 8.
Rapientes, 36, 6.
Rapiet, 164, 9.
Rapinis, 46, 4.
Raptatur, 36, 3.
Raptum, 33, 5.
Rapuit, 309, 3.
Rara, 112, 3. 115, 3. 291, 5.
Rata, 33, 9.
Rates, 275, 2.
Ratio, 182, 9. 217, 7. 229, aliisque locis 18.
Ratiocinandi, 344, 13.
Ratiocinari, 219, 4. 326, 1.
Ratiocinatio, 296, 2.
Ratiocinationem, 230, 22.
Ratiocinationi, 344, 1.
Ratiocinationis, 334, 5.
Rationabili, 133, 4.
Rationale, 85, 3. 337, 16.
Rationali, 337, 18.
Rationalis, 319, 1.
Ratione, 47, 3. 83, 7. 125, 3, aliisque locis 24.
Rationem, 43, 8. 86, 1. 156, 6, aliisque locis 4.
Rationes, 159, 4. 247, 18. 249, 6, aliisque locis 5.
Rationi, 86, 11. 345, 8.
Rationibus, 236, 1. 246, 5. 248, 7, aliisque locis 2.
Rationis, 12, 8. 83, 2. 135, 9, aliisque locis 7.
Rationum, 131, 1. 247, 14. 265, 15, aliisque locis 2.
Ravenna, 50, 4.
Re, 53, 10. 218, 1. 230, 4, aliisque locis 5.
Rea, 32, 1.
Ream, 100, 2.
Reatus, 57, 4.
Rebus, 101, 4. 112, 2. 118, 2, aliisque locis 23.
Recepi, 30, 2.
Recepta, 171, 4. 176, 2.
Recepta, 328, 9.
Recepto, 327, 8.
Recessisse, 304, 13.
Recessus, 215, 4.
Recipiendam, 76, 8.
Recipit, 55, 6.
Reclamantem, 33, 5.
Recognoscentis, 75, 5.
Recolentem, 117, 3.
Recolligit, 340, 18.
Reconciliandæ, 86, 1.
Recondit, 218, 31.
Reconditis, 341, 14.
Reconditur, 238, 12.
Recoquens, 153, 9.
Recordabitur, 25, 2.
Recordaris, 265, 4.
Recordatur, 244, 2.
Recorderis, 245, 5.
Recordor, 265, 6.
Recta, 243, 4. 312, 2.
Rectæ, 352, 23.
Rectas, 352, 24.
Recte, 75, 4. 128, 15. 218, 1, aliisque locis 6.
Rectissime, 230, 10.
Rectius, 350, 14.
Recto, 90, 4. 93, 8. 184, 4, aliisque locis 2.
Rector, 68, 5. 70, 8. 257, 5, aliisque locis 3.
Rectore, 86, 7. 239, 25.
Rectores, 44, 3.
Rectori, 247, 4.
Rectos, 303, 1.
Rectum, 280, 15. 313, 4.
Rectus, 38, 2. 297, 23.
Recubans, 308, 2.
Recurrat, 261, 5.
Recursus, 18, 4. 185, 1.
Recursant, 129, 2.
Redarguit, 340, 23.
Redarguuntur, 149, 19.
Reddere, 21, 4.
Reddit, 213, 3. 340, 13.
Reddunt, 192, 2. 194, 6.
Redeunt, 182, 6.
Rediere, 299, 9.
Redigatur, 136, 10.
Redigere, 213, 5.
Rediit, 26, 2.
Redimere, 102, 3.
Redimit, 307, 5.
Redirent, 142, 7.
Reditu, 185, 2.
Reditura, 223, 4.
Reducem, 262, 5.
Reduces *nomen*, 166, 7.
Reduci *nomen*, 225, 4.
Refectus, 299, 25.
Referantur, 178, 13. 231, 15. 328 1. 351, 32.
Referas, 351, 34.

Referat, 262, 5.
Referens, 340, 22.
Referimus, 44, 1.
Referre, 209, 4. 286, 7.
Referri, 232, 3. 268, 10. 268, 11.
Refertur, 205, 11. 293, 7. 351, 8.
Referuntur, 231, 22. 239, 24.
Reficit, 301, 13.
Refluant, 303, 9.
Reformidat, 239, 8.
Refovisti, 170, 4.
Refragari, 230, 13.
Refragatus, 313, 15.
Refragentur, 344, 1.
Refugit, 239, 2. 320, 1.
Regantur, 247, 3.
Regat, 169, 3. 289, 3.
Regatur, 84, 3. 86, 6. 245, 6.
Rege, 47, 4.
Regebat, 153, 4.
Regem, 102, 11.
Regendum, 95, 8. 246, 18.
Regens, 168, 12. 302, 11.
Regentium, 287, 7.
Regere, 248, 17.
Regerent, 44, 3.
Regerentur, 83, 7.
Regeret, 76, 4.
Reges, 70, 3. 98, 1. 198, 4. 269, 2.
Regi *nomen*, 50, 3.
Regi *verbum*, 84, 2. 246, 3.
Regia *adject.*, 50, 2. 200, 2.
Regiæ *adject.*, 45, 4. 110, 9.
Regibus, 199, 6.
Regimen, 83, 2. 247, 5.
Regio *substant.*, 157, 4.
Regio *adject.*, 49, 2.
Regionis, 157, 1.
Regis *nomen*, 103, 1.
Regis *verbum*, 70, 9.
Regit, 246, 23. 247, 12. 262, 3. 316, 8.
Regitur, 36, 2. 72, 6. 169, 3, aliisque locis 2.
Regium, 146, 5.
Regna *nomen*, 103, 2. 108, 2. 198, 1, 200, 1.
Regnant, 90, 6.
Regnantibus, 177, 8.
Regni, 199, 7.
Regnare, 177, 8.
Regnis, 217, 3.
Regno *nomen*, 257, 10. 258, 2. 299, 14.
Regnorum, 199, 1.
Regnum, 103, 8.
Regulus, 148, 8.
Regum, 198, 1. 199, 4. 200, 1. 262, 1.
Reguntur, 296, 11.
Rei *nomen substant.*, 53, 2. 121, 2. 149, 12, aliisque locis 15.
Reipublicæ, 44, 4. 157, 14. 299, 20.
Relabatur, 299, 14.
Relabi, 325, 8.
Relabuntur, 239, 2.
Relapsa, 188, 9.
Relata, 351, 19.
Relevatur, 279, 7. 281, 3.
Relicta *ablat.*, 16, 2. 158, 15. 237, 15, 267, 1.
Relicta *plur.*, 44, 6.
Relictam, 262, 10. 283, 21.
Relicturam, 94, 11.
Relinquat, 261, 7.
Relinquatur, 283, 26.
Relinquere, 32, 4.
Relinqueretur, 176, 8.
Relinquetur, 157, 5. 334, 7.
Relinqui, 199, 4.
Relinquis, 281, 15.
Relinquite, 14, 3.
Relinquo, 53, 2.
Relinquunt, 132, 10. 267, 7. 271, 11.
Reliqua, 53, 7. 272, 24. 305, 7.
Reliquerit, 92, 6.
Reliquiis, 123, 2.
Reliquit, 94, 10. 166, 10.
Reliquum, 178, 11.
Reliquus, 313, 13.
Rem, 249, 1. 292, 4. 326, 18, aliisque locis, 2.
Remeat, 302, 4.
Remedia, 76, 6. 109, 1. 170, 6.
Remediis, 12, 5. 87, 2.
Remedio, 298, 22.
Remiges, 277, 1.
Reminiscare, 92, 7.
Reminiscaris, 72, 5.
Reminisci, 61, 2. 187, 11. 209, 6.
Remiserit, 168, 14.
Remisit, 184, 3.
Remoratur, 285, 4.
Remordet, 298, 4.
Remotos, 162, 6.
Rempublicam, 156, 3.
Remunerandi, 304, 4.
Remunerari, 327, 12.
Renitentem, 33, 5.
Renovat, 296, 7.
Renuntiare, 200, 6.
Reor, 165, 6. 228, 2.
Rependit, 308, 5.
Repentinis, 292, 9.
Repentino, 279, 18.
Reperiet, 219, 8.
Reperire, 147, 5. 219, 33. 331, 2.
Reperiretur, 314, 11.
Reperta, 226, 2.
Repertam, 331, 8.
Repetis, 101, 3.
Repetit, 179, 5.
Repetunt, 185, 1. 303, 6.
Repetuntur, 188, 5.
Replere, 133, 16. 162, 2.
Replet, 132, 7.
Reptantium, 147, 6.
Repudiarent, 283, 24.
Repugnare, 324, 3.
Reputarem, 9, 1.
Reputes, 118, 4.
Requies, 226, 6. 234, 1.
Requiris, 262, 6.
Requirit, 183, 9. 332, 6.
Requiro, 74, 5.
Reris, 112, 2.
Rerum, 25, 4. 36, 6. 43, 5, aliisque locis 68.
Res *singul.*, 120, 10. 188, 9. 267, 9, aliisque locis 3.
Res *plural.*, 120, 4. 149, 18. 296, 10, aliisque locis 3.
Resecarent, 283, 18.
Resecat, 173, 3.
Reseret, 27, 5.
Reservari, 48, 7.
Residens, 43, 5. 275, 4.
Resident, 69, 1.
Resideres, 283, 7.
Resides, 182, 6.
Resistentis, 266, 8.
Resistit, 89, 5.
Resistunt, 238, 4. 323, 3.
Resolvis, 223, 2.
Resolvit, 329, 2.
Resolvitur, 352, 14.
Resoluta, 159, 7.
Resoluto, 89, 7.
Resolutum, 159, 3.
Resolvunt, 316, 1.
Respectus, 280, 18.
Respersa, 123, 7.
Respice, 70, 4. 230, 14.
Respiceres, 193, 6.
Respicias, 245, 4. 282, 11. 351, 34.
Respicientium, 10, 7.
Respicio, 30, 3.
Respicit, 254, 13. 282, 12. 297, 15, aliisque locis 2.
Respicite, 212, 13.
Resplendeat, 271, 2.
Respondeant, 272, 14.
Respondeas, 85, 1.
Respondeat, 344, 8.
Respondebo, 351, 7. 352, 2.
Respondere, 84, 4.
Respondi, 84, 10.
Respondissem, 53, 8.
Responsurum, 82, 3.
Respublicas, 44, 2.
Respuis, 68, 4.
Respuit, 149, 3.
Restant, 171, 3.
Restare, 246, 15.
Restat, 232, 3.
Restinguere, 149, 14.
Retentent, 106, 10.
Retentis, 134, 9.
Retinendæ, 119, 7.
Retinens, 118, 6. 333, 1.
Retinent, 149, 15.
Retinere, 96, 1. 297, 27. 299, 19.
Retineri, 94, 14. 123, 9.
Retinet, 232, 8. 267, 14.
Retorquet, 352, 10.
Retractans, 333, 2.
Retrahat, 105, 5.
Retrahens, 302, 15.
Retrahere, 101, 7. 175, 2.
Retrahit, 166, 7.
Retrusum, 242, 3.
Retundatur, 298, 3
Reveharis, 313, 2.
Revehat, 67, 3. 258, 9.
Revehit, 301, 12.
Reverendi, 9, 3. 177, 6.
Reverendos, 194, 4. 195, 5.
Reverendum, 192, 1. 218, 16, 219, 17.
Reverendus, 59, 2. 287, 5.
Reverentia, 231, 18. 236, 11.
Reverentia, 193, 6. 193, 8. 232, 6.
Reverentiæ, 179, 9. 218, 21.
Reverentiam, 60, 4. 180, 3. 194, 7, aliisque locis 2.
Revertar, 282, 1.
Revertaris, 258, 12.
Revertatur, 179, 5.
Reverti, 225, 4.
Revertor, 179, 3.
Revisas, 246, 16.
Reum, 52, 2.
Revocans, 303, 1.
Revocare, 92, 8.
Revocat, 352, 10.
Revocentur, 316, 3.
Resolvat, 241, 3.
Rex, 55, 1. 302, 12.
Rhetores, 149, 11.
Rhetorica, 149, 11.
Rhetoricæ, 93, 7. 148, 4.
Ridens, 130, 2.
Ridet, 98, 4.
Ridiculo, 327, 1.
Rigant, 3, 1.
Rigidus, 163, 2.
Rimarer, 43, 7.
Rimari, 21, 3.
Rimula, 217, 6. 283, 21.
Ripa, 234, 5.
Ripis, 310, 3.
Rite, 219, 34.
Rixetur, 120, 9.
Robore, 84, 5. 129, 10. 212, 12.
Robur, 24, 2. 178, 13. 238, 10.
Rogat, 253, 1.
Rogati, 243, 4.
Rogationibus, 82, 1.
Rogationis, 84, 3.
Rogato, 82, 4.
Rogi, 102, 12.
Romanæ, 157, 14.
Romanam, 53, 4.
Rosei, 18, 2.
Roseis, 20, 4. 113, 1.
Roseos, 174, 6.
Roseum, 168, 3.
Rosis, 114, 2.
Rota, 253, 8.
Rotæ, 96, 1.
Rotam, 102, 7.
Rotat, 249, 6.
Rotatus, 295, 15.
Rotunditatem, 336, 17. 336, 29.
Rubentis, 215, 6.
Rubore, 14, 4.

Rubos, 173, 3.
Rubri, 190, 3.
Rugam, 25, 5.
Ruinas, 151, 1. 235, 2.
Ruinis, 129, 7. 307, 2.
Ruituros, 201, 1.
Rumore, 205, 2.
Rumores, 61, 1. 158, 15.
Rupe, 89, 6.
Rupis, 315, 1.
Ruptis, 38, 6.
Rura, 191, 1.
Rursus, 184, 6. 248, 14. 265, 15, aliisque locis 4.
Rutilante, 234, 5.
Rutilo, 20, 2. 301, 3.

S

Sacerdos, 307, 7.
Sacerdotes, 56, 4.
Sacrarum, 50, 2.
Sacras, 56, 4.
Sacrilegio, 57, 5. 58, 2.
Sacrum *substant.*, 168, 22.
Sæculi, 298, 9.
Sæpe, 6, 2. 33, 1. 43, 5, aliisque locis 17.
Sæva, 7, 2. 98, 1. 106, 7, aliisque lotis 2.
Sæviant, 271, 11.
Sævientis, 43, 2. 76, 3. 148, 3. 197, 2.
Sævior *nomen*, 142, 9.
Sævis *nomen*, 79, 2. 251, 7. 309, 7.
Sævit, 279, 4.
Sævitiæ, 286, 6,
Sæviunt, 277, 19.
Sævo, 154, 4. 309, 1.
Sagittis, 309, 2.
Saliens, 183, 6.
Salo, 35, 5. 70, 7.
Saltem, 3, 2. 280, 2. 282, 2.
Salubres, 140, 3.
Salubri, 83, 8.
Salubritas, 178, 15.
Salus, 247, 6. 297, 12.
Salutem, 52, 5. 237, 19.
Salutis, 86, 10. 232, 13. 232 14.
Salvum, 51, 2.
Sanandum, 14, 3.
Sanciat, 282, 7.
Sanciente, 249, 9.
Sancitum, 73, 2.
Sancta, 69, 2.
Sancte, 229, 14.
Sanctissimum, 178, 10.
Sancto, 168, 20.
Sanctus, 59, 2. 297, 30.
Sanguinem, 54, 4.
Sanguinis, 142, 6.
Sanguis, 121, 1.
Sanis, 297, 8.
Sanitatis, 297, 10.
Sanxisti, 44, 2.
Sapiens, 148, 5. 272, 11. 297, 28, aliisque locis 1.
Sapientes, 231, 6. 268, 16. 283, 25.
Sapienti, 271, 11.
Sapientia, 118, 9. 193. 8. 193, 9.
Sapientiæ, 44, 3 *bis*. 231, 6. 287, 7. 305, 19.
Sapientiam, 32, 7.
Sapientibus, 44, 4.
Sapientis, 205, 1.
Sapientum, 44, 9, 53, 1.
Sapientium, 287, 4.
Sapor, 174, 2.
Sarcina, 195, 2.
Sarcinam, 32, 2. 61, 3.
Sarcinulas, 36, 5.
Satellite, 199, 12.
Satiasti, 111, 2.
Satiavit, 310, 5.
Satient, 188, 14.
Satietas, 209, 2.
Satietatem, 133, 18.
Satis, 43, 2. 48, 4. 60, 3, aliisque locis 8.
Satisfacerem, 283, 9.
Sator, 220, 2.
Satur, 253, 11.
Saxi, 89, 7.
Saxis, 238, 6. 343, 11.
Saxo, 129, 6.
Scalarum, 11, 6.
Scelera, 298, 20.
Scelerata, 53, 11. 279, 3.
Sceleratius, 327, 16.
Sceleratorum, 61, 6. 257, 9. 279, 6.
Sceleratos, 266, 13.
Sceleri, 68, 8.
Sceleribus, 75, 3. 271, 3. 298, 16.
Sceleris, 55, 8. 57, 5. 268, 11. 179, 13.
Scelerum, 253, 5. 282, 6. 287, 11.
Scelesti, 266, 22.
Scelus, 79, 12.
Scenam, 112, 1.
Scenicas, 12, 4.
Sceptro, 153, 4.
Sceptrum, 12, 1. 262, 1.
Sciam, 85, 3.
Scias, 351, 11.
Sciatis 213, 4.
Sciderant, 11, 8.
Sciente, 297, 17
Scientes, 267, 4.
Scienti, 297, 20.
Scientia, 326, 13. 326, 16. 326, 18, aliisque locis 5.
Scientia, 43, 5. 336, 9.
Scientiæ, 326, 14. 336, 11. 336, 12, aliisque locis 4.
Scientiam, 348, 7. 350, 13.
Scientis. 257, 10.
Scilicet, 32, 4. 156, 3. 165, 3, aliisque locis. 4.
Scimus, 126, 5.
Scindat, 191, 1.
Scintilla, 247, 19.
Scintillula, 87, 1.
Scio, 83, 4. 85, 4. 85, 5, aliisque locis 2.
Scire, 35, 2. 164, 4, 287, 13. 331, 4,
Scis, 55, 4. 84, 9. 155, 1.
Scissem, 53, 10.
Scit, 125, 7. 125. 8. 331, 3.
Scitur, 348, 2.
Sciturum, 158, 20.
Sciuntur, 336, 14.
Scopulis, 315, 1.
Scribenda, 2, 3.
Scribere, 95, 3.
Scripta *substant.*, 158, 2.
Scriptorum *substant.*, 158, 1.
Scurræ, 193, 5.
Se, 6, 1. 43, 2. 53, 9. 55, 5, aliisque locis 63.
Secabat, 141, 1.
Secreta, 43, 7. 44, 7. 147, 6.
Secreto, 184, 6.
Secretum, 55, 6.
Secrevit, 166, 10.
Secta, 223, 3.
Sectanda, 267, 2.
Sectionem, 239, 2.
Secum, 351, 13.
Secunda, 164, 10.
Secundo, 245, 2.
Secundum *præpos. cum regimine*, 265, 16. 265, 22. 336, 15 *bis*. 350, 8.
Secure, 232, 21.
Securi, 36, 6. 199, 10.
Securitate, 55, 3. 61, 11.
Securus, 94, 11. 118, 10. 137, 12. 212, 8.
Secutus, 44, 7.
Sed, 14, 1. 23, 1. 24, 5, aliisque locit, 235.
Sede, 58, 2. 207, 6. 238, 12.
Sedeat, 325, 15.
Sedem, 43, 4. 73, 3. 74, 5, aliisque locis 4.
Sedendi, 325, 18.
Sedentem, 193, 1.
Sedere, 260, 1. 325, 15. 325, 17. 325, 20.
Sedet, 302, 10. 325, 17. 325, 19.
Sedis, 129, 4.
Segetem, 12, 7.
Segetes, 67, 5.
Segnis, 118, 9. 273, 6.
Segregatæ, 237, 9.
Seipsum, 351, 34.
Seirenes, 14, 2.
Seirius, 67, 5.
Semel, 95, 2, 327, 8.
Semen, 243, 2.
Semet, 223, 4.
Semetipsis, 299, 4.
Semina, 67, 4. 78, 2. 95, 6. 168, 1.
Semine, 238, 15, 275, 5.
Seminum, 296, 7.
Semita, 227, 1.
Semita, 258, 12.
Semper, 45, 2. 46, 1. 52, 6, aliisque locis 20.
Senatorii, 195, 1.
Senatui, 54, 5.
Senatum, 51, 1. 52, 1. 57, 2.
Senatus, 54, 4. 55, 2. 55, 3. 75, 6.
Seneca, 200, 6.
Senecam, 200, 3.
Senecas, 35, 1.
Senectus, 5, 1.
Senes, 339, 2.
Senibus, 110, 4.
Senis *substant.*, 4, 2. 261, 2.
Sensi, 171, 1.
Sensibile, 337, 11. 344, 3. 344, 4, aliisque locis 2.
Sensibilem, 337, 17.
Sensibili, 337, 21.
Sensibilia, 337, 14. 337, 20.
Sensibus, 337, 12. 337, 14. 337, 19, aliisque locis 2.
Sensu, 337, 18. 337, 20.
Sensum, 345, 8.
Sensus, 53, 10. 108, 6. 122, 4, aliisque locis 6.
Sensuum, 343, 2.
Sententia, 56, 6. 304, 8. 313, 14.
Sententia, 83, 8.
Sententiæ *singul.*, 83, 5. 264, 7. 281, 23.
Sententiæ *plur.*, 61, 1. 180, 6.
Sententiam, 44, 1. 84, 3. 86, 10, aliisque locis 3.
Sententiarum, 170, 4.
Sententias, 74, 6.
Sententiis, 93, 2.
Sentias, 246, 14.
Sentiendi, 344, 13.
Sentiendis, 343, 1. 343, 4.
Sentire, 326, 22.
Sentis, 42, 1.
Sentiunt, 188, 13.
Separari, 171, 9.
Separat, 217, 9.
Separatione, 237, 7.
Sepositis, 135, 8.
Septem triones, 153, 7.
Septi, 292, 12.
Septos, 269, 4,
Septum, 157, 9.
Sequentes, 305, 10. 350, 6.
Sequentibus, 313, 8.
Sequentum, 313, 1.
Sequestrari, 179, 14.
Sequestrata, 134, 10.
Sequi, 215, 1. 331, 7.
Sequuntur, 343. 8.
Sera, 139, 2. 164, 9.
Seras, 289, 4. 301, 11.
Sereni, 133, 9.
Serenis, 89, 5.
Sereno *substant.*, 114, 5.
Serenum *substant.*, 226, 5.
Serenus, 37, 1. 130, 1.
Serere, 173, 1.
Serie, 292, 9. 318, 2.
Seriem, 53, 2. 168, 11. 295, 10. 299, 20.
Series, 295, 4. 296, 4. 296, 5. 328, 3.
Seris *verbum*, 225, 3.
Sermo, 159, 2. 304, 10.
Sermone, 299, 17.
Sermones, 249, 10.

Sermonibus, 304, 12.
Sermunculis, 158, 16.
Serpens, 286, 1.
Serum *substant.*, 140, 1.
Serum *adject.*, 279, 16.
Servans, 247, 7.
Servant, 279, 2. 301, 2.
Servantissimum, 297, 20.
Servantur, 258, 1.
Servat, 119, 3. 257, 14.
Servata, 256, 1.
Servatis, 333, 3.
Servator, 297, 13.
Servatur, 118, 6. 246, 25.
Servavit, 94, 4.
Servet, 181, 3.
Serviat, 203, 3.
Servientium, 199, 14.
Servitus, 320, 8.
Servitutem, 321, 3.
Servum, 212, 10.
Sese, 10, 4. 50, 3. 94, 7, aliisque locis 16.
Setiger, 310, 7.
Seu, 178, 6 *bis*. 295, 2 *ter*. 295, 3 *bis*. 295, 4 *bis*.
Severitate, 56, 2.
Severitati, 50, 5.
Si, 13, 1. 25, 2. 27, 4, aliisque locis 203.
Sibi, 33, 8. 52, 6. 84, 13, aliisque locis 28.
Sic, 80, 5. 91, 2. 93, 4, aliisque locis 26.
Sicca *verbum*, 119, 9.
Siccat, 302, 3.
Siccavit, 25, 5.
Siccis, 301, 18.
Sicco, 153, 8.
Sicut, 157, 1. 157, 13, 194, 12, aliisque locis 8.
Sicuti, 92, 3. 156, 5. 238, 11, aliisque locis 8.
Sidant, 301, 21.
Sidat, 347, 11.
Sidera, 18, 3. 26, 3. 64, 2, aliisque locis 9.
Sideribus, 282, 12.
Sideris, 261, 3.
Siderum, 43, 7. 295. 3.
Sidus, 20, 1. 77. 2.
Signat, 80, 1. 164, 1.
Significat, 157, 14.
Significationem, 313, 12.
Signis, 335, 21.
Signum, 335, 13. 335, 16. 335, 18. 335, 19.
Siluisti, 24, 4.
Simile, 53, 15. 345, 1.
Similem, 273, 1.
Similes, 282, 3. 282, 13. 296, 7. 341, 12.
Simili, 57, 3. 206, 2. 221, 6, aliisque locis 5.
Similia, 326, 1.
Similis, 119, 2. 273, 5.
Similiter, 219, 4.
Similitudine, 232, 8.
Similitudinem, 299, 19,
Simplex, 217, 8. 218, 23. 351, 10.
Simplicem, 295, 5. 337, 2. 337, 6. 351, 13.
Simplici, 350, 12.
Simplicis, 349, 17.
Simplicitas, 295, 6. 296, 11. 345, 14.
Simplicitate, 292, 8. 294, 8. 349, 20, aliisque locis 2.
Simplicitatem, 295, 13. 295, 17. 296, 4. 334, 6.
Simplicitatis, 248, 9. 293, 4.
Simpliciter, 267, 10. 267, 11. 294, 10.
Simul, 219, 7. 219, 35. 313, 8, aliisque locis 4.
Simul cum *statim atque*, 313, 6.
Simulavit, 199, 8.
Simus, 52, 3.
Sin, 134, 5. 159, 6.
Sinat, 297, 32.
Sine, 40, 2. 86, 7. 93, 3, aliisque locis 13.
Singula, 181, 5. 185, 2. 219, 10, aliisque locis 5.
Singulare, 344, 6. 351, 34.
Singularem. 110, 4.
Singularibus, 336, 24.
Singulariter, 294, 12.
Singulis, 122, 2. 238, 20. 279, 11.
Singulorum, 157, 12.
Sinistra *manus*, 12, 1.
Sinit, 125, 10. 298, 5.
Sint, 205, 1. 205, 13. 212, 2, aliisque locis 16.
Siquando, 36, 3. 146, 6.
Siquidem, 61, 4. 132, 2. 158, 20, aliisque locis 8.
Sis, 72, 5. 85, 6. 201, 3.
Sistam, 262, 8.
Sistit, 302, 15.
Sit, 36, 8. 41, 2. 53, 1, aliisque locis 76.
Sita, 258, 8.
Sitam, 229, 12. 232, 22. 248, 11.
Site, ablat, 253, 9.
Siti, 157, 4.
Sitim, 188, 14.
Sitire, 188, 12.
Sitis, 106, 12.
Situm, 94, 16. 162, 1. 199, 14, aliisque locis 3.
Sive, 231, 9 *bis*. 295, 1.
Sobriam, 166, 4.
Socer, 59, 2. 118, 8.
Socerorum, 110, 1.
Socia, 168, 17.
Sociari, 149, 3.
Societ, 295, 17.
Socrates, 33, 2.
Socratico, 52, 8.
Socratis, 34, 1.
Sodales, 308, 1.
Sodalibus, 168, 25.
Sodalium, 166, 9.
Sol, 27, 2. 301, 3. 351, 27.
Sola, 102, 1. 179, 1. 232, 17, aliisque locis 4.
Solam, 16, 1. 178, 16. 336, 23.
Solamen, 120, 2. 170, 3.
Solantur, 4, 2.
Solebas, 93, 1.
Solebat, 139, 2.
Solem, 133, 10. 323, 8. 350, 26.
Solent, 149, 3. 192, 4. 209, 4, aliisque locis 2.
Solers, 300, 2.
Solertia, 205, 3.
Solét, 11, 4. 292, 10. 297, 7.
Solidam, 228, 16.
Solidissimæ, 351, 6.
Soliditate, 258, 6.
Solii, 269, 2.
Solio, 63, 2. 69, 2.
Solis *subst.*, 18, 2. 275, 5.
Solitaria, 280. 22.
Solitas, 65, 3.
Soliti, 39, 2. 182, 4.
Solitos, 184, 7.
Solitudines, 31, 2.
Solitum, 13, 1. 148. 7.
Solitus, 21, 3.
Sollicitare, 285, 2.
Sollicitent, 19, 2.
Sollicitudinem, 199, 9.
Sollicitus, 137, 9.
Solo, *subst.*, 347, 2.
Solo *adject.*, 239, 9.
Solos, 68, 4. 268, 16.
Solventium, 335, 1.
Solvere, 139, 3. 168, 19. 250, 4.
Solverit, 276, 13.
Solvier, 291, 2.
Solum *adject.*, 137, 8. 147, 8. 218, 31, aliisque locis 4.
Solum, 126, 6. 205, 15. 257, 8. 267, 5.
Solus, 323, 7. 328, 7. 343, 10.
Solutæ, 129, 1.
Soluti, 89, 6.
Solutis, 182, 8. 352, 19.
Solutum, 68, 1.
Somniat, 171, 7.
Somniatis, 186, 2.
Somno, 239, 5.
Somnos, 140, 3.
Sonantibus, 252, 3.
Sonora, 19, 1.
Sonori, 128, 1.
Sonos, 174, 4.
Sontes, 253, 4.
Sopitis, 248, 6.
Soranos, 35, 1.
Sordes, 283, 22.
Sordescerent, 257, 15.
Sordescunt, 195, 6.
Sordida, 89, 8.
Sordidæ, 273, 8.
Sordidam, 282, 10.
Sors, 123, 4. 125, 8.
Sortem, 95, 4. 129, 4. 154, 3.
Sortis, 128, 6. 199, 7.
Sortitur, 293, 4.
Sortitus, 352, 14.
Sospes, 246, 15. 258. 11.
Sospitatis, 86, 2. 86, 8.
Spargere, 113, 2.
Sparsas, 183, 8.
Spatia, 158, 5. 347, 1, 350, 11.
Spatii, 156, 7.
Spatiis, 246, 11. 295, 16.
Spatium, 156, 6. 158, 8. 212, 13, aliisque locis 2.
Spe, 48, 1.
Specie, 165, 7. 166, 2.
Speciem, 11, 3. 279, 2. 336. 24.
Species, 134, 2. 187, 7. 237, 9, aliisque locis 3.
Specimen, 119, 6. 172, 3.
Speciosa, 108, 4.
Spectans, 298, 23. 337, 8.
Spectantium, 213, 2.
Spectantur, 335, 28.
Spectat, 60, 6. 184, 4. 350, 23.
Spectator, 352, 20.
Spectes, 147, 5. 208, 5. 299, 22.
Specula, 297, 15.
Speculatione, 257, 2. 320, 6.
Speculator, 351, 7.
Speculi, 340, 12.
Specus, 254, 16.
Spem, 90, 2. 120, 2. 297, 23.
Sperandi, 103, 7. 328, 1. 328, 5.
Sperare, 266, 7.
Sperari, 53, 7.
Sperasse, 53, 4.
Speraverint, 53, 12.
Speres, 40, 3.
Speret, 328, 2.
Spernat, 212, 9.
Sperne, 94, 8.
Spernendum, 218, 4.
Spernendus, 36, 1.
Spernere, 128, 4.
Spernet, 159, 8.
Spernit, 162, 9. 253, 10.
Spes *singul.*, 270, 6. 279, 17. 352, 23.
Spes *plural.*, 352, 24.
Spicula, 315, 2.
Spinis, 12, 7. 114, 4.
Spirat, 302, 2. 302, 7.
Spiret, 112, 3.
Spiritibus, 295, 1.
Spiritum, 119, 3. 239, 5.
Spiritus, 19, 3. 67, 2.
Spirituum, 58, 4.
Splendere, 135, 9. 195, 7.
Splendidum, 205, 14.
Splendor, 235, 1.
Splendore, 101, 7. 110, 1. 133, 1, aliisque locis 2.
Splendorem, 87, 7. 195, 5.
Spolium, 309, 1.
Sponte, 95, 3. 101, 3. 237, 18, aliisque locis 3.
Spreta, 45, 2.
Spumis, 310, 7.

Stabile, 326, 25.
Stabilem, 19, 3. 185, 5. 296, 4.
Stabiles, 70, 10.
Stabili, 8, 2. 167, 1.
Stabilis, 41, 2. 128, 1. 221, 1, aliisque locis 4.
Stabilitate, 293, 4.
Stabiliter, 294, 12. 295, 11.
Stadio, 271, 5.
Stare, 251, 5.
Stat, 347, 7.
Statim, 219, 14.
Stationis, 68, 2.
Statu, 147, 10.
Statuamus, 335, 8. 335, 11.
Statuit, 279, 19. 293, 5. 330, 1.
Statum, 82, 1. 92, 2. 123, 6, aliisque locis 4.
Statura, 10, 3.
Status, 179, 8. 348, 3. 350, 9.
Status, 120, 9.
Stella, 18, 4. 113, 4.
Stellas, 64, 5.
Stelliferi, 63, 1.
Stelliferis, 105, 3.
Stelliferum, 216, 3.
Steriles, 95, 7. 238, 6.
Sterni, 128, 2.
Stetit, 27, 1.
Stimulis, 211, 2.
Stoicum, 33, 4.
Stolidam, 22, 4.
Stolidis, 216, 5.
Stolidissime, 96, 2.
Strages, 146, 2.
Strato, 102, 4.
Stratus, 99, 2.
Stravit, 310, 4.
Strepitis, 208, 3.
Strepitu, 135, 1.
Strictim, 75, 4.
Stridens, 79, 3.
Stringat, 181, 4.
Stringere, 79, 5.
Stringit, 66, 2.
Struens, 36, 3.
Strumam, 193, 1.
Struxisse, 56, 5.
Student, 299, 10.
Studere, 44, 3.
Studia, 179, 3. 273, 7.
Studiis, 14, 1. 35, 3. 180, 5. 265, 3.
Studio, 2, 1. 183, 4.
Studiorum, 176, 3.
Studiosi, 44, 2.
Studium, 44, 10. 57, 2. 282, 9.
Stultissimus, 283, 26.
Stultitiæ, 33, 1. 36, 7.
Stultitiam, 247, 15.
Stupeant, 297, 18.
Stupebit, 289, 6.
Stupentem, 170, 1.
Stupet, 253, 2. 291, 6.
Stupidus, 273, 6.
Stupor, 24, 5.
Stupore, 24, 4.
Stuporem, 288, 2.
Stuporis, 257, 13.
Styli, 9, 2.
Stylo, 53, 3. 340, 4.
Sua, 79, 7. 115, 3. 168, 24, aliisque locis 4.
Sua, 33, 5. 137, 4. 194, 6, aliisque locis 10.
Suadela, 93, 7.
Suæ, 122, 2. 176, 1. 199, 7, aliisque locis 12.
Suam, 5, 2. 135, 5. 188, 6, aliisque locis 4.
Suapte, 188, 2. 283, 12. 343, 15.
Suarum, 118, 10. 209, 6.
Suas, 36, 4. 98, 5. 111, 3, aliisque locis 2.
Suaviter, 247, 13. 256, 2.
Sub *cum accusativo*, 153, 5.
Sub *cum ablativo*, 38, 1. 58, 2. 110, 8 *bis*. 295, 9.
Subdere, 70, 3.
Subdita, 340, 11.
Subditam, 86, 11.
Subegerant, 251, 12.
Subierint. 175, 3.
Subimus, 55, 8.
Subintrat, 199, 5.
Subire, 347, 3.
Subita, 93, 3.
Subitis, 291, 6.
Subito, 28, 1.
Subitus, 112, 1.
Subjacebit, 212, 7.
Subjacet, 295, 9.
Subjecta *substant.*, 343, 16.
Subjecta *adject.*, 257, 9. 295, 8. 335, 27, aliisque locis 2.
Subjecta, 336, 22.
Subjectæ, 228, 5. 313, 11.
Subjectam, 179, 17. 343, 5.
Subjectorum *adject.*, 212, 7.
Sublata, 228, 11.
Sublato, 239, 18.
Sublevat, 98, 2.
Sublevate, 352, 25.
Sublime, 347, 10.
Sublimes, 225, 2.
Submiseris, 95, 2.
Submittat, 202, 4.
Submittere, 345, 9.
Submitteret, 56, 3.
Submittitis, 136, 7.
Submovere, 189, 1.
Subnixam, 335, 20.
Subripuisse, 273, 3.
Subsistat, 120, 11.
Subsistendi, 237, 14.
Subsistere, 237, 3. 237, 11. 239, 17.
Subsistit, 305, 25.
Substantia, 237, 1.
Substantia, 250, 9.
Substantiæ, 249, 3. 348, 3.
Substantiam, 218, 22. 229, 18. 231, 14, aliisque locis 2.
Substantiis, 320, 4. 343, 9.
Subsunt, 295, 8. 337, 8.
Subtili, 11, 1.
Subtrahit, 218, 28.
Subtraxeris, 157, 4.
Succinat, 93, 10.
Succinctam, 166, 5.
Succisa, 292, 6.
Succerscant, 292, 7.
Sues, 277, 3.
Suetus, 18, 1.
Suffecerit, 94, 19. 217. 1.
Sufficere, 313, 3.
Sufficiat, 299, 17.
Sufficiens, 179, 8. 187, 16.
Sufficientem, 187, 18. 219, 17.
Sufficientes, 188, 9.
Sufficientia, 218, 29. 231, 16. 231, 20, aliisque locis 2.
Sufficientiæ, 218, 3. 218, 6. 218, 20.
Sufficientiam, 180, 3. 189, 2. 217, 3, aliisque locis 2.
Sui, 25, 2. 41, 2. 94, 4, aliisque locis 23.
Suis *nomen*, 273, 8.
Suis *pronomen*, 11, 2. 52, 6. 136, 1, aliisque locis 11.
Sulcum, 346, 3.
Sulcis, 78, 2.
Summa, 73, 1. 102, 8. 230, 15, aliisque locis 8.
Summa, 177, 7.
Summæ, 124, 4. 321, 1. 325, 9, aliisque locis 2.
Summam, 51, 1. 122, 6. 213, 5, aliisque locis 6.
Summi, 10, 5. 219, 33. 221, 3, aliisque locis 4.
Summis, 102, 8. 162, 11. 340, 20.
Summo, 229, 12. 230, 5. 230, 22, aliisque locis 7.
Summorum, 109, 6.
Summos, 70, 3.
Summum, 125, 3 *bis*. 161, 2. 170, 3, aliisque locis 22.
Sumpsisti, 103, 5.
Sumpsit, 337, 20.
Sumpta, 280, 3.
Sumptas, 110, 3.
Sumptis, 248, 18.
Sumus, 49, 1. 60, 3. 345, 7.
Sunt, 12, 6. 34, 2. 57, 6, aliisque locis 76.
Suo, 83, 4. 185, 2. 194, 11, aliisque locis 6.
Suos, 157, 21. 166, 10. 282, 5.
Supellectilis, 135, 3. 135, 10.
Super, 251, 1. 277, 7.
Superadditus, 276, 6.
Superare, 212, 12.
Superat, 260, 2.
Superata, 311, 3.
Superba, 97, 1.
Superbam, 158, 19.
Superbi, 162, 4.
Superbiam, 146, 4. 146, 5.
Superbis, 269, 7.
Superbos, 308, 7.
Superbum, 38, 1.
Superbus, 196, 1.
Superent, 295, 10.
Superest, 219, 29.
Superetur, 305, 21.
Superficie, 213, 1.
Superfluis, 133, 18.
Superfluitate, 135, 6.
Supergreditur, 296, 1.
Supergressa, 337, 2. 350, 10.
Superior, 337, 4.
Superiora, 178, 13. 218, 19. 245, 4.
Superiorem, 337, 5.
Superioribus, 218, 14, 265, 1.
Superius *nomen*, 11. 7.
Supernæ, 295, 20.
Supernis, 320, 4.
Superno, 221, 4.
Supero, 31, 3.
Superos *substants.*, 252, 1.
Superstes, 164, 1.
Superstite, 33, 2.
Superstitem, 191, 2.
Superum *adject.*, 254, 14.
Suppetant, 122, 5.
Suppetunt, 119, 8.
Supplicabit, 212, 5.
Supplicandi, 328, 8.
Supplicia, 257, 10. 271, 3. 280, 13, aliisque locis 4.
Supplicii, 272, 17. 280, 16. 299, 3,
Suppliciis, 126, 6. 148, 1. 281, 20, aliisque locis 2.
Supplicio, 157, 19. 281, 6. 283, 4, aliisque locis 4.
Supplicium, 61, 6. 118, 2. 272, 15. 283, 7.
Supra *cum regim.*, 9, 2. 199, 8.
Suprema, 159, 4.
Supremo, 11, 5. 302, 9.
Surda *ablat.*, 7, 1.
Surgat, 20, 2. 260, 6. 301, 20.
Surgit, 206, 2,
Sursum, 238, 19.
Suscepi, 47, 3. 101, 5.
Suscepit, 109, 6.
Suscepta, 50, 7.
Suscipiat, 249, 4.
Suspicione, 59, 3. 246, 27.
Sustinebas, 187, 17.
Sustinent, 216, 2.
Sustinere. 148, 6.
Sustulisti, 32, 2.
Sustulit, 310, 9.
Susurrat, 183, 10.
Suum, 123, 6. 200, 4. 205, 2, aliisque locis 2.
Suus, 296, 15.
Sylvas, 183, 9. 183, 10. 251, 4. 347, 3.
Symmachus, 59, 2. 118, 8.

T

Tabescis, 92, 2.
Tabescit, 119, 5.
Tacebant, 141, 4.
Taceo, 109, 5, 188, 17.
Tacita, 155, 3.
Tacitum, 24, 6.

Taciturnitate, 91, 2.
Tacitus, 9, 1. 14, 8. 171, 1.
Tacta, 275, 7.
Tactu, 76, 8.
Tactus *substant.*, 336, 17.
Tacuisses, 159, 1.
Tænara, 252, 6.
Tagus, 234, 4.
Tale, 187, 4. 229, 6.
Tale, ut, 349, 5.
Tali, 218, 18.
Talia, 24, 2. 101, 10. 171, 3. 350, 23.
Talibus, 178, 7.
Talis, 43, 6 *bis*. 94, 5. 262, 5.
Talium, 133, 11.
Tam, 14, 6. 74, 3. 83, 3, aliisque locis 17.
Tam, quam, 344, 13, 350, 24.'
Tamen, 11, 8. 36, 1. 56, 6, aliisque locis 51.
Tametsi, 36, 1. 133, 5. 279, 2, aliisque locis 7.
Tandem, 154, 1. 158, 22. 193, 4, aliisque locis 2.
Tandem aliquando, 247, 15.
Tandiu, 237, 3.
Tanquam, 101, 9.
Tanta, 329, 2.
Tantæ, 200, 1. 288, 6.
Tantalus, 253, 10.
Tantas, 68, 6. 105, 5. 115, 4. 146, 2.
Tanti, 60, 1. 70, 6. 94, 9 257, 14.
Tanto, 110, 1. 135, 1. 331, 1.
Tanto *cum*, *quanto*, 295, 16. 295, 19.
Tantos, 285, 1.
Tantum, 36, 2. 40, 1. 60, 7, aliisque locis 13.
Tantummodo, 257, 11. 267, 20. 268, 6.
Tardus, 289, 3.
Tartara, 254, 6.
Tartareum, 254, 16.
Tauros, 212, 12.
Te, 24, 3. 24, 5. 32, 1, aliisque locis 74.
Te ipso, 124, 5.
Tecta *substant.*, 276, 5.
Tectas, 331, 2.
Tecti *adject.*, 143, 2.
Tecto *substant.*, 183, 6.
Tectum *adject.*, 137, 4.
Tecum, 32, 3. 43, 6. 100, 1. 108, 1.
Tegit, 276, 3.
Tegitur, 238, 13.
Tegmina, 269, 8.
Telis, 286, 5.
Tellure, 216, 4.
Tellus, 203, 2. 234, 11, 311, 3.
Temerariis, 83, 1.
Temerario, 313, 9.
Temerarium, 288, 6.
Temere, 36, 2. 296, 12.
Temeritate, 33, 2. 83, 3.
Temeritati, 86, 11. 299, 14. 313, 13.
Temperamentum, 297, 11.
Temperans, 252, 4.
Temperat, 67, 1. 262, 2. 288, 7, aliisque locis 2.
Temperet, 20, 3.
Temperiem, 297, 7.
Temperies, 302, 6.
Tempestas, 120, 1.
Tempestivum, 109, 3.
Tempora, 80, 1. 142, 8.
Temporalem, 95, 7.
Temporales, 294, 11.
Temporales, 294, 5.
Temporaliter, 294, 13.
Temporalium, 326, 6. 348, 9. 349, 19.
Temporario, 360, 21.
Tempore, 47, 1. 65, 1. 348, 10, aliisque locis 2.
Temporibus, 158, 1. 246, 10. 294, 4, aliisque locis 2.
Temporis, 120, 2. 158, 4. 158, 12, aliisque locis 10.
Temporum, 195, 7.
Tempus, 23, 1. 87, 2. 93, 5, aliisque locis 2.
Tenaces, 120, 1.
Tenaci, 211, 1.
Tenacissime, 238, 23.
Tendantur, 199, 3.
Tendat, 84, 7.
Tendatur, 349, 4.
Tendere, 168, 10.
Tendit, 17, 1.
Tenebræ, 26, 1.
Tenebras, 17, 1. 174, 5. 234, 9.
Tenebris, 69, 5. 87, 7. 282, 3.
Tenebrosa, 321, 1.
Tenebrosis, 102, 2.
Tenent, 168, 2.
Teneo, 265, 7.
Tenere, 38, 3.
Teneri, 303, 6.
Tenero, 215, 7.
Tenet, 262, 1. 332, 5. 341, 11.
Tentabo, 87, 6. 334, 8.
Tentare, 82, 2.
Tenues, 330, 8.
Tenui, 186, 1. 217, 6. 246, 26.
Tenuis, 164, 1.
Tenuissimis, 11, 1.
Tepenti, 301, 1.
Tepentis, 114, 1.
Terga, 311, 3.
Tergamus, 25, 4.
Tergeminus, 253, 2.
Tergum, 260, 3.
Terminis, 299, 20. 345, 14.
Terminos, 157, 22. 168, 10. 254, 10.
Terminus. 227, 1.
Terræ, 182, 3. 156, 5. 250, 4, aliisque locis 4.
Terram, 14, 7. 20, 4. 22, 4, aliisque locis 2.
Terrarum, 133, 15. 162, 1. 205, 7, aliisque locis 2.
Terras, 70, 4. 70, 10. 76, 3, aliisque locis 7.
Terrena, 146, 2. 186, 1.
Terrenæ, 226, 4.
Terrenas, 235, 3.
Terrenis, 17, 2. 136, 4. 159, 8. 320, 8.
Terreno, 159, 8.
Terrenum, 159, 8.
Terrenus, 347, 8.
Terret, 199, 13.
Terras, 168, 9. 206, 1. 207, 3. 299, 21.
Terror, 3, 2.
Terrore, 61, 9. 199, 8. 280, 16.
Testatius, 287, 6.
Texens, 248, 7.
Texerat, 290, 3.
Texit, 242, 4.
Texitur, 295, 4.
Texueram, 33, 6.
Texuerat, 11, 3.
Thalamos, 307, 3.
Thesauris, 242, 3.
Threicis, 27, 4.
Threicius, 251, 2.
Thule, 203, 3.
Tibi, 43, 4, 44, 1. 52, 3, aliisque locis 33.
Tigres, 212, 13.
Tigris *bestia*, 276, 8. 286, 1.
Tigris *fluvius*, 316, 1.
Timæo, 219, 31.
Timent, 261, 1.
Timor, 125, 10.
Timorem, 90, 1.
Timuit, 251, 8.
Tingere, 301, 9.
Tinxerat, 142, 3.
Tinxerit, 182, 5.
Tinxit, 153, 2.
Tiresiæ, 327, 1.
Titulis, 162, 8.
Tityi, 253, 12.
Tolerantis, 123, 5.
Tolerasset, 158, 21.
Toleres, 95, 1.
Tollens, 270, 4.
Tollere, 258, 10.
Tonantis, 300, 1.
Tonet, 129, 7.
Tormenta, 34, 2. 287, 9.
Toro, 12, 2.
Torpet, 273, 6.
Torquet, 39, 1, 270, 6.
Torret, 153, 9.
Tortores, 210, 5.
Torris, 12, 3.
Torvo, 269, 5.
Torvos, 263, 1.
Tot, 193, 4. 270, 7.
Tota, 94, 7. 103, 6. 120, 10, aliisque locis 4.
Tota, 150, 2. 295, 2.
Totam, 33, 7. 349, 8. 349, 15. 349, 22.
Totas, 132, 11.
Toti, 159, 5.
Toties, 8, 1.
Totis, 23, 2. 64, 4. 128, 8.
Totius, 36, 6. 43, 8. 54, 3, aliisque locis 4.
Totos, 283, 24.
Totum, 84, 13. 86, 9. 336, 18, aliisque locis 2.
Totus, 118, 9.
Tractabamus, 249, 7.
Tractamus, 239, 4.
Tractanda, 321, 1.
Tractatur, 287, 7.
Tradere, 200, 7.
Traditum, 102, 12.
Traditus, 185. 3.
Traducit, 217, 10.
Tragicus, 204, 2.
Tragœdiarum, 103, 2.
Trahente, 248, 19.
Traherent, 33, 6.
Trahi, 41, 4. 164, 7.
Trahis, 335, 4.
Trahit, 133, 1. 166, 6. 201, 1, aliisque locis 3.
Trahunt, 133, 6. 238, 10. 346, 3.
Tramite, 90, 4. 177, 1. 179, 5, aliisque locis 3.
Tranquilla, 226, 6.
Tranquillitate, 93, 5.
Tranquillitatis, 94, 10.
Tranquillo, 114, 5.
Transabiit, 216, 3.
Transacta, 126, 8. 349, 7.
Transcenderat, 157, 15.
Transcendit, 260, 5. 336, 24.
Transferre, 44, 8. 55, 2. 238, 7.
Transfertur, 132, 4.
Transformat, 296, 6.
Transformatum, 272, 28.
Transfundit, 193, 11,
Transfunditur, 287, 8.
Transigimus, 239, 5.
Transire, 132, 8. 273, 10.
Transitorio, 349, 2.
Translata, 132, 5.
Transmissum, 93, 6.
Transmittere, 347, 3.
Transversos, 267, 3.
Traxerant, 277, 2.
Traxi, 48, 2.
Traxit, 253, 12. 309, 5.
Tremendos, 98, 1.
Tremiscat, 203, 2.
Tremit, 5, 4.
Trepidus, 41, 1. 107, 1.
Tria, 218, 7.
Tribuat, 288, 3.
Tribuit, 349, 15.
Tribuitur, 305, 6.
Tribus, 218, 14.
Tribuunt, 197, 6.
Triduanæ, 213, 4.
Triguillam, 45, 4.
Triones, 153, 7,
Triplici, 279, 11. 309, 5.
Triplicis, 223, 1.
Tristem, 179, 16.
Tristes, 209, 5.
Tristia, 298, 13.

Tristibus, 279, 4. 298, 8. 298, 14.
Tristis, 7, 4. 14, 5. 298, 24, aliisque locis 2.
Tristitiæ, 30, 1.
Tristium, 111, 7.
Triumphali, 111, 2.
Trucem, 182, 3.
Trunci, 316, 5.
Tu, 24, 1. 31, 2. 31, 3, aliisque locis 60.
Tua *singul.* 67, 1. 72, 2. 74, 4, aliisque locis 3.
Tua *nomin. plur.*, 101, 12.
Tua *accus. plur*,. 100, 3. 101, 3. 101, 9, aliisque locis 3.
Tua, 93, 5. 312, 3.
Tuæ, 73, 2. 74, 5. 82, 1, aliisque locis 16.
Tuam, 60, 4. 108, 3. 119, 4. 205, 14.
Tuas, 120, 7. 134, 11. 281, 25. 352, 12.
Tuearis, 106, 3.
Tueatur, 188, 7.
Tuendam, 135, 3.
Tuendo, 45, 2.
Tuens, 38, 2. 175, 1.
Tuenti, 323, 2.
Tuerentur, 24, 3. 50, 3.
Tueri, 237, 19.
Tui, 85, 5. 86, 2. 92, 2, aliisque locis 6.
Tuis, 58, 2. 60, 2. 60 , 3, aliisque locis 8.
Tuli, 61, 6.
Tulit, 69, 5.
Tum, 14, 8. 23, 1. 43, 1, aliisque locis 50.
Tum *post*, *cum*, 257, 2.
Tum, tum, 298 15. 304, 4.
Tumorem, 76, 7.
Tumultus, 76, 4. 305, 18.
Tumultus, 36, 7.
Tunc, 26, 1. 111, 8. 132, 4, aliisque locis 2.
Tundere, 290, 8.
Tuo, 42, 1. 53, 1. 82, 3, aliisque locis 2.
Tuorum, 54, 1.
Tuos, 110, 7. 166, 10.
Turbant, 291, 4.
Turbantur, 321, 2.
Turbida, 270, 4.
Turbidus, 89, 2.
Turbine, 64, 1.
Turpatus, 310, 2.
Turpis, 204, 1.
Turpissimum 213, 1.
Turpitudo, 283, 12.
Turpius, 204, 4.
Turres, 39, 2.
Tutior, 48, 5. 48, 6.
Tutus, 201, 3.
Tuum, 84, 6. 134. 7. 187, 9. 352, 3,
Tuus, 171, 7, 350, 19.
Tyranni, 148, 3.
Tyrannos, 40, 1. 263, 2. 270, 8.
Tyrannus, 148, 1. 148, 4. 199, 7.
Tyrio, 140, 2. 196, 1.
Tyrrhena, 215, 2.

U

Uberem, 12, 7.
Uberiora, 149, 7.
Uberius, 75, 5. 103, 5.
Uberrime, 296, 17.
Ubertas, 133, 13.
Ubi *interrogative*, 163, 1.
Ubi *statim atque*, 12, 2. 30, 2. 71, 1. 91, 1.
Ubi *ad verbium loci*, 238, 4, 315, 1
Ubi *quando*, 90, 6. 174, 3. 211, 4, aliisque locis 3.
Ubique gentium, 132, 6.
Ubique terrarum, 194, 12.
Ulcere, 277, 19.
Ulla, 53, 8. 142, 3. 142 6, aliisque locis 5.
Ulla, 218, 1.
Ullam, 148, 9, 248, 18.
Ulli, 185, 3.
Ullo, 125, 4. 229, 13. 236, 14, aliisque locis 5.
Ullum, 83, 2. 110, 5. 112, 2, aliisque locis 3.
Ullus, 218, 18. 292, 7. 313, 13.
Ulteriora, 299, 25,
Ulterius, 178, 5. 266, 19. 281, 6.
Ultima, 203, 3.
Ultimam, 61, 2.
Ultimi, 310, 10.
Ultimus, 112, 4. 238, 13. 310, 8.
Ultione, 280, 15. 281, 9. 281, 23.
Ultor, 307, 2.
Ultorem, 282, 9.
Ultra, 10, 1. 272, 26. 305, 25.
Ultra *sine regimine*, 266, 21. 271, 10.
Ultrices, 253, 5.
Ultro, 60, 4. 98, 4. 149, 13. 195, 6.
Ululat, 276, 7.
Umbrarum, 253, 1. 254, 2.
Umbras, 140, 5. 183, 7. 301, 11.
Umbratiles, 194, 8.
Una, 218, 3. 351, 10.
Una, 99, 2. 237, 8, 292, 6.
Unam, 232, 18. 236, 10, 246, 6.
Unaquæque, 271, 4.
Unco, 166, 7.
Unda, 89, 6. 215, 5. 316, 4. 316, 6.
Undantes, 25, 5.
Undas, 20, 1. 153, 5. 184, 5.
Unde, 19, 1. 54, 1. 54, 2 *bis*, aliisque locis 10.
Undique, 141, 2.
Unguibus, 276, 5.
Unica, 347, 6.
Unicuique, 297, 15.
Unicum, 328, 4.
Unitas *substant.*, 237, 6.
Unitatem, 237. 10.
Unitatis, 236, 16.
Universa, 239, 25. 324, 4.
Universale, 337, 13. 3337, 15. 344, 2, aliisque locis 2.
Universales, 337, 6.
Universali, 336, 24.
Universalis, 337, 16.
Universi, 55, 3.
Universitatem, 248, 17.
Universitatis, 337, 2. 344, 9 *bis*.
Universum, 337, 10. 344, 3.
Unius, 157, 22. 158, 6. 205, 6.
Uno, 119, 3. 232, 1. 239, 24, aliisque locis 5.
Unquam, 52, 4. 55, 4 56, 1, aliisque locis 12.
Unum, 132, 6. 147, 3. 156, 1, aliisque locis 27.
Unumquodque, 219, 5. 237, 11. 238, 22.
Unus, 206, 3. 206, 4. 231, 8, aliisque locis 4.
Urat, 67, 5.
Urbe, 50, 4. 152, 1. 287, 6.
Urbium, 44, 5. 157, 12.
Ureret, 251, 11.
Urgeantur, 279, 12, 281, 24.
Urgere, 133, 19.
Urget, 128, 8. 283, 31.
Ursa, 301, 6.
Ursus, 286, 1.
Usitato, 246, 13.
Usquam, 137, 8. 232, 22. 299, 22.
Usque, 14. 2.
Usque ad, 266, 19.
Usque adhuc, 257, 1.
Usquequaque, 187, 15.
Usu, 132, 5. 298, 6. 304, 13.
Usum, 158, 19.
Usurpat, 304, 11.
Usus *substant.*, 298, 24.
Usus *adject.*, 101, 8.
Ut, 10, 3. 20, 4. 21, 1, aliisque locis 110.
Ut ita dicam, 337, 12.
Ut *sicut*, 24, 5. 26, 3. 54, 6, aliisque locis 28,
Ut *postquam*, 174, 5.
Ut *quantum*, 212, 16 *bis*, 264, 1.
Utantur, 337, 23.
Utcunque, 120, 4.
Utemur, 76, 7.
Utendo, 299, 11.
Utendum, 131, 2.
Utens, 337, 11. 337, 14.
Utentium, 146, 7. 192, 2. 195, 5.
Utere, 94, 7.
Uteretur, 212, 18.
Uteris, 247, 15.
Utero, 101, 4.
Uterque, 200, 6.
Uti *verbum*, 53, 6. 70, 1. 319, 2.
Uti *conjunct.*, 11, 2. 13, 1. 52, 6, aliisque locis 36.
Utilem, 304, 6.
Utinam, 53, 7. 142, 7. 268, 5.
Utramque, 38, 2.
Utraque, 325, 21.
Utrasque, 11, 6.
Utrique *plural.*, 265, 12. 305, 18.
Utriusque, 237, 7. 293, 8.
Utroque, 121, 3. 325, 17.
Utrum, 231, 12.
Utrumque, 158, 7. 350, 27.
Uvis, 21, 2. 79, 6.
Uxor, 119, 1. 178, 9.

V

Vacua, 156, 4.
Vacuas, 137, 10.
Vada, 215, 2.
Vadi, 316, 4.
Vaga, 302, 15. 346, 4.
Vagas, 275, 2.
Vagatur, 89, 2.
Vagis, 168, 9.
Vagos, 18, 4. 316, 7.
Vagus, 38, 6.
Valde, 305, 11.
Valeant, 187, 3. 212, 2. 277, 11.
Valeat, 41, 4. 148, 11. 331, 7.
Valens, 265, 25.
Valent, 187, 6. 198, 1. 277, 12. 325, 1.
Valentia substant., 84, 12. 218, 30.
Valentiæ, 218, 1.
Valentiam, 10, 1. 178, 14. 264, 14.
Valentibus, 296, 14.
Valentior, 36, 4. 188, 3. 265, 26. 265, 28.
Valentiorem, 265, 20.
Valentis, 162, 2.
Valerent, 267, 18.
Valeret, 247, 10.
Valet, 297, 18. 322, 4. 337, 6. 347, 5.
Valida, 120, 1.
Validiora, 76, 6.
Validioribus, 93, 7, 131, 2.
Validis, 184, 1. 283, 1.
Validus, 264, 18. 287, 6.
Valli, 84, 5. 129, 10.
Vallo, 36, 7. 74, 1.
Valuit, 154, 1. 350, 5.
Vanescunt, 194, 14.
Vani, 269, 8.
Varia, 295, 3.
Variæ, 180, 6.
Variam, 266, 2.
Varias, 21, 4. 352, 6.
Variat, 115, 4. 167, 2.
Varietate, 231, 13.
Varietatem, 135, 4.
Varietates, 246, 12.
Variis, 134, 1. 276, 10. 346, 1. 347, 4.
Varios, 18, 5. 276, 1.
Varium, 67, 1.
Vasa, 257, 14.
Vasta, 157, 14.
Vasto, 308, 2.
Vates, 251, 2.
Vaticinio Tiresiæ aut est aut non, 327, 1.
Ve, 54, 7. 56, 6. 84, 7, aliisque locis 14.
Vectigalibus, 46, 4.
Vector, 227, 1.

Vehementer, 53, 12. 75, 6. 83, 8, aliisque locis 10.
Vehementius, 117, 3.
Vehiculis, 258, 12.
Vehit, 125, 7. 238, 20.
Vel, 20, 1. 41, 1. 44, 2, aliisque locis 99.
Vel *pro* etiam, 185, 5. 119, 4. 125, 10, aliisque locis 3.
Vela *nomen*, 95, 5. 275, 1. 307, 4.
Velat, 94, 7.
Velatas, 292, 2.
Velatum, 137, 4.
Velim, 85, 1. 352, 8.
Velimus, 350, 6.
Velint, 272, 17.
Velis *verbum*, 195, 3. 109, 4. 124, 7, aliisque locis 7.
Velit, 123, 8. 219, 8. 232, 13. 247, 11.
Velle, 52, 4. 53, 13. 74, 2, aliisque locis 2.
Vellem, 100, 1. 231, 15. 283, 3.
Vellent, 199, 10.
Vellera, 140, 1.
Velles, 187, 12.
Vellet, 142, 4.
Velocem, 149, 10.
Velocis, 261, 8.
Velocissimum, 117, 2.
Velocitas, 149, 10. 178, 15.
Velocitate, 212, 13.
Velox, 112, 3. 212, 16. 253, 8. 259, 3.
Velut, 33, 6. 84, 5. 101, 8, aliisque locis 8.
Veluti, 11, 3. 178, 8. 217, 6, aliisque locis 19.
Venena, 277, 15.
Venenis, 12, 6. 270, 2.
Veneno, 140, 2. 154, 4. 310, 1.
Venenum, 34, 1.
Venerandum, 194, 9. 298, 8.
Veneratione, 177, 5. 218, 5.
Venere, 134, 11.
Venerint, 194, 14.
Venerit, 66, 3.
Veniam *nomen*, 252, 10.
Veniant, 323, 5.
Veniat, 280, 15.
Veniens, 153, 6. 205, 12.
Venientibus, 27, 2.
Venire, 110, 4. 237, 15.
Venisti, 31, 3. 112, 1.
Venistis, 305, 22.
Venit *præsens*, 6, 2. 136, 11. 239, 7.
Venit *præteritum*, 5, 1.
Venite, 233, 1.
Veniunt, 101, 11. 132, 12. 268, 20.
Ventilante, 243, 3.
Ventis, 95, 5.
Ventos, 307, 5. 346, 4.
Ventosam, 166, 4.
Ventura, 326, 4. 335, 14. 336, 4. 350, 25.
Venturam, 180, 4.
Ventus, 129, 8.
Vera, 55, 4. 75, 1. 117, 1, aliisque locis 19.
Veraciter, 219, 20.
Veræ, 55, 7. 87, 7. 145, 1, aliisque locis 3.
Veram, 86, 10. 171, 6. 194, 7, aliisque locis 7.
Veras, 87, 3.
Verba, 12, 3. 111, 3. 171, 1. 247, 15.
Verbera, 182, 4.
Verberet, 27, 5. 346, 4.
Verbis, 93, 2. 100, 1. 165, 5. 172, 1.
Verbo, 53, 8.
Vere *nomen substant.*, 302, 1.
Vereare, 313, 5.
Verecundiam, 14, 4.
Verendi, 261, 9.
Verendis, 197, 3.
Verendum, 313, 3.
Vererer, 32, 5.
Veri, 177, 2. 219, 25, 243, 2, aliisque locis 3.
Veris *substant.*, 20, 3.
Veris *adject.*, 3, 1. 230, 1. 330, 4. 340, 13.
Verissima, 230, 10. 236, 4.
Verissime, 228, 17.
Veritas, 352, 4.
Veritate, 83, 5. 205, 3. 326, 14. 351, 1.
Veritatem, 52, 8. 53, 2. 228, 5. 336, 11.
Veritatis, 239, 27. 247, 19. 282, 3, aliisque locis 4.
Verius, 171, 2. 219, 12. 130, 22. aliisque locis 2.
Vernalium, 212, 16.
Vernis, 114, 2. 133, 12.
Vernos, 79, 5.
Vernula, 93, 9.
Vero, *adject.*, 166, 6. 217, 9.
Vero 10, 5. 11, 5. 12, 1, aliisque locis 142.
Veronæ, 55, 1.
Verrunt, 346, 2.
Versa, 287, 11.
Versa, 135, 8. 315, 1.
Versamus, 102, 8.
Versas *verbum*, 64, 1.
Versat, 68, 6. 105, 2. 270, 1.
Versatur, 178, 8.
Versentur, 295, 14.
Versi, 272, 25.
Versibus, 14, 10.
Verso, 115, 2.
Versum *adject.*, 38, 5.
Vertatur, 273, 10.
Vertebat, 312, 2.
Vertentem, 103, 3.
Vertentium, 295, 12.
Verterant, 277, 4,
Vertere, 154, 2. 277, 12.
Verteretur, 283, 20.
Verterit, 97, 1.
Vertice, 5, 3. 184, 4. 239, 24. 301, 5.
Verticem, 9, 2. 199, 8. 231, 21, 260, 5. 266, 16.
Verticis, 10, 6.
Vertit, 184, 7. 276, 2.
Verum *substant.*, 90, 3. 241, 4. 244, 21.
Verum *adject.*, 87, 5. 135, 4. 186, 2, aliisque locis 7.
Verum *conjunctio*, 12, 7. 53, 1. 61, 11, aliisque locis 11.
Verum etiam *post*, *non solum*, *modo*, etc., 126, 6. 238, 16. 257, 9. 272, 18.
Verumtamen, 109, 4.
Vesevus, 39, 1.
Vesper, 301, 11.
Veste, 25, 5.
Vestem, 11, 8. 33, 6.
Vester, 137, 1.
Vestes, 11, 1.
Vestibus, 134, 1.
Vestigat, 241, 1.
Vestigia, 33, 9. 347, 2.
Vestra *singul.*, 147, 1.
Vestra, 136, 7. 306, 1.
Vestra *plur.*, 135, 8. 136, 6. 208, 4.
Vestræ, 13, 1. 132, 8.
Vestram, 133, 6. 133, 7. 136, 4.
Vestri, 131, 5. 146, 4.
Vestro, 136, 3. 350, 20.
Vestros, 169, 2.
Vestrum, 131, 4. 186, 1.
Vestrum *genit.*, 334, 4.
Vetant, 159, 5.
Veterem, 301, 2.
Veteres, 32, 7. 146, 4.
Veteribus, 293, 7.
Veterum, 313, 15.
Vetus, 334, 1.
Vetustas, 158, 3. 198, 3.
Vetustatis, 11, 4.
Vexabat, 46, 2.
Vi, 188, 5. 336, 13. 343, 5. 346, 3.
Via, 39, 3. 262, 5. 311, 2.
Via, 80, 5.
Viæ, 212, 1.
Viam, 93, 7. 258, 9. 313, 1.
Vias, 43, 7. 261, 1.
Viator, 137, 10.
Vibratus, 28, 1.
Vice, 69, 3. 287, 11.
Vicem, 194, 6. 286, 7. 328, 6.
Vices, 68, 7. 80, 4. 86, 6, aliisque locis 5.
Vicibus, 282, 10. 301, 10, 301, 16.
Vicinius, 295, 20.
Victa, 202, 3.
Victam, 297, 21.
Victi, 98, 2.
Victor, 18, 6. 309, 6.
Victoriam, 33, 3.
Victorum *adject.*, 148, 9.
Victricem, 297, 21.
Victus, 254, 17.
Vide. 229, 14. 266, 10. 272, 19, aliisque locis 2.
Videamini, 147, 2.
Videamur, 304, 13.
Videant, 350, 18.
Videantur, 179, 3. 232, 10. 266, 23, aliisque locis 5.
Videaris, 282, 12.
Videas, 166, 4. 199, 11 264, 13, aliisque locis 5.
Videat, 205, 10. 345, 13.
Videatur, 123, 8. 133, 5. 135, 10, aliisque locis 18.
Videbantur, 11, 7. 3?, 9, 35, 4, aliisque locis 4.
Videbaris, 166, 11.
Videbatur, 10, 6. 281, 18.
Videbimur, 60, 2.
Videbis, 219, 14.
Videbit, 269, 9. 345, 11.
Videbitur, 232, 1. 313, 18. 327, 11.
Videmini, 158, 4.
Videmus, 272, 13.
Videntes, 282, 16.
Videntur, 106, 6. 178, 9. 178, 14, aliisque locis 5.
Video, 24, 5. 217, 3. 232, 19, aliisque locis 3.
Videor, 49, 4. 61, 6. 217, 6.
Viderant, 54, 5.
Viderat, 141, 3.
Videre, 61, 6.
Viderent, 142, 5. 283, 22.
Videres, 147, 3. 193, 8. 281, 19.
Videretur, 47, 2. 123, 1. 247, 5, 283, 10.
Videri, 213, 2. 271, 5. 272, 17, aliisque locis 3.
Viderit, 183, 7.
Viderunt, 57, 4.
Vides, 55, 7. 120, 5. 157, 16, aliisque locis 6.
Videt, 153, 5. 254, 19. 260, 3, aliisque locis 2.
Videtis, 350, 21. 350, 26.
Videtur, 50, 6. 165, 7. 178, 1, aliisque locis 16.
Vidissem, 71, 3.
Vidisset, 24, 6.
Vidisti, 94, 2. 110, 8. 228, 2. 258, 7.
Vidit, 12, 2. 67, 4. 254, 12.
Vigebat, 197, 1.
Vigens, 340, 8.
Viget, 118, 7. 235, 1. 340, 14.
Vigilantius, 246, 27.
Vigor, 26, 2. 277, 13. 341, 10.
Vigorem, 343, 3.
Vigoris, 10, 2.
Vile, 179, 10.
Vilescat, 131, 5.
Vilesces, 212, 6.
Vilescunt 195, 8.
Vilia, 212, 14. 257, 14.
Vilis, 70, 6. 218, 27.
Vilissima, 36, 6. 136, 6.
Vilissimæ, 212, 10.
Vilissimorum, 58, 4.
Vilitas, 218, 30.
Vilitatis, 50, 9.
Vim, 76, 8. 293, 9 336, 15.

Vincimur, 254, 1.
Vincta, 90, 5.
Vincula, 148, 8. 182, 2. 250, 4.
Vindicantem, 147, 4.
Violas, *nomen*, 79, 1.
Violentia, 101, 10.
Violentorum, 11, 8.
Violentus, 153, 8. 273, 1.
Vir, 118, 9. 148, 5. 305, 16.
Vires, 43, 1. 53, 6. 98, 5. 266, 18. 141, 6.
Virga, 184, 2.
Viri, 44, 4.
Viribus, 40, 2. 70, 1. 128, 8, aliisque locis 10.
Virides, 234, 7. 347, 3.
Viridi, 214, 3.
Viridis, 4, 1.
Virilibus, 93, 1.
Virilis, 21, 2.
Virium, 328, 9.
Viro, 254, 3.
Virorum, 109, 6.
Viros, 158, 1. 159, 2.
Virtus, 69, 4. 155, 3. 201, 4, aliisque locis 2.
Virtute, 146, 8, 159, 3. 178, 11, aliisque locis 4.
Virtutem, 53, 11. 283, 21. 298, 11.
Virtutes, 192, 2. 258, 4. 298, 5, aliisque locis 2.
Virtuti, 193, 10.
Virtutibus, 118, 9. 146, 7. 297, 29.
Virtutis, 55, 8. 148, 5. 158, 15, aliisque locis 5.
Virtutum, 31, 3. 117, 1. 156, 2 aliisque locis 2.
Virum, 48, 1. 48, 3. 148, 1. 305, 17.
Vis *nomen*, 67, 1. 102, 7. 132, 1, aliisque locis 9.
Vis *verbum*, 90, 1. 111, 5. 247, 18, aliisque locis 3.
Visa, 9, 3. 333, 2.
Visatur, 99, 2.
Viscera, 322, 3.
Visceribus, 212, 19.
Visebat, 18, 3.
Visendi, 337, 19. 352, 13.
Visere, 250, 2. 262, 10.
Visibus, 89, 1.
Visionis, 352, 21.
Visitur, 237, 9.
Visu, 14, 7. 153, 1. 171, 8. 176, 1. 282, 14.
Visum *adject.*, 251, 8. 349, 12.
Visus *substant.*, 212, 18. 226, 3. 336, 17.
Visus, 241, 3.
Vita, 7, 6. 126, 7. 349, 4.
Vita, 119, 8. 349, 1.
Vitæ, 35, 4. 43, 8. 112, 1, aliisque locis 14.
Vitalis, 87, 1.
Vitam, 121, 3. 164, 7. 212, 9, aliisque locis 3.
Vitare, 199, 10. 201, 3. 352, 5.
Vitas, 225, 1.
Vitat, 235, 2.
Vite, 214, 4.
Vitet, 128, 6.
Vitia, 192, 3. 258, 4. 267, 1, aliisque locis 5.
Vitiis, 208, 7. 272, 29. 299, 5, aliisque locis 2.
Vitio, 136, 11. 267, 4.
Vitiorum, 283, 22.
Vitiosæ, 149, 15.
Vitiosi, 134, 4.
Vitiositas, 283, 27.
Vitiosorum, 266, 10.
Vitiosos, 267, 12. 279, 1.
Vitrea, 89, 4.
Vitro, 74, 4.
Vivacissimo, 292, 8.
Vivere, 103, 8.
Viveret, 243, 5.
Vivido, 10, 2.
Vivit, 119, 1. 119, 2. 273, 6. 348, 9.
Vivitis, 349, 1.
Vivo, 341, 7.
Vix, 84, 3. 157, 4. 165, 5, aliisque locis 2.
Vixisse, 199, 10.
Vobis, 13, 1. 135, 2. 135, 7, aliisque locis 7.
Vocabitur, 271, 10.
Vocabo, 52, 5.
Vocabula, 164, 3. 313, 22.
Vocabulo, 246, 13.
Vocans, 341, 12.
Vocant, 231, 2.
Vocari, 231, 10.
Vocas, 123, 3. 292, 5.
Vocata, 6, 2.
Vocatur, 237, 6. 305, 20. 314, 3.
Voce, 183, 10, 277, 6. 326, 22,
Vocem, 313, 12.
Vocetur, 294, 7.
Volantum, 211, 3.
Volatu, 347, 1,
Volendi, 237, 16. 320, 2.
Volentes, 143, 3. 267, 4.
Volentia, 248, 17.
Volentis, 257, 11.
Voles, 82, 3.
Volet, 127, 1. 173, 1. 202, 1. 209, 6.
Volvantur, 271, 1.
Volvat, 19, 3.
Volubili, 102, 7.
Volucrem, 260, 3.
Volucres *substant.*, 309, 2.
Volucres *adject.*, 259, 1. 285, 4,
Volucris *adject.*, 350, 1.
Volvens, 89, 1.
Volventis, 96, 1.
Voluerit, 264, 14. 264, 16.
Voluerunt, 200, 6.
Volui, 52, 3.
Voluisse, 51, 2. 54, 5. 56, 4. 279, 9.
Voluit, 136, 4. 201, 1.
Volumus, 218, 8.
Volunt, 177, 8. 180, 1, 286, 5.
Voluntarie, 247, 3. 351, 15.
Voluntarii, 335, 7.
Voluntariis, 239, 3.
Voluntarium, 350, 27.
Voluntarius, 317, 10.
Voluntas, 95, 5. 239, 8. 239, 10, aliisque locis 5.
Voluntate, 264, 11. 352, 6.
Voluntates, 324, 7.
Voluntatibus, 209, 1. 239, 7. 352, 19.
Voluntatis, 265, 2. 279, 10.
Voluptariam, 212, 9.
Voluptas, 211, 1. 231, 19.
Voluptate, 178, 3. 273, 8. 305, 22.
Voluptatem, 178, 15. 179, 2. 292, 14.
Voluptates, 178, 5. 178, 20. 180, 2, aliisque locis 2
Voluptatibus, 217, 5. 219, 4.
Voluptatum, 209, 5.
Vorans, 106, 7.
Vos, 124, 3 bis. 133, 8. 136, 1, aliisque locis 12.
Vosmetipsos, 137, 7.
Vota, 76, 4. 106, 7.
Votorum, 178, 8.
Vox, 132, 7. 341, 9.
Vulgi, 75, 5. 204, 4. 304, 12.
Vulgo, 13, 1.
Vulgus, 33, 4. 282, 12. 291, 6, aliisque locis 2.
Vulnera, 142, 5.
Vulnus, 42, 3.
Vulpeculis, 273, 3.
Vulsi, 316, 5.
Vult, 264, 12.
Vultis, 352, 26.
Vultu, 71, 1. 347, 9.
Vultum, 7, 5. 14, 9. 22, 3, aliisque locis 3.
Vultur, 253, 11.
Vultus *nomin. sing.*, 43, 6.
Vultus *genit.*, 9, 3. 256, 1.
Vultus *accus. plur.*, 94, 6. 113, 3. 166, 9.

Z

Zenonis, 34, 1.
Zephyri, 114, 1.
Zephyrus, 67, 3.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ENNODIUS.

Prolegomenon. 9

EPISTOLARUM LIBER PRIMUS.

EPISTOLA PRIMA. Ennodius Joanni.
— II. Ennodius Floro. 13
— III. Ennodius Fausto. 15
— IV. Ennodius eidem. 17
— V. Idem eidem. 18
— VI. Idem eidem. 20
— VII. Idem eidem. 22
— VIII. Ennodius Firmino. 23
— IX. Ennodius Olybrio. *Ibid.*
— X. Ennodius Joanni. 24
— XI. Ennodius Castorio et Floro. 25
— XII. Ennodius Avieno. 26
— XIII. Ennodius Agapito. *Ibid.*
— XIV. Ennodius Fausto. 27
— XV. Ennodius Floriano. 28
— XVI. Idem eidem. *Ibid.*
— XVII. Ennodius Fausto. 29
— XVIII. Ennodius Avieno. 30
— XIX. Ennodius Deuterio. *Ibid*
— XX. Ennodius Fausto. 31
— XXI. Idem eidem. 32
— XXII. Ennodius Opilioni. *Ibid.*
— XXIII. Ennodius Senario. 33
— XXIV. Ennodius Asturio. *Ibid.*
— XXV. Ennodius Olybrio et Eugeneti. 34
— XXVI. Ennodius Fausto. *Ibid.*

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA PRIMA. Ennodius Armenio consolatoriam. 35
— II. Ennodius Speciosæ. 37
— III. Ennodius eidem. 38
— IV. Ennodius Olybrio. *Ibid.*
— V. Ennodius Laconio. 39
— VI. Ennodius Pomerio. *Ibid.*
— VII. Ennodius Firmino. 40
— VIII. Ennodius Apollinari. 41

— IX. Ennodius Olybrio. 41
— X. Ennodius Fausto. 42
— XI. Idem eidem. *Ibid.*
— XII. Ennodius Astyrio. 43
— XIII. Ennodius Olybrio. 44
— XIV. Afris. 45
— XV. Ennodius Euprepiæ. 46
— XVI. Ennodius Fausto. 47
— XVII. Ennodius Constantio. *Ibid.*
— XVIII. Ennodius Joanni. 48
— XIX. Ennodius Constantio. *Ibid.*
— XX. Idem eidem. 51
— XXI. Ennodius Albino. *Ibid.*
— XXII. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XXIII. Domno suo Fausto Ennodius diaconus. 52
— XXIV. Eidem idem. *Ibid.*
— XXV. Fausto quæstori Ennodius diaconus. 53
— XXVI. Ennodius Liberio. *Ibid.*
— XXVII. Honorato Ennodius. 54
— XXVIII. Avieno Ennodius. *Ibid.*

LIBER TERTIUS.

Epistola prima. Senatori episcopo Ennodius. 55
— II. Eugeneti Ennodius. 56
— III. Domno suo Fausto Ennodius. 57
— IV. Ennodius abbati Stephano. *Ibid.*
— V. Ennodius Maximo. 58
— VI. Ennodius Laurentio. *Ibid.*
— VII. Ennodius Adeodato presbytero. *Ibid.*
— VIII. Ennodius Avieno. 59
— IX. Ennodius Marcelliano. *Ibid.*
— X. Ennodius Luminoso. *Ibid.*
— XI. Ennodius Senario. 60
— XII. Ennodius abbati Stephano. 61
— XIII. Ennodius Apollinari. *Ibid.*
— XIV. Ennodius Promoto. 62
— XV. Ennodius Euprepiæ. *Ibid.*
— XVI. Ennodius Laconio. 63
— XVII. Ennodius Stephano episcopo. *Ibid.*
— XVIII. Ennodius Eulalio episcopo. 64
— XIX. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XX. Idem eidem. *Ibid.*
— XXI. Idem eidem. 65
— XXII. Idem eidem. *Ibid.*
— XXIII. Ennodius Marcelliano. *Ibid.*
— XXIV. Ennodius Mascatori. 66
— XXV. Ennodius Eugeneti. 67
— XXVI. Ennodius Avieno. *Ibid.*
— XXVII. Idem eidem. *Ibid.*
— XXVIII. Ennodius Euprepiæ. *Ibid.*
— XXIX. Ennodius Eugeneti. 68
— XXX. Ennodius Avieno. *Ibid.*
— XXXI. Idem eidem. *Ibid.*
— XXXII. Ennodius Passivo. 69
— XXXIII. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XXXIV. Ennodius Senario. 70

LIBER QUARTUS.

Epistola prima. Ennodius Symmacho papæ. 69
— II. Ennodius Aliconi. 70
— III. Ennodius Eulalio episcopo. 71
— IV. Exemplar epistolæ quam ipse dictavit. Fratri soror. *Ibid.*
— V. Ennodius Fausto. 72
— VI. Ennodius Agapito. *Ibid.*
— VII. Ennodius Juliano V. I. C. P. 73
— VIII. Ennodius Symmacho papæ. *Ibid.*
— IX. Ennodius Fausto. 74
— X. Ennodius Trasimundo V. I. 75
— XI. Ennodius Luminoso. *Ibid.*
— XII. Ennodius Joanni. *Ibid.*
— XIII. Ennodius Constantio V. I. 76
— XIV. Ennodius Fausto. 77
— XV. Idem eidem. *Ibid.*
— XVI. Ennodius Agapito. 78
— XVII. Ennodius Decorato. *Ibid.*
— XVIII. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XIX. Ennodius Apollinari. 79
— XX. Ennodius Juliano V. I. *Ibid.*
— XXI. Ennodius Constantio episcopo. *Ibid.*
— XXII. Ennodius Symmacho papæ. 80
— XXIII. Ennodius Dominatori. *Ibid.*
— XXIV. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XXV. Ennodius Basso. 81
— XXVI. Ennodius Eugeneti V. I. *Ibid.*
— XXVII. Ennodius Senario. 82
— XXVIII. Ennodius Agapito. *Ibid.*
— XXIX. Ennodius papæ. 83
— XXX. Ennodius Eugeneti V. I. *Ibid.*
— XXXI. Ennodius Avito. *Ibid.*
— XXXII. Ennodius Eugeneti. 84
— XXXIII. Ennodius Senario. *Ibid.*
— XXXIV. Ennodius Hormisdæ. 85
— XXXV. Ennodius Apronio. 86

LIBER QUINTUS.

Epistola prima. Ennodius Liberio patricio. 85
— II. Ennodius Marciano. 87
— III. Ennodius Opilioni V. I. 88
— IV. Ennodius Heliseæ. *Ibid.*
— V. Ennodius Avito. 89
— VI. Leontio abbati Ennodius. *Ibid.*
— VII. Euprepiæ Ennodius. 90
— VIII. Ennodius Petro. *Ibid.*
— IX. Ennodius Fausto. 92
— X. Symmacho papæ Ennodius. *Ibid.*
— XI. Ennodius Luminoso. 93
— XII. Ennodius Fausto juniori. *Ibid.*
— XIII. Ennodius Hormisdæ. 94
— XIV. Ennodius Servilioni. *Ibid.*
— XV. Ennodius Senario. 95
— XVI. Ennodius Panfronio. *Ibid.*
— XVII. Ennodius Avieno. 96
— XVIII. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XIX. Ennodius Parthenio. *Ibid.*
— XX. Ennodius Avito. 97
— XXI. Idem eidem. *Ibid.*
— XXII. Ennodius Venantio. 98
— XXIII. Ennodius Constantio. *Ibid.*
— XXIV. Ennodius Laconio. *Ibid.*
— XXV. Ennodius Avito. 99
— XXVI. Ennodius Agapito. *Ibid.*
— XXVII. Ennodius Eugeneti. 100

LIBER SEXTUS.

Epistola prima. Ennodius Parthenio. 101
— II. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— III. Ennodius Euprepiæ. 102
— IV. Ennodius Fausto. 103
— V. Ennodius Aureliano. *Ibid.*
— VI. Ennodius Boetio. *Ibid.*
— VII. Ennodius Avieno. 104
— VIII. Ennodius Senario. *Ibid.*
— IX. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— X. Idem eidem. 105
— XI. Ennodius Avieno. *Ibid.*
— XII. Ennodius Liberio, Agapito, Senario, Albino. *Ibid.*
— XIII. Ennodius Avito. 106
— XIV. Idem eidem. *Ibid.*
— XV. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XVI. Ennodius Luminoso. 107
— XVII. Ennodius Marcellino episcopo. *Ibid.*
— XVIII. Ennodius Dominicæ. *Ibid.*
— XIX. Ennodius Fausto. 108
— XX. Idem eidem. *Ibid.*
— XXI. Idem eidem. *Ibid.*
— XXII. Ennodius Eugeneti. 109
— XXIII. Ennodius Parthenio. *Ibid.*
— XXIV. Ennodius Archotamiæ. *Ibid.*
— XXV. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XXVI. Ennodius Euprepiæ. 110
— XXVII. Ennodius Senario. *Ibid.*
— XXVIII. Ennodius Gudilevo. *Ibid.*
— XXIX. Ennodius Fausto. 111
— XXX. Idem eidem. *Ibid.*
— XXXI. Ennodius domno papæ. *Ibid.*
— XXXII. Ennodius Avieno. *Ibid.*
— XXXIII. Ennodius Hormisdæ et Dioscoro. 112
— XXXIV. Ennodius Fausto Albo. *Ibid.*
— XXXV. Ennodius Domninæ. 113
— XXXVI. Ennodius Adeodato presbytero. *Ibid.*
— XXXVII. Ennodius Joanni. 114
— XXXVIII. Ennodius Firminæ. *Ibid.*

LIBER SEPTIMUS.

Epistola prima. Ennodius Juliano. 115
— II. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— III. Ennodius Avieno. *Ibid.*
— IV. Ennodius Agnello. 116
— V. Ennodius Senario. *Ibid.*
— VI. Ennodius Floro et Decorato. *Ibid.*
— VII. Ennodius Elpidio diacono. 117
— VIII. Ennodius Euprepiæ. *Ibid.*
— IX. Ennodius Avieno. 118
— X. Ennodius Floro et Decorato. *Ibid.*
— XI. Ennodius Agnello. 119
— XII. Ennodius Hormisdæ diacono. *Ibid.*

— XIII. Ennodius Boetio. *Ibid.*
— XIV. Ennodius Archotamiæ. 120
— XV. Ennodius Aguello. 121
— XVI. Idem eidem. *Ibid.*
— XVII. Ennodius Avieno. 122
— XVIII. Ennodius eidem. *Ibid.*
— XIX. Ennodius Simpliciano. *Ibid.*
— XX. Ennodius Maximo. 123
— XXI. Idem eidem. 124
— XXII. Idem eidem. *Ibid.*
— XXIII. Idem eidem. 125
— XXIV. Ennodius Stephano. 126
— XXV. Ennodius Symmacho. *Ibid.*
— XXVI. Ennodius Agnello. 127
— XXVII. Ennodius Probo. *Ibid.*
— XXVIII. Ennodius Adeodato presbytero. 128
— XXIX. Ennodius Beato. 129
— XXX. Ennodius Fausto. 130
— XXXI. Ennodius Parthenio. *Ibid.*

LIBER OCTAVUS.

Epistola prima. Ennodius Boetio. 131
— II Ennodius Avieno. 133
— III. Ennodius Messalæ. *Ibid.*
— IV. Ennodius Aratori. 134
— V. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— VI. Ennodius Avieno. 135
— VII. Ennodius Senario. *Ibid.*
— VIII. Ennodius Elpidio diacono. *Ibid.*
— IX. Ennodius Messalæ. 136
— X. Ennodius Maximo V. S. *Ibid.*
— XI. Ennodius Aratori. 137
— XII Ennodius Floro. *Ibid.*
— XIII. Ennodius Aureliano presbytero. *Ibid.*
— XIV. Ennodius Fausto. 138
— XV. Ennodius Edasio. *Ibid.*
— XVI. Ennodius Barbaræ. *Ibid.*
— XVII. Ennodius Stephaniæ. 139
— XVIII Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XIX. Ennodius eidem. *Ibid.*
— XX. Ennodius Agnello 140
— XXI. Ennodius Beato. *Ibid.*
— XXII. Ennodius Floro. 141
— XXIII. Idem eidem. *Ibid.*
— XXIV. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XXV. Idem eidem. *Ibid.*
— XXVI. Ennodius Avieno. 142
— XXVII. Ennodius Barbaræ. *Ibid.*
— XXVIII. Ennodius Beato. *Ibid.*
— XXIX. Idem eidem. *Ibid.*
— XXX. Ennodius Adeodato presbytero. 143
— XXXI. Ennodius Boetio. *Ibid.*
— XXXII. Ennodius Symmacho papæ. 144
— XXXIII. Ennodius Hormisdæ diacono. *Ibid.*
— XXXIV. Ennodius Portiano abbati. *Ibid.*
— XXXV. Ennodius Aureliano presbytero. *Ibid.*
— XXXVI. Ennodius Boetio. 145
— XXXVII. Idem eidem. 145
— XXXVIII. Ennodius Symmacho papæ. 147
— XXXIX. Ennodins Hormisdæ diacono. *Ibid.*
— XL. Ennodius Boetio. *Ibid.*
— XLI. Ennodius Agapito. *Ibid.*
— XLII. Ennodius Avieno. 148
— XLIII. Ennodius Messalæ. *Ibid.*

LIBER NONUS.

Epistola prima. Ennodius Aratori. 147
— II. Ennodius Fausto. 149
— III. Ennodius Meribaudo. 150
— IV. Ennodius Probino. *Ibid.*
— V. Ennodius Hormisdæ diacono. 151
— VI. Ennodius Beato. *Ibid.*
— VII. Ennodius Avieno. *Ibid.*
— VIII. Ennodius Victori. 152
— IX. Ennonius Camillæ. *Ibid.*
— X. Ennodius Celso. 153
— XI. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XII. Ennodius Messalæ. 154
— XIII. Ennodius Panfronio. 155
— XIV. Ennodius Elpidio diacono. *Ibid.*
— XV. Ennodius Stephaniæ. *Ibid.*
XVI. Ennodius Adeodato. 156
— XVII. Ennodius Apodemiæ. *Ibid.*
— XVIII. Ennodius Stephaniæ. *Ibid.*
— XIX. Ennodius Agnello. 157
— XX. Ennodius Mascatori. *Ibid.*
— XXI. Ennodius Elpidio. 158
— XXII. Ennodius Fausto. *Ibid.*
— XXIII. Ennodius Liberio. *Ibid.*
— XXIV. Ennodius Avieno. 160
— XXV. Ennodius Agnellæ. *Ibid.*
— XXVI. Ennodius Messalæ. *Ibid.*
— XXVII. Ennodius Aureliano episcopo. 161
— XXVIII. Ennodius Agapio. *Ibid.*
— XXIX. Ennodius Liberio. 162
— XXX. Symmacho papæ. 163
— XXXI. Ennodius Avieno. 164
— XXXII. Ennodius Adeodato presbytero. 165
— XXXIII. Ennodius Cæsario episcopo. 166
— XXXIV. Ennodius Avieno. 167
— XXXV. Ennodius Messalæ. 168

OPUSCULA MISCELLA DECEM.

Opusculum primum. — Panegyricus dictus Clementissimo regi Theoderico. 167
Opuscul. II.—Libellus adversus eos qui contra synodum scribere præsumpserunt. 183
Opuscul. III.—Vita deatissimi viri Epiphanii episcopi Ticinensis Ecclesiæ. 207
Opuscul. IV.—De vita beatii Antonii monachi Lerinensis. 239
Opuscul. V.—Eucharisticum, de vita sua. 245
Opuscul. VI.—Paræneşis didascalica ad Ambrosium et Beatum. 249
Opuscul. VII.—Præceptum, quando jussi sunt omnes episcopi cellulanos habere. 255
Opuscul. VIII.—Petitorium quo absolutus est Gerontius puer Agapiti. 257
Opuscul. IX.—Benedicto cerei. *Ibid.*
Opuscul. X.— Benedicto cerei. 261
DICTIONES. 263

CARMINA. LIBER PRIMUS.

Carmen primum.—Itinerarium Brigantionis castelli. 309
Carm. II.— Dictio data Deutererio V.S. grammatico, nomine ipsius Eugeneti V. I. mittenda. 310
Carm. III.—Præfatio nepotibus Proculi. 311
Carm. IV.—Epithalamium dictum Maximo V. S. 312
Carm. V.—Itinerarium Padi. 315
Carm. VI.—Dictio Ennodii diaconi quando Roma rediit. 316
Carm. VII.—Ad Faustum, de carminibus ejus. 318
Carm. VIII.—Ad Olybrium, de ejus eloquentia. 320
Carm. IX. — Dictio habita in natali sancti papæ Epiphanii. 322
Carm. X.—Hymnus Vespertinus. 326
Carm. XI.— Hymnus II. In tempore tristitiæ. 327
Carm. XII.—Amnus III. De S. Cypriano. *Ibid.*
Carm. XIII.—Hymnus IV. De Pentecoste. 328
Carm. XIV.—Hymnus V De S. Stephano. 329
Carm. XV.—Hymnus VI. De S. Ambrosio. *Ibid.*
Carm. XVI.—Hymnus VII. De Ascensione Domini. 330
Carm. XVII.—Hymnus VIII. De S. Euphemia. 331
Carm. XVIII.—Hymnus IX. De S. Nazario. *Ibid.*
Carm. XIX.—Hymnus X. De S. Maria. 332
Carm. XX.—Hymnus XI. De S. Martino. 333
Carm. XXI.—Hymnus XII. De S. Dionysio. 334
LIBER SECUNDUS — EPIGRAMMATA. 334
APPENDIX. 361
Dictio Ennodii in natali Laurentii. 361

HORMISDA PAPA

Notitia. 363

EPISTOLÆ ET DECRETA.

Epistola prima (ad S. Remigium). — Post acceptas ab eo gratulatorias litteras eidem, ob præclaram meritorum excellentiam et nobilissimæ sedis prærogativam, vicariam sedis apostolicæ præfecturam in Gallia delegavit. 367
Epistola Anastasii ad Hormisdam. 369
Epist. II (ad Anastasium imp.).—Laudat eum quod Ecclesiæ paci studeat, et cum causam cur concilium cupiat congregari cognoverit, scribit se illi responsum daturum. 370
Epistola Dorothei ad Hormisdam. 371
Epist. III (ad Dorotheum). — Laudat ejus pietatem et studium in Romanam sedem. 372
Epistola Anastasi Augusti ad Hormisdam. 373
Epist. IV—(ad Anastasium imp.).—Imperatoris zelum commendat; quoad concilium, per legatos se responsurum pollicetur. 374
Indiculus qui datus est Ennodio et Fortunato episcopis, Venantio presbytero, Vitali diacono, et Hilaro notario, legatis apostolicæ sedis Constantinopolim, ab Hormisda papa. 374
Epist. V (ad Anastasium imp.).—Novum esse Romanum pontificem ab imperatore ad concilium vocari; se tamen iturum, si Chalcedonensis concilii decreta non revocentur in dubium. 379

Epistola Anastasii imp. ad Hormisdam. 381
Epistola ejusdem eidem. 383
EPIST. VI (ad Anastasium Aug.). — Fraude Anastasii nondum detecta, laudat ejus studium de pace concilianda, monetque ut tandem damnatis hæresibus Ecclesiæ unitas sortiatur effectum. *Ibid.*
Epistola Anastasii ad senatum urbis Romæ. 385
Rescriptum Senatus urbis Romæ ad Anastasium August. 386
Epistola Joannis episc. Nicopolitani ad Hormisdam. 387
EPIST. VII (ad Joannem episc.).— Commendat illius religionem : Nestorium et Eutychem damnandum, et quomodo qui ad fidem revertuntur recipiendi sint, per indiculum se significaturum scribit. 388
Epistola synodica Synodi Epiri veteris ad Hormisdam. 389
EPIST. VIII (ad Synodum Epiri veteris).— Eutychetis errorum sectatores damnat ; episcopos Epiri veteris ut nominatim hæreticos anathematizent hortatur. 391
EPIST. IX (ad Joannem episc.). — Cum per litteras Epiri veteris episcopi nominatim hæreticos non damnassent, mittitur libellus cui debeant subscribere. 392
Regula fidei. 393
INDICULUS.—Quid in Nicopolitana Ecclesia sit agendum. 394
Epistola Aviti episc. Viennensis ad Hormisdam. 394
EPIST. X (ad Avitum Viennensem episc). — Laudat in eo studium cognoscendi de statu Ecclesiæ Orientalis ; a legatis autem ob perfidiam Græcorum nihil perfectum fuisse scribit ; in animo sibi esse alteram ad illos legationem destinare. 394
EPIST. XI (ad Anastasium August.). — Pacem Ecclesiæ non nisi damnato Acacio posse restitui. 397
EPIST. XII (ad Timotheum Constantin. episc.). — Pro unitate Ecclesiæ laborandum. 399
EPIST. XIII (commonitoria ad univers. hærel. episcopos Orientis). — Unitas catholicæ fidei custodienda. 400
EPIST. XIV (ad episcopos Orient. orthodoxos).— Laudat eorum in fide constantiam, et ad pacem conciliandam a se legatos denuo Constantinopolim missos esse scribit. 401
EPIST. XV (ad Possessorem episc.). — In fide catholica perseverandum. 403
EPIST. XVI (ad populum et monachos Constantinopol.). —Abstinendum a consortio hæreticorum. in catholica fide perseverandum. *Ibid.*
EPIST. XVII (ad Ennium et Peregrinum episc.) . — A Joanne Nicopolitano, quæ contra eum Thessalonicensis, episcopus tentaverit, se cognovisse scribit, novamque causam sedi apostolicæ ingestam, iisdem cognoscendam per litteras hasce commisit. 404
EPIST. XVIII (ad eosdem). —Quid in causa Nicopolitana cum Thessalonicensi agendum sit præscribit. 405
EPIST. XIX (ad Anastasium August.).— Joannem Nicopolitanum ei commandat. 406
EPIST. XX (ad Joannem episc.).—Æquo animo ærumnas pro fide sustinendas, et ideo provinciales episcopos ad fidei unitatem ab eo confirmandos. 406
EPIST. XXI (ad eumdem Joannem). 407
EPIST. XXII (ad Dorotheum episc. Thessalonicensem). 408
Epistola Anastasii ad Hormisdam. 409
Exemplum relationis minorum archimandritarum et cæterorum monachorum secundæ Syriæ. 410
EPIST. XXIII (ad archimandritas Syriæ).— Illos solatur, hortaturque ut in fide catholica perseverent. 415
EPIST. XXIV (ad Joannem Tarraconensem episc.).— Libenter de ejus in Italiam adventu audivisse, litteras ad Hispanienses de ecclesiasticis institutis ab eo datas probat, eique vices suas committit. 421
EPIST. XXV (ad universos episcopos Hispaniæ).—I. De sacerdotibus juxta statuta canonum ordinandis. II. Ut pro episcopatu præmium non accipiatur. III. De concilio per annos singulos celebrando. 423
EPIST. XXVI (ad Sallustium).— Sallustius apostolicæ sedis vicarius constituitur per Bæticam et Lusitaniam (*provincias*). 425
Epistola Justini imperatoris ad Hormisdam. 426
EIST XXVII (ad Justinum). — Illo imperante speratfore ut Ecclesiæ pax restituatur. 427
Epistola Justini ad Hormisdam. *Ibid.*
EPIST. XXVIII (ad Justinum August.).—Commendat ejus de concilianda pace sollicitudinem, et cœptis monet insistendum, nomenque Acacii abolendum esse. 428
Exemplum relationis Joannis episcopi Constantinop. 429
EPIST. XXIX (ad Joannem Constantinop. episc.).—Commendat Joannem episcopum, et gaudet concilium Chalcedonense et divi Leonis epistolas ab eo complexas. Ad Ecclesiæ communionem admittendum pollicetur, si nomen Acacii e diptychis sacris expunxerit. 430
Epistola Justiniani ad Hormisdam. *Ibid.*
EPIST. XXX (ad Cæsarium Arelatensem).— Docet Dardaniæ et Illyrici episcopos ad sedis apostolicæ communionem, Eutychiana hæresi damnata, rediisse, et de legatione in Orientem missa. 431
EPIST. XXXI (ad Justinianum August.). Ad pacem assequendam, Acacium damnandum, legatos mitti significat. 433
INDICULUS quem acceperunt legati sedis apostolicæ. — Legatos instruit. *Ibid.*
EPIST. XXXII (ad Justinum Augustum).— Ab iis qui, admissis Chalcedonensis concilii decretis, Acacium damnare recusabunt, cavendum ; legatosque ob pacem et unionem Orientalis Ecclesiæ missos commendat. 435
EPIST. XXXIII (ad Euphemiam Augustam).— Augustum ad pacem Ecclesiæ restituendam cohortandum. 437
EPIST. XXXIV (ad Joannem Constantinopolit. episcop.). — Acacium damnandum, et in legatorum manibus fidei professionem emittendam. 438
EPIST. XXXV (ad eumdem).— Cum jam fidem catholicam profiteatur, illi potissimum de stabilienda pace cogitandum, pro qua ipse legatos destinavit. 439
EPIST. XXXVI (ad archidiaconum et clerum Constantinopolitanum).— Catholicis hæreticorum molestia liberatis, legati ad pacem confirmandam mittuntur. *Ibid.*
EPIST. XXXVII (ad Justinianum domesticorum comitem, postea Justini successorem).— Sperat fore ut ejus opera pacem Ecclesia adipiscatur, et missa ab eo munera se accepisse nuntiat. 440
EPIST. XXXVIII (ad Celerem et Patricium).— Legatos in causa pacis coadjuvandos. *Ibid.*
EPIST. XXXIX (ad præfectum prætorio Thessalonicensem). Eadem quæ in superiori. 441
EPIST. XL (ad Anastasiam et Palmatiam clariss. feminas senator.).— Eadem quæ in superiori. *Ibid.*
Exemplum suggestionis secundæ Germani et Joannis, etc. *Ibid.*
Item tertia suggestio legatorum supranominatorum. 442
Exemplum relationis Andreæ episc. 443
Exemplum libelli Joannis episcopi Constantinop. *Ibid.*
Item suggestio Germani et Joannis episc., etc. 445
Suggestio Dioscori diaconi. 446
Epistola Justini ad Hormisdam, 448
Exemplum relationis episc. Constantin. ad Hormisdam. 449
Exemplum epistolæ Justiniani ad Hormisdam. 450
Exemplum epistolæ Pompeii ad Hormisdam. 451
Exemplum epistolæ Julianæ Aniciæ ad Hormisdam. *Ibid.*
Exemplum epistolæ Anastasiæ ad Hormisdam. *Ibid.*
Exemplum epistolæ Theodoriti episc. Lignidensis ad Hormisdam. 452
EPIST. XLI (ad Germanum cæterosque legatos).— De eorum incolumitate et rebus gestis certior fieri cupit. 452
EPIST. XLII (ad eosdem legatos). — De his quæ agant vult se moneri Stephanum commendat. 453
EPIST. XLIV (ad Justinum August.). — Gratulatur cum ejus opera Constantinopoli pax vigeat, hoc ipsum Antiochiæ et Alexandriæ faciendum curet. 454
EPIST. XLV (ad Joannem episc. Constantin.).— Laudat Joannem ad unitatem Ecclesiæ rediisse ; hortatur ut Alexandriæ et Antiochenæ Ecclesiæ unionem procurent, legatosque ei commendat. 456
EPIST. XLVI (ad Justinianum).— Commendat eum quod Justino adjumento fuerit in pace Ecclesiæ reddenda, ad quam perfecte ineundam hortatur. 457
EPIST. XLVII (ad Ponpeium).— Laudat Pompeium quod se pacis studiosum ostenderit ; hortatur ad operam navandam ut perfecta Ecclesiæ tranquillitas reddatur. *Ibid.*
EPIST. XLVIII (ad Julianam Aniciam). — Eadem quæ in superiore. 458
EPIST. XLIX (ad Anastasiam). — Eadem quæ in superiore. *Ibid.*
EPIST. L (ad Gratum) — Gratum salutat, ab eoque certior fieri de ejus salute postulat. 459
EPIST. LI (ad omnes episcopos Hispaniæ). — Joannis Constantinopolitani episcopi professionem dirigit, propter Orientales episcopos (clericos) qui eorum communionem poposcerint. *Ibid.*
(EPIST. LII (ad Germanum cæterosque legatos). — Monet ut cum imperatore ejusque conjuge agant, ut omnes Ecclesiæ, præcipue vero Alexandrina et Antiochena, ad apostolicæ sedis communionem revocentur. 461
EPIST.. LIII (ad Dioscorum diaconum).— Ut cogitet quomodo ii qui Chalcedonense concilium scripto damnaverant, et ad Ecclesiam redire cupiebant, recipiendi sint. Thomam, Nicostratum et Joannem episcopos ei commendat. *Ibid.*
EPIST. LIV (ad eumdem).—Laudat ejus de firmanda pace sollicitudinem. Ad imperatorem se litteras daturum, ut

eum Alexandrinæ Ecclesiæ præficiendum curet. Thomam et alios ei commendat, et hortatur ne pro reditus festinatione quidquam indispositum relinquat. 462
EPIST. LV (ad Thomam et Nicostratum). — Se de eorum salute esse sollicitum. Joanni et Dioscoro per litteras eos commendasse. 463
EPIST. LVI (ad Joannem et Dioscorum legatos). — Thomam et Nicostratum Constantinopoli congruo honore dolet non fuisset receptos. Ibid.
EPIST. LVII (ad Justinum August.). — Ut suis sedibus Heliam, Thomatem et Nicostratum restituendos curet. Ibid
EPIST. LVIII (ad Euphemiam Augustam). — Perpetuas pro Euphemiæ et ejus viri salute ad Deum se preces effundere. Thomam et alios commendat. 464
EPIST. LIX (ad Justinianum). — Justiniani studium erga ecclesiasticam pacem laudat, eique Heliam, Thomatem et Nicostratum episcopos commendat. 465
EPIST. LX (ad Germanum virum illustrem). — Eadem quæ in superiori. Ibid
EPIST. LXI (ad Heliam, Thomam et Nicostratum). — Ad imperatorem et alios se pro illorum causa scripsisse significat. 466
EPIST. LXII (ad legatos). — De iis quæ Thessalonicæ gesta per famam audiverat, Dorotheum et Aristidem Romam venire compellendos. 467
Suggestio Germani episc., Felicis, etc. 468
EPIST. LXIII (ad legatos). — Dolet Joannem occisum; et Dorotheo ab episcopatu remoto, alium, Aristide excepto, in ejus locum substitui præcipit. Thomam et Nicostratum suis Ecclesiis restituendos. Monachos Scythas Romæ usque ad legatorum adventum detineri. 469
EPIST. LXIV (ad Joannem Melicitanum episc.) — Constantinopolitanam Ecclesiam ad sedis apostolicæ communionem rediisse. 470
EPIST. LXV (ad episcopos Hispaniæ). — Gratulatur de pace Orientalis et Ecclesiæ. 471
Suggestio Dioscori diaconi. Ibid.
Suggestio Germani et Joannis episc., etc 473
Suggestio legatorum ad Hormisdam. 474
Exemplum epistolæ Justiniani ad Hormisdam. 475
Exemplum epistolæ ejusdem. 476
Exemplum epistolæ ejusdem eidem. Ibid.
EPIST. LXVI (ad Justinianum). — Monachos Scythas ante legatorum adventum Roma non discessuros. Apostolorum sanctuaria transmittit. 477
EPIST. LXVII (ad eumdem). — Scythas monachos ante legatorum adventum Roma non discessuros. Ibid.
Suggestio Dioscori diaconi ad Hormisdam. 478
Epistola Justini ad Hormisdam 479
Relatio Joannis episcopi Constantinop. 480
Suggestio Germani episcopi, Felicis, etc. 481
Indiculus directus a Joanne episc., etc. Ibid.
Suggestio Dioscori diac. ad Hormisdam. 482
Relatio synodi Constantin. de ordinatione Epiphanii episc. 483
Epistola Justiniani ad Hormisdam. 485
Epistola Justini ad Hormisdam. 486
Epistola Euphemiæ Augustæ ad Hormisdam. 487
Epistola Celeris ad Hormisdam. Ibid.
Epistola Julianæ ad Hormisdam. 488
EPIST. LXVIII (ad legatos suos). De eorum salute et rebus gestis certior fieri cupit. Ibid.
EPIST. LXIX (ad eosdem). — Cum eorum litteras non acceperit, monet ut scribant. Ibid.
Relatio Possessoris episcopi Afri, etc. 489
EPIST. LXX (ad Possessorem episc.) — Scythas monachos, suos errores damnare nolentes, ut hæreticos ab Urbe expulsos. Fausti librum a Romana Ecclesia non recipi. 490
EPIST. LXXI (ad Epiphanium Constantin, episc.). — Epiphanium episcopum ordinatum nec scripsisse nec legatos misisse nuntiat. 493
EPIST. LXXII (ad eumdem). — Quæritur Eliam, Thomam et Nicostratum suis sedibus non restitutos; ad Epiphanium spectare ut hæc exsecutioni mandentur. 493
Relatio episcopi Constantinop. 494
Exemplum epistolæ Justiniani V. I. ad Hormisdam. 496
Relatio Epiphanii episcopi Constantinop. 497
Sacra Justini Augusti. 499
Relatio Dorothei episc. Thessalon. Ibid.
EPIST. LXXIII (ad Dorotheum Thessalonicensem episcop.). — Romam ei veniendum ut catholicam doctrinam percipiat, et objectum crimen purget. 500
EPIST. LXXIV (ad Justinum August.). — Accepisse ejus litteras, et de ejus fide et pietate nunquam dubitatum. Ibid.
Epistola Justini ad Hormisdam. 501
Exemplum precum. 503
EPIST. LXXV (ad synodum Constantinop.). — Gratulatur Epiphanium pontificem electum. 505
EPIST. LXXVI)ad Epiphanium episcop. Constantinop.). — Quod qua decuit via ad sacerdotium pervenerit. In unione Ecclesiæ perseverandum. Et de acceptis muneribus. Ibid.
Epistola Epiphanii ad Hormisdam. 506
Relatio Epiphanii episc. Constantinop. 507
Exemplum epistolæ Justiniani V. I. ad Hormisdam. Ibid
Exemplum epistolæ Justiniani cos ad Hormisdam. 508
EPIST. LXXVII (ad Justinianum). — Commendat Justinianum de reverentia sibi exhibita. Promissam legationem se exspectare. Sanctissimæ Trinitatis mysteria explicat. 509
Epistola Justiniani V. I. ad Hormisdam. 510
EPIST. LXXVIII (ad Justinum August.). — Ad evitandam discordiam nihil innovandum; et de his qui ad communionem admitti possunt Epiphanio scriptum. Ibid.
EPIST. LXXIX (ad Justinum August.). — Divinitatis et incarnationis mysterium exponitur. 512
EPIST. LXXX (ad Epiphanium). — Ipsi vicariam sedis apostolicæ præfecturam in recipiendis lapsis delegat. 515
Epistota Justini imperat. ad Hormisdam. 521
Relatio Epiphanii episc. Constantinop. 523
EPIST. LXXXI (ad Remigium Rhem, episc.). — Vices suas illi deputat in regno Clodovei Francorum regis, nuper ad fidem conversi. 524
DECRETA.
DECRETUM PRIMUM. — Qui ad pœnitentiam agendam in monasterio recluditur, presbyter non ordinetur. 525
DECRET. II. Nuptias occultas celebrare non licet. Ibid.
DECRET. III. — Palea. Idem Eusebio episc. Ibid
DECRET. IV. — Absque episcopi permissu in ecclesia consecrata non erigatur altare. 526
APPENDIX AD EPISTOLAS HORMISDÆ.
Admonitio collectoris. 527
Incipit epistola Hormisdæ papæ per universas provincias. Ibid.
Epistola prima Joannis papæ I ad Zachariam archiepisc. 529.
Epist. II. *Ad episcopos Italiæ.* 531
TRIFOLIUS PRESBYTER.
Notitia. 533
EPISTOLA Trifolii presbyt. ad B. Faustum senatorem contra Joannem Scytham monachum. Ibid.
ELPIS UXOR BOETII.
HYMNI duo in honorem SS. apostolorum Petri et Pauli. 537
A. M. SEV. BOETIUS.
PROLEGOMENA.
Præfatio. 537
Epistola nuncupatoria. 541
OPERUM PARS PRIMA. OPERA PHILOSOPHICA.
DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ LIBRI V. — PROLEGOMENA.
Epistola dedicatoria. 547
Præfatio. 549
Boetii vita. 555
Testimonia variorum de Boetio et ejus scriptis 561
Idea librorum Boetii de Consolatione Philosophiæ 573.
Censura librorum Boetii de Consolatione Philosophiæ. 577

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ.

LIBER PRIMUS.
Metrum primum. 579
Prosa prima. 587
Metrum II. 592
Prosa II. 598
Metrum III. 601
Prosa III. 603
Metrum IV. 610
Prosa IV. 613
Metrum V. 633
Prosa V. 640
Metrum VI. 646
Prosa VI. 649
Metrum VII. 655
LIBER SECUNDUS.
Prosa prima. 657
Metrum primum. 662
Prosa II. 664
Metrum II. 668
Prosa III. 670
Metrum III. 674
Prosa IV. 677
Metrum IV. 686
Prosa V. 689
Metrum V. 696
Prosa VI. 701
Metrum VI. 706
Prosa VII. 708
Metrum VII. 713

Prosa VIII. 716
Metrum VIII. 717

LIBER TERTIUS.

Prosa prima. 719
Metrum primum. 721
Prosa II. 723
Metrum II. 728
Prosa III. 731
Metrum III 734
Prosa IV. 735
Metrum IV. 738
Prosa V. 739
Metrum V. 743
Prosa VI. 745
Metrum VI. 746
Prosa VII. 749
Metrum VII. 750
Prosa VIII 751
Metrum VIII. 752
Prosa IX. 754
Metrum IX. 758
Prosa X. 763
Metrum X. 769
Prosa XI. 771
Metrum XI. 775
Prosa XII. 777
Metrum XII. 782

LIBER QUARTUS.

Prosa prima. 785
Metrum primum. 788
Prosa II. 791
Metrum II. 796
Prosa III. 797
Metrum III. 800.
Prosa IV. 803
Metrum IV. 808
Prosa V. 809
Metrum V.
Prosa VI. 813
Metrum VI. 820
Prosa VII. 823
Metrum VII. 826.

LIBER QUINTUS.

Prosa prima. 829
Metrum primum. 832
Prosa II. 834
Metrum II. 837
Prosa III. 838
Metrum III. 843
Prosa IV. 846
Metrum IV. 850
Prosa V. 853
Metrum V. 856
Prosa VI. 857

Variæ lectiones. 863

APPENDIX AD LIBROS DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ.

Varia monumenta litteraria quæ libris de Consolatione in Glareani editione præfiguntur. 869
Joannes Murmellius Rodolpho Langio. *Ibid*
Joannes Cæsarius Juliacensis in quadam ad Murmellium epistola. 870
Nicolaus Crescius Antonio Lanfredino C. I. *Ibid.*
Prælectio Jacobi Bononiensis in Boetium. 871
Joannis Murmellii prælibatio in Boetii de Philosophiæ Consolatione opus. 878

Joannis Murmellii et Rodolphi Agricolæ in libros de Consolatione Philosophiæ Commentaria.

Liber primus. 885
Liber secundus. 951
Liber tertius. 991
Liber quartus. 1043
Liber quintus. 1061
Catalogus auctorum, tam Græcorum quam Latinorum, quorum pulcherrima dicta in Commentariis Murmellii in lib. de Consolatione Philosophiæ vel recitantur vel nominantur. 1073

SEV. BOETII DE UNITATE ET UNO. 1075

SEV. BOETII DE ARITHMETICA LIBRI DUO.

Præfatio. 1079

LIBER PRIMUS

Caput primum. — Divisio mathematicæ. 1079
Cap. II. — De substantia numeri. 1083
Cap. III. — De diffinitione et divisione numeri, et diffinitione paris et imparis. *Ibid.*
Cap. IV. — Diffinitio numeri paris et imparis secundum Pythagoram. *Ibid.*
Cap. V. — Alia secundum antiquiorem modum diffinitio paris et imparis. 1084
Cap. VI. — Diffinitio paris et imparis per alterutrum. 1085
Cap. VII. — De principalitate unitatis. *Ibid*
Cap. VIII. — Divisio paris numeri. *Ibid.*
Cap. IX. — De numero pariter pari ejusque proprietatibus. *Ibid.*
Cap. X. — De numero pariter impari ejusque proprietatibus. 1087
Cap. XI. — De numero impariter pari ejusque proprietatibus. 1089
Cap. XII. — Descriptionis ad impariter paris, in latitudine, in longitudine, ad pariter paris naturam pertinentis expositio. 1091
Cap. XIII. — De numero impari ejusque divisione. 1092
Cap. XIV — De primo et incomposito. *Ibid.*
Cap. XV. — De secundo et composito. 1093
Cap. XVI. — De eo qui per se secundus et compositus, ad alium primus et incompositus est. *Ibid.*
Cap. XVII. — De primi et incompositi, secundi et compositi, et ad se quidem secundi et compositi, ad alterutrum vero primi et incompositi procreatione. 1094
Cap. XVIII. — De inventione eorum numerorum qui ad se secundi et compositi sunt, ad alios vero primi et incompositi. 1096
Cap. XIX. — Alia partitio paris secundum perfectos, imperfectos et ultra quam perfectos. 1097
Cap. XX. — De generatione numeri perfecti. 1098
Cap. XXI. — De relata ad aliquid quantitate. 1099
Cap. XXII. — De speciebus majoris inæqualitatis et minoris. 1100
Cap. XXIII. — De multiplici ejusque speciebus, earumque generationibus. *Ibid.*
Cap. XXIV. — De superparticulari ejusque speciebus earumque generationibus. 1011
Cap. XXV. — De quodam utili ad cognitionem superparticularibus accidente. 1102
Cap. XXVI. — Descriptio per quam docetur cæteris inæqualitatis speciebus antiquiorem esse multiplicem, et digestæ formulæ ratio et expositio. 1103
Cap. XXVII. — Ratio atque expositio digestæ formulæ. *Ibid.*
Cap. XXVIII. — De tertia inæqualitatis specie quæ dicitur superpartiens, deque speciebus ejus earum generationibus. 1106
Cap. XXIX. — De multiplici superparticulari. 1107
Cap. XXX. — De eorum exemplis in superiore formula inveniendis. 1109
Cap. XXXI. — De multiplici superpartiente. *Ibid.*
Cap. XXXII. — Demonstratio quemadmodum omnis inæqualitatis ab æqualitate processerit 1110

LIBER SECUNDUS.

Caput primum. — Quemadmodum ad æqualitatem omnis inæqualitas reducatur. 1113
Cap. II. — De inveniendo in unoquoque numero quot numeros ejusdem proportionis possit præcedere, eorumque descriptio, descriptionisque expositio. 1115
Cap. III. — Quod multiplex intervallum ex quibus superparticularibus medietate posita intervallis fiat, ejusque inveniendi regula. 1117
Cap. IV. — De per se constante quantitate, quæ in figuris geometricis consideratur ; communis ratio omnium magnitudinum. 1119
Cap. V. — De numero lineari. 1121
Cap. VI. — De planis rectilineis figuris, quodque earum principium sit triangulus. *Ibid.*
Cap. VII. — Dispositio triangulorum numerorum. 1122
Cap. VIII. — De lateribus triangulorum numerorum. 1123
Cap. IX. — De generatione triangulorum numerorum. *Ibid.*
Cap. X. — De quadratis numeris. *Ibid.*
Cap. XI. — De eorum lateribus. 1124
Cap. XII. — De quadratorum generatione, rursusque eorum lateribus. *Ibid.*
Cap. XIII. — De pentagonis eorumque lateribus. *Ibid*
Cap. XIV. — De generatione pentagonorum. 1125
Cap. XV. — De hexagonis eorumque generationibus. *Ibid.*
Cap. XVI. — De heptagonis eorumque generationibus, et communis omnium figurarum inveniendæ generationis regula descriptionisque. 1126
Cap. XVII. — Descriptio figuratorum numerorum in ordine. 1127
Cap. XVIII. — Qui figurati numeri ex quibus figuratis numeris fiant, atque quod triangulus numerus omnium reliquorum principium sit. *Ibid.*
Cap. XIX. — Pertinens ad figuratorum numerorum deptionem speculatio. 1128
Cap. XX. — De numeris solidis. 1129
Cap. XXI. — De pyramide, quod ea sit solidarum figurarum principium, sicut triangulus planarum, et de speciebus. *Ibid.*
Cap. XXII. — De his pyramidis quæ a quadratis vel a cæteris multiangulis figuris proficiscuntur. 1129
Cap. XXIII. — Solidorum generatio numerorum. 1130
Cap. XXXIV. — De curtis pyramidis. 1132
Cap. XXV. — De cubis, vel asseribus, vel laterculis, vel cuneis, vel sphæricis et parallelipipedis numeris. *Ibid.*
Cap. XXVI. — De parte altera longioribus numeris, antelongioribus, eorumque generationibus. 1134
Cap. XXVII. — De antelongioribus numeris, et de vocabulo numeri parte altera longioris. 1135

Cap. XXVIII. — Quod ex imparibus quadrati, ex paribus parte altera longiores fiant. 1135
Cap. XXIX. — De generatione laterculorum, eorumque diffinitione. 1136
Cap. XXX. — De circularibus vel sphæricis numeris. 1137
Cap. XXXI. — De natura rerum quæ dicitur ejusdem naturæ, et de ea quæ dicitur alterius naturæ, et qui numeri cui naturæ conjuncti sunt. *Ibid.*
Cap. XXXII. — Quod omnia ex ejusdem natura et alterius natura consistunt, idque in numeris primum videri. 1139
Cap. XXXIII. — Ex ejusdem atque alterius numeri natura, qui sunt quadratus et parte altera longior, omnes proportionum habitudines constare. *Ibid.*
Cap. XXXIV. — Quod ex quadratis ex parte altera longioribus, omnis formarum ratio consistat. 1142
Cap. XXXV. — Quemadmodum quadrati ex parte altera longioribus, vel parte altera longiores ex quadratis fiant. 1143
Cap. XXXVI. — Quod principaliter ejusdem quidem sit substantiæ unitas, etc. *Ibid.*
Cap. XXXVII. — Alternatim positis quadratis, et parte altera longioribus, qui sit eorum consensus in differentia et in proportione. *Ibid.*
Cap. XXXVIII. — Probatio quadratos ejusdem esse naturæ. 1144
Cap. XXXIX. — Cubos ejusdem participare substantiæ quod ab imparibus nascantur. 1145
Cap. XL. — De proportionalitatibus. *Ibid.*
Cap. XLI. — Quæ apud antiquos proportionalitas fuerit, et quas posteri addiderint. 1146
Cap. XLII. — Quod primum de ea quæ vocatur arithmetica proportionalitate dicendum est. 1147
Cap. XLIII. — De arithmetica medietate ejusque proprietatibus. *Ibid.*
Cap. XLIV. — De geometrica medietate ejusque proprietatibus. 1150
Cap. XLV. — Quæ medietates,quibus rerum publicarum statibus comparentur. 1152
Cap. XLVI. — Quod superficies una tantum in proportionalitatibus medietate jungantur, solidi vero numeri duabus medietatibus in medio collocantur. *Ibid.*
Cap. XLVII. — De harmonica medietate ejusque proprietatibus. 1153
Cap. XLVIII. — Quare dicta sit harmonica medietas ea quæ digesta est. 1155
Cap. XLIX. — De geometrica harmonia. 1158
Cap. L. — Quemadmodum constitutis altrinsecus duobus terminis, arithmetica, geometrica et harmonica inter eos medietas alternetur, atque de eorum generationibus. 1159
Cap. LI. — De tribus medietatibus quæ harmonicæ et geometricæ contrariæ sunt. 1161
Cap. LII. — De quatuor medietatibus quas posteri ad implendum denarium limitem adjecerunt. 1163
Cap. LIII. — Dispositio decem medietatum. 1164

DE MUSICA LIBRI QUINQUE. — LIBER PRIMUS.

Caput primum. — Musicam naturaliter nobis esse conjunctam, et mores vel honestare vel evertere. 1167
Cap. II. — Tres esse musicas, in quibus de vi musicæ narratur. 1171
Cap. III. — De vocibus ac de musicæ elementis. 1172
Cap. IV. — De speciebus inæqualitatum. 1173
Cap. V. — Quæ inæqualitas species consonantiis aptentur. 1174
Cap. VI. — Cur multiplicitas et superparticularitas consonantiis deputentur. *Ibid.*
Cap. VII. — Quæ proportiones quibus consonantiis musicis aptentur. 1175
Cap. VIII. Quid sit sonus, quid intervallum, quid concinentia. *Ibid.*
Cap. IX. — Non omne judicium dandum esse sensibus, sed amplius rationi esse credendum, in quo de sensuum fallacia. 1176
Cap. X. — Quemadmodum Pythagoras proportiones consonantiarum investigaverit. *Ibid.*
Cap XI. — Quibus modis varie a Pythagora proportiones consonantiarum perpensæ sint. 1177
Cap. XII. — De divisione vocum earumque explanatione. *Ibid.*
Cap. XIII. — Quod infinitatem vocum humana natura finierit. 1178
Cap. XIV. Quis modus sit audiendi. 1179
Cap. XV. De ordine theorematum, id est speculationum. *Ibid.*
Cap. XVI. — De consonantiis proportionum, et tono, et semitonio. *Ibid.*
Cap. XVII. — In quibus primis numeris semitonium constet. 1181
Cap. XVIII. — Diatessaron a diapente tono distare. 1182
Cap. XIX. — Diapason quinque tonis et duobus semitoniis jungi. 1183
Cap. XX. — De additione chordarum earumque nominibus. *Ibid.*
Cap. XXI. — De generibus cantilenarum. 1188
Cap. XXII. — De ordine chordarum nominibusque in tribus generibus. 1189
Cap. XXIII. — Quæ sint inter voces in singulis generibus proportiones. *Ibid.*
Cap. XXIV. — Quid sit synaphe. 1191
Cap. XXV. — Quid sit diezeuxis. *Ibid.*
Cap. XXVI. — Quibus nominibus nervos appellaverit Albinus. 1192
Cap. XXVII. — Qui nervi quibus sideribus comparentur. *Ibid.*
Cap. XXVIII. — Quæ sit natura consonantiarum. 1193
Cap. XXIX. — Ubi consonantiæ reperiuntur. *Ibid.*
Cap. XXX. — Quemadmodum Plato dicat fieri consonantias. *Ibid.*
Cap. XXXI. — Quid contra Platonem Nicomachus sentiat. 1194
Cap. XXXII. — Quæ consonantia quam merito præcedat. *Ibid.*
Cap. XXXIII. — Quo sint modo accipienda quæ dicta sunt. *Ibid.*
Cap. XXXIV. — Quid sit musicus. 1195

LIBER SECUNDUS.

Caput primum. — Procœmium. 1195
Cap. II. — Quid Pythagoras esse philosophiam constituerit. *Ibid.*
Cap. III. — De differentiis quantitatis, et quæ cui disciplinæ sit deputata. 1196
Cap. IV — De relatæ quantitatis differentiis. 1197
Cap. V. — Cur multiplicitas antecellat. 1198
Cap. VI. — Quid sint quadrati numeri, deque his speculatio. 1199
Cap. VII. — Omnem inæqualitatem ex æqualitate procedere, ejusque demonstratio. 1200
Cap. VIII. — Regula quotlibet continuas proportiones superparticulares inveniendi. 1201
Cap. IX. — De proportione numerorum qui ab aliis metiuntur. 1203
Cap. X. — Quæ ex multiplicibus et superparticularibus multiplicitates fiant. 1204
Cap. XI. — Qui superparticulares quos multiplices efficiant. 1205
Cap. XII. — De arithmetica, geometrica, harmonica medietate. *Ibid.*
Cap. XIII. — De continuis medietatibus et disjunctis. 1206
Cap. XIV. — Cur ita appellatæ sint digestæ superius medietates. *Ibid.*
Cap. XV. — Quemadmodum ab æqualitate supradictæ processerant medietates. *Ibid.*
Cap. XVI. — Quemadmodum inter duos terminos supradictæ medietates vicissim collocentur. 1210
Cap. XVII. — De consonantiarum modo secundum Nicomachum. *Ibid.*
Cap. XVIII. — De ordine consonantiarum sententia Euclidis et Hippasi. 1211
Cap. XIX. — Sententia Nicomachi quæ quibus consonantiis apponantur. 1212
Cap. XX. — Quid oporteat præmitti ut diapason in multiplici genere demonstretur. 1215
Cap XXI. — Demonstratio per impossibile diapason in multiplici genere esse. *Ibid.*
Cap. XXII. — Demonstratio per impossibile, diapente, diatessaron, et tonum, in superpaticulari esse. 1214
Cap. XXIII. — Demonstratio diapente et diatessaron in maximis superparticularibus collocari 1215
Cap. XXIV. — Diapente in sesquialtera, diatessaron in sesquitertia esse, tonum in sesquioctava. 1216
Cap. XXV. — Diapason ac diapente in tripla proportione esse, bis diapason in quadrupla. *Ibid.*
Cap. XXVI. — Diatessaron ac diapason non esse consonantiam secundum Pythagoricos. 1217
Cap. XXVII. — De semitonio in quibus minimis numeris constet. 1218
Cap. XXVIII. — Demonstrationes non esse 243 ad 256 toni medietatem. 1219
Cap. XXIX. — De majore parte toni in quibus minimis numeris constet. 1220
Cap. XXX. — Quibus porportionibus diapente, diapason, constent, et quoniam diapason sex tonis non constet. 1221

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM. — Adversus Aristoxenum demonstratio superparticularem proportionem dimidii in æqua non posse, atque ideo nec tonum. 1223
CAP. II. — Ex sesquitertia proportione, sublatis duobus tonis, toni dimidium non relinqui. 1227
CAP. III. — Adversum Aristoxenum demonstrationes diatessaron consonantiam ex duobus tonis et semitonio non constare, nec diapason sex tonis. Ibid.
CAP. IV. — Diapason consonantiam, a 6 tonis commate excedi, et qui sit minimus numerus commatis. 1229
CAP. V. — Quemadmodum Philolaus tonum dividat. *Ibid.*
CAP. VI. — Tonum ex duobus semitoniis ac commate constare. 1231
CAP. VII. — Demonstratio tonum duobus semitoniis commate constare. *Ibid.*
CAP. VIII. — De minoribus semitonii intervallis. 1232
CAP. IX. — De toni partibus per consonantias sumendis. 1233
CAP. X. — Regula sumendi semitonii. 1235
CAP. XI. — Demonstratio Architæ superparticularem in æqua dividi non posse, ejusque reprehensio. 1236
CAP. XII. — In qua numerorum proportione sit comma, et quoniam in ea quæ major sit quan 75 ad 14, minor quam 74 ad 75. 1237
CAP. XIII. — Quod semitonium minus majus quidem sit quam 20 ad 19, minus quam 19 1/2 ad 18 1/2. 1240
CAP. XIV. Semitonium minus majus quidem esse tribus commatibus, minus vero quatuor. 1241
CAP. XV. Apotome majorem esse quam 4 commata, minorem quam 5. Tonum majorem quam 8, minorem quam 9. 1243
CAP. XVI. — Superius dictorum per numeros demonstratio. 1244

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM. — Vocum differentias in quantitate consistere. 1245
CAP. II. — Diversæ de intervallis speculationes. 1246
CAP. III. — Musicarum per græcas ac latinas litteras notarum nuncupatio. 1251
CAP. IV. — Monochordi regularis partitio in genere diatonico. 1253
CAP. V. — Monochordi notarum hyperboleon per tria genera partitio. 1256
CAP. VI. — Ratio superius digestæ descriptionis. 1259
CAP. VII. — Monochordi notarum diezeugmenon per tria genera partitio. 1260
CAP. VIII. — Monochordi notarum synemmenon per tria genera partitio. 1263
CAP. IX. — Monochordi meson per tria genera partitio. 1265
CAP. X. — Monochordi hypaton per tria genera partitio, et totius dispositio descriptionis. 1267
HENRICI GLAREANI SPECULATIO.—Plana monochordi regularis partitio in tribus generibus. 1271
CAP. XI. — Ratio superius dispositæ descriptionis. 1273
CAP. XII. — De stantibus et mobilibus vocibus. *Ibid.*
CAP. XIII. — De consonantiarum speciebus. 1275
CAP. XIV. — De modorum exordiis, in quo dispositio notarum per singulos modos ac voces. 1276
CAP. XV. — Descriptio continens modorum ordinem ac differentias. 1279
CAP. XVI. — De superius disposita modorum descriptione. 1281
CAP. XVII. — Ratio superius dispositæ modorum descriptionis. 1284
CAP. XVIII. — Quemadmodum indubitanter musicæ consonantiæ aure dijudicari possint. 1285

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM. — De vi harmonicæ, et quæ sint ejus instrumenta judicii, et quonam usque sensibus oporteat credi. 1285
CAP. II. — Quid sit harmonica regula, vel quam intentionem harmonici Pythagorici vel Aristoxenus vel Ptolemæus esse dixere. 1288
CAP. III. — In quo Aristoxenus vel Pythagorici vel Ptolemæus gravitatem atque acumen constare posuerunt. *Ibid.*
CAP. IV. — De sonorum differentiis Ptolemæi sententia. *Ibid.*
CAP V. — Quæ voces enharmoniæ sunt aptæ. 1289
CAP. VI. — Quem numerum proportionum Pythagorici statuunt. *Ibid.*
CAP. VII. — Quod reprehendat Ptolemæus Pythagoricos in numero propositionum. 1290
CAP. VIII. — Demonstratio secundum Ptolemæum diapason et diatessaron consonantiæ. *Ibid.*
CAP. IX. — Quæ sit proprietas diapason consonantiæ. 1291
CAP. X.— Quibus modis Ptolemæus consonantias statuat. 1292
CAP. XI. — Quæ sint æquisonæ, vel quæ consonæ, vel quæ emmeles. *Ibid.*
CAP. XII. — Quemadmodum Aristoxenus intervallum consideret. 1293
CAP. XIII. — Descriptio octochordi, qua ostenditur diapason consonantiam minorem esse sex tonis. *Ibid.*
CAP. XIV. — Diatessarum consonantiam tetrachordo contineri. 1294
CAP. XV. — Quomodo Aristoxenus vel tonum dividat, vel genera, ejusque divisionis dispositio. *Ibid.*
CAP. XVI. — Quomodo Architas tetrachorda dividat eorumque descriptio. 1297
CAP. XVII. — Quemadmodum Ptolemæus et Aristoxeni et Architæ tetrachordorum divisiones reprehendat. 1299
CAP. XVIII. — Quemadmodnm tetrachordorum divisionem fieri dicat oportere. 1300
Epistola præfatoria. *Ibid.*
TRANSLATIO LIBRORUM II GEOMETRIÆ EUCLIDIS, AUCTORE BOETIO.

FINIS TOMI SEXAGESIMI TERTII.

Imprimerie générale de Châtillon-sur-Seine. — A. PICHAT.


BOSTON COLLEGE
3 9031 01364410 9

